Universidad de Deusto
Biblioteca

Cleast:

Instrmat:

Universidad de Deusto
Biblioteca

E-25.

Duplicado

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDI PA=
tris Fratris Hieronymi ab Olea=
ſtro Luſitani, Prædicatorij Ordinis, ac ſacræ
THEOLOGIÆ PROFESSORIS, ATQVE HÆ=
reticæ prauitatis apud Inclytam Olyſiponem Inquiſitoris Commen=
taria in Moſi Pentateuchum, iuxta. M. Sanctis Pagnini Lucen=
ſis eiuſdem Ordinis interpretationem, quibus Hebraica
veritas exactiſſimè explicatur, & quæ ad morum
compoſitionem aptari poſſunt, ex ipſius literæ
penetralibus ſeorſum annectuntur.
Opus ſanè, & doctis, & in=
doctis vſui fu=
turum.

*Quæ toto Opere contineantur, proxima à ter=
go pagina indicabit.*



ANTVERPIÆ,
In ædibus Viduæ & Hæredum
Ioannis Stelſij.
M. D. LXVIII.
Cum Priuilegio Regio.

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO
BIBLIOTHECA COLLEGII VALLISOLETANI SOCIETATIS IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

OPERIS ELENCHVS.

AD Sereniſſimum Cardinalem Henricum Portugalliæ Infantem Legatum à latere, Autoris Epiſtola nuncupatoria.

AD Lectorem, eiuſdem Autoris Epiſtola, quæ & Præfationis vicem tenet.

CANONES. XVI. eiuſdem Autoris ad Sacrarum ſcripturarum faciliorem intellectum.

HEBRAISMI, ſeu Phraſes hebrææ linguæ peculiares, quæ paſſim Lectori negotium facerent: ab Autore alphabetico ordine digeſtæ.

DE Numero, & ordine librorum, Autorum, & inſcriptionum, ſeu titulorum Sacrorum voluminum Anacephaleoſis.

PENTATEVCHI. totius contextus iuxta Sanctis Pagnini recentem editionem, cum Autoris ad ſingula capita expoſitionibus, atque Ethicis exhortationibus, hoc eſt, in Geneſim, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomion.

Δύσκολα τὰ καλά.

Regia Maieſtas permiſit,

Vt Commentaria in Moſi Pentateuchum, reuerendi Patris F. Hieronymi ab Oleaſtro impunè imprimerentur, perq; omnes Regiones ſuas liberè diſtraherentur, veluti patet in literis ab eadem Maieſtate conceſſis & ſubſignatis.

BAVE.

EPISTOLA AD CARDINALEM.

Sereniſſimo Principi, ac pientiſſimo Patri. D. HENRICO TIT. SANCTORVM QVATVOR Coronatorum Presbytero Cardinali,

ET AD SERENISSIMVM IOHANNEM Portugalliæ Regem, Sanctiſſimi. D. noſtri Papæ à latere Legato,

FRATER HIERONYMVS AB OLEASTRO LVSITANVS, Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ humilis profeſſor, & in Olyſſiponen. diœceſi Hæreticæ prauitatis Inquiſitor Vtranque felicitatem.

RÆVALVIT Hic mos (clariſſime Princeps, ac Chriſtianiſſime Præſul) vt qui alicuius momenti libros in lucem eſſent edituri, tutelarem aliquem Deum eligerent, qui recentem fœtum à mordentium, & detractorum linguis (quas nunc non deeſſe credimus) ſua autoritate, & patrocinio tueretur. Quem ego ſatis laudabilem morem ſecutus, eùm lucubrationes meas in Pentateuchum edere decreuiſſem, de eligẽdo ad hoc munus Patrono, mecũ feci iudicium. Cui multis de cauſis primus occurriſti (Princeps Inclyte) & quod me à concilio Tridentino (cui ex impetrio potentiſſimi Iohannis Regis fratris tui interfueram) redeuntem, ad Inquiſitionis conſilium, cuius nunc ſupremam arcem tenes, aſciuiſti, vt aduerſus Hæreſes, & Hæreticos, qui noſtris temporibus in immẽſum creuiſſe videntur, pro noſtra virili decertarem. In qua functione iam vltra quinquennium laboro: vtinam feliciter. Itaque ad miniſterium tuum vocatus, dignum duxi: vt omnes noſtri labores ac vigiliæ tibi, velut iure dominij, deſeruirent. Necnon ob præclaras animi tui dotes, quæ ob raritatem, omnibus ſunt admirationi, & omnium oculos in ſe meritò trahunt. Ob quas poſt adeptum Eborenſem Archiepiſcopatum, Paulus tertius Pont. Max. cum ſummo omnium Cardinalium applauſu, te ad cardineum apicem ſublimauit. Quanta autem prudentia, integritate, & vitæ exemplo, tui muneris functionem adminiſtres, non tui ſubditi ſolum, ſed ipſe terrarum orbis teſtimonio eſt. Quis enim non miretur tuæ diœcẽſis reformationem? Cui eo candidior ſolito refulget facies, vt appareat denuò tua induſtria genita. Quàm honeſti, vitiisque purgati miniſtri? Quis altarium, Eccleſiarum, vaſorum, omniumque vtenſilium ornatus? Quàm nitidi, & terſa omnia? Quamque ſuo loco, & ordine cuncta diſpoſita? Vt ſecularis Eccleſia, quæ aut nihil, aut parum & ordinis, & ornatus retinebat, iam te ſortitæ Præſulem, vel cum reformatiſſimorum Monachorum monaſteriis, facilè poſſit contendere. A qua licet aliquando à Sereniſſimo Rege fratre tuo, ad ardua regni negotia vocatus, abeſſe cogaris, non tamen ei diu deeſſe pateris. Sed vt prouidus in filios Pater, ad prolem, quam ex cauſa ad tempus reliqueras, ſedulo recurris. Ita, vt quí corpore aliquando abſens eſſe cogeris, animo tamen ſemper adſis. Quid tuam in pauperes largitatem commemorem, quibus ſpirituale pabulum abundè procuras, & temporale non negligis? Cùm enim in tua diœcẽſi, Sacerdotes animarum curæ aptos deeſſe videres: Clericos pauperes vndecunque ad tuam Sedem, tuiſque ſumptibus accerſiſti. Quos ibidem ex ærario tuo ſuſtentas, quibuſque Præceptores egregios, qui literario ludo præſſent, præfeciſti. Concionatores etiam eximios ad ciuitates, & oppida, verbo & opere potentes deſtinaſti. Quos omnes tuo abundanti ſumptu paſcis ita: vt Pater, Doctor, & leuamen populi prædiceris. Neq; omittam inſigne illud Pedagogium, quod apud Eboram tuę diœcẽſis metropolin reformatis Clericis ſodalitij Saluatoris conſtruxiſti. Quo quidem ex teneræ iuuentuti, & Eccleſiis, vt in præſens, & in futurum Prædicatoribus abundarent, conſuluiſti. Ibi enim nõ tantum literas diſcunt, ſed (quod longe melius eſt) & defecatiſſimos mores cum lacte carnis imbibunt. Præclarum etiam illud, piumq́ue opus commemorare libet, quod cum periurij vitium inter tuos, quemadmodum & apud omnes frequentiſſimum eſt, pullulare indies videres, præclara illa nominis Dei ſocietate, ſummis indulgentiis decorata, ita occurriſti: vt non ſolùm in vrbe, ſed in tota diœcẽſi nemo, aut rarus ſit, qui iuret, ne dicam periuret, atque ex ingenti prius numero, rariſſimi aleatores ſuperſint. Quenam, obſecro, in toto Chriſtiano orbe vrbs eſt, in qua tot hominum millia vtriuſque ſexus, exhomologeſin ſuorum peccatorum, ſingulis faciant hebdomadis, & venerabile Euchariſtiæ ſacramentum ſingulis feſtis ſumant? Rediiſſe certe videntur priſtina illa naſcentis Eccleſiæ tempora, quibus Chriſtifideles dominicum corpus communicabant frequentius. Quæ omnia tibi, qui hæc ſumma diligentia fieri curas, deberi notum eſt. Præfatus igitur domus Dei reformationem, ad tuæ domus laudabilia inſtituta tranſeo. Cùm enim domus tuæ famulatus (qui tamen pro celſitudine, & ſanguinis ſplendore non erat) exceſſiuus videretur, pauciſſimis, eiſque approbatiſſimis contentus, cæteros omnes, vt illorum tranquillitati, & Chriſti ærario, tibi commiſſo conſuleres, non vt inuiſos repuliſti, ſed ſolutis ad plenum ſtipendiis, in ſuos quenque penates remiſiſti. Argentum, & aurum, ſi quod in tuo miniſterio erat: in ſtannum pauperatis mutaſti. Vnum ſupereſt, quod non præteribo, in quo & finem dicendi faciam, quòd ita profectò Epiſcopatus imples munia: vt Monachorum contemplationem non abiicias. Quin ad Vallis viridis Cœnobium, quod hac de cauſa (meo iudicio) conſtruxiſti, inter cauſarum, & ſecularium negotiorum vertigines, ſemel in hebdomade ſaltem, quaſi ad aſylum confugias: ac Babylonem cogas ſuas angarias ſoluere Ieruſalem, & nobis Baſilium illum magnum Monachorum Patrem, Epiſcopumq; ſanctiſſimum referas! Quæ omnia, & cætera, quæ conſulto prætereo, ne Epiſtolæ tranſgrediar limites, Domini refero laudi: cuius te ſcimus auidiſſimum, non tuæ gloriæ. Quam quidem aut repellis, aut certe non ambitioſe requiris. Perge igitur religioſiſſime Princeps, & tuum munus abſolue feliciter: vt principio cõſonet exitus. Diſcant Coepiſcopi pectus noſtri Præſulis, ſcholam eſſe virtutis. Quem Dominus in multorum exemplum nobis diu ſeruet incolumem.

VALE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eiusdem fratris Hieronymi ab

OLEASTRO LVSITANI, ORDINIS
Prædicatorum ad Lectorem
Præfatio.



Peræpretium arbitror (iucundissime Lector) tibi rationem reddere, quare post doctissimorum virorum in sacras literas Commentarios, hos nostros quales quales in lucem ediderimus. Cùm tibi, & omnibus notum sit, multa adhuc in sacris literis adeò obscura, & inuoluta existere, vt multorum ingenia, etiam perspicasissima in eis explicandis summo labore indigeant. Liga (ait Dominus ad Isaiam) testimonium, signa legem in discipulis meis, & præstolabor Dominum, qui faciem suam abscondit à domo Iacob. Et capite vigesimonono. Erit (inquit) vobis visio omnium Prophetarum, sicut verba signatæ epistolæ, quam scienti literas dabunt, dicendo, lege nunc istam, & dicet, non possum, quia signata est. Et dabitur epistola ei, qui literas nescit, dicendo, lege nunc istam, & respondebit, non possum, quia signata est. Quòd si hæc in Iudæos dicta esse obiectes, memẽto apud solos Dei discipulos, scripturarum scientiam delitescere, quos dignoscere difficilè est. Non enim (meo iudicio) vsque hodie fuit aliquis Christianorum, aut Iudæorum tam felicis ingenij, qui ita omnia, quæ in sacris literis inuoluta sunt, explicaret: vt non sequentibus amplum exercendi ingenij veluti campum reliquerit. Voluit enim summus ille omnium rerum distributor cunctorum desiderio pro suo modulo satisfacere, neque vni omnium locorum difficilium intellectum concedere, sed alij plura, alij verò pauciora intelligere donauit. Neque mortalium aliquem tam insolentem, aut arrogantem puto, qui se cuncta difficilia in scripturis sanctis, aut intellexisse, aut explicasse glorietur, sed gaudeat potius aliorum ingenia in huiusmodi explicandis desudasse: vt aliorum laboribus, & vigiliis nanciscatur, quod suo marte non erat, tam facile saltem, assecuturus. Nam quemadmodum ego aliorum laboribus, & industria profeci, multaq; mihi prius obscura, intellexi: ita possibile est alios (absit verbo inuidia) nostro labore proficere. Neq; tamen me hac de causa ad scribendum, & euulgandum, quę scripseram, impulsum arbitreris, sed cùm à iuuene sacris literis fuerim deditissimus, ne quod collegeram, deperisset, scriptis mandare curabam. Quæ cùm penes me delitescerent, & studiosis viris vsui esse possent, non meo, sed amicorum consilio persuasus, ea in vulgari permisi. Non, quod ea typis digna arbitrer, his præsertim temporibus, quibus & latinissima, & limatissima esse oportet, quæ in lucem prodeunt, qualia nostra nõ esse video, & ingenue fateor, sed quod arbitror viros doctos in scientiis, quæ non præcipuè de sermone tractant, non tam phalerata verba, quàm verum sensum quærere. Qui enim ornatum sermonem diligunt, Ciceronem quærant, non Mosem, qui de labiorum incircumcisione, & balbutienti lingua apud Deum conqueritur. Et Paulus se, & si imperitum sermone, non tamen scientia profitetur. Est etiam aliud, quod & te hic admonere volumus, quare omissa vulgata editione, Sanctis Pagnini Lucensis versionem exponere maluerimus. Cuius rei causam paucis accipe. Scito nostri instituti esse, non aliquem Interpretum (qui an literæ mentem in omnibus sint assecuti, nescio) sed contextum ipsum hebraicum, quantum mihi possibile fuerit, explicare. Et quoniam non omnes Hebraicè sciunt, & hæc Sanctis nostri editio cæteris omnibus (quas videre licuit) germanius Hebraicum fontem referre videtur, eam præ cæteris interpretandam delegimus, non tam illam, quam in ea Hebraicum contextum interpretantes. Neque me id deterruit, quod multis rudis, & dura videatur, quoniam, vt antea præfati sumus, in sacris literis nõ tam verborum ornatum, quàm literæ genuinum sensum quærimus. Hoc enim me male in multis Interpretibus habet, quod dum sacra verba, sua eloquentia nimis ornare volunt, à germano literæ sensu declinãt. Feci etiã hoc, ne quod multis male cessisse video, mihi accideret. Qui dum frequentissime vulgatam editionem, in suis Commentariis castigare volunt, dicentes sic, aut aliter in hebræo haberi, & lectorem remorantur, & illi perpetuo fastidio sunt. Qui, meo quidem iudicio, cõsultius facerent, quãdo vulgata non placet, aliquã ex vulgatis, quam exponerent, deligere, ne in corrigenda veteri totam operam absumerent, & tempus ad meliora Lectori relinquerent. Neque mihi obiicias exẽplaria hebraica omnia, à Iudæis esse vitiata. Si enim in solis locis illis, quibus nobis cum eis negotium est, qualia sunt illa, quæ Christi mysteria tractant, hebraica veritas à vulgata dissentiret editione, facilè crederem eos ibidẽ hebraica corrupisse. Cùm autẽ non solùm in illis: sed in aliis, quibus inter nos & illos nihil controuersiæ est, hebraica à latinis discrepare videamus, præsentissimũ mihi signum est, eos sua Biblia non vitiasse. Quod verò in eiusmodi locis ab eis dissentiat, manifestum est. Atq; (vt è pluribus pauca proferamus in mediũ) illud quod Gen. 48. habetur, tibi exemplo sit, vbi in vulgata editione habetur. Erat enim vernum tẽpus, Quod in hebraica veritate nusquã est. Similiter illud Gen. 8. quo loco vulgatus Interpres de coruo dicit. Egrediebatur, & non reuertebatur, hebraica habet. Egrediebatur, & reuertebatur,

reuertebatur. Quibus in locis quid mysterij Christi contineatur, me ignorare ingenuè fateor. Ad hæc. Non puto Iudæos huius temporis plus nunc Ecclesiæ aduersari, quàm Diui Hieronymi temporibus, quibus, ne lex, & legis ceremoniæ perirent, maximè certabant. Cùm verò tunc non omnia exemplaria hebraica essent corrupta, alioqui vir sanctus non inuenisset exemplar hebraicum, ad cuius fidem suam transferret editionem, aliàs nõ puram, sed vitiatam; iuxta exemplaris corruptionem nobis tradidisset scripturam. Colligo igitur non omnia nunc exemplaria hebraica à Iudæis esse vitiata. Neque id timeo, quod multos timere video, magnum videlicet futurum scandalum, si vulgata editio nunc iuxta veritatem hebraicam emendetur, quippè qua Ecclesia tot iam seculis vsa est. Quoniam hoc scandalum Beatissimo Damaso Papæ pertimescendum erat, qui Diui Hieronymi tempore rexit Ecclesiam, ne olim permitteret, ne dicam imperaret, vulgatam editionem, iuxta hebraicos fontes emendari. Cùm verò constet eum huiusmodi scandalum non curasse, sanctum existimans, veritatem opinionibus vulgi præferre: sequitur nunc nullum incommodum esse, si sanctissimus Dominus noster Paulus quartus Pontif. Max. prouinciam hãc viris Catholicis, & linguarum peritis, qui hoc facilè & incorruptè præstare possent: demandaret. Est etiam ad hoc aperta Augustini sententia, in epistola ad Hieron. & habetur dist. 9. vbi August. dicit sic. Quemadmodum veterum librorum fides, ad hebræa volumina examinanda est, ita nouorum veritas, græci sermonis normam desiderat. Si enim (vt ille ait) ad scripturas sacras admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis? Omitto in vulgata editione multa non Interpretis, sed Typographorum oscitantium vitio, vitiata: sicut Prouerbiorum. 14. vbi seculum pro sæculo habetur. Et Psal. 26. & 41. fontem, pro fortem mutarunt. Item Psãlm. 149. Exultationes, pro Exaltationes, filiæ Sion, pro filij peruerterunt. Et apud Isaiam capite. 40. Malitia, pro completa militia immutarunt. Sicuti in missa, Sanctus Dominus Deus sabbaoth, pro Sebaoth, vbique corruperunt. Et multis aliis in locis, quæ longum esset enumerare, quæ & Lyranus sæpius in suis Commentariis notauit. Neque plus Diuo Hieronymo in sua editione (si tamen illius est) à nobis tribuendum puto, quàm sibi velit ipse tribui. Ipse verò vtpotè vir sanctus, se aliquando hallucinatum ingenuè fatetur: suamq; versionem in aliquot locis emendasse: vt est videre in eius Commentariis super illud Isaiæ. 19. Erit terra Iehudah Ægypto in pauorem. Vbi sic habet. Melius reor, dum viuo, etiam proprium errorem reprehendere: quàm, dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere. In eo, quod transtuli, in pauorem, in hebraico legitur (lechoga) quod interpretari potest, in festiuitatem. Quæ non in eum finem adducimus, vt virum sanctum traducamus, sed vt sentiamus eum non Prophetam, sed hominem. Multitudinem autem editionum damnare nõ audeo, cùm semper Ecclesia multis vsa sit, alius alio melius literæ mentem in multis locis assequitur. Hoc tamen in eis desiderarem, ne quod de suo supplent, textui sacro insererent, quantumcunq; illud virgulis, aut apicibus à textu distingueretur, cùm facilè Typographorum incuria huiusmodi apices, & virgulę omittantur, & Interpretum assumpta verba pro vero textu recipiantur: sed potius ad marginem, quæ eis addenda viderentur apponerent. Hæc ergo sunt pie Lector, quæ nos, omissa vulgata editione multis modis commendabili, ad hebraicam veritatem interpretandam impulere. Verùm in multis etiam locis à Sancte discedimus: aut vbi nobis aliter videbatur in hebraica veritate haberi, aut verba in alia significatione interpretari posse. In explicandis autem locis obscuris, non plus nobis autoritatis tribui volumus, quàm aut ratio subiuncta, aut quæ ex aliis scripturæ locis adducimus, aut examinata nominis, aut verbi significatio, aut literæ contextus probauerint. Tuum ergo (pie Lector) erit, si quid bonum in Opere videris, acceptare, si quid verò insipidum reputare, aut boni consulere. Omnia verò hæc sanctæ matris Ecclesiæ iudicio submitto, libramq; & emendationem doctissimorum virorum non recusabo.

Quoniam autem hebraicum textum interpretari disposuimus, placuit etiam libros veteris Testamenti Hebræorum more citare, quem quidem modum post Canones tibi ostendemus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CANONES AD

SACRARVM LITERARVM
Lectionem, ac lucidiorem cognitionem perutiles.

AD Sacrarum literarum intelligentiam conquirendam, apprime necessaria est linguarum Hebraicæ videlicet, & Græcæ, quibus à suis autoribus primùm editę sunt, peritia, quod vnaquæq; lingua sua habeat idiomata, & loquendi phraseis, quę vix, aut impropriè in alias linguas transferri possunt, aut ab eo, qui eas ignorat: intelligi. Neq; te putes in iis perdiscendis tempus terere, aut totam vitam ad id opus esse. Paruo enim tempore, & minori labore ex eis discere potes, quo natiuum contextum (si Interpreti diffidas latino) consulas. Cui rei tibi argumento sit, quantum lucis ad sacras literas germane intelligendas attulit linguarum peritia, quarum ignoratia in causa fuerat, quod multi ex antiquis Patribus, alioqui doctissimis, & ingeniosissimis, genuinum sacrę scripturę sensum assecuti non sunt. Quamobrē, si meo vtaris consilio, his linguis discendis operam dabis. Quod si eas, aut earum aliquid perdiscere non vacat, aut non lubet, consulerem: vt eum inter latinos Interpretes deligeres, qui melius, & magis propriè Hebraicos, & Græcos fontes in sua editione referat. Inter quos, venerandi patris fratris Sanctis Pagnini interpretationem cōmendo, qui quoad potuit, elaborauit Hebraica, & Græca ad viuum trāsferre, ac nobis traderet. Nullo tamen pacto vulgatam editionem reiiciendam censeo, cuius autoritatem vetustas ipsa commendat.

Secundus Canon.

ELaborandum secūdo loco est, si hebraicè noueris: vt terminorum propriam (si tibi possibile sit) significationem scias, hebraicam quidem, in veteri instrumento, græcā verò in nouo, quod magna difficultatis pars in sacris literis, ex eorum cognitione, aut ignorātia pendeat. Quoniam multa vocabula hebraica non solum nobis, sed etiā Hebræis ipsis ignota sunt, quos videbis quandoq; ex sacræ literæ scripturæ cōnexione, (quam contextum vocant) aliquando ex Chaldæis, & Harabicis linguis, nonnunquā verò ex aliis humanis coniecturis, eorū significationes venari. Fatentur enim in primis se verorum nominum animalium, auium, arborum, ac lapidum pretiosorum, significationes ignorare. Leuit. enim. 11. vbi de delectu ciborum sermo est tanta in dignoscendis animalibus, quę ibi scriptura interdicit, varietas est, vt vix duos, qui in eade significatione concordent: reperias. Quod verò ab Harabicis significationes vocabulorum aliquando mendicēt, ex verbis Rabbi Dauid Chimi in suis radicibus cognoscere licebit: vbi de significatione verbi (hahāb) sic dicit. Nesciebant magistri nostri quid esset (Iehabécha) sed audierunt mulierem Harabem dicentem viro suo (Sachôl Iehabích) id est, libra onus tuum. Vnde didicerūt vocabulum illud, onus significare. Idem dicit Rabbi Achibāh de vocabulo (Chessitáh) quod nummum significare æstimat. Quod dum iret in Harabiam, audiuit eos vocare nummum chessitah. Multa etiam in sacris literis interpretantur iuxta significationes, quas illis Chaldæus paraphrastes suppeditat. Quod verò significationes verorum nominum lapidum, & arborum ignorent, (Bedolach) tibi exemplo sit, quod Gene. 2. aliqui Talpidem, alij Vnionem, alij Margaritum, nonnulli nomen hebraicum (quia significationem ignorabant) sine interpretatione reliquerunt, quemadmodū Chaldæus Interpres. Sic (Thessum) arboris nomē quidam vlmum, alij buxum, nonnulli abietem, quarti arborem in communi significare putāt, quoniam in his nihil certi habent. Omitto significationes (Thumim) & (Vrim) de quibus in radicibus suis dicit Rabbi Dauid, nō esse apud eos notum, quid illa significēt, quod nullo pacto ignorarēt, si linguam plenè scirent. Vnde

ortam puto tantā in vocabulis hebraicis significationum varietatē: vt vix nomen, aut verbū reperias, quod non in decem distrahatur significationes. Cùm enim propriā ignorent, coguntur varias cuiq; vocabulo tribuere: prout literæ series exigere videtur. Quod in verbo (nassā) ad oculum videbis, quod omnia hæc significare dicūt, scilicet, portare, eleuare, parcere, vaticinari & comburere. Sic etiam (Iad) id est, manus, manū, potestatem, cōsilium, vim, medium, robur, potentiam, locum, cardinem ostij, partem, plagam, prophetiam, terminum, & præceptum. Tū autem ad huiusmodi equiuocationem vitandā, sequentem Canonem aduerte.

Tertius Canon.

OMnia ferè hebraica vocabula vnū principaliter significant, & siqua alia, vt habent quandā allusionem, & conuenientiam ad principale. Quod in multis exemplis commonstrabimus. (bachár) enim inquirere significat, aut verius discernere. Inde (bócher) id est, mane, quod videlicet tunc res adinuicē discernantur, aut perditæ quærantur. Sic (parás) verbum diuidere (parás) verò nomen equitē, quod videlicet dum equitat, diuisus sit, aut ctura habeat diuisa. Vnde hebraismus equitem hac de causa diuisum vocat. Idem videre licebit in (Háiin) quod oculos significat, & fontem, quoniam fons è terra egreditur ad modū oculi. Vnde nos Lusitani vsq; hodie dicimus (hum olho dagoa) id est, oculū aquæ. Est & alia allusio, quod videlicet oculus, dum lachrymatur, quidā fons esse videatur, à quo lachrymæ, velut ex fonte aquæ prodeunt. Idem de nomine (Iad) quod manum principaliter significat, potestatem verò, & robur, quod manu ostendi soleat. Auxi lium autem, quod manus extensione fieri soleat. Locum autem, non quemcunq;, sed qui à campo magno egreditur, vt vallis: Mediterranea verò māria, quod ad modum manus ex magno Oceano egredientia, per terram extendantur. Quam ob causam nos etiā vocamus Brachia maris. Vnde Psal. 103. habes. Hoc mare magnū & spatiosum manibus, id est, sinibus, & brachiis. Et Deut. 23. (Veiād) id est, & manus erit tibi, seu diuerticula quædā: dum in castris fueris, ad aluum purgandam Sic Gen. 34. Et terra ecce lata est manibus, id est, vallibus, seu diuerticulis. Et in expendendis huiusmodi allusionibus negligentiores, quā par erat, inuenio Hebræos & nostros, quas si expenderent, nō sic significata vocabulorum multiplicarent. Cùm enim nō ex natiua lingua: vt diximus: sed cōiecturis aliis, significationes lingua: vt diximus: sed cōiecturis aliis, significationes in quicquid venentur, neq; curent huiusmodi analogias inquirere: coguntur significata multiplicare, faciētes ex analogis, æquiuoca omnino. cùm potius eloborandū esset conuenientias quærere, & non sic vocabula hebraica distrahere Qua in re nos maximè laborauimus, expendentes: an propria verbi, aut nominis significatio locis aliis, quibus Rabbini eam mutabant: cōueniret, an saltem allusionem vel conuenientiā ad eam haberet, quā in multis inueni, & in omnibus nostri: si laborarent, inuenirēt. Hoc ergo tibi, qui hebraicam calles linguā, curæ sit: vt videas, an meliores quā Hebręi, habeas cōiecturas, ad propria significata inuenienda, cùm eos videas in huiusmodi coniecturis potius, quā linguæ peritia agi. Hortor præterea, vt expendas, an annexa verbo vocabula, cùm principali aliquā in significatione conuenientiam habeāt. Ausim enim hoc asserere, quod, si Hebræi proprias hebraicorum vocabulorū significationes plenè scirent, & nobis traderent, nō fore nobis tanti negotij, scripturas germane intelligere, neq; inter Interpretes tanta varietas esset. Quoniam autem ferè cæcos sequimur Duces: non mirum, si cum eis interdum cæcutiamus.

Quartus Canon.

ADuertendum quarto est, nihil melius contextu, & serie in sacris literis, textum obscurum explicare. Quam ob rem cùm primum locus subobscurus occurrerit, expende literę contextum considerans, quid præcedat, quidq; sequatur, & coniunge sequentibus præcedentia, & quod obscurum antea fuerat: lucidius fiet. Vt autem ad intelligentiam loquamur, deprehendes pristinos

pristinos Concionatores illud Iob. 21. (Ducunt in bonis dies suos, & in pūcto ad infernum, aut sepulchrum descendunt) in eum sensum citare: vt velit sanctus vir dicere, diuites (de quibus ibi est sermo) omne tempus huius vitę, in delitiis absumere, postmodū verò subito mori, & perpetuas pœnas dare: cùm, vt ex contextu apparet, non solùm non velit hoc dicere, sed oppositum, quod ex sententiarū connexione facilè monstrabitur. Enumerat enim ibi vir sanctus qualiter cuncta in hac vita malis succedant. Cur (inquit) impij viuunt? Senuerunt, & roborati sunt substantia, semen eorū stabile fuit coram eis Et quæ sequuntur. Quos non solùm, dum hic agunt, felices prędicat: sed etiam in exitu vitæ fortunatissimos affirmat. Quippè qui non, vt boni, lōga ęgritudine discruciantur, & tabescunt: sed cùm dies suos in delitiis absumpserint, in momēto ad sepulchrū descendunt. Arbitrabātur enim antiqui ad felicitatem huius vitæ pertinere, non longo morbo hic teneri: sed statim mori, quemadmodum apud Ieremiā Thren. 4. offendes: vbi dicit, maiorem fuisse pœnam iniquitatis sanctæ ciuitatis subuersione Sodomorum, quoniā illi in momento subuersi sunt cum vrbe sua, ciuitas verò sancta multis diebus, & ferreis machinamentis euersa Quod etiā Psal. 72. approbari videtur, cùm de reprobis dicitur, non esse ligamenta in morte eorū, id est, nō longa eos infirmitate detineri. Sana est fortitudo eorum, scilicet, dum obeunt. Ac si dicat. Non ligātur longa infirmitate: sed viribus potentes, & quasi sani moriuntur. Huius simile inuenies Iere. 31. vbi textus habet. Creabit Dominus in terra nouum, quod fœmina circuibit virum (Sic hebraicè est). Quem sancti Patres locum, & pristini Concionatores piè de beata Virgine interpretantur, quòd Christum seruatorē, à puero iam vsum rationis habentē, in sua portauerit aluo. Quem sensum non nisi mysticè locus ille adumbrat, cùm ex præcedentibus, & sequentibus cōstet, de synagoga, quę antea Deum sequentē fugiebat, & in nouissimis anxię ipsum Deum quærentura sit, esse intelligendū. Præcedūt enim verba hæc eiratum locū. Reuertere virgo Israel, reuertere ad ciuitates tuas. Quousque vertes te huc & illuc filia vaga? Quoniā creabit Dominus in terra nouum, quod fœmina, id est, synagoga, quę antea virum suum deū fugiebat, anxio amore, & labore circumeundo virum quęret. Quem circuitū arbitror Salomonem in Cāticis ad viuum depingere. Quod multis aliis exemplis. nisi breuitati studeremus, ostenderemus tibi.

Quintus Canon.

ESt etiam maximè aduertendum, morem esse scripturæ sanctę, & quidē frequentissimum, statim explicare: si quid obscurè dixit. Cuius rei tibi multa exēpla ob oculos ponemus, & infinita ponere possemus. Nam Gen. 11. habetur. Erat autē Sarái sterilis, aut (vt hebraismus habet) eradicata. Quod quia vtcunq; obscurum erat, statim explicuit dicens. Neque genuerat sibi liberos. Vocat enim hebraismus filios, parentum radices. Sic cap. 15. eiusdem libri dicit Abraham Deo, Ecce ego vado spoliatus, aut nudus, & filius gubernator domus meæ est Damascus Elihézer. Quod statim declarat, dicens. Ecce mihi non dedisti semen, & filius domus meæ hæreditat me. Et iterum cap. 11. Erat autem terra habij vnius, statimq; sequitur. Et verborum eorundem. Itidem cap. 24. de Rebeca. Virgo, & statim. Et vir nō cognouit eam. Cap. etiam. 25. Fuit Esáu gnarus venandi, & sequitur. Vir agri. Sic Isaiæ. 51. Aspicite ad petram: vnde excisi estis, & ad perforationē cisternæ: vnde perforati estis. Quod statim exprimit, dicēs. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Sarah, quæ concepit vos. Et Iosuah. 23. Iosuah senuit. Et statim. Et venit in dies. Et Deut. 21. Cum qua, scilicet, viiugum. Cap. etiam. 7. eiusdem. Non connubia iunges cum eis, scilicet, Chenanæis, & sequitur. Non dabis filiam tuam filio eius, neq; filiam eius accipies filio tuo. Sic Exodi. 16. Maneat vir sub se. Et statim. Non egrediatur vir de loco suo. Sunt passim obuia huius Canonis exempla, ideò plura missa facimus.

Sextus Canon.

QVoniam locus alius, alium in scripturis explicare solet, cùm locus obscurus in scripturis offenderit: videndum est, an alibi res eadem tractetur, & magis explicetur. Quemadmodum Zach. 9. cōstat: vbi tractatur pax vniuersalis, quæ futura erat tēpore Messiæ: sed vtcunq; obscurè, dicitur enim. Succidere faciā quadrigas Ephráim, & equos de Ierusalem, & succidētur arcus belli. Per quod nihil aliud, quā perpetuam pacem, Messiæ tēpore, voluit significare. Quod Isa. ca. 2. explicatius posuit, dicens. Non leuabit gens cōtra gentem gladium, neq; exercebuntur vltra ad prælium. Clarius tamen cap. 11. Ephráim (inquit) non emulabitur Iehudah, & Iehudah non angustiabit Ephráim. Et Hoseh. 2. Percutiam eis fœdus in die illa cum bestiis agri, & volucribus cœli, & reptilibus terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram, & dormire eos faciam confidenter. Est etiā Psal. 42. locus vtcunq; obscurus ille, scilicet, Abyssus abyssum inuocat ad sonitum fistularum tuarū, omines inundationes tuę super me transierunt. Cuius sensus est. Nondum euasi aliam tribulationem, cùm me iam ad aliam de cœlo vocas, neq; hoc solum ab hominibus patior, sed tu de cœlo tuas super me immittis cum magno fragore, & sonitu inundationes. Quod vtcunque explicatius Psal. 69. habetur vbi sic dicitur. Veni in profundum aquarum, & fluminē, scilicet, tribulationum à te descendēs, operuit me. Et post pauca sequitur. Quoniam eum, quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorē vulneratorum tuorum addiderunt. Huius simile offendes Exod. 3 Vbi Dominus dicit. Ero qui Ero, & Erit misit me ad vos, per quę nihil aliud, quàm se esse perpetuò duraturum, quod nulli aliorum deorū accidit: significare intendit, quod multis aliis scripturæ locis explicare nititur, sicut Isa. 48. vbi dicit. Ego primus, & ego nouissimus. Et. 43. apertius, & 44. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Est tertius locus Gen. 49 in quo tam nostri, quam Hebræi sudant, scilicet, Non auferetur sceptrum de Iehudah, & scriba de inter pedes eius, donec veniat Silóh, & ei obedientia gētium, quod aliqui vertunt, donec veniat cui illi. Quod vtcunque exponitur Ezech. 21. vbi de Ieconiāh dicit Prophęta. Remoue cidarim, tolle coronam, scilicet, à Iechónia, hæc, scilicet, corona non est huic, id est, non debetur huic. Humilem, scilicet, Messiam subleua, & superbum, scilicet, Iechoniam humilia. Subuersionem ponam eam, scilicet, coronam, id est, deiciam eam. Etiam hoc non fuit ei, scilicet, Iechonię ad coronam, id est, ea priuabitur, donec veniat, cui est iudicium, id est, Messias, qui regnaturus est in domo Iaacob, & trādam eam, scilicet coronam illi. Quod multis aliis locis, quæ causa breuitatis omittimus, accidit.

Septimus Canon.

QVoniam vnaquæq; lingua suas proprias phraseis, adagia, idiotismos, & id genus figuras habet, quæ sæpius sensum occultant, idē sæpissime habet hebraica lingua. Quare eniteudum est vt hos peculiares loquendi mōdos (quos vocant Hebraismos) perdiscas, ne ob eorum ignorantiam, in loco etiam claro, te cæcutire contingat. Quos tibi inferius proponemus ob oculos, & explicabimus, quo facilius, cùm eos offenderis, intelligere valeas. Alios verò hic omissos, suis in locis explicabimus.

Octauus Canon.

MVlta in sacris literis iuxta Hebraicam veritatem desunt, complura redundant, quæ nisi addas, aut suppleas, locum obscurum minime intelliges. Quorum tibi exempla mōstrabimus. Nam. 2 Reg. 16. dicitur. Et Danidi nuntiauit: vbi nullus, qui nuntiauerit, exprimitur, sed subaudiendus est, nuntius. Sic primo Reg. 13. vbi sic habes. Et secundum tempus, quod Samuel, quo loco necesse est subintelligere prędixerat. Et capite. 24. eiusdem libri. Et pepercit tibi. Vbi supplendum est, anima mea. Et. 2. Regum. 6. de Ozah dicitur. Et misit ad arcam. Subaudi manum suam. Secundæ verò partis exēpla, si placet, adducamus. Exod. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitur de vasis tabernaculi. Quibus libabitur in eis. vbi (in eis) quod ad sensum attinet, redundat. Sic Genesis secundo. Quo in eo anima viuens, id est, in quo est anima viuēs: vbi (in eo) superfluit. Inuenies etiam sæpè concisas orationes in hebraismo: vt Genesis. 45. vbi dicit Pharaoh. Et tu iussus es. Postea sequitur. Hoc facite. Vbi locutio concisa, & diminuta esse videtur, quoniam prioris verba videntur directa ad Ioseph, sequentia verò ad fratres. ¶ Solet etiam scriptura in loco: vbi historiā primo narrat, aliquid omittere, quod postmodum repetendo enarrat, & supplet, vt Gen. 42. vbi inter verba, quæ Ioseph fratribus suis loquitur, nō habetur, quod ponet ipse oculos suos super Biniamin: cùm eum in Ægyptum induxerint, quod postmodum capite quadragesimoquarto, dum Iehudah verba eius repetit, supplet.

Nonus Canon.

EST præterea aduertendum particulam orationis, non semper ligari cum proxima dictione, sed cum remota. Sicut Canticorum primo, vbi dicitur. Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Chedar, sicut pelles Salomonis. Quo in loco, si cum priori sententia vtramque particulam coniungas, non bene cohærebunt verba. Erit enim sensus. Nigra sum, & formosa, sicut tabernacula Chedar. Quod ineptum est, cùm tabernacula Chedar nigra, & fœda essent: vtpote æstu, & imbribus, atque aeris inclementię exposita. Iridem, si vtranque cum pellibus Salomonis coniungas, quæ pulchertimæ erant. Vt ergo proprium, ac genuinum reddas sensum, pulchritudinem cum pellibus, nigredinem verò cum tabernaculis Chedar coniunges, & sensus erit. Nigra sum, sicut tabernacula Chedar, sed cum hoc formosa, sicut pelles Salomonis, quæ rubricatæ erant. Sic Ezech. 16. vbi dicitur. Opera tua sunt, ac si habitationes tuæ, & cognationes tuæ fuissent de terra Chenanæorum, pater tuus fuisset Amorræus, & mater tua Chitæa. Vbi si cōiungas cognationes, cùm de terra Chananæorum, aut habitationes cum patre Amorræo: ineptam reddas orationem. Quare, vt sensum genuinum reddas, vertendum erit. Habitationes tuæ de terra Chenanæorum, & cognationes tuæ, ac si pater tuus fuisset Amorræus, & mater tua Chitęa. Et quemadmodum particula nō semper adiungitur, & ligatur cum proxima, ita neque sententia cum sententia, sed multis interiectis, adiungitur quæ erat immediatè connectenda, vt Proueibiorum primo, vbi dicitur. Insidiemur sanguini, abscondamus nos contra innocentem gratis. Cui statim adiungendum erat. Frustra enim spargitur rete ante oculos omnis auis. Quæ reddit rationem prioris. Quare, scilicet, cum iustis velit insidiose agere, quoniam frustra illis apertè insidiaretur, quemadmodum auceps, qui in oculis auium extendit rete. Et tamen inter illas duas multæ aliæ sententiæ inseruntur, quibus non videtur bene connecti illæ. Frustra spargitur rete. Aliud huius rei exemplum offendes Exod 22. vbi in priori versu capitis ponitur lex furti, & post duas aut tres sententias aliud membrum illius legis.

Decimus Canon.

PONitur nonnunquā in sacris literis vna negatio vice duarū, vt Psal. 9. videre licebit: vbi dicitur. Non in seculum erit in obliuione pauper: patientia pauperū peribit in seculum. Vbi negatio vna ponitur vice duarum, & cum vulgata editione legedum erit. Patientia pauperum non peribit in seculum. Idem Psal. 49 vbi est. Non super sacrificia tua arguam te, & holocausta tua coram me semper. Vbi illa prior negatio alterius omissæ vicem supplet, & sensus secundæ sententiæ est. Neque, scilicet, arguam te, quòd holocausta tua non fuerint coram me semper. Sic Leuit. 19. Non iurabis in nomine meo mendaciter, etiam pollues nomen Dei tui, pro, neque pollues nomen Dei tui. Neque aliter legendum puto, quod Deut. 33. dicitur. Viuat Reuben, & non moriatur, & sint viri eius numeri, id est, pauci. Pro quo legendum arbitror, & virorum eius nō sit numerus. Sic in multis aliis scripturæ locis.

Vndecimus Canon.

EST etiam in hac lingua ab vna in aliam personam facilis transitus, vt Gen. 49. vbi ad secundam personam loquēs Iacob, dicit. A præda ascendisti fili mi. Quam statim in terciam vertit, dicens. Accubuit vt leo, incuruauit se. Idem Isaiæ. 22. expellam te de statione tua, & de statu tuo destruet te. Vbi primam in tertiam vertit. Loquitur etiam nonnunquam persona: vt vna, in singulari numero, & statim in plurali, vice plurium, quod in Psalmis frequentissimum est, vt Psal. 55. vbi de vno inimico ecclesia conqueritur dicens. Quoniam nō inimicus probris affecit me, quod sustinuissem. Et paucis interiectis, plures eos esse ostendit, cùm dicit. Exiget debitum mors ab eis, descendent in infernum viuentes. Idem Psal. 108. Deus laudis meæ ne taceas, quia os impij, & os dolosi super me aperuerunt se, & locuti sunt mecum lingua mendacij. Vbi de multis loquitur. Postea verò quasi ad vnum, sermonē dirigit, dicens. Constitue super eum impium, & Satan stet ad dexteram eius. Iterum verò ad pluralem numerum redit, dicens. Sint coram Domino semper, & succidat è terra memoriam eorum. Non coit etiam aliquando adiectiuum cum suo substantiuo in numero: vt patet Isaiæ 19. vbi habetur. Tradam Ægyptum in manum dominorum duri: pro durorum. Non concordat etiam sæpius cum suo verbo suppositum, in numero, vt Zachariæ secundo. Et pastores eorum non parcet eis, pro, & pastor eorum.

Duodecimus Canon.

SVnt apud Hebræos verba diuersorum generum, quemadmodum nomina, & coniunguntur sæpè sæpius verba masculina, nominibus fœmininis, & econtra, vt. 1. Reg. 23. Accipe (inquit Abigail Dauidi) benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua. Vbi ancilla in Hebræo est generis fœminini, verbum autē (attulit) cui adiungitur, masculinum. Sic. 2. Reg. 13. vbi dicitur. Et desiderauit Dauid. Vbi nomē Dauid ad masculos pertinet, verbum verò ad fœminas. Capitur etiam sæpissimè pluralis numerus pro vno è pluribus: vt Psal. 1. Erit (inquit textus) quasi lignum, quod plantatum est secus riuulos aquarum, id est, secus vnum ex riuulis aquarum. Idem Iudic. 12. de Gedeone, de quo dicit textus: fuisse sepultum in vrbibus Gilhad, id est, in vna ex vrbibus. Et Zach. 9. de Messiah dicitur. Sedēs super pullum filium asinarum, id est, vnius ex asinis. Ponitur etiam sæpè numerus determinatus pro indeterminato. Prouerb. 24. vbi dicitur, iustum septies, id est, multoties in die cadere. ¶ Quod est etiā vnius sensus, alteri tribuitur: vt quod est visus, auditui. Gen. 27. Vide (ait Ischac) odorem filij mei, pro Olfac. Sic Exod. 5. Fœtere fecistis odorem nostrum in oculis, pro in naribus Parhoh. Item Exodi. 20 Omnis populus vidēbat, pro audiebat voces. Vtitur etiam quandoque re sensata, pro sensu, volito, pro voluntate: vt patet Leuitici. 13. vbi dicitur. Non mutauit plaga oculū suum, pro colorem suum. Idem Numeri. 11. vbi de Manna dicit textus. Et oculus eius, id est, color sicut oculus, id est, sicut color aut aspectus Habbedolach. Et licet Interpretes in locis citatis vertant, vt exposuimus: in Hebræo tamen est, vt retulimus. Vtitur etiam obiectis pro actibus, & vice versa: vt Iob 7. vbi habetur. Sicut mercenarius expectat opus suum, pro mercedem operis sui. Et capite tertio. Timor, quem timebam, cuenit mihi, pro malum, quod formidabam, accidit.

Tertiusdecimus Canon.

ACcipitur frequentissimè in sacris literis peccatum pro peccati pœna, quod in multis locis lectoribus negotium facit. Nam Threno. 4. habes. Maior est iniquitas, id est, pœna iniquitatis populi mei peccato, id est, punitione Sodomorum, quæ subuersa est repente, & non castrametata sunt contra eam castra. Quanto enim pœna minori tempore hominem vexabat, tanto se reputabat feliciorem, & quia Sodomę subuersio fuerat in momento, destructio verò Ierusalem multis durauit diebus, ideò pœnam, siue punitionem Sodomorum feliciorem reputauit Propheta. Iam enim alio

Canone

Canone admonuimus, antiquos nō longa ægritudine teneri ante obitū, inter fœlicia reputasse. Sic. 2. Samu. 12. Dicit Nathan ad Dauid. Dominus transtulit peccatum tuum. i. pœnam, aut punitionem tuam, in filium: qui tibi natus est. Non morieris tu, sed ille. Non enim peccata solet ex vno in aliud subiectum migrare: punitur tamen vnus pro aliquo frequenter. Idem Thre. 5. Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos eorū iniquitates. i. punitiones portauimus. Et Gen 15. Nondum completas dicit dominus iniquitates Amorræorum, id est, tempus ad puniēdum. Et Cap. 4. Maior est iniquitas mea, id est, punitio: quā vt feram, id est, eam ferre possim viuus. Sic apud Paulum. Eum, qui nō nouerat peccatum, pro nobis peccatū fecit, id est, pœnā, aut hostiam pro peccato. Ponitur etiam frequenter in libris legalibus peccatum pro immunditia legali. i. sanguinis, aut seminis, aut cōtactus mortui: vt Leuit. 12. vbi fœmina pariens masculum aut fœminam, iubetur turturem pro peccato suo offerre, quod nullum in ea videtur præcessisse. Non enim congressus viri cū propria vxore (prolis gratia) peccatū erat, aut parturitio, sed sola puerperij immunditia peccatum expiandū dicitur. Sic de leproso cui sine vlla culpa sua lepra acciderat, qui cap. 14. eiusdem libri passerem pro peccato, id est, immunditia iubetur offerre.

Decimusquartus Canon.

EST etiam aduertendum iis, qui Hebraice sciunt, aut ex Hebræo aliquid in aliam linguam interpretari volunt: idem verbum nō solum multas, sed etiam contrarias aliquādo habere significationes. Quod mihi aliquando magnum negotium fecit. Verbi gratia. Chatá, id est, peccare. Significat nō solum peccare, sed à peccato expiari. Nam idem verbum Exod 31. vbi dicitur peccauit populus ille, peccare significat. Leuitici verò. 14. accipitur pro mundari: vbi dicitur. Vechitá, id est, & mundabit domum. Nachār etiam significat claudere. 1. Samue. 23. vbi dicitur (Nichār otho) id est clausit illum Dominus in manu mea. Idem autem verbum Thre. 4. significat cognoscere: quod prius significabat abscondere, seu claudere. Ibi enim dicitur. Non (nicherū) id est, fuerunt agniti in platæis. Et Gen. 27. Non (hichiō,) id est, agnouit eum. Sic verbū (Cadás) significat sanctificare, & ab immunditiis separare se. Nomen verò Cades: quod ab eo deriuatur: significat scortum masculum, seu cynædum, aut turpitudinem.

Decimusquintus Canon.

NOn est semper Hebræis fidendum in interpretatione sacræ scripturæ: præsertim Rabbi Scelomoni, qui ne suam imperitiam prodant, aut ignorantiam cōfiteantur, vbi locus difficilis: quem interpretari nesciunt: occurrit: ad mendacia statim confugiunt, & historias fingunt: è quibus hic aliquot citabimus, præsertim Rabbi Scelomonis. Nam Gen. 1. vbi textus habet masculum & fœminam Deum homines creasse, finxit deum prius mōstrum quoddā produxisse: in quo mas & fœmina in dorsis colligabātur: postea verò alterum ab altero diuisisse: cum textus expresse dicat, Deum ex costa viri separatim ab eo produxisse fœminā. Contra quem ibi Lyranus abunde disputat. Exod. etiam. 4. vbi textus dicit, Moseh dum in Ægyptū rediret: vxorem, & filios asino imposuisse: inquirit ille Rabbinus, qualiter vnus asinus tres simul potuisset deferre? Soluens autem quæstionem, dicit illum asinum fuisse eundem cum illo in quo Abraham ligna ad concremandum Isaac portauit Gen. 22. in quo etiam Messiam venturum arbitrarur: qui iuxta Zachariæ vaticinium, cap. 9. asino vehendus est. Itaque asinus ille à tempore Abrahæ, vsque ad Messiæ aduentū asseruandus esset: ideoq; tantum oneris tunc portare potuisse. Exodi etiam 32. vbi textus dicit vidisse populum morā Moseh in monte, aliud mendacium confinxit. Dicit enim Moseh in discessu pollicitum se infra. 40. naturales dies reuersurum, populum verò numerasse diem recessus eius: Sa-

tan verò aērem turbasse: feretrūq; mortui Moseh fugæis ostendisse. ac mortuum Moseh prædicasse: ideoq; populū ad Aharon cucurrisse, vt sibi præcessores deos faceret. Cùm textus infra expresse dicat, dixisse populum Aharoni, se nescire quid Moseh acciderit: quod minime dixissent: si eum mortuum credidissent. Aliud affert cap. 13. eiudē libri de ossibus Ioseph. Vbi inquirit qualiter Moseh in discessu ex Ægypto potuerit scire, vbi essent ossa Ioseph: præsertim cum Nilus fluuius illo tempore maximè inundaret? Et respondet, Moseh scripsisse nomen Domini ineffabile in aurea lamina: eamq; super aquas proiecisse: eamq; natasse, & ad locum: vbi ossa Ioseph cōdita erāt: peruenisse, & sic ossa indicasse. Alij verò non inferiores huius rei artifices dicunt, ouem quandam natasse, voceq; humana locum indicasse ossium: ad quod illud Psal. adducunt. Qui deducis velut ouem Ioseph. Offendes aliud Exod. 34. super illud, Præcide tibi duas tabulas. Vbi expendentes verbum (tibi) exponunt, ad vtilitatē tuam: quoniam ex reliquiis lapidis iaspidis: quem illi Dominus ad faciendas tabulas, ad montis Sinai radicem ostenderat: ditatum Moseh valde fuisse arbitrantur: ideoq; Deum dixisse, præcide tibi. Cùm phrasis sit linguæ. vade tibi. Præcide tibi. Fac tibi. Recitabimus adhuc aliud: quod ponit Rabbi Elihezer in (midras) vbi exponit illud. 2. Samue. 8. Tulit Dauid frenum aquæductus. Cùm (inquit) Abimelech venisset ad Isaac, ait illi. Nouimus Deum tecum esse, & tibi & semini tuo daturum terras has. Iura ergo mihi semen tuum non possessurum terram Philistinorum: quod Isaac iurauit, & in signum, præcidit eubitum capistri asini sui, & tradidit Abimelech. Cùm autē postea Dauid Philistęos voluisset debellare: ostenderunt illi partem cami, quam seruauerāt in signum iuramenti: quare Dauid eam ab eis vi auferens, debellauit eos. Ideò textus dicit Dauidem tulisse à Philistæis frenum aquæductus, seu cubiti. Quo quid fœdius, aut absurdius dici queat, ignoro. Vbi vides qualiter Rabbini cum sacra scriptura ludunt, & miseris Iudæis imponunt. Si plura videre cupis: quoniam pudet hæc recensēre: vide Lyram. 4. Regum de cerua Iechoniæ, & in multis aliis locis.

Decimussextus Canon.

SOrtitur etiam Messias in sacris literis multa, ac diuersa nomina. Nam Habacuc. 3. vocatur vnctus in salutē cum Christo, seu vncto tuo. Ezechiel. 37. & Hoseæ. 1. vocatur Dauid. Zachariæ. 3. & 6. appellatur Germē. Isai. 9. multa sortitur nomina. i. Admirabilis. Consiliarius. Fortis. Deus. Pater futuri sęculi. Princeps pacis Psal. 44. Elohim. Isa. 7. Himmanuel. &. 11. Flos. Isaiæ. 49. Israel. Sunt etiam quædam nomina, quæ sæpius in scriptura inculcantur: quorum discrimen difficile est inuenire: quemadmodum Gen. 26. & Deute. 11. vbi dicitur. Quoniam custodiuit Abraham custodiam meam, præcepta mea, statuta, leges, iudicia, & testimonia. Quæ visis radicibus in Hebræo, sic distincta esse videntur, vt leges Domini dicantur custodia: quoniam custodiendæ sunt, aut quia à negatiuis, seu prohibitiuis maximè cauendum nobis sit. Præcepta verò: quoniā ore tradebantur. Statuta: quatenus scribebantur, aut arctabāt homines. Leges: quatenus in eis erat iugiter meditandum. Iudicia: quia inter homines dirigunt, & dirimunt lites. Testimonia: quoniam testificabantur pactum inter Deum & Israelitas. Est etiam hic aliud obseruandum, Iudæos videlicet nostri temporis omnia vaticinia, quæ mortem, ac passionem Christi prædicant: de populo Israelitico, nunc maximis angustiis afflicto, exponere, vt est Psal. 22. &. 69. Itidem caput Isaiæ. 53. Quem populum dicunt omnia illa perpessum, & nunc pati: quæ nos Christum passum fuisse prædicamus. Nunc autem Hebraismos seu Phrasis linguæ illi peculiares explicabimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HEBRAISMI ORDINE LITERARVM digesti.

ANIMAM in manibus ponere: seu habere. Est, esse in vitæ discrimine, quod videlicet ea: quæ manibus gestamus, omnibus periculis occurrētibus obuia sint. Omnibus enim periculis occurrētibus manus obiectamus, Psal. 118. Anima mea in manu mea semper. i. vita mea est in continuo discrimine: ac si eam manu gestarē, & periculis obicerem. Primo Reg. 28. dicit Pythonissa Sauli Posui animam meam in manibus meis, id est, vitam meam in discrimine, propter te.

Ambulare cum aliquo, est facere voluntatem eius, aut facere quæ ille imperat Gene. 6. dicitur de Noach. Cum Deo ambulauit, id est, fecit voluntatem dei, aut quæ ille præcepit. quod, qui simul incedunt, communiter conueniat inter eos.

Ambulare coram aliquo, est, illum cogitare presentem, aut eū timere: quod is: qui coram aliquo ambulat: maximè si vt seruus corā domino, timeat, & caute agat, vt Gen. 17. dicit Abrahæ deus. Ambula corā me. i. time me, aut caute incede: ac si me semper præsentē haberes. Qui Hebraismus etiam. 3. Reg. 8. ca. ponitur. Aut melius. Ministra mihi: quòd ministri & serui soleant ante dominos suos incedere. Memento (ait Ezechias) quomodo ambulauerim coram te, id est, tibi seruierim perfecto corde.

Ambulare facere, pro detrahere, vsurpat Hebraismus: quod detrahēs venire faciat mala eius: cui detrahit, ad eum, apud quem detrahit, vt. 2. Samu. 19. Dauidi dicit Miphiboseth. Ambulare fecit seruum tuum ad Dominum meum, id est, mihi apud te detraxit, vel me tibi commisit.

Ambulare ad pedē alicuius, est, nō vrgere illum in ambulando, sed sese illi accommodare: quod ille, qui alium sequitur: soleat sese illi in ambulando accommodare, vt Gene. 33. dicit Iaacob fratri. Ego me ducam ad pedem gregis, id est, gregi me in incedendo accommodabo. Non vrgebo.

Auertere facie alicuius, est, postulata negare, quòd is, cui negantur quæ postulat: facie cōfusus auertat. Et nō auertere, est ea cōcedere. 3. Reg. 2. dicit Bersabe Salomoni. Ne auertas faciē meā. i. postulata nō neges.

Abscondere oculos ab aliquo peccatore, est, nō punire illum, quòd is, qui non vult aliquē punire: oculos ab eo auertat, & simulet se non videre: vt Leuit. 20. Si absconderit absconderit populus terræ oculos suos à viro illo, qui de semine suo dederit idolo Molech. i. si dissimulauerit punire peccatū eius: fingēs se nō videre

Aperire aurem, Hebræis est reuelare, aut indicare alicui aliquid Isaiæ. 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem, id est, reuelauit mihi, quod is, qui aliquid alicui reuelat: ad aurem ei loquatur. 1. Samuelis. 9. Dominus aperuerat aurem Samuelis, id est, indicauerat, aut reuelauerat ei Saulis aduentum.

Accingere lumbos, est viriliter, aut expedite aliquid agere, aut se expedire ad ministrādum, quòd is, qui expedite ministrare cupit: soleat se accingere, ne à vestibus in ministerio impediatur. 2. Reg. 4. Accinge lumbos tuos i. sis expeditus ad opus, quod præcipio tibi. Iob etiā. 40. Accinge nūc, vt vir, lūbos tuos i. esto expeditus, aut fortifica te, q̄ viri, & nō fœminę, soleāt lūbos cingere. Et Luc. 12. dicit Christus. Præcinget se. i. expediet ad ministrandum, & faciet eos discumbere.

Animā facere, aut animas, est greges aut homines in possessionem acquirere, aut res animatas sibi nasci, quod ea, quæ acquirimus, industria nostra facere videamur. Gen. 21. Et animas, quas fecerant in Arām, id est, acquisierant, aut viua, quę sibi nata fuerant in Arā, tulerunt secum Abraham, & Loth.

Aspicere, pro otiari, vsurpat nonunq̄ Hebraismus: quòd otiosi aspicere aliquid, aut se soleāt. Quē loquēdi modū nos Lusitani habemus: dicētes, cùm aliquem otio torpēre videmus. Quid aspicis? Sic Gen. 42. Cùm Iahacob videret filios non curare alimenta domibus suis: dicit illis. Quid aspicitis. i. Quamobrē otio torpetis? Quod noster optime vertit. Quare negligitis?

Ascendere in cor, est cogitare, & non ascēdere, non cogitare. Quoniā cogitatio, actus est cordis, aut quia cogitationes soleant in cor ascendere. Vnde Luc. 24. Et cogitationes ascendunt in corda vestra, id est, apud vos cogitatis.

Aqua pedum, Hebræis est lotium. Et dicitur aqua: quoniam ex potu gignitur, aut quòd vtcunq; aquam sapiat: licet ex potu vini procedat. Pedum verò, quòd ad pedes demitti soleat. Aut dicitur aqua pedum, quoniam ex vesica, veluti ex fonte aqua ad pedes descēdat. Isaiæ 36. Vt bibatis aquam pedum, id est, lotium. Quod vulgatus vertit: vrinam vestram.

Aperire vuluam, Hebræis est, primogenitum nasci. Exodi decimotertio & Lucæ. 2.

BEnedicere: cùm est hominis ad hominem, est bona precari: si verò hominis ad Deum, est laudare. Dei verò ad hominem, est benefacere, cuius rei exempla per ordinem citabimus. Gen. 14 dicitur quod benedixit Melchisedec Abrahæ, id est, bona illi precatus est. Vnde sequitur. Benedictus Abrahā Deo altissimo. Et clarius cap. 24 benedixerunt Rebeccæ; id est, bona compRecati sunt illi. Et sequitur. Soror nostra es. Sis in millibus. Secundi exemplum habes multis in Psal. Benedic anima mea Domino. i. lauda. Tertij verò Ge. 24. vbi seruus Abrahæ dicit. Et Dominus benedixit Domino meo. i. benefecit. Idem multis aliis in locis.

Bonum esse in oculis alicuius, est illi placere. Malum verò esse, est displicere: vt habes Gene 16. Fac ei quod bonum est in oculis tuis, id est, quod tibi placuerit. Quod noster vertit, vtere ea, vt lubet.

Benedictionem accipere, pro accipere munus, & benedictionem, pro munere accipit Hebraismus, quòd videlicet soleat cum benedictionibus, aut boni imprecatione offerri. Primo Samue. 25. Cùm Abigail Dauidi munus obtulisset. ait. Accipe benedictionem hanc: quam attulit ancilla tua, id est, accipe munus ab ancilla oblatum. Aut dicitur benedictio: quia recipiens dan ti bona precatur.

COntēgere pedes Hebræis, est aluū purgare, quòd aluum purgans soleat pedes vestibus defluētibus tegere, ne eius verenda videantur. Primo Samuelis. 24 Ingressus est Saul speluncam ad tegendos pedes. Vbi vulgatus vertit, ad aluum purgandam.

Caput, aut in caput esse, est esse superiorem, esse verò in caudam, est esse inferiorē, aut despicabilē: quòd caput sit pars superior, & honorabilior in homine, cauda verò in animali sit humilior, & despicabilior. Deutero. 28. Ponet te Dominus in caput, non in caudam, id est, superiorem aliis populis, nō inferiorem, aut honorabilem, non despectum Isaiæ 9.

Cognoscere fœminā, est rē cū ea habere, & vocatur ille accessus cognitio: quòd tūc cognoscatur fœmina, esse fœmina, aut quia tūc familiarius tractatur: quasi res notissima. Gen. 24. de Rebecca. Vir nō cognouerat eam, id est, non tractauerat eam familiariter, vt rē notam, aut non cognouerat esse fœminā. Sic Gen. 3. Cognouit Adam vxorem suam. i. ea, vt re nota, vsus est.

Cognoscere quicq̄ cum aliquo, est illi nō fidere, sed ab eo ratione exigere, & non cognoscere quicq̄ cū aliquo, est illi cuncta tradere, & ab eo rationē non exigere. Aut melius. ex fiducia erga illum, nihil suorum curare. Vnde de hero Ioseph dicitur Gen. 39. quòd non cognoscebat eum eo quicquā, id est, ex fiducia erga illum, ignorabat, aut nō curabat scire quæ sua erant, aut non exigebat ab eo rationem rerum suarum.

Contestando aliquem contestari, est illum corā testibus admonere. Exod. 29. dicit Moseh. Contestando, contestatus sum populum. Et Deuteron. 31. Contestatus sum hodie contra vos cœlum, & terram, id est, simul mecum in testes contra vos vocaui.

Custodi-

Custodire custodiam, est seruare quę præcepta sunt. Num. 18. vt custodiant sibi sacerdotiū, id est, præcepta sacerdotij, aut non sinant sibi surripi sacerdotium.

Cadere aliquid de sermonibus alicuius, est non impleri, sicut non cadere, est impleri: quod ea, quæ nō implentur, cadere videantur, & quæ implentur, stare. 2. Reg. 10. Nihil sermonis Domini cecidit, id est, omnia, quæ prædixerat: sunt impleta.

Cingens cingulum Hebræis, est masculū esse: quod soli ipsi soleant cingulo cingi. 2. Reg. 3.

Claudum etiam vocat clausum, quod claudus non possit: quo voluerit, ire: veluti clausus. 2. Reg. 14. clausum, & nouissimum.

DAre ceruicem, Hebræis, est fugere, quòd fugiētes soleant ceruicem vertere persequētibus. Quemadmodum latinis dare terga, est fugere. Exo. 23. Dabo omnium inimicorum ad te ceruicē, id est, faciam eos fugere te: Et Psal. 7. Omnium inimicorum meorū dedisti mihi ceruicem. i. fecisti eos fugere me. Aut dare ceruicem, est ponere in potestate alicuius ad iugulandum: vnde vltimus Hebraismus reddi posset. Posuisti iugulum omnium inimicorum in mea potestate.

Dare manū, p̄ percutere, vsurpat Hebraism⁹. Exo. 7.

Dare fœminam in sinum alicuius, est eam illi dare in vxorem: quod vxor in lecto soleat esse ad sinum viri. Gen. 16. dicit Sarah. Dedi ancillam meam in sinu tuo, id est, quasi vxorem ad concubitum.

Dare animam pro anima, id est, vitam pro vita, seu occidere occisorem. Exod. 21.

A diebus in dies aliquid seruare, est perpetuo seruare: quòd perpetuum constet ex multiplicatis in infinitum diebus. Exo. 22. ponitur Hebraismus.

Dici rem facere in die suo, est opus consuetum singulis diebus repetere. Exod. 5. dicunt præfecti operum populo. Perficite opera vestra, rē dici in die suo, id est, pensum solitum qualibet die fieri, soluite.

Declinare iudicium, est illud peruertere: quòd declinantes soleant à recto deflectere. Exod. 23. Non declinabis iudicium mendici tui, id est, non peruertes, aut non iudicabis iniuste.

Dare faciem in aliquē, est ira aduersus eum moueri: quod irati soleāt se vertere ad eos, ex quibus vindictā expetunt. Leuit. 20. Dabo faciē meam cōtra eum: qui comederit sanguinem. i. irascar illi: seu puniam eum.

Deum esse cum aliquo, est eum iuuare in omnibus operibus suis. Gen. 21. Fuit Deus cum puero, &. 39. Fuit Deus cum Ioseph, id est, Iuuit eum, & prosperauit cuncta, quæ ille agebat.

Domo, pro intus, vtitur Hebraismus, & domi esse, pro intus esse, & loco, intus & extra, dicit, è domo, & extra. Exod. 25. vbi nostri vertunt: deaurabis eam intus & extra, Hebraice est, è domo & extra.

ESse alicui in panem, est ab eo, veluti panem deuorari, quòd panis scindatur dentibus, & deuoretur. Num. 14. dicūt exploratores de Chananæis. Sunt panis noster, id est, ita eos deuorabimus, ac si essent panis.

Esse intra portas alicuius, est cū eo intra vrbis mœnia habitare. Exodi. 20.

Ecce ego, id est, adsum, quòd qui adsunt, soleant se ostendere. Qui Hebraismus in sacris literis frequētissimus est, vt Gen. 22. Quo & nos Lusitani vtimur, dicētes. (Eisme aquy), id est, hic adsum.

Esse alicui in oculos, est illum dirigere, quòd oculi soleant nos dirigere in via. Et ponitur hic Hebraismus Numeri. 10.

Esse alicui in pedes, est, quo ille erat iturus: ire. Iob. 29. oculus fui cœco, id est, direxi illum in via, & pes claudo, id est, ibam quo ille ire non poterat. Numeri etiam. 10. dicit Moseh ad Chobab. Fuisti nobis in oculos, id est, nos per desertum direxisti.

Explorare post eos, est sequi cordis concupiscētias. Idē explorare post oculos, id est, desiderare visa, quod cōcupiscentia sequatur cognitionem. Numeri. 15. ponitur hic Hebraismus.

Ædificare domum, est dare prolē. & posteritatē, præsertim in copia, quòd quemadmodum in ædificio, domus domui additur: ita in familia persona personæ; aut filius patri, & sic successiue. Vnde (banah) Hebræis est ædificare, & (ben) filius, quasi patris ædificiū. Nam vsque hodie solemus dicere, domus regia, id est, familia. Domus Rechabitarum, id est, familia, sic domus Reuben, pro familia. Isaiæ. 7. Audite domus Dauid, id est, familia. Et Exodi. 1. Quia timuerūt obstetrices dominum: ædificauit illis domos, id est, dedit posteritatem, qua domus earum, seu familia augeretur. Et Sarah Gen. 16. & Rachel. 30. dicunt se ex partu ancillæ tum ædificandas: Idem. 2. Samue. 7.

Extendere lineā, pro exercere punitionē vsurpat sepius Hebraismus, quod quēadmodum cementarij lineam ad opus extendunt: ita deus punitionē, quæ fune solet fieri. 2. Reg. 19. Extendam super eam lineam Samariæ. i. puniam, quēadmodum puniui Samariam. Opus in ea faciam, sicut feci in Samaria. Vocat autem Hebraismus punitionē opus. Isa. 28. Alienum est opus eius ab eo, id est, punitio, & videtur accipere lineā pro opere, quòd linea mensuratur, & dirigitur.

Erigere pactum cum aliquo, est cum eo paciscī. aut pactum tenere, quod paciscentes solebant aliquid eleuare, cùm pactum inibant, vt patet. Ge. 31. de Laban, & Iaacob, & Gen. 20. quæ quidem lapidis, aut tumuli erectio significabat pacti stabilitatem.

Esse in gentem, est prolem in magna copia multiplicate Idem esse in populum, id est, tantam habere progeniem, quòd possit populum constituere. Gen. 17. & 48. &. 12. faciam te in gentem magnam.

Egressum esse cor, est animo deficere, seu admirari: quod qui admirātur, aut spasmum, seu syncopin patitur: videatur cor nō habere Ge. 42. cùm fratres Ioseph Inuenissent pecuniā in ore saccorum: dicit textus, cor eorum egressum esse, quòd videlicet corde defecissent, aut timuissent. Nostri dicunt (Fiquéy morto.)

FAcere aliquid in perfectione, vel integritate cordis est nō facere malitiosè, seu insidiosè, quòd insidiosi malum bono mixtum in suo corde habeant.

Facere verò in mūditia manus, est nihil mali habere in opere exteriori. Nā idē est mūditia manus, q̄ puritas in opere externo. Ge. 20. dicit Abimelech domino. In perfectione cordis mei. i. non habens malū aliquod in corde meo, & in munditia manuum. i. nihil mali in opere exteriori habens, feci hoc. Ac si dicat. Neq; corde, neq; externo opere peccaui in hac re.

Facere in manu eleuata, seu excelsa, est facere ex superbia, quòd superbi soleant facilè punire alios, aut loqui eleuata manu. Nume. 15, anima, quæ fecerit eleuata manu, aut excelsa, id est, superbè & contentiosè.

Facere manum, est facere punitionem, quod soleat manu fieri percussio, & ponitur causa pro effectu. Exo. 14. Vidit Israel manum excelsam, id est, plagam, quam fecit Dominus in Ægyptios.

Facere misericordiam, est facere bonum: ad quod non tenemur. Facere verò veritatē, est facere quod aliquo iure debitū est, seu reddere æquale. Gen. 24. dicit seruus Abrahæ. Et nunc si facitis misericodiam, & veritatem cum Domino meo, id est, si misereamini eius, & facitis quod iure consanguinitatis debetis illi.

Facere fœtére aliquē alicui, est facere ei illum odibilem: cui gratus erat, quod fœtor omnibus sit ingratus. Ge. 34. dicit Iaacob filiis. Turbastis me, vt fœtére faceretis me habitatoribus terræ. i. vt abominabilē me illis redderetis. Et Exodi. 5. dicunt Israelitæ Moseh, & Aharon. Fœtére fecistis odorem nostrum corā Paraoh id est, nos illi fecistis abominabiles.

Quemadmodum esse alicui bonum odorē, est esse illi gratum. 2. ad Corint. 2. dicit Paulus. Christi bonus odor sumus, id est, grati sumus illi.

Facere ire opprobrium, est diuulgare opprobrium, aut malū nomē alicuius: sicut retrahere opprobrium, impedire malum nomē: ne amplius quis male audiat: quod ea, quæ diuulgantur: ab vno in alium ire videantur. 2. Samue. 13. dicit Thamar ad Amon. Ego ire faciā opprobrium meū, id est, non potero tacere, sed diuulgato quod mihi iniurium feceris.

Facere

Universidad de Deusto
Biblioteca

Facere mendacium in animū, est vitā decipere, aut polliceri sibi impunitatem, quam non habebit, & (vt vno verbo dicatur) est vitæ mentiri, quod is, cui mentitur vita: ea priuetur. 2. Samu. 18. dixit miles quidam Ioab. Si hoc fecissem, i. occidere Absalon: facere in animam meam mendacium. i. metirer vitæ meæ, pollicendo illi impunitatē, quam nō cōsequerer apud regem.

Facere labium, est pilos superioris labii resecare. Sicut facere pedes, est vngues pedum secare. 2. Samuelis 19. de Miphiboseth dicit textus: quod non fecerat sibi labium, neque pedes.

Facere stare faciē, est non turbari, aut non permittere mutationē in facie: quod qui stat, nō mutetur. 1. Reg 8. de Elisæo dicit textus, stare fecisse faciē suam, id est, non permisisse faciem mutari in tristitiam.

Facere, pro sacrificare, frequentissime vsurpat Hebraismus: quod immolans ex hostia fumum faciat. Vnde facere bouem, agnum, aut hircum, est illum Domino offerre. Quj loquendi modus in Leuitico frequentissimus est. Et Paulus prima ad Corinth. 11. Hoc facite, id est, sacrificate in mei memoriam. Quæ phrasis, & Græcis, & Latinis peculiaris est.

Fieri alicui in Satan, est illi aduersari, quòd Satan omnibus bonis aduersetur. 2. Samuelis. 16. dicit Dauid Abisai. Nolite mihi fieri hodie in Satan, id est, nolite aduersari mihi.

Fuit à fine dierum, id est, accidit completis aliquot diebus, seu finitis certis diebus. 2. Reg. 8.

Furari cor alicuius, est eo inscio, aliquid facere, quod cor nonnunquam pro scientia accipiatur Gene. 31. dicit Laban Iacob. Cur furatus es cor meum? id est, quare me inscio abire voluisti?

Significatur etiam hoc Hebraismo amabilē se reddere: quod cor amantis apud eum, quem amat, esse videatur. 2. Samue. 15. de Absalone dicitur, quòd furabatur corda filiorum Israel. i. ad amandum se prouocabat, & quasi cōpellebat. Nostri vsq; hodie dicunt. Rapuit cor meum, id est, ad amandum compulit.

Famem, pro cibo vsurpat sepius Hebraismus, vt patet Gene. 41. vbi Pharaoh fratribus Ioseph dicit. Et famem domorum vestrarum accipite, id est, cibum ad famem sedandam.

Filias vocat Hebraismus oppida, quæ alicui vrbi adiacent: quod illi, sicut matri, coniungantur, & ab ea protegantur, & sustententur. Numeri. 21. habetur. Habitauit Israel in Chesbon, & in omnibus filiabus eius, id est, vicinis oppidis, & pagis.

Filius: pro proximo, aut simili accipit Hebraismus: sicut Isaiæ. 5. Filius olei, pro vncto, aut oleo abundanti. Zachariæ. 4. Hi sunt duo filij olei, id est, vncti, aut oleatis, seu vnctis similes.

Filius areæ. i. triticum, aut granum: quod in ea excutiatur à paleis, sicut puer à matre. Isaiæ. 21. Qua ratione sagitta dicitur filia pharetræ. Thre. 3. Et gladius filius vaginæ. Filius domus. i. propinquior, seu notior in domo. Gene. 15. Filius Orientis, id est, proximus. Gen. 29. aut ibi natus. Filius auroræ. Isai. 14. i. similis illi. Filius exercitus, id est, miles: quòd sit intra exercitum, aut illi propinquus. Deut. 3. Filius arcus. Iob. 41. i. sagitta, quia ei propinqua, aut quia ab eo egreditur, vt filius paruus à matre. Filius mortis, id est, proximus seu propinquus illi, aut ea dignus: quemadmodum filius dignus est dignitate patris. Primo Samuelis. 20. Dicit Saul Michol. Tolle eum, scilicet Dauid ad me, quia filius mortis, id est, dignus est morte.

Incipiētes à. G. nō extāt (q̄ meminerim) Hebraismi.

HEri, & nudiustertius, i. tempore præcedēti. Exo. 5. Non dabitis paleas populo, sicut heri, & nudiustertius. i. sicut præcedēti tēpore, aut sicut consueuistis.

Homo mensuræ, id est, magnus, Numeri. 13.

Homines numeri. i. pauci: quod pauci facilè numerentur. Gen. 34. vbi dixit Iacob. Et mecū sunt viri numeri, id est, pauci, & qui facilè possunt numerari.

Habitare in medio populi, est inter eos morari: qui facilè possunt subuenire. Aut ad manū habere omnia necessaria. 2. Reg. 4. dicit Sunamitis Elisæo offerenti operas apud regē. In medio populi mei habito. i. inter cōsāguineos, qui mihi in cūctis facilè subuenire possūt

INterrogare os alicuius, est inquirere, quid dicat, vel sentiat ille. Gen. 24. Habet textus. Interrogemus os puellæ, id est, audiamus quid dicat

Ire per viā omnis terræ, est mori, aut est cōsuetudo: per quam omnes homines terræ incedunt. Et dicitur via: quia frequens est. Primo Regum. 2. dicit Dauid Salomoni. Ego vado per viam omnis terræ, id est, morior. quemadmodum omnes alij homines terræ.

Sic etiam, ingredior viam vniuersæ carnis, id est, morior. 3. Reg. 2. & apud Iosue cap. 23.

Ire ad dextram, aut sinistram, est à recto diuertere: quòd declinātes in via, ad dextram, vel sinistram diuertant. Deute. 5. Non declinabitis ad dextram, aut sinistram, id est, non peruertetis iudicium.

Ingredi ad fœminam, est rem cum ea habere: quòd congressus intra domū in cubiculo fieri soleat, aut in alio loco incluso, seu occulto Ge. 38. dicit Thamar ad Iehudah. Quid mihi dabis, vt ingrediaris ad me?

In medio aliquorum enutriri, est veluti vnū ex eis educari. 1. Reg. 11. dicit textus de Ieroboham, quod in medio filiorum Paraoh fuerit enutritus, id est, sicut vnus ex filiis eius. Sic in medio matis, id est, intra mare Iosue. 3 Sic in corde maris.

Implere ab ore vsq; ad os. Si ad ciuitatē referatur: est implere à porta vsq; ad portam: quòd porta sit in vrbe velut os: per quod comedit, aut per quod impletur, sicut saccus. 2. Reg. 21. vbi de Menaseh dicitur, q̄ impleuerit Ierusalem sanguine innoxio, ab ore vsque ad os. Vbi aliqui vertunt à latere vsq; ad latus. Idem cap. 24.

Incircūcisus labiis, est labia crassa habens, & balbutiens. Exo. 6. dicit Moseh domino: Incircuncisus labiis ego sum, id est, superflua, aut crassiora quàm decet labia habens, aut sum balbus, & labia mea circuncisione indigere videntur.

Iudicare alicui, est in fauorem eius ius dicere. 2. Samue. 18. Iudicauit te dominus de inimicis tuis, id est, ius dixit in tui fauorem.

Iudicet Dominus inter me, & te, id est, ius in fauorem meum dicat contra te, aut ius dicat, culpabilem puniendo Gen. 16. & primo Samue. 24.

Integrum esse aliquem, est nihil illi deesse de suis. Quod nostri vertunt, pacificum esse. 2. Samue. 18. inquirit Dauid. An sit integritas puero Absalon?, id est, an illi aliquid desit: quod nostri vertunt. Est ne pax?

Inuenire iniquitatem alicuius, est eum punire propter iniquitatem. Gen. 44. dicunt his fratres Ioseph, deum inuenisse iniquitatē eorū. i. voluisse eos punire.

Inuenire gratiam corā aliquo, aut in oculis alicuius, est illi placere: quòd gratia, aut fauor maximè ostendatur in oculis. Gen. 6. de Noach &. 18. & frequenter in sacris literis.

LOqui ad cor, est consolari, aut blanda, & quæ cor desiderat, loqui: quòd cor nonnunquam pro desiderio accipiatur. Isa. 40. loquimini ad cor Ierusalem. i. blāde, & quæ cor desiderat. Idem Gen. 34. Et Ruth. 2.

Lucere facere faciē suam, aut vultū super aliquem, est hilarem faciem illi ostendere: q̄ lucida soleant esse grata videntibus. Psal. 61. Illumina vultum tuum super nos, id est, hilarem faciem nobis ostende.

Loqui in auribus alicuius, est loqui eo audiēte Exo. 10. & Isa. 5. Loqui verò bonum super aliquem, est bona illi promittere, aut seruare. Num. 10. Dominus locutus est bona super Israel. i. promisit se daturum.

Loqui cōtra animā, est dicere aut facere aliquid: cuius causa moriaris. 1. Reg. 2. Contra animā suā locutus est Adonias. i. verba: quorum ratione morietur.

Loqui non posse bonum, neque malum, pro, non posse mutare voluntatē Domini vsurpat Hebraismus Gen. 24. Non possumus loqui bonum, aut malum, id est, non possumus mutare sententiam Dei.

Leuare caput alicuius, aliquādo est eū à malo liberare Gen. 39. &. 2. Reg. 25. Aliquādo est numerare, aut accipere summā: quòd res per capita numerari soleāt. Exo. 30. Leuare verò manū contra aliquē, est illū persecutere,

cutere, aut ei aduersari: quod percussio, eleuata manu, fiat. 1. Reg. 11. de Ieroboham dicitur: quod leuauerit manum contra regem Salomonem, id est, eum percusserit, aut illi fuerit aduersus.

Leuare in excelsum oculos, est superbire, eo quòd superbi soleant oculos eleuatos habere. 2. Reg. 19.

Leuare faciem alicuius, est eius ferre importunitatem, aut eū honorare. Gen. 19. dicit angelus Loth. Ecce leuaui faciē tuam, etiam in verbo isto. i. tuli tuam importunitatem, aut non repuli tuam petitionem.

Leuare manum, est aliquando iurare: maximè si ad cœlum leuetur. Gen. 14. dicit Abraham. Leuo manum meam ad Deum, id est, iuro per Deum. Et illa eleuatio manus probe testificabatur Deum esse in cœlo, & possidere cœlum. Sic Deuterono. 32. dicit Dominus. Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: viuo ego in æternum, id est, eleuata ad cœlum manu, iurabo per vitam meam. Exodi. 6. Introducā vos in terram: pro qua leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, id est, pro qua illi iurau, seu quam illi dare iurau. Et in Psal. Qui non accepit in vanum animam meam. A quo (meo iudicio) moleuit iurandi mos, per vitam Dei, eleuando manum.

MOuere caput super aliquem, est de malo eius dolere. Iob. cap. 16. Aliquando verò admirari. Ierem. 18. Omnis qui præterierit, obstupescet, & mouebit caput suum, id est, admirabitur, aut condolebit.

Mouere autem caput post aliquem, est illū capitis gestu deridere: quod deridentes aliquem: cuius faciem verentur: soleāt gestibus, & nutibus post eum gestire. 2. Reg. 19. & Isa. 37. Caput post te mouit filia Ierusalem, id est, gestibus capitis derisit.

Mittere manum in rem proximi, est furari: quod furta manibus fiant, Exodi. 22. Iurabit, quod non misit manum in rem proximi sui. Est etiam percutere. Exod. 24. Ad principes Israel non misit manum.

Mundus manibus, est innocens à malis operibus. Mundus corde, à malis cogitationibus. Psal. 23. Innocens manibus, & mundus corde, id est, nō habens mala opera, neque malas cogitationes.

Mingens ad parietē, est masculus: quod soli illi ad parietem meiere soleant. 2. Samu. 25. & 1. Reg. 14.

Manus Domini grauis, id est, punitio: quod manu fieri soleat. 1. Samu. 5. Fuit manus Domini grauis super Philistæos. i. punitio. In manu esse, pro esse in potestate, vsurpat Hebraismus: quod manibus inimicos subiiciamus Ge. 16. Ancilla tua in manu tua est.

Per manum alicuius loqui, idem est, ac si dicas, per eum, sed dicitur loqui per manū: quod homines manu gestiendo loqui soleant. Hoseæ. 12. Haggæi. 1.

Manum Domini esse super aliquē, id est, quod virtutem eius esse super eum. 2. Reg. 3. Facta est manus Domini, id est, vis prophetiæ super Elisæum.

Magnus nimis. i. maximus: quem Hebraismum ali quando scriptura effert per, valde valde, vel maximè, sic enim illi superlatiuum gradum explicant.

Multiplicādo multiplicabo, phrasis est linguæ, sicut. Expectando expectani. Loquendo locutus sum.

Multum vobis, id est, sat est vobis. Dentero. 3. Multum vobis, id est, sat est, quod venistis vsque huc. Numeri. 16. bis ponitur hæc phrasis.

NOn ipse, id est, non comparet ipse. Ge. 5. de Chanoch. Et non ipse, id est, non comparuit. Et capit. 42. Minimus non ipse. i. non apparet, aut non est

OS duplex, pro duplici portione vsurpāt Hebræi: quod portiones iuxta comedentium ora soleant multiplicari. 2. Reg. 2. dicit Eliæ Elisæus. Erit os duplex in me. Vbi non est sensus. Erit geminus spiritus prophetiæ, ad tuum, in me, sed erit mihi duplex prophetię portio comparatione ad alios Prophetas: ac si dicat. Ero tibi veluti primogenitus: cuius erat duplex portio ad alios filios in bonis paternis.

Os, pro præcepto sæpissime accipit Hebraismus. Vt Numeri. 4. Ad os Domini, id est, ad præceptum Domini. Ad os Moseh, id est, ad præceptum eius. Accipitur etiam pro locutione. Gen. 43. Vbi dicit Ioseph. Interrogauit nos vir secundum os verborum istorum, id est, secundum locutionem istam.

Iuxta os, quod attigerit manus vouentis, id est, sicut dixerit vouens manus suas posse, aut sicut responderit manus vouentis. Leuit. vltimo. Et cap. 27. Erit æstimatio tua ad os seminis. i. quantum seminis dixerint agricolæ agrum exigere, aut sicut petierit semen Nume. 7. iuxta os ministerij. i. prout ministeriū exegerit. Secundū os annorū. i. sicut anni exegerint. Indicare iuxta os alicuius, est iuxta quæsita ab eo respondere.

Esse alicui in os, est pro eo loqui: quod ore loquamur. Exod. 4. Aharon frater tuus erit tibi in os, id est, loquetur pro te. Tu eris illi in Deū: quoniā miracula facies: quādo ipse dixerit. Et. 7. Erit Propheta tuus, vt noster vertit, quod Prophetę solerēt esse os Domini.

Os meum loquitur ad vos, id est, loquor vobis patrio sermone, aut non per interpretem. Gen. 43.

Operire alicuius sanguinem, est mortem eius celare: quod sanguis sit Hebræis mors iuxta illd Psal. Libera me de sanguinibus, id est, de occisionibus. Gen. 37. dicunt fratres Ioseph. Quid proderit, si celauerimus sanguinem fratris nostri? Et. 2. Samue. 16. Egredere vir sanguinum, id est, homicida.

Onus Babylonis, id est, punitio seu pœna: quam debet Babylon portare. Isaiæ. 23. quod dura mala ad modum oneris grauent.

PErcutere fœdus, id est, pactum inire, & dicitur percussio: quod dum fieret, victimæ ferirentur. Aut quia fœderati manus mutuo iungebāt Gen. 15. & 21.

Percutere animam, est occidere, quod anima pro vita accipiatur. Gen. 8. &. 1. Samue. 24.

Ponere cor super aliquem, est illius curam gerere, aut illum cōsiderare. Iob. 14. Quid apponis erga eum cor tuum? Sumitur etiam pro cogitare, & sentire. 2. Samuelis. 13. Ne ponas super cor, id est, ne cogites super hac re, aut ne affligas te propter hoc.

Ponere oculos super aliquem, Hebræis est diligere illum. Gen. 44. dicit de Biniamin Ioseph: se super illum oculos positurum.

Percutere in ore gladij, est ferire acie gladij. Vocatur autem acies gladij os: quod comedat homines veluti os, scilicet scindendo. Iudicum. 18. Percusserūt eos in ore gladij, id est, gladij acumine.

Populus formicarum, id est, multitudo, ad módum populi. Prouerb. 30. Formicæ populus non fortis.

Ponere manū super oculos alicuius, est eos illi mortem claudere. Ge. 46. dicit Dominus Iaacob, quod Ioseph ponet manum suam super oculos eius, id est, morienti astabit, & oculos claudet.

Patrem vocant Hebræi non solum, qui generat, sed primum alicuius rei inuentorem, aut præcipuum. Ge. 4. Fuit pater comprehendentis citharam. i. inuentor illius instrumēti, aut præcipuus in ea arte. Serui etiam Naaman, eum patrem vocant.

Non parcere, aliquando est, non misereri. Nonnunquam, non omittere. Gen. 45. dicit Paraoh. Non parcat oculus vester vasis, id est, nullum vas ex vestra supellectili omittatis, quin asseratis illud vobiscum. Ezechielis. 16. Non pepercit tibi oculus meus, id est, non omisi, quæ tibi erant necessaria, dare. Et capit. 20. Pepercit oculus meus eis, id est, eorum misertus sum, aut dissimulaui cum eis. Et. 9. Percutite: non parcat oculus vester, id est, non misereamini, aut non omittatis præ misericordia aliquem percutere.

Proiicere aliquid post corpus, est illud vile æstimare: quod ea, quę post nos dimittimus, vilia ęstimamus, nolentes ea respicere. Primo Reg. 12. dicit Dominus. Proiecisti me post corpus tuū, id est, corpore tuo, aut iis, quæ post corpus reiicis: viliorem æstimasti. Proiecisti post tergum omnia peccata mea. Isaiæ. 38. id est, noluisti ea ad vindictam videre. Nam quæ post terga proiicimus, videre nolumus.

Ponere faciem super aliquem, est illum, veluti aliquid spectabile, videre. 1. Reg. 2. dicit Adonias. Super me posuerunt omnis Israel facies suas, id est, me despexerunt, veluti aliquid spectabile.

Petere

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petere animæ, vt moriatur, est mortem desiderare. Primo. Reg. 19. Petiuit Elias animæ suæ, id est, vitæ, vt moreretur, id est, mortem optauit. Sub pedibus esse, pro subditum esse, vsurpat sæpius Hebraismus, vt patet Exodi. 11. Omnis populus qui est sub pedibus tuis id est, tibi subditus.

Pondus, & pondus. i diuersa pondera. Deuter. 25. Non habebis in saceo tuo pondus & pondus. i. diuersa, aut multa pondera. Solet etiam Hebraismus geminatione nominis multitudinem significare: vt Gene. 14. Vallis Siddim, putei putei. i. multitudo puteorū. Exo. 8. Collegerūt ranas, aceruos, aceruos, id est, in multos aceruos, & frequens Hebraismus.

Pinguedo Hebræis vocatur omne pretiosum, aut primum. Nume. 18. pinguedinem vini, & olei, id est, præcipua, aut prima in his dedi tibi.

Percutere cor, est remorsum in conscientia habere. 2. Samuelis. 24. Percussit cor Dauid eum, id est, conscientia momordit ipsum.

Panem præbere ad os paruuli, est secundum numerum comedentiū paruulorū panē ministrare, seu prout ora paruulorum exigebant, aut in copia. Gen. 47.

Ponere alicui reliquias, est dare ei posteritatē: q̄ posteritas relinquatur post patres. Ge. 45. dicit Ioseph, se missū ante fratres in Ægyptū, vt poneret illis reliquias

Ponere manū, est iuuare: quod auxilium fiat apposita manu. Exod. 23. Ponere verbum in ore alicuius, est docere eum, quid loquatur. Exod. 4.

QVid mihi, & vobis? duo Hebrǽis significat. Alterū, quid quæstionis, est inter me & vos? Alterum, quid vobis, aut ad vos pertinet? 2. Samue. 16. dicit Dauid. Quid mihi & vobis filij Saruiæ. f. quæstionis, vt velitis mihi aduersari: quēadmodum Satā? Aut quid mihi, & vobis. f. commune est, vt. f. velitis vlcisci iniuriam, quā ego volo dissimulare? Sic. 2. Reg. 26. dicit Iehū. Quid tibi, & paci? scilicet cōmune est: vt pro ea soliciteris? Aut quid tua interest de pace? Matth. 8. Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? id est, quid quæstionis est inter nos, & te, vt torqueas nos ante tempus? Ioannis. 2. Quid mihi, & tibi est mulier? id est, quid nostra interest: an vinum deficiat, an non?

Quid tibi hic est Elia: f. agendū aut. Quid agas hic?

REuelare turpitudinem alicuius, est rē habere cum ea, quod congressus viri & fœminæ fiat reuelatis pudendis eorum. Leuit. 18. ponitur sæpius.

Remouere posteriora alicuius, est delere eius posteritatem: quod filij sint quasi posteriora patris. 1. Reg. 20. dicit Dominus ad Achab. Remouebo posteriora tua. i. delebo posteritatem tuam, seu filios, & nepotes.

Reddere in faciem alicuius malum eius, est eū punire, quod qui punit aliquē, venit illi ex aduerso Deut. 7. dicit dominus se reddere in faciem odio habentibus se, id est, quod sit venturus illis ex aduerso faciei, vt puniat. Sicut reddere in caput, est punire percutiendo caput, aut absolute punire.

Requirere sanguinem alicuis de manu alterius, est homicidam punire, quod iudices soleant male acta à reis exigere ad puniendum. Gen. 9. Sanguinē vestrum requiram de manu hominis.

Reddere aliquid in sinum alicuius, est reddere illi occulte. Iere. 32. Reddens iniquitatem patrū in sinum filiorum eorum, id est, in occulto, vt nesciant se portare iniquitatem patrum suorum.

SVscipere faciē alicuius, est precibus illius acquiescere, aut benigne eum admittere. Est etiam ferre eius aspectum. Gen. 19. dicit Angelus ad Loth. Suscepi faciem tuam. i. precibus tuis acquieui, aut honorani faciem tuam, concedendo postulata. Gen. 32. Forsitan susceipiet faciem meam, id est, feret, aut honorabit. Sic, susciperе faciē in iudicio, est gratia præsentiæ alicuius aliquid facere. Sic, accipere personam.

Secundum non habere, est non habere prolem, aut hæredem. Eccles 4. Vnus est, id est, solus, & secundum non habet, id est, legitimum hæredem, aut posteros. Quod statim explicat. Non filium.

Sanctificare cœtum, est eum immunditiis separare, & purgare. Sanctificare ieiunium, est homines etiam separare ab immunditiis: vt rite ieiunent, aut ieiunare propter Deum, qui sanctus est. Iohel. 2.

Secundum tempus vitæ, id est, si hoc tempore vixero, aut vita comite. Gene. 18. vbi Angelus Abrahæ dicit, Veniam ad te secundum tempus vitæ, id est, dummodo vixero.

Sanguis eius in eo, aut super eum. i. ipse fuit causa effusionis sanguinis sui, aut sibi imputetur effusio sanguinis sui. Aliquando est se reos constituere sanguinis alicuius, vt Leuit. 20. Sanguis eius super nos, id est rei erimus, & pœnas dabimus effusionis sanguinis eius. Sic Matth. 26. dicunt Iudæi de Christo.

Suscitare verbū, seu stare facere, est promissū implere, q̄ deiecta videatur promissio: dū nō impletur. 2. Samu. 7. dicit Dauid. Et nūc domine suscita verbū tuū

Satur dierum, seu plenus dierum, vt in vulgata editione, mortuus est. i. cōpletis diebus suis, obiit: quibus f. homines viuere solent. Aut nolens plus viuere. Gen. 25. Paralipom. 24. vbi ad satur, additur, dierum.

Si sic, aut si ita, Pro si opus est, vsurpat sæpius Hebraismus, aut si sic oportet fieri. Ge. 43. & multis aliis in locis scripturæ.

TRadere gladium in manum alicuius, est dare illi causam sæuiendi. Exo. 5. dicunt Iehudæi Moseh, & Aharon, quod tradiderint gladiū in manu Paraoh, id est, quod fuerint causa ipsi Paraoh sæuiēdi in eos.

Transire facere peccatū, est transferre punitionem ab vno in alium. 2. Samuel. 12. dominus transire fecit peccatum tuum, id est, pœnam peccati tui in filium.

Trāsire facere vocē prēconis, est proclamare Exo. 26.

VEnditum esse aliquē, vt faciat malum, est esse alicui addictum ad mala facienda, quemadmodum de Achab dicit scriptura. 1. Reg. 21. Qui venditus est: vt faciat malum. i. vxori, vt seruus, addictus.

Vocari ex nomine, est præ aliis eligi. Sicut nosse ex nomine, est cæteris familiarius aliquem nosse. Exodi. 32. de Moseh, & de Beseleel. 31.

Vmbrā, pro protectione vsurpat Hebraismus Nume. 14. quod sub vmbra ab æstu homines protegātur: vbi dicūt exploratores. Recessit vmbra. i. protectio eorum

Vide, verbo vtitur otiose sæpius Hebraismus, vt Gen. 27. Vide, Odor filij mei. Sic nos Lusitani (Olha, faze isto), id est, cōsidera.

Verbum esse à Domino egressum, est ita euenisse vt optabatur. Gen. 24. quòd verbum, quod à Domino egreditur: fiat, & impleatur, vt ipse vult.

Vir sanguinum, id est, homicida. 2. Samuel. 16. Egredere vir sanguinum.

Vir Belial, id est, sine obedientia, ibidem. Vir pecoris, id est, pastor. Gen. 42.

Vir agri, id est, venator. Gen. 25. de Esau. Vir terræ, id est, agricola. Gen. 9.

Vir verborū. i. eloquēs. Exo. 4. Nō vir verborū ego.

Venire cum corpore, pro venire solum, vtitur Hebraismus. Exod. 21. vbi de seruo dicitur. Si cum corpore suo venerit, cum corpore exibit.

Vado quo vado, id est, quo nescio: aut quo ire debeo. 2. Samu. 15. dicit Dauid. Ego vado quo vado, id est, quo nescio, aut quo debeo.

Venire in dies, est senē fieri. Gen. 24. & Iosue. 23.

Post verba ista, id est, post res. Nam sæpius verbum Hebræis rem significat atque alia multa.

Verbum mihi est ad te, id est. Volo tibi aliquid dicere. Primo Reg. 2.

Vertere se ad aliquid, est complacentiam in eo habere, & non vertere, est habere displicentiam. Numeri. 16. dicit Moseh Domino. Ne te vertas ad oblationem eorum, id est, non suscipias eorum munus: quod suscipientes aliquid soleant se vertere ad offerentes.

Via, pro consuetudine frequenter vtitur Hebraismus: quòd per eam homines eant, quemadmodum viatores per viam. Via mulierum, id est, consuetudo seu menstruum. Gene. 18. Via terræ, id est, mors, seu consuetudo moriendi. Primo Regum. 2. Via etiam (quam interpres vertit morem) Geneſis decimonono.

Vbi de filiabus Loth agit: ponitur prō copula cum fœmina. Non est (inquiunt) qui ingrediatur ad nos iuxtā viam, seu morem omnis terræ. Gen. 6. dicitur omnem carnem viam corrupisse, id est, congressum masculi cum fœminā.

Sunt etiam multi alij Hebraismi quos omisimus, & quia clari sunt, & ne lectorem his grauaremus amplius: & quia ex hisce reliquos facilē quis coniicere potest. Si qui verò obscuri occurrerint: suis quemque locis explicabimus.

De numerò librorum, authorum & inscri-

PTIONVM SEV TITVLORVM sacrorum codicum.

SVPPVTANT Hebræi. 24. sacræ scripturæ libros: quos in quatuor ordines diuidūt, scilicet in legem, Prophetas priores, posteriores, & in Hagiographa, id est, sancta scripta. In primo ordine collocāt Beresith. i. in principio, qui & Genesis, Veelleh semoth, quēm nos Exodum dicimus. Vaiicra, qui & Leuiticus. Vaiddaber, quē vocamus Numerorū. Elleh hadebarim, qui à nostris dicitur Deuteronomiū. In secūdo verò locāt Iehosuah. Iudicū. Samuelis duos priores. Melachim. i. Regū duos posteriores. quos nos tertium & quartū Regum appellamus. In tertio verò ordine. f. inter posteriores Prophetas, supputant Maiores, & minores Prophetas. f. Haiam. Ieremiam. Ezechielem. Minores verò vocant Hoseam. Ioel. Hamos. Hobadiam, quem nos Abdiam appellamus. Ionam. Habacue. Michæam. Nahum. Sophoniam. Haggæum. Zachariā. Malachiam. In. 4. verò scilicet, inter hagiographa enumerant 11. videlicet Paralipoménon: quem vocant Verba dierum, Hebraice. Dibrehaiamim: quem vnicum faciunt. Thehelim. i. Psalmorum, seu laudum. Misle. i. Parabolas. Iob. Ruth. Coheleth. i. Ecclesiasten. Echah, id est, Threnorum. Sic Hassirim. i. canticum canticorū. Esser. Danielem & Ezram: quem nos Esdram vocamus. Et nephas erat, de eorum fide dubitare. Ex quibus constat eos triplicem modū habuisse inscribēdi, seu titulandi libros. Primo ab inceptione ipsius libri, seu à primis dictionibus: quo mōdo inscribunt quinq; libros legis, scilicet Genesin, Beresit, id est, in principio, quia sic liber incipitur in Hebræo, & īdē de aliis: vt iam diximus. Sic Paralipoménō. Dibrehaiamim, id est, verba dierum. Misle, id est, parabolas Salomonis. Secundo ab authore ipsius libri: quo titulo inscribunt omnes prophetas. Tertio à materia: de qua tractant, & hoc modo inscribunt Iosuah: quod de gestis ipsius præcipue tractet. Iudicum, eadē de causa. Melachim, seu Regū Paralipomenon seu Verba dierum. Thehelim. i. laudum: quod in eo laudes dei contineātur. Canticum canticorum. Ruth. Esser. & Iob. Non placet tamen multum hęc Hebræorum diuisio: cum inter Prophetas priores, enumerēt Iosuah, Iudicū, & Regū libros: in quibus parum, aut nihil prophetiæ cōtinetur. Neq; recte possumus dicere, Iudices, & Reges fuisse prophetas. Tum quia ab hoc ordine reiciunt librum Psalmorū Danielē. Canticū canticorū, qui meras prophetias continere videntur. Neq; video, cur libri Regū inter priores propheras numerentur. liber verò Paralipoménō inter hagiographa: cum omnino eadem, quæ libri Regum: contineat. Similiter quare Ieremiam, posterioribus prophetis annumerent: Threnorum verò librum inter hagiographa collocent. Latini verò melius (meo iudicio) fecerunt sacros veteris instrumēti libros: in Legales. historiales. Prophetales. Sapientiales. Legales: qui sunt quinq; libri Mosi. Historiales: qui Iehosuah. Iudicū. Regum. Samuelis. Paralipomenon. Esser. Iob. Ruth. Prophetales: inter quos supputant quatuor maiores prophetas. f. Isaiam, Ieremiam, cum Threnis suis. Ezechielem, & Danielem, & duodecim minores: cum quibus liber Psalmorum: Canticum canticorum complectendi sunt: cum præcipue prophetiam contineant. Sapientiales, qui sunt Prouerbiorum, & Ecclesiastæ. Fuit autem quondam dubitatum, de libris Tobiæ. Iudith. Ecclesiastici Sapientiæ, & Maccabæorum, sed iam nunc non licet in dubiū reuocare, eos esse canonicos quoniā antea concilium Carthaginēse. 3. cap. 47. suorum decretorum, eos omnes cum cæteris canonizauit. Quod postea Innocētius Papa, huius nominis primis in suis decretis in Epistola ad Exuperium Tholosanū episcopum confirmauit. Vltimo verò concilium Tridentinum generale: cui interfuimus, suis decretis dignatum est omnes approbare ita, vt iam de cætero nemini liceat illos ausu temerario reiicere.

Si verò de authore horū quinq; legis librorum quæras, à quo videlicet scripti sunt, Dicunt Hebræi, Mosem virum Dei, scripsisse quinq; libros legis, præter. 8. vltimos versus Deuteronomij, ab eo loco: in quo dicitur. Et mortuus est Moses, vsque ad finem libri, & librum Iob. Iehosuah verò, scripsisse librū suum, & 8. versus legis. Samuelē verò edidisse duos: qui Samuelis inscribuntur: item librum Iudicū, & Ruth. Isaiam verò librum suum, Prouerbia, Cantica canticorū, & librū Ecclesiastæ. Ieremiā autē librum suū, item libros Regum, & Threnorū. Viros verò maioris synagogę librum Ezechielis, & librum. 12. Prophetarū, Danielis, & volumē Esther. Dauidem verò, &. 10. Prophetas, librum Psalmorum. Ezdram autem Genealogias verborū dierum, vsq; ad locum illum. Et fuerunt sibi fratres: filij Iosaphat. Numerum autē versuum legis, supputant: quinq; millia octingentos quadragintaquinq;. Prophetarum verò nouem millia ducentos nonagintaquatuor. Inuenitur itaq; summa omniū versuum lectionis Biblię viginti trium millium ducentorum trium. Sed ex sacris literis nō potest plene probari: Mosen omnes quinq; libros legis scripsisse. De lege constat Deut. 31. vbi dicitur. Et scripsit Moseh legem hanc, & dedit eam sacerdotibus filiis Leui, portantibus arcam, & Exo. 24. vbi habetur. Scripsit Moseh omnia verba Domini, & omnia iudicia. Crediderim etiam: Moseh scripsisse librum bellorum Domini cuius sacer textus meminit Nume. 21. f. ab exitu de Ægypto, vsq; ad mortem ipsius. In quo etiam scripsisse puto bellum Domini futurum contra Hamalech, vt. f. deleret eum: de quo Exod. 17. Vide de hac re August. in quæstionibus libri Numerorum. Sunt alij multi libri: quorum sacra meminit historia, qui temporum iniuria, aut hominum negligentia pēriere, quemadmodum est liber Iustorum, cuius scriptura meminit Iosue. 10. &. 2. Reg. 1. Similiter liber Verborum dierum Salomonis: de quo. 3. Reg. 11. Eiusdem etiam Salomonis libri de arboribus, plantis, animalibus, & auibus: cantica quoq; quinquies millia: quorum selectiora duntaxat habemus. Tria millia parabolarum: quas omnes non habemus. Non extat item liber Regū Israel, & Iehudad. de quo primo Parali. 29. Caremus & libris Gad. Nathan. Hahæ Silonitæ, & Hado videntis. 2. Paralipo. 10. Item deest liber Semehiæ: de quo. Secundo Paralip. 13. Nominatur & expositio libri Regū. Secūdo Paralip. 25. Historia Isaiæ Regū. Iehudah. Eodē libro cap. 26. Item liber Choziæ Secundo Paralipo. 5. Similiter liber historiæ post captiuitatem. Neemię. 11. Liber quoq; Memorabilium. Esther. 9. Citatur etiam in Maccabæorum libris, historia de Sparthiatis. Caremus libris Iesu filij Amoni, libris quoque Ieremiæ, & Henoch, & Samuelis: aliisque quamplurimis: quos amississe magna iactura fuit. Interim tamen euoluendi, atque amplexandi sunt, qui relicti sunt: in quibus meritò (Christo teste) Iudæi se putabant vitam æternam habere.

QVO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoniam Geneſis. 3. capite vbi de ſerpentis callidi-
TATE ET FOEMINÆ DECEPTIONE TEXTVS AGIT NOVAM SENTENTIAM tenere videmur, ſerpentem videlicet à principio ſuæ creationis, humana voce locutum, & in eo quandam rationis vim qua verba dirigebat fuiſſe: quam ſententiam omnes ferè doctores exibilant, operæprætium duxi illius ducti noſtri, rationem reddere: quod tamen ibidem ſatis modificauimus. Diximus enim cum hoc tamen nos credere diabolum in eum intraſſe quemadmodum in arrepticiis, & fœminam decepiſſe. An verò in eo eſſet aliquis diſcurſus, non definire, ſcire tamen in quibuſdam animalibus eſſe vim quandam ad diſcurrendum, & aſinam Bilham, domino ſuo reſpondiſſe, & ab eo quæſiſſe, ac ſi in ea pro eo tempore, fuiſſet vis diſcurſiua, ſiue hoc tunc illi Deus communicaret, ſiue angelus linguam moueret. Si quis tamen putaret dæmonem mouiſſe ſerpentis linguam & per eam verba formaſſe, non prohibere: vbi vides quam modeſte noſtram ſententiam protulerimus. Cui rationem quæ animum noſtrum mouit adiunximus. Quoniam fœmina non auderet cum ſerpente colloquium miſcere, ſi tam inſolitam rem in eo vidiſſet. Eſt ad hoc ſententia ſeruatoris conſulentis diſcipulos, vt ſint prudentes ſicut ſerpentes, quo in loco prudentiam quandam, naturæ ſerpentinæ tribuere videtur. Eſt etiam ad hoc venerabilis Pauli Burgenſis Epiſcopi determinatio qui. 3. additione in caput. 3. Geneſeos dicit ſerpentem ante hominis deceptionem, altis pedibus veluti cætera animalia inceſſiſſe licet non vt hominem, & in deceptionis pœnam poſtea reptaſſe vt textus habet. Dicit etiam Lyranus ibidem, tenuiſſe aliquos ſerpentem faciem virgineam habuiſſe, reprobat verò hoc, quòd in ſcriptura nullum habeat fundamentum, neque vnquam inueni eccleſiam decreuiſſe ſerpentem, à principio non fuiſſe loquutum neque vllam habuiſſe rationis vim. Quia tamen ſanctos patres alioſque doctores, oppoſitum ſentire video licet opinio ſcripturæ aut eccleſiæ decretis non aduerſetur. ſatius corrigendam duxi, neque me ad hoc aduerſariorum obiecta compulerunt, iquibus facilè ſatisfacere poſſum, ſed ſola patrum authoritas: quibus ſemper obtemperandum duxi. Præcipuum enim obiectum eorum eſt, quòd tunc Deus non creaſſet hominem cæteris animantibus digniorem, quod probatur, quoniã ſola ratione cætera animantia præcellere videtur: ſi ergo Deus ſerpentem rationis capacem creauit, non eſſet homo omnibus aliis dignior. Ad quod dicimus, homini datam rationem ad omnia opera ſua dirigenda, non ſolum ad loquendum: ſerpenti verò ad ſolam loquutionem quemadmodum quibuſdam animalibus & auibus dediſſe videtur Deus particularem quandam prudentiam ſicut hirundini ad nidificandum, formicæ ad congregandum in æſtate. Multa etiam alia homini collata ſunt vt Dominũ in omnia, & quòd ſit imago Dei, quod ſerpenti nequaquam conceſſum eſt neq, aliis animalibus.

Reuerendi Patris
F. HIERONYMI AB OLEASTRO LVSITANI, ORdinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ profeſſoris, & apud Olyſſipponenſes Inquiſitoris. Annotationes in Pentateuchum.

REDIDERIM EGO Iam olim ab huius mundi exordio, apud homines, præſertim Hebræos, vulgatiſſimum & receptiſſimum fuiſſe, viſibilem hunc orbem initium habuiſſe, modum tamen, quo Deus res ipſas produxerit, eis ignotum extitiſſe. Cui rei argumento eſt, quod Deum hoc priſcis illis Patribus reuelaſſe cõſtat: quod etiam eos poſteris ſuis indicaſſe credendum eſt. Inferius enim ſeptimo capite. Deum Noach dixiſſe legimus. Adhuc dies ſeptem, & ego pluo ſuper terram quadraginta dies, & totidem noctes, & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci, à ſuperficie terræ. Quod etiam Abrahæ indicatum fuiſſe, ipſe poſtea his verbis fatetur. Leuo (inquit) manum meam ad Deum poſſeſſorem cæli, & terræ. Quibus verbis Deum omnipotentem huius orbis autorem eſſe ſubindicare videtur. Nouerat etiam Lamech, vt infra quinto capite habetur, terram à Domino propter primi parentis peccatum eſſe maledictam. Quamobrem Noach eos à labore manuum conſolaturum, prophetabat de terra: cui Dominus maledixerat. Quia tamen huius rei cognitio ſucceſſu temporis apud homines neglecta eſt, hominibus ad idololatriam, & alia vitia declinantibus, voluit Dominus Deus cùm rerum productionem, tum etiam modum, quo ab eo productæ fuerunt: ſcriptis mandari, ne, ſcilicet, populus eius Philoſophorum, ac Poëtarum figmentis deceptus, mundum ab æterno fuiſſe crederet, aut eo modo, & ordine res productas, quibus eorum Poëtæ eas produ&as fabulabantur. Facilè etiam in illorum eo ſententiam, qui incorporeas ſubſtantias, quas Angelos appellamus: anteaquam corporeas, creatas aſſerunt cum quibuſdam corporeis, veluti terram informem, aquam, ignem, cæterasque, quarum productionem ſcriptura præterire videtur. His verò ſex diebus, ea quæ cœli ambitu continentur, & produxiſſe, & digeſſiſſe videtur. Sed iam ad ipſius literæ explicationem accedamus.

Geneſis.
CAP. PRIMVM.

IN Principio creauit DEVS cœlum & terram. Et terra erat deſolata, & inanis: & ténebræ erant in ſuperficie voraginis: & ſpiritus Dei ſufflabat in ſuperficie aquarum. Et dixit Deus. Sit lux. Et fuit lux. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona: & diuiſit Deus lucem à tenebris. Et vocauit Deus lucem diẽ, & tenebras, vocauit noctem. Et fuit veſpera: & fuit mane dies vnus. Et dixit Deus. Sit firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, & diuiſit aquas: quæ erant ſub firmamento, ab aquis: quæ erant ſuper firmamentum. Et fuit ita. Et vocauit Deus firmamentum cœlum. Et fuit veſpera, & fuit mane dies ſecundus. Et dixit Deus. Congregentur aquæ: quæ ſunt ſub cœlo: in locum vnum, & appareat arida. Et fuit ita. Et vocauit Deus aridam terram, & congregationem aquarum appellauit maria. Et vidit Deus, quod eſſet bonũ. Et dixit Deus. Germinet terra germen, herbam ſeminificantẽ ſemen: arborẽ fructiferam facientem fructum in ſpecie ſua: in qua ſemen eius ſit ſuper terram. Et fuit ita. Et protulit terra germen, herbam ſeminificantẽ ſemen in ſpecie ſua, & arborem facientem fructum, in qua ſemen eius fuit in ſpecie ſua. Et vidit Deus, quod eſſet bonum. Et fuit veſpera, & fuit mane dies tertius. Et dixit Deus. Sint luminaria in firmamento cœli: vt diuidant diem à nocte, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos. Et ſint in luminaria in firmamento cœli: vt illuminent terram. Et fuit ita. Et fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius ad dominium diei, & luminare minus, ad dominiũ noctis, & ſtellas. Et poſuit eas Deus in firmamento cœli: vt illuminarent terram. Et vt præeſſent diei, ac nocti: & diuiderent lucẽ, à tenebris. Et vidit Deus, quod eſſet bonum. Et fuit veſpera, & fuit mane dies quartus. Et dixit Deus. Repere faciãt aquæ reptile animæ viuentis, volatile volet ſuper terrã in ſuperficie firmamenti cœli. Et creauit Deus cetos magnos, & omnem animam viuentẽ repentem, quam repere fecerũt aquæ in ſpecie ſua, & omne volatile alatum, ſecundũ ſpeciem ſuã. Et vidit Deus quod eſſet bonum. Et benedixit eis, dicendo. Creſcite, & multiplicate vos: & replete aquas in maribus, & volatile multiplicet ſe in terra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et fuit vespera, & fuit mane dies quintus. Et dixit Deus. Producat terra animam viuentem secundum speciem suam, iumentum, & reptile, & bestias terræ secundum speciem suam. Et fuit ita. Et fecit Deus bestias terræ secundum speciem suam: & iumentum secundum speciem suam: & omne reptile terræ, secundum speciem suam. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et dixit Deus. Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatili cœli, & iumento, & omni terræ, & omni reptili reptanti super terram. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam. Ad imaginem Dei creauit illum: masculum, & fœminam creauit eos. Et benedixit eis Deus: & dixit ad eos Deus. Crescite, & multiplicate vos: & replete terram: & subiicite eam: & dominemini piscibus maris, & volatili cœli, & omni bestiæ reptanti super terram. Et dixit Deus. Ecce dedi vobis omem herbam seminantem semen: quæ est in superficie omnis terræ. Et omnis arbor: in qua est fructus arboris seminans semen: vobis erit in escam. Et omni bestiæ terræ, & omni volatili cœli, & omni reptanti super terram: in quo est anima viuens: omne olus herbæ in escam. Et fuit ita. Et vidit Deus omne quod fecerat: & ecce bonum valde. Et fuit vespera, & fuit mane dies sextus.

In principio.

ANtequam huius prioris sententiæ sensum reddam, operępreciũ duxi, vocabulorum hebraicorum: quæ in ea ponuntur: vim explicare. Quare aduertendum, dictionem hebraicam (Ros) à qua (resith) deriuatur: non solùm principium: sed caput, & principem, ac primum inter aliqua significare. Ieremiæ enim. 14. pro capite ponitur, vbi dicitur. Operuerunt (Rosam) id est, caput suum agricolæ. Iudicũ verò. 11. pro principe, seu duce. Etis (inquit textus) nobis (le Ros) .i. in ducem, vel principem. Hic verò pro principio accipitur Beresith. Habent autem omnes secundæ huiusmodi significationes, allusionem, & conuenientiam (vt mos est vocabulorum hebraicorum) ad principalem: qua s. (Ros) caput significat. Dux enim populi, caput ipsius esse videtur: quod populum sua prudentia veluti caput cætera membra, dirigat: & gubernet. Et initium vniuscuiusque rei, caput ipsius appellari solet, quemadmodum (Behemõth) apud Iob. cap. 40. appellatur caput. 1. initium viarum Dei. Potest ergo hic dictio (Beresith) accipi, aut pro principio, seu initio mundi: aut vt signat primum. Potest ergo significare initium temporis, seu olim: & secundo initium operis domini: vt priori modo sit sensus. In principio, id est, olim quando Deus mundum produxit: creauit cœlum, & terram. Secundo verò modo sensus erit. In principio. i. in capite productionis mundi produxit Deus cœlum, & terram. Ac si diceret. Prima, quę Deus in suo opificio produxit: fuerunt cœlum & terra. Posset etiam principium, seu initium importare initium mundi: vt sit sensus. In principio, scilicet, mundi creauit Deus cœlum & terram: ac si apertius dixisset. Non putetis hunc semper fuisse mundum: quem videtis: habuit enim initium: & cùm Deus illum produxit: primum produxit cœlum, & terram. Mihi autem primus sensus magis probatur, quia simplicior esse videtur: vt sit sensus. Ne decipiamini arbitrantes, hunc, quem oculis cernitis: orbem, ab æterno fuisse. Nõ sic res habet, sed Deus in principio, seu olim illum creauit: & creauit cęlum, & terrã. Non tamen secũdum sensum reiicio. s. Prima, quæ Deus creauit, fuerunt cęlum, & terra, quia hic sensus non solum explicat creationem, sed etiam producendi ordinem insinuat, & textus sequẽti cap. de diuino loquitur opificio: ac si vnicum opus esset, quod his sex diebus absoluit. Compleuit (inquit textus) Deus die septimo opus suum, quod fecerat. Sunt aliqui ex Hebræis, qui dictionem, Resith, in regimine genitiui positam hic asserunt: vt sit sensus In principio creandi Deum, id est, quo Deus creauit cęlum, & terram, tunc terra erat inanis, & vacua. Ad quod probandum citant illud Hoseah. 1. Principium loquendi Dominum in Hoseah. Item illud Ier. 26. In principio regni Ioachim. Quorum interpretationi non subscribo, propter coniunctionem (Et) quæ ante dictionem (terram) ponitur. Dicendũ enim tunc erat. In principio, quo Deus cęlum & terram creauit: terra erat inanis. In textu verò habetur. Et terra erat inanis. Cùm verò hic audis, olim producta cęlum, & terram: aduerte scripturam ostẽdere productionem cęli, & eorum, quæ in cœlo videntur, & idem de terra. Omittit verò multarum rerum, etiam corporalium productionem, quemadmodum ignis, venti, aquarum, aëris, & id genus alia, aut quia inuisibilia sunt, aut quia cum aliis producta esse intelliguntur. Omisit autẽ Mosech illorum productionem, quod non facilè posset persuadere Iudæis ea esse, aut esse producta, quæ nullatenus illorum oculis quiret ostendere.

Creauit.

Miror, cur Theologi nostri verbũ hebraicum, bara, id est, creauit, in eam vsurparint significationem, qua ex nihilo aliquid facere significat: cùm apud Latinos creare frequentius significet producere, quã ex nihilo facere. Habet enim Cicero in libro de fini. 5. Etenim omnium rerum, quas creat natura, & tuetur. Impossibile autem est naturam aliquid creare, id est, ex nihilo producere. Idem primo de Thuscula. q. Principium, (inquit) extinctum, neque ab alio renascetur, neque ex se aliud creabit. Vbi etiam creare, pro producere sumitur: non quod idem sit quod ex nihilo facere. In eadem significatione quoque vtitur hoc nomine creator, quod à creare ducitur, in oratione pro Cornelio B. princeps (inquit) ille creator huius vrbis Romulus. Vbi creatoris nomine non eum, qui ex nihilo aliquid producit, significare potest, cùm vrbes non ex nihilo, sed ex lapidibus, calce, & lignis fiant, sed productorem: vel potius ædificatorem. Apud Hebræos etiam verbum, Bara, vt diximus, non ex nihilo aliquid facere, sed qualitercunque producere significat: siue ex nihilo, siue ex aliquo. Nam & Rabbi Dauid ponens in libro radicum discrimen inter, Bara, id est, producere, &, Iasar, quod est fingere, dicit quod, Iasar, propriè significat formare, aut fingere, quod communiter dicitur de re corporea, aut quæ in corpore esse habet, vel susceptiua est sensibilium potentiarum, aut de ipsis sensibilibus potentiis, Bara, verò dicitur de qualibet re, siue de innouatione cuiuslibet rei. Quod verò hic significet non solum ex nihilo facere, sed producere, constat: quia, vt inferius commonstrabimus, cœlum ex aquis productum est, licet primordia eius, id est, aqua ex nihilo facta sint. Præterea non est credendum scripturam hoc capite æquiuoce accipere verbum, bara, vt, scilicet, hic accipiat, vt idem est, quod ex nihilo facere, & paulò inferius, vt significat, producere. Describens enim hominis productionem, dicit: masculum & fœminam eos creasse. Constat autem non eos ex nihilo produxisse, sed hominem è puluere terræ, fœminam verò ex viri costa fecisse. Neque etiam in sexus differentiam eos ex nihilo produxit: cùm hæc ad corpus, quod non ex nihilo productũ est, pertinere videantur. Omitto etiam quod scriptura indifferenter in rerum productione vtitur verbo, bara, quod est producere, &, hasah, quod est facere, &, ialad, quod gignere significat: ac, iasar, quod, vt diximus, fingere, importat. Infra enim secundo capite habes. Consummauit Deus die septimo opus suũ: quod hasah, id est, fecerat, vbi productũ seu creatum opus, factum dicit. Et capite eodem. Posuit (inquit) ibi hominem, quem, iasar, id est, finxerat, vbi etiam vtitur nomine, Toldoth, à verbo, ialad, quod est generare. Istæ sunt (inquiens) Toldoth, id est, generationes cęli, & terræ. Ex quibus constat scripturam hic vti verbis, & nominibus: quæ non ex nihilo fieri: sed producere, gignere, aut fingere significant. Atque ex his nihil aliud elicere volumus, quàm non esse arctandum hic verbum, bara, id est, creare, vt solum significet ex nihilo facere, in quam significationem Theologi illud hic accepisse videntur. Erit ergo huius loci sensus. In principio creauit, id est, produxit Deus cœlum, & terram, complectendo sub verbo producere, ex nihilo facere, & similiter, ex aliquo præiacenti. In quem sensum interpretes verbi significatione vtuntur. Aduerte etiam hic verbum, bara, non solum producere, vt iam diximus, sed etiam separare, & diuidere significare: vt exemplis monstrabimus. Nam Iosue decimoseptimo habes, Vberetha, id est, succides eum, videlicet montem, & erunt tibi exitus. Item Ezechielis vigesimotertio, vbara, id est, & succident, seu diuident eas, scilicet, duas fœminas gladiis suis, seu scindent eas. Sic Nume. 16. Si separationem, Iibra, id est, separauerit Dominus. Vnde hic etiam verti posset. In principio separauit Deus cęlum, & terram. Neque tibi hic sensus absurdus videatur, cùm optimè conuenire loco appareat. Nam licit hic (vt diximus) multarum rerum productionem scriptura describat: nonnullarum tamen potius separationem, & diuisionem, quam productionem ostendit. Describit enim qualiter aquæ à terra sint separatæ: vt terra aquis exsiccata vocetur arida, seu terra, aquæ verò terram operientes, vocentur mária. Similiter qualiter cęlum ab aquis extractum sit. Quod verò loco optimè quadret hic sensus, conflat ex sequentibus. Pulchre enim textus procedere videtur, si dicas. In principio separauit Deus cęlum, & terram, scilicet, ab aquis. Terra verò, antequam esset ab aquis separata, erat vana, & vacua, & quæ sequuntur. Quod si obiectes, Deum in principio creasse, postea verò digessisse, aduerte: vt iam diximus, & infra probabimus, cęlum non ex nihilo hic factum describi, sed potius ex aquis. Non enim prius Deus cęlum cum terra informi seorsum fecit: sed, vt diximus, tunc primum factum est: cùm à Deo fuit ex aquis productum. Quod Petrus Apostolus apertè asserit capite tertio suæ. 2. canonicæ epistolæ. Latet enim eos (inquit) hoc volentes, quod cęli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistentes Dei verbo, de aquã quidem quantum ad cęlos: per aquã verò, id est, aquarum diuisionẽ, quod ad terram attinet Vnde sequenti capite habes. Istæ sunt generationes cęli, & terræ, quibus cęlum, & terra genita sunt: vbi cęlum genitum dicitur. Neque me propterea putes negare terræ, & cęli creationem: quod neque somniani, sed puto terram non sub nomine terræ, quæ potius mare, quàm terra vocatur: scriptura restante, quæ asserit Deum vocasse aridam terram, id est, exsiccatam, sed sub aquis prius ex nihilo productam. Similiter & aquam: postea verò ex aqua: quemadmodum Petrus dicit, cęlum seu firmamentum fuisse productum, separando partem aquarum, & firmando illas: vt cęlum, seu firmamentum esset. Vnde & cęli color: quia aqueus esse apparet: attestari videtur, quod ex aquis productum sit. Et sicut hic nõ describitur creatio aquarum: quid mi- rum, si neque describatur creatio terræ illius, quæ sub aquis erat? Et sicut tenemus aquam prius creatam: postea verò à terra in parte separatam: sic tenere possumus, terram illam informem, seu quæ erat sub aquis, prius creatam: hic verò describi digestã, seu separatam.

Hæc autem tibi ob oculos ponere voluimus: nõ quòd ita esse sentiamus: aut vt te ita fuisse credere cogamus sed vt vi verbi, bara, bene inspecta: expenderes, an sententia felicius curreret: si pro creare, separare, seu diuidere, verteres. Tuũ ergo erit, hoc examinare, & quod diximus, boni consulere. Verbum ergo, bara, meo iudicio, significat proprie producere (vt diximus) secundo verò eligere, quod electio ex aliquibus fiat. Isa. 54. Ecce ego, bara, id est, produxi fabrum. Vbi non videtur quadrare, si creare, seu ex nihilo facere vertas. Faber enim ex homine fit, non creatur. Et. 45. Ecce ego bore, id est, produco Ierusalem: vbi etiam non bene (creare) conuenit: cùm vrbes (vt diximus) non creentur, sed ex materia fiant. Et hic inferius: creauit Deus hominem. Quod si ad corpus referas, non est verum illud ex nihilo productum: cùm sit factum est puluere. Quod si ad animam: ceti magni hic creati dicuntur: in quibus anima rationalis non est, & ex aqua producti sunt. Sed iam ad sequentia pergamus.

Deus.

Ponitur hic in hebræo nomine, Elohim, de quo inter Hebræos duo in controuersiam veniunt. Alterum, an singulare habeat: alterum verò, à qua sit radice, quidque propriè significet. Dicit autem Rabbi Dauid eius singulare in scriptura contemptus gratia inueniri, scilicet, Habacuc primo. Ista potẽtia, Ieloho, id est, Deo eius: vbi contemnendo dicit huiusmodi verba. Et capite tertio eiusdem, Elóha, id est Deus ab austro veniet. Vbi, eloha, videtur singulare nominis Elohim. Iob etiam. 12. & 36. ponitur: vbi dicitur. Clamans, Ieloha, id est, ad Deum. Quibus locis non contemptus gratia ponitur, meo iudicio. Cuius sententiæ Sanctes in suo lexico pagina. 81. subscribere videtur. Sed quia communiter in plurali inuenitur numero, tribuitur illi verbum singulare, & plurale. De significatione verò dicunt Hebræi significare Deum, quatenus iudicem. Sed si radix nominis, scilicet, alah, rectè expendatur, constabit significare Deum, aut iudicem, quatenus ab eo mala alicui, aut nobis imprecamur. Nam, alah, propriè significat iurare execratoriè, maximè & maledicere: vt patet Iudicum. 16. Et tu, alith, id est, adiurasti, seu execratus es. Vnde etiam deriuatur, alah, id est, iuramentum execratorium, aut execratio, & maledictio: vt Psal. 59. vmealah, id est, de execratione. Inde etiam, aliah, id est, cauda, sic dicta ab execratione. Et, elah, id est, arbor execrabilis maledicta. Leuitici septimo. Et, haaliah, id est, & caudam. Et Ezechielis sexto, & sub omni, elah, id est, arbore execrata, maledicta, quales erant, quæ apud idolorum lucos plantari solebant. Sunt aliqui ex Hebræis: qui radicem nominis, elohim, arbitrantur esse, El, id est, fortis: sed propter, he, quod in fine ponitur, rectius sentire videntur: qui, alah, putant esse radicem. Ex quibus colliges, non rectè illos de nomine sentire: qui ex nomine, elohim, volunt rerum distributionem in mundi creatione deriuare, dicentes, ideò hic poni, elohim, vt explicetur Deum optimè res in creatione distribuisse. Non enim, vt probauimus, elohim, significat iudicem, quatenus distribuit, sed quatenus punit, aut ab eo punitionem fieri precamur. Voluerunt sancti patres nostri ex hac sententia mysterium trinitatis eruere, dicentes: hac de causa hic dictum, elohim, id est, dij: & verbum (creauit) in singulari: vt in plurali nomine designetur pluralitas personarum, in verbo verò singulari essentiæ vnitas. Quod vtinam ex hoc loco, & ex aliis multis, quæ ad hoc citant: euincerent. Hebræi autem dicunt, quod si Mosch hoc illis hic vellet dicere: eos potius in errorem, quàm in mysterium induxisset: cùm neque hic, neque alibi in Pentateucho hoc mysterium aperuerit. Vnde dicunt, quod quemadmodum Latini vtuntur nominibus carentibus singulari: & nominibus singularibus significantibus multitudinem: sic scriptura hoc nomine, elohim. Sicut enim dicimus populus clamat, & populus clamant: & Græci neutra nomina pluralia verbo singulari copulant, sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Hebræi vtuntur hoc nomine, elohim. Quod ex multis locis scripturæ constat: quæ breuitatis causa omittimus. Cùm tu facilè videre possis in Lexico Sancti Pagnini pagina. 81. Adiungitur etiam huic nomini aliquando adiectiuum pluralis numeri: nonnunquam vero singularis. Nam Iosuæ vltimo dcitur. Non poteritis seruire Deo, quia, elohim, id est, dij sancti ipse. Et secundo Regum. 7. propter quam, scilicet, gentem iuerum, elohim, id est, dij ad redimendum sibi populum. Vbi verbum plurale illi adiungitur. Idem Ierem. 23. Peruertistis verba, elohim, id est, deorum viuentium, Domini exercituum, Dei nostri. Apud Hoseam etiam cap. 11. habes, Iudah adhuc erit dominans cũ, elohim, id est, sanctis fideli. Vnde, meo iudicio, si Moseh hoc loco mysterium significare voluit trinitatis, hoc non nisi velate nimis fecisse videtur, fuit enim mysterium hoc velatissimum Iudæis seruatum, vt Messiæ tempore reuelaretur. Quare Christus apud Ioãnem dicebat. Pater manifestaui nomen tuum hominibus. Non, quo vocaris Deus (vt habet August.) quia notus in Iudæa Deus: sed quo vocaris pater meus. Vnde cum contendendum cum Iudæo fuerit: non est hoc telo, vt firmissimo, vtendum: ne putet nos non habere aduersus eos solidiora. Quare autè Moseh statim à principio Deum sub nomine vindicantis attulit, putarem, quod, vt Dei timorem, & prouidentiam, simul cum creatione inculcaret. Ac si diceret. Ille res has, quas videtis, in esse produxit, qui nò solum omniũ rerum autor est, sed etiam omnium punitionum, qui potest malè gesta punire.

Cœlum.

Duo hic admonebo, Alterum, dictionem, Samaim, id est, cælum: non inueniri in singulari in sacris literis, quare verti posset. In principio creauit Deus cœlos. Psal. enim. 113. habetur. Cœlum cœli, aut cœlum cœlum Domino, id est, duo cæli: quia tamen hoc capite, vnius cæli sub extensionis nomine, mentio fit, potius hic cælum, quàm cælos vertendum putarem. De significatione verò nominis, samaim, licet variè sentiant Hebræi: putant tamen qui rectius sentiunt, à, samam, deriuari potius, quàm à, sem, quod est nomen. Significat autem, samam, præter alia, admirari, obstupescere: vt patet Isaiæ. 52. Quemadmodum, samemu, id est, obstupuerunt super te multi, quod cælum sit corpus stupore & admiratione dignum. Et secundum hoc, sensus esset. Creauit Deus cælos, id est, corpora admiratione, & stupore digna. Si verò radix sit, sem, id est, nomen, tunc cæli dicentur, samaim, quod sint corpora nominatissima, & famosissima. Vocat enim hebraismus (vt cap. 6. inferius videbimus) viros celebres, viros nominis: seu nominatos. Hi sunt potẽtes à seculo viri nominis: quod noster vertit. Viri famosi. Alterum, quod te admonere vellem, est, quod nomini, samaim, in hebræo adiungitur, he, litera notificatiua, quæ cum nomini iungitur: significatum eius insigne reddit. Nam si dicas, Nabi, id est, Propheta, vulgatem significabis. Si verò præponas, he, dicendo, hanabi, iam insignem designabis. Nam sensus est, Propheta, ille, scilicet, insignis. Si ergo hic, hoc discrimen obserues: iam interpretaberis. In principio creauit Deus cælos, illos insignes, ac celebratos, quæ quidem litera, he, etiam additur sequenti dictioni, scilicet, éres, id est, terram: vt sit, haáres, vt vertere liceat. *Et terram illam,* scilicet, insignem magnitudine, & pulchritudine. Est etiam aduertendum, nomen, eres, id est, terra: quod hic ponitur, significare propriè apud Hebræos terram, tam habitabilem, quàm inhabitabilem, & in hoc differre à tebel, id est, orbis: nam hoc orbem habitabilem significat. Sunt tamen inter Hebræos, qui putant literam aleph, in nomine, eres, esse additiam, & non radicalem, & radicem nominis, eres, esse, rus, quod est currere, vt, eres, significet terram siccam, seu fluidam, qualis est arena, quorum sententiam textus ipse iuuare videtur, qui hoc eodem cap. dicit, appellasse Deum aridam, id est, exsiccatam partem terræ, terram: eam verò, quæ sub aquis erat, vocasse máris. Puto tamẽ, eres, esse per se radicem. Est ergo sensus integer huius sententiæ. In principio, scilicet, mundi, seu olim, dũ mundum fabricaret Deus, creauit, id est, produxit (vt includamus ea, quæ facta ex nihilo sunt, & quæ ex præiacenti materia) Deus cælos istos stupendos, & terram hanc admirabilem, & pulchram.

Et terra fuit vana, & vacua.

Describit hic Moseh, qualis fuerit terra: ante separationem: idem infra de cælo facturus. Vbi aduertetam Hebræos, quàm nostros variè de duobus nominibus, quæ hic ponuntur, thohu, scilicet, &, bohu, sentire. Omissis autem illorum opinionibus, nomen, thohu, alterum è duobus significare videtur, videlicet desolationem, aut vanitatem. Iudicio tamen meo, potius vanitátem significat, quàm desolationem. Dicitur autem hic vanum, vel vanitas, quod ad aliquem finem quem nò consequitur ordinatum est, sicut fundamentum sine parietibus, aut domo: labor sine præmio, & tale vanum videtur nomen, thohu, significare, quod exemplis monstrabimus. Isaiæ enim. 49. habes. Laboraui, lathohu, id est, in vanum. Posui ex mea parte laborem, sed nihil illi respondit, nihil ex labore consequutus sum. Et. 45. Non, thohu. i. in vanum creauit illam. s. terram, ad habitãdum formauit eam. Vnde terra habitabilis, & non habitata, dicitur vana: quia non consequitur finem suum. Idem apud Isa. cap. 34. vbi loquens de Bostah ciuitate Idumæorum, ait. Extendet super eam. s. ciuitatem Dominus lineam, thohu. i. vanam, quam. s. nulli sequentur lapides: loquitur enim de linea, seu lineis, quas extendunt cementarii, cũ volunt ædificare. Et lapides, bohu. i. vacuitatis, seu vacuos, aut nullos, Sic primo Samue. 12. Non declinabitis, lathohu. i. post vanitatẽ: (Sic enim idola appellat) quia qui spẽ in eis habent, nihil pro cultu suo ab eisdẽ recipiunt. Aut dicuntur vana, quia videntur esse dij, cùm re vera non sint. Et sequitur, quia, thohu. i. vana, aut vanitas ipsa. s. idola. i. quia non sunt, quod esse videntur, aut homines ex eis nõ consequuntur, quod ex eis sperant. Similiter Isa. 24. Contrita est ciuitas, thohu. i. vanitatis, seu vana, quæ nò est, quod esse videtur. Sunt tamen aliquot loca, in quibus hęc significatio nõ videtur congruere, sicut Iere. 4. vbi dicitur. Vidi terrã, & ecce, tholu, vebohu, vbi si vanitatem vertas, non videtur (vt isti dicunt) conuenire, sed si rite expendas, nullibi melius. Cùm enim terra tunc suis habitatoribus careret, qui erant in captiuitatem ituri, aut ierant, erat terra vana, quia cùm facta fuisset ad eorũ habitationem, hoc fine destituta, vana esse videbatur. Quare optimè vertas. Vidi terrã, & ecce erat vana, & vacua. Vana, quia facta ad hominum habitationem, qui tunc in ea non habitabant. Vacua, quia neq; homines, neq; animalia in ea erant. Vbi meo iudicio, nõ rectè vertas, solitudo, quia solitudo dicit solam absentiam, sed non connotat finẽ. Dicitur enim locus solitarius, non solũ cũ caret habitatoribus, sed etiã, si nunquã eos habuit. Sequens verò dictio. s. bohu, quasi idem significare videtur, sed ab ea, meo iudicio, differt, quia importat respectum ad locatũ: cùm vacuitatẽ significet, thohu, verò respectum ad finẽ: quicunq; ille sit: vt ex locis citatis constat. Sicut cum dicitur, in vanũ laboraui. i. finẽ, seu præmium laboris non sum consequutus. Rabbi verò Dauid de his dictionibus loquens, ait. Sapientes nostri dixerunt, quod, thohu, est res informis, apta ad recipiendã omnem formã, quam Græci, hylen, vocant. i. materiã, bohu, verò est forma, quæ dat esse materię, & eorũ coniunctione secundũ Dei voluntatẽ fuit mundi creatio. Sed licet in explicatione prioris nominis ad veritatem accedat, in. 2. tamen toto errat cælo, cũ, bohu, vt diximus, nõ formam; sed potius vacuum significet. Est ergo huius sententię sensus. Et terra fuit. s. ante separationem ab aquis, vana, & vacua. Vanã (inquam) quia nondum erat finẽ consequuta suum, habitatores scilicet, videbatur enim in vanum facta, quandiu non habebat suos habitatores, & cultores. Erat verò vacua, quia suis locatis, aut potius locandis animalibus, scilicet, erat destituta. Aliquãdo tamen, thohu, inuenitur desertum significare: vt Deut. 32. vbethohu. i. & in soli-

solicitudine, seu vanitate (ielel) id est, deserti. Potest autem dici solitudo vanitas: quia locus est habitabilis, & non habitatur. Omnis enim terra videtur facta ad hominum, aut animantiũ habitationem. De. 2. nominis significatione maius dubium est: quia videtur etiam nihil significare. Nam Hieron. loco Ieremiæ citato, pro, Erat vacua, vertit. Ecce vacui, & nihil; sed prior interpretatio germanior esse videtur, quia terra non erat nihil tunc, sed suis habitatoribus destituta: vt diximus. Paraphrastes Chaldæus secundo loco etiam vacuam vertit. Erat, inquit, desolata, & vacua Lxx. verterunt secundo loco incomposita. Quidam Rabbinus, qui dicitur Haggaon: putat nominis (Thohu) radicem esse (thehon) id est, abyssus, seu profunditas, & hunc subesse sensum. Et terra fuit abyssus, seu profunditas aquarum, scilicet. Quæ quidem interpretatio optima esset: si probaret radicem nominis esse (thethón). Quod cùm probare nequeat: prior interpretatio amplectenda est.

Et obscuritas erat super superficies voraginis.

Non puto esse necessarium nomen singulare, chosech, id est, obscuritas, vertere in plurale, scilicet tenebræ. Cùm enim sermo latinus habeat singulare respondens hebraico, non arbitror esse necessarium plurale vsurpare. Ponitur etiã hic dictio, pené, id est, superficies in plurali, quia ex quacunq; parte erat superficies aquarum, in ea erat obscuritas. Dicitur autem aqua habere multas superficies, quia si aqua operiens terram erat rotunda, alia videbatur infernus esse, & alia superius. Nomẽ verò, thethom, id est, vorago significat propriè locum infimum profundarum, & nonnunquam profunditatem ipsam aquarum. Isaiæ enim, 51. habes. Nónne tu siccare fecisti mare: aquas, thethom, id est, abyssi, seu profunditatis magnæ, seu multæ? Capite etiam. 63. Ambulare faciens, bathehomoth, id est, in profunditatibus aquarum, sicut in deserto. Idem Psal. 106. Erat ergo obscuritas super facies aquarum profundarum, ex omni parte. Nondum enim creata fuerat lux, ideo omnia erant in obscuritate.

Et spiritus Dei sufflabat super superficies aquarum.

Licet multi ex Sanctis, & nonnulli ex Hebræis hic per dictionem, Ruach, id est, Spiritum sanctum numen, seu Spiritum sanctum intellexerint, dictio tamen hebraica in sacris literis etiam cum illo additamẽto, elohim, id est, dij, elementarem ventum significare inuenitur, & loco huic magis conuenire videtur. Psalm. enim. 147. dicitur. Flabit spiritus eius proculdubio Dei, & fluent aquæ. Præcesserat enim. Qui dat niuem, sicut lanam, nebulam, aut (vt hebraice habetur) pruinam, vt cinerem, spargit. Proficit glaciem suam, sicut buccellas, coram frigore eius quis stabit? Mittet verbum suum, & liquefaciet eas, id est, præcipiet, vt liquescant, flabit spiritus eius, scilicet, Dei. Vbi ex contextu apparet spiritum sumi pro vento, quem pluuia sequitur. Sic Isaiæ. 30. In pyra eius ignis, & ligna multa erunt, flatus Domini sicut torrens sulphuris ardentis in ea. Vbi flatus Domini non videtur Spiritum sanctum significare. Et cap. quadragesimo eiusdem. Exsiccatum (inquit) est fœnum, quia spiritus Dei, id est, ventus vrens à Deo immissus sufflauit in eo. Et. 59. Cùm venerit quasi violentus fluuius, quem spiritus Dei, id est, ventus à Deo missus cogit. Quod verò sine additamento illo (Dei) etiam pro vento accipiatur, constat. Psalm. 1. Sicut gluma, quam propellit, Ruach, id est, ventus. Nec tamen inficias imus, Ruach, inueniri pro Spiritu sancto, cùm legamus Isaiæ. 11. Requiescet super eum, scilicet, Messiam Spiritus Domini. Et capite sexagesimoprimo. Spiritus Domini super me. Et. 48. Dominus misit me, & Spiritus eius. In quibus locis constat non posse pro alio, quàm pro Spiritu sancto accipi. Vnde sancti patres putarunt Spiritum sanctum in mundi initio, tanquàm productarum ex eis, quæ producenda erant, super aquas volitasse, aut ad modum gallinæ oua sua fouentis, ex quibus pullos est productura, super aquas incubuisse. Quia tamen aquæ erant statim exsiccandæ à terra, & in locum vnum cogendæ, videtur potius ventum ad hoc fuisse à Deo immissum, vt coactis ad suum locum aquis, terra à vento exsiccaretur, vt siccum hominibus & animantibus præberet habitaculum. Cuius simile habes. Exodi. 14. vbi cum Dominus esset rubrum mare ad Iudæorum transitum exsiccaturus, ventum tota præcedenti nocte immisit, quo terram, quæ mare antea fuerat, exsiccauit. Sic enim textus habet. Fecit Dominus abire mare per ventum orientalem fortissimum, tota illa nocte, & posuit mare in siccitatem, & diuiserunt se aquæ. Vbi audis Dominum vento vsum ad aquas exsiccandas, quod & hic fecisse credo. Præterea, cùm Deus esset terram ab aquis diluuij exsiccaturus, hoc venti ministerio fecisse scriptura capite. 8. sequenti commemorat, dicens. Et transire fecit Deus ventum super terram, & quieuerunt aquæ. Itidem Exod. 10. Cùm locustas adduxit, & repulit. Aduertendum etiam verbum, rachaph, à quo, merachepheth, significare propriè mouere, aut mouere se, vt patet Ieremiæ. 23. Quia, Rachaphu, id est, mota sunt, seu mouerunt se omnia ossa mea. Idem Deuteronom. 32. Sicut aquila suscitabit nidum suum, id est, pullos, super pullos suos, ierocheph, id est, mouebit se. Solent enim aues: cùm pullos suos volare docent, prouocare eos, vt nidum exeant volantes, & mouentes se super illos, vt iuuent eos, si opus fuerit. Sunt qui propter hæc verba Deutero. putarunt verbum, merachepheth, significare, incubare, quemadmodum cubat auis super pullos, aut ouа, sed autoritas ad hoc non ducit, sed ostendit morum illum, quo auis nidum suum suscitat, super pullos volitando. Isti sanè videntur paraphrasten Chaldæum sequi, qui hic vertit, super filios suos regmen facit, hoc est, pullos suos tegit. Est ergo locus iste sic ad literam reddendus. Et ventus, seu flatus Domini, id est, à Domino immissus, mouebat se super aquas, aut super superficies aquarum, vt scilicet eas coget ad locum vnum; & terram exsiccaret ad hominum, & animalium habitationem, & vt herbas, & plãtas ex se emitteret, quas aqua impediente, non producebat. Rabbi Salomon. sic locum reddit. Solium (inquit) gloriæ manebat in aëre, & incubabat super faciem aquarum spiritu oris Domini, & eius sermone, id est, iussu, sicut columba incubat super nidum, incubabat, sed in hoc sequitur Thargum, id est, Chaldæum Aliqui etiam hic per ventum Dei, seu spiritum Dei, intelligunt ventum vehemẽtem, quod scriptura soleat vocare quę vehementia, magna, & eximia sunt, Dei, vt montes Dei. i. alti, cedri Dei, id est, magni, Niniuech, ciuitas Dei, id est, magna, & placet interpretatio.

Dixit Deus, Erit lux.

Putarem Dominum Deum in orbis initio assumpsisse humanam effigiem, & ore suo sanctissimo hæc verba protulisse. Nam infra capite tertio habes, Deum venisse ad auram post meridiem, & vocasse Adam ad iudicium, quæ omnia humanam effigiem eum tunc assumpsisse ostẽdunt. Dicere enim, spiritualiter eum hominem primos conuenisse, ac allocutum fuisse, videtur mihi nimium literam torquere. Quod si tunc fatendum est, eum humano ore locutum, cur non modo? *Erit*, licet in hebræo indicatiu sit futurum, iehí, scilicet, erit, optimè tamẽ à nostris per imperatiuum redditur. *Sit lux*, peculiare enim est Hebræis huiusmodi, & modi, & temporis commutatio. Si tamen futurum tenere vis, sensus est. Erit lux, scilicet statim post verbi Dei prolationem. *Et fiat lux.* Incepit autem à luce, quia illa in tenebris, in quibus tunc mundus erat, magis opportuna, & necessaria esse videbatur. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit eam ab obscuritate.*

Complacuit artifici opus suum, postquam examinauit illud. *Et diuidere fecit (seu distinxit) eam à tenebris.* Non quidem loco, sed successione, id est, fecit, quod lux & obscuritas noctis sibi inuicem succederent ita, vt nulla esset commixtio inter obscuritatem & lucem, sed altera, alteram pelleret. Posset tamen dici, eum lucem à tenebris loco diuisisse, vt scilicet, lux esset in vno, tenebræ verò in altero hemisphero.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fuit vespera, & mane dies vnus, aut primus.
Dictio hebraica, Hereb, quæ hic ponitur, & vesperam significat, ab, Harab, quod est ligare, obligare, ortum habet. Inferius cap. 44. dicit Iudas Ioseph. Seruus tuus Harab, id est, obligauit se, seu ligauit se pro puero.
Sic Prouerbiorum vndecimo. Quia harab, id est, obligauit se pro extranea, vel extraneo. Inde, Hereb, proprie significat colligationem, commixtionem: vt patet Exodi duodecimo. Et etiam, Hereb, id est mixtio multa accendit cum eis. Et Nechemiæ decimotertio, Diuiserunt omnem, Hereb, id est, mixtionem ab Israel Inde etiam significat subtegmen, quod sit ligatum, & commistum stamini. Leuitici decimotertio. Inde, herabon, id est pignus, quod liget, seu obliget datorem ad soluendum, quod promisit. Hac etiam ratione significat vesperam, quod, scilicet, liget diem cum nocte, & videtur propriè significare illud tempus, quod Latini crepusculum vocant. Hic tamen quidam significare dicunt descensum solis, quia ex descensu solis, & mane, quod ascensum significare videtur, integratur dies artificialis. Vnde secùdum hos, ex vespera & mane, factus est dies vnus artificialis. Tu autem aduerte vt duodecimo capite Exodi habetur, & capite decimo sexto, duas esse vesperas in sacris literis, quarum altera est occasus solis, aut ab occasu solis, vsque ad noctem, altera verò nox ipsa. Iubetur enim Iudæi Exodi duodecimo, immolare agnum Paschalem inter vesperas, id est, tempore illo, quod est inter solis occasum, & noctem. Vnde constat (vt iam diximus) duplicem esse vesperam, occubitum, scilicet, solis, & noctem. Sic capite decimosexto, inter vesperas (inquit) comedetis carnem, & mane saturabimini pane. Et licet vespera (vt diximus) sit occasus solis, aut nox, sumitur tamen nonnunquam in sacris literis pro toto tempore illo, quod est à solis occasu, vsque ad mane: vt videlicet includit crepusculum, & noctem ipsum, quemadmodum mane nõnunquam accipitur pro tempore, quod est ante ortum solis, aliquando verò pro luce diei, seu pro toto die sequenti, quomodo nos Lusitani vsque hodie vocamus crastinam lucem, mane, quo quidem modo hic accipi puto, cùm dicitur. Fuit vespera, & mane, dies vnus, id est, fuit nox ab occasu solis, & mane, id est lux diei à mane incipiens, dies vnus, scilicet naturalis. Voluit enim Dominus diem naturalem includere noctem ipsam, & diem artificialem. Denominat autem noctem ab initio sui, quod est vespera, diem etiam à mane, à quo ortum seu initium habet. Et hinc arbitror Hebræos, dies festos celebrare à vespera in vesperam, id est, à crepusculo noctis præcedentis, vsque ad crepusculum sequentis. Propriè tamẽ appellari vesperam puto crepusculum: quod est inter solis occasum, & noctem, quod tempus in sacris literis dicitur inter vesperas, quo immolare iubentur agnum Paschalem. Hinc etiam ortum arbitror vsque hodie, noctem præcedentem cum die suo artificiali, vocari vnum diẽ. Est etiam aduertendum, verbũ, bacar, à quo, boquer. i. mane, significare propriè, discernere: vt patet Ezech. 34. vbi dicitur, vbicatim, id est, & discernam eas, scilicet, oues meas. Et Leuit. 27. Non, iebaquer, id est, non discernet. Sic infra cap. 29. Et fuit, boquer, id est, mane & ecce Leah, id est, discreuit esse Leah. Vnde, boquer, id est, mane dicitur, quod tunc res ab inuicem discernantur, licet Hebræi dicant, quod, bacar, significat quærere, &, boquer, mane, quod tunc res quærantur. Disputant etiam hic aliqui, an in mundi opificio fuerit dierum successio, an potius in momento cuncta creata sint. Et multi cum Augustino arbitrantur cuncta momento vno creata: cùm ob id, quod dicitur Eccle. 18. Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, tum quia cap. 2. sequenti habetur. Istæ sunt generationes cœlorum, & terræ in die, qua fecit Deus cœlum & terram. Quorum sententiæ non subscribo: quia Dominus Exod. 20. Præcipit sex diebus operari, die verò septimo quiescere: reddens pro causa, quod ipse sex diebus fecerit cœlum, & terram, die verò septimo quieuerit, ideoq; voluisse eos sex diebus operari, septimo verò die cessare ab operibus. Describuntur etiam hic tam distincte opera vniuscuiusque diei, vt non patiatur ordo, ac distinctio dierum confusionem: cùm etiã inter hęc creati sint dies: quox impossibile est esse simũl. Potius itaq; Chrysostomi, & aliorum, qui eius sequuntur sententiam, mentem sequendam puto, quàm Augustini. Ad illud autem, quod ex Ecclesiastico Augusti. citat: facilè est respondere, quod, scilicet, ea fieri simul dicuntur cum inter vnum & aliud non est operis interruptio: vt si quis inquirat ab eo, qui domum construit, multis cubiculis, & aliis partibus necessariis ornatam: an simul fecerit omnia illa? Respondet, simul se omnia fecisse. Quæ enim sibi inuicem succedentia, sine interruptione fiunt: simul fieri dicuntur. Et hoc modo omnia simul à Deo facta esse dicit Ecclesiasticus, quod videlicet opus sinum non interposuit, sed continuauit, donec absoluit. Infra verò. 2. cap. dies pro tempore sumitur: quemadmodum Deut. 32. dicitur. Iuxta est dies perditionis, id est, tempus. Idem Iob. 21. In diem perditionis seruabitur, id est, in tempus, & ca. 38. In diem pugnæ & belli, id est, in tempus. *Erit firmamentum, aut extensio in medio aquarum, & erit diuisio inter aquas, & aquas.* Ordine suo aufert Dominus informitatem, confusionis illius, quæ erat in mundo, aut rerum diuisionem. Prius abstulit obscuritatem, quę totũ replebat orbem: nunc ergo ad aquarũ diuisionem procedit, & prius diuidit eas ab inuicẽ, postea inferiores, à terra separaturus. Et videtur litera sentire, quod aquæ, antequam cœlũ fieret, ascederent supra locum, in quo nũc cœlum situm est, quamobrẽ voluit Dominus, vt pars media aquarũ, seu medium inter superficiẽ suprẽmam aquarum, & profundum: quod terrã tangebat, pro sui parte fortificaretur, & firmaretur: vt posset tenere superiores, ne descenderẽt, & inferiores: ne possent sursum ascendere. Dictio autẽ, raquiah, quę hic ponitur pro firmamento: extensionẽ propriè significat, ad modũ metalli extensi. Nã verbum, racah, significat extendere, à quo, raquiah, vt ex multis locis scripturę constat. Nam Isa. 42. habes, Rocah. i. extendens terram. Et Psal. 136. Ierocah. i. extendenti cœlos super aquas, & expressius Ezechiel. 6. Percute manu tua, vrecah. i. tere pede tuo. Vbi vides verbũ significare, pede terere, aut pede extendere: quemadmodũ malleo extenditur res. Et Iere. 10. Argentum, merucah. i. extensum malleis de Tharsis adducetur. Significat ergo hic, raquiah, extensionẽ ad modum laminę malleis deductæ. Et quod sequitur (In medio aquarum) non intelligas omnino mediũ: vt. s. tanta aqua sit super firmamentũ, seu extensionẽ, quanta sub ea, sed idem est (In medio aquarũ) quod inter aquas. Nam, thoch, id est, medium aliquãdo pro vere medio: nonnunquã pro (inter) in sacris literis accipitur. Et ex hoc loco colliges, quod superius diximus & ex beato Petro probauimus. s. cœlum fuisse ex aquis productum. Nã hic habes, Deũ dixisse. Erit extensio in medio aquarũ. Cùm enim aquæ essent fluidæ, & molles, non poterat ex eis fieri cęlũ: nisi firmarentur, & extenderẽtur ad modũ laminæ. Indicat hoc, vt diximus, cęli color: quod videtur aqueus, & colorẽ seruasse, & diaphaneitatem: vt vocant. Aduerte etiã nomẽ hebraicum, maiim. i. aquæ nõ inueniri in sacris literis numero singulari: sed plurali, more nominũ dualium, quod vt Hebræi dicunt: ideò fit, vt ostendatur duplicem esse aquam. s. supẽr firmamentum, & infra firmamentum. Controuertunt hic aliqui, an verè sint aquæ super firmamentum, seu extensionem, & cũ scriptura vbiq; clamet, eas ibidem esse: malũt multi Theologi cæcos philosophos sequi, quàm scripturæ autoritatem. In Psal. enim legimus. Aquæ, quæ super cęlos sunt: laudẽt nomen Domini. Infra etiã ca. 7. habetur, cum de diluuio est sermo: quod die illa rupti sunt fontes voraginis magnæ, & fenestræ cęli apertæ sunt. Et Dan. 3. Benedicite aquæ, quæ super cęlos sunt, Domino. Malim ergo cum scriptura errare (si illa errare posset) q̃ cum philosophis vera dicere. Quæ autem sint aquæ, quæ ibi super extensione sunt: nolo definire. Puto tamen eas esse elementares, & eiusdem naturæ cum inferioribus.

Nam

Nam antea, vt ex textu constat: continuè cum inferiotibus erant: facto verò firmamento, seu diuisione, non videntur mutasse naturam. Præterea tempore diluuij descenderunt: vt citatum est, sicut aliæ aquæ.
Vocauit Deus extensionem. Nam antea cœlum erat aqua, sed firmata, & extensa aqua vocatur cœlum: sicut antea erat obscuritas: sed quia illi non succedebat dies, non vocabatur nox, postea vocata est nox.
Sic terra antea mare vocabatur, sed exsiccata, terra nuncupata est.
Congregentur aquæ, quæ sub cœlis sunt.
Putant Hebræi verbum (cauáh) significare, expectare, & congregare: ideoque vertunt hic nostri (congregentur.) Sed cùm: vt in Canonibus admonuimus. ipsi ex coniecturis vocabulorum significata venentur: videndum est, an in coniecturis fallantur: & sint aliæ meliores: quæ verius significationem vocabuli ostendant. Quod autem verbum (cauáh) congregare significet, ex hoc loco coniectantur: quia non videtur eis alia significatio huic loco conuenire. Si quis autem recte expendat locos: videbit vnicam esse verbi significationem, scilicet, extendere: quod ex duobus coniicio. Alterum est quod sperare, nihil aliud esse videtur, quàm extendere animum: & expectatio, dilatio, & extensio. Alterum, quod (cáu) id est, linea: quod ab hac radice deriuatur: lineam significat: eo quod extensa sit. Isaiæ. enim. 44. habes. Faber lignarius extendit (cáu) id est, lineam. Et. 2. Regum. 21. Extendam super Ierusalem (cau) id est, lineam: vnde, meo iudicio, locus iste sic reddendus est.
Extendantur aquæ sub cœlo, id est, quæ sunt sub cœlo: ad locum vnum: & apparebit arida. Et fuit sic, id est, aquæ, quæ antea super totam terram extendebantur: nunc super locum vnum expandant se: seu ad locum vnum cogantur. Sunt qui putant verbum (cauáh) significare colligare, ligare: & inde (cau) id est, linea, sic à ligatione dicta, quod videlicet liget: & quia expectantes videntur pendere, & suspensi esse à re: quam sperant: videtur significare sperare: & sic vertunt hic. Colligentur aquæ: quæ sub cęlo sunt: in locum vnum Neque mihi expositio displicet. Et quod dicitur (Appareat) passiuè in hebræo ponitur. & verti potest.
Et videbitur arida. Vocatur autem terra sicca, seu arida à (iabás) quod est exsiccare. Dicitur autem terra arida, seu sicca, non quod sit arena: quæ infructifera, & sterilis est: sed quia ab aquis exsiccata fuit à Deo.
Congregationes vertendum est potius *extensiones, aut colligationes aquarum.* Quia (Micuéh) à (cauáh) ortum habet: quod, vt diximus: aut extendere: aut colligare significat. Ex hoc loco Hebræi omnem aquarum collectionem: maria vocant, seu mare.
Germinare faciet terram. Hebraicè est ad literam, herbificet, (si sic loqui Latinis liceret) herbam. Ponunt autem Hebræi discrimen inter (dése) & (heseb) quod (dése) significet herbam teneram, cum videlicet egreditur è terra (héseb) verò grandiusculam herbam seminificantem. Volens enim Dominus cessare à nouis creaturis condendis, voluit terram herbam cum suo semine producere: vt postea ex semine oriretur.
Sic etiam lignum fructiferum terra cum suo semine produxit: vt ex se deinceps posset fructificare. Et hoc est, quod dicit.
Et lignum fructus. id est, fructiferum faciens fructum secundum speciem suam. Colligunt ex hoc loco Hebræi mundum in Septembri: quando arbores fructu sunt plenæ: esse productum: litera tamen non cogit ad hoc: quia tamen dicit. Cuius semen in eo sit: videtur quod semen tũc fuerit in herba, & arbore: quod non est: nisi post fructus maturitatem: quod clarius inferius ex litera deducemus. Inferius enim herbas, & semina traduntur homini, & animantibus in cibum: ergo tunc tam arbores, quàm herbæ habebant fructum: siquidem fructus in cibum traditur.
Porrò (min) quod nostri hic speciem vertunt: (meo iudicio) ortum habet à (min) quod est similitudo, vnde verti potest. Secundum similitudinem suam: ac si dicat: faciens fructum sibi similem, id est, generans arborem similem seminificanti. Habes etiam exemplum illius regulæ: quod scriptura vt plurimum explicat quicquid obscure dixit. Dixerat enim lignum fructus: & statim explicat, faciens fructum.
Erit luminaria: (pro luminaria erunt) in extensione cœlorum: vt diuidant, (id est, distinguant) inter diem, & noctem. Hoc enim videtur esse luminarium munus, scilicet, distinguere diem à nocte: quia sol die illuminat: luna verò, & stellæ nocta.

Erunt in signa, & in tempora, & in dies, & annos.
Variè locus iste tam à nostris, quàm ab Hebræis intelligitur. Mihi verò hic videtur esse sensus. Erunt signa, scilicet, hyemis, & æstatis, autumni, & veris, & in tempora, scilicet, sementis, & messis, & in dies, id est, constituent dies ipsa luminaria, & constituẽt menses: similiter constituent annos. Sol enim ingressus certum signum, est signum æstatis: aliud verò ingressus, hyemis. Sic de mense, & semente. Sol etiam constituit sua luce diem: luna, & stellæ noctem. Similiter luna suo circulo constituit mensem, sol verò sua reuolutione annum, & hoc est quod (meo iudicio) dicit Dominus ad Noë capite. 8. huius libri. Adhuc (inquit) omnes dies terræ, id est, tempora erunt distincta, sementis, & messis, & frigus, & æstas, & æstas, & hyems, & dies, & nox non cessabunt. Significat autem: vt dicunt Hebræi, (oth) id est, signum qualecunque: mophéch, verò portentum: quod discrimen serua, quia amplius non reperiemus illud. Similiter aduerte, quod, mohéd, aut, mohadim, ortum habet à, iahád, quod significat congregare: maximè ad certum tempus: vnde, mohéd, videtur significare collectionem, siue hominum ad certum locum: siue dierum. Quare posset hic verti. Et erunt in signa, & collectiones, scilicet, certorum dierum, aut temporum, festorum, scilicet, & aliorum multorum. Exodi nono. Et posuit Dominus, mohéd, id est, tempus statutum, & certum, aut certam collectionem dierum. Et Deuterono. decimosexto, mohéd, id est, tempore, scilicet, statuto: quo egressus es ex Ægypto. Sic. 2. Samuel. 24. Et dedit Dominus pestem in Israel à mane vsque ethmohéd, id est, tempus statutum, seu limitatum, aut collectum, & sic in aliis multis locis. Et sint in luminaria, scilicet, ad illuminandam terram: vt starim explicat: *vt præesset seu dominaretur diei.* Non est certum quid propriè significet Hebræis verbum, masal, quod hic nostri vertunt dominari: tribuunt autem verbo duas significationes: quæ nullam videntur habere ad inuicem conuenientiam, quod raro contingit verbis hebraicis, scilicet, dominari, & parabolice loqui. Putarem tamen verbum, masal, significare adumbrare, & ex consequenti dominari: quod Dominus videatur adumbrare subditos suos: nondum tamen significatio propria mihi omnino comperta est: ideò nondum rem definio. Interim igitur vtar significatione tradita ab Hebræis: vnde, verti posset hic. Vt superemineat diei, veluti adumbrans: quod superemineat ei: quod adumbrat.
Et stellas, scilicet, fecit, aut fecit stellas etiam dominium noctis.
Et posuit eas in extensione cœli: vt illuminarent terram, scilicet, nocte & die, licet earum lux non videatur propter solem.
Et vt præessent, (aut superemineret) diei & nocti.
Quia stellæ semper sunt in extensione cœli fixæ die ac nocte. Similiter diuidunt lucem à tenebris: quoniam cùm videntur, nox est: cùm non videntur: dies. Melius tamen putarem, si legeremus. Dedit illa, scilicet stellas, & alia luminaria in extensione cœli, &c.
Fuit vespera, & mane, id est, fuit continuatio vesperæ, & mane, dies quartus.

Repere faciant aquæ reptile animæ viuentis.
Decorauerat summus Artifex cœlum suis luminaribus. Nunc antem terram herbis, & plantis decorat,

aquas piscibus, & auibus aërem. **Vbi aduerte, quòd** verbum, Saras, quod hic ponitur, Hebræis est gignere in multitudine, quemadmodum gignuntur pisces, ranæ, & id genus alia. Exodi primo. Filij Israel creuerunt, Vaiisresu, id est, & multiplicati, seu in multitudine geniti sunt. Sic Psalm. 105. saras, id est, genuit in multitudine terra eorum ranas, aut multiplicauit terra eorum ranas. Vnde, seres, aut multitudinem, aut animalia, seu reptilia, quæ in multitudine gignuntur, significat. Vnde verti posset: gignere faciant aquæ in multitudine, vel multitudinem, aut aquatica animalia in multitudine. Benè tamen redditus est textus per, repere faciant reptile. Significatio tamen non plenè nota est, quia neque propriè multiplicare significat, vt patet Exodi primo, vbi postquam dixerat. Et filij Israel fructificauerunt, & multiplicauerunt se, seu creuerunt, additur verbum, Rabab, quod multiplicare significat. Et coniectura non parua est ex hoc Exodi loco, quod significet crescere in multitudine, sed in idem redit cum multiplicati. Et quod sequitur.

Animæ viuentis.

Aduerte quòd, nephes, quod nostri animam vertunt, significat propriè halitum, seu rem, quæ halitum habet, quod anima sit flatus Dei, vt patet Exodi vigesimotertio, vatinaphes, id est, respirabit filius ancillæ tuæ. Nos dicimus Lusitanicè, Tomar folego, Iob quadragesimoprimo, naphso, id est, halitus, aut flatus eius carbones inflammabit. Et Psalmo centesimoquinto. Ferrum ingressum est animam eius, id est, vincula affixerunt spiritum eius. Et exinde significat vitam, quod in halitu consistat. Psalm. 24. Qui non accepit in vanum, nephsi, id est, animam meam, seu vitam, ac si dicat. Qui non iurauit mendacium per vitam meam, & Ieremiæ quinquagesimoprimo. Iurauit Dominus exercituum, benaphso, id est, per animam suam, seu vitam suam. Inde etiam significat omne quod est, aut fuit viuum, vt Numeri decimonono. Cùm fuerit immundus, lanephes, id est, super animam, aut super cadauer, in quo fuit anima. Tenendum est ergo verbum, naphas, significare, flatum emittere ad quiescendum, aut animo quiescere. Quod nos dicimus Lusitanè (tresfolegar) nephes, verò halitum, seu flatum, in quo vita consistit, & exinde omne quod est, aut fuit viuum. *Super faciem extensionis cœli.* id est, iuxta faciem cœli. Volant enim aues super faciem cœli, id est, ante faciem cœli, in aëre scilicet.

Creauit Deus cetos magnos.

Ex hoc loco constat, Bara, verbum, quod hic ponitur, non semper significare, ex nihilo facere, cùm huiusmodi ceti ab aquis producti sint, & non ex nihilo facti. Est etiam aduertendum, quod dictio hebraica tanninim, significat propriè dracones, aut serpentes magnos, vt patet Deuteronom. trigesimosecundo. Venenum, tanninim, id est, serpentum, vinùm eorum. Neque solum marinos dracones, sed etiam terrestres significat, vt patet Malachiæ primo. Et hæreditatem eius, letanoth, id est, serpentibus deserti. Sic Exodi septimo. Et fuit, scilicet, virga Moseh, letanim, id est, in serpentem. Quod verò marinos etiam significet habes Ezechielis vigesimosexto. Ecce ego ad te Paraoh Rex Ægypti, hatanim hagadol, id est, draco magne, qui cubas in medio fluminum eius. Quidam volunt Balenam significari. Est tamen coniectura vna, quæ hoc prohibere videtur, quòd Balena habet guttur strictum valdè, Tanin, verò significat animal, quod hominem viuum deglutire potest, vt patet Ieremię quinquagesimoptimo. Absorbuit me, chatanin, id est, sicut draco. Quare potius magnos dracones, quàm Balenam significare puto. *Animam viuentem, & repentem,* aut melius, calcantem, scilicet, aquas. Nam verbum, ramas, videtur significare, calcare, conculcare, vt patet Isaiæ decimosexto. Consumpta sunt, remes, id est, calcantia de terra, seu ij tyranni, qui calcare homines solent. Vbi alij reptilia vertunt. Et clarius Isaiæ. 63. Ermessem, id est, calcabo eos in furore meo. Ezech. 26 vnguis equorum suorum, lirmos, id est, conculcabit omnes plateas meas, *quam crescere seu multiplicare fecerant aquæ.* Alij repere fecerunt. Nam, vt diximus, significatio propria verbi, Saras, ignota est.

Et benedixit illis Deus dicendo, fructificate: & multiplicate vos.

Significat, Barach, id est, benedicere, varia apud Hebræos. Nam cùm de Deo dicitur, significat benefacere, bona desiderare. Cùm verò est verbum hominis ad hominem, est bona illi precari, aut desiderare. Et hominis ad Deum, nonnunquam est laudare. Cùm enim dicitur, Deus benedixit huic, sensus est, benefecit, auxit substantiam eius, vt Gene. 24. vbi seruus Abrahæ dicit Deum domino suo benedixisse, id est, substantiam augmentasse. Cùm autem de homine ad alium hominem dicitur, benedixit illi, id est, bona illi imprecatus est à Domino: vt Lucæ secundo, benedixit illis Simeon, id est, bona illis imprecatus est. Cùm verò dicitur benedixit homo Deũ: sensus est, laudauit, quod in Psal. frequentissimè occurrit. Significatio tamen propria verbi, Barach, est bona precari, aut incurari, hic autem significat benefacere. Vim multiplicandi se tribuit. Aduerte secundo, quod omnes interpretes hic verterunt crescite, & multiplicatæ vos, & (meo iudicio) non bene. Nam etis etiam autoribus verbum, parah, quod hic ponitur, & ipsi multiplicare, vertunt: significat propriè fructificare, & non multiplicare. Verbum autem sequens, scilicet, rabab, multiplicare. Et cùm aliud sit fructificare, aliud multiplicare fructum, reddendus sic erat textus. Fructificate: neque solùm hoc, sed etiam multiplicate prolem, id est, in magna copia fructum producite. Et præterea fecerunt inutilem repetitionem eiusdem significationis dicentes, crescite, & multiplicate vos. Nam crescere non potes hic accipi pro crescere in magnitudinem, sed in multitudinem, & cùm crescere in multitudinem sit idem, quod multiplicari: sequitur, eos fecisse repetitionem eiusdem significationis. Et hac de causa, diximus maximè expendendas verborum, & nominum significationes *producat terra animam viuentem*, id est, animalia, & reptilia, & alia, quæ super, aut subtus terram viuere solent. *Secundum similitudinem suam.* Spicificat modo quæ sint illa, quæ terra producere debet. Ponuntur hic duo nomina bestiam significantia, scilicet, behemah, &, chaiah, inter quæ Hebræi sic discriminant: vt, behemah, sit iumentum, seu domesticum animal, chaiah, verò sit bestia syluestris. Sed, quod hoc discrimen non semper obseruetur in sacris literis, constat. Miche. quinto habes, bebahamoth, id est, in animalibus syluæ. Et Deuterono. 32. Dentem behemoth, id est, bestiarum mittam in eos. Vbi pro syluestri accipitur. Idem Isaiæ decimooctauo, Nechemiæ verò secundo, & aliis multis in locis ponitur pro domestico, behemah, id est, animal, in quo sedeo. Vnde melius dicitur esse generale nomen. Sequens verò nomen, scilicet, chaiah, à, chaiah, verbo: quod est, viuere, ortum habet, & significat omne viuens. Aliqui tamen dicunt, behemah, esse bestiam, quæ cruribus multum eleuatis incidit: vt bos, asinus, camelus, equus, & similia, Remes, verò quæ paruos pedes habet, & reptare videtur, Chaiah, verò esse generale nomen. Sed neque hoc discrimen mihi multum probatur, discrimen tamen esse puto inter hæc tria vocabula, scilicet, behemah, chaiah, & remes, sed quod illud sit, non facile est cognoscere. Nam infra dicitur. Fecit Deus, chaiah, id est, bestiam terræ secundum speciem, seu similitudinem suam. Et, habehemah, id est, iumentum secundum speciem suam, & omne, remes, id est, reptile secundum speciem suam: vbi videtur ea, quasi distincta, numerare, & iam dixi, chaiah, à vita ortum habere, remes, verò à conculcatione,

Et vidit Deus quod bonum, id est, approbauit.

Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram.

Aduerte hic, quod dictio, Adám, id est, homo, aliquando est proprium nomen primi hominis. s. illius, quem

quem Deus formauit: vt plurimum tamen est commune nomen hominem significãs. & à terra: ex qua corpus eius fictum est: nomen accepit: quam rubram fuisse constat ex radice. (Adam) enim propriè rubescere significat. Prouerb. 23. Ne intuearis vinum: quando (titadam) ideſt, rubescit. Sic Canti. 5. dilectus meus candidus (veadom) id est, & rubicundus. Assumpsit autem Deus terram hanc rubram ad corpus hominis fingendum: quod aqua mixta melius conglutinetur, & coniungatur. Vnde figuli ex ea vasa sua communiter fingunt. Aduerte secundo, quod nomen (celem) quod nostri imaginem vertunt: significat proprie similitudinem vmbraticã, seu qualis est vmbra, quod ex duobus coniicio. Primum ex psal. 38. vbi dicitur. Quia (beselem) id est, in vmbram transibit vir, id est, tam cito finietur, quàm cito pertransibit vmbra. Quod enim ibi de velocitate, seu transitu breui dierum sit sermo, ex versu præcedenti constat, præcedit enim. Ecce vt mẽsura quatuor digitorum posuisti dies meos, & tempus meum tanquam nihil coram te. Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo stãs. i. qui stare videtur. Et sequitur. Veruntamen (beselem) id est, in vmbra, aut veluti vmbra, id est, tam breuiter, quam breui vmbra trãsit, transibit vir. Vbi ad oculum vides, Selem, vmbra significare, aut similitudinem vmbraticam. Vnde psalm. 101. Dies mei sicut vmbra transierunt. Et. 108. Sicut vmbra, cum declinat, ablatus sum. Secundo idem probatur ex nomine, Salmon, quod ex eadem radice, & significat tenebras. Similiter, Sel, vmbram significat, & Salal, obumbrare. Neque mihi obiectes, aliam esse radicem, Salal, aliam, Selem, quia iam tibi ad oculum ostendi, Selem, significare vmbram, in Psal. 38. & verè puto, selem, esse à, salal, &, mem, finale esse literam addititiciam, non radicalem. Illud etiam Psal. 68. Albescent, beſalmon, id est, in vmbra, aut tenebris. Cuius sensus, vt ex contextu patet: est, quod pẽnę eorum, qui propter Deum cruciantur, tã albæ erunt, quod etiam in tenebris, seu vmbra lucebunt. Aliud verò nomen, quod hic ponitur, scilicet, demuth, incertæ est significationis, quemadmodum radix, à qua descendit. Dicunt enim Hebræi radicem esse, damah, cui omnia hęc tribuunt significata. s. assimilare, succidere, deficere, ex pectare, recogitare, & silere, & ideo tot ponunt, quia propriam ignorant. Hoc enim mihi certissimum argumentum est, eos propriam ignorare, cum multas, & varias verbo tribuunt, prout contextus exigere videtur. Sunt autem tria verba quasi eiusdem significationis. s. dum, damam, & damah, quod plerunque verbis, & nominibus Hebræis accidit, vt quiescentia, hain, duplicantia vltimam radicalem, & quiescentia, lamed he, sint eiusdem significationis, vt patet in, barar, bara, & barah, quæ omnia eligere significant, & in multis aliis facile probare possem: nisi breuitati studerem, Significat autem, damah, à quo, demuth, id est, similitudo, assimilare, aut assimilari, & quia similitudo cito trãsit, significat cito transire, seu deficere. Ezechię. 31. non, damah, id est, fuit ei similis, in pulchritudine eius. Et Psal. 144. Homo vanitati, damah, id est, assimilatus. s. in transitu, id est, tam cito transijt sicut res vana, & in secunda significatione. Hoseæ, 10. Nidmoh nidmah, i. transeundo transiuit Rex Israel, sicut mane. Est ergo textus, hic, sic ad literam reddendus. Faciamus hominem in vmbra nostra, secundum similitudinem nostram. Et, meo iudicio, secundum nomen, demuth, est explicatio præcedentis, quia obscure dixerat. Faciamus hominem in vmbra nostra, explicat illud dicendo, secundum similitudinem nostram. Nam vt in Canonibus admonuimus: hæc est consuetudo scripturæ, vt sta ostendimus. Vbi etiã aduerte, Deũ simul voluisse ostẽdere hominem ad sui similitudinẽ factum, & secundo quantum hæc similitudo à suo archetypo distaret. Est enim vmbra similitudo illius, cuius est vmbra, imperfecta tamen, & longe ab eo distans. Sic, licet homo factus sit ad similitudinem Dei, est tamen similitudo valde imperfecte Deum repræsentans. Et puto Deum, cum hominem produxit, sicut & alia, formam humanam assumpsisse. Nam stam cap. 3. colloquium habuit cum primis parentibus, & serpente. Quare non mirum formam humanam præ se tulisse: cum hominem produxit, vt quod dicitur in vmbra nostra, referatur ad corpus assumptum, quod verò sequitur, secundum similitudinem nostram, ad animã: nisi sequens clausula sit præcedentis explicatio, aut, secundum similitudinem nostrã, ad vtrunq;, corpus. s. & animã referatur. Nam infra ca. 5. habes Adam genuisse in similitudine sua, secundũ vmbrã suam, vbi similitudo ad vtrunque refertur, maximè ad corpus, cũ anima rationalis non descendat per generationẽ in hominẽ. Cũ ergo dicitur Adã genuisse, secundum similitudinem suã: intelligendum est de eo, quod per generationem deducitur, ex cõsequenti verò de anima, quæ cõstituit in individuũ in specie humana. Voluit ergo dominus hominẽ se referre, & quantum ad corpus assumptum, & quantũ ad spiritum, vt corpore corpus assumptũ, anima verò spiritum, qui deus est, mõstraret. Quod etiã formatur ex eo, quod infra ca. 9. dominus deus dicit. Qui effuderit sanguinẽ hominis, per hominem effundetur sanguis eius: quia ad imaginẽ dei factus est homo: ac si dicat, occidẽdo hominẽ, imaginẽ dei destruere videtur: & cũ animã non occidat, sed totum cõpositum, videtur totum esse ad imaginẽ Dei. Neque me arbitreris sentire deum corporeũ, legi enim quẽadmodũ tu. Deus spiritus est, sed cũ hoc scio, deum sæpissime in humana effigie locutum Moseh, & aliis sanctis veteris testamenti. Torquet autem locus iste Iudæos: cum audiunt deum dixisse in plurali. *Faciamus.* Vbi multas personas ostendit, & statim subdere, *ad imaginem, seu similitudinem nostram*: vbi simul vnitatem essentiæ, & iterum personarum pluralitatem inculcauit. Ad quod ipsi varie respõdent. Quidam enim eorum dicunt Deum angelis locutum: cosq; illi puluerẽ terræ, ad hominis figmẽtum administrasse: etiã si nihil in opere diuino facerent, & sermonem ad eos directum dicunt, sicut pater familias suis ministris dicere solet. Cras faciemus hoc, etiã si illi nihil operis sint facturi, sed solus ipse. Alij verò dicunt Deum more nobilium, qui in plurali numero loqui solent, locutum. Ad quod formandũ alia loca scripturæ citant, quemadmodum illud Isaiæ. 6. Quẽ mittam? & quis ibit nobis? Et illud. 2. Samue. 7. Quæ gens sicut populus tuus Israël in terra, ad quàm iuerunt Dij ad redimendum sibi in populum, & ad ponẽdum sibi nomen, & ad faciendum vobis magnitudinẽ? Vbi David deo dixit, vobis, in numero plurali honoris gratia, vt dicunt. Sic infra cap. 11. Eamus, & cõfundamus ibi labium, Sed (si vacat) vide, quàm pluchre eorum fundamenta Galatinus refellat. 2. libr. cap. 8. Mihi enim nunc non vacat aduersus eos disputare. Postea, si deus cęptis aspirauerit: ex professo facturus, libro ad hoc edendo. Si verò quæras, in quo consistat huiusmodi similitudo animæ hominis ad Deum, ad Paulum te mitto, qui ad Ephesios. 4. optimè hoc depinxit, dicens. Induite nouum hominem, qui secundum Deum, id est, ad Dei similitudinem, creatus est. Explicans verò, qualis à Deo creatus sit, addit. In iustitia, & in sanctitate veritatis. *Et præsit pisci. i. piscibus maris, seu dominetur.* Verbum hebraicum, radah, videtur propriè significare, extẽdere, quemadmodum, radah, primo Regum. 6. Vaiarde, id est, & extendere fecit super cherubim, & super palmas aurum. Vnde, redid, id est, velum, vel extensio: quo fęmina operitur, aut caput operit. Canti. 5. Tulerunt, redidi, id est, velum meum, aut operimentum meum. Sic Isaiæ. 3. Veharedidnu, id est, & vela. Putarem pannum lineum, seu velum: quo fęmine nobiles Italiæ, & orientales operiunt se: cũ extra domum egrediuntur. Et exinde significat dominari, quod Domini potentia extendatur super subditos suos. Vnde verti posset. Et extendat se in pisces maris, & cætera.

Et volucri cœli. id est, aëris, aut dicuntur cęli: quia, vt dictum est: ante faciem cęli volant. An verò tunc temporis aues ad nutum homini obedirent, vt scilicet cum vellet: ad eum venirent: nescio. Hoc relinquo

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicio ecclesiæ, & rectius sentientium definiendum. Hoc tamen ex hoc loco certũ est. Deum videlicet illi dominium tradidisse: vt posset vti: si vellet: sed an sua astutia, vt modo fit, an potius ad libitum: mihi certum non est: neque an hoc ecclesia definierit, cuius non memini definitionis. Quod enim ad nutũ illi nõ obtemperarent: quod cap. sequenti dicitur, argumento esse potest. Habetur enim Deum cuncta animantia adduxisse ad Adam: quod opus non esset: si cuncta ad nutum illi obedirẽt. *Masculum, et fœminam creauit.* id est, produxit, de quo iam diximus. Et quod dicitur fœminam, aduerte nomen hebraicum (nequebah) proprie significare Hebræis perforare, aut diuidere. 2. Regum. 18. ingredietur manũ eius (vnecabah) id est, & perforabit, aut diuidet eam, scilicet manum. Dicitur ergo fœmina (nequebah). i. perforata, aut diuisa, propter sexum. Dicunt etiam significare exponere, & maledicere. sed vbi ipsi vertunt exponere, optime quadrat diuidere, seu distinguere, vt Genes. 30. vbi dicit Laban Iacob (nocbah) ideſt, expone mercedem tuã: optime quadrat, distingue mercedem tuam. Et Leuit. 24. (venoqueb) id est, & maledicens nomen Domini, morte moriatur. Vbi Iudæi dicunt non esse blasphemum reum mortis: nisi prius nomen Domini exponeret, antequam blasphemaret. Quod ridiculum (meo iudicio) est: vbi melius vertas scindens, vel diuidens nomen domini. Vocat autem hebraismus blasphemare, scindere, vel perforare, seu diuidere: quod blasphemans habeat se ad modum scindentis, seu percutientis dominum: cùm nomen eius benedictum blasphemat. Vnde sensus illorum verborum legis est. Diuidens, seu scindens nomen Domini, id est, habens se ad modum scindentis, seu percutientis nomen Domini, moriatur. *Masculum, & fœminam creauit*, seu, *produxit eos*. Omittit scriptura multa. s. modum productionis masculi, & fœminæ: de quo capite sequenti. Similiter nominis impositionem: de qua cap. 5.

Benedixitq; illis Deus, & ait illis: Fructificate, & multiplicate vos: & implete terram. Sumitur hic, benedicere, pro eo, quod est, benefacere: dando virtutem, & licentiam multiplicandi se. Nam id, quod sequitur. Fructificate: & multiplicate vos: videtur explicatio diuinę benedictionis. Vbi aduerte, quod non imponitur hic homini præceptum coniugii: sed libera facultas ad illud. Nam eodem modo præcipitur hic hominibus fructificare, & multiplicare se: quo cæteris animantibus: cum eisdem verbis illis hoc dictum sit: quibus & homini. Cùm verò illis hoc non sit præceptum, quod ex duobus probatur, altero: quia non sunt præcepti diuini capacia: altero: quod peccaret qui auem, vel quadrupedem tota vita includeret: & qui bouem, hircum, aut agnum castraret, cum esset causa, quod illa non implerent dominicum præceptum: quod falsum est: ergo sequitur, quod neque homini. Illud etiam probatur: quia sicut homini dicitur, fructificate, & augete vos: ita ei dictum est: dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli: sed hoc non est præceptum: aliàs peccaret, qui non daret operam, vt piscibus, & volatilibus dominetur: ergo neque prius præceptum est. Et si præceptum est multitudini: non cuilibet singulari præceptum est: vt Theologi dicunt. Nam vsque hodie Iudæi dicunt, quòd si quis studio legis vacare cupiens, vellet à coniugio abstinere: licite posset. Sicubi tamen Ecclesia decreuit præceptũ esse (quod vix credo) eius decreta amplector. Et si quis obiiciat omnes à coniugio abstinere posse, si velint, admitto: sed nego hoc futurum aliquo tempore: cum concupiscentia vehemẽs multos non sinat sine vxore esse. Voluntatis tamen Dei esse puto: vt semper sint aliqui: qui coniugio vacent. *Et subiicite eam.* Non dedit eam. i. terram illi subiectam, sed subiiciẽdam tradidit: vnde non parum argumentum est, sic illi bestias dedisse, & aues: tradendo. s. potestatem subiiciendi eas. Nam ista terræ subiectio nihil aliud esse videtur: quam vindicatio terræ ab animantibus, & bestiis. *Omnem herbam seminãtem semen.* Videtur ex hoc loco homini fuisse datas omnes herbas in cibum: cum omnes seminent semen suum: vnde sequitur nullam tunc fuisse venenosam: quod si hoc tibi absurdum videtur, die per herbam seminantem hic legumina, seu herbas, ex quibus legumina leguntur: homini datas in cibum: & textus ab hoc non abhorret, neque dictio (zerah) quæ aliquando granum significat: non herbam. Idem de fructu arboris. Et ex hoc loco constat herbas, & arbores cum suis fructibus productas: aliàs non esset homini de cibo prouisum à principio. *Omni volatili terræ.*

Ex hoc loco constat per herbas seminantes: non esse intelligendas herbas ipsas solas, sed semina: quia aues vt plurimum non solent herbas ipsas: sed herbarum semina comedere. *Omne olus herbæ in escam.* Hebraice ad literam est. *Omnem viriditatem herbæ.* Nam (iarac) significat proprie excreare, non qualitercunq;, sed excreare viridem excreationem: vt patet Numer. 12. Et sit pater eius (iarẽe, iarac) id est, excreando excrearet virulentũ sputum in faciem eius. Vnde (iẽrec) significat viriditatem. Et ex hoc loco videtur, quòd cibus hominis fuerint semina herbarum cum herbis: & cibus aliorum viuentium viriditas, seu viride terræ, Aut melius. *Dedi vobis omnem herbam in escam*, id est, potestatem, & libertatem: vt possitis ex quibuscunque herbis, quas delegeritis: comedere. *Vidit Deus omne quod fecit: & ecce bonum valde.* Non solum in se, sed omnia simul suo ordine digesta, bona valde erant.

CAPITIS HVIVS PRIMI COLlectanea, ad nostram eruditionem.

NE verò sacrorum Bibliorum lector, sacras literas, veluti Liuii, aut alterius chronographi, (cui nihil spiritus inesse videtur) historiam legeret, singulis capitibus, quæ ad morum emendationem nobis accommoda videbantur adiunximus, nihil ex nostro confingentes cerebro, neque quoquo modo literam vrgentes: aut repugnantem trahentes: sed quæ ipsa nobis sua sponte dare videbatur: accipientes, lectori minus perspicaci ostendimus. Non hæc in immensum extendentes: sed breuibus lectorem admonentes. Cuius partes erunt, si placuerit, trahere: & proposito suo accommodare. Noluimus autem literalem sensum simul cum spirituali tractare: ne lector alteri intentus, alteri deesset. Sed iam ad rem ipsam:

In principio creauit Deus cœlum, & terram.

ADmonet nos hac prior sententia largissimus ille orbis terrarum pater, non esse steriles: neq; apud nos retinere quæ proximis nostris vsui esse possunt. Quando ipse tam munifice in nos, quæ apud illum delitescebant, effudit. Nihil enim illi magis displicere potest: quàm si quis dona eius abscondat, Cui rei exemplo esse potest illud, quod apud Lucam. 19. cap. legis: quàm acriter seruũ illum arguerit: qui pecuniam suam in sudario seruans, tradere numinulariis neglexit: quam ipse cum vsuris exigendam fuerat commina tus. Et mirum valde est: quòd cum Dominus sit tam largus ex propriis: seruus sit ex alienis (quæ detinere prohibetur) tam auarus. Et expende (quæso) quæ sint illa: quæ tam abunde pius pater diffundit. Nunquid æs? argentum, aut aurum, aut præciosi lapides? Absit: sed quę? cœlum: & terram: & quę cœli terræque ambitu continentur. Quibus neque aurum, neque argentum, neque margaritæ comparari valent. Sed quibus? Nunquid amicis: aut domesticis? nunquid solis iustis? Minime gentiũ. Sed quibus? Ipsum audi. Deut. 4, Caue (inquit) tibi, ne forte eleues oculos tuos ad cœlum, & videas solem, & lunam: & stellas, omnemque militiam cœli: & erres: & incurues te eis: & colas ea, quæ diuisit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus. Non inquit amicis, non sanctis: & iustis: sed cunctis gentibus: etiam idololatris: etiam peccatoribus, etiam iis: qui eo relicto: ea, quasi numina colũt, & adorant. Et aduerte insaniam: vt quem Dominus seruum nostrum fecit, eum nobis Dominum prætulerimus: & quæ nobis ministra constituit: nos vice versa illis in seruos nos vendiderimus: atque illis tanquam verò Deo, cultum præbeamus. Pudeat ergo te, seruum

seruum tuarum, tam liberalis Domini exhibere.

Terra fuit vana, & vacua: & tenebræ erant.

Sunt peccatores suis inuoluti peccatis, vãi, inepti ad finem, ad quem creati sunt, vt nihil in eis appareat, quod gloriæ aprum esse videatur. Sunt etiam vacui omnium virtutum, & bonorum: quorum sunt capaces. Sunt item tenebrosi, vt potius ęstimes eos tenebrarum, quàm lucis filios esse. Sunt, inquam, terra informis, & quæ nullis vsibus apta esse videatur. Terra, inquam, qualis à principio fuit, vana, vacua, & tenebrosa: aquisque peccatorum operta. Sed est spiritus Dei: qui vbi voluerit, terram peccatis exsiccat, & ex informi, formosissimam reddit, ex vana, vtilem, & ex vacua, virtutibus implet. Docemur etiã hic, qualia sunt opera nostra sine spiritu, & luce diuina. Opera (inquit) eorum, opera inutilia. Vacua, Quem fructum, inquit, habuistis tunc in iis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis eorum mors est. Obscura, quæ in abscondito ab eis fiunt, turpe est etiam dicere.

Fiat lux, & fuit lux. Et vidit Deus lucẽ, quod esset bona.

Animaduerte, & considera diligenter, quæso, Christiane lector locum hunc, qualiter non sat fuerit Deo, lucem pulcherrimam creare: nisi & eam, postquã condita, examinaret. Nũquid opus tuum Domine malum esse potest, aut in eo defectus aliquis contingere, vt examine opus sit? Et si alia opera tua examine indigerent, non tamen lux: quam purissimam, & speciosissimam facere dignatus es, & ad quam omnia alia opera examinantur. Quid quæso me docere vis in hoc examine? Puto te hoc mihi dicere velle, vt examinem, & discernam ego tenebras meas: siquidem tu tã studiose examinas lucem tuam. Quid enim sunt opera nostra, si ad examen diuini iudicij veniant: nisi tenebræ? Non iustificabitur (inquit puer Domini) in conspectu tuo omnis viuens. Non quod cum Lutheranis sentiamus, iustum in omni opere suo peccare, sed operum nostrorum imperfectionem voluimus indicare: si ad examen diuini iudicij conferantur. Fuimus (ait Isaias) immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatę, omnes iustitiæ nostræ. Quare quantumcunq; opus tuum ô homo purum, & bonum tibi esse videatur: confer illud ad speculum diuinæ legis, vt emendes quæ in eo emendatione digna deprehenderis, præsenta diuinis obtutibus, & audi sententiam eius de opere tuo. Est & aliud hic aduertendum: pro quibus suimus omnium parens lucem, & alia omnia opera sua sic expendat. Solent enim artifices valde attẽdere: cum opus alicui magno Domino fabricant. Si verò plebeiis, aut pannosis, non curant, quale sit opus, paruipendentes, an illis placeat, an displiceat. Nostrum erat: cum Dei opera facimus: solicitos esse, vt talia essent, quod illi merito possent præsentari, & cum facimus, semper super hoc soliciti. O si opus hoc meum dignabitur Dominus deus meus intueri: si refutabit, & ego oleum & operas perdam. Sic enim (vt magnus ait Basilius) solent solicitari, qui magnis principibus operantur. Sed indignum prorsus esse videtur, quod tãta maiestas sic solicitetur, sic expendat, sic examinet quod nostris vsibus operatur. Expende cœlum, terram aduerte, lucem considera, astra cerne, herbas & fœnum: quod hodie est, & cras in clibanum mittitur: vide, si quid illis desit, siquis defectus in eis contingat. Nihil non omnibus numeris absolutum: nihil deficiens ita, vt opus materiam superet. Quibus voluit nos docere, vt quoniam ipse, quæ nobis munera erat traditurus: tanta solicitudine extalia fabricemus, vt nullus in eis defectus inueniatur. Sed ad hæc quis tam idoneus? Quis tam solicitus de Deo suo, vt hæc curet? Qualia (quæso) sunt nostra ieiunia? Quales eleemosynæ, orationes, vigiliæ, ęcium, materiã, & substantiam superat: in nostris verò defectus, negligẽtiæ, omissiones operis substantiã excedunt ita, vt si aliquod opus, eius substantiã animaduertens acceptare vellet, ab hoc ob modi faciendi defectũ abhorreret. Et nisi amore nimio: quem erga nos geris, se ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

se excessisse putare, si tres dederit eleemosynas: si ad certum numerũ preculas decantauerit: se satis superque fecisse arbitratur, immemor, quot millia animalium, volucrum, piscium: & id genus alias Deus in vsum eius fecerit.

Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram.

Arguit locus iste hominum superbiam: qui nolunt sibi fictilem, aut æqualem habere: qui si viderint vicinum crescere: non solum invident: sed deturbant eleuatum: si possunt. Nunquid maior es Deo: qui sui similem non solum patitur: sed facit? Nec hoc solum, sed pulcherem ita euehit: vt omnium creaturarum suarum dominium ei tribuat ita, vt ferè sibi æqualem fecisse arbitreris. *Subiicite eam.* Non contentus Dominus dominio, quod homini tribuerat: sed accasionem: qua nomen, & famam augere possit: præstare dignatur. Neque eum ociari voluit: sed quod suum erat: ab animantibus vendicare concessit: vbi sua repetere cunctis licere docuit. *Ecce dedi vobis omnem herbam.* Commonet locus iste eos, qui ministros habent, victũ illis præstere. Quid, quæso, ministerij (Bone Deus) ab iis, quos tam sumptuose alis: cõsequeris? Quid tibi aues, quid bruta, quid homines præstant? Tantum abest ne iniurij sint. Sed quia creaueras, prouidere dignatus es. Quot sunt homines, quot nobiles in mundo, qui cum multa ministeria à seruis recipiant, indignos eos pane sicco reputant. Discamus ergo fratres tam liberalem, tamque pium in suos, Dominum habere, illique totis viribus ministrare, qui etiam eos, qui propriis inseruiunt vtilitatibus, tã munifice, & large alere dignatur. Cui gloria, & imperium per secula seculorum.

CAP. SECVNDVM.

ET perfecti sunt cœli, & terra, & omnis exercitus eorum. Et perfecit Deus die septimo opus suum: quod fecerat, & requieuit in die septimo, ab omni opere suo: quod fecerat. Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum: quia in illo requieuerat ab omni opere suo: quod creauerat deus, vt faceret. Istæ sunt generationes cœli, & terræ: quando creati sunt, in die, qua fecit Dominus Deus cœlum, & terram. Et omne virgultum agri, antequam esset in terra: & omnem herbam agri, antequam oriretur: quia non pluere fecerat Dominus Deus super terram: & homo non erat, qui coleret terram. Et vapor ascẽdebat, & irrigabat vniuersam superficiem terræ. Et formauit Dominus Deus hominem è puluere terræ: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Et fuit homo in animam viuentem. Et plantauit Dominus Deus hortum in Heden ab oriente, & posuit ibi hominem: quem formauerat. Et germinare fecit Dominus Deus è terra omnem arborem concupiscibilem visu, & bonam ad vescendum: & arborem vitæ in medio horti, & arborem scientiæ boni, & mali. Et fluuius egrediebatur ex Heden, ad irrigandum hortum, et inde diuiditur, & est in quatuor capita. Nomen vni Pisón. Ipse circuit totam terram Chauilah: vbi est aurum. Et aurum terræ illius bonum. Ibi est bdellium, & lapis onychinus. Et nomen secundi fluuij Ghichón. Ipse circuit omnem terram Æthiopiæ. Et nomen fluuij tertij Chiddéchel. Ipse vadit ante Assur. Et flumen quartum est Perath. Et tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in horto Héden, vt coleret eum, & custodiret eum. Et præcepit dominus Deus homini dicendo. Ex omni ligno horti, comedendo comedes. At de ligno scientiæ boni, et mali, non comedes: quia in die, quo comederis ex eo, morte morieris. Et dixit Dominus Deus. Non est bonum esse hominem solum: faciam ei adiutorium, quod sit coram eo. Et formauit Dominus Deus è terra omnem bestiam agri, & omne volatile cœli, & adduxit ad Adám, vt videret, quod vocaret illud. Et omne: quod vocauit Adám animæ viuentis: est nomen eius. Et vocauit Adám nomina omni iumento, & volatili cœli: & omni bestiæ agri. Et Adæ non inuenit adiutorium: quod esset coram eo. Et cadere fecit dominus deus sopore super Adám, et dormiuit. Et tulit vnam è costis eius, & clausit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat ex Adám: in mulierem, & adduxit eam ad Adám. Et dixit Adám. Hac vice os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, & vocabitur virissa, quia ex viro sumpta est ista. Idcirco relinquet vnusquisque patrem suum, & matrem suam: & adhærebit vxori suæ, & erunt caro vna. Et erant ambo nudi, Adám & vxor eius, & non pudebat eos.

IN CAP. 2. ANNOTATIONES.

Et perfecti sunt cœli, & terra, & omnis exercitus eorum.

NON habent Hebræi capitulorum distinctiones, quemadmodum latini, sed pausas, & interualla quedam inter vnam, & alteram sententiã. Est autẽ aduertendũ, quod verbum (chalah) quod hic ponitur, significat proprie implere, complere, & finire: vnde etiã verti posset. Et finiti sunt cœli, & terra. Isaiæ. 32. Cùm (chalah). i. finita fuerit vindemia, & 20. (vechalah). i. finietur omnis gloria (cedar.) Et quia prohibitus, videtur finitus, & limitatus, vt nõ possit facere quod vult, ex consequenti significat prohibere. sicut (chala) cum aleph in fine. Psal. 39. Ego (chalithi). i. defeci. Dicuntur autem cœli finiti, aut completi in se. Quod autem sequitur. Et omnis exercitus eorum. Notandum dictionem (saba) Hebræis significare exercitum, finem, & tempus determinatum. Sed re vera proprie exercitum, aut militiam significat. Et quia in Israel erat tempus certum ad militiam, sicut ad ministeria templi, vt patet Nume. 8. quia ab anno. 25. incipiebant Leuitæ ministrare, & a. 50. cessabant. Dicitur enim ibi à filio 25. annorum, & supra ingredientur ad militandum militiam in opere tabernaculi ecclesiæ, & à filio. 50. annorum reuertentur à militia operis, & non operabitur vltra. Inde (saba) significat etiam certum tempus, & determinatum, quod exemplis monstrabimus. Nam

Nume.

Nume. 1. habes. Omnem, qui egreditur, saba, id est, exercitum, aut militiam. Et Psal. 68. Earum, quæ euangelizant, saba rab, id est, exercitus multus, vbi militiam significat. Quod verò significet tempus illud certum militiæ, patet Iob. 7. vbi dicitur. Nonne, saba, id est, militia, seu tempus certum ad militandum est homini super terram? Neque est sensus, quod vita hominis sit pugna, sed quòd homini sit tempus vitæ decretum, quemadmodum ad pugnandum erat. Vnde sequitur. Et sicut dies mercenarij: sunt dies eius. i. certi: quemadmodum dies mercenarij. Capite etiam Isaiæ. 40. habes. Loquimini ad cor Ierusalem: quoniam completa est militia (non malitia, vt habent mendosi codices) ipsius, id est, tempus: quo militandum, & laborandum ei erat. Vocantur autem astra hic, exercitus: propter copiosam multitudinem eorum, quæ est veluti exercitus, vt in Deut. ca. 14. diximus. Dicũtur etiam exercitus: quoniã ordinate egrediũtur, quẽadmodum exercitus, ad munia sibi à conditore destinata. Vnde videbis eã summo ordine, summaq; concordia exire ad ministeria sua, vt vnum aliud non impediat, aut retardet ita, vt merito Boetius eum ordinem iii terris desiderarit. Tertio vocantur exercitus, quia eis, veluti Reges suis copiis, Dominus hostes suos debellet, & destruat, vt patet Ezechielis. 38. Iudicabor cum eo, scilicet Gog, & Magóg peste, & sanguine, & imbre inundante: & lapidibus grandinis. Et Ioelis. 2. Dominus dedit vocem suam coram exercitu suo: quia multa sunt valde castra eius: quia fortia facientia verbum eius. Iob etiã. 38. Nunquid ingressus es thesauros niuis, & thesauros grandinis vidisti: quos retinui ad tempus angustiæ: ad diem belli, & prælij? Idem Habacuc. 3. & Ezechiel. 32. Hac etiam de causa reor Deum vocari in scripturis, Deum exercituum, propter multitudines cum angelorum, tum etiam astrorum: quæ eius imperio dimicant aduersus insensatos. Eadem de causa herbæ, arbores, & alia: quæ in terra nascuntur, appellantur exercitus, quia sunt in maxima copia, & ordine optimo disposita. *Et finiuit, seu complevit Deus die septimo.* Excludine hoc intelligendum est. nihil enim operis die septimo fecit. Tũc enim quis dicitur finire opus suum, aut complere, cùm cessat ab opere, & quia Deus die septimo cessauit, ideo tunc finisse, aut perfecisse dicitur. Septuaginta hic verterunt (Die sexto) hac moti ratione, qua aliquis eis posset obiectare: quod in textu dicitur, sed sine vlla ratione mutarunt Hebraicum textum. Vnde clarius verti possit. Et cessauit Deus die septimo. Et quod sequitur.

Opus suum: quod fecit. Animaduertes hic, quod priori capite admonuimus: scripturam. s. vocare omnium rerum productionem, vnũ opus: & quod summus artifex cõtinuando vnum alteri, produxerit cuncta. *Et requieuit.* Melius. Et cessauit die septimo ab omni opere suo: quod fecit. i. nihil operis fecit die septimo. Quod verò verbum Hebraicũ, sabatb, quo, sabeth, i. cessatio, significet cessare, cõstat Iosuę. 5. vbi dicitur, vaijsboth, id est, & cessauit, man. Vbi non bene quadrat requieuit cessare: licet sit quasi idem. Vbi etiam deprehendes, quod in Canonibus diximus, scripturam, scilicet statim explicare: si quid obscure dixerit. Dixerat enim, Deum die septimo, opus suum fuisse: ne autẽ putares eum tunc aliquid operis fecisse, addit. *Et cessauit die septimo ab omni opere: quod fecit.* Aduerte etiam dictionem, melachah, quam nostri hic opus vertunt: significare primo angelum, seu nuntium, vt Iob. 1. vma lach, id est, & nuntius venit ad Iob. Et Genes. 16. inuenit eam, malach, id est, angelus, aut nuntius Domini. Secundo verò significat opus, vt Leuit. 11. Omne vas: in quo fit, melachah, id est, opus. Et 16. Omne melachah, id est, opus nõ facietis. Sed meo iudicio, hæc sunt à radice, malá, quod est implere, &, melachah, plenitudo. Et fortè dictio significat proprie plenitudinem, seu multitudinem: & ex consequenti angelos, quod sint in maxima multitudine. Aut melius à, melachah, quod est opus, deriuatur, malach, id est, angelus: quia Deus per eos opera sua facere soleat. *Benedixit diei septimo: & sanctificauit illum: quoniam in eo quieuerat Deus, aut cessauerat ab omni opere suo: quod creauerat Deus, vt faceret.*

Non est clarum, in quo constat huiusmodi benedictio diei septimi, sed vt superius priori capite diximus, Deum benedicere, est benefacere: benefecit autem Deus diei septimo, vt, scilicet esset dedicatus cultui eius præ cæteris diebus: similiter, vt omnes alij dies essent laboris: septimus verò quietis, & vt ab eo omnes alij denominarentur, scilicet prima sabbathi, secunda sabbathi, tertia sabbathi, & sic consequenter. Sic vt expectaretur à mercenariis & seruis, vt in eo qui escerent: & hæc meo iudicio est benedictio diei septimi. Quod verò sequitur: *Et sanctificauit illum.*

Aduerte quod sanctificare: Hebræis proprie est separare, aut separari à pollutionibus, & applicari cultui diuino. Cùm enim Dominus dicit. Sancti estote: quoniam sanctus sum, Dominus Deus vester: nihil aliud dici puto, quàm estote mundi, & ab immunditiis separati: quoniam talis sum ego. Vnde diem septimum sanctificare, nihil est aliud, quàm ab aliis diebus, qui profani sunt, sibi separare, & suo cultui applicare, Neque solum hoc, sed separauit ipsum ab aliis diebus: vt aliis laborare liceat: non tamen die septimo quasi alij profani reputentur illius collatione. Causam verò huius sanctificationis subdit, quòd in eo cessauit, aut quieuit Deus ab omni opere suo, quod creauit, aut produxit Deus: vt faceret. i. quod produxit faciendo.

Istæ sunt generationes cœli, & terræ: dum creantur, aut producerentur ipsa.

Cum textus hic vocet productiones cœli & terræ, generationes: nõ est improbabile, quod præcedẽti capite diximus, accipi posse, bara, vt significat producere, & similiter dici, cęlos nunc nõ esse creatos, sed separatos, aut ex præiacenti materia factos: cum hic dicantur geniti, similiter & terra. Est autem iste hebraismus sequentis sententiæ, quæ vtcunque obscura est:

Istæ sunt, generationes cęlorum & terræ, dum producerentur ipsa, in die faciendi. i. quo fecit Dominus terram & cęlos. Et omne virgultum agri. i. & istæ sunt generationes omnis virgulti agri, antequã esset in terra, & omnis herbæ agri, antequam oriretur. Quia non pluere fecerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui coleret terram. Duplicem vult nobis scriptura insinuare rerum generationem. alteram, ab ipso omnium productore: alteram naturæ beneficio, nempe pluuiæ, & astrorum subseruiente, hominis colentis labore. Dicit ergo. Istæ: quæ. s. dictæ sunt præcedenti capite: sunt generationes cęli, & terræ. i. quibus cęlum & terra ab omnium sunt conditore producta, nõ naturæ opere. Similiter, quibus virgulta, & herbæ. & omnia terrę nascentia sunt à Deo producta. Assignat autẽ rationẽ, quare istæ sunt priores omniũ rerum generationes: quia nondũ erant ea, quorum beneficio posteà orta sunt. s. cęlorũ pluuiæ, & hominis agriculturæ, & hoc est quod sequitur. *Quia non* pluere fecerat adhuc dominus Deus super terrã, neq; homo erat, qui suo labore humum coleret. Sed ne ea, quæ à Domino erant producta, exsiccarentur: inundatio ascẽdebat de terra, & rigabat omnem faciẽ terræ. Iste est sensus hebraismi sed reddenda est ratio significationis terminorum. Vbi aduertendum, quod nomen, Toldoth. i. generationes, à, Ialad, quod est parere, & generare, ortum habet, vnde, Toldoth, res ad modum filiorum genitas significare videtur. Ruth. 4. Istæ sunt, Toldoth. i. generationes Phares. Et infra. 36. Istæ sunt, Toldoth, id est, generationes Esau, id est, procedentes ex Esau.

Cęlorum & terræ. Sunt qui hic vertunt. Istæ sunt generationes cęli, & terræ. i. quibus cęlum, & terra genuerunt alia terrę nascentia. Sed hunc sensum exibilat id, quod sequitur. Dum crearentur ea. i. quãdo creata sunt: dum enim ipsa crearentur, alia non genuerunt, præsertim cum non esset pluuia. Quod verò passiuè sit hic infinitiuus reddendus, ea quæ sequuntur subindicant, cum dicitur. *In die quo fecit Deus cœlum, & terram.* Aduerte etiam, quod hic primo ponitur illud

ineffa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ineffabile nomen Iehouah, cuius Hebræi mirabilem virtutem esse tradunt, neque illud nominare sine certis ceremonijs audent: cuius loco, vtuntur nomine, adonai, quod Dominum significat, aut, elohim, quod ortum habuit ex eo, quod Rabbi quidam sapiens (vt testatur liber (chaduſim) id est, sanctificationum cap. 10.) dixit quod Exodi. 3. vbi nunc legitur. Hoc est nomen meum in seculum: pro (Iehoſam) quod est in seculum, scriptum erat (Iehalam): quod est clausum, ac si diceret. Hoc est nomen meum clausum. Et ibi scribitur Deum benedictum dixisse. Non legor, vt scribor. Scribor cum (iod, he, vau: & he). Et legor cum (aleph daleth: nun: & iod) quæ constituunt (adonai). Quare præceperunt magistri, loco eius, debere legi (adonai.) Vnde in lib. (Samhedrim) cap. (helet) dicitur. Dixit Abba Saúl. Qui pronuntiat ipsum nomẽ. 4. literarum, vt literæ eius sonant, non habebit partem in seculo venturo. Quare putant antiquitus solum legi, dum sacerdos in templo aliquem benediceret (vt testatur Rabbi Mosseh filius Maimonis) in. 61. cap. lib. moré. Similiter dicunt, sacerdotem semel tantum in hebdomade illius vim discipulos docuisse. Ego autem omnia hæc. figmenta arbitror esse Iudæorum, indigna, quę hic referantur. Quod si his delectaris, lege Petrum Galatinum. 2. lib. cap. 10. Quod autem hic expendendum esset, à qua radice nomen oriatur: quidue significet. Putant autem Hebræi ab (hauah) quod est, esse. Ego video in radice (hauah) duo esse scilicet (hauah) quod est, esse: & (houah) quod secundum Hebræos est accidens, aut cuętus malus, & cum (houah) maiorem similirudinem habeat cum (iehouah) quàm (hauah) puto melius deriuari ab (houah) quã ab (hauah), Nam Eze. 7. habes, houah hâl houah, id est, contritio super contritionem. Idem significat, hauah, Miche. 7. & in aliis multis scripturæ locis. Sed qualiter inquies hæc significatio Deo potest conuenire? Aduerte, quòd Exodi. 6. dicit Dominus Moseh. Ego Dominus, & visus sum Abraham, Isaac, & Iacob in fortem, sufficientem, & in nomine meo, iehouah, non sum cognitus eis. Ac si dicat. Ego me patribus ostendi sub ratione sufficientis, præbendo scilicet illis necessaria, & terram promissionis, sed non illis ostendi me sub nomine, iehouah, id est: punientis seu conterentis: qualem me nunc vobis ostendam, puniendo Pharaonem vestri gratia. Vbi vides significationem, iehouah, vt significat conterentem: optimè loco conuenire. Non ergo inepte dicitur, iehouah, significare Deum sub ratione conterentis, & deduci ab, houah, quod, vt diximus, est contritio: & cuentus malus. Dicendum ergo est, quod nomen, iehouah, à duobus potest diriuari licet ab, hauah, quod est, esse: & sic significat Deum, quatenus est fons, & principium: à quo sunt omnia. 2. ab, houah, quod, vt dictum est, significat cõtritionem, & sic significabit Deum: quatenus est punitor, & conterit inimicos suos, sed de his fusius Exodi. 6. Quod autem sequitur. *Et omne virgultum*: aduerte, quod, Sijach, incertæ significationis est Hebræis. Putant tamen significare, aut herbam, aut arbustum, aut arborem. Coniectura tamen est ex textu, quod significet arborem tenuem, seu virgultum: non enim videtur herbam significare: quia sequitur. *Et omnem herbam agri.*

Quod autem tenuem, seu plantulam, ex eo constare videtur: quod tunc arbores nouę erant. Secundo quia puto, sijach, cum media iod: &, suach, cum media vau esse eiusdem significationis: & cum, suach, significet secum loqui, seu mussitare: quod est tenuiter loqui, arbitror, sijach, significare arborem tenuem. Illud verò quod sequitur. *Et omnem herbam agri: antequàm oriretur*: hunc habet sensum, id est. Et omnem herbam agri, antequam oriretur, scilicet virtute naturæ. Et aduerte, quod verbum, samach, videtur proprie significare nasci, aut crescere: vt patet. Leuit. 13. Et pilus niger, samach, id est, natus fuerit, aut germinauerit in eo. Et. 2. Samuelis. 10. Manete in, Iericho, donec, Iesamach, id est, crescat barba vestra. Hic autem accipitur pro nasci. *Antequam nasceretur, aut germinaret.* Virtute naturæ scilicet. *Homo non erat: qui coleret.*

Verbum, habad, proprie significat seruire, & ministrare. Cultus enim terræ ministerium est: quod homo terræ impendit. *Et inundatio.* Ignota est Hebræis significatio nominis, ed, Vnde Chaldæus vertit nubem: Sanctes vaporem: qui postea in pluuiam resoluebatur. Sed mirum valde est illos ponere pluuiam, antequam esset pluuia: cum enim textus dicat has esse egli, & terræ generationes: antequã pluere faceret deus: ponentes tunc fuisse vaporem, aut nubem: quæ in pluuiam resoluta descenderent super terram, est ponere pluuiam ante pluuiam. Neq; satisfacit, si dicatur, non esse à Deo immissam tunc pluuiam: quoniam Deus non aliter solet pluuiam demittere, quàm resoluendo vapores in pluuias. Loquitur ergo textus de statu terræ nascentium antequam esset pluuia de cęlo demissa: & ponit fuisse tunc illam inundationem: qua hæc inferiora, ne arescerent: in viriditate seruabantur. Vulgatus interpres verius fontem arbitratur. Dicunt autem Hebræi, ed, significare malum euentum, seu accidens malum. Alij fracturam, & contritionem. Nam cum propriam ignorent, varias inuenerunt. Quj vaporem, aut nubem significare putant, ex illo Iob. 36. effundent pluuiam, leedó, id est, propter vaporem suum (vt isti vertunt) occasionem sumpserũt. Sed meo iudicio, vnica est nominis significatio scilicet inundatio: quæ conuenit omnibus locis: in quibus nomen ponitur. Iere. 48. Propinqua est, ed, id est, inundatio Moab, Et cap. 49. ed, id est, inundationẽ Ésau adduxi. Prouer. 27. In die, edecha, id est, inundationis tuæ. Psal. 18. in die, edi, id est, inundationis meæ. Illud autem Iob citatum, sic reddendum est. Effundent, scilicet nubes pluuiam, leedó, id est, ad inundationem eius, scilicet terræ, aut Dei, id est, qua Deus alluere facit terram. Vnde hic vertendum puto. Sed inundatio ascendebat de terra: & rigare faciebat omnem faciem terræ. Neque intelligas vnicum fontem de terra ascendisse, sed hebraico more inundationem, pro inundationes ponit. Impossibile enim erat vnicum fontem totam terram rigasse: & alluisse: nisi intelligas Deum loqui de sola terra illa: in qua homo conditus est: quod non est vero simile. Est ergo germanus huius literæ sensus iste. Hæ sunt generationes cœlorum & terræ, id est, quibus cœlum, & terra genita, aut producta à Deo sunt, dũ crearentur, vel producerentur ipsa, in die: qua Dominus Deus fecit cœlos, & terram. Et istæ sunt generationes omnis plantulæ agri, antequam esset in terra, scilicet virtute naturæ. Et omnis herbæ agri, antequam germinaret, aut nasceretur naturaliter. Quoniam non pluere fecerat Dominus Deus super terram. Et homo non erat ad seruiendum terræ. Et inundatio ascendebat de terra: & potum dabat omni superficiei terræ. *Et finxit Dominus Deus hominem, pulueren de terra.* Diximus superiori capite, iassar, proprie significare fingere. Isaiæ. 44. Quis, iassa, el? id est, finxit Deum? Et quia id quod fingitur, comprimitur: significat ex consequenti comprimere, angustiari. Prouer. 4. Cùm ambulaueris: non iesar, id est, arctabitur, vel comprimetur gressus tuus. Dictio verò, Haphar, id est, puluis: licet nonnunquam terram significet: proprie tamen puluerem tenuem significare videtur: quod multa loca scripturæ, quę citabimus: ostẽdunt. 2. Reg. 23. Et comminuit, lehaphar, id est, in puluerem. Item infra. 13. Si poterit quispiam numerare &, haphar. id est, puluerem terræ? Et eodem cap. Ponam semen tuum, chahaphar, id est, sicut puluerem terræ. Neque solum puluerem terræ, sed etiam auri, & cuiuscunque alterius rei, vt patet Numeri. 9. Proiecit, &, hapharó, id est, puluerem eius, scilicet vituli aurei in torrentem. Inde, hophéreth, id est, plumbum, quod sit coloris puluerei. Similiter, Hóphet, id est, hinnulus cerui: quod sit similis puluери in colore. Est ergo sensus, quod Dominus deus finxerit è puluere terræ hominem, id est, corpus hominis, ac si dicat. Fecit Dominus Deus fictum hominem de puluere.

Et exsufflauit, aut inspirauit in nares eius halitum vitæ: & fuit homo in animam viuam. Verbum, napach, pro-

prie significat inspirare, flatum emittere, siue dum quis viuit, siue, dum moritur. Isaiæ. 54. Nopheach, id est. sufflantem in igne prunam. Et Ierem. 1. Ollam, napuach, id est, exsufflatam ego video. Ierem. verò. 15. significat animam efflare, napechah, id est, efflata est anima mea, ac si dicat, fermè expiraui, animam emisi. Vnde, mapach, id est, efflatio animæ. Iob. 11. Expectatio eorum, mapach, id est, efflatio animæ. Sequens verò dictio, scilicet, aph, meo iudicio, est à radice, anaph, & significat proprie iram, & ex consequenti nasum: quod in eo ira ostendi soleat, vt infra. 27. Donec auertatur, aph, id est, ira fratris tui. Quod verò nares significet; ex Psalm. 115. constat: vbi dicitur, Aph, id est, nasus eis, & non odorabunt. Videtur etiam faciem in multis locis significare, vt infra. 19. Incuruauit se, apaim, id est, in faciem, sed non significat eam, nisi ratione narium: quæ in ea sunt; neśamah, verò halitum significare videtur. Et hoc iudicio meo, interest inter, Ruach, id est, ventum seu spiritum, &, neśamah, id est, halitum, quod spiritus, seu ventus non videtur, neque est coloratus, hálitus verò, seu fumus videtur ad modum nubis. Est ergo sensus, quòd deus inspirauit in nares hominis flatum, seu anhelitum vitarum, id est, quo corpus illud fictum, & exanime viuere fecit. Dicit autem (vitarum) propter duas nares, quarum vtraque spirat, & vitam ostendit. Ex quo etiam constat Deum humanam effigiem tunc præ se tulisse: & flatum humano more in hominem immisisse: quemadmodũ Christus in discipulos suos.

Et fuit homo, hoc, scilicet facto, in animam viuam. Id est, habuit deinceps animam viuam, seu facientem eum viuere: ac si dicat, fuit deinceps viuus. Et hac de causa anima hominis sæpe appellatur flatus, aut halitus Dei. Inde etiam videmus, quòd emisso vltimo flatu, homo moritur. Neq; sis adeo rudis: vt putes animam rationalem, esse hunc flatum: cum flatus hic corporeus sit, & euanescens: anima verò rationalis incorporea, & immortalis, vt habes Ecclesiast. 12. Sed halitus hic signum est præsentiæ animæ: & cum deest: absentiæ ipsius.

Plantauit Dominus Deus hortum in Heden ab oriẽte: & posuit ibi hominem: quem finxerat.

Parum, aut nihil difficultatis est in hac sententia. Cum autem dicitur Deum hortum plantasse: per hortum intellige produxisse, aut plantasse arbores horti. Neque verbum, natah, arctes ad significandã arborum plantationem: quia etiam de cœlis dicitur Isaiæ. 51. (lintoha). i vt plantem cœlos. Vbi plãtare, videtur pro figere, seu firmare positũ. Vnde & hic verti posset, firmauit Dominus hortum in, Heden, quia, vt diximus, hortus non plantatur, sed arbores horti: vnde videtur eo modo hortum, quo & cœlos plãtasse. i. produxisse, & firmasse. *Hortum.* Est meo iudicio (gan). i. hortus à radice (ganan) quod est protegere, abscondere, vnde significat, non qualemcunq; hortum, sed in quo sunt arbores protegentes, & obumbrantes. Quod fit, cum in magna copia sunt: & ab inuicem non distant, aut quia protegitur, & defenditur ab incursu hominum, aut bestiarum. Infra enim dicitur, Deum hominem in paradiso collocasse, vt operaretur, & custodiret illum. Vnde, magen, id est, clypeus sic à protectione dictus. Quod autẽ sequitur in, Heden, Aduerte, quod, Heden, est à radice, Hadan, quod Hebræis est delectari. Nechẽ. 9. (vaijthadenu). i. delectati sunt in bono tuo Domine. Inde, hednah. i. delectatio infra ca. 18. Postquam senuit erit mihi (hednah). i. delectatio? Vnde aliqui hic vertunt hortum deliciarum. Potest tamen esse nomen propriũ loci: quod mihi vero similius est, vt infra probabo. Nomen etiam, Heden, quod aliqui vertunt ab oriente, alij à principio, incertę significationis Hebręis est. Mihi verò magis arridet: quod significet orientem, vt, scilicet hortus ille fuerit plantatus versus plagam orientalem loci: in quo homo conditus est. Est ergo sensus huius loci hic. Et plantauit Dominus Deus hortum in, Heden, id est, in loco sic appellato, ab oriente, scilicet illius loci vocati, Heden, aut in, Heden, id est, in loco delicioso, sed primum melius. *Et posuit ibi hominem, quem finxerat.* Quærunt hic aliqui, in quo loco fuerat paradisus in terrestris: cuius hic scriptura meminit. Et an, Heden, sit locus proprius. Et licet varij varia de eo sentiant: puto tamen, Heden, nomẽ loci proprium esse, in quo paradisus fuit, neq; lõgè à Chaldæa distare. Quod enim nomen loci sit, constat ex ea. 27. Ezechie. vbi sic habetur, Charan, &, Channeh, & Heden, negotiatores, sebba, arabice, Assur, Chilmad, negotiator tuus. Isaiæ etiam. 37. habes. Nunquid eruerunt eas, scilicet terras dij gentium: quas subuerterũt patres mei Gozan, & Charan & Reseph, & filios Heden. Et Ezechi. 28. dicitur de rege Tyri. q? fuerit in Heden horto Domini. Ex quibus constare duo videntur. Alterũ, quod sit proprij loci nomẽ cõiunctum Charã, & Assur. Alterum, quod non longè sit ab Assyriis. Sebba verò in Harabia est. Gen. autem. 12. locus: à quo Abraham egressus est, vocatur Charan. Quare locus paradisi non videtur multum distare à Charan: vnde venit Abraham. Ista enim loca apud Ezechi. cap. citato simul coniũguntur, scilicet Charan, & Channeh, & Heden: & Isaiæ. 37. etiam Charan coniungitur filiis Heden. Videntur autem arbores aquis diluuij fuisse destructæ. Est etiam coniectura, quod fuerit in Chaldæa, aut prope: quia Euphrates vnus de quatuor paradisi fluminibus Chaldæam decurrit. *Germinaru fecit: aut nasci.* Alterum enim horum, verbum, samach, vt iam diximus, significat. *Omne lignum desiderabile,* scilicet oculis: ac si dicat, pulchrum visu. *Et bonum ad comedendum.* Dupliciter potest hæc litera intelligi: vno modo, quòd germinare fecerit omne lignum pulchrum aspectu, & etiam lignum fructiferum, ac si diceret: quod non solum fecerit arbores visu pulchras, licet infructuosas, sed etiam fructiferas. Alio verò, vt omnes fecerit visu pulchras, & etiam fructiferas, & hunc secundum sensum videtur litera prætendere. Et sequitur. *Et lignum vitarum in medio horti, Et cognitionis boni, & mali.* Triplicia, aut quadruplicia ligna plantata in paradiso esse ostendit, scilicet desiderabilia aspectu, & fructifera, arborem vitarum: & arborem scientiæ boni & mali. Lignum verò vitarum fuit in medio horti. Dicit autem arborem vitarum: quia in longum tempus, aut perpetuo vitam conseruabat comedentium. Quod autem fructus illius arboris hanc haberet virtutem, ex sequenti capite constat: vbi ejecto de paradiso homine, constituit Dominus angelũ, qui custodiret viã illius ligni: ne fortè Adam iterũ extenderet ad illud manus, & viueret in seculũ. Fuit autẽ hoc vitale lignum, tanquã nobilius, & maioris virtutis in medio paradisi plantatum. Posset etiam dici (vitarum) quia multorum: omniũ. ſ. comedentium vitam conseruare poterat. Arbor verò scientiæ boni & mali dicebatur: quia eius gustato fructu, homo experiebatur mala huius vitæ. Et crediderim ego primũ hominem, & vxorem eius fuisse in simplicitate puerili creatos, vt quemadmodum duo pueri cõuersantur sine dolo, sine fallacia: & licet sint masculus & fœmina, & in eodem lecto, nihil tamen mali cogitant, nihil mali operantur, & quanuis nudi incedãt: non erubescunt: sic & ipsi. Non quòd existimem eos tunc non ratiocinari, quemadmodũm pueri non plene ratiocinantur, sed quales sunt iuuenes, & etiam viri aliqui, qui non norunt malefacere, neq; dolos texere, sed in maxima simplicitate degunt: quales nos Paulus hodie desiderat, dicens, prima ad Cor. 14. Nolite pueri effici sensib', sed malitia parnulẽ estote. Et gaudeo sum beatũ Maximũ tales primos parentes creatos existimasse: sunt etenim aliqui: qui non solũ in pueritia, sed postea iuuenes: hanc retinent simplicitatem. Potuit autẽ Dominus, meo iudicio, in fructu arboris hanc virtutem, vt eo degustato: cessaret huiusmodi sancta simplicitas. Posset tamen sustineri, non fuisse in fructu talem vim: sed sic dici, quod fuit materia huius cognitionis: sicut si iuueni in sua simplicitate quasi puerili manenti, & ignoranti, quid esset offensa dei, aliquis malus peccatũ facere suaderet: vt pote comedere vetitum, ille cibus interdictus diceretur illi

fuisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuisse scientia mali: non quod in eo fuerit ad hoc aliqua virtus, sed quia materia inobedientiæ præcepti, ex qua malum experientia didicit. Ille verò, qui hoc sibi persuaderet, esset verè autor illius scientiæ. Sic de primis parentibus dicere possemus. Sed quia textus vocat arborem scientiæ boni, & mali: videtur prior opinio probabilior. *Et fluuius egrediens, seu egrediebatur de Heden ad irrigandum hortum.* Significat, nahar, flumen à, nahar, quod est currere: vnde à cursu dicitur, & verti potest. Et defluxus egrediebatur, Nearah, verò significat lucem, quod sit ad modum aquæ splendens, aut quod fluat seu currat ad modum aquæ. Nam lux diei currit, & homines quasi non sentiunt cursum eius: sicut neq; fluminis. *Nomen vnius Pison.* Quem putant esse Gangem: cuius opinionis est Hiero. in lib. hebraicarum. q. Sonat, Pison, à, pas, seu, pus, crescere. Vnde ab aquarũ incremento sic dicitur. Nam teste Plinio. 5. lib. naturalis historiæ. 20. cap. naues in eo fese exonerare dicuntur. *Circuit omnem terram, Chauilah,* Ignoratur vbi sit hæc terra, chauilah, putant tamen docti Indiam esse, aut Indię partem aliquam: & rectè dicunt: si Pison est Ganges. nam Ganges magnam Indiæ partem circuit, Coniectura magna est, quod, chauilah, sit Æthiopia, ex. 10. cap. huius lib. vbi filij Chus dicũtur, Sebba, Chauilah, & sabtah. Constat autẽ, Chus, Æthiopiam occupasse, illique nomen dedisse. Vnde in sacris literis semper Æthiopia vocatur, Chus, & est sermo de orientali Æthiopia. Alia est, Chauilah, denominata à, Chauilah, filio Iectan, filij, Heber, quæ quidem, Chauilah, etiam orientalis est, quia ibidem dicitur fuisse habitatio filiorum Heber à, mesah, vsque ad sephar, montem orientis: quæ etiam auro abundat: cum sit prope Ophir. Nam, Ophir, fuit frater, Hauilah, vt ibidem dicitur. Ideo potest textus hic de hac secunda Æthiopia etiam exponi: quia sequitur in textu. *Quia ibi aurum,* id est. In qua aurum. Constat autem ex multis sacræ scripturæ locis in, Ophir, esse copiam auri. Vide. 3. Regum. cap. 22. &. 2. Parali. 8. Et eum dicitur. *In qua aurum:* intelligo in ea esse auri copiam. *Et aurum terræ illius bonum.* Aurum: quod Regi nostro ex Æthiopia vehitur: melius est, quàm quod ab India, sed sat est, quod bonum sit, vt in litera dicitur: licet sæpissime Hebræis (bonum) sit idem, quod optimum. *Ibi, habdolah, et lapis, hasoham.* Admonui in Canonibus, Hebræos ignorare quid propria nomina lapidum preciosorum, animalium, fluminum, & auium, significent: ideo non esse illis fidendum in huiusmodi. Est tamen coniectura magna ex cap. 11. Numerorum, esse margaritum, siue magnum, siue paruum: quod nostri vocant, Perola, si sit magnum: grana verò parua vocant, Aliofar. Dicitur enim in loco citato, quod, man, erat sicut semen coriandri, & color eius sicut color, habedolach, Cum autem color, man, fuerit albus: sequitur, habedolach, albi coloris esse. Vnde recta interpretatio huius nominis est, margaritum. Sequentem autem dictionem, scilicet, hasoham, aliqui vertunt onychinum, qui est lapis preciosus, habens candorem humani vnguis, (vulgo Cornerina) cuius meminit scriptura. Exodi. 25. & 28. &. 35. & Iob. 28. ex quibus locis nullam potui habere coniecturam ad sciedum, quis lapis fuerit, & si esset à radice, saueh, significaret lapidem, vndique æqualem: quoniam, sauah, est æquare, adæquare. *Nomen fluuinis secundi, gichon. Ipsum circuit totam terram, chus.* Flumen, gichon, aliqui putant esse Nilum: &, chus, Æthiopiam, quę est nunc sub ditione Preciosi Ioannis: quem aliqui corrupte vocant Presbyterum Ioannem. Vocant enim eum sui Ioannem, bellul, quod eis preciosum sonat: si præclarissimo viro Damiano Goes conterraneo nostro credimus: qui libellum de illius gentis moribus conscripsit: in quo ea, quæ ab oratore illius Regis Matthęo ad Regem nostrum Ioannem tertium destinato hausit: literis mandauit. Et si per, chus, hanc: quam possidet Preciosus Ioannes: terram intelligimus, proculdubio per, gichon, intelligendus est Nilus: quoniam ille circuit totam terram illam. Sed quia multum distat ab aliis, scilicet à Tigri, & Euphrate: arbitror non esse Nilum. Cùm verò certum sit, quartum fluuium esse Euphratem: intelligendi sunt alij nõ longe ab eo distare, & cum Tigris non longè ab eo fluat: & vadat ante Assyrios, aut ad orientem terræ Assyriorum, sequitur esse illum, qui hic vocatur, Chiddechel. De aliis duobus maius dubium est, scilicet de Gange, & Nilo, & magis de Nilo dubito: quàm de Gãge, quia non tantum distat Ganges ab Euphrate: sicut Nilus. Vnde putarem alios duos fluuios minores, & paradisum fuisse arbitror intra terminos Assyriorum, vt iam diximus. Tam abstrusæ enim sunt res huiusmodi, vt hoc solum, scilicet nos incertos esse, certi habeamus. Aliqui contendunt corrupte à nostris dici Euphratem: cum sint duæ dictiones, scilicet, hu, &, perath, id est, ipse, & phrates. Vocatur autem Euphrates in scripturis semper, Perath, à quo duces Euphratæi, aut potius Parthi: quoniam Esther primo dicitur Assuerum fecisse conuiuium principibus suis Persarum, & Medorum haparthemim parthis. Et quia notus erat Iudæis: ideo dicit Mosch. Ipse est Euphrates, seu, perath, *Posuit eum in horto Heden.* Verbum Hebraicum, Ianach, quod nostri hic vertunt, posuit, significat propriè requiescere Psal. 105. non, Himiach, id est, reliquit hominem nocere eis, seu opprimere eos. Et. 1. Reg. 8. Non erant in arca, nisi duæ tabulæ lapideæ: quas, himiach, id est reliquit ibi Mosch. *Vt coleret, id est, seruiret illi: & eus stodiret illum.* Ecce primum hominis munus, scilicet agricultura. Voluit autem, vt coleret hortum, & ab eo bestias arceret. Vnde constat non habuisse muros.

Ex omni ligno horti comedendo comedes. Non puto fuisse homini præceptum, vt de omni lignò comederet, sed liberum illi esse. Præceptum erat de non comedendo de fructu arboris scientiæ boni & mali. Neque arbitreris aliquid mysterij latere in illa geminatione (comedendo comedes): quoniam phrasis est linguæ, vt infra frequentissime videbis. Sic, cum dicit moriendo morieris: nihil aliud significare voluit, quàm obnoxius morti eris. Nam comedendo de fructu ligni vitæ, poterat vitam perpetuo consetuare. si non peccaret. Dixit autem Dominus homini, quod quacunque die comederet de fructu arboris scientiæ boni & mali: esset moriturus: quia voluit eum deterrere, vt se putaret illico moriturum, & non auderet comedere, sed pœna erat, quod esset statim morti obnoxius. Aut Dominus ex misericordia non voluit eum, cùm peccauit, statim mori: licet eam statim pati mereretur.

Faciam illi adiutorium, sicut coram ipso. Sensus horum verborum est vtcunq; difficilis. Quare aduertendum, quod verbum, hazar, à quo, hezer, id est, auxilium, significat opẽ ferre, auxiliari. 2. Parali. 28. Et Dominus hazaro, id est, opem tulit illi, seu auxiliatus est ei. Et Psal. 118. Dominus, hazarani, id est, adiuuit me, Néguet, verò significat ante, coram, à, nagad, quod est nuntiare, ostendere, vnde, naguid, id est, dux, antesignanus. Est autem aduertendum, vt sensum percipias: duplicia esse instrumenta: quibus vtuntur artifices, atque etiam duplices esse nuntios principum, quidam, qui semper sunt coram eis, & qui, scilicet ad manum sunt, vt facilè eis vtantur ad quod voluerint. Alij sunt separati: qui, scilicet non sunt coram eis, & voluit Dominus Deus fœminam esse viri sui instrumentum ad manum: quod eam semper coram se haberet, & mitteret ad quæcunque voluisset. Est ergo fœmina veluti nuntius: quem vir coram se habet, vt mittat quo voluerit: seruato decore tamen, aut veluti instrumentum, quod ad manum habet. Est ergo sensus huius loci. *Non est bonum hominem esse solum.* Quia erit ei laboriosum: si omnia per seipsum debeat facere, neq; habeat cui coniuat, simile sibi. Faciam ergo illi adiutorium: quod sit veluti instrumentum coram ipso, id est, quo facilè vti possit: cum voluerit. Et si teneamus, negued, etiam significare nuntium, sicut, nagad, à quo descendit: nuntiare adhuc magis quadrat, vt sit sensus. Faciamus illi adiutorium, sicut nuntium ipsius, id est, qui sit ei ad magnum veluti nuntius, vt mittat quo libuerit, & iste sensus est meo iudicio germanior. *Et fuxit Dominus*

minus Deus de terra omnem bestiam agri.

Fortè quemadmodum corpus hominis. Dicit autem de terra, vt videas discrimen inter materiam corporis humani, & bestiarum, quod illud, scilicet nostrũ ex puluere, bestiarum verò ex terra grossa. Quod testantur carnes humanæ, quæ sunt tenuiores, quàm bestiarum. Aduerte etiam hic textum explicare quod ea. primo non declarauerat. Dixerat enim, bestias, & aues & cuncta animantia ex terra prodiisse: esse tamẽ à Deo facta. Producat (ait ibi Dominus Deus) terra animam viuentem secundum speciem suam. Iumentum, & reptile secundum speciem suam, & bestias terræ: vbi non explicuit modum, quo eas produxerat: hic autem videtur explicare, quod finxerit ex de terra, vnde & capite præcedenti dicitur. Et fecit Deus bestias terræ, sed hic ostendit ex qua materia, quod. s. ex terra. Posset tamen teneri, quod (Iasar) hic significet producere, & quod sola materia hic explicetur. Sic de volatilibus, quę primo cap. textus dicit ex aqua producta.

Et adduxit, seu venire fecit ad Adam.

Et hoc est coniectura non parua, non fuisse aues, & bestias productas in omnimoda subiectione ad hominẽ: alias non opus esset, quod Deus venire faceret eas ad Adam, sed eo vocante venirent.

Vt videret, quid vocaret illud.

Puto hæc de causa adduxisse Deũ bestias, & aues Adæ: vt illis nomen imponeret: vt impositis rebus nominibus, videret, an aliquid ex eis conueniret cum eo in nomine & natura, & quia non inuenit conforme naturæ suæ: non imposuit conforme naturæ nomen. Postmodum verò facta muliere: cùm eam sibi vidisset in natura conformem, nomen imposuit, & in adiuturium acceptauit. Sunt qui dicunt eum, quia Dominus erat eorum constitutus, nomina indidisse illis. Oportet enim Dominũ scire nomina eorũ, quibus vti debet: sicut artificem instrumentorum suorũ, & quia homo animantibus, tanquam instrumentis: vti debebat, veluti eorũ Dominus: opus fuit, illis nomina indidisse. Vnde non imposuit stellis: quia pertinebant immediate ad vsum Dei, neque angelis eadem ratione, vnde in Psal. dicitur. Et omnibus eis nomina vocat: vbi de stellis loquitur. Aut quia debebat conuiuere eis, opus fuit nomina imponere, & scire.

Omne, quod vocauit illi Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.

Voluerunt quidam Theologi ex hoc loco facere Adam sapientissimum Philosophum, quod. s. nomina rebus imposuerit, iuxta earum naturas, quod meo iudicio ex hoc loco nõ conuincitur. Non enim dicit textus Adã nomina rebus imposuisse iuxta earũ naturas, sed quod nomen: quod ille illis imposuit, in eis permã sit. & sic deinceps vocata sunt: quãquidem nominũ impositionem, durasse ad diluuium vsq; : quo idiomata confusa sunt, credibile est. Aliqui intelligunt hunc locum, quod Deus adduxerit animantia ad Adã, vt videret, an ea eisdem, quibus ipse Deus, nominibus vocaret, seu an approbaret nominum impositionem, quam fecerat ipse, sed sensus hic durus vtcunque videtur. Et vsque hodie in hominibus manet scientia hęc: vt, sci licet sciant. animalium, auium, & piscium nomina.

Et vocauit Adam nomina, id est, imposuit, omni tumento.

Aut germanius. Postquam nomina imposuerat: vocauit ad se, & non inuenit in vocatis animantibus, & auibus adiutorium, quod esset coram se, seu sicut nuntium suum, quia nullum erat sibi simile, neque ali quod loquebatur, serpente excepto: ideo nullum erat conueniens adiutorium homini.

Et cadere fecit Dominus soporem super Adam.

Dictio, tardemah, id est, sopor: non solum significat naturalem soporem, sed etiam illum, qui metus causa fit: quem nostri spasmũ vocant. Da. 8. Illo loquẽte me- Psal. 76. Ab increpatione tua deus Iaacob, Nirdami, id est, absorptus est currus, & equus, & talem arbitror soporem Adæ immissum. Si enim esset naturalis sopor, impossibile erat eum non sensisse quod ab eo Deus auferebat, nisi id miraculo fieret.

Tulit vnam è costis eius, & clausit carnem pro ea.

Dictio Hebraica, selah, duo, aut tria Hebræis significat s. latus, quæ significatio in multis locis scripturæ inuenitur: vt Exod. 26. Facies vectes è lignis, Sittim, quinq; pro tabulis, selah. i. lateris vnius. Iere. 20. Custodes, salhi, id est, lateris mei. Idem. 2. Samué. 16. Et, Simehi, ambulabat, beselah, id est, in latere montis. Secundo significat costam, quod videlicet sit pars lateris hominis, & animalis, & auis; ad quod citant locum hunc: vbi bis nomen ponitur. Significat etiam trabem, quod sit quasi costa, aut latus in domo, & putarem non trabem magnam significare, sed gracilem: quas nostri (asinas) vocant, quia Ezec. 41. dicitur. Et trabes, trabs super trabem. 33. pedum, & ingredientes parietem, qui est domui (lasselhoth) id est, ad latera in circuitu. Claret enim trabes magnas nõ poni per circuitũ ad latera. Aut si malueris die significare ligna, seu trabes: quas nostri vocant (Frechaes) & sunt ligna tanrę longitudinis, quãtæ est paries, & ponuntur fermè in parte superiori parietis, & sunt quatuor ad numerum parietũ domus, quibus ligna: quas vocari (asinas) diximus, affiguntur, & super illas tectum domus innititur, & optimè vocantur latera domus: quia ad latera domus ponuntur, & altera alteri coniungitur in angulis domus. Significat etiã claudicationem, quod claudus ad latus declinet: cùm incedit. ad quod citant illud Psalm. 32. Quia ego ad (selah). i. claudicationem paratus sum. Quod autem dicunt thalamum significare, non rectè meo iudicio sentiunt, quia vbi ipsi apud Ezec. Thalamum vertunt: melius quadrat, si latus vertas, vt patet cap. 41. Et ostium (haselah). i. thalami (vt ipsi vertunt) melius quadrat, & ostium lateris, vt Hiero. vertit, vbi dictio sępius repetitur, quibus omnibus in locis Hieronymus latus vertit. Ex quibus constat hoc nomen primum significare latus. An verò hic latus significet, vel costã, expendẽdum est. Si ergo latus vertas, dicendum est. Et tulit, seu accepit vnum. i. vnam costã è lateribus eius, & quia non poterat vnam ab vtroq; latere accipere, intelligo, quod ab vtroq; latere alteram accepit, ne esset homo plures costas in vno, quam in altero latere haberet: tum, quia experrectus à somno Adã vocat fœminam os ex ossibus suis, quod duo ossa, aut forte plura ab eo ad formandam fœminam sint ablata. Intelligo etiam, quod non nudas costas acceperit, sed simul cum carne: quia etiam Adã dicit. Et caro de carne mea. Sunt qui intelligant alio modo. s. Tulit vnum è lateribus eius. i. totũ latus: quibus nõ subscribo, quia prior sensus simplicior, & germanior est. Locus autẽ, à quo videtur esse ille, qui prope aluum est, quem nostri vacuum, seu, vazio, vocant: vbi apparet locus sine costis. Clausit autem loca illa, à quibus costas tulerat: carne, ne trũcus remaneret homo. Verbum (sagar). i. clausit: quod hic ponitur: dicunt Hebræi in (Piel) significare tradere: propter illud primo Samué. 26. (Sigar elohim). i. tradidit illum Dominus in manu mea: vt istã vertunt. Sed melius in propria significatione. s. Clausit illum Dominus in manu mea, ac si dicat, tam certo eum capiendum puto, ac si conclusus in manu mea esset: quia erat in certo loco: vbi arbitrabatur euadere non posse. Sic. 2. Samuelis. 18. vbi isti vertunt. Benedictus Dominus Deus tuus: qui, sigar, id est, tradidit viros: melius legas, qui conclusit viros: Sic. 1. Samuelis. 24. (Sigarni) id est, tradidit me Dominus in manu tua: melius legas, conclusit me in manu tua, id est, in tua posuit potestate: ac si me in manu tua conclusum haberes. Admonere autẽ voluit hæc: ne cum Hebræis facile multiplices vocabulorum significationes.

Et ædificauit Dominus costam, id est, costas: quas tulerat ab Adam: in mulierem.

Non constat qualiter ædificauerit, sed intelligendum est, quod adiungendo necessaria alia: quemadmodum cementarius fundamento domus alia adiungit: ossa enim sunt in homine, quasi fundamenta in

Universidad de Deusto
Biblioteca

domo. Formata autem est ex latere viri: quia semper debet esse ad viri latus, tanquam socia, iuxta illud Psal. Astitit regina à dextris tuis.

Adduxit eam ad Adam.

Quia enim adductis animantibus, nullum inuentum est simile ipsi Adæ, adducit modo ad eum fœminam: vt videat si placeat sibi, & vt illi socia sit.

Hæc vice.

Significat verbum, paham, à quo, paham, id est, vice frequentatis ictibus calcare, aut pedibus conculcare: Psal. 77. (Niphanthi) id est, conculcatus est spiritus meus, aut contritus. Et infra. 41. Fuit mane, &, tipeám, id est, conculcatus aut contritus est spiritus meus.

Quod autem conteritur, iteratis percussionibus contunditur. Inde, paham, vicem vnam significat. Iosuah. 6. Circundãdo vrbem, paham, id est, vice vna. Videtur hic, vice hac, idem esse, ac si diceret, nunc, & est phrasis linguæ, quemadmodum nos Lusitani dicimus (Deste ferro, desta feyra) per hoc significantes idem, quod hoc facto, seu nunc, aut hac vice. Posset etiam esse sensus. Hoc: quod nunc factum est, os ex ossibus meis est, non quod tota fœmina sit os, sed quod sic possit vocari, propter fundamentum, quod sunt ossa mea. Et hoc videtur diuina reuelatione cognouisse: quoniam dum hoc fiebat: fuerat soporem passus, neq; nouerat quod eo absente, factum est.

Hoc vocabitur virissa: quoniam de viro acceptum ipsum, aut accepta ipsa, propter quod: quia, scilicet de viro sumpta est ipsa, & quasi idem cum eo.

Derelinquet vir patrem suum, & matrem suam, & adhærebit, aut coniunget se cum vxore sua, & erunt ad carnem vnam.

Sensus est, & quia fœmina est os exossibus, & caro de carne. i. tam coniuncta viro, vt videatur eadem caro, & idem os: derelinquet homo patrem suum, & matrem suam, quantum ad cohabitationem, & associationem, seu societatem, quæcunque illa sit, & amorem, & coniungetur cum vxore sua, & ita erunt In amore coniuncti, ac si vna caro essent. Nam homo magis gaudet cohabitare vxori, cõfabulari cũ ea, & illi sociari: quam patri, & matri, quocunque genere societatis.

Et fuerunt ambo, aut, duo ipsi nudi, Adam, & vxor eius, & non pudebat eos.

Verbum, haram, à quo (harumim) .i. nudi, proprie significat inuolutum esse, & calidum: quod calidus sit inuolutus. 1. Samue. 23. Dixit enim mihi. s. quispiam (Harom, Iarim) .i. inuoluendo inuoluetur ipse. i. abscondendo abscondetur, aut calide agendo calide aget ipse. Exod. 15. In spiritu furoris tui, Nehermú, id est in uolutæ sunt aquæ, seu reuolutæ. Psal. 82. Super populum tuum, Iaarimu, inuoluerunt consilium. i. absconderunt. Inde (harúm) nudus, quod soleat se inuoluere, vt abscondatur. Inde etiam (haremah). i. aceruus, præcipue multarum rerũ, sic dictus ab inuolutione, quod in eo multa sint inuoluta. Hic verò nuditatem significat. Est ergo sensus quòd Adam, & vxor eius erant ambo nudi, & non pudebat eos, sic esse, quemadmodum pueros: quia nihil curabant, quòd nudi essent: propter summam illius status simplicitatem.

CAPITIS SECVNDI AD NOSTRAM eruditionem annotata.

Perfecti sunt cœli et terra, & omnis exercitus eorum.

Non solet potentissimus artifex, & bonus, opera sua bona inchoare, & non perficere cuius: perfecta sunt opera. Admonet nos primum locus iste bona opera nostra non solum inchoare, sed etiam ad perfectum perducere. Sed proh dolor, quòd opera nostra mala absoluimus, ita vt nihil malo operi desit: bona verò infecta, aut imperfecta relinquimus. Hoc videbis inter bonos & malos interesse, in bonis, & malis operibus perficiendis, quod boni omnia bona absoluunt, mala verò imperfecta relinquunt: cuius rei ex ipsa scriptura exempla accipe. Cœperat sanctus Rex Dauid cogitare, & cum propheta tractare, quod ipse habitaret in domo cedrina: arca verò Dei sub pellibus esset, tentauit addu cere in domum suã, sed videns, Hozah, pœnas dedisse, quòd eam tetigisset: opus deposuit. Sed nusquã quiescauit, quousque, quod cœperat, absoluit. Vnde & in Psal. de eo dicitur: votum Domino vouisse, quod non esset cubiculum ad requiem intraturus, neq; in stratum lectum ascensurus, neq; somnum oculis suis daturus: nisi inuento loco tabernaculo dei Iacob. Vides quid negotij fuerit sancto Regi imperficiendo bono opere. Quod verò raro, aut nunquã malum opus inchoatum perficiant, eius sancti Regis exemplo probabimus, cui cum rex Saul persequẽs in antro occurrisset, & milites sanguinis sitibũdi, vindictam ex hoste cõsulerent, non solum non sumpsit, sed quod orã chlamydis regis præcidisset: vehementer doluit, ægre ferens, quod sese vindicare cœpisset. Et quia Dominus nouit bonos raro, aut nunquã sua mala perficere, si quãdo velint, sua infinita bonitate occurrit. Cùm enim præfatus rex acceptam à Nabal iniuriam vindicãdam iuraret: ita vt nec mingentem ad parietem se relicturum promitteret, & iam iam vindicta ad manus esset: occurrit illi prudens Abigail suadens, ne cuius postmodum pœniteret, efficeret. Sciens autem prudentissimus rex hoc dei munus esse, in benedictionem prorupit. Benedicta (inquit) tu, quæ me iam in sanguinem euntẽ prohibuisti, & benedictus Dominus, qui hac de causa te misit in occursum mihi. De malis verò, quã anxij sint de perficiendo malo opere, audi quid de illis Dominus infra. 11. cap. dicat. Cùm enim famosam illã fabricassent turrim, qua sese ab aquis diluuij liberãdos putabãt: descendẽs Dominus, vt filiorũ Adam opus insigne videret, ait. Ecce cœperũt facere, neq; opus prohibebitur eis, aut (vt vulgata editio habet) neq; desistent à cogitationibus suis. Nouerat quippe hominum factor, hanc malorum conditionẽ esse, vt à malo incepto raro desistãt, & ideo sua ineffabili misericordia opus destruxit, aut impediuit incœptũ. Quod verò mala suis numeris absoluant, satis, cum se vindicãt, constare potest, quã graue eis sit, si quis vindictam, quam ab inimico cupiunt: prohibeat, aut impediat, quod improbe cupiũt. Et occulto Dei iudicio accidere solet, vt nonnunquã solum mala incipere cupientes, perficiant. Quoties malus hominem solum percutere, & vulnerare disponens, iusto Dei iudicio occidit: vt pœnas homicidij det. Discamus ergo ex hoc loco ab omniũ rerum conditore, bona opera non relinquere inchoata, sed ad suã vsq; perfectionem perducere: quẽadmodum ipse opus creationis, & redemptionis suis numeris absoluit: mala verò, aut non incipere, aut incœpta non ad finem vsque perducere.

Requieuit die septimo ab opere suo, quod fecerat.

Arguit locus iste auaros: qui, etiam si suppetãt necessaria, non quiescunt: quos etiam Salomõ Ecclesiastæ. 5. vituperat dicens. Dulcis somnus operantis, siue parũ, siue multum comedat. Satuitas autem diuitis nõ sinit eum dormire. Est tertio quod hic aduertas, non esse. s. quiescendum, nisi prius satis laboraueris: quemadmodum & creator tuus. Similiter pluribus diebus laborãdum; paucis quiescendum. Operatus est enim rerum omnium artifex sex diebus, & vno solo quieuit, quo exemplo eos arguit: qui parum, aut nihil laborantes, quasi toto tẽpore vitæ suę otiari volũt. Priores apostolus arguit præcipiens, nõ laborantem, neq; mãducare.

Benedixit Deus diei septimo.

Quid aliud locus hic quàm gratitudinem docet? Vt postquam Deus ita gratificatur diei, in quo solum ab opere suo quieuerat: totque illi bona contulerit, discamus & nos grati esse illis, qui in nobis beneficia collocarunt: maximé illi à quo bona cuncta procedunt.

Istæ sunt generationes cœli, & terræ.

Admonet locus hic distinguere inter beneficia Dei, & quæ ab eo opere, & ministerio naturæ consequimur: vt vnumquodque in suum referamus autorem.

Quia non pluere fecerat Dominus Deus.

Ne putares ea, quę natura habes, bona, nõ esse Dei munera: ostẽdit oĩa hęc egére pluuia ab eo demissa. Nihil enim hominis labor, nihil natura ipsa omnium parẽs promouere: si autor naturæ pluuiã suã & cœlorum influentias denegaret. Ad idem pertinet quod sequitur.

Inundationem egredi de terra ad faciem omnis terræ irrigandam.

Vbi te litera docet omnium patrem, naturæ defectus supplere. Cum enim cœlestis pluuia deesset: ipsi curæ fuit, fontem de terra facere scaturire: qui suis copiosissimus aquis terræ nascentia genita, perire siccitate non sineret.

Formauit Deus hominem.

Disce quanti te ô homo fecerit Deus: qui te post omnia creauit, tanquam Dominum omnium, quæ ipse produxerat. Similiter qualiter in te, & superbiam, & deiectionem temperauerit. Fecit enim te è puluere terræ, sutque imaginem dedit: vt si quandò Dei imago te inaniter extolleret, puluis reprimeret. Si autem tenuis puluis deliceret, deiectum, nobilis Dei imago subleuaret. Vbi simul aducrte: qualiter Dominus tuus ex intimo suo flatu vitam tibi communicauit.

Potuit enim dicere: fiat homo in animam viuentem, sed hoc non contentus, quasi ex suis præcordiis vitam eduxit. Cui non sat fuit vatibus spiritum suum communicare, sed noluit vllum hominem spiritus sui expertem: ideoque in faciem ipsius spiraculum vitę protulit. Quod si Dei vita viuis: quid tibi cũ brutis est: vt beluinam ducere vitam velis? Neque solum humanam naturam à nobis accepit: sed aliam etiam naturalem, & spiritualem contulit meliorem. Quod si intra præcordia tua, vitalis Dei flatus particeps es: quare fœtinum spiritum iratus, vt fera, emittis?

Plantauit Dominus Deus hortum in Heden ab oriente, & posuit ibi hominem: quem formauerat.

Quid est hom.o, quòd sic magnificas eum Domine: vt hortum tanto apparatu dispositum ad eum locandum, plantare digneris? Hic considera Dei dignationem: cui non sufficit arborem: cuius fructus hominis palatum alliceret: in horto plantare, sed & concupiscibilem aspectu: quo visus eius oblectaretur: produxit. Et mirum valde est, quas homini à principio Dominus Deus parauerit delicias: vt oculos pasceret: gustum oblectaret, & fœminam ad solatium conferret, & flumina.

Inde diuiditur in quatuor capita.

Docet locus iste bonorum nostrorum diuisionem: vt non ea soli possidere velimus. Vbi & aliud considera, quòd præcipuos hostes suos prius irrigat. Nouimus quid populo eius fecerit Assur, & alij vicini terræ promissionis: ad quos paradisi flumen tam copiosè mittit.

Posuit eum in horto, vt coleret, & custodiret.

Non vult Dominus hominem seruum ociari: nouerat enim quot mala docuit ociositas, neque tamen laboribus vrgere voluit, & posuit eum horti custodem, qui seipsum noluit custodire. In quo duo nobis esse necessaria docet. Alterum, vt hortos, qui nos ipsi sumus: excolamus: alterum, vt custodiamũs quæ colimus. Quid enim prodest, si summo studio nutrias, & colas virtutem, si eam ab impetu furari volentium non custodias?

Ex omni ligno paradisi comede, de ligno verò scientiæ boni, & mali ne comedas.

Admonuit Paulus Corint. 1. cap. 1. omnem pecudum custodem suo iure de lacte earum manducare. Sic oportet cultorem horti, de fructu arborum comedere. Vbi simul aduerte omnem patrem familias debere suis agricolis de victu prouidere, quemadmodum Deus Adæ. Expende etiam Domini liberalitatem, qui nihil sibi de fructibus reseruauit, sed vno excepto, omnes alios ei concessit ita: vt potius hominem Dominum horti, quàm cultorem instituisse putes. Nec solum comedere permisit, sed præcepisse videtur, quòd dominos docet, non solum necessaria suis prouidere, sed etiam, si opus sit, cogere ad percipiendum.

Ex ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.

Multa locus iste suadet. Primum muneris Domini esse prohibere nocitura suis. Secundum seruos esse probandos, sint ne fideles necne. Tertium multa esse: quæ melius est nescisse, quàm scire. De qua re vide Bernardum in Canticis super illud. Si ignoras te.

In die, quo comederis ex eo, moriendo morieris.

Mirum valde videtur, quòd tam leue (vt videtur) delictum tam grauis sequatur pœna: cùm videamus Deum sæpius grauissima delicta parua pœnitentia condonasse: quemadmodum in Dauid, in Magdalena adultera, Latrone, & multis aliis fecisse sacra docet historia. Quo nos voluit Dominus docere, vitandam esse cum præsumptione desperationem. In punitione grauis Adæ, docuit nullum peccatum in eum commissum, esse leue: in condonatione verò grauium, nullo pacto esse desperandum: omnia etiam leuia grauissime punit, & omnia etiam grauissima facilè condonat. Quis non timebit peccata, quę fecit: cum videat leuissimum, (vt videtur) peccatum tanta seueritate puniri? Quis autem desperabit, videns tam gratia, tanta celeritate condonari? Vbi simul aduerte mali conditionem: vt non solum factum, sed cognitum noceat.

Non est bonum, hominem esse solum.

Etiam si aliquando noceat, bona est societas. Nam si bonus permaneas, & malorum sit: non nocebit: si verò bonorum, iuuat quàm maximè.

Faciamus ei adiutorium, quod sit coram eo, aut *sicut nuntius ipsius.*

Audiant hæc vxores, & discant non esse virorum dominas, sed ministras: libido tamen virorum ex ministris, dominas fecit. Nec solum ministra est mulier, sed etiam socia.

Adduxit ad Adam, vt videret, quid vocaret illud.

Arguuntur hoc loco Domini, qui seruorum suorum nomina scire dedignantur, & illorum curam negligunt. Tam peculiaris enim debet esse seruorum apud Dominum cura: vt non modo seruorum, sed omnium etiam iumentorum nomina sciat. Quod si Dominus voluit Adam animalium, & pecorum nomina scire, quid facient pastores, qui hominum scire nomina negligunt, ouesque sibi commissas vix in vita semel viderunt?

Adæ verò non inuenit adiutorium.

Noluit inuenire: vt daret ipse, & hominem sibi ex hoc beneficio deuinceret. Inter conuenientes aliqua similitudo esse debet, quæ si non sit: deficiet cito.

Cadere fecit Deus extasin in Adam.

Quid hoc opus est Domine? Nunquid deest figulo lutum, aut non potes, eo vidente, illi facere adiutorium: vt opus sit soporem inducere? Absit. Nouerat sapientissimus artifex amabile bonum vnicuique proprium: ideo ex propria carne adiutorium fecit, vt veluti quid suum diligeret. Ostendit etiam quàm difficile sit ab homine auferre, quod etiam in eius cedit vtilitatem. Filij Adam genus suarum, non sinunt sibi auferri, etiam quod sibi vtile est: quamobrem opus est ab eo subripere, quod ipse concedere negligit.

Clausit carnem pro eo.

Restitutionem faciendam esse docet locus iste.

Adduxit ad Adam.

Colligo hoc ex loco matrimonia male fieri per nuntios, aut inter absentes. Debet enim vir videre vxorẽ, an placeat, ex cuius defectu multa, vt videmus, oriuntur mala. Similiter suadet matrimonia debere esse libera, non coacta. Similiter debere inter pares fieri.

Os ex ossibus meis.

Quàm inter virum, & vxorem amor esse debeat, admonemur hic: vt quasi os, & carnem suã diligat eam, & propter eam omnem parentum societatem deserat, societate vxoris contentus vir.

Erant ambo nudi, & non pudebat eos.

Fœtum peccati constat esse verecundiam: vnde iusti non habent, quod verecundentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. TERTIVM.

ET *serpens erat callidior omni bestia agri : quam fecerat Dominus Deus. Et dixit ad mulierem. Vere dixit Deus, non comedetis ex omni arbore horti ? Et dixit mulier ad serpentem. De fructu arboris horti vescimur. At de fructu arboris, quæ est in medio horti, dixit Deus. Non comedetis ex ea, & nõ contingetis eam, ne forte moriamini. Et dixit Serpẽs ad mulierẽ. Non moriẽdo moriemini. Scit enim Deus, quod in die, qua comedetis ex ea, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum. Et vidit mulier, quòd bona esset arbor ad vescendũ, & quod delectabilis esset oculis, & cõcupiscibilis arbor ad intelligendum, & tulit de fructu ipsius, & comedit, deditque etiam viro suo secum, & comedit. Et aperti sunt oculi amborum ipsorum, & cognouerunt, quod nudi essent, & consuerunt folia ficus; & fecerunt sibi cingulos. Audieruntq; vocem Domini Dei ambulantis per hortum, ad auram diei, & abscondit se Adam, et vxor eius à facie Domini dei, in medio arboris horti. vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei. Vbi es tu? Et ait. Vocem tuã audiui in horto, et timui, quia nudus eram, & abscondi me. Et dixit. Quis indicauit tibi, quòd nudus esses? Nónne ex arbore, quam præcepi tibi, vt non comederes, comedisti? Et ait Adam. Mulier, quã dedisti: vt esset mecum, ipsa dedit mihi de arbore: et comedi. Dixitq; Dominus deus ad mulierem. Cur hoc feciſti? Et ait mulier. Serpens erraре fecit me, & comedi. Et dixit dominus ad serpẽtem. Quia fecisti hoc, maledictus eris præ omni ani mali, & præ omni bestia agri. Super ventrem tuum gradieris, & puluerẽ comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, & inter semen tuum, et inter semen eius: ipsum conteret tibi caput, et tu cĩteres ei calcaneum. Ad mulierem dixit. Multiplicando multiplicabo dolorẽ tuum, et cõceptum tuum: cum dolore paries filios, et ad virum tuũ erit desideriũ tuum: et ipse dominabitur tibi. Adæ verò ait. Quia paruisti voci vxoris tuæ, et comedisti ex arbore: de qua præcepi tibi dicens, non comedes ex ea: maledicta terra propter te. In labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Et spinã, & tribulũ germinabit tibi: & comedes herbã agri. In sudore vultus tui, vescéris pane, donec reuertaris in terrã: quia ex ea sumptus es, quia ex puluere es, et in puluerẽ reuerteris. Et vocauit, Adam nomen vxoris suæ Chauuah: quia ipsa erat mater omnium viuentium. Fecitq; Dominus Deus Adæ, & vxori eius, tunicas pelliceas, et indueret fecit eos. Dixitq; Dominus Deus. Ecce Adam fuit fermè vnus ex nobis, sciendo bonum, & malum. Et nunc, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & viuat in sæculum. Emisit eum Dominus de horto Heden, ad colendum terram: ex qua sumptus fuerat. Et eiecit Adam, & collocauit ab oriente horti Heden Cherubim : & flammeum gladium, versatilem, ad custodiendum viam arboris vitæ.*

CAPITIS .III. ANNOTATIONES ad literam Summa.

Serpens seduxit hominem. Maledicitur homo. Promittitur semen: qui est Christus.

ET *serpens fuit callidior omni bestia agri, quam fecerat Dominus Deus.*

Verbum Hebraicum, nachas, à quo, nachas, id est, serpens, proprie significat incantare, maximè sonitu, seu diuinare ex sono alicuius, siue sit verbum, siue cantus, siue hominis, siue auis: vt patet primo Regum. 20. vbi serui Benadab audientes Regẽ Achab vocasse frattem, Regem Syriæ, omen, aut augurium ex verbo sumentes dixerunt. Frater tuus Benadab viuit: vbi textus habet. Et viri, Ienachasu, id est, augurati sunt, id est, omẽ accepere ex verbo regis. Inde serpens vocatur, nachas, quasi incantata, quod, scilicet mussitando incantetur. Vnde etiam, nechoseth, id est, æs vel chalybs, à sonitu sic dictus. Posset tamen dici, quod verbum significet inuoluere, seu inuolui, & exinde serpentem ab inuolutione, & æs, quod facilè inuoluatur, &, nechustis, compedem, quod sit inuolutus, &, nechusath, viscera, eadem ratione. Non enim plane constat, quid proprie significet: alterum tamen horum significare videtur. Vnde illud Gen. 44. Et ipse, naches ienaches, id est, augurando auguratur ex illo, aut in illo. Reddi posset. Et ipse circumeundo circuit in illo. Et forte hoc diuinandi genus erat in figura circulari, vt in ore rotundi vasis, aut in baculo. Hoseah enim. 4. habes. Populus meus lignum suum interrogabit, & baculus eius annuntiabit ei. Nondum tamen propriam significationem definio, quia nondum mihi certa est. Quod verò sequitur.

Callidior omni bestia agri.

Iam capite præcedenti admonuimus, verbum (harũm) significare proprie inuolutum esse, exinde esse callidum, quod callidus videatur inuolutus, vt ignores, quid lateat in eo. Talis hic describitur serpẽs. Sunt qui putant non fuisse verum serpentem: quorum sententiam pœna serpenti inflicta exibilat. Videmus enim vsque hodie verum serpentem super suum pectus gradi, terram comedere, homini maximè inimicari, & illa omnia perferre, quæ illi Dominus in peccati pœnam inflixit. Quamobrem verum æstimo fuisse animal, sed non à principio suæ creationis locutum humana voce: putarem tamen eum erectis pedibus gradientem, quemadmodum quædam alia animalia : quod inde coniicio, quia in pœnam illi datum est super pectus suum gradi, non esset autem hoc illi pœna, si hæc illius natura fuisset, crediderim etiam eum non sua natura loquutum, quoniam locutio solis illis natura inest, quibus ratio, & vis discursiua in esse contingit, cui dibile verò est, soli homini inter corporeas substantias creatas hæc à Domino fuisse donata, licet quibusdam animantibus, quædam particularis vis ad hoc in esse videatur. Quære credendum est dæmonem: serpentis intrasse,

intrasse & occupasse corpus, & ad loquendum humano more, linguam ipsius mouisse: fœminamque tunc adeo desertam blandis sermonibus decepisse. Neque mirandum quòd fœmina non miretur insolitam in serpente humanam loquelam : quoniã recenter creata, non nouerat, quas virtutes Deus aliis animantibus contulisset.

Verè dixit Deus, non comedetis ex omni ligno horti.

Varie locus iste redditur, & intelligitur, tam ab Hebræis quàm à nostris : quia significatio dictionis, aph, non, plene nota est: dicitur enim significare adhuc, amplius, etiam, quantò magis, verò. Denique interpretes tribuunt illi significationem, prout vident, loco congruere. Significat etiam iram : vt capit. 1. admonuimus : & meo iudicio hæc significatio magis huic loco congruit. Nam in Hebræo habetur, aph chi, & sensus, meo iudicio, est, quod serpens dixerit. Ira, quoniam dixit Deus : non comedetis de omni ligno horti. Ac si apertius dicat. Ira est Domino aduersum vos, aut iratus est vobis. Cuius rei indicium est, quia dixit : vt non comederetis de omni ligno horti : seu quod aliquod lignum vobis interdixerit: debuit enim omnem fructum concedere vobis, & nullum prohibere. Neque est sensus, quòd serpens mẽtitus dixerit, omne lignum prohibitum : quia manifestè constabat licuisse ex omni, vno excepto, comedere: de cuius prohibitione quærit serpens. Non tamen est absurdus alter sensus: quem responsio mulieris firmare videtur. Dicit enim. Ex omni fructu eos vesci. Rabbi Dauid exponit, quanto magis, & dicit serpentem ante hoc dixisse mulieri alia verba, nempe hæc. Deus odio habet vos: quanquam sitis cunctis aliis creaturis nobiliores : quia non dedit vobis gradum talis, ac talis animalis. Nempe pulchritudinem Pauonum, fortitudinem Leonum, velocitatem Ceruorum, aut auium, quanto magis cùm dixerit vobis: non comedetis. Ex quo agnoscere potestis, quòd odio vos habeat. Neq; additio hæc (inquit) debet dura videri: tum quia dictio, chi, semper aliquid addit super illud: quod dicitur. tum quia mos est diuinæ scripturæ, ex fine verborũ facere principia eorum intelligere : vt de exploratoribus patet, qui dixerũt. Dedit Dominus in manu nostra omnem terram : & etiam, quia dissoluti sunt habitatores terræ à facie nostra. Neq; est rectũ, quia, retulit rationem eorũ, quæ prius dixerat. Hæc ille: qui à nostra sententia non longè abest. Si verò quæras, quare serpens voluit fœminã seducere, & inducere ad transgrediendũ diuinũ mandatũ? Dicunt Hebræi, quod quia vidit homines in superiori gradu conditos, quã esset ipse: & pluris quàm se, à deo fieri. Sed veritas est, opus hoc diaboli, potius quàm serpentis fuisse, qui etiam ex inuidia humanæ dignitatis incitatus est ad eos decipiendos.

De fructu ligni horti comedimus.

Id est, de omni fructu comedimus, sed non de fructu: qui est in medio horti. Respõsio hæc videtur probare, quod supra diximus dixisse, scilicet serpẽtem ad mulierem: quare Deus prohibuisset eis esum omnis fructus. Potest tamen stare primus sensus, & fortè serpens ambigue loquutus est, & fœmina sicut intellexit, respõdet.

Non tangetis eum.

Hoc ex suo addidit fœmina, ad exaggerandum prohibitionem. Aut potius pius pater præcepit non tangere, licet scriptum non sit: ne cõtingeret edere. Solet Dominus vias ad peccandum, seu initia præcludere: ne contingat peccare. Sic Exodi. 21. mãdat sepẽ ad montis radicem ponere, ne contingeret ascendere. *Ne fortè moriamini.* Putabat mulier, non esse Deum tam sæuum: vt pro vnius pomi esu vellet eos perdere, ideo dixit: ne fortè. Sunt tamen qui hoc non dubitatiue dictum existiment, sed quod idem sit, ac si dixerit. Ne fortè comedatis, & ne moriamini.

Quoniam scit, quoniam in die comedere vestri, id est, qua comedetis ex eo : *aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, cognoscentes bonum & malum.*

Ideo, scilicet, prohibuit esum. Nisi enim hoc suppleatur: conscissa videtur esse locutio. Ostendit serpens fœminæ Deum inuidum fuisse : & ex inuidia noluisse illis communicare scientiam boni & mali. Iam supra admonui primos parentes fuisse in summa simplicitate creatos : quales sunt pueri, & etiam iuuenes aliqui: qui nesciunt aliquẽ decipere, aut ei dolos texere, & arbitrata est mulier quid magnũ esse huiusmodi scientiã: qua vtinam perpetuo caruisset, vt non essent tot deceptiones, tot fraudes: quot in mundo quotidie fiunt.

Vidit mulier, quod bonum esset lignum, id est, fructus ipsius ad comedendum.

Nondum gustauerat, sed ex aspectu indicauit gustum, ignorãs quot fructus ex aspectu, boni ad cibum, & suaues apparent, & tamen sunt omnino insipidi.

Et quod desiderabilis esset, aut arbor, aut fructus oculis. id est, pluchra ad videndum.

Et concupiscibilis arbor ad faciendum intelligere.

Hebraice est *Et desiderata ad faciendum intelligere.* id est, etiam hanc habebat desiderandi rationem : aut quod desiderabilis esset; scilicet, ad faciendum scire. Ex quo videtur, hanc vim faciendi scire fructui infuisse. Verbum, sachal, à quo, lehaschil, id est, ad sciendum, videtur significare caute, & prudenter agere, seu scire ad operandum. Significat tamen cognoscere qualitercunque. Quod verò caute, & prudenter agere significet patet infra. 48. (Sichél) id est, prudenter, seu caute agere fecit manus suas, ponens, scilicet, dexteram super Ephraim : sinistram verò super Menasseh : qui erat primogenitus. Idem primo Samuelis. 18. Et fuit à tempore : quo egressi sunt Philistini, sachal, id est, caute, seu prudenter egit Dauid præ omnibus seruis Saulis. Et videtur, quod hoc voluerit Deus primis parentibus occultare : vt, scilicet astutias. & cautelas ignorarent: & hoc est quod fœmina appetere videtur, & serpens : qui hæc nonerat, suadere, quod ex consilio, quod ei dedit omnibus technis plenum : constare videtur. Quod verò etiam significet qualitercunque intelligere, patet Danie. 1. (vmaschilim) id est, & intelligentes in omni sapientia.

Dedit viro suo secum, & comedit.

Duplex est horum verborum sensus. Alter, quod dederit viro suo, qui secum erat. Alter, quod dederit viro suo: vt simul secum comederet, qui comedit cum ea, ex eo. Prior tamen simplicior videtur.

Cognouerunt, quoniam nudi ipsi.

Nulla est melior similitudo, ad hoc intelligendum, illa : quam de pueris adduximus : qui & si nudi sint; & se nudos videant: non tamen curant, neque verentur. Sic primos parentes intellige. Neque putes eos antea fuisse cæcos, vt non viderent se nudos : cùm fœmina fructum arboris pulchrum videret ad vescendum, sed non se nudos cognouerãt, ad erubescendum : quemadmodum de pueris diximus, & hoc modo cognouerunt se esse nudos : quia ceperunt erubescere : quemadmodum iuuenis, cùm venit ad vsum rationis.

Consuerunt folium ficus.

Hoc est, folia ficus. Aduerté quòd, tapar, Hebræis est suere : sed meo iudicio, potius significat coniungere quocunque modo, quàm suere : tum quia illo in tempore nondum erat acus, neque ars aliqua fabrilis inuenta : nisi dicamus, vepribus consuisse. Tum quia vbicunque hoc verbum in sacra scriptura ponitur: tam bene quadrat cõiungere : sicut suere : vt Iob. 16. (Sach taparthi) id est, saccum consui, aut melius, coniunxi super cutem meam. Non enim saccus consuitur super cutem, sed consutus super cutem ponitur. Sic Ecclesiasti. 3. Tempus scindendi, & tempus, litpor, id est, consuendi: melius, coniungendi, quod scissum est. Idem. Ezechi. 13. Veh, lintaperoth, id est, suentibus puluillos : vbi melius vertas, coniungentibus: non enim sonconiungere, ideo melius interpretandum puto.

Consuxerunt folia, vel manu, aut ligando vnum alteri : aut vepribus suendo, & putarem ligasse folia:

Universidad de Deusto
Biblioteca

& fecisse sibi cinctoria : vt statim sequitur. Dictio etiam, haleh, id est, folium ab, halah, ortum habet: quod significat ascendere, vnde, haleh, id est, folium, quod vento ascendat, dictum puto. Dictio vero, theenah, ficum significat, tam fructum, quàm arborem. Arborem hic significat, & Numeri. 20. versu. 5. & Iudi. 9. versu. 11. Fructum verò Ieremiæ. 8. Non sunt, theenah, id est, fici, aut ficus. Et coniectura non parua est, fructum prohibitum, fuisse ficum : aut non longè ficum abesse : cuius folia coniunxerunt. Dictio verò sequens, scilicet, chagoroth, aut cingulos, aut indumenta significat. Nam, chagar, est Hebræis cingere, sunt tamen loca : in quibus videtur significare induere, aut operire, vt primo Samuelis. 2. Puer, chagar, id est, indutus ephod lineo : vbi alij vertunt accinctus. Primo etiam Regum. 20. Non iactet se, choger, id est, induës, vt solutus, id est, non se iactet de victoria, qui arma induit, sicut qui discingit, aut deponit post victoriam. Sunt tamen aliquot loci : in quibus nullo modo conuenit induere : vt Psal. 45. (chagor) id est, accinge gladium tuum, & primo Samue. 25. (chigru) id est, accingite vnusquisque gladium suum. Vnde illud primo Regum. 20. secundum hanc significationem verti posset. Non se iactet, cingens se, scilicet, armis, sicut discinctus, sed sensus est idem. Fecerunt ergo sibi cinctoria, vt pudenda regerent.

Audierunt vocem Domini Dei ambulantis in horto ad ventum diei.

Constat ex hoc loco, Deum in humana effigie apparuisse, & in horto ambulasse. Et quod sequitur.

Ad ventum diei : Loquitur scriptura de Deo ad modum magni Domini, qui in æstiuo tempore solet hortum adire, cum iam ventus cœperit flare, ad refrigerium. Aduerte etiam hic, quod, Iom. id est, dies, aliquando significat diem, aliquãdo tempus. Exemplum primi habes capite primo huius. Vocauitq; deus lucẽ (Iom) id est, diem : vbi significat diem artificialem. Secundi verò exemplum est Nume. 1. (beiom) id est, in tempore : quo percussi omne primogenitum, sed ibi etiam potest diẽ significare. Sic Isaiæ. 30. (beiom) id est, in tempore occisionis, aut in die. Dicunt etiam significare quotidie, cum geminatur, vt Gene. 39. Cùm loqueretur ipsa ad Ioseph, Iom Iom, id est, cotidie, aut per singulos dies. Exodi. 16. super illud. Quod colligent, Iom Iom, id est, die & die, seu cotidie. Dicunt insuper plurale, scilicet, Iamim, significare dies, & annos : vt infra cap. 24. Maneat puella nobiscum, iamim ô hassor, id est, per annum, vel decem menses. Sed sine vlla ratione hoc dicunt, vnde cum Hieronymo vertendum est. Diebus vel decẽ, aut aliquot diebus, vel ad minus decem. Hic pro die artificiali sumitur, & hæc est propria significatio eius. Nam primo capite dictũ est, vocasse Deum lucem diem, & tenebras noctem, vnde constat solum tunc, cum lux est, vocati proprie diem.

Dixit illi. Vbi tu?

Dictio Hebraica, aiecchah, videtur esse composita ex, ái, quod est heu, &, ĉi, quod est tu, id est, hei tibi, aut hei vbi tu ? In multis tamen scripturæ locis significat quomodo, vt Ieremiæ. 2. (eiách) id est, quomodo dicis, non sum polluta? & Threnorum primo Echah, id est, quomodo sedet ?

Timui : quoniam nudus ego, id est, veritus sum faciem tuam.

Mulier : quam dedisti mecum, id est, vt mecum esset : *dedit mihi. Serpens seduxit me.*

Incerta est significatio verbi, nassa, vt plurimum tamen significat seducere, decipere, Isaiæ. 19. (nissu, id est, seducti sunt principes Noph. Quæ autem desolare significant, non videntur ex hac radice, sed à (ssaah).

Maledictus tu.

A primo autore sibi ostenso cepit vindicare peccatum, & pœnæ vero serpenti inflictæ, præ se ferunt verum fuisse serpentem. Et cum dicit :

Maledictus tu.

Sensus est. Mala tibi homines imprecabuntur, aut abominabilis eris hominibus, præ cunctis bestiis, & feris agri. Non inquirit à serpẽte, cur hoc fecerat : quia nouerat esse callidum, & malitiosum, ac si quod suum erat, fecisset, non tamen impune.

Super pectus tuum ambulabis.

Dictio, gachon. incertæ est significationis, & sequentes Chaldæum paraphrasten, vertunt : super ventrem. Hieronymus vero, & qui eum sequuntur, pectus, & sententia Hieronymi videtur probabilior : quia, vt videtur, antea serpens super ventrem suum gradiebatur, sed non super pectus : quod eleuatum habebat : nunc verò super pectus ambulat, sed parum refert, siue vertas pectus, siue ventrem. Dictio ponitur etiam Leuitici. 11. vbi dicitur. Omne ambulans super (gachon) id est, ventrem, aut pectus.

Et pulverem comedes.

Nam antea comedisse herbas videtur, quemadmodum alia animantia. Quatuor ponuntur hic mala inflicta serpenti, scilicet, esse maledictum præ omni bestia agri, gradi super ventrem, comedere perpetuo pulverem : quarto inimicari mulieri, & semini eius : quod Dominus fecit, ne iterum deciperet : si colloquia cum homine miscereat : & ita factum est, vt fœmina maximè serpenti inimicetur.

Et inter semen tuum.

Scilicet serpentis, & mulieris.

Hic, id est, ipsum scilicet semen mulieris, seu *hoc conteret tibi caput, aut percutiet tibi caput, & tu illi calcaneum.*

Et ita re vera est, quod homo, quia nouit serpentem per medium scissum viuere : non curat scindere corpus, sed conterit caput eius, si possit. Serpens verò : quia non potest corpus leuare : quantum in se est, calcaneo insidiatur, vt mordeat. Aduerte hic tamen, quod dictio (haqueb) id est, calcaneus ab (haeab) deriuatur : cuius significatio non est plene certa Hebræis. Dicunt autem significare seducere, supplantare, retardare, & denique illud vertunt, prout vident loco : in quo ponitur : congruere. Mihi verò videtur significare, insidiari, maximè à tergo, aut à tergo tenere. Hosæ. 12. In ventre, hacah, id est, à tergo tenuit, seu supplantauit fratrem suum. Ieremiæ. 9. Omnis frater, Hacob Iahcob, id est, supplantando supplantabit, aut insidiando insidiabitur. Idem infra. 27. Verè vocauit nomen eius, Iahacob, & (vaiahquebéni) id est, supplantauit me, aut insidiatus est mihi. Iob. 37. Tonabit voce maiestatis suæ, & non (Iehaquebem) id est, supplantabit, seu à tergo tenebit ea, scilicet fulgur, & tonitru. Et nomen, hacheb, Ieremiæ. 17. (hacheb) id est, insidiosum est cor hominis, præ omnibus. Isaiæ. 40. Erit, hehacob, id est, insidiosum peruersum tortuosum, in rectitudinem. Inde (haqueb) id est, merces : quod quasi à tergo sequatur opus. Hic autem videtur significare, insidiari à tergo. Sic enim serpens homini insidiatur, & serpenti homo.

Multiplicando multiplicabo angustiam tuam : & conceptum tuum. In angustia paries filios, & ad virum tuum decursus, aut appetitus tuus : & ipse dominabitur tui.

Non est plene certum quid significet, hesseb, quod angustiam vertimus, expensis tamen locis, in quibus ponitur verbum, hasah, videtur significare comprimere, seu comprimi, & aguisiari, quod angustia affectus, sit quasi compressus. Primo Regum. 1. Et non, hasabo, id est, compressit, angustiauit eum, scilicet Hamon pater suus. Isaiæ. 54. quia sicut mulierem derelictam, vahasubath, id est, compræssam spiritu, vocauit te Dominus. Et 63. (ihsebũ) id est compresserunt spiritum sanctitatis eius. Et clarius Iob. 10. Manus tuę (hasebúm) id est, compresserunt me : quemadmodum figulus lutum. ex quo facit vas. Ecclesiast. 10. Qui transferrt lapides, iehaseb, id est, comprimetur, aut angustiabitur ab eis. Hinc (hoseb) .i. idolũ, sic dictum, quod sit compressum veluti vas figuli. Isa. 48. Ne fortè dicat, hasebi, id est, idolũ meum, compressio mea fecit hoc : & hac de causa, meo iudicio, dictio hic significat angustiam, compressionem : ideoque vertimus, multiplicabo angustias tuas, seu compressiones tuas, & conceptum tuum. Non intelligas, quod multiplicabit prolem : quia hoc pro magno munere Dominus fœminis illo tempore concedebat, & hoc malum infligendum erat omnibus fœminis : non autem omnibus fœminis multiplicatur fœtus, sed semo est de tempore conceptus. Decreuerat enim Dominus, vt fœmina suscepto semine, & formato fœtu, statim illum emitteret, & non gestaret in aluo ad nouẽ mẽses, cum maxima molestia : ideo in pœnam peccati multiplicauit tempus : quod etiam nomen, haron, innuere videtur, quod, non solum conceptum, sed grauidationem significat : sicut verbum, harah, etiã grauidare. Vnde verti posset, & grauidationem tuam, & vltra hoc voluit in angustia, seu compressione parere filios. Nõ solum igitur in gestatione angustiaberis, & comprimẽris, sed etiam in partu, neque cùm primum filium emiseris, sed omnes cum angustia emittes.

Et ad virum tuum appetitus, aut decursus tuus.

Non est sensus, quod fœmina in pœnam peccati habebit appetitum ad virum suũ, id est, appetet absentem : sed omnia desideria, & discursus eius erunt sub potestate viri, ac si dicat in potestate viri erit desiderium tuũ & discursus tuus, & statim explicat : ita, quòd ipse dominabitur in te. Nam antea, multa poterat fœmina desiderare cum effectu, absque consensu viri, similiter poterat huc & illuc discurrere, sed propter peccatum, huiusmodi libertas ei adempta est. Aduerte etiam, quod ideo hic vertimus, desiderium, aut desluxum, quia verbum, such, desiderare, & decurrere significat. Nam verbum proprie currere, & fluere significat. & ex consequenti desiderare, quod desiderium huc & illuc discurrat. Quod exemplis monstrabimus. Nam Psal. 65. habes. Visitasti terram, vatesucqueah, id est, decurrere fecisti eam, scilicet, aquis, aut fluere fecisti eam. Iohelis. 2. (vehesicu) id est, decurrere facient torcularia vinum. Hinc, soc, id est, platea, sic à concursu hominum dicta. Inde etiam coxa, aut tibia, quod ea currat animal. Nachúm etiam. 2. (istaquesún) id est, current per plateas. Constat etiam hoc ex significatione verbi, sacae, quod est eiusdem significationis cum, suc, & significat discurrere, vt patet Ioelis. 2. Per ciuitatem, iasú, id est, discurrent. Similiter, sacah, irrigare : quod est quasi idem, quod facere aquas currere. Neque mireris, si in huiusmodi significationibus non sequamur Hebræos : quia cum ipsi ex coniecturis significationes venentur : si meliores inueniamus : non mirum, si suas non acceptemus. Conamur tamen quoad possumus, vnam ex eis : quas ipsi verbo tribuunt : deligere, & non facilè, vt ipsi faciunt, multiplicare. Quod autem, Thesucah, significet desiderium : probabitur infra. 4. capite : vbi dicitur. Tibi erit Thesucatho, id est, appetitus, seu desiderium eius, scilicet, subditum : quod Hieronymus vertit : subter te erit appetitus tuus. Item Cant. 7. Ego dilecto meo, & super me, Thesucatho, id est, desiderium eius. Posset tamẽ verti. Et super me, seu propter me discursus eius.

Quoniam audisti, id est, obedisti.

Vsurpat hebraismus frequentissime audire, pro obedire : quod præceptum audiatur, vt fiat.

Maledicta terra propter te.

In quo consistat ista maledictio, statim explicat. Nam, vt diximus, maledicere Dei, est, malefacere, seu punire, quemadmodum benedicere eius, est benefacere.

In angustia, siue compressione comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ.

Potest angustia hæc ad hominem : & ad terram referri. Et si ad hominem referas : sensus est, in angustia tua, id est, arctatus, & angustiatus, scilicet ex labore comedes terrã, id est, fructum eius. Si verò ad terram : (quod mihi magis arridet) referas : sensus est. Comprimendo, & angustiando terram, comedes eam : ac si dicat. Non te sua sponte pascet, & nutriet, sed compressa, & arctata à te, dabit tibi cibum. Videtur autem iste

sensus germanior ex eo, quod maledictionem super terram erat comminatus.

Spinam, & tribulum germinabit tibi.

Dictio Hebraica, cos, id est, spina, est à, eus, quod Hebræis significat angustiis affici, expergisci, seu euigilare, æstiuare, & alia : & hæc ideo, quia propriam ignorant. Ex coniecturis autem videtur verbum significare finire, deficere, quod qui deficit, finiatur : & præcidere : quod est finem facere rei præcisæ. Ex tribus autem hãc significationem coniector. Primo, ex, ques, quod significat finem. Secundo, ex, casas, &, casah, quæ videntur eiusdem significationis : quæ ambo significant deficere, & præcidere : quod, vt diximus, est finem facere. Tertio, quia hęc significatio, aut altera earum quadrat omnibus locis : in quibus verbum ponitur : quod exemplis monstrandum est. Primo Isaiæ. 7. Antequam puer sciat vocare patrem, & matrem : relinquetur terra : quam tu, cas, id est, ob quam finis te, aut ob cuius metum deficis, à facie duorum regum. Vbi vulgatus vertit. Quam tu detestaris. Item Gene. 27. casthi, id est, deficio, aut finio me : quod nos (ad hoc proprium verbum habentes) Lusitane dicimus, Finome, propter filias Cheth. Sic Numeri. 21. Anima nostra, casah, id est, deficit, finitur propter panem leuissimum : ac si dicant. Panis iste non implet ventrem nostrum, sed deficimus cum eo. Leuit. 20. Omnia hæc fecerunt, vaacus, id est, deficere feci eas, scilicet gentes, aut finiui illas. Idem Prouer. 3. & multis aliis in locis. Quia etiã æstas est finis anni, aut quia eo tempore homines propter æstum deficere videntur, significat æstiuare : &, caijs, æstatem. De verbo patet Isa. 18. (vecas) id est, æstiuabit super eã volucris, & omnis bestia terræ super eam hibernabit. In, piél, verò, vbi ipsi dicunt significare, expergisci, possumus etiã vertere, finire, vt patet Eze. 7. Finis venit, venit finis, hequis, id est, euigilauit, vel expertectus est aduersũ te. Potes vertere, finẽ fecit aduersus te. Item. 2. Reg. 4. Nõ, hequis, id est, experrectus est puer : vbi vertere potes. Non finiuit puer scilicet, somnum mortis. Sic Isa. 29. (vehequis) id est, expergiscetur, aut finiet somnum, & vacua erit anima eius. Significat ergo, cos, spinam, quod in æstate exciccetur, aut pungat : quia tunc durior est. Dicit autem Rabbi Abraham, cos, esse spinam maiorem, dardar, verò : quod hic statim sequitur, minorem, & nasci intra segetes putat : & merito, quia, vt hic dicitur, terra loco segetum, emissura erat spinas. Sequens verò dictio scilicet dardar, ignotæ significationis est apud Hebræos. Nam nominum propriorũ significationes omnes ferè ignorãt. In libro Beresit, rabbah, exponitur carduus. Hiero. tribulum vertit. Ponitur nomen Hosę. 10. vbi dicitur. Spina, vedardar, id est, & tribulus, vel carduus ascẽdit. Et quod sequitur.

Germinabit tibi : potest verti. *Nasci faciet tibi. Comedes herbam agri.*

Videtur ex hoc loco, quòd antea leuerit grana, & semina comedere : nunc verò arctatur ad comedẽdum herbas. Aut germanius. Antea comedebat ex fructibus delicatis horti, nunc verò iterum ad herbas comedendas mittitur. Nam antea capite præcedenti dictum est ei. Ex omni ligno, seu arbore horti comedes.

In sudore vultus tui, aut nasi tui, *comedes panem tuum.*

Ignorant Hebræi, quid proprie significet, zehath, Putant tamen radicem nominis esse, iazah, quod significat sudare. Vnde, iazah, id est, sudor. Ezechie. 44. Non accingent se in, iazah, id est, sudore : verbi ignota est significatio. Neque est coniectura : quia solis his locis dictio inuenitur in scriptura : & est sensus, quod in multo labore comedere debeat panem, cum sudor nõ nisi ex multo labore causetur : aliqui laborem vertunt. Si radix esset, zauah, significaret cõmotionem, & sensus esset : in commotione, scilicet magna faciei tuę, aut nasi tui comedes panem. Cum enim homo multum laborat : fit magna commotio interioris spiritus : qui per nares egreditur. Nam, zauah, est commoueri.

Vsque reuertaris tuum ad terram, quia ex ea acceptus es.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod statim explicat. *Quia puluis es.* Vbi nota, quod in canone admonuimus, scripturam, scilicet statim explicare, quod obscure dixit. Aduerte etiã hic sex genera pœnarum homini propter peccatum inflictu. Primum, quod propter ipsum terra maledicitur. Secundum, comedere ex ea in angustia. Tertium, quod spinas, & carduos sit illi germinatura. Quartum, comede re herbas agri. Quintum, in sudore comedere panem. Sextum, in suum puluerem redire.

Vocauit Adam nomen vxoris suæ Chauuah.

Quam nos corrupte vocamus Euã. Et aduerte, quòd ponitur Chauuah pro Chaiah. Nam ratio nominis est

Quia ipsa erat futura mater omnium viuentium.

Chauuah autem non significat viuere, sed nuntiare: Chaiah, verò viuere, & literæ, Eui, sunt ad inuicem permutabiles, vt ex grammatica constat.

Tunicas pelles.

Id est, ex pellibus, ad quas faciendas necesse fuit animalia occidere.

Fuit, vt vnus ex nobis.

Verba hæc nisi honoris gratia dicantur, ad angelos diriguntur. mihi tamen apparet, ea honoris gratia dicta, quemadmodum illa cap. 11. Da. cõfundamus labium.

Ad sciendum bonum, & malum.

Iam enim erat similis Deo in anima.

Et nunc, ne forte mittat manum suam, et accipiat etiã, scilicet nunc, vt antea: *de ligno vitarum.*

Voluit Dominus Deus Adam luere pœnam impositam, scilicet, mortem comminatam: ne de cætero putaret Deum non verè sibi comminari. Sunt qui dicunt Deum ex maxima misericordia noluisse Adam vitam perpetuam habere: ne miseram vitam continuaret: quia tamen sunt qui eam, quantumcunque miseram prolongare volunt: verius puto noluisse eam quomodocunque perpetuari. Aduerte hic quod dictio holam, id est, sæculum, significat vt plurimum perpetuum. Sed si radicem spectes: quæ significat latere: videtur significare tempus absconditum, ignotum: quale est perpetuum, aut longum.

Emisit eum Dominus Deus de horto Heden, ad seruiendum terræ.

Id est, ad colendam terram, de qua sumptus fuerat.

Eiecit Adam, scilicet de horto. Verbum, garas, significat eiicere, &, guéres, eiectionem, & fructum: qui ex gemma eiicitur. Deutero. 33. De pomo, gueres, id est, eiectionis lunarum, id est, quod luna eiicere facit, seu producere.

Et collocauit ab oriente horti, aut à parte anteriori horti Heden Cherubim.

Verbum, sachãn, significat proprie habitare: & sensus est, quod fecit habitare, Cherubim, ante hortum: vbi erat ingressus horti: vt statim subditur.

Cherubim.

Plurale est nomen: vnde videtur, quod non vnicum: sed multa collocauerit. Est etiam aduertendum, vt dicit Haben Hezra, quod, cherub, genus est, & vniuersale nomen ad omnem figuram, nisi quod ea, quæ sunt in lege: humanam habebant effigiem, quo pacto modo depinguntur, quæ verò sunt in Ezechiele quatuor animalium, ibi descriptorum: figuram habebant. Putarũt autem doctores Hebræorum literam, caph, non esse radicalem in nomine, cherub, sed radicem putant Rabia, quod puerum sonat, & putabant huiusmodi, Cherubim, esse ad modum puerorum: quod non credo: cum apud Ezechielem aliquot illorum non haberent hominis figuram, vt ibidem dicitur, sed vnumquodq; quatuor habebãt facies. Interpretatur autem, Cherub, pictus, &, Cherubim, picti. Hiero. interpretatur multitudinem scientiæ, à, nachar, quod est agnoscere, &, rab, multitudo. Mihi melius videtur, quod dicantur (cherubim) Charabim, id est, quasi multi, id est, multitudo: quod videlicet sint in maxima copia.

Et flammam gladii.

Aut, vt Pagninus vertit.

Flammeum gladium.

Verbum, lahat, significat inflammare, vt patet Psalm. 104. Et ministros suos ignẽ, loher, id est, flammãtem, aut ardentem. Vnde, lahat, id est, acies gladij: quod luceat quasi flamma. Quare Thargum hic vertit. Et aciem gladij. Quare illud Exodi. 7. Fecerunt sic magi Ægypti, belarehem, id est, in incantationibus suis: vertendum puto inflammationibus, aut splẽdoribus suis. Faciebant enim huiusmodi incantationes in acie gladij: vt dicit Rabbi Dauid.

Versatilis, id est, qui facilè verti posset: aut melius, quæ acies erat versa ad vtranque partem: vel ex vtraque parte aciem habebat. Posset tamen litera hæc melius sic verti. Et acies gladij versa, seu vertens se ad custodiendam viam ligni vitarum. Vnde gladius videtur fuisset vnius acuminis: sed illud erat versum ad viam ligni vitæ. Disce etiam hinc: quàm toto cœlo errent, qui dicunt hortum hunc, esse totum orbem: cùm hic legas hominem ibi inclusum prius, postea eiectum. Constat etiam arborem vitæ non illico euulsam, neque destructum hortum, imo longo tempore durasse, nam si ibi homo permansisset: perpetuo de illa edere posset. Et mirandum valde, quod locus ille non sit amplius cognitus, aut inuentus. Et potuit fieri: vt aquis diluuij arbores illius sint euersæ.

CAPITIS TERTII, AD NOSTRAM eruditionem adnotata.

Serpens fuit callidior omni bestia agri.

Fuit à principio non solum in homine, sed in brutis inuidiæ motus, & dolor: si quid aliud sibi prælatum viderent. Audis etiam, quàm antiquum sit inuidiæ peccatum, vt simul cum mundo incœperit. Vbi simul adnotare licebit, quàm nostra sponte peccata committimus. Non enim, vt ait Bernardus, serpens omni animali fortior: sed callidior describitur: ne homo causaretur, se potentia superatum, non astutia. Admonet etiam locus hic illos, non homines, sed serpentes esse dicendos: qui arte, & aliis miris modis proximos ad peccata trahere conantur. Similiter, quàm sint fugiendi: qui suadent ambire honores.

Quæ dixit ad mulierem.

Admonet locus iste fœminas, ne maritis insciis, & absentibus, cum aliquo colloquium habere præsumant: præsertim cum astutis, & callidis: sed cognoscant se facilè posse decipi, & ideo omne eiusmodi colloquium suspectum habeant. Quærit beatissimus Bernardus ex virgine: de qua dicitur cogitasse, qualis esset illa salutatio: cur angeli colloquium haberet suspectum? Respondet autem. Vis (inquit) ô homo in periculo esse securus, time securitatem. Vis esse à dæmone liber: angelos dec cœlo time. Audisti enim Satanam se in angelum lucis transtuliisse: vt homines deciperet. Quis dicere queat, quot Virgines, quot viduæ, & coniugatæ turpiter sunt deceptæ, & pollutæ: quia colloquia, & familiaritates etiam cum consanguineis, veritæ non sunt. Consanguineus (inquiunt) est. Frater est. Quid insidiarum moliri potest? Multum certe & diuersimode. Nõne audis innumerabiles hac sola fiducia seductas? Caue ergo, Virginis matris exemplo, talia, quæ etiam bonorum angelorum non colloquia solum, sed etiam salutationem suspectam habuisse describitur.

Ira: quia dixit Deus, non comedetis ex omni arbore horti,

Si vulgatum legas textum, scilicet. Cur præcepit vobis Deus? Mysterium latet. Ostendit enim, rarum, aut nullum peccare: cui non occurrat præceptum, & recordetur malum: quod est facturus: esse prohibitum. Quam quidem memoriam Deus ipse, & dæmon, diuerso tamen fine, nobis inculcant. Deus tanquam benignus, vt à peccato retrahat, diabolus, verò, ne postmodum aut ignorantiã, aut obliuionem prætendere possis, qua peccatũ excuses. Si enim Eua, quando à Domino de peccato conuicta est: dixisset, se tunc domini iussionis oblitã: statim ostẽderet dæmon, se ante peccatũ ad memoriã adduxisse præceptum. Si autem nostram legas

legas versionem, adnotabis hoc malum ferè omnes subditos inuasisse, vt arbitrentur præcipientes, eos odio habere, quasi qui eorum libertatem restringant: seseq; minus liberos arbitrentur: si superioris præcepto præpediantur. Nescientes nullam deteriorem esse seruitutem mala libertate, neque vllam maiorem libertatem bona seruitute. Seruire enim Deo, summa libertas est. Hoc est ergo illud: quod serpens fœminæ persuadere nititur: vt credat, Deum crudelem potius Dominum, qui libertatem auferat, quàm pium patrem, qui mala velit filium vitare, & ex odio, aut ira Deum fecisse mentitur, quod ex eius summo amore profectum est.

Non comedetis ex omni arbore horti.

Audis hic nullo pacto eos esse audiendos, qui leges, & præcepta Prælatorum grauiora faciunt, quam sint: longè enim hæc suasio ab illa abest, qua sanctissimus
1. Ioan. 5. Apostolus Ioannes docet, præcepta eius grauia non
Mat. 11. esse: quin etiam ab illius sententia, qui iugum suum suaue esse asserit, & onus leue. Neque contentus est ille malignissimus insidiator, Deum crudelem, & inhumanum suadere, quinimo suadebat, & parcum, qui parce potius, quàm copiosè ministraret suis.

Non comedetis, neque continget is eum.

Expende amoris, & timoris discrimen. Amor ex multis præceptis, imò ex tota lege, vnum præceptum facit, & leuissimum, timor verò ex vno, multa. Videbantur (ait scriptura de Iaacob loquens) ei septem anni, quibus pro vxore dilecta seruierat: pauci dies, quòniam diligebat eam. Et Dauid. Quomodo dilexi legem tuam Domine. Nunquid non sexcentæ tredecim leges erant, quas seruare tenebaris bone rex? Cur ergo legem vocas. 613. præcepta? Quoniam dilexi legem tuam Domine. Cur mulier mentiris dicens, Deum prohibuisse comedere, & tangere, cùm Deus solum prohibuisset esum? Quoniam non ex amore, sed timore mortis potius legem seruandam arbitrabatis, quàm timor ex vna, duas fecisse visus est. Quamobrem Seruator noster Christus volens legem suam custodiri, ait. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & qui non diligit: sermones meos non seruat. Ac si diuisset explicatius. Sermones, sunt & leges iis, qui non diligunt me, qui verò diligit, sermonem meum seruabit, id est, multos sermones, vnicum sermonem, & leuem reputabit.

Non moriendo moriemini.

Cognouit astutus serpens, fœminam, ex timore inductam ad custodiam legis: ideò nititur, quantum valet, auferre timorem. Non illi dixit. Non præcepit Dominus, ne fœmina peccatum, vt diximus, excusaret, sed nequaquam moriemini: quia nouerat vt plurimum timore potius, quàm amore nos seruare præcepta. Cùm enim suadere nobis peccatum nititur, non illi obsecimus præceptoris amorem, sed potius vindictæ timorem. Quis mihi daret, vt cùm quis peccatum suaderet, responderes. Diligo Deum meum super omnia: ideò nolo illum vllo modo offendere, qualiter respondisse nouimus sanctum Ioseph impudicæ fœminæ, adulterium suadenti. Quomodo hoc (inquit) facere potero, & peccare in Dominum meum: qui in me tot beneficia contulit? Quot fœminæ hodie in grauissima prolaberentur peccata: nisi infamiam (qua maxime deterrentur) timerent? Quam ob causam impudicissimi illi senes, quorum historia Danielis meminit: cùm Susannæ illi pudicitiæ speculo stuprum consulerent: dicebant. Ecce ostia pomerij clausa sunt, & nemo nos videt, & in concupiscentia tui sumus. Quod si nobis commiseri nolueris, contra te falsum dicemus testimonium. Sic & satanas: cùm Saluatori suasisset apud Matthæum ex pinna templi deiectionem, putans, quòd fracturam timens, nollet consilium eius accipere: ait scriptum esse, Deum angelis suis super eo præcepisse: vt manibus subuecherent: ne ad lapidem pedes offenderet. Quicunque ergo ô homo te peccatum impunè factum dixerit: etiam si ouina pelle, aut angelico splendore circundatus sit, noli credere, noli assentiri: quando audis, eos esse graui pœna punitos, quibus promiserat se impunè peccaturos. Est enim Deus: qui pœnam peccatoribus comminatur: verax, diabolus verò, qui impunitatem promittit: mendax, & mendacij pater.

Scit Deus, quòd in die, qua comederitis: aperientur oculi vestri, & eritis sicut Deus.

Ostendere nititur versipellis Deum inuidum, qui, scilicet nollet in scientia consortem. Sunt hodie tales in orbe, qui in deteriorem interpretantur partem: aut malo animo fecisse temere iudicant, quæ superiores ex summa charitate præcepisse dignoscuntur. Quo docemur, non esse nostrum superiorum præcepta discernere, sed obtemperare, modo non sit malum: quod præcipitur. Obediendum est, non discernendum.

Quid si propter mortiferum venenum, quod in pomo latitaret, illud prohibuisset? Nonne bonum erat obtemperasse, nec discreuisse? Cogitaui sæpius apud me, quàse tantopere suadere niteretur dæmon homini appetitum scientiæ boni & mali: aut astutiam & calliditatem. Istuc enim tendere videntur verba eius, vt scilicet simplicem, callidum faceret, & astutum. Nouerat quippè malignissimus insidiator, nulla esse deteriora peccata, quàm quæ ex astutia, & malitia fiunt. Ideò voluit homines de cætero ex malitia peccare, vt minus digni venia essent, quàm si simplicitatem prætenderent, aut infirmitatem.

Vidit mulier, quod bona esset arbor ad vescendum.

Attende hic serpentis fragilitatem, cuius suasio non sufficit ad fœminam in peccatum deiiciendam. Sed pulchritudinem fructus, gustumque obiectauit: vt quod non faceret consilium, pulchritudo perficeret pomi. Similiter docemur, non affici malis: quoniam, vt Aristoteles dixit, qualis vnusquisque est, talis finis videtur ei, & qualis apparet finis, talia omnia videntur, quæ ad illum consequendum conducunt. Cùm enim fœmina cepit affici scientiæ desiderio, statim pomum oculis apparuit desiderabile, & quod mirabilius est, gustui suaue. Nunquam gustauerat, aut senserat vnde ergo nouerat fructum bonum ad vescendum, nisi ex corrupto affectu, quo afficiebatur scientiæ boni, & mali?

Dedit viro suo.

Hoc malum vsque hodie grassatur in orbe: vt omnis malus velit habere consortem, & quod deterius est, etiam amicos. Vtinam sic eos velimus habere ad bonum socios, quemadmodum ad malum. Hoc autem ex amore, quem erga nos gerimus, accidere reor, vt amicos in malo velimus habere consortes, ne si contingat ex hoc malum aliquod, sine consortio, & solatio in supplicio simus. Nihil enim est peccatore timidius, sicut neque iusto audacius. Iustus (ait Sapiens) vt leo confidit, ideò peccator multitudine armat se. Audi Psaltem pulchre rem depingentem. Super populum tuum (inquit) malignauerunt consilium, cogitauerunt aduersus sanctos, aut (vt habet hebraica veritas) absconditos tuos. Dixerunt, venite, disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltra. Vbi vides aduersus quos bellum est. Nempè contra absconditos. Sed qui sunt isti, qui sic aduersus absconditos congregantur? Tabernacula (inquit) Idumæorum, & Ismaelitæ, Moab, Hagareni, Gebal, & Hammon alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Cum quibus etiam venit Assur, & filii Loth facti sunt illis in adiutorium. Contra vnicum Israelem, & adhuc ex metu absconditum, totus fere orbis aduersus bonos coniurasse videtur, propter malorum timiditatem.

Et comedit.

Hoc primum in amicitia præceptum Cicero statuit: vt nullus amicus propter alterum peccaret, neque alter alteri: rem eũ peccatum inesset: suaderet.

Aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt, quòd nudi essent. Ecce quid pariat peccatum, claudit peccati affectus mali, quæ peccatum sequuntur, quę eius executio aperte ostendit. Quem fructu (ait Apostolus) habuistis

Universidad de Deusto
Biblioteca

in iis, in quibus nunc erubescitis?

Vocauit Deus Adam.

Non sola nuditas, & verecundia, sed etiam iudicium Dei, & multa alia mala peccata sequuntur.

Vbi es tu? Hoc malum peccatum sequitur, quod faciat peccatorem, quasi à Domino ignorari, non quod nesciat vbi sit, vt puniat: sed nescire dicitur, vt faueat.

Vocem tuam audiui in horto, & timui.

Audis hic, quàm timidos faciat homines peccatum? Ad Roma, habet Paulus. Si malum egeris, time.

Abscondi me.

Volunt peccatores abscondere se à Deo, sed quocunque ierint, eos diuina sequitur ira, & vltio. Est etiam hic aduertere, qualiter peccatum peccatores nudet, & bonis spoliet.

Quis indicauit tibi, quod nudus esses?

Innumerabiles defectus culpa detegit, quæ iustitia occultabat. Si iustus, qui quasi innumerabilia perpetrauit peccata, nemo tamen cõsiderat illius peccata, quin potius sunt illi ad gloriam. In peccatore verò etiam virtutes vertuntur in vitia. Nam, & si innumera sit opera virtutis operatus, nemo videt, nemo considerat.

Mulier, quam dedisti mihi.

Pulchre hunc locum expendit diuus Bernardus, qui arguit hominem malè amicitiæ erga coniugem, qui voluit propter eam peccare, & noluit propter eam pœnas subire. Boni amici est non peccare propter amicum: pœnas tamen libenter dare propter ipsum: Adam verò voluit propter vxorem, Deum offendere, non tamen propter eam voluit pœna affici. Tuum (inquit) erat ô Adam Deo irato occurrere, & corpus obiectare vindictæ, & seueritati diuinæ, & dicere cũ Dauide. Ego peccaui, ego inique egi, ista ouis est. Vertatur (obsecro) manus tua in me. Quot sunt homines hodie in mũdo, qui non solum propter amicos, sed propter eos, qui solum eos ad malum inuitant, mille peccata committunt, qui tamen illis, propter quos tot peccata perpetrant, non darent vnum ducatum, ne obolum dicam. Vt etiam peccatum excuset: in Deum, qui vxorem dederat: peccatum obiecit suum. Doceris etiam hic Prælatos esse à Deo conueniendos in iudicio, quod subditos non custodierint, similiter teneri viros, vxores in officio continere.

Serpens errare fecit me.

Docemur hic, inuestigandam esse primam malorum causam, & quàm graue sit aliquem in peccatum impellere. Similiter docemur, quàm parum valeat excusare peccata apud Dominum: cùm post excusationes, tam homo, quàm vxor eius dent pœnas. Ad serpẽtem nihil dicitur, neq; interrogatur: quoniam peccatum, quod ex malitia procedit: nihil habet, quod illud possit excusare.

Dixit Dominus ad serpentem.

Qui prior fuit causa peccati, prius det pœnas. Vbi simul considera, quàm verum sit prouerbium illud, Malum, scilicet, velle sibi duos oculos frangi: vt alteri frangatur alter oculorum. Exposuit se serpens tot malis, quot illi hic inflixit Deus: vt videret homines sua dignitate priuatos.

Maledictus eris super omnia bestia agri.

Vides hic quanti faciat Deus, decipere seruos eius? Nouit quippè quàm facilè decipi possint. Charitas (ait Paulus) omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Vbi pulchrè rationem reddit, quare charitas omnia credat, & est, quia omnia sperat: sperat autem, quia sustinet. Homo enim, qui magna, & grauia mala patitur: quidquid ei de sua liberatione dicitur: facilè sperat, quisquis autem sperat, facilè narranti credit, quod sperat.

Puluerem comedes.

Adnotauit Augustinus verbum istud: asserens hominem in peccati pœnam, factum fuisse diaboli cibum. Quando enim serpenti dictum est. Terram comedes, dictum etiam homini est. Puluis es. Si ergo homo peccator puluis, & puluis serpentis cibus: ergo homo peccator serpentis est cibus. Vbi etiam simul vides, quot pœnas dat peccator, propter vnicum peccatum, aut potius peccati suasionem.

Super ventrem tuum gradieris.

Ecce quid pariat excellentiæ appetitus, nempè deiectionem, & qui supra se sine Deo extollitur: infra se deiicitur. Serpens voluit esse vt homo, & effectus est omni bestia agri inferior. Sicuti & homo, cùm vellet ad Deum ascendere, ad bestias descendit.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem.

Docet locus iste, quanto odio prosequendus sit, qui nos ad peccatum inducit, sit patet, sit mater, aut frater. Admonemur etiam hic, imponendum esse silentium illis, qui mala colloquia miscere solẽt, Vbi simul vides Deum discordiæ autorem: vt discas, non esse minoris virtutis malos amicos, seu illorum amicitiam dissoluere quàm bonam fouere. Non veni (ait Saluator Lucæ. 12.) pacem mittere, sed gladium.

Multiplicabo dolorem: aut angustiam tuam: *& conceptum tuum.* Graue (ait Bernardus) iugum super filias Hêuæ: quoniam si pariunt, cruciantur: & si non pariunt, maledicuntur. Similiter aduerte Deum communiter peccatorem punire in iis, quæ magis diligit. Nam serpens: quoniam dilexit superioritatem ad homines: infra bestias deiicitur: mulier verò in fructu ventris, propter quem ipsa in pretio habetur. Similiter in desiderio, in quo vehementissima est.

Quia parusti voci vxoris.

Discant hic viri, non esse fœminis in iis, quæ appetũt: obtemperandum: sed potius fœminæ viris obtemperent.

Maledicta terra propter te. Ad serpentem dictum est. Maledictus tu: homo verò non maledicitur, sed terra propter eum. Nouerat omnipotens Deus, quod aliquãdo esset naturam humanam assumpturus, ideò noluit eam maledicere. Similiter aduerte hominem in cibo punitum: quia in cibo peccauerat: vt vera sit illa sententia. Per ea, quæ quis peccat.

Vocauit Adam nomen vxoris suæ Chauuah.

Admonet locus iste, viros debere vxores consolari in tristitia, infirmiori vasculo misericordiam ostendẽtes: & solatur partus difficultatem, prolis numerositate.

Fecit illis Dominus tunicas pelliceas.

Docet locus iste Prælatos non solum castigare subditos suos ob peccata, sed etiam amoris signa castigatis ostendere, neque propter ea: illa quæ sibi necessaria sunt: auferre. Nam & si peccator puniendus sit, homo tamen fouendus est, qui modus Domino peculiaris est: vt Isaiæ. 40. videre licebit. Consolamini, consolamini populum meum ô Prophetæ (dicit Dominus vester) loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam: quoniam completa est malitia illius: dimissa est iniquitas ipsius. Contemplatur hic Bernardus, quanto maiorem misericordiam Deus seruis, quàm filio ostenderit: vt istis fecerit pelliceas tunicas: virgo verò filium pannis in præsepio inuoluat ita: vt dicere liceat illud Gregorij. Vt seruum induetes: filium exuisti.

Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis.

Dignus est, qui rideatur peccator: quod non sit assecutus quod voluit.

Ne forte mittat manum.

Docet locus iste legislatores, & iudices debere imponere reis pœnas à legibus comminatas. Deridentur enim leges, cùm comminantur, neque tamen imponuntur. Ideò enim noluit de ligno vitæ comedere: vt mortem comminatam incurreret. Similiter hac de causa de paradiso eiecit: vt in sudore vultus cibum quæreret sibi.

Collocauit illic Cherubim.

Ostendit locus iste legibus adiungendos esse ministros, qui cogant nolentes eas custodire. Et aduerte Deum post peccatum, hominem extra paradisum, & ante non longè collocasse: vt quoties ante se locum videret amœnissimum, & se eo priuatum: ingemisceret, & peccatum suum ante se poneret.

CAP.

CAP. QVARTVM.

ET Adam cognouit Chauah vxorem suam, & concepit, & peperit Cain, & dixit. Acquisiui virum à Domino. Et addidit, vt pareret fratrem eius Hebel. Et erat Hebel pastor pecudum, & Cain erat colens terram. Et fuit, in fine dierum adduxit Cain de fructu terræ oblationem Domino. Et Hebel etiam ipse adduxit de primogenitis pecudum suarum, & de adipe earum. Et respexit Dominus ad Hebel, & ad oblationem eius. Et ad Cain, & ad oblationem eius non aspexit. Et iratus est Cain valdè, & concidit vultus eius. Et dixit Dominus ad Cain. Vt quid est ira tibi? Et, vt quid concidit vultus tuus? Nónne si benefeceris: venia erit? Et si non benefeceris: in porta peccatum cubat? Et in te erit appetitus eius, & tu dominaberis ei. Et dixit Cain ad Hebel fratrem suum. Et fuit, cùm essent in agro, surrexit Cain contra Hebel fratrem suum, & occidit eum. Et dixit Dominus ad Cain. Vbi est Hebel frater tuus? Et ait. Non noui. Nunquid custos fratris mei sum ego? Et dixit. Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me è terra. Et nunc maledictus eris super terram: quæ aperuit os suum, vt susciperet sanguinem fratris tui è manu tua. Quando coles terram: non addet, vt det fructum suum tibi. Vagus, & profugus eris in terra. Et dixit Cain ad Dominum. Maior est punitio mea, quàm vt feram. Ecce eiecisti me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Et erit. Omnis, qui inuenerit me, occidet me. Et dixit ei Dominus. Propterea omnis, qui occiderit Cain, septempliciter vindicabitur. Et posuit Dominus signum in Cain: vt non percuteret eum omnis, qui inuenisset eum. Et egressus est Cain à facie Domini, & habitauit in terra Nód, ad orientem Hêden. Et cognouit Cain vxorem suam, & concepit, & peperit Chanóch. Et ædificauit ciuitatem, & vocauit nomen ciuitatis, nomine filij sui Chanóch. Et natus est ipsi Chanóch Hirád, & Hirád genuit Mechuiaél. Et Mechuiáel genuit Methusaél, & Methusaél genuit Lémech. Et accepit sibi Lémech duas vxores: nomen vnius Hadáh, & nomen secundæ Silláh. Et genuit Hadáh Iabál. Ipse fuit pater inhabitantis tentorium, & numenti. Et nomen fratris eius Iubal. Ipse fuit pater omnis tenentis citharam, & organum. Et Silláh etiam ipsa peperit Tubál cáin malleatorem acuentem omne opificium æreum, & ferreum, & soror Tubál cáin fuit Naamáh. Et dixit Lémech vxoribus suis Adáh, & Silláh. Audite vocem meam vxores Lémech. Auscultate eloquium meum. Si virum occidero in vulnere meo, & puerum in liuore meo. Quia septempliciter vindicabitur Cain, & Lémech, septuaginta & septem. Et cognouit Adám adhuc vxorem suam, & peperit filium, & vocauit nomen eius Seth. Quia posuit mihi Deus semen alterum pro Hébel. Quia occidit eum Cáin. Et ipsi Seth etiam natus est filius, & vocauit nomen eius Enós. Tunc cœptum est inuocari nomen Domini.

CAPITIS QVARTI ANnotata ad literam.

ET *Adam cognouit Chauah vxorem suam.* Est aliquando, vt diximus, Adám nomen proprium illius viri: quem Deus in initio produxit, aliquando verò commune. Est autem regula Hebræorum, quod nominibus propriis nõ additur, He, notificatiuum: cùm verò addatur nomini Adam sæpius, vt hic, constat aliquando esse nomen commune: vt constat ex multis scripturæ locis: in quibus nõ potest esse proprium, quemadmodum Leuitici decimotertio, vbi dicitur. Plaga lepræ cùm fuerit in Adam, id est, in homine, vbi non potest esse nomen proprium. Idem capite vigesimotertio eiusdem libri. Sic Prouerb. 23. Præuaricatores, hẽ Adam, id est, in homine. Si plura exempla videre luber, vide Pagninum in Lexico pagina. 21. Quod autem sequitur.

Cognouit vxorem suam.

Disquirendum est, cur hebraismus concubitum, appellet cognitionem fœminæ. Et meo iudicio, hoc ideò est, quia in nullo alio cognoscitur fœmina, esse fœmina, quam in congressu. Nam in omnibus aliis, excepto sexu: fœmina viro similis est, sicut in corpore, & aliis membris omnibus. Vnde, vt diximus, Hebraismus vocat fœminam perforatam, aut diuisam, quod in hoc à viro discernatur. Secundo dicitur cognitio: quoniam illo actu tractatur fœmina, vt nota, familiariter valdè. Solemus enim amicos, & familiares tractare amplexando, & osculando. Addit tertiam rationem Lyranus, quod, scilicet, semen: quod est principium generationis, ex cerebro descendere Philosophi dicunt. Sed prior ratio mihi conuenientior videtur. Similiter est hic aduertendum, quòd honestis verbis scriptura nominat coitum: vt nos docèat similibus vti: inueniuntur tamen sæpius propriis vti, vt patet Isaiæ trigesimo sexto. Vt comedant stercus suum, & bibant aquam pedum suorum. Maximè autem ad exaggerandam impudicitiam alicuius: vt patet Ezechielis decimosexto & vigesimotertio, vbi improperans fornicationem Iudæ, ait. Adamauit semos eorum, quorum membra, vt membra asinorum sunt, & vt fluxus equorum, fluxus eorum. Et capite. 16. dicit. Pro eo, quod effusa est turpitudo tua.

Concepit, & peperit Cain.

Verbum, harah, significat concipere, & grauidam fieri. Hosæh. 14. veharionothau, id est, grauidas eius scidit. Caiin. Primũ, Iod, in nomine Caiin non debet esse vocale, sed cõsonans. Nam vnicũ, quod in hebræo est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mouetur, sicut in nomine Maria, quæ hebraicè dicitur miriam: vbi, secundum (Iod) est consonans, nō vocale. Est autem aduertendum Cain sonare possessionem, aut emptionem. Nam, canah, à quo Cain: significat propriè emere, & quia emptores possident quæ emūt, significat etiā possidere: vt infra. 25. Agrū, quem, Canah, id est, emit Abraham à filis Cheth. Item Leui. 25 reuertetur ad eum, à quod, canahu, id est, emit eum. Quod verò significet possidere, patet. Psal. 139. Quoniam tu, canitha, id est, possedisti renes meos, &. 78. Montem hunc, quem, canithah, id est, acquisiuit dextera eius. Infrà etiam. 14. Benedictus Abraham, Deo excelso, coneh, id est, possidenti cœlum, & terram. Hinc est, micneh, id est, pecus, quod quondam omnis ferè possessio esset in pecoribus. Significat etiam, micneh, emptionem, & possessionem. Cùm ergo Chauah peperit Cain, vocauit illum possessionem, dicens.

Possedi virum à Domino: ac si dicat. Dedit Dominus mihi possessionem, filium, scilicet, & fortè vocat filium possessionem, quia quondam magna possessio erat multitudo filiorum. Aduerte tamen, quod in hebræo nulla præpositio coniuncta est dictioni (Domino) sed videtur necessario supplenda, & eam supplet Thargum. Rabbi tamen Selomoh supplet (cum) vt sit sensus. Possedi virum cum Domino. Hieronymus (per Dominum). Quia tamen tunc primum acquirebat filium: potius quàm possideret: melius vertendum puto.

Acquisiui virum à Domino. Neque abhorreo, si veritas. Emi virum à Domino, quia fortè Dominum pro filio deprecata est, & precibus emit. Neque improbo eos, qui vertunt (acquisiui, seu possedi virum, & Dominum) quoniam iam videbatur Domino reconciliata, cuius signum fuit, dare prolem masculam illi.

Addidit, vt pareret fratrem eius Hebel.

Sonat autem Hebel vanitatem: non constat autem, quare eum vanitatem vocauerit, nisi dicamus, quòd considerans vanitatem præsentis vitæ, vocauerit eum vanitatem. Solebant autem matres quondam ex euentis nomina filiis imponere, vt patet infra. 30. de Lia, & Rachel.

Fuit à fine dierum. Hebraismus sonat, accidit, finitis aliquot diebus, aut post finem aliquot dierum: vel in fine dierum, scilicet aliquot, & sumuntur hic dies pro annis, quia non poterat alter terram colere, & alter pascere oues, nisi in ætate iam prouecta.

Adduxit Cain de fructu terræ.

Non explicat textus: quem fructum adduxerit, quia tamen dictum est eum fuisse terræ cultorem: credendum est adduxisse de pomis arborum, nam tunc, meo iudicio, non erat inuentus modus serendi frumentum: nisi dicamus alium tunc fuisse colendi modum, aut terram illud sponte genuisse. Sed quia tunc herbæ datæ sunt homini in cibum: priorem interpretandi modum magis approbo, quod videlicet obtulerit poma arborum, quas suo labore colebat.

Munus Domino.

Significat, mincah, munus quodcunque, etiam si sit oratio: vt patet infra. 32. vbi dicitur. Misit Iacob, mincah, id est, munus ad Esau. Et eodem capite. Et transiit, hamincah, id est, munus ante illum. Et ibidem iterum. Placabo (inquit) faciem eius, mincah, id est, munere. Sic. 2. Regum. 8. Accipe in manu tua, mincah, id est, munus. Et primo Samuelis. 10. Et non attulerunt ei, scilicet Sauli, mincah, id est, munus. Aliquando verò accipitur vt est peculiare sacrificium, de quo affatim Leuitici secundo dicitur. Et dicunt Hebræi esse sacrificium ex simila, ex qua fiebant placentæ in fornace decoctæ. Aliquando verò frigebatur illa massa in patella, quandoque in craticula, aut in caldario profundo: vbi in pinguedine coquebatur, de quo fusius dicemus loco citato secundo. Sat sit modo scire, aliquando accipi pro munere placatiuo: quodcunque illud sit, aliquando pro peculiari, quod ex simila triticea fiebat, aut ex granis. Dicūt enim Hebræi tres fuisse huius sacrificij species. Prima, ex farina simplici, non mixta aqua. Secunda, ex panibus coctis, aut clibano, aut sartagine, aut craticula. Tertia, ex spicis, seu granulis primitiarum. Si ergo teneamus munus Cain fuisse ex spicis, aut granulis frumenti: tunc, mincah, accipitur pro peculiari sacrificio, si verò poma, tunc, mincah, significabit munus placatiuum quodcunq;. Non constat etiam quomodo offerebant tunc homines munus Domino. Sed crediderim tunc eos cōstruxisse aliquem altaris modum, cui superponebant ignem, quo cremabant munera, quæ Deo offerebant. Et putarem Adam similiter Domino obtulisse, ex quo iuuenes didicerunt colendi ritum, quod & Eusebius in Ecclesiastica testatur historia.

Adduxit de primogenitis ouium suarum, & de adipe earum.

Credibile est ex Dei instinctu, aut Dei verbo primos parentes obtulisse Deo primogenita, & adipem, quod postea lege sancitum est. Voluit enim Dominus eos suis legibus assuefacere: ne cùm promulgaret, tāquam nouitias acciperent, quemadmodum ostendisse credendum est, quæ munda, & immūda ad sacrificium essent. Quod Noē quoque sciuisse constat inferius capite septimo & octauo. Vbi etiam aduerte, quantum excesserit sacrificium Hebel munus ipsius Cain. Nam Cain obtulit de fructu terræ: Hebel verò de ouibus, Cain non elegit meliores fructus ad offerendum. Hebel verò selegit meliora: nempè primogenita. Tertio, quod Cain non obtulit pinguedinem: sed bene Hebel: ex cuius munere credendum est postea descendisse pinguedinem Deo offerri iussam.

Respexit Dominus ad Hebel.

Varia, & multa significata tribuunt Hebræi verbo, sahah, id est, respicere, quod hic ponitur, scilicet, aspicere, sperare, fidere, terrere, desinere, & narrare, & hoc ideò, vt sæpius admonui, quia proprium ignorant. Sed omnibus significatis pensatis, & examinatis locis: vbi verbum ponitur: videtur propriè significare, desinere, seu quiescere, quod patet primo Iob. 14. scheh, id est, quiesce, seu desine, ab illo, & Isaiæ. 22. scheu, id est, desinite, seu quiescite à me. Iob septimo, quousque non, tisheh, id est, quiescis à me, seu à percussione mei, & in aliis multis locis. Quare ostendendum est, quod vbi ipsi vertunt respicere: tam bene quadret quiescere, requiescere, quod probatur primo Isaiæ. 31. vbi ipsi vertunt illud. Et non, sehahu, id est, respexerunt ad sanctum Israel, sed ibi tam bene quadrat, & non requieuerunt in sancto Israel, sed alios deos quæsierunt. Psalm. verò. 119. vertunt, veeshah, id est, delectabor in præceptis tuis, vbi melius vertas, & requiescam in statutis tuis semper, non hinc inde vagabor. Item Isaiæ decimoseptimo, vbi vertunt, iisheh, id est, respiciet homo ad factorem suum, tam bene vertas, & quiescet, seu requiescet homo in factore suo, & non amplius mutabit deos. Vbi Hieronymus vertit, inclinabitur. Rabbi Dauid, respiciet, vel sperabit. Thargum, innitetur. Rabbi Abraham, sperabit, aut fidet. Rabbi verò Salomon respiciet. Exodi quinto, vertūt ne, Iishu, id est, respiciant in verba mendacij: vbi tam bene quadrat, ne quiescant, seu acquiescant, & sic in aliis locis. Quod verò etiam in hoc loco quadret, si vertas. vaiishah, id est, & quieuit, seu requieuit Dominus in Abel, & in munere eius: constat, quia vt in Exod. & Leuitico probabimus, sacrificia fiebant: vt textus dicit, in odorem quietis: vbi noster vertit, suauitatis, & est sermo metaphoricus sumptus ab homine irato, aut etiam non irato, cuius naribus si apponas odoriferum fumum, requiescit. Sic Domino Deo nostris peccatis irato, & accedenti, quasi ad punitionem peccatoris, occurrebat offerens fumo victimæ suæ, quo quasi odore Dominus delectatus, quiescebat ab ira furoris sui: neque ad punitionem sumendam descendebat, ita quod quies hæc erat quædam delectatio ex fumo oblationis: qua quiescebat Dominus. Sic ergo hic intelligendum est, quod quieuit Dominus, seu requieuit in Hebel, & in muneribus eius delectatus, scilicet in bona voluntate Hebel, & etiam in fumo sacrificij eius, & si illud pro peccato fiebat: intelligendum est Deum ab ira quieuisse: si autem ad laudem, aut pro integritate, & incolumitate, delectatus est Dominus in sacrificio eius.

Non sic autem requieuit, seu delectatus est Dominus in sacrificio Cain, neq; in ipso Cain, quòd non meliora ad offerendum Deo elegerit. Si autem quæras, quomodo Cain cognouit Deum delectari in sacrificio Hebel: non autem in suo: textus non explicat. Credidetim tamen, quòd in absumptione ignis de cœlo missi, solebat enim Dominus hoc signo ostendere sibi placere sacrificium: vt patet Leuitici. 9. de sacrificio primo Aharon, & Iudicum. 6. de immolatione Gedeonis, & Salomonis in templo. 2. Parali. 7. & Heliæ. 3. Reg. 18. similiter Iudicum. 13. de sacrificio Manoach.

Et iratus est Cain valdè.

Id est, ira illi fuit, quia verbum in actiua voce ponitur, scilicet, propter fauorem, quem Dominus fratri ostendit, & non sibi, acceptando sacrificium fratris, & ostendendo complacentiam in eo.

Et ceciderunt vultus eius: seu facies eius. Nos huiusmodi homines vocamus (Carrancudos). Solent enim homines irati, aut odiētes aliquem, oculos, & vultum dimittere, cùm eum vident, & etiam cùm tristantur. Est autem hic vultum vel faciem cadere, dimittere caput, vt facies solito demissior terram respiciat. Et ideò fortè demisit vultum, ne ad cœlum: vbi erat Deus, respiceret, à quo se læsum arbitrabatur.

Nonne si bene feceris: portare, seu leuare, & si non bene feceris ad ostium peccatum cubans, & ad te appetitus vel decursus eius, & tu dominaberis in eo.

Obscurus est locus iste, & variè ab Interpretibus redditur, & à Doctoribus exponitur. Verbum, tob, significat bonum esse, in, hiphil, autem benefacere. Nume. 24. Quam, tobu. i. bona, aut pulchra tabernacula tua Iaacob, & iudicio meo, hoc, secūdo significat, tob, scilicet, pulchrum esse, & de priori significatione dedimus exemplum. De secunda verò illud exemplo erit, quod habetur Cant. 4. Quàm, tobu, id est, pulchri sunt amores tui. Exod. 2. Vidit illum quòd, tob, id est, pulcher. Communiter tamen significat benefacere, aut bonum esse. Sequens verò verbum, scilicet, seeth, à, nassā, ortum habet, quod multa significat: propriè tamen videtur significare portare, leuare, & eleuare. Dictio verò, chattath, peccatum significat, & pœnam pro peccato inflictam, sicut Zacha. 14. Hoc erit, chattath, id est, pœna peccati Ægypti, vechattath, id est, pœna peccati, seu punitio omnium gentium. Significat etiā oblationem pro peccato frequenter in Exodo, & Leuitico: vt Leuit. 4. Omnem adipem iuuenci, hachattath, id est, peccati, seu oblationis pro peccato, quo capite ter, aut quater in eadem accipitur significatione. Sequens verò dictio, scilicet, robes, quam vertimus cubans, significat iacere, cubare: vt patet infra. 49. Curuauit se, tabas, id est, accubuit, seu iacuit: vt leo. Sic Iob. 11. verabastha, id est, & accumbes, aut iacebis, & non erit exterrens. Potest ergo hic, chattath, significare punitionem peccati, & peccatum ipsum, & si pœnam, aut punitionem significet: tunc sensus est.

Nonne si bene egeris: portare, id est, portabis premium.

Si autem non bene egeris: ad ostium peccatum iacens, id est, propè te est punitio peccati.

Et ad te desiderium eius, id est, cupit te tenere pœna peccati tui: *sed tu, si vis, dominaberis illius*, id est, apud te situm erit declinare pœnam eius, seu punitionem.

Loquitur autem hic Dominus metaphoricè comparando peccatum, seu punitionem peccati, cani, qui ad ostium cubat, cupiens ingredi, sed in potestate Domini est claudere ianuam, ne ingrediatur, aut aperire, vt intret. Nonerat enim cordium scrutator, Cain iniquè aduersus fratrem cogitare, ideò illi dicit punitionem ad ostium iacere. Videtur enim, quòd quam primum aliquis peccatum committit, pœna, seu punitio desideret eum tenere, & iste, meo iudicio, est sensus huius loci. Si autem peccatum pro peccato, & non pro punitione accipias: tunc sensus erit. Si bene egeris: leuate, id est, erit leuatio peccati, seu condonatio, id est, si bene egeris, facilis erit condonatio peccati. Alij. Si bene egeris: erit leuatio animi, & vultus, qui concidit: ac si dicat, erit hilaritas. Si non bene egeris: peccatum ad ostium cubat, id est, desiderium occidendi fratrem propè te est, & cupit ad te ingredi, scilicet, ad exequendum homicidium, sed in potestate tua erit acceptare. Præfert autem priorem sensum secundo, contextus literæ: Præcedit enim. Nonne si bene egeris, portabis, scilicet, præmium? Vbi non de bono opere, sed de præmio illius est sermo. Cùm ergo sequitur: si autem malè: ad ostium peccatum cubat: videtur etiam de pœna, seu punitione peccati esse sermo, ac si dicat. Si bene egeris: portabis præmuim, si verò male, pœnam; quoniam punitio cuestigio peccatum sequitur. Secundò probatur iste sensus, quoniam peccatum iam inerat ipsi Cain: iam enim iratus in fratrem erat: punitio verò nondum, sed ad fores erat: quia statim perpetrato peccato, à Deo punitus est: vt statim sequitur.

Et dixit Cain ad Hebel fratrem suum.

Non explicat scriptura, quid ei dixerit: quare licuit interpretibus verba fingere, aut supplere. Vulgatus putat illi dixisse. Egrediamur foras, propter id, quod sequitur.

Et fuit, cùm essent in agro.

Et in hoc secutus est, 70. & Paraphrasten Chaldæum, Hierosolymitanum, qui putat illi dixisse. Veni, & egrediamur in agrū. Aut dixit illi verba Domini, qualiter scilicet, eum obiurgauerit, vel dixit illi iniuria verba. Et ex hoc loco aduertes multa deesse in textu, necessario supplenda. Mihi tamen magis arridet id, quod subaudit vulgatus interpres, propter id, quod sequitur.

Cùm essent in agro, occidit eum.

Multi ex hoc loco, & ex eo, quod inferius dicit Cain, Omnis qui me inuenerit, occidet me: putant genus humanum iam propagatum, similiter extitisse oppida, & pagos, quare Cain timens aliquos fratri opem laturos, aut prodituros facinus patratum, in agrum egressus est, ibique fratricidium perpetrauit: quorum sententiam non aspernor, quia verò similis est. Quare credendum est Cain propè patris interitum, hoc facinus commisisse, quando, vt diximus, humanum genus erat satis multiplicatum. Non constat etiam, quo instrumento eum occiderit, & quia non videtur adhuc fuisse armorum vsus, arma minitrauit furor: vnde ligno aliquo, aut pertica crediderim eum occidisse.

Vbi est Hebel frater tuus?

Credibile est Cain occisum occultasse fratrem, putans Deum facinus suum posse latere.

Quid fecisti?

Emphasi omnia verba hæc plena sunt, & cum maxima indignatione à Deo dicuntur, ac si dicat. Quare tam graue facinus perpetrasti?

Vox sanguinum fratris tui clamat ad me de terra.

Dicit sanguines, propter sanguinis copiam, ac si dicat. Abundantia sanguinis, aut propter vulnerum multitudinem: aut, vt Hebræi dicunt, ob copiam futuræ sobolis cum fratre interfectæ. Prior tamen causa simplicior & verior est. Aduerte hic, quod in hebræo habetur clamantes, seu clamare facientes ad me de terra, quare posset verti. Voce sanguines fratris tui clamantes, seu clamare facientes ad me de terra. Aduerte etiam, quod, vt superius hoc capite dictum est, punitio è vestigio peccatum sequitur: quare sanguines effusi clamare videntur, & petere vltionem, quemadmodum infra cap. 18. dicit Dominus. Clamor Sodomorum. i. peccatorum eorum venit ad me. Et nota quòd grauia peccata clamare dicuntur in punitionem, leuia verò loqui: ita, quod qualia sunt peccata: sic clamare, aut loqui dicūtur. Aduerte etiam, quòd verbū, sahach, à quo, sohachim. id est, clamātes significat clamare, & dicunt Hebræi significare etiam congregare, propter illud primo Reg. 10. vaiashéc, id est, congregauit Samuel populum, sed propriam significationem retinendo, melius vertas. Et proclamauit Samuel, populū vocando. s. ad se. Sic Iudicum. 7. vbi vertunt, vaiisseech, id est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est, congregatus est vir in Israel, tam bene quadrat. Et proclamatus est (vt sic dicam) vir Israel.

Maledictus es tu, è terra, quæ aperuit os suum, ad accipiendum sanguinem fratris tui, de manu tua.

Sensus est. Maledicet tibi terra, seu execrabitur te, ac si dicat. Terra eodem ore, quo sanguinem fratris tui bibit de manu tua, eodem petit ex te vltionem à me. Vbi aduerte, quod terra videtur homicidam execrari, & ex se eiicere: in qua homicidium perpetratum est. Hinc ortum habuere meo iudicio ciuitates refugij. Tantum enim terra execratur homicidium, vt ex se eiicere videatur homicidam, & causa est, quia cùm quis hominem occidit, perdit terra vnum habitatorem, & cultorem, & filium, quia homo puluis est, aut quia fœdatur occisi sanguine, aut idem dictu est. Maledictus tu de terra, ac si diceret eiectus, tanquam res execrabilis, quod statim explicat.

Cùm colueris terram.

Non solùm (inquit) ex se te terra eiiciet, sed etiam cùm eam colueris, non dabit vim suam tibi, id est, fructum, qui ex terræ vi nascitur, aut non dabit fructum iuxta vires, id est, non tantum, quantum potest. Dictio choach, id est, vis, significat etiam virorem, seu viriditatem. Psal. 22. Aruit tanquam testa, cochi, id est, viror meus. Significat & fructum, eò quòd ex fortitudine terræ producatur: vt Iob. 6. (vmichochachem) id est, de fructu vestro donate mihi.

Vagus, & profugus eris in terra.

Prior dictio, scilicet, nah, significat propriè commoueri in se, siue intus, siue extra, ad modum ebrij, aut tremuli, seu qualiter mouentur timidi. Isaiæ. 29. Moti sunt, seu titubarunt, & non, sechar, id est, à siceta, &. 7. vaianah, id est, & motum est cor eius, Psalm. 107. ianuhu, id est, titubarunt, sicut ebrius. Est ergo moueri ad modum nutantis, seu tremebundi. Hinc, menahanim, id est, sistri, sic à tremore dicti. 2. Samuelis. 6. Sequens verò dictio, scilicet, nad, significat moueri, vagari hinc inde. Ieremiæ. 50. nudu, id est, migrate è medio Babel. Et Psal. 11. nudi, id est, transmigra in montem, sicut auis. Significat etiam caput mouere super aliquem quemadmodum solebant facere, qui aliquem consolabantur: vt Psal. 69. Expectaui, ianud, id est, ad commouendum, seu qui commoueretur super me, cõsolando, mouendo, scilicet, caput suum. Vnde & Iob dicebat. Vtinam esset anima vestra, pro anima mea: cumularem super vos sermones, & mouerem caput meum super vos Sic Isai. 51. Quis, ianud, id est, mouebit tibi, scilicet caput, condolendo? Est ergo sensus. Eris tremulus, aut commotus, scilicet intus, id est, timidus, & itiam vagus, seu motus extra, quia hinc inde discurres, sine vlla requie. Nam terra sua eiecit eum: & similiter aliæ, & forsitan patiebatur re ipsa corporis tremorem.

Ait Cain. Magna iniquitas mea à portare.

Gemunt hic sub mole gigantes. Sed, vt iam hoc eodem capite dixi, & in canonibus admonui, quemadmodum sæpissimè in sacris literis sumitur peccatum pro peccati punitione: ita & iniquitas pro pœna iniquitatis, & dictio, hauon, significat propriè curuitatẽ, siue quis curuus sit, id est, iniquus, siue ex pœna incurruetur, quemadmodum verbum, hauah, à quo descendit, significat curuum esse, siue culpa, id est, iniquum, siue pœna incuruetur, quod exempla monstrabunt. Danielis. 9. Peccauimus, vehauinu, id est, iniquè seu curue egimus, non conformantes nos legibus tuis. Similiter Hester primo. Non contra Regem tantum hauthah, id est, iniquè egit. Vasthi. Quòd verò pœna incuruari significet, patet Isaiæ. 21. nahauethi, id est, incuruatus sum, eũ audirem. Item Psal. 38. nahauethi, i. incuruaui me, humiliaui me. Quòd verò, hauon, significet pœnam iniquitatis, seu incuruationem, primo patet. 2. Regum. 7. inueniet nos, hauon, id est, pœna iniquitatis. Et primo Parali. 21. transire fac quæso hauon, id est, pœnam iniquitatis serui tui. Sic Prou. 5. hauonothau, id est, pœnæ iniquitatis capient impium. Quòd autem iniquitatem significet, illud Nume. 14. exemplo est. Parce quæso, lahauon, id est, iniquitati populi huius, licet etiam ibi posset in priori significatione accipi: vt sit sensus, ne punias. Si ergo hic accipias, hauon, vt pœnam iniquitatis significet, clarissimus est textus: sic vertendo. Maior est punitio, seu pœna iniquitatis, quàm vt portem, id est, portare, seu ferre possim cum vita, & sic Pagninus textum optimè vertit. Quod verò iste sit sensus, quem litera prætendit, contextus ipse manifestat. Sequitur enim.

Ecce eiicis me hodie à superficie terræ, & à facie tua abscondar, & omnis qui me inuenerit, occidet me.

Vbi vides eum putasse, non posse punitionem ferre, sine vitæ discrimine. Hunc etiam sensum præcedentia probant: incœperat enim Dominus punire Cain, dicens. Maledictus tu è terra, Cain verò occisionem metuens, ait subiuncta verba. Maior est punitio mea à ferre, id est, quàm vt ferre eam possim viuus. Quem sensum etiam Rabbi Dauid amplectitur. Caietanus autẽ, & multi alij accipientes, hauon, in alia significatione, prout, scilicet, iniquitatem significat, vertunt. Maior est iniquitas mea, seu magna est iniquitas mea à leuari, id est, quàm vt leuari seu condonari possit. Ex quibus verbis antiqui Sancti arbitrati sunt, desperasse, quòd litera non expresse dicit, sed videtur Cain sentire tam graue esse peccatum suum: vt quicunque eum inuenerit: occidet. Sed re vera, primus sensus est germanus literæ, & ex hoc loco disces, quid valeat linguarũ peritia. Nam si hæc non esset: perpetuo locus iste maneret occultus, sicut & præcedens.

Ecce eiecisti me hodie à superficie terræ.

Non quidem omnis, sed natiuitatis meæ.

Et à facie tua abscondar, id est, à præsentia, tanquàm reus à iudice.

Eroque timidus, & commotus, seu vagus, & quicunque inuenerit me, occidet me.

Aut quia me fratricidam agnoscent, aut tanquam vagum, ignorabunt me. Ex quo loco, vt iam diximus, colligitur: multiplicatum tunc humanum genus: aliàs non timuisset Cain occisionem ab inueniente. Et pœna sequeus, occisori Cain imposita, idem indicare videtur.

Propterea omnis occidens Cain, septies vindicabitur, aut sumetur vltio de eo, id est, vsque in septimam generationem punietur, aut septem pœnis afficietur, vel perfectè vindicabitur, sicut septima dies complet hebdomadam. Aduerte hic, quòd licet verbum, nacham, quod hic ponitur, significet vindicare, & punire, etiam significat iudicare.

Et posuit Dominus ipsi Cain signum, vt non percuteret illum omnis inueniens eum.

Non solum, vt non occiderent eum, sed etiam ne percuteretur. Quod signum hoc fuerit, textus non explicat, neque est aliqua coniectura ad hoc sciendum, neque libenter in sacris literis historias fingo.

Egressus est Cain à facie Domini.

Ostendit textus iste, Deum humana effigie sæpius apparuisse, & familiariter cum primis parentibus conuersatũ: ideò textus dicit, Cain à facie Domini egressum, id est, ab illa conuersatione, & familiaritate, qua antea cum eo ipse pater, & frater conuersabantur.

Habitauit in terra Nod, ante Heden.

Aliqui arbitrantur nomen, Nod, esse proprij loci nomen, alij verò appellatiuum, quod mihi magis placet, propter sententiam Domini: licet enim in aliquo loco ad tempus habitasset, statim tamen inde migrabat ad alium locum: quia vltio Domini non sinebat eum quiescere. Et quod sequitur, ante Heden, sensus est, quòd versus Orientem horti deliciarum migrauerit.

Vocauit ciuitatem iuxta nomen filii sui Chanoch.

Huius ciuitatis Berosus meminit, eamque monti Libano proximam ex Chaldæorum relatu dixit. An verò Cain ante fratris cædem extruxerit eam, certum non est: sequendo tamen seriem huius literæ, videtur postea extruxisse.

Accepit sibi Lemech duas vxores.

Vsque ad hoc tempus vnica vxore videbãtur homines con-

contenti: alias non narrasset hoc, tanquam peculiare, & rarum quid scriptura. Potuit tamẽ fieri, vt hoc enarret propter sequentia.

Ipse fuit pater habitantis tabernaculum.

Id est, pastorum præcipuus, aut primus qui docuit rem pecuariam curare, vel quod verius puto, docuit in tentoriis habitare pastores. Iam enim antea pastores erãt, vt patet de Hebel, sed nondum erat vsus habitandi in tentoriis pastoribus, sed iste inuenit. Et etiam fuit pater pecudis, id est, magnus artifex in re pecuaria. Aduerte etiam hic, ohel, significare propriè tentorium pastorum, licet aliquando omne habitaculum significet: quod adnotauerim pro lib. Exodi. & Leuitici. vbi de tabernaculo Domini agendum est.

Ipse, scilicet, Iubal fuit pater, id est, primus, aut præcipuus.

Omnis comprehendentis citharam, & organum.

Verbum, tapas, quod hic vertimus, comprehendere, significat propriè complecti, & comprehendere, vt patet. 2. Regum. 12 tapas, id, est, comprehendit Ioas Regem Israel. Idem Iosiæ. 8. Et Regem Hahai, tapessu, id est, comprehenderunt. Duo autem nomina, quæ sequuntur, scilicet, chinor, &, hugab, prius, scilicet, chinor, dicitur citharam significare, sed significatio non est omnino certa. Hoc certum est, quòd significat musicum instrumentum, quod pulsans complectitur, & quod potest suspendi, quarum significationum prior coniectura ex hoc loco sumitur: quia dicttur fuisse pater comprehendentus, seu amplexantis citharam. Secunda verò ex Psal. 137. vbi dicitur. Suspendimus, chinorothenu, id est, citharas, aut tibias nostras, vbi vulgatus vertit, organa. Sed quia organa non solent suspendi: videtur melius vertere, citharas nostras. Sequẽs verò dictio est ab, hagab, cuius significatio dubia est Hebræis. Dicunt tamen significare, amare, & loqui amatoria: vt Ezechielis. 23. Et in omnibus, vel cum omnibus, quos, hagebah, id est, adamauit: vt Hieronymus vertit. In quos insaniuit, & quasi vbique verbum in hac significatione vertit. Mihi verò verbum videtur significare suspirare, seu suspirium emittere. Moueor ad hoc, quia video, hugab, id est, organum, nullam allusionem habere ad significationem verbi, scilicet, amare. Secundò, quia Ieremiæ. 33. habetur. Quia, hasabim, id est, flatus, seu sufflationes, ore suo ipli faciunt, quod videtur idem esse, ac si quis ore oppedat alicui ignominiose: quod apud nos signum est subsannationis magnæ, aut sibilet. Tertiò, quia tunc hugab, id est, organum cùm ex flatu sonum mittat: conuenientiam habet cum significatione verbi, & adhuc potius putarem tibiam, quæ etiam flatu sonat, quàm organum: quia pulsans organa, non complectitur illa, quemadmodum facit canens tibia, & textus dicit quòd fuit pater comprehendentis, seu complectentis. Quarto, quia hæc significatio toleratur, imò quadrat omnibus locis, in quibus verbum ponitur. Nam locum Ezechielis citatum vertere potes. Et in omnibus: pro quibus suspirauit. Et eodem eap. vbi nostri vertunt. In manu filiorum Assur, quos adamauit: suspiria emittere in absentia amati. Et iterum eodem capite, vbi dicitur. Filios Assur adamauit: tu verte, & ad filios Assur suspirauit. Sic Ieremiæ quarto, maassu, id est, contepserunt te amatores tui: tam bene vertas, suspiratores tui, seu qui antea propter te suspirabant, amatorem simulantes, aut amatorem agentes. Sic Ezechielis vigesimotertio. Suspirauit super suspiratores suos, pro adamauit amatores suos, & sic in aliis locis. Illud verò eiusdem cap. Ecce tu es illis, sicut canticum amatorum: potes vertere, sicut canticum organorum, & sic vertit Chaldæus, aut sicut canticum sufflantium ore, vel sibilantium: vt superius diximus. Nondum tamen rem definio, quia coniecturis moueor.

Tubalcain actuentem omne opificium æreum, & ferreum.

Verbum, latás, significat acuere, vt patet Psalm. 52. Sicut nouacula, meluttas, id est, acuta faciẽs dolose, & Psalm. 7. Gladium suum, liltos, id est, acuet. Et quod sequitur. Omne opificium: aduerte, quòd verbum, charas, à quo, chores, id est, opificium: significat multa Hebræis, quia proprium significatum ignorant. Significat enim silere, obsurdescere, tacitum cogitare, & arare. Sed si quis rectè locos, vbi verbum ponitur: expendat; deprehendet verbum significare propriè fabricare, & exinde arare. Nam nos Lusitani omne fabricare, præsertim alicuius metalli, vocamus arare. Nã si videmus aliquod auri, aut argenti vas optimè fabricatum, dicimus, (Quam bem laurado esta este vaso) Quàm bene exaratum est hoc vas, & quia cogitans aliquid, intus fabricare videtur, significat etiam cogitare. Similiter tacere, aut melius surdescere, quia fabri loquentibus sibi surdi videntur. Nam Psal. 129. habes. Super dorsum meum, charsu, id est, arauerunt arantes, id est, ita scinderunt, ac si vomere proscinderent terram. Sic Iudicum decimoquarto. Nisi, charasthem, id est, arassetis in vitula, seu cum vitula mea. Prouerbiorum sexto, videtur significare, cogitare: vbi habetur, chores, id est, cogitans malum. Sed ibi verti potest, arans, seu fabricans malum, videlicet corde. Sic eodem capite, cor, chores, id est, cogitans cogitationes impietatis, vbi similiter posset verti, cor fabricans. Ratio autem, quare significat surdescere, est, quia fabri ob malleationem quasi surdescunt, non audientes: similiter cogitantes; non aduertunt ad ea, quæ sibi dicuntur: operi; aut cogitationi intenti. Vnde nostri in prouerbium habent, cùm quis non vult audire, aut attendere. Agit (inquiunt) mercatorem. Psalm. 28. Ne thecheras) id est, ne taceas, aut ne surdum agas: vt artifex, vel negogites. s. alia, non curando mea. Et. 35. Vidisti Domine, ne (techeras) id est, cogites, non curando me. Nostet vertit, ne taceas. Mich. 7. Aures eorum, techerasnah, id est, obsurdescent, seu ad modum fabricantium se habebunt, qui non audiunt, quæ dicuntur, propter malleorum ictus. Significat ergo hic, chores, artificium, aut potius artificio elaboratum.

Et ait Lamech vxoribus suis. Si virum.

Veritas hebraica sic habet.

Quia virum occidi in vulnere, seu attritione mea, & puerum ad liuorem, aut colligationem, seu contusionem meam, quia septies vindicabitur Cain, & Lemech. 77. Iste est Hebraismus.

Inter locos difficiles huius libri, iste est vnus, & difficultatem facit ignorantia huius viri, & pueri, de quo in textu est sermo, ideò licuit Hebræis fingere historiam Cain, & filij. Et dupliciter iste textus exponi potest. Primo modo tenendo, Lemech fuisse homicidam, & videtur quòd fuerit homicida viri, aut pueri: neq; sum lõgè ab hoc, q̃ putem Lemech occidisse puerum filium suum ex aliqua ex iis vxoribus, propter duo. Primò, quia verba ad vxores dirigit. Secundò, quia dicit, & puerum ad liuorem meum: vbi videtur loqui de puero, qui pertineret ad mulieres, aut ad alteram earum, quem casligando occiderit: percutiens enim puerum, occidit. Quã de causa vxores obiurgabãt eum, quòd scilicet ipse esset daturus pœnas homicidij. Quamobrem volens eas deterrere, dicit.

Quia occidi virum in vulnere meo, quod, scilicet, illi inflixi, *& puerum ad liuorem meum*, id est, liuidum eum reddendo: non puteris me impune occidendum, quoniam si Cain vindicabitur septies, qui fuit fratricida: multò magis Lemech, qui est simplex homicida, vindicabitur septuaginta septem. Tenendo ergo quod Lemech virum, & puerum occiderit, quicunque illi fint, & vxores dixisse ei, quòd homicidiorum esset pœnas daturus: ipse dicit, quòd licet sit homicida, non tamen est impunè occidendus, quoniam si occisor Cain erat pœnas daturus vsque in septimam generationem, multò magis occisor eius. Potuit etiam fieri, quòd vxores illi mortem intentarent, & ipse ad eas ab hoc deterendas dixerit verba hæc: sed prior sensus est germanior, si Lemech fuit homicida. Alter sensus est, quòd vxores ei mortem timerent, postquam filius Tubalcain arma inuenit, quas ipse solatur dicens.

Nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non mihi timeatis: quoniâ si virum occidissem in vul
tiere meo, & puerum ad liuorem meum, id est, etiam si occidissem hominem integræ ætatis, aut puerum inno centem, qui me occideret, non euaderet pœnas: quoniam si Cain vindicabitur septies: Lemeh vindicabitur. 77. & hic sensus nullam supponit historiam, & hunc sensum Pagninus prætendit, qui hic vertit.

Si virum occidero in vulnere meo.

Omnes ferè nostri intelligunt hunc textum, quòd Lemech debeat puniri septuagies septies, & quod Cain sit septies puniendus. Dicunt insuper Lemech occidisse Cain, cùm vtrunq; sit falsum, vt ex ipso textu ostendemus. Nam quòd Cain non sit septies daturus pœnas, constat: quia textus non dicit, quòd Cain sit septies puniendus, sed quòd vindicabitur, scilicet, ipse de occidente se. Cùm enim ipse punitioni Domini opponeret, quod omnis qui cùm inuenisset, occideret, Dominus volens eum securum reddere, dicit, non sic futurum esse, imò si quis eum occideret: septies puniretur. Ex quo manifestè constat, quòd non Cain, sed occidens ipsum erat septies pœnas daturus. Vnde cùm dicit Lemech, quod *Septies vindicabitur Cain*: non debet esse sensus, quod sit septies pœnas daturus, sed potius is, qui eum occidisset, quemadmodum Dominus fuerat pollicitus ipsi Cain. Quod autem hic occasionem errandi dedit, fuit præpositio (de) quæ ponitur in vulgata editione. Dicit enim, *Quoniam septuplum vltio dabitur de Cain*. Quibus verbis ostendit pœnas daturum Cain, & etiam Lemech, cùm, vt diximus, textus oppositum dicat, & meo iudicio, etiam vulgata editio, sed fuit male intellecta. Nam cùm dicit, *Septuplum vltio dabitur de Cain*, sensus est, de occidente Cain. Constat autem Cain quadruplices tantum dedisse fratricidij pœnas. Primò, quòd fuit à Deo maledictus. Secundò, quòd terra non erat datura colenti vim suã, seu fructus: quos dare poterat. Tertiò, quòd esset comotus. Quartò, quòd esset profugus, & potest quinto addi, quòd eiiciendus à facie Domini. Neque cõstat postmodum alias dedisse. Quod verò ille vir, quem occidit Lemech: si tamen eum occidit: non fuerit Cain, probatur, quia vir occidens Cain daturus erat pœnas in septuplum: vt textus dicit, sed Lemech non legimus tot pœnas dedisse. Constat ergo, quod Lemech non occidit Cain. Secundò, quia si Cain esset à Lemech occisus: Deus non impleßet verbum suum ipsi Cain. Pollicitus enim illi fuerat, quòd non esset occidendus ab eo, qui eum inueniret. Vnde credendum est eum obiisse, non autem fuisse à quoquam occisum. Tertiò, quia eodem modo, & in eadem significatione accipiendum est verbum, nacham, seu vindicabitur, cùm dicit Dominus ad Cain, quòd omnis occidens Cain, septempliciter vindicabitur, & cum Lemech dicit, septempliciter vindicabitur Cain. Sed in priori loco significat, quòd vltio sumenda est de occisore Cain: vt etiam ipsi fatentur: ergo, & in secundo loco. Nullo ergo modo est intelligendum, quòd Cain dederit septies pœnas, neque quòd Cain fuerit à Lemech occisus. Vbi vides quæ mala pariat vna dictio addita, vel ablata à textu, aut sententia malè intellecta. Est ergo sensus huius loci iterum repetitus.

Audite vocem meam vxores Lemech. Auscultate eloquium meum: licet enim virum occiderim in vulnere meo, & puerum in liuore meo, non tamen erit à pœna immunis, qui me occiderit. Quoniam si Cain vindicabitur, id est, vltio illi dabitur de occisore septies, iuxta verba Domini, qui quidem fuit fratricida: Lemech qui est simplex homicida vindicabitur. 77. Aut si non fuit homicida: sensus erit. Si virum occidissem in vulnere meo, & puerum in liuore meo, adhuc daret pœnas, qui me occideret. 77. Et si hunc secundum amplectaris sensum: videtur, quòd Lemech puerum filium suũ castigauerit: ob cuius verbera fuit ab vxoribus redarguitus, quibus ipse dicit, quod non solum non punietur, si verberet, sed etiam si occidat virum, aut puerum, quicunque eum propterea occiderit: graues dabit pœnas. Si verò meliorem habeas sensum huius loci, amplectar tecum. *Vocauit nomen eius Seth.*

Sonat, Seth, positionem, & causam subdit, quare sic eum vocauerit, quod videlicet posuisset ei Dominus semen aliud pro Hébel occiso à fratre.

Vocauit nomen eius Enos.

Sonat Enos hominem, aut potius hominem masculum. Sunt tamen qui dicunt, Enos, sonare dolorem, & exinde hominem, quod omnibus diebus vitæ suæ doleat: significatio tamen nominis, neque nobis, neque Hebræis plenè nota est.

Tunc cœptum est vocari in nomine Iehouah.

Verbum hebraicum, chalal; cuius præteritum passiuum hic ponitur, scilicet, huchal, significat propriè polluere, profanare, & quia eadauer tangentem polluebat, & sanguine occisi polluebatur, significat secundò, occidere, tertiò, significat incipere, præsertim in tertia coniugatione, seu commune facere, quemadmodum fructus nouæ arboris quarto anno incipiebat cõmunis fieri, seu profanari. Et prioris significationis vbique obuia sunt exempla. Et primo Leuit. 19. vbi dicitur. Sanctificationem Domini, chilel, id est, polluit. Item Malachi. 2. Quia, chilel, id est, polluit, iehudah, sanctificationem Domini. Quòd verò occidere significet, constat Deut. 21. De sanguine, chalal, id est, occisi, aut polluti. Sic Numeri. 31. Omnis qui tetigerit, bechalal, id est occisum, vel fœdatum, Tertiæ verò significationis exempla habes infra, sexto capite, vbi dicitur eùm, hechel, id est, cœpisset homo multiplicari super terram. Et cap. 10. ipse, hechel, id est, cœpit esse potens in terra. Item Deut. 3. Domine Deus, hachilotha, id est, cœpisti ostendere seruo tuo. Secundum ergo duas verbi significationes potest textus dupliciter reddi. Nam alia, scilicet occidere, nullo modo conuenire videtur. Primo sic. Tunc, scilicet tempore Enos, cœptum est inuocari in nomine Domini. Secundò sic, Tunc profanatum, aut pollutum est nomen Domini. Videtur autẽ prior interpretatio conuenientior, quod scilicet tẽpore Enos, cœperit nomẽ Domini, Iehouah, inuocari, quando Seth, & Enos viri religiosi vixerunt. Vbi aduerte, quod tempore quo vixit Cain, & Hebel, & Adam, nomen Domini inuocatum est, sed mortuo Hebel, cùm Cain esset à Domino elongatus, & eum vtpote punitorem exosum haberet, non curabat inuocare eum: sic semen ipsius. Postea verò cùm natus esset Seth vir bonus, & semen ipsius propagari inciperet: iterum cœptum est inuocari nomẽ veri Dei, quod obliteratum erat hominibus ad idolatriam declinantibus. Si verò secundo modo legas, scilicet, tunc profanatum est nomen Domini: sensus erit, quod generatio Cain, tunc, id est, tempore suo polluit nomen Domini, faciendo mala. Aliqui putant tunc homines communiter incœpisse inuocare nomen Domini passim, videntes Deum curare res humanas, & punisse Cain. Sed prior sensus mihi apparet verior, & germanior. Neque dicit textus, quòd tunc cœperit agnosci, quia iam antea cognitum erat, sed vocari, aut inuocari: ac si dicat, tunc cœperunt Deum colere fundendo preces, faciendo sacrificia, & id genus alia. Vnde infra cap. 13. de Abraham dicitur, quòd venerit ad locum altaris, & vocauerit, aut inuocauerit nomen Domini, scilicet, Iehouah.

CAPITIS QVARTI, ADNOtata ad nostram eruditionem.

Adam cognouit vxorem suam.

Credendum est eam, quandiu in paradiso fuit, non cognouisse: quoniam cùm virgo tunc esset, & ambo in ætate ad generandum aptissima, & ad hoc à Deo ipso producti, genuissent: si inter eos esset ibi congressus. Quo facto docemur, quanta veneratione, & reuerentia à nobis habenda sint loca sacra? vt scilicet, ibidem nullam turpitudinem operemur, qua locus sacer fœdari possit. Si enim domus Dei domum negotiationis facere prohibemur, multò magis domũ turpitudinis. Vbi similiter in verbo cognouit, docemur, quanta

quanta vocabulorum honestate, in turpibus rebus nominandis, vti debeamus. Quare Paulus Ephesios admonens, ait. Fornicatio, & omnis immũditia, aut auaritia, neque nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Sanctorum enim est ab immunditiarum colluuie esse exẽptos, illorum verò, qui summè sunt sancti, non solùm non facere, sed neque nominare talia.

Acquisiui virum à Domino.

Admonet nos locus iste, quanti facienda sint beneficia Dei, præsertim soboles: tanti enim Eua æstimauit hũc filium, ac si Dominus illi magnam dedisset possessionem. Non considerauit, filium secundum naturæ ordinem genuisse, aut beneficium esse naturæ, sed illud totum in Deum refert, ac si nullæ in beneficio essent naturæ partes. In quo nos vehementer arguit, qui non nisi miraculosa Deo damus, neque illi accepta ferimus beneficia naturæ. Quis enim nunc cùm filium genuerit, aut fructum terræ in copia habuerit, gratias Deo agit? Omitto interim alia immensa Domini beneficia. Vnde, vt Basilius ait, cogitur Deus à nobis sua beneficia auferre: vt ea cognoscamus: quod ingratissimi animi est cognoscere, scilicet, beneficium: dum auferetur. Dedit mihi Dominus vitam, & salutem, & opes ad duos, & tres annos, & non solùm non egi illi gratias, sed neque vnquam eius beneficia esse cognoui, & si ad vnam diem auferat salutem: aut ad annum opes, statim murmurò, blasphemo, & multa alia conuitia in eum obiecto. Est etiam quod hic considerare queas, videlicet quàm patienter Eua, & Adam Domini punitiones sustinuerint, licet enim Deus homini tot mala infligerit, tacuit, acceptauit, neque cogitauit leuissimum fuisse peccatum, nempè vnius pomi interdicti esum: pro quo tot mala subibat. Non vocauit Deum iniustum, non crudelem. Neque cum Cain dixerunt, maior est punitio nostra, quàm vt ferre possimus. Neque solùm tacuerunt, sed vides hic mulierem gratissimam Domino, filij munus in eum collocasse. Si enim mala inflicta considerasset, abhorreret a conceptu prolis, quam cum vitæ discrimine in partu eiiciebat, sed omnium malorum oblita, filium: quem tanta cum molestia in vtero ad nouem menses tum gestarat, eumque tanto cum dolore pepererat: in Deum, cum gratiarum actione referebat, dicens. Acquisiui virum à Domino. Quo arguit eos, qui cùm à suis Prælatis arguuntur: vultum demittunt, vertuntq; aliò, nolentes respicere arguentem, aut punientem, & si quid postea Prælatus concedat, respuunt, & accipere cum indignatione recusant. Non sic Patres nostri, qui neque puniti à Deo diuertunt, sed munus cum gratiarum actione suscipiunt. Vnde sequutum est vt quasi gratis de beneficio concesso, Deus secundum addiderit, & melius: sequitur enim.

Et addidit, vt pareret fratrem eius Hebel.

Est etiam hic aduertenda Domini conditio, vt neminem affligat, quin statim sequatur consolatio, si peccator respiscat: quemadmodum hic videmus. Postquam enim fœminã tam grauibus legibus astrinxit: statim, vt consoletur deiectam, sobolem tribuit.

Erat autem Hebel pastor ouium, & Cain agricola.

Admonet nos hic iustus Hebel, illud munus esse subeundum, quo melius possis summo Deo ministrare, & quo securiori conscientia viuere possis, quale est munus pastoris. Crediderim enim Hebel idcò pastoris subiisse munus: vt ex ouibus agnos, & ex agnis adipem, quem Deo offerre posset, haberet.

Adduxit Cain de fructu terræ oblationem Domino.

Admonet locus iste, quali oculo, & examine pensanda sint, quæ à nobis Deo offertur: licet enim Cain prius obtulerit, quàm frater eius, quia tamen nõ tam exactè librauit munera, vt frater: reiectum est à Domino munus eius. Vbi etiam arguuntur Lutherani nostri temporis, qui nihil sine expresso verbo Dei in eius cultum admitti volunt. Sed dicant nobis, quo verbo expresso, quo sermone, quove præcepto Dominus præceperit Cain, aut Hebel munera hæc sibi offerre? Vnde etiam Noe, & multi alij sancti Patres suis sacrificiis Deum sine expresso verbo coluerunt? Voluit, & sanctus Dauid templum Domino construere, sed vbi expressum ad hoc verbum? Solum, quia putauit Deo gratum. Cur ergo Ecclesiæ non licebit in cultum instituere Domini: si putauerit aliquid Deo gratum esse? Faciunt ipsi sine Dei verbo, imò contra Dei verbum sua schismata, & diuisiones, sua sque ceremonias, & at ctabitur Ecclesia: vt non faciat suas oblationes? Sed hæc alibi fusius differemus.

Respexit Dominus ad Hebel, & ad oblationem eius.

Docet nos litera hęc munera non esse grata, nisi ex animo. Abhorret enim Dominus à muneribus, quæ non exporrecta fronte illi offeruntur. Quomodo (dicebat summus sacerdos Aharon Mosech) potui Domino in ceremoniis placere mente lugubri? Est aliud, quod hic aduertas: videlicet quàm oculate Principes, & ij: qui seruos habent: debeant ostendere alicui suam dilectionem, & quàm occultè, ne scilicet alios ad inuidiam prouocent: quare videbis Deum infra capite. 13. cùm terram Chenahan esset Abrahæ promissurus, & ipse esset simul cum Loth: expectare, & differre hanc promissionem quousque ab eo separaretur Loth. Habet enim textus. Et Dominus dixit ad Abraham, postquam separauit se Loth ab eo. Leua nunc oculos tuos & vide à loco: vbi es: ad aquilonem, & meridiem: ad orientem, & occidentem: quia omnem terram, quam tu vides: tibi dabo, & semini tuo vsque in seculum. Sed habet Dominus hoc peculiare: vt defectum honoris sui inuidentia puniat. Cùm enim Heli filios plus æquo diligens, non: vt par erat: argueret, quòd primitias carnis ab offerentibus tollerent, antequam Domino consecrarentur: audinit. Videbis (ait Dominus) emulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israel, & non erit senex in domo tua. Nos cùm sœui, & crudeles simus, illato inimicis malo, ex eis vindictam sumimus. Deus verò faciendo bonum illis, qui nobis inimicantur, aut vicinis nostris: quo vindictæ genere, licet nihil mali facere videatur: confumit tamen inuidi præcordia: cùm ante eius oculos æmulum exaltat. Huiusmodi vindictæ genere vsus est aliquando Paulus: cùm Romanis dicit. Quandiu sum gentium Apostolus: ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulationem prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex eis. Sic, & hic dominus volẽs prouocare Cain, vt de cætero: cùm illi vellet munus offerre: meliora referret: non illi nocuit, sed munus fratris acceptauit? vt eum ad fratris mentem reuocaret: ipse verò vice versa in deterius mutatus est: vnde debuit melior fieri. Arguit etiam locus iste eos, qui cùm bona habeãt, deteriora Deo offerunt, quos apertioribus verbis Deus ipse Malac. 1. denotauit. Maledictus (inquit) dolosus, in cuius grege est masculus, ipse verò votũ vouens macu losum offert, quia Rex magnus sum, dicit dominus.

Iratus est Cain valdè, & cecidit facies eius.

Ostenditur hic, quàm cæca passio, ira sit, quæ non solùm in eos, vnde sibi mala veniunt, sed etiam in innocentes sæuit. Quid enim mali illi fecerat frater, Deo sno offerendo selectiora, aut quomodo poterat Dei fauores prohibere, qui, an munus suum illi gratum foret, ignorabat. Aduerte etiam, qualiter animũ deiiciat negatus principis fauor. Sicut enim maximè euehit, & lætificat hilaris Domini vultus in eum, ita omnino deiicit: si eum sentiat non affectum sibi ea: qua solitus erat: hilaritate.

Vt quid est ira tibi? Docentur hic principes, seruos, quos viderint tristitia affectos, subleuare: vt vnde malum processit, inde prodeat medicina. Sunt multi Prælati, qui siue subditi tristes sint, siue hilares, non curant, etiam si ipsi sint illis causa tristitiæ. Non sic Dominus Deus, sed licet viderit Cain sine vlla causa iratum erga fratrem, & tristem, causam tristitiæ inquirit, sublenat, verbisque solatur. Pollicetur bona, si mentem, & opera emendet.

Si non benefeceris, ad ostium peccatum cubat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quemadmodum opus bonum, suum sequitur præmium: ita malum, cuestigio punitio. Nullus ergo malè agens sibi promittat impunitatem, quoniam omne malum sua vindicta sequitur. Admonemur etiã libertatis nostræ aduersus eos, qui eam negant: in quorum potestate quemadmodum est peccare, aut nõ peccare: ita, & pœnas dare, aut non puniri.

In te erit appetitus eius.

Statim peccator pœnas sui peccati daret, nisi Dominus prohiberet.

Fuit, cùm essent in agro.

Vtinam qui bona agunt, sic opportunum ad hoc tempus quærerent, quemadmodum peccatores. Postquam enim perditus ille Iudas Saluatorem vendiderat: statim: (vt ait Lucas) quærebat opportunitatem, quomodo illum opportunè traderet. Oculus adulteri (ait Iob) obseruat caliginem. Norunt ergo peccatores suam opportunitatem malis operibus quærere, quam boni vix ad bona opera curant. Obseruauit ergo nequam iste Cain tempus, quo fratrem solum inueniret in agro incautum: vbi qui prohiberet, non inueniretur, neq; qui accusaret, adesset. Hanc Dominus ab iniquis expetit vltionem: vt eo loco, & tempore mala faciant, quibus non sit qui prohibeat.

Surrexit in Hebel fratrem suum, & occidit eum.

Audis, quantum malum sit inuidia, quæ neque fratribus parcit, sed occidit, & recole quid fecerint fratres Ioseph, quos inuidia compulit fratrem in Ægyptum vendere.

Vbi est Hebel frater tuus?

Vnicuique mandauit Deus de proximo suo, & in iudicio Dei, reddenda est ratio fratrum. Solet etiam Dominus occasionem petendi veniam peccatoribus dare, sed vltio nõ sinit eos petere. Vbi simul vides, quàm annexum sit peccatori occultare peccata.

Quid fecisti?

Exigit Dominus ab eo peccati confessionem: ipse verò excusationem, & ignorantiã pretendit. Pater Adam peccatum quidẽ in socium reiecit: nõ tamen negauit: iste verò Deo peccatum suum occultum arbitratur.

Vox sanguinum fratris tui clamat ad me de terra.

Habent, vt diximus, vocem suam peccata, qua ad Dominum pro vindicta clamant: maximè homicidium, quod expendere homicidas vellem, qui: vt Hebræi dicunt, tantam cum homine prolem occidunt, quantam viuens poterat generare. Omitto interim vxorem, & quos genuerunt: liberos, quibus qui patrem occidit: subuenire tenetur.

Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum.

Tanta est homicidij vis, vt terra nolit sustinere super se homicidam, sed ex se, quantum potest, eiiciat: similiter inuita dat homicidæ cibum.

Vagus, & profugus eris in terra: aut timidus & vagus.

Iudices nostros hic admonebo: quoniam video inter homicidia fieri, neque tamen video homicidas puniri. Sunt hodie mille modi excusandi homicidã, quorum vnus est, Ecclesiam appellare, clericum se dicere, & statim iudices, quos volunt, à Summo Pontifice impetrare, qui eos partã, aut nulla pœna imposita, absoluunt, & sic homicidia multiplicantur. Alter est reddere contentos, vtcunque parentes occisi: vt ius suum relinquant, & cùm iustitiæ de cætero litigent ministris: qui seueriores esse deberent, quam propinqui occisi. Sed proh dolor tam debiles hodie sunt qui partes iustitiæ agunt: vt gaudeat homicida sibi cum iustitiæ ministris congrediendum esse. Tu nosti (ait Dauid Salomoni) quid fecerit mihi Ioab: qualiter duos viros occiderit meliores se: prius se offensum quæritur, quàm mortuos, quia cum Regum sit homicidia prohibere, & rempublicam custodire, prius homicida iustitiam, quàm partem lædit. Seuerius ergo iustitiæ ministri agere cum homicidis deberent, quam parentes, seu consanguinei occisi, quia commune bonum priuato præstat. Vnde multa mala sæpius respublica patitur propter impunita homicidia. Sentiant igitur, & sciant occisorum sanguines à Deo vindictam expetere, & eos reos mortis esse, qui cùm vindicare possint: non curant. Habes etiam hic quatuor mala, quæ communiter peccarum homicidij sequuntur. Esse, scilicet, maledictum super terram. Penuriam fructuum terræ pati. Agere in continuo timore, & esse vagum ita: vt nullibi requiescat.

Maior est punitio mea, quàm vt feram.

Quemadmodum boni pœnitentis conditio est, cogitare peccata, punitionem excedere: ita mali, superare punitionem, mala quæ fecit. Depinxit hic scriptura in Cain, impœnitentem hominem, qui primo peccata excusat, se peccatorem negat. Secundò pœnam inflictam non sponte, sed inuitus sustinet. Tertiò se plures dare pœnas, quàm mereatur, conqueritur. Quartò enumerat mala, quæ patitur oblitus, quot mala egerit.

Omnis qui inuenerit me, occidet me.

Docet locus iste, quàm sit cauendum, habere Deum iratum, & quàm iocundum, habere propitium. Sicut enim seruum, quem Princeps torue respicit: omnes persequuntur, & vno Principe offenso, omnes serui se offensos esse ostendunt, & suo modo puniunt: ita vt ianitor eo viso, ianuam claudat: alius qui arridebat, iam non amplius rideat: ita, eum, qui Deum offendit, aut cui iratus est: omnes persequuntur, illique irascuntur, & si Dominus permitteret, omnes de eo vindictã sumerent. Sicut enim Deus habet oculos suos, & frontem hilarem, quam iustis ostendit: ita & nasum suum, vultusque suos, quibus malos deterret: vnde, & Dauid dicebat, oculos Domini super iustos, lætos profectò, aureasque eius ad preces eorum apertas: ita vultus suos super facientes mala: vt perdat de terra memoriã eorum. Hac de causa, vt reor, Sol ante iudicij diem obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ de cœlo cadent, vt nasum suum, & iram ostendant illis, quibus tunc Dominus irascetur. Summè ergo fratres cauẽdum est, ne Deum offensum habeamus, quoniam non solùm eum, sed omnes creaturas eius habebimus aduersarias: terra non dabit fructum, maria pisces, deniq; quæ sua sunt, nobis cuncta negabũt, etiam Sol, & Luna, & astra omnia, quæ ad ministerium nostrum creata esse videntur, & nisi Dominus poneret signum, quod custodiret Cain, quicunq; illi occurreret, occideret, imò cuncta creata decertarent, quod eorum primum in eum manum mitteret.

Omnis qui occiderit Cain, septemplicitèr vindicabitur.

Docemur hic non addere afflicto afflictionem, neque esse molestandum, quem videmus à Deo punitum, aut ab alio: conqueritur etiam Christus in Psal. de hoc dicens. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulneratorum tuorum addiderunt. Deleantur isti de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Et in alio Psal. Persequutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.

Cognouit Cain vxorem suam.

Benedictus Dominus, qui etiã in media ira, misericordiæ recordatur. Nam quia punierat Cain, quodammodo ipsum consolatur, dando prolem, & permittendo ædificare ciuitatem.

Accepit sibi Lemech duas vxores.

Sunt peccata quædam, quæ pœnam perpetrantu impe nunt. Quia iste non fuit vnica coniuge contentus: voluit Dominus, vt illæ sibi graues essent.

Audite vocem meam vxores Lemech.

Tenetur vir vxorem suam, cùm insolens est: obiurgare.

Quia septemplicitèr vindicabitur Cain.

Pulchrè ostendit locus iste, non esse omnium punire malefactores, sed Dei, & eius, qui eius fungitur officio in terris: non enim est alicuius priuatæ personæ, aut autoritatis. Quod hic duplici ostenditur exemplo. Altero ipsius Cain, quem noluit Dominus ab aliquo occidi, vel puniri: altero ipsius Lemech, quem qui occidisset, puniendus erat 77.

Quia posuit mihi Dominus semen aliud pro Hebel.

Non

Non permittit Dominus aliquod malum fieri, nisi ob aliquod bonum, neque priuat bonum aliquo bono, nisi loco eius, melius subroget. Perdidit enim Eua Hebel iustum, & sanctũ, sed acquisiuit eius loco Seth, qui pater fuit populi sui: in quo diuisa est generatio electorum, à generatione reproborum.

Tunc cœptum est inuocari nomen Domini.

Quemadmodum filij Cain musica instrumenta, quibus delicientur, & artem alendorum gregum: qua opes augerent, & arma, quibus inter se dimicarent, inuenerunt: ita filij Seth modum inuocandi Deum. Nam sicut filiorum huius sæculi studium est, inuenire modos, quibus diteſcant, & delicientur: ita filiorum Dei est, inuenire modos, quibus Deum suum colant. Sed hoc interest inter huiusmodi malorum, & bonorum inuentores: quòd bonorum pauci sunt, malorum verò in immensum creuerunt: imò vnus sufficit ad mille malorum artes inueniendum: multi verò boni vix sufficiunt ad inueniendum vnum bonum.

CAP. QVINTVM.

HIC est liber generationum Adám, in die: qua creauit Deus hominem. Ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum, & fœminam creauit eos, & benedixit eis, & vocauit nomen eorum Adám in die, qua creati sunt. Et vixit Adám triginta & centum annos, & genuit ad similitudinem suam, ad imaginem suam, & vocauit nomen eius Seth. Et fuerunt dies Adám, postquam genuit Seth, octingenti anni, & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Adám, quibus vixit, nongenti anni, & triginta anni, & mortuus est. Et vixit Seth quinque annos, & centum annos, & genuit Enós. Et vixit Seth, postquam genuit Enós, septem annos, & octingentos annos, & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Seth duodecim anni, & nongenti anni, & mortuus est. Et vixit Enós nonaginta annos, & genuit Chenán. Et vixit Enós postquam genuit Chenán, quindecim annos, & octingentos annos, & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Enós quinque anni, & nongenti anni, & mortuus est. Et vixit Chenán septuaginta annos, & genuit Mahalalél. Et vixit Chenán postquam genuit Mahalalél, quadraginta annos, & octingentos annos: & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Chenán, decem anni, & nongenti anni: & mortuus est. Et vixit Mahalalél quinque annos, & sexaginta annos: & genuit Iéred. Et vixit Mahalalél, postquã genuit Iéred, triginta annos, & octingentos annos: & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Mahalalél quinque, & nonaginta anni, & octingenti anni: & mortuus est. Et vixit Iéred duos, & sexaginta annos, & centum annos: & genuit Chanóch. Et vixit Iéred postquam genuit Chanóch, octingentos annos: & genuit filios, & filias. Et fuerũt omnes dies Iéred duo, & sexaginta anni, & nongenti anni: & mortuus est. Et vixit Chanóch quinque & sexaginta annos: & genuit Methusélach. Et ambulauit Chanóch cum Deo, postquam genuit Methusélach trecentos annos: & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Chanóch quinque & sexaginta anni, & trecenti anni. Et ambulauit Chanóch cum Deo, & non fuit, quia tulit eum Deus. Et vixit Methusélach septem, & octoginta annos, & centum annos: & genuit Lemech. Et vixit Methusélach postquam genuit Lémech, duos, & octoginta annos, & septingentos annos: & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Methusélach nouem, & sexaginta anni, & nongenti anni: & mortuus est. Et vixit Lémech duos, & octingentos annos, & centum annos: & genuit filium. Et vocauit nomen eius Nóach dicendo. Iste consolabitur nos ab opere nostro: & à dolore manuum nostrarum de terra: cui maledixit Dominus. Et vixit Lémech postquam genuit ipse Nóach, quinque, & nonaginta annos, & quingentos annos: & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Lémech septem, & septuaginta anni, et septingenti anni: & mortuus est.

Hic est liber generationum Adam: in die quo creauit Deus Adam. Ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum, & fœminam creauit illos.

OMnes ferè tam nostri, quàm Hebræi verterunt hic. Iste est liber. Rabbi tamen Dauid addit aliam expositionem, scilicet, hæc est narratio generationum. Est autem aduertendum verbum (saphar) à quo, sepher, id est, liber significare propriè, numerare: vt patet. 2. Samuelis. 24. Postquam, saphar, id est, numerauit populum. Sic Leuitici. 15. Cùm mundabitur fluens à fluxu suo, (vesapharlo) id est, numerabit sibi septem dies. Idem vigesimoquinto capite eiusdem libri, vesaphartha, id est, & numerabis tibi septem sabbatha. Et in multis aliis scripturæ locis. Et quia narrans aliquid, enumerat res, quæ acciderunt, vnam post aliam: significat exinde narrare: vt patet Psalm. 44. Patres nostri (siperũ) id est, narrauerunt nobis. Et Psal. 75. (siperũ) id est, narrauerunt mirabilia tua. Iudicum septimo. Ecce vir (mesapher) id est, narrabat amico suo somnium. Et multis aliis locis. Nos quoque Lusitani vsque hodie vtimur verbo numerare, in significatione, qua significat, narrare. Dicimus enim (Contameisso) id est, computa, seu numera mihi hoc: pro narra mihi hoc. Inde, mispar, id est, numerus, & sepher, id est, litera, seu liber. Et nota, quòd Hebræi per literas numerare solent hoc modo, aleph, id est, vnum, beth, duo, & sic consequenter: vt in hebraicis institutionibus videre licebit. Quoniam ergo literæ sunt numerus Hebræis: per quas supputant: extenditur significatio verbi, saphar, quod est numerare ad literas: per quas numerant. Vnde, sepher, non tam propriè librum, quàm literas significat: vt patet. 2. Reg. 5. Et mittam, sepher, id est, literas ad Regem Israel: aut numeros, intelligendo per numeros, literas. Idem

Universidad de Deusto
Biblioteca

versu.6. eiusdem ca. Attulit (hasepher).i. literas. Quia tamen liber continet literas : etiam librum significare inuenitur: vt patet Iosuæ.8.(besepher) id est, in libro legis. Posset tamē verti,in literis legis. Item.2.Reg.22. Super verba (hasepher).i. libri huius. Psal. etiam.69. Deleantur, misepher,id est,de libro viuentium. Hinc etiam, sopher,id est,numerans, aut scriba. Potest ergo hic (sepher) librum significare,& numerum. Et magis loco quadrare videtur,si vertas.

Iste est numerus generationum Adam : quàm iste est liber: cùm hoc caput non sit liber. Neq; bene totus liber Geneſis,dicetur liber generationum Adam. Sic infra.36.dicitur. Istæ sunt generationes Esau: vbi nulla libri fit mentio. Aut vertēda est litera,vt diximus,cum Rabbi Dauid. Hæc est narratio generationum Adam. Numerantur ergo hic generationes ipsius Adæ. Et benè aduerte allusionem illam, qua à (saphar) quod est numerare: est(sepher).i.litera: quod per literas Hebræi numerent : quia mihi res hæc negotium fecit. Cùm enim vt plurimum nominum significata allusionem aliquam habeant ad verbi: à quo descendunt: significationem: non videbam,quid conuenientiæ esset literarum,ad numeros,sed Dominus dedit tandem allusionem inuenisse. Est ergo sensus horum verborum.

Iste est numerus generationum, id est, hominum generatorum ab Adam. Et quod sequitur.

In die, quo creauit eum Deus. Sumitur ibi dies, pro tempore. Non enim in die, quo creatus est,genuit: & dato,quod genuisset,non potuit illo die tot generare: quot hic describuntur,& numerantur. Est ergo sensus. In die,id est,in tempore,quo Deus illum produxit.

In similitudinem Dei fecit illum.

Diximus primo capite de dictione hebraica (demuth) id est, similitudo, quæ videtur significare similitudinem citò transeuntem, non diu durantem : vt Psalm. 144. Homo vanitati, damah,id est, assimilatus est.

Dixi etiam hominem ad similitudinem Dei, non solùm quantum ad animam,sed etiam quantum ad corpus: si tunc Dominus in effigie humana apparuit. Ponitur autem hic : in similitudine,& non in vmbra : vt superius, quod est signum in primo capite, vnum nomen fuisse expressionem alterius : vt ibidem diximus. Quia autem dicit textus. Ad similitudinem Dei fecit illum,& non illos: multi dixerunt,fœminam non esse ad imaginem Dei: quod beatus Augustinus sæpius inculcat. Sed quantum ad animam, indubiè fœmina est imago Dei. Non dicitur autem Dei imago hic, quoniam ex viro formata est,quantum ad corpus,sed potius dicitur imago viri, quàm Dei. Quemadmodum statim hic dicitur,Adam genuisse ad imaginem suam, & similitudinem. Dicit tamen Augustinus fœminam non esse ad imaginem Dei,quantum ad præsidentiam omnium rerum, quemadmodum vir : cùm fuerit in subiectione creata.

Vocauit nomen illorum Adam : id est,homo. Deus nomen fœminæ imposuit,quemadmodum viro,quoniam ex eadem massa erant. Homo verò etiam illi nomen imposuit: quatenus ex eo corpus illius fuerat desumptum. Quod autem dicitur.

Et benedixit illis, id est, vim producendi filios contulit. Iam enim primo capite diximus benedicere Domini,nihil aliud esse, quàm benè facere. Quid Adam sonet,iam priori capite diximus. Sonat autem rubescere,& causa ibi data est, quare nomenclaturam à rubedine sumat.

Genuit in similitudinem suam: secundum imaginem seu vmbram suam : id est, genuit sibi simile, & quantum ad animam, & quantum ad corpus. Habes etiam hic verbum,bara,id est,creauit, non semper significare ex nihilo facere,sed producere: vt in hoc loco. Masculum & fœminam produxit eos.

Fuerunt omnes dies Adam, quibus vixit: nongenti & triginta anni. Disquirunt hic multi, cur Patres illius seculi tanto tempore vixerint : nostro autē seculo tam parum,& quidam hoc ad cibos referunt: quod illo essent tempore salubriores. Ego autem puto ad multiplicandum generationem hoc factum. Cùm enim tunc propagandum esset genus humanum : opus erat primos Patres diutius viuere. Aut quia tunc natura, vtpote recens nata,robustior erat. Quādo autem Adam cœpetit generare,scriptura non explicat,& fortè cepit annō quinquagesimo : si creatus est quadragenarius, aut quinquagenarius, & de Seth constat genuisse,post centum quinque annos. Numerantur autem hic.10. generationes,scilicet,Adæ: qui vixit.930. & Seth: qui 912 .Enos.905. Chenan.910. Mahalalel.895. Iered. 662.Chanoc.365.Methusela.969.Lemech.777. Noach verò anno.500.genuit Sem,Cham,& Iaphet.

Ambulauit Chanoch cum Deo, postquam genuit Methuselach.

Admonui in hebraismis,idem esse ambulare cum alio quò, & conformare se illi, & velle quod ille vult. Et præ se fert textus iste,quod ante generationem Methuselach, non ambulauerit Chanoch cum Deo, forsitan malè vixit. Postquam verò filium habuit : ambulauit cum Deo trecentis annis.

Ambulauit Chanoch cum Deo,& non ipse: quia accepit eum Deus.

Sunt qui arbitrantur,eum per mortem ablatum: mihi verò probabilius videtur,eum à domino Deo acceptum,quemadmodum Elias. Moueor ad hoc. Primo, quia de omnibus præcedentibus dicitur, & mortuus est, sicut de Adam,& sequentibus. Quare si Chanoch obiisset, quemadmodum alij: de eo, sicut de aliis,scriptura diceret. Et mortuus est : quod non dicit,sed acceptus est à Deo. Secundo,quia de eo dicit textus. Cum Deo ambulauit, & vult insinuare causam,quare eum acceperit Deus. Tertiò, quia scriptura dicit. Et non ipse, quia accepit eum Deus, scilicet ad se. Sunt etiam ad hoc authoritates id probātes, quarum prior est. Eccle.44. Chanoch placuit Deo,& translatus est in paradisum: vt det gentibus sapientiam. Alia est Sapientiæ.4. vbi habetur. Placens Deo factus est dilectus,& viuens inter peccatores, translatus est, raptus est : ne malitia immutaret intellectum eius,aut ne fictio deciperet animam illius. Est etiam ad hoc sententia Pauli, ad Hebræos.11. Fide Chanoch translatus est: ne videret mortem, & nō inueniebatur, quia transtulit illum Deus. Est autem eius translatio,sicut & Eliæ,non paruum argumentum, quod sit alia vita apud Deum : in quā pij,ab hac misera transferuntur. Quod & Isa.57. firmare videtur : vbi sic habet. Iustus periit,& non est qui ponat super cor, & viri misericordes congreganter, & non est qui intelligat. Quia propter malum mundo venturum congregatur iustus. Ingredietur in pacem, requiescent in cubilibus suis, qui ambulauerunt coram eo. De Ioseph quoq; dicunt filij Iacob. Frater eius non ipse, id est, non cōparet, aut mortuus est,infra.42. ex quo loco priores suam expositionem accepére.

Vocauit nomen eius Noach, dicens. Iste consolabitur nos ab opere nostro, & à dolore manuum nostrarum de terra, cui maledixit Dominus.

Prædiximus antiquos Patres ab euentibus filios denominasse : sicut & hic Lamech : sonat enim Noach, requiem, seu quietem, à verbo (noach) quod est quiescere. Secundo Regum.2. (nachah) id est,tequiescet spiritus Elijáhu super Elisæum. Verbum autem (nacham) propriè significat consolari : vt secundo Samuelis decimotertio. Quia (nicham) id est,consolatus fuerat super Amon. Item Psalm.76. Renuit (hinnachem) id est, consolari anima mea. Secundò verò significat pœnitere, siue culpæ, siue pœnæ, quod, scilicet, flagellauerit, quòd pœnitens videatur consolatus super malo facto: vt primo Samuelis decimoquinto, Dominum (nicham) id est,pœnituit,quòd regnare fecisset Saulem. Nomen verò sequens,scilicet, (hisebon) ab (hasab) ortum habet, quod propriè significat premere, comprimere, angustiari : quod angustia affectus,sit quasi compressus. Vnde (hesеb) id est,idolum,sic à compressione, qua comprimitur: dum fit ab artifice: dictum primo Regum.1. Non (hasabo) id est, compressit,seu repressit eum pater suus. Vnde nomen Iisebon, videtur significare compressionem, potius quàm dolorem, vnde vertendum puto.

Et à compressione manuum nostrarum de terra.

Si ergo volumus verbum, nacham, in priori accipere significatione: sensus erit. Istum, scilicet, *Noach pœnituit nostri propter opus nostrum, & compressionem manuum nostrarum de terra*, id est,qua comprimitur,colendo terram. Si verò in secunda,tunc sensus est. *Iste consolabitur nos ab opere nostro*, quo, scilicet, terram operamur, & à compressione manuum, qua terram colendo, comprimimur. Non video verò aliam meliorem causam,ob quam hoc dicat,quàm communem,scilicet, quòd inuenerit artem, seu instrumenta, quibus terra minore labore coleretur,quàm antea. Nam antea lignis,& manibus,aut legionibus colebatur. Iste forsitan inuenit aratrum : quo boues ad iugum tracti proscinderent terram, & sic cessauit manuum labor. Nam iuxta capite nono, dicitur Noach fuisse cultor terræ. Sunt qui putant, eum consolaturum homines illius temporis, quòd vinum inuenerit, cuius gustu homines maximè à laboribus leuantur. Alij dicunt patrem Noach Dei spiritu didicisse, filio suo Noach esse esum carnium concedendum,quo cessante, non esset opus tanto labore terram colere. Sed inter has, prior videtur simplicior, & verior. Est & alius sensus, qui mihi modo occurrit, non contēnendus. Quòd, scilicet,ideò pater hoc dixerit,quòd tanquam Propheta nosset Deum terræ, cui propter Adæ peccatum maledixerat : propter Noach iustitiam benedicturum, & tunc eam minori negotio colendam: vtpote benedictam de cætero maiori copia fructum edituram, quam antea à Deo maledictam, non solùm propter Adæ peccatum, sed propter Cain homicidium.

Fuit Noach filius quingentorum annorum.

Hebraismus est,id est,quingentos annos natus,vbi simul aduerte maximam ipsius Noach continentiam, qui aliis incipientibus generare ante centesimum annum,ipse ad hoc quingentesimum expectauerit.

IN CAPVT QVINTVM QVÆ ad mores aptari possunt.

Hic est numerus generationum Adam.

Licet Dominus voluerit aliquot generationes Cain numerare : non tamen omnes, neque de eis librum fieri,quemadmodum de generatione iustorum. Vbi aduerte,quòd à principio mundi,vsque ad Saluatoris aduentum, solus populus Israëliticus à Deo numerari iussus est, & frequenter ; vt ostenderet, solùm illos curare, ac si ad eum non pertinerent aliæ nationes : id quod expressit Hamos capite tertio. Vos (inquit) tantum cognoui ex omnibus cognationibus terræ. Quare veluti bonus pastor, voluit cognoscere oues suas. Vnde sæpius eas numerari præcepit. At vbi venit plenitudo temporis, in quo omnium misereri disposuerat: Cæsarem impulit Augustum, vt faceret totum orbem describi. Exit enim (vt Lucæ.2. habetur) edictum à Cæsare Augusto,vt describeretur vniuersus orbis. Quamobrem per puerum suum Dauid dicebat. Memorare faciam Ægyptum, & Babel scientibus me. Ecce Palestina, & Tyrus cum Æthiopia, iste natus est ibi. Dominus numerabit, quando scribet populos: iste natus est ibi. Ac si apertius diceret. Qui antea non recordabar Babel, nec Ægypti, quia ignorabant me: iam nunc illorum memor ero: quia cognouerunt me. Et filij Philistinorum, & Tyrij, atque Æthiopes, qui anter in ciuitate mea erant hospites, & aduenæ : iam nunc vocabuntur Ierosolymitæ, ac si ibidem nati essent. Expende etiam hic, quanti faciat Deus hominis generationes : vt scilicet,velit earum librum scribi. Sic etiam voluit quatuor Chronographos summa cum diligentia generationem humanam ipsius enarrare : præclara verò gesta sua, quæ in deitate operatus est, voluit perpetuæ obliuioni tradi. Vbi cum liber Bellorum Domini, & alij, quibus gesta quæ fecit ad rubrum mare,& ad torrentes Arnon ? Omnia perire voluit : solius verò humanæ generationis librum seruari.

Vocauit nomen eius Seth.

Docet locus iste, quanta concordia inter virum, & vxorem esse debeat. Nam nomen quod vxor imposuerat : vt confirmauit. Sic cùm cognati Ioannis Baptistæ eum Zachariam vocare propter patrem voluissent : ait mater eius. Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Innuebant verò patri,quem vellet eum vocari, qui postulato pugillari,scripsit dicens. Ioannes est nomen eius: vt ostenderet quanta concordia ipse,& vxor eius prædita essent : vt vxoris sanctæ sententiam, vir etiam iustus comprobaret.

Fuerunt dies Adam nongenti triginta anni.

Ostendit hic Deus,quantum diligat iustorum generationem cui benedicit, & quam velit eos multiplicari, quorum præcessores tot annorum centenarios viuere concessit.

Seth vixit centum quinque annis, & genuit.

Habes hic quantæ continentiæ,& castitatis fuerint primi patres, vt non nisi centenarij, aut ferè, generationi operam darent. Cùm tamen tunc multiplicandum esset humanum genus,& tam largam à Domino haberent licentiam generandi. Homines verò huius tempestatis : imò iuuenes,& puelli iam de carnalibus cogitant,& antequam bonum à malo secernere sciāt: matrimonia intrare volunt: filios procreare,patres,& matres familiās fieri,qui vix filios agere sciunt. Et vsque adeò in hac re cecidit omnis pudor : vt fœminæ viros ad libidinem prouocent, absque vlla pudoris ratione.

Ambulauit Chanoch cum Deo, postquam genuit Methuselach.300.annis.

Multa bona nos docet sententia hæc. Primum non solùm monachos, ac monachas Deo placere, & cum Deo ambulare,sed etiam eos,qui liberis educandis,& procreandis dant operam. Tum docentur coniugati non totam vitam esse absumendam in operibus carnis, sed etiam cum Deo ambulandum esse.

Ambulauit Chanoch cum Deo, & non ipse, quia tulit eum Deus.

Audis ad quem perfectionis gradū ascendere possit homo coniugatus : vt Dominus eum è medio tollat, & apud se condat. Duos in veteri testamento hominēs,sic sublatos legimus quorū prior,scilicet,iste Chanoch coniugatus fuit. Alter verò.f. Elias cœlibem duxisse vitam creditur : vt in duobus nobis adumbraret coniugatos,& cœlibes saluandos à Domino esse. Si ergo (vt Paulus ait) sis coniugatus: non sit tibi curæ,neque putes te in eo statu nō posse saluari. Ambula cum Deo : fac quod vult ipse: sequere eum cū Chanoch, & saluus eris. Idem si religionē intrasti,cum Deo ambula,quoniam non solùm saluaberis,sed cum Elia penetrabis cœlos. Similiter hinc disce, quantum Deus probos viros diligat: vt etiam eos auferat de medio nationis prauæ,ne malitia intellectum immutare possit. Est & aliud quod in cap.is Isaiæ verbis discere possis: esse, scilicet,euidentissimum signum punitionis mundi, iustorum ablationem,neq; hoc mundus cogitat,sed putat eos casu esse sublatos. Similiter,quid iusti mundo valeant,nam sicut nihil est patriæ,& mundo perniciosius impiis: ita nihil vtilius iustis. Vsquequo (ait Ieremias) lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur ? Propter malitiam (inquit) habitātium in ea,consumptum est animal,& volucre. Et apud Dauid legis, terram fructiferam,in salsuginem versam,propter malitiam inhabitantium in ea. Quid verò iusti mundo sint,parabola illa Zizaniorum apud Matthæū optimè docet, qua pater familiās venenosas, & nocuas herbas eradicari non sinit, vsq; ad messem : propter triticum. Nullum enim præsentius venenum mundo esse potest iniquis hominibus. Quot mala propter vnum solum iniquū mūdus patiatur, & quot bona ob vnum solum iustum, tam euidens omnibus esse existimo: vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

lucem soli addere velit: qui hoc probare nitatur.

Iste consolabitur nos.

Docet locus iste, quanti faciendi sunt inuentores artium: quibus homines à suis laboribus subleuantur. Luce enim clarius esse puto quid industria, & ars valeant, facile enim arte, & industria fit, quod alias non nisi magno negotio fieri solebat. Et quemadmodum de mundo optimè meriti sunt, qui bonas artes inuenium, ita omni peste deteriores sunt, qui malorum primos artifices se esse gaudent. Admonentur etiam filij, debere suis bonis artibus, & moribus consolari parentes, & conari, vt eorum labores leuare possint, & eos suo artificio nutrire.

Noach fuit filius quingentorum annorum, & genuit Sem, Cham, & Iepheth.

Commendat valdè castitatem, & continentiam Noach, qui quingentis annis cœlibem vitam duxit, & ideo fortè tam gratus Deo esse meruit vt in toto terrarum orbe, solus in oculis Dei iustus videretur. De nullo enim alio legimus tãdiu generationem distulisse, quo exemplo discimus Deo semper cõtinentiam placuisse: quam ipse nobis concedere dignetur, qui per omnia secula viuit, & regnat.

CAP. SEXTVM.

ET erat Noach quingentenarius, & genuit Noach, Sem, Cham, & Iepheth. Et fuit, cùm cœpissent homines multiplicari in superficie terræ, et filiæ natæ essent eis. Viderũt filij principum, filias hominum, quòd pulchræ essent, & acceperunt sibi vxores, ex omnibus, quas elegerant. Et dixit Dominus. Non erit vt in vagina spiritus meus in homine in seculum: eo quòd sit etiam caro. Et erunt dies eius centum, & viginti anni. Gigantes fuerunt in terra in diebus ipsis. Et etiam postquam ingressi sunt filij principum, ad filias hominum, genuerunt eis. Isti sunt potentes, qui à seculo fuerunt viri nominati. Et vidit Dominus, quòd multa esset malitia hominum in terra, & quòd omnis imaginatio cogitationum cordis eorum, tantummodo esset malum omni die. Pœnituit Dominum, quòd fecisset homines in terra, & doluit in corde suo. Et dixit Dominus. Delebo homines, quos creaui à superficie terræ, ab hominibus vsq; ad iumentum, vsque ad reptile, & vsq; ad volatile cœli: quia pœnitet me, quòd fecerim ea. Et Noach inuenit gratiam in oculis Domini. Istæ sunt generationes Noach. Noach vir iustus, perfectus fuit in generationibus suis. Cum Deo ambulauit Noach. Et genuit Noach tres filios, Sem, Cham, & Iepheth. Et corrupta est terra coram Deo. Et repleta est terra iniquitate. Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat: quia corruperat omnis caro viam suam super terram. Et dixit Deus ad Noach. Finis omnis carnis venit coram me: quia repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ecce ego disperdo eos cum terra. Fac tibi arcam è lignis gopher. Nidos facies in arca, & bituminabis eam intrinsecus, & extrinsecus bitumine. Et hoc modo facies eam. Trecẽtorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo eius, & triginta cubitorum altitudo eius. Fenestram facies arcæ, & in cubito consummabis eam superne, & ostiũ arcæ in latere eius pones. Inferiora, & secunda, & tertia facies. Et ego ecce ego adduco diluuium aquarum super terram, vt disperdam omnem carnem, in qua est spiritus vitæ sub cœlo. Omne, quod est in terra, morietur. Et statuã pactum meum tecum, & ingredieris arcam tu: & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum. Et ex omni viuente, ex omni carne, bina ex omnibus introduces in arcam: vt viuant tecum. Masculus, & fœmina erunt. Ex volatili secundum speciem suam, & ex omni iumento secundum speciem suam. Ex omni reptili terræ secundum speciem suam, bina ex omnibus ingredientur ad te: vt viuant. Et tu cape tibi ex omni esca: quæ comeditur, & congregabis tibi, & erit tibi, & eis in escam. Et fecit Noach secundum omnia: quæ præcepit ei Deus: sic fecit.

IN CAPVT SEXTVM ADnotationes ad literam.

ET fuit, quando cœpit homo multiplicari super faciem terræ, & filiæ natæ sunt eis: viderunt filii Dei filias hominum: quòd bonæ, aut pulchræ ipsæ. Et acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerunt.

Videtur scriptura rationem reddere, quare fuerit filiis Dei tam libera optio vxorum, quoniam, scilicet, cœperat iam genus humanum multiplicari: maxime in fœminis. Antea enim, quoniã humanum genus non erat tam propagatum: non erat tam libera vxorum optio, neque sic homines vxores multiplicabant: sed, quemadmodum Adam, quisque sua fœmina contentus erat: quod de Noach constat infra capite septimo, qui cum vxore, non vxoribus in arcam ingressus est: similiter filij: qua de causa scriptura notauit Lemech bigamiæ. Neque mihi obiectes: tunc genus humanum fuisse propagandum, ideò à principio homines habuisse plures vxores. Quoniam tantum temporis tunc homines viuebant, vt ex vnica vxore possent quasi innumeros filios suscipere. Quod etiam Saluator Matthæi decimonono firmare videtur: cum Iudæis dicit: non sic à principio fuisse: vt, scilicet, homines vxores multiplicarent, aut facili de causa eas à se reiicerent. Non conuenit inter expositores, quid hic scriptura per filios Dei intelligat. Vocantur in scripturis: Iob primo & trigesimooctauo, angeli, filij Dei: quos ante Deum venisse, & coram eo iubilasse liber ille apertè demonstrat. Vocantur & homines iusti, filij Dei: vt patet primo Esdræ nono. Commiscuerunt (inquit) semen sanctum. Et Deuteronomij trigesimosecundo ait Mosech, non se debere filios Dei sordibus miscere. Et in Psalm. legis. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Vocantur etiam viri magni, filij Dei: quemadmodum dicimus, montes Dei, & cedros Dei. Ideo quidam hic per filios Dei angelos, siue malos, siue bonos intellexerũt, quòd videlicet illi filiabus hominum sese cõmiscuerunt: vnde Gigantes orti sunt.

Sed

Sed hæc opinio tanquam irrationabilis ab omnibus exibilatur. Quare sunt alij, qui per filios Dei, magnates intelligunt, & homines proceræ staturæ, quorum sententiam non reiicio, imo tanquam probabiliorem amplector. Nam cùm textus ortum Gigantum hic statim describere intendat: eos ex hac filiorum Dei cum filiabus hominũ coniunctione natos esse ostẽdit. Videtur ergo q; homines proceræ staturæ illius temporis volentes sibi similes, aut etiam maiores producere, elegerint sibi vxores, quæ corpore maiores cæteris essent: ex quibus orti sunt Gigantes. Vnde vertendum puto,

Et viderunt filii Dei, id est, homines proceræ staturę.

Filias hominum. Et per filias hominum, intelligo filias omnium hominum illius temporis. Vnum tamẽ est, quod hanc expositionem excludere videtur: quia tunc dicendum erat filios Dei, filias hominum nõ bonas, aut pulchras, vt textus habet, sed magnas vidisse: quod tamen textus non dicit. Sed hoc nullo modo obstat. Quod enim, tob, non solùm bonum, aut pulchrũ Hebræis significet, sed magnum constat ex. 9. cap. prioris libri Samuelis, quem nos Regum primum appellamus: ibi enim de Saule dicitur, quòd erat electus, & bonus, & non erat de filiis Israel melior illo. Sed quòd ibi non sit vertẽdum melior, sed maior, seu procerior, contextus sequens, & ratio subiuncta conuincit, nam sequitur, quòd ab humero, & sursum altior erat omni populo. Non enim ideò erat melior cæteris, quoniam cæteris altior, aut pulchrior, sed eo non erat alter procerior, quoniam ab humero, & sursum omnes præcellebat. Vnde suauis textus decursus exigere videtur, vt intelligamus, quod Saul erat electus, & bonus, & in filiis Israel non erat maior illo, quoniam ab humero, & sursum omnes superabat. Vnde optimè hic verti posset. Videntes filij Dei, id est, homines procera statura filias hominum, scilicet, aliorum, quoniam magnæ, seu proceræ staturæ essent, scilicet, inter eas: hac de causa elegerunt ex eis vxores, quæ, scilicet, erant inter cæteras procerioris corporis. Et hunc sensum videtur litera præ se ferre. Tertiò, per filios Dei intelligitur semen sanctum, scilicet, filij Seth, & per filias hominum, filiæ Cain. Et licet iste sensus bonus sit, non tamen ita contextu literæ iuuatur, quemadmodum præcedens. Viderunt ergo filij Dei, id est, homines magni aut iusti (si tertium amplectaris sensum) filias hominum, scilicet, aliorum, aut Cain, quòd essent pulchræ, aut magnæ, & elegerunt ex eis vxores. Duo mala fecisse videntur: alterum, quòd multas vxores acceperunt, alterum, quòd ex omnibus, quæ proceriori erant statura, aut pulchriores, elegerunt. Et videtur quòd illi, qui proceriores elegerunt, hac ratione fecerint: vt ex eis nascerentur magni, qui alios homines subiicere, & in eos tyrannidem exercere possent, quod Deo valde displicere manifestum est.

Non litigabit spiritus meus cum homine, cum quo etiam ipsam carnem.

Difficilis intellectu est locus iste, & antequam sensum illius reddamus, operæprecium duxi vocabulorum, quæ hic ponuntur: significationes examinare. Est autem aduertendum verbum, iadon, quod hic ponitur, posse diriuari à, neden, quod est vagina, & qui hoc etymon sequuntur, vertunt hic. Nõ vaginabit spiritus meus. i. nõ includetur anima, quæ est portio spiritus mei, in homine, veluti in vagina gladius in perpetuo! cum quo. f. spiritu meo homo versus est in carnem. i. carnalis effectus est, & hunc sensum sequitur Pagninus noster in sua editione Aramæos sequens: qui vocant corpus vaginam animæ: vt deducũt ex vet bis Danielis. 7. cap. vbi dicit. Territus, vel abbreuiatus erat spiritus meus, ego Daniel in medio, nidneh. i. vaginæ, id est, ita arctatus erat spiritus meus in corpore, sicut in vagina gladius. Alij verò putant verbi radicem esse (dun) quod est iudicare, litigare: cuius significationis sunt multa in scripturis exempla, scilicet, Genesis. 15. Gentem: cui seruient, dan, id est, iudico ego. Et Iere. 22 (Dan). i. iudicauit iudicium pauperis. Et potius, meo iudicio, significat litigare, quàm iudicare: vt paret. 2. Samuel. 19. Omnis populus, nadon, id est, cet tabat, contendebat. Potest enim spiritus dupliciter accipi, vno modo pro Spiritu, qui est ipsemet Deus, alio modo pro spiritu, qui est anima: quam homini infudit. Si ergo accipiatur, iadon, vt significat litigare, vel iudicare, & spiritus pro spiritu: qui est ipse Deus: sensus erit. Non litigabit spiritus meus. i. ego qui sum spiritus cum homine, quoniã ipse effectus est caro, id est, carnalis. Ac si dicat. Non cõtendam iam amplius cum homine, arguendo ipsum: vt. f. non sequatur suas concupiscentias, quoniam iam in carnalem conuersus est. Si verò accipiatur verbum, vt significat litigare, & spiritus, vt significat animam: sensus est. Nõ litigabit spiritus meus. i. anima, quæ est pars spiritus mei, aut quæ spiritualis est, cum homine. i. cum corpore humano. Arguit enim continuè spiritus carnem, cùm eam videt sequi brutales concupiscentias, iuxta illud Apostoli. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Cùm quo. f. homine ipse spiritus est caro id est, videtur in carnem versus. Mihi verò magis arridet secundus sensus, sic explicatus. Non litigabit spiritus meus. i. ego cum homine. f. arguendo eum, ob pec cata sua: cum quo. f. homine etiã ipsam carnem. f. omnem delebo. Infra enim dicit Dominus ad Noach. Delebo hominem, quem creaui: à superficie terræ, ab homine, vsq; ad iumenta, vsque ad reptile, & vsq; ad volatile. Potest, etiã, tadon, esse à, nadah, quod est elongare, & si ab hac esset radice, ponitur enim sæpius, nun, pro, he, nulla esset in loco difficultas, quoniã sensus esset. Non prolongabit. f. dies spiritus meus. i. anima, quæ à meo spiritu orta est: in homine, quoniã ipse spiritus in carnem versus videtur, sed erũt dies eorum 120. anni, ac si apertius dicat. Non tandiu viuent cuncta, quemadmodum decreueram mundum durare, sed hinc ad. 120. annos dabunt pœnas, & destruentur. Hieron. vertit. Non permanebit. Sed non video alicubi verbum, iadon, significare permanere, vnde ipsemet Hieronymus in libro Hebraicarum quæstionum dicit: in hebræo haberi. Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quia caro sunt, hoc est, quia fragilis est in homine conditio: non eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituã quod merentur.

Et Gigantes fuerunt super terram in diebus illis.

Verbum, naphal, à quo, nephilim, id est, Gigantes, significat propriè cadere, & non plenè constat quam allusionem, vel conuenientiã habeat significatio nominis, cum verbo. Dicit tamen Rabbi Abraham hic, Gigantes dictos, nephilim, à cadendo, quòd homines eos videntes, timore oppressi, caderent. Nume. 13. de eis dicunt exploratores. Ibi vidimus, &, hanephilim, id est, Gigantes filios hannah de Gigantibus, & fuimus in oculis nostris tanquam locustæ. Possunt etiam dici cadentes, quòd in diluuio ceciderint. Videtur enim propter eos diluuium immissum. Nam Iob. 26. aliqui vertunt, Gigantes gemunt sub aquis. Sequitur autem in textu.

Et etiam postea sic. Vbi aduertete, quòd litera hæc sic legenda est.

Gigantes fuerunt in terra illis diebus, & etiam post sic, id est, postea, & statim ostendit, vnde sint orti ipsi. Quod, aut quoniam: (sumitur enim non raro in hebraismo (quod, pro quoniam) vt patet. 1. Samuel. 15. Tulerunt, caasser, id est, quod, pro eo quod pepercit populus melioribus. Gene. etiam. 39. præterea, baasser, id est, quod, pro eo, quod vxor eius sis: vbi bis ponitur in ea significatione.

Intrauerunt filii Dei, id est, magni homines, *ad filias hominum,* scilicet, aliorũ, ad illas. f. quas ex omnibus elegerant proceriores, & pulchriores: vbi vides textũ, quoniam Gigantum meminerat, ostendisse nobis eorum originem, quòd videlicet descenderint à filiis Dei id est, hominibus proceræ staturæ, & à filiabus hominum magni corporis, seu electis ad hoc.

Et illæ genuerunt eis. Isti sunt fortes: qui à seculo sunt viri nominis, id est, qui à principio mundi fuerunt famosi. Aduerte hic, quòd, gabar, a quo, gibborim. i. fortes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes, significat propriè viribus præualere: vt patet Exod. 17. Quando leuabat Moseh manum suam (vegabar) id est, præualebat Iosuah: vnde, guibbor, significat fortem, qui viribus aliis præualet. Est etiam notandū nomen, holam à. secundum, esse à verbo, halam, quod est abscondere, tegere, vnde, holam, propriè significat tempus absconditum, seu ignotū, cuius non est memoria. Quando ergo Moseh hæc scripsit: dicebantur Gigantes, *potentes à seculo*, id est, a tempore, cuius initij non erat memoria: ac si dicat. Isti sunt, qui à principio mundi, seu a tempore, cuius non est memoria, fuerunt potentiores cæteris, *& viri nominati*, seu famosi.

Et vidit Deus, quòd multa malitia hominis in terra. Significat, rahah, malum culpę. Iere. 4. laua (merahah) id est, a malitia cor tuum, & frequētius malum pœnę, vt patet Ezech. 7. (rahah). i. malum post malum ecce venit. i. punitio, post punitionem. Sic infra. 26. Si feceris nobiscum, rahah. i. malū. Item Iere. 1. Ab aquilone soluetur, harahah, id est, malum pœnæ. Hic verò malum pœnæ etiam significare videtur: seu violentiā, & contritionem, quam fortiores in alios faciebant.

Et omne figmentum cogitationum cordis eius, scilicet, hominis, tantum malum omni die.

Non solùm potentiores mala faciebant inferioribus, sed omne quod cogitabant, & fabricabant in corde suo, *erat tamen malum*, id est, qualiter malefaceret vnus alteri, & hoc nō alternatis saltem diebus, sed omni die. Si autem, rahah, in priori accipias significatione, prout, scilicet, malitiam, & dolum significat, tunc sensus erit.

Et vidit Deus, quòd multa malitia hominis, id est, quòd decidisset homo ab illa simplicitate priorum hominū, *& quòd omne figmētum cogitationum cordis eius tantum malum.* De dictione, ieser, id est, figmentum, diximus Gen. 1. Significat enim, iasar, fingere, quemadmodum figulus vas. Significat, ieser, id: quod intus fingimus, seu fabricamus in cogitatione, & etiam extra. Sequens verò dictio. s. (machiseboth) i. cogitatiōes à, chassab, ortum habet: quod est cogitare, & putare. Iere. 49. Audite cogitationes, quas, chassab, id est, cogitauit Dominus. *Pœnituit eum.* Non est Deus, vt homo, vt eum pœniteat, sed sensus est. Ad modum pœnitentis se habuit, qui destruit, quod fecisse pœnitet. Diximus prę cedenti capite qualiter verbum, nacham, significaret consolari, & ex consequenti, pœnitere.

Et angustia affectus est ad cor suum. Significat verbum, hasab, vt iam diximus, præmere, comprimere, & angustiari, & sensus est, quòd Deus habuit se ad modum hominis: cuius cor angustia afficitur, aut angustiis premitur. *Delebo hominem, quem creaui à superficie terræ.* Significat verbum, machah, propriè eradere, & abstergere: ita vt nihil vestigij remaneat in re abstersa. Ita decreuerat Dominus terram diluuio alluere: vt nihil vestigij hominum, animantis, aut volatilis in ea remaneret. Non careret scrupulo, quare Dominus cum hominibus voluerit omnem carnem disperdere. Quid enim mali iumenta, & aues, aliaq; animantia terræ fecerant, vt simul cum hominibus perirent? Et dicendum, quod quia propter hominem erāt facta: eo deleto, perire debebant: aut, quod verius esse credo quia simul cum homine corruperāt viam suam: vt, scilicet nefandis congressibus sese macularent, aut homines cum eis, & ad nihil aliud, nisi ad carnis opera vacabant: ad quæ nimis effrenatè operam dabant, aut quia sese mutuo interficiebant: voluisse Deum animantia cum homine perire. Infra enim textus dicit omnem carnem, non solùm hominem, viam suam corrupisse.

Noach inuenit gratiam in oculis Domini.

Dictio hebraica, chen, non solùm gratiam, sed misericordiam significat: quemadmodum, chanan, misereri. Et sensus est, quòd omnibus aliis hominibus deletis, Dominus Noach misertus est: aut, si pro gratia accipitur: hebraismus est, cuius sensum in hebraismis explicuimus: ac si dicat, gratus Deo fuit: & quia gratia, siue fauor communiter in oculis ostenditur, cùm quis, scilicet, hilari vultu, & oculo aliquem respicit, ideò dicitur, in oculis Domini gratiam inuenisse. Prior tamen sensus mihi magis arridet.

Istæ sunt generationes Noach, id est, isti sunt, quos genuit. *Noach vir iustus, integer fuit in generationibus suis.* Dicitur autem homo iustus, qui conformatur legibus Dei: quemadmodum enim res dicitur iusta regulam, cùm illi conformis est: ita & homo iustus, cùm est conformis regulę suæ, quę est lex Dei. Sequens verò dictio. s. (tamim) quā integer vertimus, est à verbo, tamam, quod significat perficere, complere, seu finire. Est ergo, tamim, integer, perfectus, cōpletus, omnibus suis numeris absolutus. Fuit ergo Noach vir per omnia conformis voluntati diuinæ: ita quòd nihil perfectionis illi deerat. *In generationibus suis.* i. inter homines illius temporis, & ętas viri dicitur generatio, iuxta illud Eccle. 1. Generatio præterit, & generatio venit: terra autem, & infra. 18. generatione quarta reuertentur huc. i quarta ætate hominum. Quod autem sequitur, scilicet, *cum Deo ambulauit Noach.* Posset legi.

Deus ambulare fecit Noach, scilicet secum. Non enim est in hebræo aliqua præpositio, sed suppletur. Si verò legas *cum Deo*, sensus est: conformauit voluntatem suam voluntati diuinæ. Hoc est enim cum Deo ambulare, aut cum aliquo: cum quis illum cuestigio sequitur, aut pari cum eo passu incedit.

Corrupta est terra coram Domino, & impleta est violentia, aut subuersione, Incerta est Hebræis, & nostris significatio verbi, chamas, à quo, chamas, nomen, quod violētiam vertimus. Dicunt autem significare rapere, remouere, transferre, cogitare, & contemnere. Ideò autem illi tot tribuunt significationes, quia tot exigere putant locos, quibus verbum inuenitur, quod euidens argumentum est, eos ex coniecturis agere, in venandis significationibus: vt in regulis admonuimus. Mihi verò videtur verbum propriè significare subuertere, succidere, aut frangere, quod hæc significatio ferè omnibus locis, quibus verbum ponitur, cōuenire videatur. Nam Ezech. 22. vbi ipsi vertunt. Sacerdotes eius, chamesu, id est, contempserunt legem: posses vertere, subuerterunt, aut fregerunt. Sic Sopho. 3. pro, Sacerdotes eius polluerunt sanctitatem, chamesu, id est, contempserunt legem: legendum puto, subuerterunt, vel succiderunt legem Sic Prouerb. 8. Peccans cōtra me, chomes, id est, rapit animā suam, vt isti vertunt. Tam bene vertas, subuertit, seu succidit animam suam. i. vitam: ac si dicat, destruit vitam suam, quia propter peccatum morietur. Sic etiā Iob. 15. (iachmos). i. perdet, vel destruet, sicut vitem, vuam acerbam eius. i. quemadmodum vitis destruitur, & succiditur, aut sicut destruitur vua acerba in vite. Idem Threno. 2. (vaiachmos). i. & destruxit, sicut hortū, tentorium suum. Vbi aliqui vertunt, transtulit. Illud verò Iob. 21. Et cogitationes, quas super me, thamosu, id est, cogitatis Melius vertas, quas super me destruitis. i. super me destruendo cogitatis. Sic illud Iere. 13. quod ipsi vertunt, nechmesu, id est, discoopertæ sunt plantæ tuæ: tu melius vertas, subuersæ, vel destructæ. i. terra super quam plantas ponis: subuersa est, vt cadas: ne possis te super pedum plantas sustinere. Vnde, chamas, videtur significare destructionem, seu subuersionem. Similiter aduerte verbum (sachāth) quod nostri, corrūpere vertunt, nō esse apud Hebræos certæ significationis: licet in infinitis ferè locis, in sacris literis inueniatur. Non desunt tamen coniecturæ, ex quibus videtur significare destruere, aut dissoluere. Nam Prou. 25. habes. Et vena, moschath, id est, corrupta. Sic Iere. 13. (nischat) id est, corruptum erat cingulum. Nondum tamen propriam significationem definio, quoniam nondum mihi plenè comperta est. Quę autem corruptione terra fuerit corrupta, textus non explicat. Duo tamen dicuntur: alterum, quod *impleta est subuersione*, qua, scilicet, vnus alterum opprimebat: alterum, quod *omnis caro corruperat viam suam.* Quid autē hic per viā omnis carnis significetur, videndum est. Vocatur autem via in scripturis, consuetudo. Infra enim ca. 19. dicit altera filiarum Loth alteri: pater noster senex est, & vir non est

in terra: vt ingrediatur ad nos, secundum viam omnis terræ. Sic Dauid. 3. Regum. 2. dicit Salomoni. Ego vado per viam omnis terræ. Sic etiam lex, via dicitur, quòd videlicet homines debeant in ea ambulare, & in ea atlu escere, quemadmodum in via. Vnde in Psalm. habes. Viam mandatorum tuorum cucurri. Deus etiam Moseh dicit Exo. 32. Viam suam corrupit populus tuus. i. legem: quā illis dedi. Cùm ergo dicitur, omnē carnē viā iuā corrupisse, dupliciter intelligi potest. Aut quod leges sibi à Domino traditas naturales, maximè cōcubitus non obseruarent: quia videlicet homo iumentis cōmiscebat se. & similiter faciebat animalia diuersarum specierū coire. Homines etiā nō curabant an mater, an soror, an filia esset illa, cū qua congrediebantur. Multiplicabāt etiā sibi fœminas, potius ad delectandum se, quā ad multiplicandum humanum genus. Vnde Berosus lib. 1. de Gigātibus loquens, ait. Hi vastitate corporis, & robore cōfisi, inuentis armis, omnes opprimebant, libidiniq; inseruientes, inuenerūt papiliones, & instrumēta musica, & oēs delicias. Manducabāt homines, & procurabāt aborsus, in edulliūq; præparabāt, & cōmiscebātur matribus, & filiabus, sororibus, & masculis, brutis, & nihil erat sceleris, quod non admitterēt conteprores religionis, & deorū. Aut quod homo opprimebat alium, contra naturæ leges, quia tamen textus dicit non homines solum, sed omnem carnem viam, seu modum suum naturalē corrupisse: ideo prior sensus germanior est. Sumitur ergo hic via, pro consuetudine, aut consuetudinibus: quæ ex naturali lege prodibant: ac si dicatur, quod omnis caro corruperit naturales consuetudines. Vnde colligimus tres vniuersalis diluuij causas: quarum prior est malitia hominum: qua quisque in malum alterius omni tempore machinabatur. Secunda, quia impleta erat terra subuersione, seu oppressione. Tertia, corruptio viæ vniuersæ carnis, seu naturalis modi in re carnis. Quod autem terra corrūpatur his promiscuis cōgressibus, constat Leui. 18. vbi Dominus, postquam prohibuerat huiusmodi fœdas coniunctiones, dicit. Ne polluamini in omnibus his In his enim omnibus polluerūt se gētes, quas ego à facie vestra emitto, & polluit se terra, & visitabo iniquitatē eius super eā, & ēuomet terra habitatores suos. Et paulo inferius. Omnes abominatiões istas fecerunt homines terræ, ante vos, & polluit se terra. *& Corrupta est terra coram Deo.* id est, eo inspiciente, & considerante. Sic infra dicitur. Repleta est terra iniquitate à facie eorum, id est, eis videntibus & cognoscentibus.

Finis omnis carnis venit coram me. i. iam ante me repræsento, qualiter finiam omnem carnem.

Perdo eum cum terra, aut *perdo eos, & terram.*

Nam terra videtur perdita, cùm nō consequitur id: ad quod facta est: fuit autem facta, vt habitaculum hominum, bestiarum, & volucrum esset.

Fac tibi arcam è lignis (gopher) aut pini.

Ignota est Hebræis significatio nominis (gópher), coniectura tamen est, quod significet, aut picē, aut pinum, ex qua fit pix. Nam infra cap. 19. ponitur nomē (gophrith) quod est ciuidē radicis, pro pice, vel sulphure: vbi dicitur. Et Dominus pluere fecit super (Sedóm) & super, hāmorah, picem, aut sulphur, & ignem. Pro codē ponitur Ezechi. 39. & Isaiæ. 38. vnde arbitror, aut pinum: ex qua fit pix, aut picem significare: & hunc subesse sensum.

Fac tibi arcam lignorum pini. i. ex lignis pineis, aut *fac tibi arcam lignorum bituminis.* i. bituminatorum: prior tamē sensus videtur verior, & germanior. Quod si obiicias, ligna pinea inepta ad nauigandum: quia facilè corrumpuntur aqua, dicendum, interiora pini esse fortissima: quæ nostri vocant, (Cerne) quod est medullа ipsius pini. Aduerte etiam quòd significatio dictionis (tebāth) id est, arca, non est vsquequaque nota. Et quod sequitur.

Nidos facies arcæ. Hunc habet sensum, id est, domunculas, aut re vera nidos ad aues in eis seruandas. Prius tamen videtur verius.

Bituminabis eam intus, & extra.

Non certo constat æaud Hebræos, quid proprie significet (caphar) Ex hoc loco videtur significare, bituminare. Sunt autem multi alij loci: quibus dicunt significare expiare, vt Exod. 30. & Leui. 4. Sed meo iudicio, vnica est significatio verbi, scilicet operire, seu linire bitumine, & vbicunque illi vertunt, expiare, tam bene quadrat linire: quasi tegendo. Nam quemadmodum res: quæ linitur, non amplius in se videtur, sed linitio, ita post linitionem, quæ sanguine fiebat, liniendo quod erat expiandum, nō videbatur amplius eius inmunditia, aut peccatum. Nam Exod. 30. vbi nostri vertunt. Expiabit Aharón: melius vertas, & bituminabit, seu liniet, scilicet sanguine Aharon cornua ipsius. s. altaris, semel in anno. Sic Leuit. 4. liniet super eos, pro expiabit super eos. Sed de verbo fusius in libris Legalibus disputabimus. Quia etiam expiatio, aut deletio peccati, erat effectus huius linitionis, sumitur aliquando pro expiatione, & deletione peccati. Aduerte etiā in Hebręo hic haberi, bituminabis eam à domo, & extra. Nam (baiith) Hebręis est domus. Vocat autē Hebraismus, quę intra sunt, seu intrinseca, domū, quod ea, quę in domo sunt, intus sint: vt Leui. 18. dicitur. Quę nata est domi, vel extra: vbi extra, & domi esse, opponūtur. Vocat autē hebraismus hanc arcā, domū, & dicit, bituminabis eam ex parte domus. i. intrinsecus, & extra: & memento Hebraismum seruare, pro libris legis, in quibus frequens est.

Hoc modo facies eam.

Hebraice est. Et hoc quod facies illi, aut hic, scilicet modus: quo facies eam, sed sensus bene redditus est.

Trecentorum cubitorum longitudo arcæ.

Maximè hic aduerte, quòd dictio (ammah), quam hic alij cubitum, alij verò brachium vertūt, significat proprie aliquid, vnde multa oriuntur, aut quod continet in se multa, procedentia ex se. Hinc (em) significat matrem, quòd ex ea multitudo filiorum oriatur, qui patre, aut matre minores reputātur, vt supra 3. Quòd ipsa sit (em). i. mater omnium viuentiū, vbi de dictione hac diximus. Significat etiam (vmah) (quod ab hac est radice) familiam, aut melius principium familiæ, aut familiarum, vnde multi oriuntur: vt infra. 25. 12. principes (humotham) id est, per familias, suas, aut per origines suas. Significat etiam (em) viam: à qua multę semitæ oriuntur, nempe biuium, aut triuium: veluti filiæ à matre. Nam Ezechi. 21. habes: Regem Babél stetisse ad (em hadérech) id est, ad matrem, vel iuxta matrem viarum, quod Hieronymus vertit in biuio. Et iuxta hanc allusionem, significat mensuram magnam, in qua aliæ patuæ, veluti filiæ continentur, siue ex qua oriūtur: quemadmodum in cubito, est media pars cubiti, &. 3. 4. 5. &. 6. Dictio hic non arctatur ad cubitum, licet possit ipsum significare, sed vt diximus, significat mensuram: à qua aliæ quasi filiæ oriuntur. Et quæ hic de hac dictione dicimus, obserua quia non repetemus.

Fenestram arcæ facies: & ad cubitum finies eam, seu consummabis eam superne

Dictio Hebraica (sohar) id est, fenestra, significat proprie lucem, præsertim meridianam: vt Psal. 55. Vespere, & mane (vesahoraim) id est, & meridie narrabo, aut meridiebus. Nam dictio venit secundum formam dualium: vt dicit Rabbi Dauid: eo quòd dies diuiditur in duo, scilicet à mane vsque ad meridiem, & à meridie vsque ad vesperam. Ex quo ad oculum colligitur, non proprie significare meridiē, sed omne tempus diei, præter mane, & vespere. & ex consequenti maiorem lucem diei. Vnde illud Psal. citatum vertendum potius esset. Vespere, & mane, & aliis duobus temporibus lucis, seu residuo diei narrabo. Et si mane, & vespere formaliter sumpta, non sunt partes diei artificialis, sed termini: vt cap. primo annotauimus: tunc (vesahoraim) significabit totam diem, præter mane, & vesperam: vt iam diximus. Quòd autem vespera strictè sumpta, non pertineret ad diem artificialem, *ex* eo constat, quia tunc incipiebant Iudæi ferari,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& festus dies tunc terminabatur. Etiam ibi diximus sensum horum verborum. Factum est vespere, & mane dies vnus, id est, à vespera, vsq; ad mane, & est sermo, de naturali. Cùm autē meridies sit pars temporis significati per dictionem, saharaim, significatur aliquando per illam, quemadmodum infra. 43. vbi dicit Ioseph. Quia mecum comesturi sunt viri, basahoraiim, id est, meridie, aut in cōiunctione duarum partium diei, quæ est meridies. Hinc etiam est, Iishar, id est, oleum, eò quod lucidum sit: vt patet. 2. Regum. 18. Terram olinæ, Iishar, id est, & olei, seu oliuæ olei, scilicet, quæ oleum producit. Exinde significat fenestram, aut potius lucernam, quod per eam lux ingrediatur domum. Quare aliqui hic, & germane (meo iudicio) lucernam vertunt. Quod autem sequitur.

Et in cubito consummabis eam.

Aliqui ad arcam referunt, alij verò ad fenestram: quod videlicet esset vnius cubiti, neque vnicam fenestram, sed plures, more Hebraico putant significari. Qui verò ad arcam: putant eam non fuisse equalem, sed tricliniorem in superiori parte, vnius videlicet cubiti, in inferiori verò latiorem, & isti adhuc non conueniunt: quia aliqui putant mensuram hanc cubiti, diffusam per totam longitudinem superioris partis: alij verò non diffusam, sed ex omni latere consummari, ad cubiti mensuram in parte superiori. Et videtur contextus innuere, fenestram fuisse in superiori parte arcæ, & forte arca erat in parte superiori vnius cubiti, & illa cubiti mensura in parte superiori fuit arcę fenestra, vnde melius, meo iudicio, sentire videntur, qui ad fenestram referunt, cum dicitur.

Ad cubitum consummabis eam superne.

Qui sensus etiam quadrat, si ad arcam referas, tunc enim sensus est. Et ad cubitum consummabis eam, scilicet arcam superne, quæ quidem cubiti mensura erat longitudo & latitudo fenestræ, quę erat in parte superiori. Est ergo sensus huius loci.

Lucernam in arca facies, & ad cubitum, id est, ad mensuram cubiti finies, aut consummabis illam

Ostium verò arcæ in latere eius pones.

Etiam iste locus arguit, quod relatiuum præcedens debeat ad fenestram referri, ac si dicat. Fenestram facies superne, ostium verò ad latus arcæ.

Inferiora, & secunda, & tertia facies.

Debebat arca habere tres diuisiones in altitudine. Nam cum essent diuersa animārium genera, opus fuit esse huiusmodi diuisiones: præter quas, in longitudine erant nidi: vt dictum est, id est, domunculæ ad locanda animalia, & aues, secundum species suas.

Et ego, ecce ego adduco diluuium super terram.

Modus loquendi est, quem habent Hebræi. Et ego, ecce ego, & videtur sonare. Et ego, ecce ego, id est, iam iam ego, aut verè ego. Nomen verò (mabbūl) id est, diluuium à, nabal, quod est cadere, & turpari, ortum habet. Isaiæ. 40. Aruit herba, nabal, id est, cecidit flos. Et Iere. 8. Et folium, nabal, id est, cecidit: vnde verti posset.

Ecce ego adduco descensionem aquarum super terram.

Licet enim in diluuio rupti fuerint fontes abyssi: maior tamen pars aquarum fuit è cœlo. Sunt tamen qui putant, mabūl, esse à radice, balāh, aut, balal, quod est miscere, confundere, & sic diluuium dicetur, mabūl; quod omnia confuderit, & miscuerit: præsertim aquas superiores, & inferiores.

Omne: quod est in terra, morietur.

Significat verbum, gauah, lenitei mori, quod non est in longa ægritudine, vt dicit Rabbi Dauid, & patet Numer. 21. Et viderunt omnis congregatio, quod, gauah, id est, obiisset Aharōn.

Et erigam pactum meum tecum.

Verius significat verbum, chum, stare firmiter, quàm surgere: licet vtrunque significet. Cui rei argumento est, id quod primo Regum. 14. dicitur. Quia, chamū, id est, steterunt, seu figuerunt oculi eius. Solent enim oculi senum rigescere, neque bene moueri: vbi nullo modo quadrat surgere. Hic verò melius conuenire videtur. *Stare faciam pactum meum tecum, quā erigam*, & est sensus. Ego firmabo, seu firmum faciam pactum tectim, scilicet de non delendis animantibus, & hominibus aquis diluuij: vt patet infra. 9. Nam pactū cùm tenetur, stare dicitur: cùm verò frangitur, cadere, quemadmodum res fiacta. Si verò vertas erigam, seu stare faciam, sensus est. Inibo fœdus firmum tecum, & dicitur erigi, quia in pactis faciendis solebant paciscentes aliquid eleuare, siue statuam, siue lapidem, siue lapidum aceruum: vt patet infra. 28. &. 31. Non est autem iste secundus sensus tam conueniēs sicut primus, quia non dicitur proprie erigi, nisi quod prius ceciderit. Nullum autem pactum inter Deum & hominem præcesserat, quod cecidisset, & esset de nouo erigendū. Dictio verò, berith, id est, pactum à firmitate nomen fortitur: vnde, berōth, nomen arboris firmæ, & fortis: vt patet Canti. 1. Laquearia nostra, berōthim, id est, abiegna, aut firma. Videtur enim esse nomen alicuius ligni fortis, ex quo laquearia fieri solent, apud nos, vt plurimum sunt castanea.

Ex omni viuenti ex omni carne, id est, ex omni carne: quæ vivit. aut, vt alij vertunt,

Ex omni bestia, & omni carne, aut ex bestia omnis carnis. Bina ex omnibus introduces in arcam: vt viuant tecum, id est, ex omnibus tam mundis, quàm immundis. Infra tamen præcipit de mūdis septem & septem, id est, septem mares, & totidem fœminas. Pisces autem, quia in aqua viuunt, non iubet asseruari. Ponuntur hic tria nomina Hebraica, scilicet (hoph) id est, volucre, (behemah) id est, bestia, & (rémes) id est, reptile: de quibus primo capite diximus.

Et fecit Noach secundum omnia, quæ præcepit illi Dominus.

Importat verbum, fauah, præcipere præsertim verbo: de quo diximus in Canonibus.

CAP. VI. AD NOSTRAM ERVDITIONEM adnotata.

Cum cœpissent homines multiplicari super terram, Vidit Deus.

Commune ferè est, vt vitia multa, multitudinem sequantur: quoniam multi inueniuntur imperfecti in congregationibus magnis: tum quia magna multitudo vix potest in officio contineri: vnde vulgus promiscuum, quod cum Iudæis ex Ægypto ascendit: eos ad desiderium carnium pro uocauit contra legem Dei, vt dicitur Numeri. 11. Et vix potuit sanctus Moseh illam multitudinem bene gubernare, quare petiit sibi aliquem in auxilium dari. Hinc sancti viri scientes, quod vitia huiusmodi hominum copiam sequi soleant, loca deserta petebant. Et Dominus Osēæ. 2. se ducturum Israël in solitudinem pollicetur, ibique ad cor eius locuturum. Quod sanctus Propheta Isaias considerans dicebat. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam: quoniam gentis copiam vitia sunt secuta.

Viderunt filii Dei filias hominum, quod pulchræ ipsæ.

Audiant hoc sancti. Audiant qui sibiipsis fidentes, inter medios fœminarum choros se securos esse arbitrātur. Nunquid sanctior tu filiis Dei: quos ex fœminarum pulchritudine offensos hic scriptura commemorat? Vnde & Salomon Prouer. 6. Non concupiscat (inquit) cor tuum pulchritudinem eius, scilicet fœminæ, neque capiaris nutibus illius. Pretium enim scorti vix est vnius panis: mulier autem, viri præciosam animam capit. Et Eccle. 9. hoc idem admonet. Virginem ne conspicias (ait) ne forte scādalizeris in decore illius. Auerte autem faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienā. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

Acceperunt sibi vxores.

Cùm enim copiam fœminarum vidissent: statim sibi vxores elegerūt. Vbi duo aduerte. Alterum est, quam difficile sit in copia rerum desiderabilium continere. Alterum, quàm mala sit vxorum multitudo: præsertim ad deliciandum. Sicut enim difficile est, inter multas & pretiosas vestes algere, interque multas epulas esurire, esurire, in copia diuitiarum cor liberum ab auaritia seruare: sic in copia fœminarum continētiam custodire. Quamobrem sancti viri malunt illis potius aliquid de esse, quàm superfluere. Melius inquit Augustinus est minus egēre, quàm plus habere.

Acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerunt.

Videtur locus iste taxare eos: qui ob pulchritudinem vxorē eligunt: cum conuincantur fœminam potius ad delicias, quàm ad prolem in vxorē deligere, ad quam, tantum fœdæ sicut pulchræ, valere dignoscuntur. Cùm enim Deus omnes fœminas ad hoc munus procreauerit: qui fœdas, aut non pulchras respuunt, Dei placitum inuertere conantur. Omitto interim quàm difficile sit pulchram fœminam seruare. Nihil enim difficilius exhibo, quam seruare quod omnes cupiunt: quemadmodum retinere, à quo omnes abhorrent: quod non solum vtro, sed etiam fœminæ ipsi quārumcunque pudicæ difficillimum est, cum, vt ait poēta, lis magna sit pudicitiæ cum forma.

Non litigabit spiritus meus cum homine perpetuo, in quo etiam ipse caro.

Audis quàm abhorreat Deus à carnis immunditia: vt spiritus eius semper litiget cum ea, & cupiat eam punire. Similiter docemur, non esse peccandum: ne hu iusmodi rixam inter spiritum, & carnem patiamur. Discant etiam ex hoc loco iudices, quod, & si vitia ad tempus dissimulanda sint, nō tamen perpetuo, sed tandem in ea animaduertendum esse. Similiter discant peccatores, quam vtile eis sit à Domino de peccatis argui, ne postea diluuium, seu multitudinem malorum patiantur.

Erunt dies eius centum, & viginti anni.

Audis hic, quod in multis scripturæ locis legis, Deum, scilicet peccatoribus, & eorum punitioni certum tempus statuere: vt quanto citius potueris: delicta emendes. Hinc illud. Nondum completæ sunt iniquitates Amorræorum, id est, tempus, quo eorum mala punire decreui. Hinc etiam illud Saluatoris, donec compleantur tempora nationum. Et illud. Vos implete mensuram patrum vestrorum. Quamobrem sanctus Dauid peccatores Psal. 20. admonet, apprehendere disciplinam: ne quando Dominus irascatur, & à via pereant. Voluit etiam Deus sua infinita bonitate viam illam bellinam minuere: ne quanto diutius agebant, seuius punirentur. Sicut enim vita sancta & bona prolongandā est: vt merita augeas: ita mala breuianda, sic seuerius punitis.

Gigantes tunc fuerunt super terram.

Nihil est, quod non humana malitia in malum vertat. Nam vires: quas Dominus illis dederat ad excolendam terram, & ad inuādos homines: in hominum oppressionem conuerterunt. Nihil enim deterius esse potest in homine, cui deus vires dedit ad bona faciendā: quàm eas ad mala conuertere. Hoc vnum Christus ob seruare voluit, vt potestatem, quam habebat: nunquā voluerit, aut ad mala, aut ad curiosa cōuertere. Cùm semel discipuli eius in Samaritas incensi, quod eos in ciuitate sua nō receperint: iniuriam, ciuitatem exurendo vindicare voluerint, acriter eos arguens, dixit. Nescitis (inquit) cuius spiritus estis. Filius enim hominis non venit animas perdere, sed saluare: neque potuerunt vnquam Pharisæi eum adducere, vt ignem de cœlo sine vlla necessitate, sed sola curiositate descendere faceret. Sanctus etiā Dauid à Domino edoctus, dixit. Fortitudinem meam ad te custodiam. Ac si apertius dicat. Et si potens, & viribus fortis sim, non tamen vires in opprimendo alios exeram, sed in se placando, & mutando seueritatis sententiam, vires meas exercebo, & neruos extendam. Cùm enim te in me, aut in populum tuum videro, tunc vires meas ad te placandum ostendā. Vim enim, vt ait beatus Ambrosius, deo facimus, non litigando: sed flendo, dum cogimus eum cotidie mutare sententiam.

Vidit Deus, quòd multa malitia esset hominum in terra.

Iustificat Creator hominū deus semper causam suam: nec, sequit, nisi nos cū malitia multa sequire cogamus.

Nisi enim multā videret in terris malitiā, gladiū suę seueritatis nō exerceret. Ex quo discant peccatores mala sua nō multiplicare, si in se Deum prouocare nolunt.

Omne figmentum cogitationum cordis eorum tantum malum omni tempore.

Quemadmodum in fabris sunt artifices: qui continue noua excogitent in operibus artis: ita sunt qui noua continue cogitent in operibus impietatis: vnde noua, & quasi inexcogitata vitia crescere in mundo videmus. Videre licebit hominem alterū iniuriam facturum, tempus seligere: vt scilicet, in media die in platea, aut foro: vbi maior fuerit hominum conuentus: arundine, aut ligno potius, quàm gladio percutere eum velit: ira vt sentias cum diu modum: quo iniurius alteri sit, aut illatam iniuriam propulsandam censet: excogitasse. Vnde aliquando non satis miror, cur tam imperfecta faciamus opera bona: vitiorum verò gesta, tam præclara, tam omnibus numeris absoluta faciamus, putarem certè hoc propterea contingere, quod opera mala faciamus nobis ipsis: bona verò Deo. Et cum potius nobis, quā illi placere cupiamus, quæ illius sunt, imperfecta, quæ verò nostra, omnibus numeris absoluta esse volumus. Quis daret, vt sic homo iustus in suis operibus laboraret, vt placeat Domino: quam laborat impius, vt aut illi displiceat, aut sibi placeat? Memini de quodam sancto Sene legisse, quia cùm videret publicam meretricē, varia, & peregrina veste: vt oculos hominū ad se conuerteret: indutam, per medium plateam incedere: in lachrymarum profluuium irrupisse, quod nō sic conaretur deo suo: quā illa amātiū oculis placere. Docemur etiū hic bonas cogitationes aliquādo habere. Sed difficile valde est, vt cōcietia malis assueta cogitationib⁹, bonas aliquādo admittat.

Pœnituit Dominum hominem fecisse.

Hinc disce Deum toties pœnitere fecisse te, quoties te peccatorem intuetur. Similiter quantum malum peccatum sit, vt faciat Deum corde dolere. Est enim dolor cordis inter cæteros acutior: vnde & apud Isaiam conquerentem Deum legis. Laborare me fecisti (inquit) in peccatis tuis. *Delebo homines: quos creaui.*

Habes hic quanto dolore Deus vasa sua deleat, & cōfringat: nihilominus tamē perdit. Licet enim pluris hominem faciat, quam cætera: quæ condidit, tamen si peccator est, nihilominus perdit. Quemadmodum apud Ieremiā, de Iechonia dicebat, enim à digito suo, etiam si anulus esset: auulsurum: & proiecturum.

Ab homine, vsque ad iumentum.

Etiam hic disce peccatorum grauitatem: quod ob ea non solum peccatores ipsos: sed etiam iumēta, & aues perdat omnium Creator. Vbi etiam doceris, quàm malum sit, peccatoribus in peccatis commisceri.

Noach inuenit gratiam in oculis Domini.

Et si in potestate domini situm sit, hominē, nullis prēuiis meritis, diligere: cōmune tamen est, vt iustos propter opera iustitiæ diligat: infra enim habes Deum ipsi Nōach dixisse, eum solum in illis generationibus iustum inuenisse. Similiter disce iusti iustitiam non obscurari, aut delitescere: imò magis splendere, si in medio sit nationis prauæ. Vnde etiam cognoscimus non esse causandum, si in medio habites scorpionum: cùm audias Nōach non solū iustum, sed perfectum eo tempore: quo omnes ad vitia declinauerant.

Cum Deo ambulauit.

Hinc nosse licebit, vnde oriatur hominis perfectio, nempe ex eo: quod cum Deo ambulat sequendo, scilicet, eius voluntatem. Vnde & Iob dicebat, pedes suos secutos vestigia Dei.

Corrupta est terra coram Deo.

Et si malum sit omni in loco peccare, pessimum tamē est in oculis Dei, ante tāram munditiam immundum esse. Mundi (ait Propheta) sunt oculi tui, ne videant malum. Peccare, seu corrūpi in oculis dei, nihil aliud esse puto, quàm memorem Dei, ipsum offendere. Omnia enim vident oculi eius, sed nos peccantes non semper illius memores sumus. Sperat autē ipse, quod nemo eius memor, possit peccare: cùm enim meminerit

plasmas

Universidad de Deusto
Biblioteca

plasmatoris beneficij, & redemptoris munifici : quomodo non retinebitur, ne eum offendat?

Ego disperdo eos cum terra.

Etiam ex hoc loco perpende, quantum malum sit peccatum: vt non solum hominem, per quem committitur: deturpet, & corrumpat, sed & locum, in quo fit, & qualitet ad eius detestationem non solum homo, sed & terra disperdatur.

Fac tibi arcam.

Docet Dominus iustos media, per quæ saluētur à malis: vbi docemur, non posse mala, quæ nobis imminēt, effugere, nisi ipse, qui ea immissurus est, doceat, quo pacto fugienda sint.

Statuam pactum meum tecum.

O immensa, & inenarrabilis pietas Dei, cui non sufficit iustum à diluuio liberare, sed sciens homines peccaturos, & mille diluuia, & subuersiones merituros, volunt se pacto astringere: vt postea non deleret. Vnde, cùm videt mala nostra, & ad ea vindicanda commouetur, recordatur fœderis, quod nobiscum pepigit, & vindictam retinet. Voluit enim Dominus, vt optimè adnotauit Paulus ad Rom. 4. quod bona promissa non inniterentur meritis, aut demeritis nostris, sed bonitati suæ. Si enim promissa Dei, nostris bonis operibus responderent: cùm opera nostra sint mala, quando pollicita redderet ipse? Ideo ex fide, & non ex operibus, vt firma sit promissio omni semini. Quamobrem, & si sæpissime conditionem custodiendæ legis, apposuerit pollicitationibus suis: tandem, vt ipse sit verax, omnis autem homo mendax, non extantibus conditionibus, sub quibus ipse promiserat, promissa reddidit, & se redditurum iurauit. Iurauit (ait Dauid) Dominus Dauidi veritatem, & non auertetur ab ea: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Sed sta tim conditionem promissioni addidit, dicens. Si custodierint filij tui pactum meum. Cùm autem sciret Dauidis filios fracturos leges suas, neque pactum seruaturos: Psal. 88. sine vlla conditione iurauit. Si (inquit) dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: visitabo virga præuaricationem eorum, & plagis iniquitatem eorum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, neque mētiri faciam veritatem meam. Semel iurauī per sanctitatem meam: si Dauidi mentiar. Sic & hic pacisci tur & pollicetur se vltra non dissipaturum diluuio terram, sine vlla conditione: ita quod etiam si vitia nostra in immensum crescant: iurat tamen se vlterius non deleturum omnem carnem.

Ex omni viuenti, & ex omni carne.

Docet hic dominos esse sollicitos de famulis, bobus, & reliquis animalibus suis, vt, scilicet illis, & vitam, & vitæ necessaria prouideant.

CAP. SEPTIMVM.

ET dixit Dominus ad Noach. *Ingredere tu, & omnis domus tua arcam: quia te vidi iustum coram me in generatione ista. Ex omni iumento mundo capies tibi septena septena, virum, & vxorem eius. Et ex iumentis, quæ non munda sunt, bina, virum et vxorem eius. Etiam ex volatili cæli septena, septena, masculum, & fœminam, vt viuificent semen in superficie omnis terræ. Quia post dies adhuc septem ego pluo super terram quadraginta dies, & quadraginta noctes, & delebo omnem substantiam, quam feci, à superficie terræ. Et fecit Noach secundum omnia, quæ præcepit ei Dominus. Et Noach erat sexcentenarius, & diluuium fuit aquarum super terram. Et ingressus est Noach, & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius secum in arcam propter aquas diluuij. Ex iumento mundo, & ex iumento, quod non erat mundum, & ex volatili, & omni quod reptat super terrā: bina, bina ingressa sunt, ad Noach in arcam, masculus, & fœmina, quemadmodū præcepit Deus Noach. Et fuit post septem dies, aquæ diluuij fuerunt super terram. In anno sexcentesimo annorum vitæ Noach, in mense secundo, in septimadecima die mensis, in die hac, rupti sunt omnes fontes vóraginis magnæ, & fenestræ cæli apertæ sunt. Et fuit pluuia super terram quadraginta dies, et quadraginta noctes. In ipsomet die ipse ingressus est Noach, & Sem, & Cham, & Iepheth filij Noach, & vxor Noach, et tres vxores filiorū eius secum in arcam. Ipsi, & omnis bestia secundum speciem suam, & omne iumentum secundum speciem suam, & omne reptile, quod reptat super terram secundum speciem suam, et omne volatile secundum speciem suam, omnis auis, omne alatū. Ingressa sunt ad Noach in arcā bina bina ex omni carne in qua erat spiritus vitæ. Et ingressa sunt masculus et fœmina ex omni carni ingressa sunt: quēadmodum præcepit ei deus. Et clausit Dominus super eum. Et fuit diluuium quadraginta dies super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam, & eleuata est super terram. Et roborauerunt se aquæ, et multiplicatæ sunt valde super terram, et ambulauit arca super faciem aquarum. Et aquæ roborauerunt se valde super terram, et operti sunt omnes montes excelsi, qui erant sub toto cælo. Quindecim cubitis superne roborauerunt se aquæ, & operti sunt montes. Et mortua est omnis caro, quæ reptat super terram, tam de volatili, quàm de iumento, & bestia, et omni reptili: quod reptat super terram, et omni homine. Omnia in quorum facie erat anhelitus spiritus vitæ, ex omnibus quæ erant in sicco, mortua sunt. Et deleuit omnem substantiam, quæ erat super faciem terræ, ab homine vsque ad iumentum, vsque ad reptile, et vsq; ad volatile cæli, et deleta sunt è terra, et remansit tantum Noach: et qui cum eo erant in arca. Et roborauerunt se aquæ super terram quinquaginta, & centum dies.*

IN

IN CAPITE VII. ADNOTATIO AD LITERAM.

TV *& omnis domus tua.*

Hinc constat, Noach à congressu abstinuisse: vsque ad tempus, quod genuit istos: quoniam non plures habuisse filios describitur, quàm istos tres.

Te vidi iustum coram.

Sunt qui in oculis aliorum iusti sunt, aut apparēt, coram Deo verò iniusti. Illi verò coram Deo iusti dicuntur, quorum opera approbat Deus, & qui illi soli placere desiderant, & vt diximus, tunc dicitur aliquis iustus, quando opera eius sunt conformia legi Dei. Et quod sequitur.

In generatione hac: id est, inter homines huius ætatis, seu temporis. Et aduerte quòd huiusmodi generationes extendebantur secundum annos vitæ: ita quòd quando homines communiter viuebant sexcentis annis, vna generatio durabat ad sexcentos annos. Postquam verò ætas hominis breuiata est, & diminuta, ad centesimum vsque annum, generatio extendebatur ad cētum annos. Vnde cum infra. 18. Dominus dicit Abrahç. Generatione, quarta reuertētur huc: sensus est, finitis quadringentis annis, quia tunc temporis vna generatio durabāt ad centū annos, quę tunc communiter erat hominis ætas. Nam antea dixerat. Et sub iicient eos quadringentis annis.

Ex omni animali mundo.

Vnde tunc nouerat Noach, quæ essent munda, quæve immunda, scilicet, ad sacrificium, quia tunc nondum concessus erat esus carnium? Et iā admonui supra cap. 4. homines illius temporis à Deo didicisse, quæ erant munda, & quæ immūda ad sacrificia: neq; sum longè, vt putem etiam illis ostendisse, quæ essent munda, vel immunda ad esum: quia non legimus esum carnis prohibitum ante diluuium. Neq; ratio Caietani cogit dicentis, quod infra cap. 9. Omnia animantia in cibum conceduntur: imò si omnia tunc conceduntur, signum est aliqua prius fuisse prohibita, verius est tamen hic de munditia ad litādum esse sermonem, quā ad esum. Ex quo constat multa legalia fuisse ante scriptam legem seruata: vt de animalibus mundis, & immundis ex hoc loco, & ex capite sequenti constat. De prohibitione esus sanguinis capit. 9. sequenti. De circuncisione capite. 17. De semine fratris suscitando. 38. Quod verò etiam sabbathi obseruantia fuerit ante legem: constat Exodi. 16. vbi dicit Mosch. Quod coctum estis, coquite, & comedite illud hodie: quia sabbathum est hodie Domino, hodie non inuenietis illud in agro. Sex diebus colligetis illud, die autem septimo sabbathum est. Constat autem nondum datam fuisse legem. Vnde sunt aliqui ex Rabbinis, qui totā legem arbitrantur à piis obseruatam ante promulgationem: ex eo quod infra. cap. 26. dicitur argumentum sumentes: vbi habetur, dixisse Dominum Isaach. Benedicent se in semine tuo omnes gētes, eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit custodiam meam: præcepta mea, statuta mea, & leges meas. Quod autem non omnia sint ab eis seruata, ex eo constare videtur, quod Iacob duas sorores in vxores habuerit, quod postea lege cautum est. Leui. 18. Sed ad hoc dicunt, nō fuisse prohibitum duas vxores habere, sed ad lacessendū, hac f. intentione, vt alterā in alterā pronocarent: quia textus habet. Vxorē cum sorore suā non accipies ad lacessendū. An verò aliqua animalia sint iure naturali, aut naturali instinctu immunda: quæ postea fuerunt in lege prohibita: dicendum est, quòd non propter illud Christi, Mat. 15. Omne quod intrat per os, non coinquinat hominē. Quod & Apostolus ad Roma. 14. approbat. Omne, quod in macello venit, comedite, & nihil est immundum ilis, qui cognouerunt veritatē. Et infra. 9. omne animaliū genus in esum cōceditur. Sed mirum valde est, quod vsq; hodie sint quædā animalium, & auium genera, quæ nullus comedere vult, quemadmodū asinus, equus, camelus, leo, & id genus multa. Similiter de auibus: nemo est qui comedat miluum, ac cipitrem, & ferè omne genus auium rapacium, graculum, picam, & multa alia quasi innumera: ad quorum esum quēdam horrorem, ferè omnes habemus quasi à natura. Neque est dicendum, quod quia insuauia, ideo in esum nō veniāt: nā caro equina, & humana (vt aiūt) suauiores sunt multis aliis: quibus vescūtur homines.

Et omni iumento mūdo accipies tibi septem, et septem, virum & vxorem eius: id est, masculum, & femellam eius. Ex hoc loco videtur, quòd præceptum fuerit Noach, vt ex mundis animalibus, & auibus tolleret septem paria, scilicet, masculum, & fœminam eius. Nam textus dicit, virum, seu masculū, & vxorem eius, quod non diceret: si solum septem, ex qualibet specie essent accipienda: cùm numerus septenarius sit impar. Secundo, quia textus dicit septem, & septem: ac si dicat, septem paria. Tertio, quia cum ex mundis animantibus faciendum esset sacrificium, & illa erāt apta ad esum: opus erat magis multiplicari, quā immūda, ex quibus neq; sacrificium fiebat, neq; erant ad esum apta: ideoq; voluit Dominus in maiori numero seruari. Neque rationes Lyrani oppositum dicentis cogunt. Nam quod primo obiectat, oportere scilicet, ex eis arcam implere, vt scilicet, non esset locus aliis, parum valet. Nam aues non multum loci occupant, animalia verò, & si occuparent, non erat tā arcta arca, quin posset ex qualibet specie mūdorum. 14. capere. s. ex bobus, ouibus, & capris. Quod verò secundo obiicit non esse opus, tot ad speciem conseruandam: diluitur dicendo, quòd non solū ad speciem cōseruandā, sed ad sacrificium, & etiam, quod cum essent in esum cōcedenda, opus erat, ea in maiori numero multiplicari. Et si eius ratio esset efficax, in eum militaret. Nam ad speciē conseruandā, sat esset seruare vnū par: ipse verò dicit tria paria fuisse seruata. Quod verò vltimo adducit, eadem ratione debere dici, duo paria seruata ex immūdis: quia textus dicit duo, & duo: parū probat. Quoniā textus Hebraicus nō habet duo, & duo, sed semel duo, masculum, & fœminā eius, licet Vulgatus Septuaginta secutus, duo, & duo habeat. Hebraica tamen veritas, & Chaldæus Paraphrastes semel duo habent: vt iam diximus. Sed esset merito disquirendum, cur de animalibus loquens, dicit virum, & vxorem eius: de auibus verò, masculum, & fœminā eius, & crediderim hoc ideo esse, quòd mēbra coitus in animalibus sint similia genitalibus hominis: non sic autem in auibus. Vocat autem volucres eo li, quod iuxta superficiem cœli volent, aut vocat aērē cœlum, vt iam diximus primo cap. huius libri.

Quoniam diebus adhuc septem, id est, post septem dies delebo omnem substantiam.

Dixi de verbo (machāh) supra cap. 6. quod scilicet significet radere, & delere: ita vt nullum appareat rei vestigium, & pro omni substantia, posset legi.

Omne quod stat: quia (chum) proprie stare significat.

Noach fuit filius sexcentorum annorum: id est, sexcentos annos natus

Et diluuium fuit aquarum super terram: id est, cùm complesset, aut vt alij volunt cum incepisset sexcētesimum annum: fuit diluuium.

Filii eius, & vxor eius.

Nominat Berosus vxorem Noach, scilicet, Titeam magnam, & vxores filiorum, scilicet, Pandoram, Noelam, & Noéglam: asseritque Noach ex Gigantibus fuisse.

A facie aquarum diluuii: id est, propter aquarum præsentiam.

Duo, & duo venerunt ad Noach. Domini præcepto, & quilibet masculus veniebat cum fœmina sua.

Fuit à septem diebus, id est. post. 7. dies. s. à colloquio diuino. *In anno. 600. annorum vitæ Noach, in mense. 2.*

Constat ex hoc loco ad centum annos durasse arcæ fabricam, quo tempore Deus expectauit hominum resipiscentiam, seu pœnitentiam, & Noach prædicauit futurum diluuium super terram. Verisimile enim est homines illius temporis, cùm vidissent Noach tantę molis arcam fabricare, interrogasse: ad quid molem illam fabricaret: & credibilius, eum non reticuisse, sed præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed præcipitasse illis futurum malum, quod eos expectabat: similiter totum orbem tunc audiuisse futuri diluuij famam: neque tamen mores in melius mutasse. Et quod sequitur, *in mense. 2. 17. die mensis.*

Dubium habet, quis, scilicet, tunc fuerit primus anni mensis, sed cap. 1. huius tanquam probabilius diximus, mundum in mense Septembri fuisse productum: & credibile est illum fuisse primum anni: quem Hebræi vocãt, tisri, qui incipit à nouilunio propinquioti æquinoctio autumnali, & si hoc est verum, diluuium incepit. 17. mensis, maresuan, qui pro parte respondet nostro Octobri: sicut, tisri, Septembri, & credendum est, huiusmodi anni inceptionem duravisse, vsq; ad exitum Israël de Ægypto: quando Dominus instituit mensem (nisan) fore eis primum in mẽsibus anni: qui, nisan, saltem pro sui parte respondet Martio nostro, & est vicinior æquinoctio vernali. Cùm enim Iudæi de Ægypto egrederentur: dixit Dominus Mosẽh. Mensis iste vobis caput, seu initium mensium, primus erit in mensibus anni. Iudæi verò postea, vt seruarent vtrunque mensium initium, instituerunt initium mensium in contractibus, & rebus profanis, à, tisri, quẽadmodum fuerat ab initio mundi, in sacris verò, & solennitatibus à, nisan, quemadmodum Deus Exodi. 12. præceperat, & sic vsque hodie habent duplex anni initium. Alterum pro rebus prophanis: alterum ad celebrandas solennitates, vt diximus. Aduerte etiam hic, Lyranum putare, diluuium incepisse mense. 2. anni sexcentesimi vitæ Noach: inde occasionem sumens, quòd hic dicatur anno. 600. annorum vitæ Noach, in mense. 2. 17. die mensis, &cætc. Supra verò dictum est Noach fuisse sexcentenarium, quando diluuium fuit super terram. Ad quod respondet, fuisse quidem sexcentorum annorum inchoatorum, & opinio est valde probabilis. Quæ si teneatur, videtur fatendum arcæ fabricam ad mensem cum dimidio tantum durasse: quod vix est credibile tam magnam, scilicet molem, posse tam paruo tempore fabricari. Similiter non tam mitem facit Deum, quod videlicet tam paruo tempore expectarit hominum pœnitentiam. Quòd verò hoc sequatur, manifestè ex textu colligitur. Quoniam quando ei facta est reuelatio de fabricanda arca, erat quingẽtorum annorum, & vt videtur completorum: anno verò sequenti, quando sexcentenarius esse cœpit mense. 2. aquæ diluuij inundauerunt. Sed ad hæc facilis est responsio, tenendo reuelationem factam Noach anno. 500. inchoante, aut fere. Quam etiam opinionẽ, quod repente diluuium eruperit Christi sententia apud Matthæi. 24. cap. iunare videtur dicentis, diem iudicij repente esse venturum, quemadmodum diluuiũ in diebus Noach. Quare opinio mihi valde probabilis videtur. Quod verò sequitur.

Rupti sunt fontes voraginis multæ.

Explicandum restat. Pro quo aduerte, thehom, vt diximus, 1. capit. huius libri significare aquam magnæ profunditatis, aut locum profundum, vbi fuit aqua profunda: vt ibi exemplis mõstrauimus. Vocat autem Hebraismus voraginem multam, illam aquarum profunditatem, quæ est sub terra, quę videtur esse immensæ profunditatis, & ruptâ terra, in fontes erumpit, sed tempore diluuij maioribus hiatibus terram rupit, & terram alluit, & operuit. Non puto autem hic per abyssum, seu voraginẽ, posse Oceanum intelligi: quoniam non esset opus, vt ipse terram operiret, sed eius aquas extendere, aut sinere, operire terram: vnde videtur diluuium ex aquis, quæ de cœlo descendebant, & de terra ad modum fontium erumpebant: processisse, ita quod quemadmodum firmamentum rumptum esse perhibetur: vt aquæ, quæ super illud erant, descenderent: ita terra, quæ firmamentum esse videtur inter nos, & aquas, quæ sub ea sunt, rupta sit, vt aquæ inferiores ascenderent, ad terram submergendam. Et quod dicitur, *fenestræ cœli apertæ sunt.*

Non possum aliter, quàm vt litera habet intelligere: supponit enim veras & elementares, aquas super firmamentum esse, vt tam Basilius quàm Chry. sentiunt: nihil mirum, si Dominus fenestras in firmamento ruperit, vt aquæ illæ descenderent, neque hic locum esse methaphoris puto. Sanct. verò Thom. dicit fatendum omnino esse, ibidem aquas fore, sub dubio verò verti, quales sint: an videlicet elementares, an crassæ potius ad modum crystalli. Quare taxandi sunt, qui potius volunt sacram scripturam philosophiæ regulis subdere, quam, vt magis decet, philosophiam, tãquam ancillam, illi deseruire. Aduerte etiam hic verbũ, arab, à quo, arubbah, id est, fenestra, significare proprie insidiari, videndo per foramina: vt patet Deut. 19. (vecarab lo) id est, insidiatus fuerit illi. Sic Iob. 31. Et super, aut iuxta ostium amici mei, arabthi, id est, insidiatus sum, scilicet per ostij foramen. Vnde, ereb, id est, foramen. Iob. 37. Ingredietur bestia in, areb, id est, foramen, vbi alij vertunt in insidiis, seu locum insidiarum, &. 38. manebunt in latibulo ad, áreb, id est, ad foramen, aut ad insidias, vt alij vertunt. Sic, maarab, potius foramen, quam insidias significare puto, vt patet ex Psal. 10. Manebit, bemaarab, id est, in foraminibus atriorum, vbi alij vertunt, in insidiis atriorum, sed quia atria cancellos habere solent, quibus qui intus sunt inspiciunt, videtur potius vertendum, in foraminibus. Ex hac radice est, oreb, quod nostri & Hebræi. Isaiæ. 25. sine vlla ratione vertunt, insidias: vbi sic habetur. Extendet, scilicet, Moab manus suas in medio sui, quemadmodum natans ad natandum, & humiliabit altitudinem suam cum, orbóth iadav, id est, insidiis manuum. Quæ interpretatio nullo modo mihi conuenire videtur, sed melius cum digitis manuum eius. Vocantur autem digiti foramina, quòd sint ad modum cãcellorum, per quorum interstitia, quasi per foramina cancellorum, videre solent homines. Posset etiam verti cum cancellis manuum eius, intelligendo per cancellos digitos. Hinc etiam est, arubáh, id est, foramen, quod eo insidiemur. Significat ergo verbum insidiari, & nomina ab eo deducta, ea: per quæ insidiamur, quemadmodum sunt cancelli, foramina, & digiti, cùm aperta manus ori, aut vultui superponitur. Fecit ergo Dominus Deus foramina in firmamento, quibus aquæ superiores descenderent. Sunt qui putant corpus firmamenti porosum esse, Deumque illos poros dilatasse, ad aquas demittendas, quam expositionem libenter admittimus.

Fuit pluuia super terram.

Sunt qui dicunt, gẽssem, significare pluuiam vehementem, quæ latinè dicitur imber, ex multis tamen locis cõuincitur significare absolute pluuiam, sicut ex Isaia 44. Plantauit pinum, vegessem, id est, & pluuia nutriet Ezechi. 34. guisine, id est, pluuiæ benedictionis erunt.

In robore diei huius 2. s. 17. mensis ingressus est Noach.

Verbum, hasam, à quo, hesem, id est, robur, significat roborare, fortificare. Dani. 8. (vehasam) id est, roborabitur fortitudo eius, infra. 26. Quia, hasamtha, id est, fortior aut robustior es nobis valde. Vocatur autem robur diei, quando dies est inter manè, & vesperam, & proximum meridiei, quia tũc lux fortior esse solet, sed hic accipitur pro die ipso, ac si dicat hac eadem die.

Omnis bestia secundum speciem suam.

Ponuntur hic tria nomina, quorum discrimen tractaui super cap. primum, scilicet, chaiáh, behemáh, &, rémes, vide ibi.

Omne volatile secundum speciem suam, omnis auis, omne alatum.

Significat, oph, volatile ab, uph, quod est volare, (sippor) verò, aliquando est nomen proprium speciei, & significat passerem. aliquando verò commune est, significans omne quod habet pennam, siue volet, siue non. (chanaph) verò alatum. Nã (chanaph) significat alam, siue quę re vera est, siue quę modum alæ habeat: vt est fimbria vestis. Significatio tamen verbi, sapar, nondum est plene nota Hebræis.

Venerunt ad Noach, scilicet ex imperio Domini.

Et clausit Dominus circa ipsum, vel in vsque ad ipsum.

Sensus est. Et clausit Dominus ostium arcæ super ipsum, vel expectando quousque ipse ingrederetur.

Nam

Nam præpositio, had, aliquando significat super: vt Ioelis. 2. (vbehad) id est, super gladium proiicient se, & Ierc. 11. Non audiam in tempore, quo clamauerint ad me, behad, id est, super malo suo. Et clarius. 2. Reg. 4. Claudes ostium, behadeha, in vsq; te, id est, post te, & in vsque filios tuos. i. post filios tuos, qui textus est omnino huic similis. Posset etiã esse sensus, quòd deus non operuerit foramina firmamenti, & eruptiones terræ vsquequo ipse Noach arcam Ingressus esset.

Et fuit diluuium quadraginta dies super terram.

Hoc intellige, antequam arca eleuaretur. Nam, vt patet cap. sequenti, diluuium durauit. 150. dies accipiendo diluuium pro demissione, & eruptione aquarum. Fuit ergo diluuium. 40. dies & aquæ roboratæ sunt, & in fine istorum dierum cœpit arca natare. quare statim sequitur.

Et creuerunt aquæ, & portauerunt arcam, aut leuauerunt arcam, & eleuata est super terram.

Ponuntur hic duo verba, scilicet, nassã, &, rum, quorum primum significat portare, leuando maximè. Secundum verò eleuare: primum tamen sæpe etiam eleuare significat. Ezechi. 18. Oculos suos non, nassã, id est, eleuauit ad idola domus Israël.

Et præualuerunt, seu fortificauerunt se aquæ, et multiplicatæ sunt valde, id est, fuerunt fortes, & multæ: ita vt terræ dominarentur.

Ambulauit arca, scilicet, hinc inde *super faciem aquarum. Et aquæ præualuerunt valde, id est, multum sub per terram. Operti sunt omnes montes excelsi: qui erant sub omni cœlo.*

Constat ex hoc loco fabulosum esse, quod aliqui dicunt, scilicet, in quodam alto monte homines relictos, aut mõtem Olympum nõ fuisse aquis opertum: cum textus dicat, omnes montes excelsos opertos aquis, qui sub omni cœlo sunt.

Quindecim cubitis superne præualuerunt aquæ, & operti sunt montes.

Ista fuit mensura: qua aquæ montes excesserunt.

Obiit omnis caro calcans super terram.

Ex hoc loco constat verbũ, ramás, non solũ reptare, sed calcare, & conculcare pedibus terrã, significare.

In omni reptili, quod reptat super terram.

Primo cap. huius libri admoui, ignoram esse significationem verbi (sarás): quod hic nostri reptare vertũt. Dixi autem significare crescere, aut multiplicare: sic vti de hic verti posset.

Et in omni multiplici, quod multiplicat se super terram.

Significatio tamen nondum mihi plene comperta est.

Omne, in quo erat halitus spiritus vitæ in naribus ipsius, ab omni quod erat in ficco, mortua sunt.

Sensus est. Omne, quod per nares flabat, seu emittebat spiritum vitę. i. quo viuimus, & erat in ficco, vel in terra exsiccata, & euacuata aquis mortuum est. Dicit autem. *Omne, quod erat in ficco*: propter pisces, qui non sunt mortui, quia non viuunt in ficco. Et aduertę, quod (charab) è quo (charabah) id est, siccum significat desolare, & exinde exiccare, quod id, quod desiccatur, aquis desoletur. Dicunt autem Hebræi significare exsiccare, desolare, & gladio occidere. Nam, vt sæpius admonuimus, quia proprias ignorant, significationes multiplicant: prout loco, in quo verbum ponitur: conuenire arbitrantur. Mihi verò ex pensis locis, quibus verbum ponitur, & ex aliis coniecturis videtur verbum significare propriè desolare, & exinde, vt diximus, exsiccare, quæ significationes videntur omnibus locis, quibus verbũ ponitur, conuenire. Et. 1. Gene. 8. vbi aliqui vertunt (charbu). i. exsiccatæ sunt aquę: quo in loco etiam bene verras desolatæ sunt aquæ. i. locus, in quibus erant. Et ibi iterum (charbu). i. siccatæ erant: etiam verti posset desolatæ erant superficies terræ. Item Isaiæ 19. Attenuatæ sunt (vecharbu) id est, exsiccabuntur flumina Ægypti. Et iterum. 44. qui dico profundo (chorabi) id est, exsiccare. Clarius Iob. 14. Et fluuius (iecherab) id est, exsiccabitur, & arescet. Item Hamos. 7. Sanctuaria Israël (iecherabu) id est, desolabuntur. Idem Ezechi. 12. Et ciuitates, quæ habitantur: (thecherabnah) id est, desolabuntur, scilicet suis habitatoribus. Sic Sopho. 3. (hecherabthi) id est, desolare feci plateas eorum. Quod verò occidere significet: constat Ierem. 50, (chirbu) id est, occidite vniuersos vitulos. Et. 2. Reg. 19. (necherbu) id est, occiderunt se Reges. Et possibile est, quod significet sanguine aliquem euacuare: quod fit, cum quis occiditur. Inde (chereb) id est, gladius, quod loca suis habitatoribus desolare soleat, homines occidendo, aut exsiccet sanguine. Et tamen (choreb) in multis scripturæ locis significat siccitatẽ, & æstũ: vt infra. 31. In die consumebat me (choreb) id est, siccitas, seu æstus. Vnde admittenda est illa significatio: quæ arescere, & exsiccare significat. Colligo ergo verbum significare desolare, aut exsiccare, & exinde occidere: quod occisio, hominem exsiccet sanguine, aut occisio desolare soleat loca, in quibus fuerunt homines. Nondum tamen rem definire audeo, quia coniecturis iucor. Est ergo hic vertendum.

Ab omni, quod est in ficco, id est, ab animali: quod in sicco moratur, mortua sunt.

Deletumque est omne quod stabat, quod erat in superficie terræ.

Et est sermo de animalibus, & auibus, non de arboribus. Licet enim multæ delerentur: multæ tamen remanserunt: vt de oliua constat, cuius ramum columba in ore suo postea detulit.

Et præualuerunt aquæ super terram, (id est, terræ) centum quinquaginta diebus.

Consulto hic omittimus Rabbinorum fabulam: quod videlicet aquæ diluuij fuerint calidæ, piscesque occiderent. Nam vt textus expresse dicit:

Omnia, in quibus erat anhelitus spiritus vitarum, quæ erant in sicco, mortua sunt.

Quod, vt diximus, addidit: vt pisces exciperet. Et iam in Canonibus præmonuimus, valde cauendum esse à Rabbinorum figmentis, & mendaciis. Néque putes, illa duo aduersari ad inuicem, quod, scilicet fuerit diluuium. 40. diebus. & quod aquæ præualuerunt terræ centum quinquaginta: quia pluuia, & fontium eruptio durauit. 40. dies ante arcæ eleuationem: vt diximus, terra verò fuit aquis operta. 150. diebus, quibus durauit diluuium.

IN CAP. VII. ADNOTATIO AD MORES.

DIXIT *Dominus ad Noach. Ingredere tu.*

Admonet locus iste, qualiter bonus Dominus nouit pios, ab impiis in punitionibus segregare, quẽadmodum & Loth à Sodomæ subuersione liberauit, & Ieremiam Prophetam, à Chaldæorum captiuitate: quando cæteri in Babylonem deducti sunt. Licet enim Deus nonnunquàm iustos, cum iniustis suo occulto iudicio inuoluat: vt plurimum tamen eos liberat. Similiter aduerte, qualiter propter iustum vnum, tota eius domus salua fiat, & quid valeat iustis adhærere. Nam sicut terræ, domui, & familiæ nihil est malis perniciosius: ob quorum peccata Dominus in omnes consunctos sęuire solet: ita nihil est bonis, & iustis vtilius, quod propter eos sæpius iniustis, & peccatoribus parcat Deus. Nam propter Noach iustitiam, saluos filios, & vxores fecit. Sic, quia diligebat Iesus Mariam, & Martham, fratrem Lazarum à mortuis suscitasse perhibetur. Iob. 11. Nouimus quippe quot mala Israheliticus populus pertulerit propter malitiam Manasseh, Achab, Ieroboham, & aliorum impiorum Regum.

Te vidi iustum coram me.

Hinc perpende, quanta fuerit illius seculi malitia, quãdo in toto orbe, vnicã domus, quæ iustitiam coleret: inueniebatur: similiter, quàm facilè peruertantur homines. Quod autem sequitur.

Coram me, Admonet esse iustos in oculis vulgi: de quibus Christus dicit Matthæi. 6. recepisse mercedem suam. Alios verò in oculis suis: qui miseri, & miserabiles, & cæci prædicantur: quare illi soli verè iusti dicendi sunt: qui in oculis Domini iusti inueniuntur. Quamobrem dicebat Paulus. 1. Corint. 4.

Mihi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, qui autem iudicat me, Dominus est. Ac si diuisset apertius. Parum mihi est, qualis à vobis, aut ab humano die, aut etiam à meipso iudicer: multum verò, si Deus, qui neque falli, neque fallere potest, me bonum decernat. Si enim mundi, aut vestro iudicio, in illa tremenda die astandum esset: merito tunc curarem vulgi, aut vestra iudicia, sed cũ solius Dei tribunali astandum sit: illius bonum iudicium quærendum mihi est.

Ex omni iumento mundo capies tibi septem, & septem.

Audis hic quantum Deo mundicia placeat: vt non solum in hominibus, sed etiam in brutis bonis eam afficiat, & à perditione liberet. Vnde Prouer. 22. dicit Salomon. Qui diligit cordis munditiam: diligetur à Rege. Et in Psal. cum in monte Domini habitaturum legimus: qui fuerit manibus, & corde mundus. Similiter docemur, Deum velle iustos in infinitum multiplicari, malorum verò semen deleri. Perdite (inquit Dominus apud Isai. 14.) de Babylone germẽ, & reliquias. Sic cultus Dei nobis curæ esse deberet. Neque malos, seu immundos omnes esse delendos, quod sæpe ex eis boni fiant. Vbi etiam simul aduertendum, non ita esse in hostes sæuiendum, vt omnia deleas, sed misericordia erga eos vtendũ, vt aliquid seminis illis relinquas.

Delebo omne, quod stat, quod feci.

Etiam quantum peccata Deo displiceant docet locus iste: vt ea quæ pulcherrima fecerat, tam facilè deleat. Et quid mirum si hæc destruat, qui tam sæuiit in templum suum: vt in eo non relinqueret lapidem super lapidem. Quod ideo fecisse puto, ne nos immunes à punitione putemus, si quid eius apud nos habeamus. Sunt enim multi peccatis onusti, qui se impune peccare putant, quòd preces horarias non omittunt: quòd horas beatæ Virginis omni die deuote legunt, si eleemosynas faciant, aut quid simile: quos apud Ierem. 7. admonet dicens. Nolite confidere in verbis mendacibus, dicentes, templum Domini, templum Domini, scilicet est apud nos. Non permittet illud destrui, & propter illud pareet iniquitatibus nostris. Non sic erit, sed à sanctuario meo incipite. Nunquid spelunca latronum, domus mea est (dicit Dominus?)

Rupti sunt fontes voraginis multæ, & fenestræ cœli aperta sunt.

Pugnant omnes creaturæ pro Deo suo contra insensatos, neque ardori libidinis conueniens pœna defuit: qua frigéret illa nequissima flamma, vt quos luxuria incenderat, infrigidaret aqua.

In ipsomet die. Ostendit locus iste, qualiter iusti curent seruare præcepta: vt non solum seruandi illis sit cura, sed certis, & decretis temporibus, quibus deus illa præcipit: obseruare. Quemadmodum illi propriis diebus, parent diuinis mandatis, ita & Deus certis, & statutis diebus, nititur illis sua promissa complere. Infra enim. 17. Cap. legimus, ea die Abraham circuncisum cum omni domo sua, qua illi præcepta fuerat circuncisio, in robore diei huius (ait scriptura) qua datum est de circuncisione præceptum, eadem Abraham, & Ismahel filius eius circuncisi sunt. Vnde postmodum Exod. 12. Dominus pollicitationes Abrahæ factas complens, ipsamet die, qua finiti sunt captiuitatis, & peregrinationis anni quadringenti: eos liberauit. Quare textus ibi habet. Et fuit in fine. 30. annorum, & quadringentorum annorum, in robore diei huius, egressi sunt omnes exercitus Domini è terra Ægypti. Qui ergo statutis diebus legem implent: statutis diebus promissa Domini recipiunt.

Vxor Noach, & tres vxores filiorum eius.

Vides hic qualiter Sancti Patres, vnica erant vxore contenti: vt merito apud Matthæ. Saluator dicat, à principio nõ sic fuisse. Non sic autem qui ex Cain originem ducebant, qui non solum multas, sed pulchriores ad explendam libidinem suam acceperunt.

Omnis bestia secundum speciem suam.

Hinc perpendere licebit, quemadmodum multiplicat Dominus misericordiam suam: vt quemadmodum homines, & iumenta deleuit ex ira, ita homines, & iumenta ex sua misericordia saluauerit, quo exemplo nos docet ad ea reparanda, quæ corruunt, neque minoris esse virtutis facta conseruare, quàm noua producere, neque Deum fuisse inuidum, qui quæ opere naturæ fieri possunt, noluit seipsum de nouo producere.

Clausit Dominus super eum.

Nihil nostra diligentia prodest ad nos seruandos, nisi Dominus manũ suam opponat, & claudat. Nisi enim Dominus ciuitatem custodierit: in vanum laborat, si putes eam per te posse seruare.

Fuit diluuium quadraginta dies.

Sex diebus cuncta creauerat, quæ quadraginta diebus delet: vt ostendat, quàm difficile illi sit peccatores punire.

Multiplicatæ sunt aquæ, & leuauerunt arcam.

Eisdem aquis impij suffocantur, ac demerguntur: quibus piorum nauis eleuatur, vt quod impiis est in ruinam: bonis sit in subleuationem: quemadmodum (vt inquit Grego.) eodem igne palleæ fumant, & aurum rutilat.

Operti sunt omnes montes excelsi.

Nullum est impiis latibulum: quo dei iram effugere, aut vitare possint.

Ex omnibus, quæ erant in sicco, mortua sunt.

Mirum valde est, quòd sæuiret dominus in homines, & cætera animantia, non autem in pisces. Quid enim plus mali fecerant oues, & boues, quàm pisces: vt illa deterentur, isti saluarentur? Crediderim ego animantia, vt dixi, fœdis sese congressibus polluisse, aut ad inuicem, aut etiam cum hominibus: in cuius detestationem dominus tam homines, quàm cetera terrestria deleuit. Non sic autem pisces, qui alium habent modum multiplicandi se, neque tam faciles sunt ad huiusmodi nefandas commixtiones.

Remansit tantum Noach, & qui cum eo erant.

Non possum satis mirari, qualiter sine lachrymis, & suspiriis vir iustus Noach potuerit videre omnium hominum cladem, iumentorum, & voluerum extinctionem: quare ire diuinæ precibus non occurrerit. Quod ex timore fecisse non dubito. Licet enim domini sententia pronuntiatus sit iustus, se tamen talem non arbitrabatur, vt fideret suis precibus diuinam iram posse reuocare: tum etiam quia videbat deum omnino decreuisse: Vniuersum delere. Nam de Abraham: qui maximè charitatis esse probatur: legimus, non orasse deum pro suo nepote Loth: cum videret angelos euntes ad vrbes subuertendas. Cùm enim sibiipsis timeãt iusti. non mirum si pro aliis etiam consanguineis non deprecentur, & misericordior inuenitur dominus in consanguineos iustorum, quàm ipsi: cum dominus Abrahæ memor, liberauerit Loth: quem Abraham, quasi suorum immemor, non petierat liberari.

CAP. OCTAVVM.

ET recordatus est Deus Noach, et omnis bestiæ, et omnis iumenti: quæ erant cum eo in arca: et transire fecit Deus ventũ super terram, et quieuerunt aquæ. Et clauserunt se fontes abyssi, et fenestræ cœli, et prohibita est pluuia de cœlo. Et reuersæ sunt aquæ, quæ erant super terram: eundo, et redeundo, et defecerũt aquæ in fine quinquaginta et centum dierũ. Et requieuit arca in mense septimo, in septima decima die mensis super montẽ Ararath. Et aquæ ibãt, et deficiebant vsq; ad mensem decimum. In decimo, in vna mensis visa sunt cacumina montium. Et fuit, in fine quadraginta dierum, aperuit Noach fenestram arcæ, quam fecerat. Et misit coruum: & egressus est, egrediendo, & redeundo, donec siccarentur aquæ: quæ erant super terram. Et misit columbam à se, vt videret, an alleuiatæ essent aquæ, quæ erant super faciem terræ. Et non inuenit colũba requiem plantæ pedis sui, & reuersa est ad eum in arcam, quia aquæ erant in superficie omnis terræ. Et misit manum suam: & accepit eam, & introduxit eam ad se in arcam. Et expectauit adhuc septem dies alios, & addidit, vt mitteret columbam ex area. Et venit ad eum columba tempore vespertino, & ecce folium oliuæ raptum erat in ore eius. Et cognouit Noach, quod alleuiatæ essent aquæ quæ erant super terram. Et expectauit adhuc septem dies alios, & misit columbam: & non addidit, vt reuerteretur ad eum amplius. Et fuit in vno & sexcentesimo anno, in primo, in vna mensis, siccauerunt se aquæ: quæ erant super terram: & remouit Noach operimentum arcæ. Et vidit, & ecce siccauerunt se facies terræ. Et in mense secundo in septima & vigesima die mensis, aruit terra. Et locutus est Deus ad Noach dicendo. Egredere ex arca, tu, & vxor tua, & filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Omnem bestiam, quæ est tecum ex omni carne, tam de volatili, quàm de iumento, & omni reptili: quod reptat super terram, educ tecum: & repant in terram, & crescant, et multiplicentur super terram. Et egressus est Noach, & filij eius, & vxor eius, et vxores filiorum eius tecum. Omnis bestia, omne reptile, et omne volatile, omne quod mouetur super terram secundum familias eorum, egressa sunt ex arca. Et ædificauit Noach altare Domino, et tulit ex omni iumento mundo, et ex omni volatili mundo, et obtulit holocausta in altari. Et odoratus est Dominus odorem quietis. Et dixit Dominus in corde suo. Non addam, vt maledicam vltra terræ propter hominem: quia cogitatio cordis hominis mala est à pueritia sua: et non addam vltra, vt percutiam omne viuens, quemadmodum feci. Adhuc omnes dies terræ, sementis, et messis, et frigus, et æstus, et æstas, et hyems, et dies, et nox non cessabunt.

IN CAP. VIII. ADNOTATIO ad literam.

ET *recordatus est Deus Noach.*

Non quia antea fuisset oblitus, sed cum Deus alicuius de nouo misereatur, eius recordari dicitur: infra enim cap. 30. habes, quòd cùm Rachel antea esset sterilis, & Dominus voluisset illi prolem dare: dicit textus, Deum Rachelis recordatum: eamque exaudisse, ac dedisse illi conceptum: Sic sequenti cap. se dicit recordaturum fœderis sui: vt non alluat amplius terram. Idem Ezechie. 16. & multis aliis scripturæ locis. Neque solum ad miserendum, dicitur de nouo recordari: sed etiam ad puniendum: quod antea dissimulauerat: vt patet primo Regum. 17. de vidua Eliæ: cuius cùm Dominus filium occidisset, illa sic cum Elia expostulat. Quid mihi, & tibi vir Dei? Venisti ad me, vt memorate faceres peccata mea.

Transire fecit Dominus ventum super terram.

Constat ex hoc loco, quod primo huius libri capite admonuimus, Deum, scilicet vti vehementi vento: cum vult aliquid exsiccare, & ideo illud: Spiritus Domini ferebatur super aquas, de vento elemẽtari esse interpretandum asseruimus. Verbum autem, Habar, id est, transire, significat quocunque modo transire: siue corpore, siue mente. Nam cum quis pactum transgreditur, aut legem: etiam transire dicitur, vt patet Iehosuah. 7. Quia, Habár, id est, transiuit pactum Domini, id est, transgressus est. Significat etiam dissimulare cum aliquo: quoniam qui dissimulat alicuius peccatum, videtur illud pertransire: ac si non videret: vt patet. 2. Samuelis. 24. (Haabérna) id est, transire fac (quæso) iniquitatem serui tui, id est, dissimula punitionem, seu transire fac punitionem, quam eras nunc inflicturus, ne me tangat. Et cap. 12. eiusdem. Etiam Dominus, Habehir, id est, transire fecit, seu dissimulauit peccatum tuum, id est, pœnam peccati tui.

Et quieuerunt aquæ, scilicet superiores, & inferiores à fluxu suo.

Hoc autem fuit post. 150. diem quando iam pluuia, & fontium eruptio cessauerant. Vnde tenendum est, diluuium duasse istos. 150. dies: ita vt nunquam pluuia desuper, nec fontium eruptio inferius cessauerint. Et quod cap. præcedẽti dictum est fuisse diluuium quadraginta diebus, & noctibus: intelligendum est, antequam aquæ roborarentur ad arcam eleuandam. Nam ante illos quadraginta dies, licet esset pluuia, & inundatio: non tamen tanta fuit, vt arcam eleuaret. Vnde textus ibidem dicit fuisse diluuium quadraginta diebus super terram, aquasque multiplicatas, & arcam eleuatam. Et postea sequitur. Et roborauerunt se aquæ, & multiplicatæ sunt valde super terram, & ambulauit arca super faciem aquarum. Vnde constat diluuium ad quinque menses durasse. Incæpit enim, vt capite præcedenti dictum est. 17. die mensis. 2. & 17. die mensis septimi quieuit arca. Computando autem 30. dies pro mense. 150. dies conficiunt. 5. menses. Bis enim. 60. conficiunt. 120. quibus si addas. 13. qui deerant ad finem secundi mensis. &. 17. septimi mensis: qui conficiunt. 30. conficies. 150. dies, & per consequens. 5. menses.

Et clauserunt se fontes abyssi, seu voraginis.

Intellige finitis istis. 150. diebus. Aduerte hic verbum, sachar, significare claudere vbique: vt patet Psal. 63. Quia, Isácher, id est, obstruetur, vel claudetur os loquentium mendacium. Vnde, secher, id est, clausura Isaiæ. 19. Omnes facientes, secher, id est, clausuram stagnorum animæ, id est, facientes sepem in fluminibus, ad capiendam animam, scilicet piscium. Solent enim apud nos fluminum piscatores, flumen ferè totum claudere sepe ex cannis, aut viminibus contexta, relinquẽtes tantum ostij, quantum est os nassæ, aut retis, vt pisces ascendẽtes, aut descendentes, nassa capiãt. Nostri vocãt, caneiros, latinè canales, & vt plurimum ex cannis fiunt. Et quòd dicitur.

Fontes abyssi, seu voraginis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aduerte quod, Haiin, proprie significat oculum & ex consequenti fontem, quod fons è terra egrediatur ad modum oculi: vnde & nos Lusitani vsque hodie vocamus fontem, oculum, aquæ (hum olhodagoa.) Est præterea alia conuenientia inter fontem & oculum: quod ab oculo, quasi à fonte lachrymæ egrediantur: quam allusionem serua.

Prohibita est pluuia de cœlo.

Præ se fert iste locus non solum foramina aperta in firmamento tod pluuiam, seu aquam inde demittendam, sed fuisse, seu descendisse pluuiam ab aëre naturali modo. Dicit enim textus, fontes abyssi fuisse obstructos: similiter foramina cœli: tertio prohibitam pluuiam de cœlo, & cap. præcedenti dictum est. 17. die secundi mensis anni. 2. ruptos fontes voraginis multæ, & fenestras seu foramina cœli aperta. 3. fuisse pluuiã super terram. 40. diebus. Quod si verum est: verissima quoq; est opinio, quæ tenet in firmamento fuisse foramina à Deo facta ad demittendam aquam. Non enim per hoc potest intelligi pluuia naturalis, quę tertio loco numeratur. Posset tamen intelligi id, quod dicitur. Et prohibita est pluuia de cœlo, quod illa, quæ à foraminibus firmamenti demittebatur: prohibita est. Verbũ autẽ, chala, significat prohibere, & claudere: quod clausa prohibeantur exire: vt patet Iere. 32. Quẽ, Chelâu, id est, clauserat, aut prohibuerat. Et Aggei primo. Propterea super hoc, chaleu, id est, clauserunt se, prohibuerunt se cœli. Et ex hoc, chele, id est, carcer, quod prohibeat homines vinctos inde exire, aut quod claudat homines. Hinc etiam, michla, id est, caula sic appellata, quòd claudat pecora, neque sinat exire.

Ab hoc etiam verbo est duale, chilaiim, id est mixtum: quod vnum sit in altero clausum, sicut est vestis mixta ex lana, & lino, & alia mixta, quod sint inuicem inclusa.

Reuersæ sunt aquæ dè super terra. i. ste essent super terram ambulando, & redeundo, scilicet ad locum suum.

Cùm enim totum fuerit mare, aquę maris redierũt ad locum suum, ambulando, & redeundo: Aut reuersę sunt ad loca sua, scilicet flumina, fontes, & stagna, & aliæ aquarum congregationes, quæ ad alluendam terram à suis locis eruperant: ad quæ reuersæ sunt.

Et defecerunt, aut diminutæ sunt aquæ à fine centum quinquaginta dierum, id est, finitis 150. diebus.

Vbi aduerte verbum, chasar, Hebræis significare defícere, & indigere, quod deficiens egeat iis, quę sibi deficiunt. Cùm autem dicit textus aquas defecisse: intellige, quod cœperunt deficere, non quòd tunc omnino defecerint.

Requieuit arca mense. 7. 17. die mensis.

Constat hinc à mundi ipsius exordio fuisse menses, & annos, vt dictum est cap. primo, & cœpisse homines numerare annos, & menses: mensemque semper continuisse triginta dies, aut circiter.

Super mõtes (Ararat). i. super vnũ è mõtibus (Ararat.)

Incertum est, quem montem significet dictio, ararat, aut in qua regione sit. Sed si Berosо fidem adhibeas: qui asserit arcam in Gordiéi montis vertice, qui mons est in maiori Armenia, Caspiis colllbus adiacẽs: quieuisse: optimè dixit vulgatus interpres: qui hic montes Armeniæ interpretatur. Cum igitur portio illa maioris Armeniæ, quæ Araxi fluuio vicina est, Arama lingua, Araxia nominetur: eándem ab Hebræis, Ararat, nominatam crediderim, in eaque arcam subsedisse: cuius arcæ partem ante sua tempora extitisse refert Berosus, qua homines de expiationem vtebantur. Chaldæus vertit hic super montes, Cardú, seu Cardueorum: quos Quintus Curtius Cardæos appellat, Ptolemæus vero Gordæos montes in Armenia ponit. Sed dubium est quod dicitur hic diluuium, scilicet duraſſe 150. dies: qui quidem dies centesimus quinquagesimus, vt videtur fuit. 17. septimi mensis: in quo arca dicitur requieuisse. Videtur autem impossibile, quod vna die quindecim cubitis aquæ descenderint: vt, scilicet arca posset super montes requiescere. Sed dicendum, textum non dicere arcam requieuisse in fine. 150 dierum, sed habet, aquas roborasse super terram. 150 diebus, & postea Deum ventum exsiccantem emisisse, fontesque, & aquas cœli prohibuisse: easque defecisse, id est, incœpisse deficere, finitis illis. 150. diebus. Postea sequitur, arcam mense. 7. 17. die mensis requieuisse super montes, ararat, vnde videtur diluuium cessasse finitis centum quinquaginta diebus; arcam verò 17. quieuisse. Tenendo tamen eadem die diluuium cessasse, & arcam quieuisse: dicendum est: ventum à Deo immissum, & retractionem aquarum: talia fuisse, vt aquæ multum decrescerent, non quidem ad quindecim cubitos: sed saltem ad. 8. Tantæ enim molis erat arca, vt sundum acquireret etiam in profunda aqua. Nam de ea dicitur, non nisi post quadraginta diluuij dies natasse. Sicut ergo magna aqua opus fuit ad eam eleuandam propter põdus: ita in magna aqua potuit considere super montes. Videmus etiam huiusmodi inundationes facilè cessare: cùm pluuia cessat, & multo plus, si flauerit vẽtus vehemens, qualem fuisse puto illum à Deo tũc immissum: manere tamen adhuc videtur scrupulus vnus, quomodo, scilicet verum sit aquas diminutas ad. 7. vel. 8. cubitos vna die: cùm postea opus fuerit duobus mensibus & 13. diebus ad diminutionem. quo apparerent cacumina montium. Sequitur enim in textu, prima die mẽsis. 10. cacumina, seu capita montium apparuisse. Sed dici potest, quòd quamprimum cœperũt aquæ minui, statim quieuit arca super montes, Ararat, qui forsitan cæteris erant altiores. Postea verò illis duobus mensibus, &. 13. diebus residuum aquarum, vsq; ad cacumina montium defecisse. Si verò teneamus, mẽsem septimum fuisse post illos. 150. dies: tunc nulla erit difficultas: primus tamen dicẽdi modus mihi verior apparet: quem in fine capitis magis explicabimus.

In. 10. scilicet mense in vna. i. in prima die mensis.

Et patet ex hoc loco illud: quod admonuimus capit. primo: vbi dictum est, fuisse vesperam & mane diem vnum, id est, primum. Vsurpant autem Hebræi vnum pro primo.

Et fuit à fine quadraginta dierum, id est finitis quadraginta diebus, scilicet post decimum mensem: quando cacumina montium apparuerunt.

Aperuit Noach fenestram arcæ.

Ex quo videtur, quòd non senserit, quando montium cacumina apparuerunt.

Aperuit Noach fenestram.

Dictio, chalon, à, chalal, ortum habere dicitur: quod, vt in fine. 4. capitis diximus, significat proprie occidere, & polluere, siue sit homo, sicut cum occiditur, siue quæcunque alia res: vnde pro occidi accipitur. Et quia scisi, vel occisi polluunt tangentẽ, aut polluuntur suo sanguine, aut luto: in quem cadunt extenditur ad significãdum fœdari, profanari. Vide quæ ibi diximus. Vnde, chalon, non quamcunque fenestram significat, sed fissuram, seu rimulam, aut foramen: vt patet Prouerbi. 7. (bechalon) id est, per rimulam, vel foramen domus meæ: vbi non tam bene quadrat fenestra: quoniam qui speculantur ex insidiis, non per fenestras, sed per rimulas insidiantur. Sic infra. 26. dicitur. Respexit Abimelech rex Philistim per, hachalon, id est, per rimulam, seu foramen: & hunc sensum textus sequens prætẽdere videtur. Nam sequitur: quam fecit: quasi Noach fecerit de nouo fissuram, vel rimulam illam: per quam videret, an aquæ diluuij cessassent. Nam portam inferiorem: quam clauserat Dominus: non ausus est aperire: ne aquæ intrarent: fenestra verò arcæ, erat in parte superiori arcæ, per quam non poterat videre, nisi cœlum versus, nisi ad eam conscenderet: quare videtur feciſſe aliquod foramen in sua statione, seu mansiõne, quá videret, an aquæ cessassent. Possumus tamen tenere, eum aperuisse fenestram: quam fabricando arcam fecerat.

Et emisit coruum. Memento hic aduertere, dictionem Hebraicam (horeb) id est, coruus, deriuari ab harab) quod est miscere, coniungi: vnde (hereb) id est, vespera, sic dicta à commixtione, quod, scilicet in ea

in ea misceatur parum lucis cum tenebris, & quia coruus est fuscus, & videntur in eo misceri lux cum nigredine: inde vocatur (horẽb) quasi mixtus ex luce, & tenebris: de quo etiam diximus Capite primo huius libri.

Et egressus est egrediendo, & reuertendo: vsquequo siccarentur aquæ super terram.

Vertit hic vulgatus interpres: qui egrediebatur, & non reuertebatur, scilicet tandem, postquam enim exsiccatæ sunt omnino aquę, non fuit amplius reuertius: quem sensum Hebraica subindicat, dum dicunt, quod egrediebatur, & reuertebatur, donec siccarentur aquę super terram: quia, scilicet tunc non est amplius reuersus. Sed esset hic merito disquirendum, qualiter fenestra quam fecerat: & cubito superne consummauerat, lucem arcæ præbere potuerit. Nam si erat lignea: & clausa, non potuit lucem præstare: si verò aperta: aquæ diluuij in arcam intrassent: neque est verisimile fuisse vitream. Similiter dubitatur, qualiter illa lucerna potuerit illuminare secũdam, & tertiã diuisionem, seu mediam, & inferiorem arcæ portionem. Et nescio aliter priorem soluere, nisi quod Dominus prohibuit, ne aquæ de cœlo descendentes intrarent per fenestram in arcam, aut quod parũ, aut nihil aquæ per fenestram vnius cubiti intrauerit. Ad secundam verò dicitur, secundam & tertiam diuisiones fuisse obscuras, aut foramina fuisse in tabulatis, vt ad inferiora lux posset intrare. Melius tamen puto dicendum, eam obscuram to to tempore diluuij, & Noach lucernis vsum esse.

Et emisit columbam. Postquam enim vidit coruum nõ redisse, columbam, aut columbum misit.

Vt videret, an alleuiatæ essent aquæ, aut an alleuiatæ essent aquæ terram, seu terræ superficiem, scilicet totam.

Aduerte hic incertam esse Hebræis, & nostris significationem verbi (calál) dicũt verò significare contemnere, leuem ac velocem esse, vilescere, & maledicere. Sed meo iudicio, verbum solum significat leuem esse, aut reputare, & vilipendere potius, quàm maledicere. Nam quæ leuia reputamus, contemnimus, & vilipendimus. Iob. 7 Dies mei (callu) id est, velociores, seu leuiores in currendo fuerunt radio textoris. Et cap. 9. Dies mei (callu). i. velociores fuerunt cursore. Habacuc primo (Vescallu) id est, & velociores erunt pardis equi eius. Item. 2. Samuelis. 2. Et Hasahel (cal) id est, leuis pedibus suis, vt vnus è capreis. Quod verò significet leuem reputare, seu contemnere: patet primũ Nachúm. 1. Quia (calotha) id est, leuis reputatus, seu contemptibilis fuisti. Sic Iob. 39. Ecce (calothi) id est, leuis reputatus sum. aut contẽptibilis. Quid respondebo tibi? Vbi verò ipsi in (piél) vertunt blasphemare, aut maledicere: tu verte despicere, & contemnere: vt Leui. 20. Patrem suum, & matrem suam (quilél) id est, despexit, aut contempsit, vbi alij vertunt blasphemauit. Sic. 2. Samu. 19. Quia (quilél) id est, despexit, leuem reputauit Christum Domini. Et quia quæ sicca sunt, leuiora fiunt, significat exsiccare: quod inde coniector, quia (calâh) quod videtur esse eiusdem significationis, hoc significat: vt patet Iere. 29. (calám) id est, siccauit eos Rex Babel igni. Et Leuiti. 2. spicam (calui) id est, siccatam igni. Vnde hic potest verti, vt videret, an alleuiatæ essent, aut an exsiccatæ essent aquæ.

Et non inuenit columba requiem palmæ pedis sui.

Vocat palmam pedis, extensionem illam: qua auis pedis plantam extendit. Vbi aduerte Hebræos dicere, verbum (chaphaph) significare curuare (chaph) verò volam manus, sic à curuitate dictam. Sunt qui dicunt significare extendere: quod ex nomine (chaph) probãt: quòd si volam significat: cùm vola non sit curua, sed extensa: sequitur (chaphaph) significare extendere. 2. quia hic de columba dicitur, quòd non inuenerit vbi requiesceret planta pedis eius: & cõstat plantam pedis auium non requiescere, nisi dum extẽditur. His tamen non obstantibus: tenenda est prior significatio: quoniam vola manus curuitatem quandam habet: & planquidem significatio etiam verbis Psalm. 57. probatur, vbi dicitur (chaphaph) id est, incuruauit se anima mea. Vbi alij vertunt expandit se ad modum palmę, seu volæ manus anima mea: quo in loco anima, pro corpore ponitur. Sic Psal. 146. Dominus erigit (chephuphim) id est, incuruatos, isti vertunt, extensos super terram ad modum palmæ manus. Maius enim, & melius esse dicunt extensos omnino super terrani erigere: quàm curuatos. Idem Psalm. 145. Erigit omnes extensos, sed melius omnes curuatos. Sic Miche. 6. pro incuruabo me Deo excelso, vertunt. Extendam me Deo excelso, aut palmas extendam Deo excelsi: sed germanius curuabo. Inde (chiphah) id est, ramus, sic à curuitate dictus Isaiæ. 9. Succidet (chiphah) id est, ramum, & iuncum, id est, magnum & paruum. Nam ramus est curuus. iuncus verò rectus: ideo dicit se succisurum ramũ: & iuncum, id est, curuum, & rectum. Sic infra. 32. tetigit (bechaph) id est, curuitatem femoris eius. Vocat autem curuitatem femoris, partem inferiorem femoris, seu curuitatem: quæ extenditur, cum homo incedit, quæ videtur esse vola femoris, ac si dicat: tetigit coxam eius in ea parte: quam homo extendere solet: dum ambulat. Significat etiam (chaph) cóchleár: quia modum volæ habet in fine, & recuruatum est. Vnde illud Thren. 3. Leuemus cor nostrum ad (chaphaiim) id est, ad nubes ad Deum (vt nostri vertunt) melius vertendum puto, leuemus cor nostrum & volas, seu manus ad Deum, aut cum manibus. Hinc etiam rami palmarum dicuntur (caphoth) quòd, scilicet modum habeant volæ manus. Sit ergo, vt diximus, hic vertendum.

Et non inuenit columba requiem palmæ, seu volæ pedis sui. Quoniam aquæ super faciem omnis terræ.

Licet enim cacumina montium iam apparerent: nondum tamen erant exsiccata, ita: vt auis posset requiescere. Aut est sermo de terra proxima arcæ. Non enim columbæ solent longè volare.

Ecce folium oliuæ raptum erat in ore eius.

Melius hic vertas folium, quàm ramum: quia dictio (haleh) id est, folium ab (halah) quod proprie significat ascẽdere, ortum habet, & significat (haleh) folium, quod vento ascendat in altum. Nam imbecillitati rostri columbę multum videtur, ramum ex arbore discerpere: non sic autem folium. Quod verò folium significet, constat primo Isaiæ. 34. Quemadmodum cadit (haleh) id est, folium. Item Iob. 15. (behaleh) id est, nonne folium propulsarum conteres? Sed de hoc nomine diximus supra Cap. 3. Est etiam aduertendum: quod nomen (taraph) id est, raptum, deriuatur à (taraph,) quod est rapere, aut potius discerpere. Hoseh. 6. Quia ipse (taraph) id est, discerpsit, & curabit nos. Est tamen locus Prouer. 30. vbi tam nostri, quàm Hebræi vertunt (hatriphéni) id est, ale me pane congruentiæ meæ. Putarunt enim loco nullo modo conuenire propriam verbi significationem: ideo eam mutarunt, prout textus series exigere videbatur. Sed si quis expendat: videbit propriam significationem optimè conuenire, si vertas. Discerpere fac me panem congruentiæ meæ, id est, qui conuenit mihi. Vocat autem comedere panem discerpere, quod ille qui panem mordet, ex eo morsus extrahat, ac si discerperet, & hoc obserua, ne temere verborum Hebraicorum mutes significationes. Est etiam hic notandum, Hebræos errasse in assignanda radice nominis (heth) id est, tempus: quòd hic ponitur. Ponunt enim nomen, ad radicem (hauath) dicuntque (hauath) significare peruertere: cum re vera (hauath) non peruertere significet. sed curuare, quemadmodum (hauah) Est enim (hauah) curuare, aut curuari, seu curuum esse, siue ex dolo, siue pœna aliqua quis incurueturt: vt patet Danielis. 9. Peccauimus (vehauinu) id est, & curuati sumus, seu peruersè egimus. Item Hester. 1. Non contra Regem tantum (hauehah) id est, iniquè, seu curuè egit Vasti Regina. Sic Prouer. 12. (venahauch) id est, curuus, seu peruersus corde, erit contemptui. Quod verò, hauath, idem significet, exemplis monstrandum est. Et patet primo Eccles. 7. Quis poterit dirigere, quem, hiuethõ, id est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cutnauerit ipse? Vbi noſtri vertunt. Quem peruerterit ipſe. Et primo cap. eiuſdem libri, meuuath, id eſt, curuum non poterit dirigi, ſeu rectificari. Vbi noſtri vertunt (Peruerſum) pro curuo. Vnde in omnibus his, meo iudicio, ponitur, thau, pro, he, ab, heth, verò: quod eſt tempus, ſit verbum, hauath, quod proprie ſignificat temporare (ſi ſic loqui ad latinas aures licet) id eſt, tempore ſuo aliquid facere, aut dicere, quod quidem verbum ponitur Iſaiæ. 50. vbi dicitur. Dominus dedit mihi linguam eruditorum, vt ſciam, lahuth, id eſt, temporare, ſeu tempore ſuo laſſo dicere verbum, ſcilicet conſolationis. Poſtquam ergo Noach columbam ſecundo emiſit.

Reuit Veſperi, id eſt, poſt ſolis occaſum, ante noctem tamen ad eum in arcam.

Deferens folium oliuæ raptum, aut diſcerptum ore ſuo. Ex quo loco coniectari licebit non omnes arbores diluuio periſſe. Conſulto omittimus hic Iudæorum fabellas: qui putant montem Sion, & oliuarum, nõ fuiſſe opertos aquis diluuij: & ex monte oliuarum columbam folium oliuæ attuliſſe. Alij verò folium oliuæ ex terreſtri paradiſo eam attuliſſe nugantur: quos omnes merito Gerundenſis redarguit.

Et expectauit adhuc ſeptem dies poſteros. Verbum, iachal, ponitur hic in paſſiua cõiugatione, & verti liceret. Et expectatum eſt adhuc.

Et fuit in vno & 600. anno, in primo, ſcilicet menſe, in vna, id eſt, prima menſis, ſiccauerunt ſe aquæ, quæ erant ſuper terram. Et amouit, ſeu euehere fecit Noach operculum arcæ. In menſe. 2. 27. die menſis aruit terra.

Conſtat ex hoc loco Noach manſiſſe in arca vnum annum & decem dies. Nam intrauerat. 17. die. 2. menſis anni. 600 v itæ ſuæ. Egreſſus autem eſt anno. 600. primo vitæ ſuæ, menſe. 2. 27. die menſis: quare conſtat manſiſſe in arca vnum annum, & decem dies, vt iã dixi mus. Durauit autem aquarum inundatio. 150. diebus ſ. 40. vſq; ad eleuationem arcæ: centum verò & decem vſq; ad inceptionem ceſſationis aquarũ: quibus aquæ creuerunt. Et videtur, quod menſe. 6. fuerit iſta ceſſatio, & inde ad. 17. dies fuerit quies arcæ, & inde ad duos menſes, &. 13. dies apparuerunt cacumina montium, ſcilicet menſe decimo prima menſis. Exinde ad dies. 40. emiſit coruum, poſt ſeptẽ verò emiſit columbam, quę reuerſa eſt, poſt alios verò ſeptem, iterum eo lumbam emiſit, quæ non eſt reuerſa. Dies verò. 40. cum. 14. conficiunt. 54. qui conficiunt duos menſes minus ſex diebus.

Omnis beſtia, aut omne viuens. Videtur ex hoc loco, chaiah, eſſe nomen generale ad omnem beſtiam, & etiam ad aues, vtpote ſignificans omne viuum. Nam ſequitur, quaſi expliceando.

Ex omni carne in volatili, & iumento, & in omni cal canti, quod calcat ſuper terram, & reptat in terra. Melius. *Et calcabunt in terra, et fructificabunt, & multiplicabunt ſe ſuper terram.* Memento hic illius, quod primo cap. admonuimus, quòd verbum, parah, non creſcere, ſed fructificare ſignificat: ſicut, Peri, fructus, & eſt ſenſus. Non ſolum fructum faciant, ſed in magna copia multiplicando ſe

Omne reptile, omne volatile: omne quod mouet ſe ſuper terram. Hebraice vbi Pagninus vertit Omne quod mouet ſe: eſt verbum, ramás, quod (vt diximus) ſignificat calcare, & ponitur hic nomen, remes, quod noſtri reptile vertunt. Vnde coniectari licet verbum, ramás, ſignificare calcare ſuper terram: nomen verò, remes, ſpeciem aliquam calcãtium ſuper terrã, ſed quod illud ſit ignoratur: vnde hic vertendum eſt.

Omne calcans, ſeu conterens terram, & omne volatile, & omne quod calcat ſuper terram. Vt prius ſit nomen: ſecundum verò, ſcilicet, romes, verbum.

Secundum familias eorum. Vocat familias maſculum, & fœminam. Cum pullis, ſiue ſint homines, ſiue beſtiæ. Vnde coniectari licet, animalia in arca multiplicaſſe ſe: niſi per familias ſolũ maſculum cum fœmina ſua, velis intelligere: nos noſtro idomate vocamus (Caſaes) Hum caſal de pombas) id eſt, maſculum & fœminam. Dictio, ſapach, duo nomina ex ſe gignit, ſcilicet, ſipheah, id eſt, ancilla, & (miſpachah) id eſt, familiam: ſic dictam, meo iudicio, quòd famuletur, & ſeruiat patrifamilias domus, quaſi famulatus domus, ſeu famulitium.

Et ædificauit Noach altare Domino. Significat, banah, ædificare: vnde, ben, id eſt, filius: quod ſit quaſi patris ædificium, Mizbeach, verò, id eſt, altare à radice, zabach, quod eſt mactare, deriuatur: quod victimæ mactatæ, ſuper illud offerantur.

Ex iumento mundo, & ex volatili mundo. Iam dictum eſt cap. 7. ex Dei reuelatione, vel inſtinctu cognouiſſe, & diſcrimina ſſe Noach inter mundum, & immundum, in iumentis, & auibus

Et aſcendere fecit holocauſtum in altare. Perſuaſum eſt fere omnibus Theologis, holocauſtum idem eſſe: quod totum incenſum, cum verbi Hebraici, halah, & nominis, holoth, pro quo redditum eſt holocauſtum, etymon non conſentiat. Nam, halah, non incendere, ſed aſcendere ſignificat: vnde, holoth, non incenſum, ſed quòd aſcendit, vel leuatur ſuper altare ſignificat. Dicitur ergo, holoth, id eſt, holocauſtum, quaſi aſcendẽs, quod, ſcilicet totum in fumum ad Dominum aſcenderet. Fecit ergo Noach non incendere, ſed aſcendere holocauſtum, ſeu aſcendens ſuper altare, id eſt, victimam: cuius odor per modum fumi incenſi ad Dominum aſcendit.

Et olfecit Dominus odorem quietis. Verbum, reiach, ſignificat odorari, ſeu olfacere: vt patet Exod. 30. Vir, qui fecerit ſimile, ſcilicet thymiama (lehariach) id eſt, ad olfaciendum illud. Sic Iſaiæ. 11. (veharisho) id eſt, olfacier ipſe, ſcilicet Meſſias timorẽ Domini; id eſt, paruo indicio cognoſcet eum: qui eſt tã moratus, aut placebit illi timor Domini, quemadmodum bonus odor odoranti. Quod autem ſequitur.

Odorem quietis: Vulgatus vbique vertit Suauitatis. Sed (Noach) non ſuaue olete, ſed quieſcere ſignificat. Et iam ſupra dixi myſteriũ huius rei. Dicebatur enim fumus adipum, ſeu odor, qui cum fumo aſcendebat: odor quietis, quod faceret Dominum quieſcere, ſeu quietum eſſe, & placatum offerenti. Peccata enim noſtra, & immundiciæ noſtræ male Deo olent: ideo nobis aliquando iratus occurrit, vt puniat. Cuius furori, fumo illo, ſeu ſuani odore occurrebat: vt, ſcilicet à furore quieſceret. Sicut enim bonus odor delectat, & ſuo modo quieſcere facit olfacientem: ſic fumus iſte boni odoris: Et huius interpretationis meminiſſe in ſequentibus oportebit: vbi ſimilia verba occurrerint: quia non oportet eadem vbique repetere.

Et dixit Dominus ad cor ſuum. Sic eſt in Hebræo, ſed ſenſus bene redditur vertendo, *in corde ſuo*: & ſenſus eſt. Decreuit apud ſe.

Non addam, vt maledicam. Dixi de ſignificatione verbi (calal) hoc eodem capit. quod non proprie maledicere, ſed alleuiare, leuem reputare ſignificet, & exinde deſpicere, & contemnere: vt exemplis ibi monſtrauimus. Vnde hic vertendum potius puto.

Non addam, vt deſpiciam amplius terram propter hominem. Aut germanius.

Non addam alleuiare terram amplius, ſcilicet hominibus, & iumentis. Vocat autem alleuiare terram: ab ea homines, & animantia auferre, quod terra nunc videatur hominibus, & animãbus onerata. Iſaiæ enim 9. habes, hecal, id eſt, alleuiare fecit, ſcilicet, tiglathpileſer, terram Zebulum, id eſt, hominibus in captiuitatem reductis, leuiorem reddidit.

Quoniã figmentũ cordis hominis malum à pueritia ſua. Id eſt, id quod homo cogitat, & fabricat intra ſe, eſt malũ. Nã poſt peccatũ, homines à pueritia ſua machinãtur mala: vt ad oculum videmus. Videbis enim pueros ad deceptionem pronos, & ad malefaciendum.

Adhuc omnes dies terræ, id eſt, tempora diſtincta. Quemadmodum fuerunt: vt dictum eſt cap. 1. quod explicat dicens.

Semen

Sementis, & meſſis, frigus, & calor, æſtas, & hyems, & dies, & nox non ceſſabunt.

Sonat (chaijs) æſtatem, ſeu tempus eſtiuũ, aut fructũ, qui venit, ſeu matureſcit in æſtate. Iſaiæ. 28. Sicut primitiuum eius, ante (chaijs) id eſt, æſtatẽ. Significat etiam fructum, qui in fine æſtatis venit. Significatio autem ſequentis dictionis, ſcilicet (choreph) non plenè nota eſt Hebræis, neque noſtris. Videtur autem ſignificare deturpari, dehoneſtari, aut deturpare, & inde (choreph) id eſt, hyems ſic dicta, quòd turpis ſit, & deturpet pedes propter lutum, & pluuiã illius temporis. Dictio tamen non eſt plenè nota, vt diximus. Videtur ergo eſſe ſenſus: quod nõ ceſſabit tempus ſementis, id eſt, ſeminandi, & metendi. Similiter non ceſſabit frigus, ſcilicet magnum, & calor, ſcilicet magnus. Itidem non ceſſabit æſtas, & hyems, intelligendo per hyemem tempus pluuioſum, ſeu quo ſolet pluere. Et ſignificatio omnium dictionũ nota eſt præter (chaijs) id eſt, æſtas, & (choreph) id eſt, hyems. Tribuunt autem Hebræi, & noſtri verbo, chus, varias ſignificationes, ſcilicet anguſtiis affici, expergiſci, æſtiuare, finire: quod præſentiſſimum mihi ſignum eſt, quòd eius propriam ſignificationem ignorent. Quantum autem ex coniecturis cõiicere datur, videtur verbum ſignificare finire, & deficere: nã (chiſonah) quod ex hac eſt radice: ſignificat, extremitatem, ſeu finem alicuius rei. Exodi. 26. Et ſic facies in ora cortinæ (hacheſonah) id eſt, extremæ, tum quia harum ſignificationum altera videtur conuenire omnibus locis, quibus verbum ponitur: vt infra. 27. (chaſli) id eſt, finior, ſeu deficio propter filias Cheth. Sic Iſaiæ. 7. Derelinquetur terra: ob quam tu (chas) id eſt, deficis, ſeu finis te. Quem loquendi modum nos Luſitani habemus, cum anguſtiis magnis afficimur: dicimus enim. Si hoc fiat (Finarme ey) id eſt, finiam me. Vnde etiam (chaijs) id eſt, æſtas, quod ſit finalis, ſeu vltima pars anni, aut tempus quo finiuntur fructus terræ. Miche. 7. dicit. Dominus veh mihi, quia fui ſicut fructus (chaijs) id eſt, æſtatis, ſeu extremus, qui à pauperibus colligitur. Sequens verò dictio eſt à (charaph) quod Hebræi dicunt ſignificare probris afficere, quia hæc ſignificatio videtur omnibus ferè locis, vbi verbum ponitur, conuenire, ſed quod non conueniat, cõſtat Leui. 10. Et ipſa (necheretepheth). i. (vt noſtri vertunt) deſponſata viro. Sed hic locus mihi non paruam coniecturam præſtat, quod verbum ſignificet deturpare: turpem, & vilem reputari, aut fieri: vnde vertẽdum locum ſic puto. Et ipſa deturpata eſt à viro, aut vilifica ta. Noſtri vocãt, Enxoualhán, Nam virgo poſtquã cognita eſt, videtur iã vilis, & turpis. Nondum tamẽ rem definio, quia non ſum de propria ſignificatione plenè certus. Colligũt Hebræi ex hoc loco mundũ perpetuò duraturum: quod etiã ſe habere putant ex eo, quod dicitur Iere. 33, vbi deus dicit. Si irritare poteſtis pactum meum diei, & noctis, quod pepigi cum Noach: vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo. Ad quod dicimus, q mundus non peribit omnino, ſed renouabitur.

CAPITIS. VIII. AD mores.

Recordatus eſt Dominus Noach. Putant ſe iuſti à Domino in mediis tribulationum vndis, derelictos: Dominus tamen illis auxilio eſt, in tempore oportuno, quare ſi te aliquando ab eo putaueris derelictum, recole nõdum eſſe tempus: quo opus habes auxilio eius: quod cum fuerit, non defuturum ſcito. Similiter recole, cum tibi Dominus de no uo benefecit, aut te viſitauerit, eſſe tui memorem, & cum Agatha gratias age Domino: qui tui memor eſt.

Et omnis beſtiæ. Nouit Dominus propter iuſtos beſtias ſaluare: vbi mali diſcant, quid eis valeant homini, qui tantum beſtiis proſeſſe dignoſcuntur: vt Dominus gratia eorum ſit memor beſtiarum. Diſcamus etiam iumentorum noſtrorum eſſe memores, quemadmodum de noſtro ſcriptum eſt, quòd nouerit iumentorum ſuorũ animas, & quod diligenter agnoſcit vultum pecoris ſui. Vbi etiam diſcimus illos nõ verè dici pauperum, aut miſerorum memores: qui eis manus non porrigunt adiutrices. Quid enim proderit, ſi miſerias illorum noueris, & clauſeris viſcera tua, & manus ad eorum auxilium?

Tranſire fecit Deus ventum ſuper terram. Sunt multi Domini, qui omnia per ſeipſos facere volunt, non ſinentes ſuos miniſtros, miniſteria deputata ſibi operari: non ſic autem deus, qui ſuos miniſtros ſua munia implere, non ſolum permittit, ſed præcipit: qui tamen omnia per ſe melius facere poteſt. Sic Cap. 1. terram herbas, arbores, cæteraque id genus producere præcepit. Nobiliora nanq; per ſeipſum produxit, cætera verò à ſuis naturalibus cauſis gigni permittit. Licet enim aſtra, cœli perfectiones eſſe dignoſcãtur: quia tamen nobilia valde ſunt, nõ permiſit à firmamẽto produci, quemadmodum herbas, & arbores à terra, aues, & cuncta aquatica ab aquis.

Clauſerunt ſe fontes abyſſi, quaſi oſtendentes, quòd inuiti, & non ſua ſponte homines afflixerint: à quibus miniſtri iudicũ diſcant, nõ ſua ſponte, ſed quia parere opus eſt iudici: ſententiam exequi damnationis.

Aquæ ibant, & deficiebant vſq; ad menſem decimum. Centum quinquaginta dies diluuium durauit: paucis autem diebus aquæ defecerunt, vt oſtenderet Dominus quòd promptior ſit ad miſerendum, quàm ad flagellandum, & quòd vix ferre poſſit continuare punitionem. Hoc enim illi peculiare eſt: vt ad momentum affligat, & ad multos centenarios annorum conſoletur, id quod de eo pulchrè ſanctus Iſaias aſſerit capit. 41. Prædicate annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro. Vbi vides vltionem die claudi, placationem verò ad annum vſque durare. Quod etiã cap. 54. confirmauit dicens. In momento indignationis abſcondi faciem meam à te, & in miſericordiis ſempiternis congregabo te.

Miſit coruum. Docemur hic non ingerere nos periculis, ſed ſi poſſumus aliquem minoris, aut vilioris conditionis præmittere: qui pro nobis periculum faciat: demittamus. Hac etiam de cauſa prius coruum, quàm colubam emiſit. Vbi etiam docentur ſubditi ſo libenter pro dominis ſuis periculis exponere, quemadmodum fecit coruus, & columba.

Egreſſus eſt egrediendo, & redeundo. Præ ſe fert coruus iſte illos: qui domum frequentant alicuius quandiu ea opus habent: cùm verò quæ ſibi ſunt neceſſaria aequirunt, neminem nouerunt. Simſliter admonet eos, qui ſuo labore viuere poſſunt, non expectare alterius prouiſionem, vel eleemoſynam, ac præterea familiares non facilè dimittere domum: in qua paſcuntur, neque ſeſe extraneos illi exhibere, ſed frequentare, cùm opus ſit.

Miſit manum ſuam, & introduxit eam. Pulchre nos admoneat locus iſte, vt cùm viderimus familiares noſtros ſe perditum ire, inuitos etiam ſaluemus eos. Sunt enim aliqui tam aſperi: vt vix ſeſe etiam ad ſuam tractare ſinant vtilitatem.

Attulit folium oliuæ. Docemur domeſtici bona dominis ſuis nuntiare, quæ nouerint.

Egredere ex arca. Admonemur hic non egredi clauſuram: in qua nos Deus incluſit, niſi de mandato eius: vnde de quodam recluſo à beato Remigio legimus, quòd ab angelo monitus, vt recluſorium exiret, reſponderit: Dominus meus Remigius me incluſit, & eo non iubente, minime egrediar. Similiter docemur, etiam in manifeſtis, Dei præceptum expectare. Tertio ſuadet nos litera hæc otioſos, eſſe à nidis expellendos, & ad laborem mittendos.

Ædificauit Noach altare Domino. Docet pulchre litera hæc, vt: cùm primum beneficium aliquod acceperis: ſtatim gratias agas.

Obtulit ex iumento mundo. Mundiora, & precioſiora, ſunt Domino Deo offereada: vt iam admonuimus ſupra capite. 4. Quoties ſumme Deus mihi magna, & præclara exhibuiſti beneficia, neq; tamen altare cõſtruxi, aut ſaltẽ gratias egi.

Odoratus eſt Dominus odorem quietis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arguuntur hic nobiles, & magnates: qui ministrorum, & seruorum munera non libenter acceptãt, neque muneribus, aut satisfactionibus quibuslibet placantur: cum Dominus tam libenter fumum adipum acceptauerit.

Dixit Dominus in corde suo. Non addam, vt maledicam vltra terræ.

Audis hic, quod tantum, imo plus valeat opus bonum ad remissionem, quam culpa ad damnationem: commotus enim Dominus hominum peccatis dixerat. Delebo hominem: quem formaui: modo vnius iusti sacrificio delectatus, statuit se amplius hominem non deleturum aquis. Habent hoc viri iusti: vt non solum deum à malo reuocent, sed factæ punitionis eum faciant pœnitere: quẽadmodum sanctus Moseh Exod. 32. fecit deum non solum populo parcere, sed punitionis iam factę pœnitere. Similiter docẽtur principes, non facere vindictam: cuius postea pœnitere oporteat. Similiter caro sæuiendum esse in multitudinem. Nam antea propter peccatum pœnituerat se fecisse, nunciam eum pœnitet deleuisse: vbi vim peccati expende, & boni operis virtutem. Et simul aduertes, prælatos sibi debere leges ponere non sæuiẽdi in subitos, si se aliquãdo excessisse deprehẽderint: quẽadmodum de Theodosio legimus, & de deo hic. Virum valde est deum sibi leges non puniẽdi præfigere: hominem verò non apud se statuere, cum perpetuo non offendere.

Quoniam cogitatio, seu figmentum cordis hominis malum à pueritia sua.

Audiant hoc Prælati: vt discant quærere parcendi causas, quemadmodum inueniunt puniendi: similiter malas inclinationes, quas quasi à natura habemus, esse supportandas: sæpe enim eas vix, aut superare, aut domare possumus: vnde in Psalm. legis deum timentium se misertum, quod nostrum figmentum ipse cognouerit.

Adhuc omnes dies terræ.

Quæcunque mala peccatum intulit, Pœnitentia aufert. Vbi summo studio considera, quot bona faciat vnum iusti sacrificium, quòd propter illud tot mala tollantur, & bona Dominus largiatur. Cui laus, & honor in secula. Amen.

CAP. NONVM.

ET benedixit Deus Nóach, et filiis eius, & dixit ad eos. Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Et timor vester, & pauor vester erit super omnem bestiam terræ, et super omne volatile cœli. Omnia quæ mouere faciet terra, et omnes pisces maris manui vestræ tradita sunt. Omne reptile, quod est viuens, vobis erit in escam: sicut germen herbæ dedi vobis omnia. Veruntamen carnem cum anima eius, sanguinem eius, non comedetis. Et profecto sanguinem vestrum, animarum vestrarum requiram, de manu omnis bestiæ, requiram illum, & de manu hominis, et de manu viri fratris eius, requiram animam hominis. Qui effuderit sanguinem hominis in homine, sanguis eius effundetur: quia ad imaginem Dei fecit hominem. Et vos crescite, & multiplicamini, generamini in terra, & multiplicamini in ea. Et dixit Deus ad Nóach, & ad filios eius secum, dicendo. Et ego, ecce ego statuo pactum meum vobiscum, Et cum semine vestro post vos, & cum omni anima viuente, quæ est vobiscum, tam de volatili, quàm de iumento, & omni bestia terræ vobiscum ex omnibus egressis arca, & omni bestia terræ. Et statui pactum meum vobiscum: et non excidetur omnis caro vltra ab aquis diluuij: et non erit vltra diluuium, vt disperdat terrã. Et dixit Deus. Hoc est signũ fœderis: quod ego do inter me, & inter vos, et inter omnem animam viuentem: quæ est vobiscum in generationes seculi. Arcum meum ponam in nube: et erit in signum fœderis inter me, et inter terram. Et erit: cum obnubilauero nubem super terram apparebit arcus in nube. Et recordabor fœderis mei: quod est inter me et inter vos, et inter omnem animam viuentem cum omni carne: et non erit vltra aqua ad diluuium, vt disperdat omnem carnem. Et erit arcus in nube: et videbo illum: vt recorder pacti perpetui inter deũ, et inter omnem animam viuentem cum omni carne, quæ est super terram. Et dixit Deus ad Nóach. Hoc est signum fœderis: quod statui inter me, & inter omnem carnem, quæ est super terram. Et fuerunt filij Nóach: qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, et Iepheth. Et Cham est pater Chenáhan. Tres isti filij Nóach. Et ab istis sparsa est omnis terra. Et incœpit Nóach colere terram, et plãtauit vineam. Et bibit de vino, et inebriatus est: et discooperuit se in medio tabernaculi sui. Et vidit Cham, pater Chenáhan, turpitudinem patris sui: & nuntiauit duobus fratribus suis in platea. Et tulerunt Sem, & Iépheth vestimentum, & posuerunt super humerum suum: & euntes auersa facie, operuerunt turpitudinem patris sui. Et facies eorum erant auersæ, & turpitudinem patris sui non viderunt. Et expergefactus est Nóach à vino, & cognouit, quod fecit sibi filius eius minor. Et dixit. Maledictus Chenáhan, seruus seruorum erit fratribus suis. Et dixit. Benedictus Dominus Deus Sem: & sit Chenáhan seruus eis. Dilatet Deus Iépheth, & habitet in tabernaculis Sem: & sit Chenáhan seruus eis. Et vixit Nóach post diluuium trecentos annos, & quinquaginta annos. Et fuerunt omnes dies Nóach nongenti anni, quinquaginta anni, & mortuus est.

CAPI,

CAPITIS. IX. AD LITERAM ADNOTATA.

ET benedixit Deus Noach.

Admonui priori cap. huius libri, benedicere Dei nihil aliud esse, quàm benefacere, & in quo consistat huiusmodi benedictio, textus subindicat: dixit enim illis.

Fructificate, & multiplicate vos, id est, producite copia prolem, *& implete terram,* quæ, scilicet, ob diluuium vacua est.

Timor vester, & terror vester in omni, quod calcat terram, aut reptat.

Quemadmodum dixerat Adæ. Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli: ita nunc Noach, præficere videtur omnibus brutis. Aduerte hic, quod verbũ (cathath) à quo (cathith) .i. terror, significat proprie conterere, siue confringere, siue quis frãgatur animo, siue rem aliquis conterat, vel confringat: vt patet Iere. 50. (eath) id est, fractus est, scilicet animo, & cap. 8. (chatu) id est, fracti sunt animo, scilicet. Quod verò significet rem aliam conterere, constat cap. 5. (chatu) id est, fracta sunt, vel cõtrita omnia idola eius. Sic Psal. 18. (Veniehatah) .i. & confringetur arcus æreus. Hic verò significat omnem animi consternationem.

Et in omni, quod calcat terram.

Sic melius vertendum puto, quàm si vertas, quod reptat, aut quod ebullit in terram, vt alij vertunt.

In manu vestra, id est, potestate tradita sunt. Omne calcans, quod viuit, vobis erit in escam.

Nullo modo assentiri possum, hîc Noach omne viuens, ad esum concessum, aut omne, quod se mouet: vt, scilicet liceret ei serpentes, talpas, mures, & id genus alia comedere, & si significatio nominis (remes) esset nobis plenè nota: sciremus animalia sibi cõcessa. Et iam dixi aliquando esse peculiare nomen aliquorum animantium, nonnunquam verò significare omne, quod terram caleat. Hic verò, iudicio meo, significat non, quod repit, sed quod pedibus terram fortiter conculcat. Nam verbum (ramás) fortiter conculcare, vt plurimum significat: vt patet Ezechi. 26. vngulis equorum suorum (ijrmós) id est, conculcabit omnes plateas tuas. Sic Danielis. 8. proiecit eum in terra (Vaficut figulus (ijrmós) id est, calcat lutum.

Quasi germen herbæ, aut quasi olus herbæ.

Verbum (Iarac) à quo (iéree) id est, olus proprie significat excreare, seu spuere: non quãcunque excreationẽ, sed viridem & virulentam. vt patet Numeri. 12. Si pater eius (iaroc iarac) id est, excreãdo excreasset in faciẽ eius: inde nomen (iaroc) id est, viride Iob. 39. Omne (iaroc) id est, viride quæret. id est, omnem herbam viridem. Inde etiam (ieracon) id est, rubigo, sic à viriditate dicta: quare hic vertendum putarem.

Quasi viridem herbam, aut quasi viriditatem herbæ, dedi vobis omnia.

Neque hic putarem per (heseb) omnem herbam significari, sed aptam ad humanum cibum: cum multæ sint venenosæ, ac mortiferę. Possunt tamen omnes intelligi: quia primo capite conceditur viridis herba non solum homini, sed brutis, & patet multas herbas pecora comedere, à quibus homo abhorret. Aliqui volunt (ieree) significare omnem herbam satiuam: quæ in vsu cibario est. Quare Rabbi Dauid in libro radicum dicit, significare herbam, quæ est cibus hominis. Mihi verò, vt dixi, melius videtur non significare herbam, sed herbæ viriditatem. Si tamen velis hic omnem carnem concessam: non prohibeæ. Est ergo di vobis omnia; id est, tam munda vobis erunt, quemadmodum herba viridit.

Attamen carnem in anima. seu cum anima sua, sanguinem ipsius non comedetis.

Aduerte hic primo dictionem (ach) non solum attamen, veruntamen, sed etiam, tãtum significare: quare hic aliqui (tantum) vertunt, vnde isti hunc subesse sensum putant. Concedo vobis esum omnis carnis, nisi viuæ, aut cum sanguine, quî etiam infra vertunt. Tantum sanguinem vestrum requiram de manu omnis bestiæ. Sed melius videtur, si attamen, aut veruntamen, vertas. Textus verò iste dupliciter potest intelligi: vt sit hic duplex prohibitio. Altera, qua comedere prohibemur animal viuum, altera verò, qua esus sanguinis interdicitur. Primum, cum dicitur: veruntamen carnem cum anima eius, id est, viuam non comedetis. Secundum, cum dicitur. Sanguinem eius non comedetis. Mihi verò germanius videtur, quod sit vnicum præceptum: quo esus sanguinis prohibetur, & quod secundum sit prioris explicatio, & appositiue legatur: vt sit sensus. Attamen carnem cum anima sua, id est, cum sanguine, qui est animalis anima, non comedetis, quod statim explicat, sanguinem eius non comedetis. Poterãt enim dubitare, quæ nam esset carnis anima, ideo addidit: sanguinem eius. Coniector autem sic debere intelligi. Primo, quia in textu inter animam eius, & sanguinẽ, nulla ponitur coniunctio, sed habetur. Carnẽ cũ anima eius. Sanguinẽ eius non comedetis. Secũdo, quia pro eodẽ reputatur caro cũ aĩa, & caro cũ sanguine. Nam quãdiu sanguis est in animali: viuit animal, quo extracto, moritur. Leui. autem. 17. dicitur. Aĩa carnis in sanguine est, aut sanguis eius est. Et Deut. 12. habetur. Quoniã sanguis ipse est anima, & non comedetis animã. Tertio, quia sequitur. *Sanguinẽ vestrũ, animas vestras requirã de manu hominis.* vbi pro eodem accipere videtur sanguinem & animã. Est ergo sensus: quasi viriditatem herbæ dedi vobis omnia, tantum seu attamen carnem viuam, id est, sanguinem non comedetis: quoniam idem apud me est comedere sanguinem, quod occidere: cum anima animalis sit sanguis eius. Sequitur autem.

Verumtamen sanguinem vestrum animabus vestris, seu animis vestras requiram. De manu omnis bestiæ, requiram eum, & de manu hominis. De manu viri fratris sui requiram animam hominis.

Difficile intellectu videtur, qualiter Dominus sit sanguinẽ hominis requisiturus de manu bestiæ, & varia hic scribũt doctores, sed locum explicat illud, quod scribitur Exod. 21. Si cornu petierit bos virum, vel mulierem, & mortuus fuerit, lapidando lapidabitur bos, & non comedetur de carne eius. Et si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, & cõtestatio facta fuerit domino eius, & non custodierit eũ, & occiderit virum vel mulierem: bos lapidabitur, & etiã Dominus eius morietur. Ex quibus locis manifestè cõstat, Deum requirere sanguinem, & punire bouẽ, qui hominẽ, vel mulierẽ occiderit, & hoc est quod meo iudicio hic dicere intendit, quod. s. requiret sanguinem hominis de manu bestiæ puniendo. s. eam modo prædicto, hac de causa. Quod verò sanguinem hominis, requisiturus sit de manu hominis, eodem Exod. cap. constat: vbi dicitur. Qui percusserit virum, & mortuus fuerit: morietur homicida. Sicut enim requirit sanguinem hominis, de manu alterius hominis, puniendo eum pœna à lege statura: ita de manu bestiæ. Nam requirere sanguinem de manu alicuius, est punire illũ, & est Hebraismus. Dicitur autem requiri de manu, quia manu homicidium fieri solet, aut idem est dicere, de manu, quod de potestate, aut melius, quia id quod requiritur ab aliquo, prius traditur in manu, aut potestate illius, ideo de manu eius requiri perhibetur quod illi traditum est. Nam infra. 34. dicit Iudah patri suo. Trade mihi puerum, & de manu mea require illum, quod verò sequitur. *De manu viri fratris sui requiram animam hominis* Sic intelligendum puto. Poterat enim accidere, vt fratrem frater occidisset, quemadmodum Cain Hebel, & consanguinei defuncti vellent illi condonare defuncti fratris cædem: vt non moreretur: quemadmodum Dominus pepercit Cain. Quare voluit Dominus hoc prohibere: eumque omnino mori. Est ergo sensus horum verborum.

Attamen sanguinem vestrum, nempe animas vestras *requiram* modo prædicto, scilicet puniendo.

De manu omnis bestiæ requirã illũ, et de manu hominis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De manu Viri fratris sui requiram animam hominis. i. pueniam bestiam & hominē, etiā fratrem, si contingat hominem occidere. Causa autē, quare dominus tam seuerè esum sanguinis prohibuit, fuit vt homines ab homicidijs detesteret. Cùm enim, vt diximus, sanguis sit anima carnis, idem est sanguinē prohibere effundi, quod prohibere hominis occisionem. Cùm autem dicitur, animam carnis, seu animalis in sanguine esse, aut esse sanguinem, sermo est de anima sensitiua, non rationali: neque est intelligendum, quòd etiam sensitiua sit formalitet sanguis, sed quòd cum sanguine effundatur, & sanguinis effusionem sequatur. Si autem hominibus liceret sanguinem edere, sitirent communiter sanguinem, & sic homicidia frequentarent. Similiter hic aduerte id: quod dicitur.

De manu bestiæ requiram illum, scilicet sanguinem, & quod postea sequitur.

De manu viri fratris sui requiram animam hominis, quod quasi idem reputat, sanguinem & animam: vt videas quàm bene dictum sit, legendum esse:

Attamen carnem cum anima sua, nempè sanguinem ipsius, seu quæ est sanguis eius, non comedetis.

Leui. 17. aliā causam assignat dominus, quare esum sanguinis prohibuerit, vbi facta hac prohibitione ait. Quoniam anima carnis, sanguis, aut in sanguine est. Ego autem dedi vobis eum super altare ad expiādum animas vestras: quia sanguis ipse animam expiabit.

Effundens sanguinem hominis in homine, sanguis eius fundetur. i. qui fœdauerit hominem sanguine suo, occidendo ipsum, sanguis eius effundetur. Aliter potest litera sic legi, & germanius, meo iudicio.

Qui effuderit sanguinem hominis, in homine, seu per hominem, fundetur sanguis illius.

Statuit enim lex, vt proximus sanguinis, id est, occisi, effunderet sanguinem homicidæ: quasi iusti doloris vindictam sumpturus.

Quoniam ad similitudinem Dei fecit. s. Deus *hominē.* Admonui. 1. capit. (selem) significare imperfectam similitudinem, qualis est vmbra. Assignatur pro causa homicidij non perpetrandi, hominem esse Dei similitudinem, & quemadmodum Imperatori, aut Regi iniurius est, qui eius imaginem destruit, ita & qui Dei imaginem, occidendo hominem, perdit. Ex quo constat, hominem non solum in anima, sed etiam in corpore esse ad similitudinem corporis humani à Deo assumpti: alioqui hominem qui occideret, non diceretur Dei imaginem destruere. Non enim destruit animam rationalem, quæ incorporea est, atque integra manet, homine occiso, sed totum compositum: vnde videtur quòd etiam totum compositum sit ad similitudinem Dei. De hac tamen re non multum disceptandum esse arbitror.

Vos autem fructificate, & multiplicate vos. Calcate in terra, & multiplicate vos in ea.

Aliqui pro calcate, vertūt Prolificate, sed quia iam dixerat fructificate, videtur melius vertendum calcate eam. Possemus tamen vertere ad modum reptilium, multiplicate vos. Iam enim sæpius admonuimus significationem verbi (ramás) esse ignotam.

Et ego, Ecce ego stare faciam.

Melius vertendum puto: stare faciam, quam erigam: ac si dicat.

Firmabo pactum meum vobiscum.

Si enim fuisset pactum aliquod: quod esset fractum: optimè congrueret, Erigam, sed quia nullum de hac re præcesserat, melius quadrat, stare faciam, seu firmabo, id est, firmum faciam. Quod autem sequitur.

Et cum semine vestro post vos.

Non sic est in Hebræo, sed sine vlla coniunctione & præpositione. Vnde verti posset.

Et semen vestrum post vos, scilicet stare faciam Ac si apertius diceret. Non solum pactum meum vobiscū stare faciam, sed etiam stare faciam semē vestrum post vos. Primum tamen mihi germanius videtur. Quod verò postea dicitur.

Cum omni anima etiā his duobus modis exponi potest.

Ex omnibus egressis ex arca, & omni viuenti terræ. Non puto bene verti. Et omni bestiæ, quia iā de bestia dixerat: sed ponitur nomen (chaiah) vt est commune omni viuenti.

Et non succidam.

Verbum, charath, proprie significat succidere, pangere verò, ratione succisionis, seu iugulationis victimæ, quæ in signum fœderis percussi, seu initi fieri solebat. Et meo iudicio, huiusmodi succisio victimarum, fiebat, ad significandum, sic fore succidendum, qui pacto inito non staret. *Neque erit diluuium.*

Duo hic pollicetur. Alterum, quod amplius non succidetur omnis caro aquis diluuij. Alterū, quod non erit amplius diluuium ad perdendam terram. Dicitur autem caro succidi, cum eliminatur. Et terra dicitur perdi, cum omnia, quæ sunt in ea, destruuntur: quemadmodum in diluuio accidit.

Hoc signum pacti. Solebant quondam fœdera aliquo signo firmari, quemadmodum pactum inter Deum, & Abraham firmatum est signo circuncisionis: infra cap. 17. quod quidem signum communiter erat indelebile, aut perpetuum, in signum stabilitatis pacti. Nam circuncisionis signum, perpetuò manebat in circunciso, & arcus: qui hîc fuit fœderis signum, inter Deum & Noach: perpetuo manet. Aliquando fiebat, sanguinis aspersione, quod difficile deleatur sanguinis nota. Sonat autem (berith) id est, pactum, firmitatem: vnde (beroth) quod aliqui putant abietem significare, citantes illud Cantico. 1. laquearia nostra (berothim) id est, abiegna, aut potius firma. Si autem lignum significat: illud erit solidum & firmum: qualia sunt illa: è quibus laquearia fiunt, seu trabes, quæ domus tectum sustentant.

Ad generationes seculi.

Dictio (Dur) à quâ (dor) id est, generatio: quando est verbum, Hebræis est peregrinari, habitare: iuxta illud Psal. 8. Elegi potius in limine esse in domo Dei mei (midūr,) id est, quàm habitare, aut peregrinari in tabernaculis impietatis. Mihi verò videtur verbum potius significare congregare, aut congregari, & (Dor) congregationem, seu generationem, potius quàm habitare. Nam vbicunque isti vertunt habitare, tam benè quadrat congregari, & generatio magis conuenit cum collectione, seu congregatione, quàm cum peregrinatione: licet bene conueniat cum habitatione. Nam citatum textum optimè sic vertas. Elegi potius in limine esse in domo Dei mei, quàm colligi, vel congregari in tabernaculis impietatis: quod clarius apparet Ezec. 24. Et etiam (Dur) id est, congrega struem ossium: vbi nostri vertunt compone struem ossium. Sed mirum est, quā facilè isti significationes sine vlla ratione mutent. Vnde (dor) potius significat congregationem, quàm generationem: potes tamen vertere generationē pro collectione: quia vna generatio nihil est aliud, quàm vna collectio hominum, seu vna congregatio.

Arcum meum dedi, pro dare decreui *in nube.*

Dictio (hanān) aut nubem, aut nebulam potius significare videtur.

Recordabor fœderis, scilicet videndo arcum: qui illius signum est. Dicitur autem Iris arcus, quòd videlicet figuram arcus præ se ferat.

Cùm obnubilauero, aut *cum nebula operuero,* seu *nebulauero* (si sic loqui liceret) *nubem,* seu *nebulam super terram: Inter omnem animam viuentem cum omni carne,* id est, & cum omni carne, aut inter animam viuentem cum carne. Aut cum omni anima bestiæ: cum omni, id est, & cum omni carne.

Cham ipse pater Chenahan.

Potest hic accipi (Chenahā,) pro nepote ipsius Noach: qui fuit filius Cham, & pro Chenanæis: ac si diceret: ipse est pater Chenanæorum: qui, scilicet possederunt promissam terram ante Iudæorum ingressum.

Ab eis sparsa est omnis terra.

Dicunt Hebræi verbum (napás) significare dispergere, & quandoque cum fractione, seu contritione: quia vident quibusdam locis: in quibus verbū ponitur conue-

nire illam significationem, quemadmodum primo Samuelis. 13. Vidi (inquit Saul) quòd (napas) id est dispergeret se populus. Et Isaiæ. 33. (Napesu) id est, dispersi sunt se gentes. Sed si quis rectè expendat, deprehendet, vnicam esse verbi significationem, scilicet, diuidere, & conterere: quia quòd conteritur, in minutas partes diuiditur. Quod exemplis probabimus. Et primo Iudicum. 7. dicitur. Clanxerunt tubis (venapos) id est, frangere pro confregerunt, seu contriuerunt lagenas, id est, in paruas partes diuiserunt. Sic Psalm. 137. (Venipes) id est conteret, seu diuidet paruulos tuos ad petram Item Ierem. 13. (Venipasthim) id est, diuidam eos, virum in fratrem suum. Quòd verò hæc significatio conueniat aliis locis, quibus (spargere) vertunt: patet. Nam in loco ex Isaia citato, optimè vertas. Diuiserunt se gentes. Similiter illud ex libro Samuelis verti potest. Vidi, quòd diuideretur à me populus. Sic illud primo Regum. 22. Vidi vniuersum Israel dispersum: æquè bene vertas, diuisum super montes. Et dispergere, quasi in idem redit cum diuidere. Nam quod spargitur, diuiditur. Vnde (mapes) & (mapas) significant securim, quam alij malleum interpretantur, sic à contritione dictum. Hic ergo verten dum melius puto.

Ab istis diuisa est terra, aut quòd eam inuicem diuiserint, aut est sensus: isti diuisi sunt per terram. Non tamen prohibeo, si spargere vertas. Sat enim mihi est, tibi vim verbi indicare.

Cœpit Noach esse vir terræ, id est, agricola. Diximus de significatione verbi (chalal) quod hic ponitur: supra cap. 4 Et quod dicitur (vir terræ) hebraismus est, sicut Vir belli. i. Miles, aut sequens bella.

Vidit Cham pater Chenahan nuditatem patris sui.

Varia significata tribuunt Hebræi verbo, hatah, à quo (heruath) i. nuditas. Dicunt enim significare effundere, euacuare, nudare, adherere, & coniungere. Sed præcipua verbi significatio est, nudare, discooperire, & sortè nihil aliud significat, quia omnibus ferè locis, quibus verbū ponitur: conuenit. Nam vbi Isa. 22. isti vertunt Parieti adhæsit clypeus: tam bene quadrat. Et parietem nudauit clypeo, pro clypeis *Helam* seu Persa, de quo ibi est sermo. Solent enim scuta parieti affigi, & suspendi suo ordine. & cùm inde tolluntur, nudatus videtur paries scutis, quæ sibi erant quasi tegumentum. Et hoc est quod doleo, Hebræos noluisse expendere, an propria significatio loco congrueret, antequā nouam ipsi cuderent. Sic Thren. 4. vbi nostri vertunt, inebriaberis, vt hithari, id est, euacuaberis, melius vertas Et nudaberis, seu discooperies te, quemadmodum ebrij facere solent: vt hic textus dicit de Noach. Et quod dicitur *Patris sui.* Aduerte, quòd (Ab) id est, pater ab (abah) quòd est concupiscere, desiderare ortum habet, quod. s. pater semper concupiscat, seu desideret bona filiis suis, aut filios ipsos: iuxta illud Dauidis. 2. Samuel. 7. Hæc est lex Adam Domine Deus: vt scilicet bona quis filiis cupiat. Et quòd dicitur Cham vidisse patris sui nuditatem, per nuditatem verenda intellige. Solet enim, vt supra diximus, hebraismus pudicè de inhonestis loqui.

Indicauit fratribus suis extra, scilicet, cubiculum: vbi pater iacebat discoopertus. Et nota, quòd dictio, Simlah, id est, vestimentum, dicitur esse a radice, Samal, id est, dextrare (liceat mihi gratia explicandi sic loqui) sed meo iudicio alia est radix, Semol, id est, dextera, & alia, simlah. 1. vestimētum. Nam, Semol, habet tertiam (āleph) quam non habet, simlah, & vltra hoc significationes sunt diuersæ.

Et posuerunt super humerum duorum ipsorum, id est, super humeros suos, ambo posuerunt operimentum: quo volebant patrem contegere super humeros suos: vt. s. versis faciebus, illum operirent. Vnde sequitur.

Et ambulauerunt retrorsum, id est, versis posteriori. bus partibus ad patrem. Dictio, sechem, id est, humerus, à, sacham, ortum habet, quod, vt Hebræi dicunt, est mane surgere, seu manicare: si sic licet loqui, quemadmodum vulgatus interpres Lucę. 21. locutus est dicens, Omnem populum manicasse. Mihi tamē verbum videtur significare etiā eleuare, & (Sechem) humerum, sic ab eleuatione dictum, quod videlicet in homine sit pars eleuata. Moueor autem ad hoc & quia video hanc significationem, omnibus locis, quibus verbum ponitur, conuenire. Tum, quia aliquando verbo coniungitur mane, & tunc non licet vertere, mane surgebat, sed surgebat aut leuabat se mane: vt patet Iob. 1. (Vehischim babocher) id est, leuabat se in mane: vbi ineptè vertas manè surgebat mane. Sic Isa. 5. Veh, maschim, id est, leuantibus se mane: & non, vel manè surgentibus manè. Idem Exod. 8. *Maledictus Chenahan.* Verbum (arar) à quo (arur) id est maledictus, iudicio meo significat cōtrahere, aut cōtrahi: ad quod duobus moueor. Altero, quia hic sequitur, Dilatet Dominus, Iapheth, quod opponitur huic, quod est contrahere, potius quā maledicere. Secundò, quod magis vrget: quoniam, arah, quod videtur esse eiusdem significationis cum, arar, significat colligere, & contrahere: vt patet Cant. 5. (Arithi). i. collegi, seu contraxi myrrham meam. Vnde, vraiah, id est, præsepe, sic dictū à collectione equorum: quod. s. ibi equi colligantur, & cōtrahantur. Et sicut est maximum bonum, dilatatio, & multiplicatio. ita maximum malum contractio, & collectio. Vnde, meerah, id est, maledictio, potius contractionē, quàm maledictionem significare puto.

Seruus seruorum erit fratribus. i. minimus inter seruos fratrum suorum. Atq; ita euenit: nā Æthiopes propter ingenij hebetudinem sunt minores inter omnes alios seruos, qui à, Chenaan, orti sunt. Aliter possit exponi hæc sententia, quod. s. Chenahan. i. posteri eius erunt serui seruorum. Non erit seruus fratrum, sed seruorum fratrum. *Benedictus Dominus Deus Sem.* Quoniam in isto manifestè veri Dei cognitio, ideò illum benedicit. Non tamen putarem longè à literæ mente si interpretaremur, benedictus à Domino Deo sit Sem. Nam antea de Chenahan dixerat. Maledictus Chenahan.

Dilatet Dominus Iepheth, et habitet in tabernaculis Sem. Incerta est Hebræis, & nostris propria significatio verbi (pathah) id est, dilatet. Dicunt enim significare primo inclinare: declinare cor ad ea, quæ sunt præter rationem, & veritatem. Secundò persuadere. Tertiò dilatare. Neque desunt qui dicant, radicem esse, Iapah, non, pathah. Significat autem, Iapah, pulcrescere, seu pulcrum esse. Rectius tamen dicunt, qui, pathah, radicem putant. Omnibus autem locis, quibus verbum ponitur: visis, videtur verbum significare extendere, dilatare, maximè desyderium. Et in tertia coniugatione, scilicet, hiphil, in confesso est hoc significare. Secundò quia aliis locis congruit significatio: vatet Iob quinto vbi nostri vertunt. Quia stultum occidit ira (vpotheh) id est, & declinantem interficiet inuidia, aut æmulus. Vbi melius vertas. Et extendentem se, aut desyderia sua occidet inuidia. Cùm enim desiderium extendit se ad ea, quæ non habet, & alij habent: tabescit inuidia. Aut extendentem se ad opes aliorum, videndo, & considerando eas: talis inuidia tabescet. Sic Prouerbiorum vigesimo, vbi nostri vertunt (Vlipotheh) id est, & declinanti labijs suis, potes vertere & extendenti labia sua, ne misceas te. Idem Hoseh septimo. Fuit Ephraim sicut columba, pothah, id est, extendens, seu elongans se, absque corde, id est, absque consideratione: quod facilè cùm recesserit, capietur. Sic Iob trigesimoprimo. Si, niphthah, id est, extendit se cor meum, super mulierem, id est, si desiderium meum se extendit ad mulierem alterius. Cor enim in sacris literis, pro desiderio accipitur frequenter. Rem tamen non certo asserō, quia nondum veritatem plenè sum assecutus. Sed nunc sensum verborum explicemus. Cùm ergo dicitur.

Dilatet, aut extendat Dominus Iepheth, & habitet in tabernaculis Sem sensus est. Tam dilatatus sit, in filiis Iepheth, vt non capiant propria tabernacula prolem eius, sed opus sit accipere habitacula filiorum Sem, & simul cum eis habitare. Mihi tamen videtur

Universidad de Deusto
Biblioteca

senem prophetare, quemadmodum de filiis Cham, quòd essent futuri serui fratrum suorum, & quod pretendat dicere Gentiles, qui intelliguntur per Iepheth: esse coniungendos Iudæis, qui processerunt à Sem, quemadmodum Isaias. 11. cap. dicit. Habitabit Lupus cum agno. Est tertius sensus. Dilatet Dominus Iepheth, & habitet, id est, coniungatur ipsi Sem, in amicitia, & sic Chenahan eorum seruus. Potest & addi sensus quartus, scilicet, *Dilatet Dominus*. in tantum Iepheth, vt expulsis Iebudæis filiis Sem, habitent filij Iepheth in domibus eorum, quòd vsque hodie videmus, vt sedibus suis pulsis Iudæis, Gentiles incolant eorum tabernacula. Sunt etiam qui non ineptè interpretantur. Dilatet Dominus Iepheth, sed ipse Deus habitet in tabernaculis Sem, quia Dominus apud Iudæos: qui à Sem ortum habent: tabernaculum, & habitationem elegit.

IN CAPVT. IX. AD MORES adnotationes.

Benedixit Deus Noach. Considera hic, quot bona acquirat iustus vno opere bono. Omnia enim hęc fecit holocaustum Noach. Primum fecit Deum promittere, quòd amplius non esset aquis homines, aut terram perditurus. Secundò restituit tempora tam confusa, & quodammodo inuersa. Tertio fecit Deum sibi benedicere, & filiis suis.

Fructificate, & multiplicate vos.
Omnia bona, quę peccata ab hominibus abstulerunt: Dominus propter iustos restituit. Apud Isaiam. 30. legis. Dabit Dominus vobis panem angustiæ, id est, quem in angustia absulit, & aquas oppressionis. Et non elongabitur vltra pluuia tua. Et apud Iohelem. Restituam vobis annos, quos comedit locusta.

Timor vester erit super omnem bestiam terræ.
Ingratissimus es, si horum beneficiorum immemor sis: quòd videlicet animalia magnarum virium, ac ferocissima paueant, & tremant ante te. Vtinam talem te Deo subditum exhiberes, qualia tibi se exhibent bruta. Et mirum valdè est, quòd leo, taurus, & quęcunque natura ferocissima paueàt ante te, & ad vocem tuam: tu verò non paueas ad vocem tremendam Dei.

Omne calcans, quod est viuens, erit vobis in escam.
Egit medicum nostrum Dominus à mũdi initio. Cùm enim homines essent sani, & iusti, omnia concessit: eùm verò ægrotare cœperunt: multa nobis animalia interdixit. Videns autem Iudæos ipsâ prohibitione, & ciborum abstinentia grauius infirmari, iterum laxauit omnia.

Carnem cum anima eius non comedetis.
Admonet nos locus iste, quantum Deus homicidium detestetur, & sanguinis effusionem. Docentur etiam Prælati leges mutare, & relaxare rigorem, secundum temporum vicissitudines.

Sanguinem vestrum de manu bestiarum requiram.
Audiant hoc homicidæ, & qui humanum sanguinem sitire videntur, quanti faciat Deus vitam hominis: vt non solùm ab homine, sed etiam à bestia, sanguinem ipsius requirat. Quàm cuperem iustitiæ ministros huius Regni audire, vbi tot sunt quotidie cædes, tot sanguinis effusiones: vt pro re minima homo hominem occidat, & impunè euadat. Vbi aduerte tria esse, quæ nos à sanguinis effusione deberent arcere. Primum, quòd à Brutis exigit Deus sanguinem hominis. Secundum, quòd sanguis ad peccati expiationem, nobis datus est in sacrificio. Tertiũ, quòd ad imaginem Dei factus sit homo: vt quasi idem sit, hominem occidere, ac si Deum ipsum occidisses.

Qui effuderit sanguinem hominis, per hominem effundetur sanguis eius.
A principio mundi, occisio occisione homicidæ vindicatur. Similiter aduerte iusti iudicis æquitatem, vt illum voluerit vindictam de homicida sumere, qui propinquior esset ipsi occiso: vt iustum dolorem, hac vindicta placaret.

Ecce ego statuo pactum meum vobiscum.
Audis hic Dei immensam & ineffabilem clementiam, vt non illi sat sit, non punire crimina nostra, sed quodãmodo obligat, & sacramento constringit se, ne possit punire. Et aduerte, quòd sicut propter homines animaduertit in bruta: ita propter eos paciscitur cum brutis.

Non erit vltra diluuium ad disperdendam terram.
Docentur hic Prælati, ne in totam communitatem seuiant. Vnde & iure prohibetur communitas excommunicari. Et aduerte, quòd hoc in loco præclarè docemur, qualiter humanis passionibus nostris præcipuè iræ, medeamur. Et primum remedium est, firmiter statuere apud nos, & si opus sit iurare, aut promittere, vt non vltra irascamur, aut iniurias vindicemus. Secundum est ligare filum coccineum in digito, vel signum aliud manui, vt cùm nos ira, aut aliqua humana passio petierit: videamus signum, & recordemur non esse vindicandam iniuriam. Sic de non iurando, de non fornicando. Nęque dedigneris eo remedio vti, quo Deus ipse vtitur. Si enim ipse signum coram se ponit: ne te propter scelera tua deleat: nõnne æquum est, vt tu similiter facias: ne eum offendas? Et considera an hoc tibi voluerit præcipere. Deutero. 6. vbi de præceptorum suorum obseruantia loquens ait. Ligabis ea (proculdubio præcepta) in signum, in manu tua, & erunt specilla, seu ocularia inter oculos tuos. Et considera quàm pulchrè & rationabiliter voluerit te habere præcepta, veluti specilla super oculos. Qui enim per ocularia, seu specilla videt, quæcunque videt, mediis ocularibus videt: & talia, qualis fuerit ocularium, seu vitri color. Sic statuit Dominus, vt nihil videres ad cõcupiscendum, nisi medio præceptorum eius, neque desideres, nisi quæ præcepta Domini te desiderare permittunt, & talia iudices, qualia tibi dixerint mandata eius. Illud demum iudices bonum ad appetendum: quod Dei præcepta tibi dixerint bonum esse, sic de malo. (Tunc ait Psal.) Non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis, & consilium meum iustificationes tuæ. Similiter iubet ea in manibus ligari: vt quodcunque feceris, aut volueris operari, scias te Dei legibus ligatum, & astrictum esse: vt nihil quod illæ prohibent, facias, neque quod præceperint, omittere velis. Neque solùm ad hoc, quòd te non puniret, aut leuiter, sibi signum ante oculos statuit, sed vt semper benefaceret, in manibus descripsit, muroque tuos coram se posuit: vt scias eum semper de tua custodia cogitare. Aduerte etiam hic qualiter Dominus docuerit homicidia vitare, cogitando ea quæ te ab homicidio retrahere possunt. Si enim aliquando voluntas tibi, aut animus occidendi occurrerit, cogita hominem esse ad imaginem Creatoris tui, & quemadmodum non auderes in Deum malum illatũ vindicare, aut in eum manum mittere: ita eam extendere timeas in eam imaginem, quæ ad viuum refert ipsum Deum. Secundò cogita eum à brutis sanguinem hominis exigere. Qui enim à bruto, qui sine intellectu, & voluntate, sed nesciens quid agat, occisi: hominis occisionem exigit: nõnne petet ab eo, qui sciens & volens proximum interficit. Et si expendas, rarò videbis bouem, bouem occidere, arietem aliũ. Solus homo in comparem, & proximum fœuire solet.

Ab istis sparsa est omnis terra.
Bono semine seminauit Deus mundum: sed statim terræ mandatum, in zizania versum est, malo homine superseminante. Vbi aduerte, quàm malus sit superseminator iste, non enim voluit in purganda terra laborare, neque saltem arare: sed in laboribus bonũ agricolæ introiuit: vt terram, quam ille aptauerat: adulterino semine superseminaret, & ferè totum fructum colligeret: nisi cœlestis Pater mundaret messem suam. Dolendum valdè est, quòd diabolus sine vllo sudore, & labore metat animas penè innumeras: in quarum creatione, & redemptione, solus laborauerit creator. Nec, solùm nunc Deus voluit bono semine terram serere, sed etiam cùm mundum creauit.

Cœpit

Cœpit Noach esse Vir terræ. Quùm benè iusti illi priores voluerunt taxatam sibi pœnitentiam à Domino facere: vt in labore & sudore panem suum, quemadmodum Deus præceperat: comederent. Vnde qui otio torpent, aut laborare contemnunt, sed in aliorum sudores luxuriare volunt, impositum sibi onus reiicere videntur. *Plantauit vineam.* Noluit eam Dominus à principio plantare: licet essent vites, & vuæ agrestes, quia nouerat futura ex vino mala, sed plantauit eam Noach, & iustam tetributionem cõsequutus est ex huiusmodi plantatione. Sunt peccata, quę mercedem suis autoribus retribuũt, quemadmodum curiositas. Nam multi sunt, qui dum curiosè aliorum peccata quærũt: in sua impingũt, quemadmodum Pharisæis sæpè cum Christo accidit. Dum enim semel ab eo quærerẽt, quare discipuli eius transgrederentur Seniorum traditiones, de lauandis ante cibum manibus: audierunt grauiora propria. Quare (inquit) vos transgredimini præcepta Dei, propter traditiones vestras? Similiter admonentur hic homines, ne inueniant, quæ vt plurimũ ad malos vsus esse possint, aut facilè in eos conuerti. Bonum est matrimonium: sed prohibuit Dominus suis: ne cum Chananæis connubia iungerent, quod facilè eos in idolorum pessimam culturam essent inducturi.

Bibit de vino, & inebriatus est, & discooperuit se.
Ecce quæ mala ebrietatem sequantur. Nihil occultum est: vbi regnat ebrietas. Docemur hic ebrietatem fugere: similiter, quàm indigni venia sint, qui sua sponte inebriantur, cùm virum iustũ tanta sequatur infamia: qui vim inebriatiui potus ignorans, in ebrietatem lapsus sit. Multa sunt, quæ Deus nobis voluit occultare, sciens, quæ mala ex horum inuentione ventura nobis essent. Sed ium est (vt ait Poëta) in viscera terræ: vt inde pretiosa pericula eruerentur. *Vidit Cham, patris turpitudinem.* Docet locus iste occulta dedecora parentum, & proximorum esse omnino celãda, cùm sciamus, quàm seuerè vindicatum sit peccatũ huius pueri, qui fratribus in loco publico se vidisse verenda patris reuelauit. *Maledictus Chenahan.* Admonet locus iste, quanta diligentia parentes à peccatis cauere debent, non solùm ne Deum offendant, aut ipsi meritas dent pœnas: sed ne in eorum filiis aut posteris peccata sua vindicentur. Solet enim Dominus filios pro parẽtum peccatis punire in tertiam & quartam progeniem. Cùm enim semel Saluatoris discipuli hominem naturaliter cæcum vidissent, quærere cœperunt, quisnam peccasset, ille, an parentes eius: nõ immeritò arbitrantes, peccata parentum cæcum filium luisse. Non solũ enim videntes pœnam, de culpa cogitant: sed vbi filium oculis priuatum vident: de parentum peccatis magna solicitudine inquirunt. Neque absque oculis transeas, vnde seruitus inter homines originem habuerit. Nullus enim (ait Augustinus) in natura, qua Deus hominem condidit: seruus est hominis, aut peccati. Neque ante peccatum, nomen seruitutis vnquam audiuimus. Sed mirum est valde, quare peccantem filium non matrem hic, filium vocari scripturæ more: vt sit sensus. Cognouit quod fecerat filius suus minor, id est, nepos Mihi verò videtur ideò nepotem, aut filium in nepotem maledixisse: quòd homines soleant magis de posteris, quã de se soliciti esse: aut quòd maledictio à nepote incipienda esset. Audis etiam hic quanti faciant parentes filiorum vituperia sibi illata, vt non reputauerit filium, quem in seruitutis redegerit cõditionem. Et si tantas pœnas dat puer, quòd fratribus patris verenda indicauit: quid illis fiet, qui in faciem iniurij sunt, quique persecutiunt, aut occidunt?

Benedictus Dominus Deus Sem.
Non benedicit filium: sed filij Deum (vt discamus bona opera nostra potius Dei esse) qui ad ea facienda, & animum, & vires dedit.

Habitet in tabernaculis Sem.
Ignorant homines quantum bonum sit bonis conjungi: quod tanquam magnum bonum hic Noach filio optat.

CAP. DECIMVM.

ESt istæ sunt generationes filiorum Noach, Sem, Cham, & Iepheth. Et nati sunt eis filij post diluuium. Filij Iepheth Ghómer, & Maghóh, & Madai, & Iauán, & Tubál, & Méseh, & Tirás. Et filij Ghómer, Aschenáz, & Riphàth, & Tógharmah. Et filij Iauán, Elisàh, & Tarsis, Chitim, & Dodanim. Ab istis separatæ sunt insulæ gentium secundum terras suas, singulæ secundum linguam suam, secundum familias suas in gentibus suis. Et filij Cham, Chus, & Misràim, & Puth, & Chenáhan. Et filij Chus, Séba, Chauilàh, & Sabthah, & Rahamah & Sabthecah. Et filij Rahamáh, Sebá, & Dedan. Et Chus genuit Nimród. Ipse cœpit esse potens in terra. Ipse fuit potens venator coram Domino. Idcirco dicitur. Sicut Nimród potens venator coram Domino. Et fuit principium regni eius Babel, & Erèch, & Achàd, & Chalnèh in terra Sinhár. E terra ipsa egressus est Assùr, & ædificauit Ninuèh, & Rechoboth, ciuitates, & Chalach. Et Résen inter Ninuèh, & inter Chálach. Ipsa est ciuitas magna. Et Misràim genuit Ludim, & Hanamim, & Behabim, & Naphthuchim, & Pathrusim, & Chasluchim. Vnde egressi sunt Peliștim, & Chaphthorim. Et Chenáhan genuit Sidón primogenitum suum, & Cheth. Et Iebusi, & Emori, & Ghirghasi, Et Chiui, & Harchi, & Sini. Et Aruadi, & Semari, & Chamathi. Et postea sparsæ sunt familiæ Chenahanæi. Et fuit terminus Chenahnæi à Sidón ingrediente te Gherár vsque ad Hazzàh, donec ingrediaris Sedóm, & Hamoràh, Admàh, & Seboim vsque ad Lásah. Isti filij Cham per familias suas, per linguas suas in terris suis in gentibus suis. Et ipsi Sem natus est. Etiam ipse est pater omnium filiorum Héber, frater Iépheth maior. Filij Sem, Helam, & Assùr, et Arphachsad, & Lud, & Arám. Et filij Arám, Hus, & Chul, & Ghèther, & Mas. Et Arphachsàd genuit, Sélach, & Sélach genuit Héber. Et ipsi Héber nati sunt duo filij, nomen vnius Péleg. Quia in diebus eius diuisa est terra, & nomen fratris eius Iochthán. Et Iochthán genuit Almodàd, & Séleph, & Chasarmáueth, & Iárach. Et Hadorám, & Vzál, & Dichlah, & Hobal, & Abimaél, & Seba. Et Ophir, & Chauilah, & Iobáb. Omnes isti filij Iochthán. Et fuit habitatio eorum à Mesàh, donec ingrediaris Sephár montem Orientis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Isti filij Sem per familias suas, per linguas suas, in terris suis, in gentibus suis. Istæ familiæ filiorum Noach per generationes suas, in gentibus suis. Et ab istis diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.

IN CAPVT DECIMVM AD literam expositio.

Et istæ sunt generationes filiorum Noach.

Licet caput hoc nihil aliud contineat, quàm nomina filiorum, & posteritatis Noach, est tamen memoriæ commendandum, vt cùm nomina harum gentium in Prophetis, & aliis libris offenderis: scias, vnde ortum habuerint, qui ibi nominantur, quemadmodum ad oculum videbis. Ezechielis. 27. vbi fit mentio (Assurim) de insulis (Chithim, Sidon, & Aruad, Gebal, Paras, Lud, & Puth, Tharsis, Iauan, Thubal, & Messech, Thogarmah, Dedan, Aram, Minuith, & Panhah, Damesec, Meuzal, Charam, & Cãneh, & Heden: quorum ferè omnium primi Patres hic describuntur.

Filii Iepheth. Hunc ego fuisse primogenitum arbitror: cuius progenies primum describitur. Sunt tamen qui arbitrantur Sem fuisse maiorem, quod hucusque primum fuerit: nominatus inter filios Noach. Nam capite sexto dictum est, Noach fuisse quingẽtenarium, cùm genuit Sem, Cham, & Iepheth. Idem capite septimo & nono. Secundò, quia infra dicitur. Et Sem natus est, scilicet, filius. Etiam ipse est pater omnium filiorum Heber, & frater Iepheth maior. Multi tamen, qui priorem habent opinionem pro (Maior) Maioris vertunt, & inde argumentũ pro sua opinione sumunt. Quòd verò Iepheth generatio prius enumeretur, ex eo accidit, quòd posteritas Sem hic præcipuè describere intendebat, à quo orti sunt Hebræi, & ideò vltimò recensetur. Tum quia soboles Iepheth fuit numerosior inter omnes fratres. Sed de hac re non puto multum curandum. Arbitror tamen Iepheth fuisse primogenitum, Sem verò secundo genitum, & Cham tertio. Et obiecta ad oppositum facilè diluuntur. Nam si ordo sexti capitis tenendus est, sequitur Cham fuisse secundo genitum, cuius oppositum textus. 6. capite asserere videtur, vocando eum filium minorem. Nam capite sexto dicitur genuisse Sem, Cham, & Iepheth: vbi secundo loco ponitur Cham: secundum verò diiutum est.

Filii Iepheth Gomer. Scribit Hieronymus lib. quæst. Hebr. filios Iepheth, in Asia possedisse, ab Aniano & Tauro, montibus, vsque ad flumen Tanaim, in Europa verò, vsque ad Gadiram nomina sua locis, & gentibus relinquentes. Quorum quædam vsque hodie permanent: alia verò mutata sunt. Sem verò filios aliqui putant eam Syriæ occupasse partem, quæ Orientem spectat, quorum opinionem textus ipse in fine huius capitis approbare videtur, dicens, habitationem filiorum Sem à Mesſa pergente te in Sephár montem Orientis. Ex filio enim eius Aram, Syri venerunt, ex Assur, Assyrij, ex Arpacsad, Chaldæi, ex Helam, verò Persæ. Cham verò eam regionem obtinuit, quæ ad meridiem tendit: vnde ex Chanaham Chenanæi, ex Misraim Ægyptij: Ex Chus Æthiopes: Ex Seba Harabes. Iepheth verò ad Occasum & Septentrionem se contulit. Ex cuius primogenito, scilicet, Gomer, nati sunt Aschenam, Riphath, & Togarmah. Ab Aschenam aliqui dicunt Tuiscones descendere, qui sunt Germani. Qui verò à Riphath orti sint, non constat: nisi quis dicat Riphæos. Ego autem arbitror aliquos populos Septentrionales. Sic etiam puto filios Togarmah Germanos, aut propè Germanos morari. Quòd enim filij Togarmah sint Aquilonares, constat ex. 38. capite Ezechielis: vbi sic habemur describendo socios God venturos ad disperdendos Iudæos in nouissimis diebus. Paras Chus & Puth, cum eis omnes ipsi cum scutis & galeis Gomer & vniuersa agmina eius. Domus Togarmah incolens latera Aquilonis, & omnia agmina eius. Vbi vides Togarmah esse ad latera Aquilonis. Fit etiam mentio Togarmah, Ezech. 27. vbi habetur. De domo Togarmah equos, & equites, & mulos dederunt in foro tuo. Videntur etiam filij Gomer Germani, quia capite. 38. Ezech. coniunguntur domui Togarmah, quam diximus in Germania, aut partibus Aquilonaribus esse. Nam ibi dicitur Gomer, & vniuersa agmina eius, & statim sequitur domus Togarmah. Magog etiam arbitror esse Germanos, quorum scriptura meminit cap. 38. & 39. Ezech. Madái verò Persæ dicuntur à vulgato Interprete. capite. 27. Ezechielis. Iauan arbitrantur multi, & meo iudicio verè, Græcorum patrem & ex isto omnes Græcos originem ducere. Vnde Ionia vsque hodie Græcia vocatur. Quare alij qui putant hunc Iauan esse Iapetum, & Ianum à Poetis celebratum. Coniunguntur autem Iauan Ezech. 27 semel Tubal & Mesſech, qui ad Nundinas Tyri afferunt, animas hominum, & vasa ærea. Secundò verò iunguntur Dan & Meuzal, qui afferunt similiter ferrum & aromata. Sunt autem Tubal & Mesech populi Aquilonares, cuius caput dicitur Gog: vt patet Ezechielis. 39. vbi dicitur. Ascendere faciam te è lateribus Aquilonis, & venire faciam te super montes Israel, & secundum hoc tenendum esset Iauan esse populos versus Aquilonem: sed melius dicitur eum cum Tubal, & Mesech, ad Nundinas venire, quemadmodũ ex omnibus aliis partibus veniebãt. Nisi dicamus Iauan, quod coniungitur Tubal & Mesech, esse populos Aquilonares: Iauan verò, cui coniungitur Dan, & Meuzal: esse Græciam. Ab Elisah putant Æolides ortos in Græcia. A Chitim Macedonas. Alij Scythas: quod verius puto. à Thatsis Cilices vnde Tharsum Ciliciæ. A Dodanim, Dodonæi populi in Græcia.

Ab his, scilicet, filiis Iauan, diuisæ sunt insulæ gentium, scilicet, maris mediterranei: vt est Cyprus, Rhodus, Samos, Lesbos, Chios, & aliæ. Tu tamen aduerte ex cap. 27 Ezechielis haberi, Elisah & Chitim esse insulares. Nam ibi dicitur. Tabulatum tuum fecerunt eburneum, congregatio Assurim de insulis Chitim. Et paulò inferius. Et hyacintho & purpura de insulis Elisach fuit operimentum tuum. De Tharsis verò, non parium argumentum est, fuisse insulam: illud Psalm. Reges Tharsis, & insulæ. Illud etiam alterius Psal. In spiritu vehementi conteres naues Thatsis, & Isaie. 23. Vlulant naues Tharsis, & paulò inferius. Transite in Tharsis vlulate habitatores insulæ. Arbitror tamen ex scripturis colligi, duplicem fuisse Tharsis: alteram insulam, alteram verò non. Ex Iere. etiam. 2. cap. constat Chitim esse insulares: vbi dicitur. Transite in insulas Chitim: Similiter Isa. 23. dicitur. Vlulate naues Tharsis, quia vastatus est, vt non sit domus introitus. De terra Chitim reuelatus est eis. Silete habitatores insulæ. Videtur autem Tharsis, quæ est Cilicia, non multum distare à Sidone, quia eodem cap. dicitur. Filia Sidonis. Solet autem hebraismus finitimas ciuitates, aut oppida alicui magnæ adherẽtes, vocare filias eius. Ex hoc loco etiam omnes isti filij Iauan videntur populi insulares, quia dicit textus, ab eis esse insulas diuisas. Est autem hic summè aduertendum, dictionem (ijé) quam hic nostri vertunt insulæ, incertè aut ignotæ esse significationis apud Hebræos. Dicunt autem (Ei) à quo originem trahit, significare (vbi) vt supra quarto capite (Ei) id est, Vbi Hebel frater tuus? Mihi verò potius videtur esse aduerbium vocandi, quemadmodum (heus) apud Latinos, quia aliquando coniungitur ei (zeh) quod est, vbi: vt. 2. Samuelis. 1. (Ei Mizeh) id est, heus vbi es? Inde (I) quod dicunt insulam significare, aut prouinciam: vt Isaiæ. 23. Vlulate habitatores. I, id est, insulæ. Ego autem puto esse vt plurimum interiectionem dolentis, aut vocantis: vt diximus: vt patet Eccle. 10. (I) id est, veh tibi terra. Et si locum significat, erit locus vt plurimum desertus: aut vbi vlulę cantant emittentes voces lugubres. Nam & vlulas significare inuenitur Isaiæ. 13. Et respondebunt (iiim) id est, vlulæ in ædibus eius. Quod verò insu-

insulam significet, sunt duo loca, quæ hoc probare videntur. Ester. 10. (Veijé) id est, & insulas maris: Et Isaiæ. 11. (vmeijé) id est, ab insulis maris. Sed etiam hic posset verti. Et à desertis maris. Quod autem ad rem nostram attinet, est ostendere, qualiter non solùm insulam, sed prouinciam significet, quod patet Isa. 20. Et dicit habitator, hai, id est, insulæ huius. Vbi nullo modo insulã potest significare: eũ contextus loquatur de Ierusalẽ, quæ nullo modo est insula. Quamobrem Hebræi, & nostri dixerunt, nõ solùm insulam, sed prouinciam significare. Vnde hic meo iudicio non est vertendum.

Ab his diuisæ sunt insulæ, sed prouinciæ Gentium.

Non enim verisimile est omnes filios Iauan habitasse insulas, & non alias terras: licet, vt iam diximus, multi illorum insulas incoluerint. Quia tamen nominis significatio nondum plenè mihi nota est: admittam significationem, quam nobis Hebræi tribuunt. Est etiam aduertendum, de duplici Tharsis fieri in sacris literis mentionem, scilicet, de ea, quæ aut est Cilicia: in qua est Tharsus ciuitas, & hæc non est insula, sed terra mari adiacens, ad quam confugit Ionas à facie Domini. Alia est apud Indos: ad quam simel in tribus annis mittebat Salomon ad deuehendum inde aurum: cuius meminit scriptura. 2. Paralipomen. 9. & primo Regum. 10. Quod autem hæc Tharsis non fuerit illa: ad quam Ionas confugit, constat ex. 2. 9. cap. 2. Parali. vbi dicitur Iosaphat, fabricasse naues in Hesion Gaber ad mittendum Tharsis. Est autem Hesion Gaber ad oram maris Rubri, ad quod nullo modo poterat Ionas nauigare à Ioppe, quæ est portus maris mediterranei, propter interiacentem terram. Vnde constat Tharsis, ad quam Ionas fugit, non esse insulam, sed portum maris mediterranei: Tharsis, verò ad quam misit Iosaphat, esse apud Indos: ad quos per Rubrum mare nauigatur: vbi etiam sunt diuitiæ, Gemmæ, & multa alia preciosissima, quæ nunc inde ad nos deuehuntur. Quod verò (Hesion Gaber) sit ad oram maris Rubri, constat ex primo Regum, quem nos tertium vocamus, capite nono.

In terra suis vir secundum linguam suam.

Ex hoc loco colligi videtur, diuisionem linguarum fuisse ante turris ædificationem, de qua sequenti cap. Quia tamen ibi dicitur terram fuisse labij vnius: melius videtur dicere. Ab his esse terras diuisas secundum linguam suam, scilicet, postea.

Filii Cham, Chus, à quo Æthiopes, qui in scriptura Chus vocantur. Iere. 13. Non mutabit, Chusi, id est, Æthiops pellem suam? (Mizraim) à quo Ægyptij, qui etiam frequẽter dicuntur in scriptura (Mizraim) Phut, à quo Libes, qui prius phutæi dicebantur, de quibus Ezech. 27. dicitur: Paras. i. Persa, Et Phut. i. Libes fuerunt in exercitu tuo. Similiter à Chenahan Chenanæi.

Filii Chus Sebba: à quo Sabbæi, Harabes, Hauilah, à quo aliqui Gerulos deducunt. Infra nominatur alia Chauilah propè Ophir. Sabta, à quo Sabbatenti. Rama ignoti sunt, qui ab isto descendunt: similiter qui à Sabtecha. Videntur tamen esse Æthiopes, quóniam illis coniunguntur. Dedan verò apud Ezech. 27. nominatur bis, quòd, scilicet, ad forum Tyri attulerit pretiosos pannos ad currus componendos, & omnes isti incolere videntur partem meridionalem terræ sanctæ, quemadmodum Ægyptij.

Ipse cœpit esse potens in terra.

Non plenè constat, quid propriè significet Guibbor, id est, potens. Verbum tamen Gabbar videtur propriè significare, fortificare, prævalere, vt patet Exodi. 17. vbi dicitur. Quando eleuabat Moseh manum suam, vegabbar, id est, fortificabat se, aut prævalebat Israel. Vnde, guibbor, id est, fortis aut prævalens. Sequens verò dictio, said, id est, venatio, etiam non plene nota verbum (sid) seu (sadah) dicitur significare venari, aut insidiari. Nam venatores insidiantur feris Thren. ca. 3. (Sod Saduni) id est, venando venati sunt me, aut insidiando insidiati sunt mihi. Est ergo sensus huius loci. Ipse Nimrod cœpit esse potens, aut prævalens, scilicet, aliis in terra. Et qualiter aliis prævaluerit, explicat dicens: Ipse (inquit) fuit fortis, aut prævalens venatione, aut insidiis coram Domino. Et quod dicitur, coram Domino, videtur esse phrasis linguæ, sicut quod infra. 27. dicitur. Benedicam tibi coram Domino. Et supra sexto, inuenit gratiam coram Domino. Si verò aliter explicare vis: dicito eum fuisse fortem venatorem coram Domino, id est, Domino insciente. Sed dubium est, an iste, Nimrod, fuerit ferarum venator, & insidiator: an potius hominum, vt scilicet, eos oppreſerit. Quod enim verbum, Sadah, non solùm feras sed etiam homines venari significet, & illis insidiari, patet loco Threnorum citato, & Iere. 16. vbi dicitur. Mittam ad eos multos, saiadim vesadum, id est, venatores, & venabuntur eos. Planus tamen literæ contextus innuere videtur, eum fuisse ferarum venatorem: licet coniectura nonnulla sit ex eo, quod infra dicitur eum fuisse Regem, quem tempora illa ignorabant, & fuisse dominum, aut potius tyrannum, qui alios vi oppremebat.

Propter quod dicetur, quoniam, scilicet, fuit fortis venator, Sicut Nimrod fortis venator coram Domino.

Quem loquendi modum Latini habent. Cùm enim aliquem à fortitudine commendare volunt: dicere solent. Est vnus leo, aut vnus Hector. Cùm de liberalitate. Est alter Alexander. Neque ineptè interpretaretur, qui verteret. Ipse cœpit esse Dominus in terra. Nam fuit Dominus insidiosè alios opprimendo: coram Domino, id est, Domino vidente. Nam à, Guibbor, est Gebbir, quod Dominum significat infr. 27. Esto, Gebbir, Dominus fratrum tuorum. Prior tamen expositio simplicior est.

Fuit autem principium Regni eius. Verti etiam potest.

Et fuit caput regni eius Babel. Licet dictio (reſith) vt plurimum principium significet: vt supra primo capite adnotauimus.

Erech, Achad, atque Calneh. Nomina sunt vrbium &, Calneh, nominatur Isaiæ decimo.

In terra sinhar. per quam Hebræi Babyloniam intelligunt, & Chaldæam, quia sequitur.

De terra illa egressus est Assur, id est, Assyrij, qui tam infensi fuerunt Iudæis.

Ædificauit Ninueh. Fuit hæc ciuitas Assyriorum metropolis à Nino denominata, & extructa, iuxta fluuium Lycum in campis Assiriæ: vt Straboni placet. Cuius area. 400. stadia habuisse dicitur: complexa autem in orbem. 11 400. turres, mœnia verò in altitudine. 100. pedes, in latitudine tribus plaustris peruia.

Et Rechoboth ciuitatem. Aliqui putant, Rechoboth, esse nomen appellatiuum, & vertunt hic, Plateas ciuitatis, scilicet, Ninueh. Mihi tamen prior lectio magis placet.

Ipsa, scilicet, Ninueh ciuitas magna. Quod firmat primum Ionæ caput.

Genuit Ludim. A quo Lydij. Lud meminit scriptura Isaiæ. 66. dicens: Tharsis, Pul, & Lud trahentes arcum: vnde constat fuisse in arte sagittandi præclaros, quemadmodum sunt Persæ. Similiter Ezech. 27. Paras, & Lud & Phut fuerunt in exercitibus tuis viri bellatores. Ex quo etiam constat fuisse viros bellatores. Iehabim, à quo Libyi. Alij ignoti sunt. Pathusim, de quibus Isaiæ. 11. Chenahan, à quo Chenanæi. Genuit Sidon, à quo Sidonij.

Venunde te in Guerar. Est Guerar pars terræ sanctę: cuius Rex fuit Abimelech, vt infra. 20. cap. dicitur, Hazah, verò ciuitas fuit Philistinorum.

In gentibus suis. melius *in peregrinationibus suis:* quia hoc verbum, gur, significat peregrinari.

Et ipsi Sem natus est, subauditur filius. Non fuit sterilis inter fratres. Nam fuit pater filiorum, Heber. Debet autem litera sic legi.

Et ipsi Sem fratri Iepheth maiori, natus est filius.

Posset etiam legi.

Et Sem natus est, scilicet, filius. Ipse, scilicet, fuit pater omnium filiorum Heber.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed frater, scilicet, eius Iepheth, fuit maior in copia filiorum, & iste mihi videtur germanus literæ sensus. Aliqui volunt ab hoc, Heber, Hebræos postea denominatos. Rabbi Salomon dicit hic, Heber, non esse proprium nomen, sed præpositionem : quæ sonat, trans, & à præpositione Hebræos dici arbitratur, quòd videlicet patres eorum, scilicet, Abraham habitauerit trâs flumen Euphratem, sed prior sensus verior est, quòd, scilicet, Heber, sit nomen proprium, licet sit possibile Hebræos à præpositione (trans) denominari.

Filii Sem Helam. A quo Helamitæ, de quibus in multis locis mentio in scriptura fit: vt Isa. 11. & Iere. 49. Lud, à quo Lydij. Aram, à quo Syrij. Huz, à quo regio Traconitis : aut Idumæa, de qua erat Iob, quæ dicitur terra Huz. Thren. 4. Lætare Edom, quæ habitas in terra Huz. Hul, à quo Armenij. Gether, à quo Getuli. Mas, à quo Meones. Sed est hic nonnihil scrupuli, quia videtur (Assur) numerari inter filios Chus, & inter filios Sem. Sed dicendum, alium esse Assur, filium Sem, alium verò, qui egressus est à Ninueh. & hæc confusio non paruam aliquando parit difficultatem in scripturis. Puto tamen Assur seu Assyrios illos, qui Iudæos infestarũt, eos fuisse : qui à Ninuech egressi sunt. Similiter arbitror nõ esse idem Ludim, & Lud.

Peleg. Sonat peleg diuisionem. Nam tempore huius facta est diuisio, scilicet, terrarum & linguarum, post primam diuisionem, quæ fuit tempore Adæ.

Ophir, & Chauilah. Crediderim ego ab isto (Ophir) fuisse denominatam terram illam auri copiosissimam in scripturis celebratam. De (chauilah) verò iam diximus capite secundo, & aliqui putant Ophir esse Zephalam Indiæ partem, neq; immeritò : quia ad Ophir per mare rubrum iter erat, vt iam diximus.

In Sephar montem Orientis. Quem Annius in Thracia, Eugubinus in Arabia collocat, & probatur magis Eugubini sententia.

IN CAPVT DECIMVM ADnotationes ad mores.

HÆ *Sunt generationes.* Habes hic, quanti faciat Deus iustos, & eorum progeniem, quòd, scilicet, tanquam peculium eos numerari velit, & propter iustorum progeniem enumerari voluit semen reproborum. Neque mirum, si filios enumerat, qui capillorum numerum optimè nouit, neque vnum ex eis perire sinit. Et gentibus ad idololatriam declinantibus: omisisse videtur Deus computum illarum. Vos tantum noui (ait Dominus Iudæis) ex omnibus cognationibus terræ, Sed postquam etiam Iudæi ipsi deteriores nobis in hoc fuerunt, Dominus Deus Gentiles per Cæsarem voluit numerare, qui edicto, ad hoc edito, mandauit tempore natiuitatis Christi mundum totum describi. Et hoc est, quod meo iudicio Psalm. 86. innuere vult, cùm dicit. Memorare faciam Babel, & Ægyptum scientibus me. Dominus numerabit, quando scribet populos : iste natus est ibi. Quæ omnia quinto capite diffusius tractauimus. Docet nos etiam hic curare progenies nostras, & scire, vnde orti sumus : vt ex parentum imitatione : si boni fuerunt : ad bonum prouocemur : si verò mali, ab eorum moribus deflectamus. Isa. 51. Attendite ad Abraham patrem vestrum. Tertiò, fraternitatis admonemur. Si enim omnes à tribus fratribus orti sumus : cur non erit inter nos summa fraternitas ? Et vt magis vnitatem commendaret, nos omnes ab vno patre ortos ostendere prius voluit.

Ipse cœpit esse potens in terra.

Quemadmodum diuitiis superbia coniucta est : ita fortitudini violentia, & oppressio aliorum. Quare inter dona Dei computandæ sunt mediocres diuitiæ, & vires. Quamobrem meritò petebat Salomon, non sibi dari diuitias : ne fortè in superbiam elatus, prorumperet in illam superbiæ vocem. Quis est Dominus ? Et Dauid Domino dicebat. Fortitudinem meam ad te custodiam. Ac si apertius diceret : si viribus fortis sum, non in aliis opprimendis, vires meas exeram : sed in mutandis decretis tuis, si quãdo super me sententiam mortis tuleris. Colligimus hinc, Dominum à principio noluisse reges instituere, quoniam optimè nouerat eos statim in tyrannos conuertendos, quemadmodum inter Iudæos factum est. Similiter discimus, vnde orti sunt Reges : nempè ex tyrannis.

De terra ista egressus est Assur.

Quid mihi eius patriam dicis ? vtinam & ipsum ignorare licuisset. Malè sepius audit propter impios patria : quemadmodum bene, propter bonos.

Ædificauit Ninueh. Quemadmodum mali ædificant terrestrem ciuitatem : ita & boni cœlestem. Sic de Cain audiuimus, vrbem extruxisse : quod putauerit se hic manentem habere ciuitatem.

Chenaban autem genuit. Audis quid mali faciat soboli, parentes malos habere. Nam filij Cham omnes fere mali fuerunt patrizantes, ideò cum patre maledicuntur.

Nomen vnius Peleg. Docet locus iste aliquo signo, aut re, memoriæ tradere res memoria dignas, quas antiqui suorum filiorum nominibus præferebant. Discimus etiam in hoc capite quantum debeatur Chronographis, qui res memoria dignas perire non sinunt.

CAP. VNDECIMVM.

ET erat omnis terra labij vnius, & verborum eorundem. Et fuit, cùm proficiscerentur ipsi ab Oriente : inuenerunt campum in terra Sinhár, & habitauerunt ibi. Et *dixerunt singulus ad proximum suum. Affer, laterificemus lateres, & comburamus ad combustionem. Et fuit eis later pro lapide, & lutum fuit eis pro cemento.* Et *dixerunt. Affer, ædificemus nobis ciuitatem, & turrim, & caput eius in cœlum, & faciamus nobis nomen, ne fortè dispergamur super faciem omnis terræ. Et descendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij hominum. Et dixit Dominus.* Ecce *populus vnus, & labium vnum est omnibus ipsis.* Et *hoc est incipere eorum, vt faciant. Et nunc non prohibebitur ab eis, quod cogitauerunt vt facerent. Affer, descendamus, & confundamus ibi labium eorum : vt non audiant vnusquisque labium proximi sui. Et dispersit Dominus eos inde super faciem omnis terræ, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Propterea vocauit nomen eius Babél, quia ibi confudit Dominus labium omnis terræ, & inde dispersit eos super faciem omnis terræ. Istæ generationes Sem. Sem filius centum annorum genuit Arphachsád duobus annis post diluuium. Et vixit Sem, postquam genuit Arphachsád, quingentos annos, & genuit filios, & filias. Et Arphachsád vixit quinque & triginta annos, & genuit Sélach. Et vixit Arphachsád, postquam genuit Sélach, tres annos, & quadringentos annos, et genuit filios, & filias. Et Sélah vixit triginta annos, & genuit Héber. Et vixit Sélach postquam genuit Héber,*

Héber, tres annos, & quadringentos annos: & genuit filios, & filias. Et vixit Héber quatuor, & triginta annos : & genuit Pélegh. Et vixit Héber, postquam genuit Pélegh, triginta annos, et quadringentos annos: & genuit filios, & filias. Et vixit Pélegh triginta annos, & genuit Rehú. Et vixit Pélegh, postquam genuit Rehú, nouem annos, & ducentos annos : & genuit filios, & filias. Et vixit Rehú duos, & triginta annos : & genuit Serúgh. Et *vixit Rehú, postquam genuit Serúgh, septem annos, & ducentos annos: & genuit filios, & filias.* Et *vixit Serúgh triginta annos, & genuit Nachor.* Et *vixit Serúgh, postquam genuit Nachor, ducentos annos: & genuit filios & filias.* Et *vixit Nachór nouem, & viginti annos : & genuit Térach.* Et *vixit Nachór, postquam genuit ipse Térach, nouem, & decem annos : & genuit filios, et filias.* Et *vixit Térach septuaginta annos : et genuit Abrám, Nachór et Háran.* Et *istæ sunt generationes Térach. Térach genuit Abrám, Nachór, et Harán.* Et *Harán genuit Loth.* Et *mortuus est Harán coram Térach patre suo in terra natiuitatis suæ, in* Vr *Chasdim.* Et *accepit Abrám, et Nachór vxores. Nomen vxoris Abrám Saraï : et nomen vxoris Nachór Milcháh filia Harán patris Milcháh, et patris Ischáe.* Et *fuit Sarai sterilis. Non erat ei natus.* Et *tulit Térach Abrám filium suum, et Loth filium Harán, filium filij sui : et Sarai nurum suam, vxorem Abrám filij sui.* Et *egressi sunt eum eis de* Vr *Chasdim : vt pergerent in terram Chenában : et venerunt vsque ad Charán, et habitauerunt ibi.* Et *fuerunt dies Térach quinque anni, et ducenti anni : et mortuus est Térach in Charan.*

CAPITIS VNDECIMI ADnotationes ad literam.

Et fuit omnis terra labii vnius.

SOlet Hebraismus nominare effectum ex causa : vt idioma, labium, siue linguam, quod ex labiis canitur sermo. Quem loquendi modum etiam Latini habent, vocantes scripturam manum. Aduerte etiam dictionem (saphah) non solùm labium, sed omne, quod modum labij habet : significare : quemadmodum est ora fluminis, aut maris. Infra enim cap. 22. habetur. Et sicut arena, quæ est iuxta (sephath) id est, labium maris. Mare enim videtur os, quod scilicet, voret quę in eo proiiciuntur : cuius labia sunt littora, quæ finiũt illud. Significat etiam cuiuscunq; rei extremitatem : vt Exod. 26. Et sic facies (bisphath) .i. in labio, aut extremitate cortinæ alterius. Cùm autẽ textus dicat totam terram fuisse vnius linguæ, ante huiusmodi diuisionẽ, disquirendum est, quænam fuerit illa, & faciśe credide rim fuisse Chaldaicam, aut Hebraicam, quas vnam & eandem à principio fuisse puto : nã valde viciniæ sunt. Ad quod non desunt rationes. Prima, quoniam nomina primis parentibus imposita, vt (Adam, Chauah) à verbis hebraicis originem habent. Sunt etiam aliquot nomina, quæ ab Hebræis aliæ linguæ mutuasse videntur, vt (Sac) id est, saccus, Babel & Tharsis nomen lapidis pretiosi. Secunda quia credibile est priorem linguam, seu communem ibi relictam : vbi fuit linguarum prima diuisio, quod constat fuisse in Chaldæa. Habet enim textus, fuisse in terra (Senhar). Tertia, quia Abraham, qui Chaldæus fuit : hanc linguam loquebatur, à quo eam Hebręi mutuarunt. Quarta, quia textus dicit eos ab oriente venisse, qui vnius linguæ erant, & cum lingua Chaldaica, aut Harabica in Oriente manserit : videtur fuisse illa prima. Et quod sequitur. *Verborum eorundem,* explicationem esse arbitror illius, quòd dixerat, labij vnius. Iam enim in regulis admonui, moris esse scripturæ statim explicare, si quid obscurè dixerit.

Et fuit cùm proficiscerentur, seu abirent ab Oriente.

Non putes omnes, sed magnam multitudinem, quia terra non poterat omnes alere, aut capere. Manserunt enim multi in Oriente.

Inuenerunt vallem. Non verti exputi, quoniam verbum (bacah) rumpere & scindere significat. Hamos primo (hal bichan) id est, eo quòd scinderint ipsi prægnantes. Inde (bichah) id est, vallis scissio. Deuteronom. vndecimo, terra montium, vbcahoth, id est vallium, quod vallis nihil aliud esse videtur, quàm diuisio inter montes.

Affer, laterificemus lateres, & comburamus combustionem. Sunt qui hìc pro, affer, vertunt, eia, vt (habah) sit exhortantis aduerbium. Sed melius sentiunt, qui verbum putant à radice, Iahab, quod est dare, afferre : vt pater Prou. 30. vbi dicitur. Sanguisugæ duę sunt filiæ dicentes, hab hab, id est, affer affer. Et infra 30. Habahli, id est, da mihi liberos, quod etiam hic significare puto, sed qualiter quadret, attendendum est. Quo circa aduerte, nos Hispanos vsque hodie hunc habere loquendi modum. Cùm enim nobis aliquid velociter faciendum est : ad quod alterius auxilio indigemus, & materiã : dicimus, affer, affer. (Dacaa, Dacaa) Et sepius hoc dicimus, etiam si nulla alia re opus sit. Potest ergo hic (affer) esse phrasis linguæ, quemadmodum apud Hispanos. (Dacá facamos isto,) Et infra hoc eodem capite habes. Affer, descendamus, & confundamus labium, & iste procul dubio est huius loci sensus : aut sensus est. Affer, scilicet, quæ necessaria sunt, aut adiutorium. Vnde illud psalm. 55. Proiice super dominium, Iehabeha, id est, curam tuam : potius vertendum puto, adiutorium tuum. Ac si diceret. Proiice super Dominum. (Affer tuum) quod est adiutorium. Est etiam aduertendum, Hebræos confundere significationem, lebenah, id est, lateris. Nam verbum (Labam) propriè significat dealbare : vt patet Psal. 51. Et præ niue, albin. i. albescam, albus fiam. Et Isaiæ primo. Sicut mix, ialbinu, id est, albescent, seu alba fient. vnde meo iudicio, lebenah, non quemcunque laterem significat, sed album, aut pallidi coloris, quem nos vocamus (adobe). Ad quod ex duabus coniecturis moueor. Altera, quia huiusmodi, lebenim, vt patet Exodi quinto, fiunt ex luto mixto paleis, cuiusmodi mixtura non est in massa laterum paruorum. Secundo quia secundo Samuelis. 12. dicitur Dauid fecisse quosdam rebelles : quos ceperat : trãsiite, bamalben, id est, per formam laterum, quod nullo modo fieri poterat per formam laterum paruorum, quæ hominem capere nõ potest transeuntem. Vbi alij, ad hoc inconueniens vitandum, vertunt, per fornacem laterum, quod nullo modo sustineri potest : cùm fornax valcum formẽ habeat : per quod non propriè tales transirent, sed intrarent. Forma verò laterum aperta est, vt per eam, quasi per circulum, possit quis transire. Posset tamẽ dici, omnem laterem significare, propriè tamen magnos, quos nostri vocant (tijolos). Paruos verò, ladrilhos, id est, lateres, qui omnes antequam decoquantur : sunt albi, aut saltem pallidi. *Et bitumen fuit eis pro cemento.* Eadem est dictio, mutatis tamen punctis, quam nostri vertũt vno loco, bitumẽ, & alio, cementũ. s. chemer, quod bitumen, &, chemer, quod cementum. Verbum, chamar, à quo vtrunque nomen ortum habet : significat rubes-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rubescere: vnde meo iudicio, chemar, lutum significat rubei coloris, quem nostri gredam aut cretam vocant: quo foramina vasorum liniuntur, ne liquor exeat. Aliud verò nomen, scilicet, chomer, significat bitumen rubrum, aut potius est verbum, quod linire luto rubro significat. Quare vertendum est. Et fuit eis later pro lapide, & lutum rubrum ad liniendum, seu coniungendum lateres. Nostri Hispani significantius locutionem efferunt, dicentes (vsáram do barro para barrar) id est, vsi sunt illo genere luti, ad liniendum, aut coniungendum lateres. Vnde textus hebraicus habet (Vehachemar, haiah, lahem, lachomer) id est. Et bitumen fuit eis pro cemento. Posset etiam, chemar, significare rubeum bitumen: quod nostri vocant, titim, & fit ex calce & puluere laterum, quod ex rubedine laterum est rubei coloris. Et tunc vertendum esset.

Et bitumen fuit eis ad bituminandum.
Puto enim eo tempore non fuisse calcis vsum, ideoq; eos vsos fuisse luto, neque eo in loco fuisse lapides: ideò pro eis, lateribus vsos fuisse. Sed quia huiusmodi bitumine non solent vasa, quæ in aquam mittuntur, liniri: sed potius illo luto rubro simplici: arbitror priorem sensum secundo præferendum. Exod. enim. 2. habes matrem Moseh arcam, qua puerum inclusit: bituminasse, aut potius liniisse huiusmodi luto, vbi simul hoc nomen & verbum ponuntur.

Ædificabimus nobis ciuitatem & turrim.
Nomen, migdol, turrim significat, ab eleuatione. Est enim, gadal, crescere, eleuari.

Faciemus nobis nomen, ne forte dispergamur super faciem omnis terræ.
Duplex potest esse horum verborum sensus. Primus, quòd volentes ibi manere, neque inde dispergi, voluerint ciuitatem munitissimam extruere, cuius arx suo cacumine cœlum rangeret: vt esset inexpugnabilis, neque etiam aquis diluuij posset obrui, propter crete seu bituminis linitionem. Neque solum ad hoc, sed etiam vt ex ædificio sibi famam compararent, quæ duo dicit textus eos mouisse, ad ædificij fabricationem. Secundo modo potest intelligi, quòd scientes se dispergendos, & separandos, ex vanitate celebrandi nominis, voluerint ciuitatem, & turrim ædificare, sed contextus sequens, priorem sensum approbare videtur, quia dicit, Deum inde eos dispersisse in superficiem omnis terræ: quasi eos ibidem manere volentes, inuitos in totum orbem diuiserit: tum quia, si non illis esset ibi habitandi animus: non vrbem, sed solam turrim ædificassent. Ad quid enim, vrbem statim relinquendam construerent?

Et descendit Dominus, meo iudicio assumpta humana forma.

Ecce populus vnus, id est, non diuisus in partes, sed vnius mentis.

Et nunc non prohibebitur ab eis, scilicet, opus. Adeò varias significationes Hebræi tribuunt verbo, basar, vt etiam cuilibet loco, quo in scriptura inuenitur: aliam ab alia distinctam concedant. Significat enim (vt aiùt) vindemiare, munire, roborare, prohibere, & excidere: quod mihi (vt sæpius dixi) præsentissima coniectura est, eos propriam ignorare. Mihi verò, omnibus locis visis, & expensis, videtur propriè significare, includere, vel includi. Et quia ea, quæ includuntur: exire prohibentur: significat prohibere, & si munire significat: est, quoniam munita videntur esse muris inclusa. Ieremiæ. 6. Sicut, boser, id est, includens, scilicet, vuas in cistris: vbi pro vindemiante, seu includente vuas, ponitur. Et. 49. Si (bosrint) id est, includentes, seu vindemiantes venerint ad te: non relinquent racemos. Hic ergo significat prohibere: vt vertunt ferè omnes.

Quod cogitauerunt facere. Aiter: descendamus.
Aut est phrasis linguæ, vt diximus: aut ad angelos loquitur, quorum ministerio vtitur in multis.

Et misceamus, seu confundamus *ibi labium,* id est, idiomata: ac si dicat, faciamus ibi linguarum diuersitatem.

Quo non audiat, id est, intelligat *vir labium,* seu idioma socij sui.

Vocatum est nomen eius Babel. sonat Babel in confusione (à Balal) quod est confundere, commiscere, & hic redditur vocabuli ætymologia. Ex quo constat hęc apud Babylonios contigisse: vbi erat terra Sinhar, vt dictum est capite præcedenti.

Quoniam ibi confudit, aut miscuit *Dominus labium,* id est, linguas.

Genuit Heber, à quo aliqui ex Hebræis putant nomen Hebræorum deriuatum, & non à, Heber, de quo capite præcedenti, qui fuit filius Sem.

Genuit Abraham. Putarem omnes has generationes supputari, propter (Abram) cuius historiam in sequentibus texere intendit.

¶ Mortuus est Haran super faciem Terach patris sui.
Obscura est vtcunque locutio hæc: cuius simile habes infra capite. 25. vbi de Ismahele habetur: coram facie omnium fratrum suorum corruisse. Est autem sensus, quod sit mortuus, patre vidente, & superstite adhuc. Sic de Ismahele dicendum est, cum scilicet mortuum, videntibus fratribus & viuentibus. Et fortè hebraismus per (obire coram facie alicuius) intelligit, mori eo superstite. Nostri vsque hodie dicunt, Faxit Dominus, vt non videam mortem tuam, id est, vt non me superstite, moriaris. Et ex hoc capite videtur Sem mansisse in Chaldæa cum sua progenie.

Fuit Sarai sterilis. Hebraicè eradicata. Filij enim videntur esse pareutum radices, quibus sustentantur, quemadmodum in radicibus arbor: quod statim more suo explicat dicens.

Non illi filius. Quòd verò filij dicantur parentum radices habes Isa. 11. Erit radix Iesse, id est, filius Iesse qui surget regere gentes. Et. 53. Ascendet sicut radix de terra sitienti. Item Apocalypsis. 5. Vicit Leo de tribu Iehudah radix Dauid.

Et Sarai nurum suam, Verbum, calal, à quo, calah, id est, nurus, significat complere, perficere. Vnde, vt Hebræi dicunt, nurus seu sponsa filij, dicitur, calah, id est perfecta, completa: quod tempore desponsationis suæ conspiciatur omnis pulchritudo eius, & omnia ornamenta. Vbi vides, quàm solicitè Hebræi allusiones quærant, scientes omnia ferè nomina in sua significatione aliquam conuenientiam habere ad principalem significationem.

Vt irent in terram (Chenahan.) Non constat ad quid illuc irent: forsitan propter famem, aut penuriam, aut quia reuelatio iam facta fuerat Abrahæ. Nam sequenti capite dicitur: dixisse Dominum Abrahæ. Egredere de terra tua, quæ videtur esse (Vr) Chaldæorum, quia tamen additur, & de domo patris: potest dici primam reuelationem sibi factam in Vr Chaldæorum: secundam verò in Charan, & hæc est proculdubio veritas.

Venerunt (Charan) Nomen ciuitatis esse dicitur (Charan) & Act. 7. duplici rr scribitur Græcorum more, scilicet, Charran.

IN CAPVT VNDECIMVM AD mores annotatio.

Erat omnis terra labii vnius. Magna, & grauia mala superbia semper peperit. Quemadmodum enim Dominus voluit homines sine Domino temporali gubernare sciens, quàm facilè Reges in tyrannos vertantur: ita voluit vnam & eandem esse linguam in orbe, qua omnes vterentur. Et quàtum hoc attineat ad concordiam orbis, testatur discordia inter eos, qui sunt diuersarum linguarum. Esset enim maior vnitas inter homines: si vnusquisque linguam alterius intelligeret.

Ædificemus ciuitatem. Facillimè coniunguntur homines, ad ea, quæ sunt vanitatis, neque in rebus vanis curarit dignitatem suam. Vbi simul considera hominis ingenium, & quàm facilè inuenire scit modum, ad ea quæ desiderat. Nam isti inuenerunt modum laterum, & cementi: cùm nondum eorum vsus esset: illo enim tempore domus antra fuisse videntur.

Caput eius in cœlum. Voluit semper Dominus nos diuellere à fiducia in rebus vanis, & ostendere nihil ciuitatem nostram posse custodire, si nō dominus ipse custodiat eam. Nam quia illi mœnia, & turribus fidebant, dissolutum est opus eorum.

Faciamus nobis nomen. Iam ab ipso orbis initio, dixerunt homines vanitatem, & vani facti sunt.

Descendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim. Docet locus iste operarios esse videndos. Nam vt plurimum mercenarij ad oculum seruiunt. Vnde vulgatum illud Prouerbij (oculum Domini, equum impinguare, esseque terræ stercus pedes Domini sui. Sed mirum valdè est, quod omnes seruiamus ad hominis oculum: paucissimi verò ad oculum Dei. Hoc enim etiam apud Ecclesiasticos videas, vt si Prælatus diuinis officiis interfit: omnes compareant, sin minus chorus vacuus est, & Ecclesia deserta. Nunquid fratres mei, minus perspicaces sunt oculi Dei, quàm hominis superintendentis, aut grauius quàm Deus in nos sæuire possunt, quia conuenimus ad hominis oculum, & non ad oculum Dei? Minime gentium. Meminerimus (quæso) illius serui, qui in absentia domini tam sedulo cum pecunia sibi tradita negotiatus est, quem Dominus rediens talibus encomiis euexit, dicens. Euge (inquit) rit, qui abeunte domino, pecuniam eius suffodit, neque curauit augere. Vbi simul admonentur domini examinare suorum seruorum opera, qualia, scilicet, sunt: sint ne bona, an mala, & quæ ad malum finem, aut vanitatem incepta esse deprehenderint: destruant, & cessare faciant, cuius simile infra. 18. cap. habes, vbi descendit, vt videret, an clamores opere complessent. Ex quo loco discant domini non facilè credere, quę de subditis audiunt, nisi prius oculis suis viderint. Aduerte etiam, quàm piè Dominus vanitates nostras castigat. Non destruxit turrim, nō euertit ciuitatem, sed labia confudit: vt nos doceat non sæuire.

Ecce populus vnus est, & labium vnum.
Communis modus impediendi opera mala est, dissoluere malorum congregationes. Qui enim ad mala cōueniunt, multa arte dissoluendi sunt, ne mala perficere possint, quemadmodum hic dominus fecit.

Hoc est incipere eorum, neque prohibebitur eis.
Discę hic, cuius muneris sit opus malum non perficere: malorum enim est, non relinquere mala incepta: Dei verò est prohibere, ne perficiamus. Suasor defuit, sed vt deesset, Dominus fecit. Et recole quæ superius diximus, qualiter videlicet homines bona inchoare soleant, sed non perficere: mala verò ad finem perducere.

Dispersit eos inde. Optimum est malos separare. Non enim norunt esse otiosi: cùm sunt coniuncti. Hinc Iacob inferius cap. 49. Videns Simeonis, & Leui ad malum concordiam: diuidam (inquit) eos in Iaacob.

Fuit Sarai sterilis. Vult dominus ostendere opera sua esse miraculosa: ita vt nemo ea inficias ire possit. Ne postea quis, diceret Saram naturaliter genuisse, ostendit hic eam fuisse sterilem.

IN CAP. XII. AD LITERAM.

Vade tibi. Admonuimus supra inter regulas, qualiter Rabbi Salomon, huiusmodi locutiones, seu phrases malè interpretetur: vt scilicet idem sit dicere (Vade tibi) quod vade ad tuam vtilitatem, & (præcide tibi) id est, ad profectum tuum, quod falsum esse constat. Infra enim cùm dominus præciperet Abrahæ filium immolare, dicit. Vade tibi. Quod si contendas, eum ad vtilitatem suam voluisse filium immolare: lege eodem capite, quod Abraham seruis dicit. Manete (inquit) vobis hic. Quid enim vtilitatis (nisi fingere velis) eis accidere poterat ex eo, quod illic Dominum suum expectarent? Sic Nume. 10. vbi Dominus Motsen dicit. Fac tibi duas tubas argenteas. Vbi quid vtilitatis habuerit, ex tubis Mosch: non facilè apparet. Melius ergo est cum Gerundensi dicere, esse linguæ phrasin, quā cum Rabbi Salomone fingere: sine necessitate,

De terra tua. Si in Vr facta fuit reuelatio hæc, nihil in loco est difficultatis: si verò in Charan, dicendum est, hebraismum vocare terram alicuius, illam, in qua habitat, maximè si eam diu incoluerit. Vocat autem domum patris familiam patris. Actum septimo. Stephanus dicit, reuelationem sibi factam antequam moraretur in Charan, quod tenendum est, quia capite præcedenti dictum est Terach exisse de Vr, vt iret in terram Chanáan. Et iam diximus superiori capite priorem fuisse in Vr, secundam verò in Charan. Et quod sequitur.

Et de cognatione tua. Idem est, ac si dicat à consanguinels & cognatis tuis.

Ad terram, quam videre faciam te: Aut ostendam tibi. Sed quomodo poterat Abraham scire terram, quam Dominus illi erat monstraturus? Et dicendum Dominum sibi præcepisse ire in terram Chenáhan, postea verò eam illi monstrasse, & promisisse: vt patet capite sequenti. Paulus tamen ad Hebræos decimo sum à patria in terram Chenahan fuisse præceptum, & Abraham versus terram promissam contendisse. Postquam autem ibi fuit. Dominus illi eam ostendit, ac promisit. Ne ergo Paulus cum Stephano contendere videatur: dicendum est: re vera reuelationem fuisse Abrahæ factam in Vr Chaldæorum, vt iret in terram Chenahan, & statim eos eam versus contendisse, non tamen tanquam in suam, aut sibi tunc promissam, & quantum ad hoc nesciebat quò iret. Nesciebat enim ire ad terram sibi dandam, & semini eius: vnde Paulus loco citato dicit. Fide vocatus Abraham, obediit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit nesciens, quo iret, id est, nesciens quod iret ad locum, quem erat in hæreditatem accepturus. Cùm ergo hic dicit. Vade ad terram, quam videre faciam te, scilicet, oculis corporalibus ad dandam eam tibi tanquam tuam.

Faciam te in gentem magnam.
Non significatur hic meo iudicio, multitudo filiorum Abrahæ, sed excellentia: ac si diceret. Faciam te in gentem excelsam, seu cæteris excellentiorem. Nam infra dicit illi. Et multiplicabo te.

Et benedicam tibi, id est, benefaciam. Multa bona tribuam. Iam enim diximus benedicere dei, nihil aliud esse, quàm benefacere.

Et exaltabo nomen tuum, id est, faciam celebre: vt scilicet toto orbe nomineris, & cognoscaris.

Et eris benedictio, aut *Esto benedictio.*
Sensus est. Eris benedictio, qua alij sese, & suos benedicent dicentes. Ponat te Dominus, sicut Abraham. Aut melius. Eris benedictio, qua posteri tui, filios suos benedicent. Nam infra. 28. dixit Isaach, Iaacob. Det tibi dominus (birchach) id est, benedictionem Abraham, & cap. 48. dicit Iaacob, de filiis Ioseph. Vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abraham & Isaac. Nihil ergo aliud est. Sis benedictio: quàm qui sibi, aut suis benedixerint, dicent: faciat tibi Dominus quod fecit Abrahæ, aut talem, qualem fecit eum. Et aduerte quod à (barach) benedicere, est (berech) id est, genu, quòd homo, qui benedicitur, soleat genua flectere benedicenti. Similiter (berechah) id est, piscina, quòd nihil aliud sit, quàm defluxus aquarum, quemadmodum benedictio est defluxus bonorum à Deo.

Benedicam benedicentibus tibi, id est, benefaciam iis, qui tibi bona imprecati fuerint, aut fecerint. Iam enim primo huius libri cap. diximus, benedicere Dei, esse bona facere, benedicere verò hominis, ad hominem esse bona precari, aut facere: hominis verò ad Deum, laudare, aut etiam bona precari, vt scilicet sit cognitus, & laudatus ab omnibus

Et maledicenti tibi maledicam. Duo verba ponuntur hic, scilicet (calal) & (arar) quibus Hebræi, & nostri eandem tribuunt significationem. Dixi tamen superius, & probaui (calal) significare despicere, leuem reputare (arar) verò contrahere, aut contrahi. Vnde hic

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad literam vertendum esset. Qui despexerit te, aut leuem reputauerit, contrahatur, id est, non extendatur in bonis, neque in prole, neque in aliis.

Et benedicentur in te, id est, te pro sua benedictione accipient dicentes, vt diximus. Ponat te Deus sicut Abraham, aut benedictio Abrahæ sit super vos. Et dicit omnes familias, aut cognationes terræ, quia omnes venerantur patrem Abraham, tam Iudęi, quàm Sarraceni, & Christiani. Sed quia non legimus Abraham sic generaliter ab omnibus benedici, dicendum est eum ratione Messiæ ab omnibus benedicendum.

Filius septuaginta quinque annorum, id est, septuagintaquinque annos natus. Enumerat enim hebraismus hominis ætatem, ab eo tempore, quo filius esse cœpit, quemadmodum Latini à natiuitate.

Omnem substantiam, quam acquisierant.
Dubia est significatio verbi (rachas) Hebræis, & nostris. Videtur tamen ex coniecturis locorum, quibus tam nomen, quàm verbum ponitur, significare acquisitionem, seu acquirere, omne quæsitum, præter homines, Opes, scilicet, & substantiam. Quamobrem ad literam vertendum erat (si latinus sermo hoc permitteret) Omnem substantiam, quam substantiauerãt in (Charan) id est, quam acquisierant, aut possederant. Hinc (reches) id est, mulus, aut animal onerarium, quod opes deferre soleat hinc inde, vt patet Hester octauo.

Et animas, quas fecerant in (Charan) id est, homines, quos ibi genuerant. Et videtur esse hebraismus facere animas, id est, homines procreare, aut gignere: vel seruos, quos acquisierant in (Charan). Et anima ponitur in singulari, quod pro plurali accipiendum est, hebraico more. Infra capite decimoquarto dicit. Rex Sodomæ. Da mihi animam, substantiam tolle tibi.

Vsque ad locum Sichem. Erat (Sichem) ciuitas, quam postea filij Iacob depopulati sunt propter sororis stuprum, & non dicitur vsque ad vrbem Sichem, quia non intrauit Abraham vrbem. Est autem ciuitas hæc propè montes Hebal, & Garizim, quorum meminit scriptura. Deuterono. 11. Venientibus autem ex Charan in terram Chenahan, per Sichen trãseundum erat, quandoquidem, & Iacob redeundo à Mesopotamia illac prætersisse legimus infra. 33. Et aduerte quod (habar) significat propriè transire, mente aut re, & secundo dissimulare, quod qui dissimulat, videtur transire, & præterire rem, quam non punit. Psal. 89. hic (habartha) id est, transisti, aut dissimulasti cum Christo tuo. Et Prouerbiorum vigesimo (Mizhabero) id est, qui transit seu dissimulat cum eo: peccat contra animam suam.

Vsque ad quercum (Moreh). Si radix (elon) sit (eial) quod est fortitudo: Significabit (elon) arborem fortem, qualis est quercus. Si verò (alah) aliqui pinum interpretantur, sed puto vtrunq;. significare arborem fortem, quæcunque illa sit. Et quod sequitur (Moreh) nomen est viri, vt Iudæi dicunt: non tamen hoc certũ est. Vocatur ergo quercus, Moreh, quòd scilicet plantata esset iuxta domum huius viri.

Semini tuo dabo terram istam.
Ista est prima promissio terræ, facta Abrahæ.

Et ædificauit inde, scilicet tabernaculum suum. Pastores enim, & pauperes figebant tentoria in campo, quæ eradicabant, cùm inde migrandum erat. Et aduerte, quòd nostri, & Hebræi, varias significationes tribuunt verbo (hathach) scilicet veteraſcere, crassescere, remouere, transferre, & indurare, & hoc ideò, quia nolunt considerare, an proprie vbique conueniat. Ad oculum autem ostendam, omnibus locis conuenire, radicare, & eradicare. Et primo Iob. 21. vbi vertunt. Cur impij viuent, hathchu, id est, veterauerunt. Melius vertas: radicauerunt, seu radices miserunt. Iam enim dixi superiori capite, Hebraismum vocare filios, radices: vnde hominem, qui filiorum copiam habet: hebraismus radicatum vocat, quẽadmodum orbum, eradicatum: vt de Sarai dixi. Vnde Danielis septimo, Senem radicatum vocat, aut propter copiam filiorum aut quòd in capite multos habeat capillos canos, qui sunt veluti radices. Sic Psalm. sexto (bathcah) id est, eradicatus, seu effossus est oculus meus, propter inimicos meos. Idem Prouerb. 25. Istæ sunt parabolæ quas (hethichu) id est, eradicauerunt, eruerunt, scilicet ex sterquilinio, vel ex locis abditissimis, viri (Chizchijah) seu Ezechiæ. De aliis verò locis in confesso est, significare radicare, & eradicari: vt Iob. 18. (yeieththae) id est, eradicebitur saxũ de loco suo. Idem ca 32. Et Isaiæ. 28. Ablactatos à lacte (hathicè) id est, eradicatos, seu auulsos ab vberibus.

Bethel à mari, id est, ab Occidente. Quoniam mare mediterraneum est ab Occidente terræ sanctæ: vocat hebraismus plagam occidentalem, mare. De his autem ciuitatibus, scilicet (Bethel) & (Hai) dicemus in libro (Iosuah) Est autem Bethel ciuitas in sorte Beniamin: vt patet Iosuah decimooctauo. Fuit etiam locus, in quo Iaacob vidit scalam: vt infra. 28. Mons verò Bethel erat in sorte filiorum Ioseph: vt patet Iosuhæ. 16. (Hai) verò ciuitas erat ad latus Bethel. Iosuhæ. 8. & 12.

Vocauit in nomine (Iehouah) id est, inuocauit ipsum, dum sacrificaret, forte dicendo (Iehouah) accipe munus, seu sacrificium meum.

Vt bene sit mihi propter te, id est, bene me tractent, præbeantque necessaria mihi, tui gratia.

Viuat obsecro anima mea propter te.
Dictio hebraica, galal, à qua hic, biglalecha, significat inuoluere, & forte, biglal, significat potius inuolutionem, quam (propter). Vnde melius hic vertendum puto. Et viuat anima mea inuolutione tua, id est, secreto tuo, aut fictione tua: qua me fratrem vocabis. Si enim secretum tenueris, vt non me maritum, sed fratrem dicas: viuet anima mea propter secretum tuum, non tamen prohibeo, si (propter) vertas, quoniam in aliis locis videtur significare propter.

Laudauerunt eam apud Parhoh.
Verbo (halal) varias significationes tribuunt, tam Hebræi, quàm nostri. Dicunt enim significare, laudare, lætari, insanire, & illuminare. Sed re vera significat propriè eleuare, aut eleuari. Et quia insanus videtur eleuatus, aut elatus: significat ex consequenti insanire, & præterea nihil. Vnde illud Psalm. 78. Virgines eorum non (hilalu) id est, fuerunt lamentatæ, aut laudatæ. Melius vertas exaltatæ, scilicet canticis, & laudibus. Solent enim Virgines, cùm desponsantur, laudari, & extolli. Illud etiam Iob. 41. sternutationibus eius (thahelor) id est, accendetur ignis. Melius eleuabitur ignis, vertendum puto: sicut eleuatur, cùm sufflatur. Sic capite quadragesimo. In angelis suis ponet (thaholah) id est, eleuationem, seu insaniam, vertendum est ergo hic. Et extulerunt, aut eleuauerunt apud Parhoh pulchritudinem eius, seu laudibus extulerunt.

Et Abram benefecit, scilicet *Parhoh propter eam. Et percussit Dominus Parhoh.*
Verbum (nagah) propriè tangere significat: infra. 23. (nagãh) tetigit neruum fœmoris. Sumitur tamen pro percutere. Non explicat hic textus quales fuerint huiusmodi percussiones: ex capite tamen sequenti videntur fuisse impotentia ad congressum: clausura vuluarum, ne scilicet cõcipere, aut parere possent vxores eius.

Super verbum Sarai. i. super rem, seu causam Sarai.
Vocat enim hebraismus omnem rem, verbum.

Præcepit super eum viris, ne scilicet, aliquis illi, aut vxori quid molestiæ inferret. Disquirunt hic nostri, an Abram peccauerit mortaliter, consulendo vxori, vt se sororem eius diceret. Et videtur non peccasse, quia tantum consuluit, quod verum erat, scilicet dicere se sororem, quod re vera erat: vt infra capite vigesimo patet, neque docuit eam mentiri. Sed vbi periculum peccandi imminet, non licet veritatem occultare, sicut de beato Sebastiano legimus, quod quandiu non imminebat periculum, occultandi fidem, occultauit se Christianum: cùm tamen vidit fidem in iuuenibus periclitari, prodidit se Christianum esse. Sic quandiu nemo vxorem Abrahę solicitabat ad concubitum, licitum erat dicere eam sororem. Si tamen aliquis vrgeret ad hoc, putans eam sororem: ipsa teneretur confiteri se esse coniugatam. Si quis enim vellet contrahere cum coniugata, nesciens: ego sciens teneret eum admonere sub pœna peccati mortalis. Ergo à fortiori ipsa contrahens, quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Præcipit etiam ecclesia cùm vult celebrare inter aliquos matrimonium: vt si quis eos impedimentum aliquod habere nouerit reuelet. Vnde Abraham nisi hoc Dei instinctu fecerit, non excusatur à peccato, neque Sarai dicens se sororem, in casu, quo imminebat periculum congressus cum alieno: nisi eam ignorantia excusaret: credere sibi licere, quòd vir suadebat. Vnde non paruum argumentum est in ijs quæ sunt fidei: nisi sint talia, quæ vxor teneatur scire, vxorem excusari, si vir aliter doceat, quàm fides teneat. Nuper enim apud nos erat quæstio an vxor edocta à viro, quòd non tenebatur sacerdotibus confiteri: sed Deo: esset de hæresi excusanda, si hoc crederet. Et contra eam iudicatum est. Quidam eos excusant, ex fiducia, quam vterq, habebat in Deum, quod prouideret, antequam ad copulam veniretur.

Ædificauit ibi altare. Gratiores erant, & sunt sancti promissis Dei, quàm nos simus beneficiorum exhibitioni. Norunt enim sancti: Dei promissiones, esse beneficiorum exhibitiones, quemadmodum hominum exhibitiones vix sunt promissiones. Et qui sic gratus est promissionibus, quid faciet exhibitionibus? Vbi simul considera, quod eadem parte, qua cœpit promittere, cepit & præstare, & forte ideò duxit semen Abrahæ ad Iericho, vt in principio subiiceret sibi Hai ciuitatem, quo in loco (vt hic dicitur) fecerat promissionem.

Descendit in Ægyptum. Quàm bene nouerat vtrumque ferre fortunam iustus senex, & quàm æquo animo ferebat inopiam, considera.

Dic quòd soror mea sit. Docet veritatem occultare licere, non tamen mentiri, & quãtum sancti Patres mendacium detestabantur.

Occident me, & te viuificabunt.
Mirum valdè est, quòd pluris homines primi faciebãt adulterium, quàm homicidium. Sic multi peccatores hodie pluris faciunt minora peccata, quàm grauiora: cuius rei tibi exemplo sit Dauid. 1. Samue. 12. qui inquirit: an mulier, quam adulterio polluit: sanctificauerit se ab immunditia, & non curat, an sit coniugata: ac si pluris esset faciendum coire cum immunda legis immunditia, quàm cum coniugata.

Noui, quòd pulchra sis aspectu.
Non debet vxor cognoscere se pulchram, sed vir eius.

Bene sit mihi propter te. Tales debent esse vxores, vt propter eas laudentur viri, & bene sit illis.

Laudauerunt eam apud Parhoh.
Audiant qui coram principibus, aut proximis aliquid laudant, quod princeps, aut proximus possit male cupere. Vnde & Paulus ad Ephesios ca. 5. Fornicatio, aut immunditia, neque nominetur in vobis: vt decet sanctos. Cùm semel Legati Iudæorum ad Ioannem missi interrogarent eum. Mat. 11. Tu quis es: mirabar? cur non peterent, an ipse esset Messias: deprehendi eos hoc ideò fecisse, ne Ioanni præberent occasionem ambiendi nomen, ac munus Messiæ, si ipse non esset, quo facto, vt dixi, nos docent, non proponere proximis, quæ ipsi ambire, aut malè possint desiderare.

Ipsi Abraham benefecit propter eam.
Quàm bene Principes operas soluunt illis, qui eis in suis cupiditatibus deseruiunt, & melius quàm iis, qui communitati in bello, aut in aliis, quæ sunt communitatis. Apud Lucam legis cap. 10. Martham solicitam, vt Christo necessaria ministraret, Mariam verò otiosam ad pedes Domini sedisse, & à Domino commendatam, Martham verò redargutam. Sed quare? Quoniam Martha seruiebat Domino in iis, quibus ipse non delectabatur, nempè in cibo, & potu. Maria verò in audiẽdis verbis illius, quod illi maximè cordi erat. Similiter docentur hic, qui alicui iniurij sunt, iniurias compensare.

Percussit Parhoh percussionibus magnis.
Nolite (inquit) tangere Christos meos, & qui sic punit innocentes, quid faciet peccatoribus? Similiter expende, qualiter Dominus Deus vindicat iustorum iniurias, quas illi nolunt vindicare.

Vt quid non indicasti mihi, quòd vxor tua esset?
His qui aliena detinent, sufficere deberet ad restituendum, nosse se aliena detinere. Similiter ad peccatũ relinquẽdum sufficere nobis deberet scire esse peccatum. Mirum valdè est quàm ingenuè, quàm viriliter bonus princeps suis cupiditatibus restitit: vt cùm audierit eam esse alienam, noluerit tangere: & hoc quidem fecit ethnicus Rex, quod vtinã pius Dauid in facto suo considerasset.

Præcepit servis suis, tenentur Principes pauperes reddere securos, præsertim cùm timent, aliquos illis nocituros.

IN CAPVT. XII. AD MORES ANNOTATIO.

Vade tibi è terra tua. Quid impedimenti perfectioni afferat paterna domus, patria, & consanguinei ad viuũ locus hic depingit. Vnde quos Dominus erudire vult, segregat ab huiusmodi. Hoseæ enim secundo dicitur. Ecce ego seduco eam, & ire faciam eam in desertum, & loquar ad cor eius. Vbi expende verbum (seduco) & considera quod etiam ad ea, quæ nobis maximè vtilia sunt: oportet Deum nos seducere. Et vide quàm bene Dominus cum Abraham commutet. Præcipit terram deserere: sed confert meliorem Veni (inquit) in terram, quam monstrauero. Consanguineos relinquere suadet, sed se eum in gentem magnam facturum pollicetur: vt pro consanguineis rusticis, magnos habeat. Exire de domo patris suadet: sed eum patrem multarum gentium constituit: vt pro filio patrem faciat, & pro patris benedictione, consequatur benedictionem Dei. Expende hic, quid lucri sit, aut perdere, aut periculo aliquid propter Deum exponere. Nam, vt ait Bernardus, Quia virgo se exposuit propter Deum vouendo castitatem, illo tempore vitio datum: vt ab omnibus mulieribus esset maledicta: dedit illi, vt inter mulieres esset benedicta.

Benedixi benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus.
Audis quanti Deus faciat iustos: vt velit nos illis benedicere, & maledicat iis, qui maledicunt. Similiter quid piaculi sit, si iusto maledicas. Quomodo (ait Balaam Nume. 22.) maledicam cui Dominus benedixit? Et Psal. Maledicent illi, & tu benedices.

Sis benedictio. Non solùm sibi prosunt benedicti, sed etiam aliis sunt benedictio. Non solum sunt salsi: sed etiam sal, quo alij saliuntur. Neque solum illuminantur, sed alios illuminant. Non solum saluantur: sed & alios saluant. Vos (inquit Christus) Matthæi quinto, estis sal, vos lux mundi. Et Isaiæ quadragesimo nono. Dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Et capite. 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo.

Perrexit secum Loth. Admonemur hic curare consanguineos, pupillos, & orphanos.

Filius 75. annorum erat, cum egrederetur.
Non est senium causatus: dum senex vagare præcipitur. Quo nos docet obedire Deo: etiam si nobis sentibus patria relinquenda sit.

IN CAPVT. XIII. ADNOTATIO AD LITERAM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ET ascendit Abram ex Ægypto. Omnibus vicinis terminis altior est terra sancta, ideò ad eam ex Ægypto ascendisse Abram dicit hic scriptura. Nam capite superiori dictum est, Abram descendisse in Ægyptum, vt ostenderet Ægyptum humiliorem, terra Israel.

Et Loth cum eo. Quia non dixerat Loth cum eo descendisse, vult nunc supplere, narrando ascensum.

Ad austrum. Non intelligas, quòd ab Ægypto ascendendo, ad austrum contenderit, cùm Ægyptus sit ad Austrum terræ sanctæ, & ascendentes ex Ægypto ad terram sanctam, oportet contendere versus Aquilonem: sed ascendit ad Austrum, id est, ad locum, in quo antea fuerat qui erat ad Austrum terræ sanctæ Nam infra dicitur, quòd iuit ab Austro vsque Bethel per profectiones suas.

Abram erat dives valde. Verbum (chabar) significat propriè grauare: vnde hebraissimus, vocat diuites graues, aut grauatos, quòd diuitiis, & bonis aliis onusti sint. Significat etiam munus offerre, quod qui offert, videtur illum onerare, & ditare, cui offert. Vnde Isa. 43. Victimis tuis non oneratli me.

In pecore. Significat, chanah, à quo, michneh, possidere, &, michneh, possessionem, & quia illo tempore ferè omnis possessio erat in pecoribus, vocantur pecora possessio.

Et vocauit ibi Abram in nomine Domini, id est, litauit ibi Domino, quemadmodum antea fecerat innocando ibi nomen Domini, cui scilicet offerebat victimas. Verbum, cara, significat clamare, ideò intelligendum est, quòd clamore Deum ibi inuocauerit. Et sic puto fuisse tempore Enos: quando, vt dictum est, 4. cap. cœptum est clamare in nomine Domini.

Et tabernacula, id est, tentoria pastorum.

Non portauit eos terra, scilicet, super se, ac si dicat, Arcta erat terra ad pecora, tam multa

Quoniam viri fratres nos. Omnes consanguineos vocat hebraissimus frattes.

Separare quæso à me, Hebraicè à super me, aut à iuxta me.

Si sinistram tenueris. Hebraicè. Si sinistraueris: dextrabo: si dextraueris, sinistrabo, si sic loqui Latinis permittatur.

Vidit omnem planitiem. Significatio, chichar, quod nostri planitiem vertunt, non est benè nota Itdæis. Dicunt enim significare partem planitiem, & talentũ propria tamen significatio videtur esse pars, ſtustum. Prouerbiorum sexto, vsque, chichar, id est, frustum panis. Et quia paulo inferius dicit textus, Loth habitasse in ciuitatibus (hachichar) vbi nullo modo videtur quadrare partem: planitiem verterunt. Non enim illis conuenire videtur: si vertas: Et habitauit in ciuitatibus partis, seu portionis. Sed in hoc nihil incommodi video, si subaudias, illius: quod scilicet habitauerit in ciuitatibus partis illius, seu Iarden: vbicunq; autem ipsi talentum vertunt: optimè quadrat frustum, aut pars.

Sicut hortum Domini; id est, sicut paradisus terrestris, qui Gene. 3. vocatur hortus Ex quo constat celebrem fuisse hortum illum, apud Priscos.

Sicut terra Ægypti: in qua non pluit, sed tota terra à Nilo flumine irrigatur.

Intrante, seu ingrediente te Soar.

Ostendit terrãm Ægypti versus ciuitatem Sohar esse amœnissimam. Est autem ciuitas Sohar in terra sancta non longè à Sodoma, in qua saluatus est Loth: vt dicitur infra cap. 18. Aut veniente te in Sohar, scilicet, à loco in quo erat Loth, vel à Sodoma veniendo Sohar: terra erat amœnissima, & irrigua.

Abram habitauit in terra Chenaan.

Ne, scilicet, relinqueret possessionem promissæ terræ. Vnde infra. 24. cap. præcepit seruo, ne filium suum à terra promissa abduceat: si vxor nolit ad eum venire.

Et tetendit tabernaculum.

Hebraicè est, tabernaculauit (Si fieliceat loqui) vsque (Sedom) id est, multiplicatis mansionibus, peruenit ad (Sedom). Solent enim pastores mansiones multiplicare propter victum pecoris, vnde tabernaculare (si sic loqui latinè liceret) est tabernacula mutare.

Viri Sedom mali, & peccatores Domino valdè.

(Roah) à quo (Rahim) id est, mali, videtur significare id, quod oculis videri non potest, quasi abominabile. vt patet Numeri. 11. Et in oculis Moseh (Rah) id est, malum apparuit, seu visum est. Sic Prouerb. 24. Ne fortè videat Dominus, verah i. displiceat, aut malum illi videatur (chata) verò videtur importare transgressionem, & rem dignam punitione: vnde (cheta) punitionem etiam significat. Et sensus est. Viri Sedom mali, & peccatores, id est, abominabiles, & punitione digni, coram Domino valdè.

Tibi dabo eam. Hæc est secunda promissio terræ facta Abræ: vbi etiam promittitur illi proles, sicut pulis terræ.

Surge, ambula. Hoc, meo iudicio, fecit Deus: vt ipse possessionem accipetet, & videret bonitatem terræ.

Et tabernaculum mouit. Hebraicè tabernaculauit, vt iam diximus, & significatut eum sæpius mutasse tabernaculum, vsque ad (Chebron) Et quod dicitur, *in quercubus Mamre,* de dictione Elon, iam diximus cap. superiori significare arborem fortem. Si radix sit, quã illi Hebræi assignant. Manre verò viri nomen est: vt sequenti capite dicitur. Ciuitas verò (Chebron) capta dicitur Iosue. 19. Et fuit ciuitas tribus Iudæ in qua regnauit Dauid antequam esset rex totius Israel.

IN CAPVT. XIII. ADNOtatiò ad mores.

ASCendit Abram ex Ægypto. Docet nos hic sanctus patet non relinquere ea, quæ nobis à Deo donantur: nisi fortè ad parum temporis, & cùm omnino opus sit. Noluit enim Abram in Ægypto mãtari: sed statim ad promissam sibi terram rediit.

Abram erat dives valdè. Vide sanctorum vicissitudines. Modo diuites, modo pauperes, & qualiter sciunt deficere, & abundare: considera etiam quomodo Deus voluerit vxotis medio maritum ditare, vt pax esset inter eos.

Ad locum altaris. Sicut Deus beneficia sanctis multiplicat: ita ipsi gratiarum actiones.

Etiam ipsi Loth ambulanti cum Abram fuerunt pecudes. Nouimus hic, quid valeat, iustis coniungi. Nam qui sociantur illis, cum illis simul ditãtur à Deo. Quemadmodum enim qui malis coniunguntur, cum eis esuriunt: ita ditantur, qui bonis adherescũt, & manifestè hic ostendit Deus diuitias dedisse Loth, gratia ipsius Abræ.

Non poterat eos terra. Ecce quæ mala pariãt diuitiæ. Nempè discordias, etiam inter consanguineos iustos. Vix enim potest ciuitas duos diuites ferre.

Dixit Abram ad Loth. Non possunt iusti lites, & contentiones ferre, & malunt de sua substantia perdere, quàm contentionibus misceri. Sènis debuerat esse electio, sed ne iterum super hæc re contenderent: optionem illi dedit, & cessit iuniori senex.

Vidit omnem planitiem Iarden.

Docet locꝰ iste, quo terra fuerit vberior: eò frequẽtius homines ibi deteriores esse, & docet locus iste falli eos qui quod pulchrius, & amœnius est, eligunt, & vt plurimum vbi terra delitiosior est, cultores vitiosi sunt.

Abram habitauit in terra Chenaan.

Ne vt diximus relinqueret promissum sibi locum: patitur iustus senex inter idololatras habitare.

Viri Sedom peccatores & mali, latenter vult hic scriptura arguere Loth, quod cum malis & peccatoribus sibi habitaculum elegerit.

Dixit Dominus ad Abram, postquam separauerat se ab eo Loth.

Quid hoc est Domine Deus quòd ad donandam terram Abræ, expectas recessum nepotis? Nunquid non poteras eo præsente donare? Sicut pius inuidiam aut odium nepotis timuit ipsi Abræ. Admonui supra. 4. cap. q̃ oculati esse debeãt domini, in distribuẽdis bonis aut

aut ostendendis fauoribus: ne scilicet ex hoc alios ad inuidiam prouocent. Quia enim viderat Dominus Châin, ex inuidia fraternæ gratiæ fratrem occidisse: ad promittendam terram Abræ: expectauit consobrini separationem.

Leua nunc oculos tuos. Pulchre admodum admonet nos locus iste, quàm velit Deus nos dona eius speculari, & contemplari. Vnde. 2. Samu. 7. quia viderat Dauidem non curasse beneficia sibi collata, ea comme motat, & enumerat. Ego inquit te tuli è tugurio euntem post oues, & cætera.

Et semini tuo vsque in seculum.

A seculo enim Dominus terrãm hãc Israhelitis elegit vt constat. Deutero. 32. Quando diuidere faciebat altissimus gentes: constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel. Etiam hic locus admonet, quid consanguineis suis valeant iusti: & implet Dominus hic, quod postea dicit Exodi. 20. Faciens mi sericordiam in millibus iis: qui diligunt me. Sicut enim impij filij portant iniquitates parentum impiorum: ita pij portare solent iustitiam piorum.

Sicut puluerem terræ. Latenter hic Dominus ostẽdit Abrahæ, quales filij eius futuri erant. Nempe terreni, & carnales: simuliter, qualiter erant in orbem dispergendi, quemadmodum puluis: quem ventus propellit à facie terræ. Aliud tamen futurum erat semen eius sicut stellæ cœli: quorum conuersatio in cœlis, quod nihil terrenum saperet; sed alios illuminaret, sicut astra de cœlo terram. Et aduerte hic, Deum nunquam voluisse omne semen Abrahæ numerari: quoniam promiserat innumerabile: ideo à .20. annis & infra, nõ fuit numeratus: & tentauit Dauid hoc semel facere: sed peste ea de causa grassante, perficere non potuit: vt habes. 1. Paral. 27.

Ambula terram. Admonui supra, vt cùm primum nobis aliquid à Deo donatur: statim illius possessionem accipiamus. Possunt enim huiusmodi promissiones multipliciter impediri Et ex hoc loco iura illa processisse credo, quæ statuunt necessariam rei possessionem, ad hoc quod dominium rei donatæ, aut emptæ transferatur.

IN CAPVT DECIMVMQVARtum ad literam.

FVit in diebus Amraphel Regis Sinhar.

Si hæc (Sinhar) sit illa cuius scriptura meminit supra. 10. capite, cuius rex fuit Nimrod: constat hunc fuisse Babyloniæ Regem: cùm ibi Babel descripta fuerit in terra Sinhar. Similiter dubium est an (Elasar) & (Helam) sint nomina prouinciarũ, vel potius ciuitatum Et de (Sinhar) iam diximus esse nomen prouinciæ. Similiter Helam, nomen prouinciæ esse constat: cuius mentio fit Isaiæ. 11. Ierem. 49. & Ezech. 32. & Ezechielem verò coniungitur Assur. Ex quibus conflare videtur, omnes istas prouincias esse coniunctas, neque longe distare à terra promissionis. Vnde Iosephus dicit omnes istos fuisse reges Syriæ, quæ vicina est terræ promissionis. Potuit tamen esse, quòd sint nomina ciuitatum: à quibus prouincia denominata est. Nam, vt constat ex libris Iosuæ, quælibet ciuitas populosa suum habebat regem ab ea denominatum: sicut rex Iericho, Rex Hai, Rex Chebron, quem modum Harabes vsque hodie in Aphrica obseruare dicuntur: Neque difficultate caret, quare (Tidhal) dicatur hic rex gentium: cùm omnes hi fuerint gentilium regum. Isaiæ nono habes. Non erit ei obscuratio, secundum angustiam, quę fuit in tempore primo, ab eo qui alleuiare fecit terram Zebulum, & terram Naphthalim. Et vltimo ab eo qui aggrauari fecit viam maris trans Iarden Gelil gentium. Quare potuit fieri, quod esset nomen proprium gentis, vicinæ terræ promissæ quod Iudæi sentiunt. Posset etiam dici scripturam hũc regem gentium vocare: quod præ cæteris abundaret gentibus: aut quòd eius terra magis distaret à terra Israelitarum. Lyra dicit eum sic vocatum, quòd in regno suo haberet homines diuersarum nationum: nihil tamen certi huius rei inuentio, neque libenter diuino, aut mendacia fingo. Aduerte etiam Hebræos dicere hunc Amraphel fuisse Nimrothum, sed melius meo iudicio sentiunt, qui cum Beroso putant fuisse Ninum filium Semiramidis. Nam Nimrod diu præcesserat tempus Abrahæ.

Rex Sedom. Constat hanc ciuitatem fuisse in scripturis notissimam, quæ tamen multa oppida sub ditione sua continebat.

Ipsa est (Sohar) id est, quæ nunc dicitur Sohar. Capite enim. 19. legitur hoc nomine insignita: cùm antea diceretur Vela.

In valle (Siddim) ipsa est mare salis.

Dictio (hemech). i. vallis ab hamach ortum habet, quod est profundum esse: inde (hemech) id est, vallis à profunditate dicta. Dictio verò sequens, scilicet, (Siddim) non plenè nota est Hebræis. Nam quidam putant esse proprium nomen loci. Alij significare dicunt agros. Alij verò bitumen, aut calcem. Si quis tamen rectè radicem examinet, deprehẽdet duo hæc verba, scilicet (sadad) & (sud) esse eiusdem significationis. Nam (Sadad) significat agrum colere, seu adæquare: qualis manere solet postquam lignea create (quam nostri grade vocant) ad æqualitatem reducturus est. Sic (sud) interstare seu calce linire, & ad modum agri culti parietem æquare. Vnde (sadeh) id est ager cultus & æqualis. Si ergo, Siddim, non sit proprium nomen loci, significat campos, seu agros modo prædicto cultos, & vertendum est. In valle, seu profunditate agrorum, scilicet cultorum.

Ipsa mare. Hebraicè est pronomen masculinum, Hu, id est, ipse, sed nomen, Hemec, id est, vallis, potest esse masculini generis apud Hebræos. Est ergo sensus quòd vallis illa sit mare salis. Neque putes antea non fuisse cùm semper in illo lacu se Iordanis fluuius exoneraret, sed non se extẽdebat ad Sodomam, sicut post subuersionem illarum ciuitatum.

Percusserunt Raphaim. id est, gigantes. Sic à sanitate, vel integritate dictos. Puto enim, ruph, &, rapha, esse eiusdem significationis, &, ruph, videtur significare integrare, & sanare, quoniam quod ex rupto integratur, videtur sanari. Vnde illud Iob. 26. quod nostri vertunt columnæ cœli, Ierophaphu, id est, contremiscunt: melius vertendum puto integrantur, seu rigescunt, quemadmodum mentientes, rigescere solent. Et fortè gigantes sic dicti sunt, quòd sint rigidi, aut quòd homines ex eorum aspectu rigescant.

In Asteroth Charnaim, atque Zuzim.

Nomina sunt ciuitatum in quibus antea gigantes habitabant, & videntur ciuitates Philistinorum. Posset etiã legi. Percusserunt gigantes in Asteroth Charnaim atque Zuzim, id est, & populos, qui vocantur (Charnaim, & Zuzim) cum eis. f. gigantibus, percusserunt. Aut pro, cum eis, potest verti in, ham, vt, ham, sit nomen vrbis, qua percussi sunt isti populi. (Emim) etiam videntur populi.

In fauch chiriath thaim. Aliqui putant loci nomen: Alij interpretantur in planicie (chiriathaim) neq; sine causa, quoniam verbum, fauah, vt diximus significat æquare, adæquare: vnde, fauch, id est, ager sic ab æqualitate dictus. Non tamen memini me legisse nomen in hac significatione in alio scripturæ loco.

Et Hachori. Nomen est populi, qui ante filios Esau, incolsuit montem (Sehir.

In monte eorum Seir vsque ad Paran.

Nomen est loci iuxta desertum, aut deserti, in quod ex Ægypto venerũt filij Israel, dum in terram promissam contenderent.

Venerunt ad Hen Mispat. Nomen loci est. Posset tamen interpretari in oculum, aut fontem iudicij.

Ipsa est Cades. In qua, scilicet, postea Iudæi ex Ægypto venientes, castrametati sunt. Et ponit Moseh, nomina antiqua locorum, atque etiam, quibus suo tempore appellabantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et percusserunt omnem agrum Amalechitæ, id est, qui postea fuit Amalechitarum. Nondum enim nati erant Amalechitę: vt infra dicetur. Et dicuntur agrum percussisse, quoniam blada illius succiderunt, & memento hebraismum: nō solùm homines, & iumenta, sed etiam agros percussos dicere.

Habitantem in Chasason Thamar.
Nomen loci esse videtur, quem Amorrhæi incolebant.

Ordinauerunt eum eis bellum.
Non plenè constat de propria significatione verbi, harach, quod hîc Sanctes, ordinare vertit: illa tamen est communior: licet sint aliquot loci, quibus nō videtur conuenire: vt Psal. 89. Quoniā quis in cęlo, Iabaroch, id est, æquabitur Domino? Posset tamen verti ordinabit, scilicet, prælium cum Domino? Sic Iob. 36. haiaharocha, id est, nunquid æstimabit diuitias tuas? Aut nunquid ordinabit se ad clamorem tuum? Est etiam alia coniectura, quod significet ordinare, quoniā, maharachah, quod ex eo descēdit, significat ordinē. Exod. 39. aut aciem, sic dictam ab ordinatione, qua ordinata est, significatio tamen nōdum mihi omnino certa est.

In valle Hassiddim, id est, sic appellata, aut agrorum: vt iam diximus.

Vallis Siddim putei, putei bituminis.
Non plenè, nota est Hebræis significatio verbi, chamar, à quo, chemar, id est, bitumen. Et Latini cretam vocant & de verbo diximus diffusè supra cap. 11. Hic verò (chemar) significat lutum viscosum: quod nostri greda vocant: quo, vt diximus, vasorum foramina liniuntur. Vallis autem illa erat plena fossis, quibus hoc genus luti fodiebatur. Sunt tamen qui putant fuisse ibidem puteos, quibus bitumen decoquitur, quos nostri vocant furnos picis. Dicit autem: Putei putei, quia (vt in hebraismis explicuimus) solet hebraismus multitudinem, eiusdem nominis geminatione ostendere.

Et ceciderunt ibi, scilicet in fossis, aut puteis illis.

Nuntiauit Abram Hebræo. Nominatur Hebræus, aut quia venerat à loco trans flumen, aut ab (heber) vt iam diximus. 11. capite.

Fratris Eschol, Constat ex hoc loco (manre) esse viri nomen, cuius fratres hic duo describuntur.

Ipsi confœderati fœdere cum Abram.
Verbum (bahal) à quo (bahale) significat superiorem esse, supergredi, aut coniungi, sicut superior inferiori: vt Malachiæ secundo (Vbahal) id est, supergressus est, sicut maritus vxori, filiam Dei alieni: ac si dicat rem habuit: coniunctus est, sicut vir vxori, cum filia Dei alieni. Sic Deut. 24. Cùm acceperit vir vxorem: (Vbehalah) id est, supergressus fuerit ei, scilicet sicut vir vxori, aut superior illi fuerit, quemadmodum vir vxori. Quia verò isti erant superiores ad Abram, dicit textus, quod supergressi sunt, seu vt superiores, cōfœderati sunt Abram. Et aduerte, quod vult scriptura significare, quod quanquam Abrahæ isti viri superiores essent: timebant tamen ipsum, & voluerunt cum eo fœdus inire. Vnde litera vęrti posset. Et ipsi superiores, fęderis, seu autores, cum Abram.

Et expediuit. Verbum, raiach, significat proprię euacuare, & ex consequenti euaginare quòd euaginatio sit euacuatio vaginæ, & sensus est: quod abstulit à suis ea quę impedimento esse poterant ad committendum prælium. Et quod sequitur.

Initiatos suos, natos domus suæ, Est aduertendum (chanah) à quo (chanich) significare incipere, vti aliqua re, aut erudire prima rudimenta, deniq; primum incipere aliquid, vt Deutero. 20. Quis vir qui ædificauit domum nouam, & non, chanacho, id est, dedicauit eam, aut non incœpit ea vti. Et. 2. Paralipom 7. Vaiachnechu, id est, & dedicauerunt domum Dei, aut de nouo eam consecrarunt. Quare, chanichu, videtur significare incipientem, id est, quos Abram domi nutrierat, & docuerat, seu qui in domo eius crescere cęperant, & erudiri. Vnde nō ineptè vertas, incipiētes suos, natos domus suæ: vt scilicet (natos domus suæ) sit more hebraico, explicatio sententiæ præcedentis.

Persecutus est, scilicet, Reges: vsque Dan. Sunt quę putant locum Dan, esse vbi fontes Ior, & Dan, qui hæc dem flumen conficiunt, coniunguntur: vbi est ciuitas Dan, ad Libani montis radices sita. 11. leucis, à Sidone distans, quæ postea Cæsarea Philippi dicta est, & Lais, quam Agrippa in Neronis gratiam, Neronam vocasse dicitur.

Et diuidere fecit super eos nocte, id est, diuisit suos in turmas. Et nota, quod verbum (chalac) licet propriè significet diuidere, ex consequenti tamen significat lenire, cò quòd lenia, facilè diuidantur: vt patet Psal. 5. Linguam suam, Iachalichun, id est, lenificabunt. Vnde chalach, id est, lenis infra. 37.

Vsque (Chouah) Nomen loci est propè ciuitatem Damascum, quæ hîc dicitur Damęsech. Omnia hæc contigerunt, ad partem Aquilonarem terræ sanctæ, in qua Damascus sita est.

Et egressus est Rex (Sedom) in occursum eius.
Non explicat scriptura, vnde fuerit egressus; coniectura tamen est, quod ex vrbe sua, quam intrauerat post exitum inimicorum ex ea.

Ipsa vallis regis. Non indicat scriptura, quam ob causam dicatur hæc vallis regis. Sed commune est, loca à regibus denominari: ob aliquam causam, quæ regi attineat, Sicut in patria mea est mons, qui vsque hodie dicitur Caput regis, & locus alter: in quo est puteus, qui vsque hodie dicitur Regis: sed nunc ignoratur causa. Putarem autem hāc vallem regis dici, quòd rex ibi prædia sua haberet, aut quia quæ pulchra solemus vocare regia, vel vt Hebræi putant, quia erat locus, vbi reges, aut pueri eorum ludebant.

Et Malchisedec rex Salem protulit panem & vinum. Et ipse sacerdos Deo altissimo.
Ignoratur, quis fuerit iste Malchisedec, licet Hebræi autument fuisse Sem filium Noach. Egesippus dicit fuisse Chenanæum. Similiter non plenè constat, an Salem, & Ierusalem idem sint. Est tamen coniectura esse eandem: quod Psal. 76. Salem dicatur habitatio Dei: sicut Syon, & Ierusalem. Verius tamen mihi apparet hanc Salem, esse illam: cuius meminit Ioannes Euangelista. 3. cap. quoniam hæc propè Iordanem erat: vt patet ex Dan ciuitate: ad quam, vsq; Abram reges persecutus est, à qua longè distat Ierusalem. Erat enim ciuitas Dan extremitas altera terræ sanctæ aquilonem versùs: iuxta illud. 1. Samue. 1. Cognouerunt omnes à Dan vsq; Bersabeh. Sonat autem (malchisedec) Regem meum iustitiæ, de quo Psal. 110. Et quod dicitur eum protulisse panem & vinum, putant quidam hoc fecisse ad pascendos viros, qui erant cum Abram, qui venerant ex bello lassi. Videns enim eum cum suis lassum, ex sua ciuitate, protulit panem & vinum, quo bellatores vires resumerent. Aduerte etiam, chohen, id est, sacerdos, non solùm sacerdotem, sed principem in sacris literis significare; vt patet. 2. Samue. 20. vbi dicitur. Et etiam (hirah Iaritha) erat (cohen) id est, princeps Dauidi. Et clarius, secundo Samue 2. Et filij Dauid, chohanim, id est, principes erant: vbi nullo modo conuenit sacerdotes vertere: cùm sacerdotes nō essent de tribu Iudah, vt Paulus ad Hebr. habet: sed Leui. Idem. 1. Parali. 18. Frequentius tamen sacerdotem significat. Et hic pro sacerdote accipiēdum videtur, quoniam benedixit Abrahæ: quod munus sacerdotis erat, licet non solùm, vt ex multis sacræ scripturæ locis constat: imò supra dictum est, benedicere, esse bona precari, quod ęq pius est hominis ad hominem, & hominis ad Deum. Tum quia illi decimas dedit Abram, quę sacerdotibus dari solebant. Quidam tamen modernus Hebręus, vertit. Et (Malchisedec) rex Salem protulit panem & vinum. Et ipse princeps Deo altissimo. Vocatur autem princeps Deo altissimo (inquit) eo schemate, quo filij (chet) vocant Abram infra principem Dei. Sed eū Paulo, potius sentiendum est: quod scilicet iste (Melchisedec) quicunque ille sit, fuerit Dei sacerdos, & quòd panem & vinum protulerit ad sacrificium gratiarum actionis pro debellatis hostibus Abrahæ. Aduerte etiam, quòd licet. 70. & vulgata æditio vertant.

Erat

Erat enim Dei sacerdos, quasi sequens sententia causam prioris reddiderit: in hebræo tamen est, vt vertimus, scilicet. Et ipse sacerdos Deo altissimo. Dicitur autem aliquis princeps Dei: aut Deo, duplici de causa. Aut quia magnus est, quemadmodum supra capite sexto diximus. filios Dei, dici homines magnæ staturæ, sicut cedros Dei. Vel quòd tanta pietate, veritate, & iustitia quis præditus sit: vt quasi Deus sit in medio populi, quemadmodum viri sancti, viri Dei dicuntur, ac si dicatur, Princeps loco Dei, aut Dei locum tenens.

Et benedixit ei, id est, precatus est illi à Deo bona.

Benedictus Abram Deo excelso, id est, ab eo benedicatur, & augeatur in bonis.

Qui tradidit inimicos tuos in manu tua.
Non plenè constat de radice, miggen, quod hic ponitur. Nam quidam deriuant à, vagan, aut, ganan, quod est protegere. Alij verò, Magan, radicem esse putant, quæ, significat tradere: ad quod citant illud Hose. vndecimo, amagencha, id est, tradam te, seu dabo te Israel. Et Prouerbiorum quarto. Coronam decōris, tema gencha, id est, tradet tibi. Si autem à scuto, seu protectione deriues, tunc sequenda esset vulgata æditio, & vertendum quo scuto, id est, quo protegente, sed primum melius.

Et dedit ei, scilicet Abram Malchisedec, decimas ex omnibus, scilicet, quæ acquisierat in bello. Et ex hoc ortum puto in Israel, dare Domino donaria ex præda inimicorum: vt patet in Numerorum libro, & Deuteronom. quod non parua coniectura est fuisse Malchisedec sacerdotem, cui Abram decimas dedit. Neque quadrat Malchisedec dedisse Abraæ decimas, vt aliqui Hebræi opinati sunt, vt mysterium hic adumbratum fugerent.

Da mihi animam, scilicet hominum, pro animas.

Leuaui manum meam ad Deum, aut fortem, excelsum: possessorem cœlorum, & terræ. Modus est iurandi, quem à Domino sanctos Patres didicisse crediderim. Quod enim, hic sit modus iurandi Dei, constat Deutrono. 32. vbi sic dicit Dominus. Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam. Viuo ego in æternum: si acuero aciem, &cæt. Solebat enim Dominus manum leuare, & iurare per vitam suam. Est ergo sensus locutionis Abraæ: Protestor leuando manum meam ad Deum, scilicet, possessorem cœli & terræ. Vel leuatio manus significabat firmitatem iuramenti. Vnde Angli (vt audio) vsque hodie eleuato digito iurant.

Si à filo, & vsque ad corrigiam.
Incerta est significatio, seroch, quod nostri hic corrigiam vertunt, quoniam verbum, sarach, aliud significare videtur. Ieremiæ secundo, vbi dicitur. Dromedaria leuis, messarecheth, id est, capiens, vel circuiens vias suas. Mihi verò videtur verbum significare assuescere, seu terrere, &, seroch, detritum, aut detritionem. Vnde hic videtur significare veterem calceum, & detritum. Et locus Ieremiæ reddendus est, quemadmodum vulgatus vertit, scilicet iterans, vel assuescens viis suis. Hic verò vertendum est: quod à filo, vsque ad detritionem calcei, id est, ad calceum detritum, non erat accepturus de bonis ipsius. Neq; mihi omnino certum est, (chut) significare filum, quoniā etiā vittam inuenitur significare. Cant. 4. Sunt tamen aliquot loci, qui cōuincere videntur significare filum: ex quo fit chorda, non chordam ipsam: vt patet Iosue. 2. primo Regum. 7. & Eccle. 4. Vnde verti posset. Si à funiculo, vsque ad detritum calceum.

Et non dices. Ego ditaui Abram, id est, non iactabis te, quod me diuitem feceris.

IN CAPVT DECIMVMQVARTum ad mores adnotatio.

Fecerunt bellum cum Bera. Antiqua est Regum ambitio: qua, dum regna sua dilatare cupiunt: tyrānicè alios reges finitimos opprimere, & suo imperio subiicere volunt.

Percusserunt omnem agrum Hamalechitæ.

Hoc est commodum, quod terra, qua transeunt bellatores: ex eorum transitu consequitur: neque Reges hoc restituere curant.

Vallis (Siddim) plena erat puteis.
Discant ex hoc loco qui bellis vacant, qualis sibi eligendus est locus ad congrediendum.

Ceperunt Loth. Admonet locus iste, quàm sit cauenda iustorum iniuria, quoniam propter vnicum iustum: isti coacti sunt omnia, quæ detulerant: restituere. Sicut enim boni: sæpius propter vnum iniquum omnia bona sua perdunt: ita mali, propter vnum iustum perdita recuperant. Loth enim iustus, propter Sodomitas malos, substantiam suam amisit: ipsi verò vice versa, propter eius iustitiam, licet mali, quæ amiserant receperunt. Vnde textus quasi reddens rationem captiuitatis Loth, & amissionis bonorum, dicit.

Et ipse habitabat in Sedom.
Ac si dicat. Hac de causa amisit bona, quoniam inter pessimos Sodomitas morabatur.

Ipsi erant fœderati cum Abram.
Vides hic, quàm potentes sint iusti etiam peregrini, & aduenæ, quod opus fuerit hunc Amorrhæum cum eo fœdus inire: etiam si eo potentior esset.

Audiuit Abram, quòd captus esset frater eius.
Docentur hic consanguinei, qualiter pro consanguineis vita exponenda est.

Expedeuit pueros domus. Duo hoc loco notatu digna: occurrunt nimirum cum quibus bellum gerendum: pro iis qui nos diligunt: tum quòd patres familias suos familiares debent instruere ad pacem, & bellum: si opus sit. Vbi simul aduerte, sanctissimum virum, optimum ducem, qui non solùm suos expedire, sed diuidere nouit, ad victoriam consequendam. Sciunt enim sancti suo tempore, bellare, & pacem habere. Similiter licet pro vicinis, & amicis arma sumere, si eos iniustè ab aliis vexari contingat.

Malchisedec protulit panem, & vinum
Occurrendum est lassis cum victu. Vnde Deutero. 23. præcipit Dominus non admittere Hammonitas, & Moabitas in ecclesiam Domini: etiam in decima generatione: eò quòd non occurrerunt Israelitis venientibus ex Ægypto cum aqua, & pane.

Et benedixit ei. Docet locus iste, quòd Paulus Romanos admonet, scilicet congaudere gaudentibus. Omnes gaudere solent in successu iustorum, quemadmodum gemunt: cùm malis benè succedit.

Benedictus Abram Deo. Et benedictus Dominus.
Benedicendus est homo in suis benè gestis, sed magis Dominus, qui dicit benè, & præclarè operari.

Da mihi animas. Audiant hoc Reges, pluris scilicet esse faciendas animas subditorum, quàm substantiam suam, quod eos arguit, qui ad pecuniam, & bona eorum inhiant, non curantes, an benè, an malè viuant, neque si viuant: docemur præterea aliena, etiam si iusto bello acquisita, restituere: licet non teneamur.

Vt non dicas. Ego ditaui Abram.
Audis quanti animi sint serui Dei: vt à nullo alio bona, imò neque mala, nisi à Deo suscipere velint. Qui enim ditari non à Deo volunt, non sunt serui Dei. Et de bonis hic exemplum habes: de malis verò, quod non nisi à Deo acceptare ea velint, exempla scripturæ accipe. Cum. 2. Samuelis. 16. Semei malediceret Dauid, noluit Abisai Dauidem, à seruo maledictionem accipere, eumque punire: quod regem malediceret, & cum iamiam occidere constituerat. Ibo (inquit) & amputabo caput eius. Cui rex magni animi sui non oblitus, respondit. Dimitte eum, quia Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid. Arbitraris (ait) quòd de manu serui debeam maledictionem ferre? Nom sum tam pusilli animi, vt alium, quàm Deum mihi malefacere posse putem. Nihil mali ab alio, quàm à Deo, suscipere noui. Quod si aliud exemplum huius rei velis. lege secūdum caput Iob, vbi habes. Si bona suscepimus de manu Domini, & malum nō suscipiemus? Dominus dedit: Dominus abstulit. Nihil enim aliud Diabolus

Universidad de Deusto
Biblioteca

prænoscebat, quàm quod putaret Iob, se posse ab eo lædi: vt eum aut timeret, aut ex timore honoraret. Quod vir sanctus prænidens, non solùm bona, sed mala non ab illo, sed à Domino recepisse fatetur. Et hoc tibi documentum serua. Quoniam non solum in eo animi tui magnitudinem ostendes: sed liberaberis ab odio inimicorum tibi nocentium: si te ab eis in nihilo lædi posse existimaueris. Addam adhuc de bonis alterum exemplum, scilicet Christi: cui famelico est quadragenario ieiunio, (vt Matthei quarto, scriptum est) cùm Diabolus cibum obtulisset, accipere noluit, & quia à Diabolo oblatum panem respuit, ostendens bona nullo pacto esse à malis & inimicis acceptãda: ecce Angeli accesserunt, & famelico necessaria ministrarunt.

Præter ea, quæ comederunt pueri.

Qui commode negotium alterius tractat, iustè partem bonorum eius accipit. Vnde nostri Doctores dicunt, Prædicatores, qui vsurarios malè ablata restituere faciunt: iustè eleemosynas, & ministerij sui operas ab eis accipere.

IN CAPVT DECIMVMQVINtum Annotatio ad literam.

FVit verbum Domini ad Abram in visione dicendo. Videtur, quòd Dominus Abræ apparuerit aliqua sensibili forma, cùm ei sequentia dixit: quam scilicet ei ostendit.

Ne timeas. Quoniam debellauerat Reges: fortè timebat, ne illi congregato exercitu, cum delerent: ideò eum securum reddit Dominus.

Ego scutum tuum, id est, protectio. Nam à (ganan) quod est abscondere, protegere, est (magen) id est, scutum, sic dictum, quòd gestantem protegat. Vnum tamen hic admonebo. Malè scilicet nostros Thren. 3. vertere (meginah) dolorem: dicentes. Dabis eis (meginath) id est, dolorem cordis: cùm significatio hæc nullam habeat cõuenientiam cum verbi significatione. Sed vertendum puto. Dabis eis opertionem cordis, id est, cæcitatem mentis, quod ideò admonui: quia maximè doleo Hebræos, & nostros non curare allusiones, & facilè mutare significationes verborum, & nominum hebraicorum.

Et merces tua multa valdè. Per mercedem videtur intelligere copiam: cùm filiorum, tum omnium rerum vltra beatitudinem. Et in his duobus omnia comprehendi videtur, quod scilicet à malo liberabit, & bona faciet.

Domine Deus meus, quid dabis mihi?

Verba videntur esse diffidentis verbis Domini, à quibus, postea fidens & credens purgatur: cùm illi fides ad iustitiam reputatur.

Ego vadens vnicus. Dicunt Hebræi, & nostri, hariri, significare vnicum hic, & Leuit. 20. Peccatum suum portabunt, haririm, id est, vnici, seu absque liberis morientur. Quia tamen verba geminata, quietscentia secunda & tertia: sunt eiusdem significationis, vt plurimum, puto, harar, significare idem quòd, harah, &, vr. Cùm verò illa duo significent nudare, spoliare: sequitur etiam, harar, idem significare, &, hariri, nudum, seu spoliatum. Vnde vertendum arbitror. Ego vadens, scilicet ad mortem, hariri, id est, spoliatus seu nudatus hærede.

Et filius gubernator domus meæ ipse Damascus Eliezer. Dictio, mesec, quam nostri vertunt, procuratorem: meo quidem iudicio, illum non significat, sed propriè discurrentem, siue sit procurator, siue filius. Quod coniector ex eo, quod radix verbi, siue sit (massac) siue (iachac) sine (suc) significat propriè currere, discurrere, fluere: vt patet consulenti lexicon hebraicum. Vnde Sophoniæ 2. tam nostri, quam Hebræi vertunt, Minsac charul, id est, exitus vrticæ, vel cardui. Vnde vertendum est. Et filius exiens, aut discurrẽs domum meam, est ipse Damascus Elihezer. Solet enim filius domus, postquam pater senio confectus est, domum gubernare, intrare, & exire: & hinc inde discurrere. Et est sensus. Filius exiens, & discurrens domum meam, debebat esse filius meus, & tamen non est, sed est Damascus Elihezer. Quod statim more suo explicat, dicens. Ecce mihi non dedisti semen.

Filius domus, id est, procurator, seu gubernator.

¶ Et stabiluit se in Domino. & reputauit illud illi in iustitiam.

Antequam sensum horum verborum reddamus, significationem duorum verborum, scilicet, aman, id est, stabiliuit, &, chassab, id est, reputauit, explicanda est, & prius, scilicet, aman, significat propriè stabilire, firmare, fidere, & credere: vt ex multis scripturæ locis constat. Primo enim Regum octauo dicit Dauid. Et nunc Deus Israel (ieamen) id est, stabiliantur, seu firmentur verba tua. Et primo Paralipomenon decimoseptimo habes. Verbum, quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius; ieamen, id est, stabiliatur, seu firmum sit. Aliud verò verbum, scilicet, (chassab) significat propriè cogitare: vt patet Ieremiæ. 49. vbi dicitur. Cogitationes, quas, chassab, id est, cogitauit. Et Isa. 33. Non, chassab, id est, cogitauit, seu reputauit hominem. Nihil enim aliud esse videtur reputare, & putare, quàm cogitare. Est etiam aduertendum pronomen, lo, cum, vau, dupliciter posse interpretari: vno modo, vt idem sit, quod (illi) vt sit sensus. Et reputauit, scilicet Deus illi, scilicet, Abræ hoc iustitiam. Secundo, vt idem sit, quod (sibi) & verbi suppositum sit Abraam: vt sit sensus. Et reputauit, scilicet Abram illud sibi iustitiam, fidere, scilicet verbis & promissionibus Dei. Et secundum quod suppositum verbi potest esse Dominus, aut Abram, & dictio, lo, interpretari (illi) aut (sibi) duplex potest esse sensus. Alter, quem omnes Christiani sequuntur, quem & diuus Paulus ad Romanos expressit, dicens. Credidit Abraham Deo: & reputatum est illi ad iustitiam, id est, firmauit, seu stabilinit se Abraham, seu credidit verbis, & promissionibus Dei, & hanc fiduciam, seu fidem: reputauit Dominus illi, pro iustitia: ac si dicat. Ex hac fide iustificatus est: in quo ferè tota illius epistolæ doctrina innititur, qua probare vult, Deum hominem ex fide, sine operibus legis, posse iustificare, quemadmodum iustificauit Abraham hic. Secundus sensus, quem multi ex Hebræis sequuntur: est. Quod stabiliuit se, scilicet Abraham in Domino, & cogitauit hoc sibi esse iustitiam, aut istum esse: quod potius in verbis & promissionibus Dei, quàm in sua dispositione fideret. Ac si apertius dicat. Cogitauit iustius sibi esse, vt potius in verbis, & promissionibus Dei fideret, quam in sua cogitatione, vel opinione: qua dixerat. Ecce ego vado absque liberis. Sed prior expositio germana est, non solum ex Paulo, sed ex contextu.

In quo sciam, id est, quod erit signum mihi, quòd eam sim possessurus? Non dubitat de verbis Dei, sed signum ad rei firmitatem vult: aut ad sui consolationem, quemadmodum Angelus virgini dixit. Ecce Elisabeth cognata tua.

Accipe mihi, id est, ad sacrificium meum, *vitulam triplicatam*, id est, triplicem. Nostri verterunt hic triennem, sed in textu non habetur (triennem) sed potius triplicem, quia vacca filia 3. annorum vocatur, parah, & non, heglah, vt hic ponitur: vt dicit Chimi in suis radicibus, & Rabbi Abraham in commentariis. At Rabbi Abraham exponit triennem. Sed prior expositio mihi magis arridet. Et capram triplicẽ, hez, id est, capra ab, hazaz, quod est fortificare: ortum habet: quod inter pecudes sit fortis & dura. (Heglah) verò, id est, vitula, à rotunditate pedis, aut à via, quam vngula premit: nomen sortitur.

Et arietem trimum. Etiam dictio, aiil, à fortitudine dicitur. Vnde dicunt Hebræi significare arietem, qui annum iam transierit.

Turturem. Conuenit dictio hebraica, thor, id est, turtur, cum nomine latino turtur, & dicitur à thur, quod est cogitare, meditari: quod videatur turtur intus loqui, quemadmodum meditantes.

Et pullum columbæ. Dictio Hebraica, gozal, ortum habet à, gazál, quod est rapere, & nõ video aliam allusionem, quam quod pipio dicatur, gozal, quod cibum à rostro matris rapere videatur. Vnde non quemcunque columbum significat, sed paruum, qui adhuc ex ore matris cibum rapit, aut circumeat: qui ad manum domi nutritur.

Posuit singulam diuisionis eius partẽ, alterã cõtra alteram.

Sensus redditus est, nam in Hebræo habetur, & dedit virum diuisionem eius, è regione fratris sui. Iudicio meo, postquam diuiserat: reliquit viam mediam inter partes illas, & posuit eas ordinate, ex vna & altera parte: vnamquanque è regione comparis suæ. Aut melius. Dedit virum appositiue diuisionem eius, id est, partem alteram, è regione comparis suæ. Et vocat diuisionem, mediam partem animalis.

Auem pro aues, *non diuisit.*

Est, sipor, aliquando commune nomen auis, vt hic: quandoque verò significat passerem, certam videlicet speciem auium, vt Leui. 14. patet.

Et descendit auis super cadauera, pro, & descenderunt aues. Aduerte tamen, quod dictionis, haijt, id est, auis significatio, non plene nota est Hebræis. Nam radicem eius, haiat, significare dicunt inuehi, propter illud primi Samuelis. 25. (Vaiahat bahem) id est, inuectus est in eos. Sed meo iudicio, aut auem, aut feram significat.

Abigebat eas Abram, ne scilicet, comederent sacrificij carnes. *Cum sol occubuisset.*

Nam à principio diei, quando offerri solebat matutinum holocaustum, sacrificare cœperat, & dominum vsque ad solis occasum expectauerat. Et omittuntur hic quædam, quæ postea supplentur, scilicet, sopor, & horror, & verba dei.

Terror tenebrosus, id est, ex tenebris causatus magnus. *Affligent eos.*

Melius, & humiliabunt: quoniam verbum, hanah, hæc duo solum significat, scilicet, respondere, & humiliari, & omnia alia ad hæc duo reducuntur.

Quadringentis annis. Exodi. 12. dicitur. Et habitatio filiorum Israël: qua habitauerunt in Ægypto: fuit per triginta annos, & quadringentos annos. Sic enim ibi habet textus. Et habitatio filiorum Israël: qua habitauerunt in Ægypto: fuit per quadringentos triginta annos. Et fuit in fine quadringentorum triginta annorum, in corpore diei huius, egressi sunt omnes exercitus domini de terra Ægypti. Chronographi verò Iudæorum constanter affirmant, eos ad ducentos decem annos tantum, ibidem detentos: quibus & scriptura ipsa adstipulari videtur. Nam constat ex quadragesimo sexto capite Geneseos Chaath filium Leui in Ægyptum cum patre & auo intrasse, & ex sexto capite Exodi constat vixisse centum triginta tribus annis, Hamram verò filium eius centum triginta septem, eodem capite Móisem verò constat: ex 7. ejusdem libri capite fuisse octoginta annos natum, cùm ex Ægypto discessit, qui anni conficiunt trecentos. 50. vnde constat eos non ad. 400. annos ibidem mansisse. Voluerunt autem nostri hunc implicatissimum nodum varie dissoluere, incipientes huiusmodi peregrinationem à natiuitate Isaac, qui fuit semen Abrahæ, & fuit peregrinus in terra non sua, & ibidem afflictus a Philistæis. Mihi verò hæc solutio non multum arridet: quoniam homo non dicitur peregrinus in terra, qua natus est, & cùm Isaac in terra Chenãhan fuerit natus: sequitur non proprie ibi peregrinum dici, sed quia quæstio valde difficilis est, neque facilè explicabilis, eam relinquendam duxi nunc, dissoluendam tamen Exodi. 12. vbi tractatur mora: quã in Ægypto filij Israel morati sunt. Dicendum est ergo nunc, Iudæos in Ægypto affligendos quadringẽtis annis. i. quatuor generationibus, quę vt plurimũ continent quadringẽtos annos. Secũdo dicitur, quòd parum pro nihilo reputatur, sed hanc quæstionem suo loco Exodi citato tractabimus Deo dante.

Iudico ego, id est, punio. Vsurpat enim Hebraismus sæpe iudicare, pro punire, aut ius pro alterio dicere: vt patet infra. 30. vbi dicitur, Danãi, id est, iudicauit mihi Dominus, id est, pro me ius dixit.

Tu ibis ad patres tuos, id est, ad mortuos patres in integritate, seu incolumitate potius, quam in pace. Nam dictio, salom, potius incolumitatem, & integritatem, quam pacem significat. Isaiæ. 60. (Vesalemu) id est, complebuntur dies luctus tui. Et sensus verborum est: tu descendes ad patres tuos sine vlla diminutione in corpore, aut bonis, sed integer in omnibus: quemadmodum de Moseh legimus, & de Augustino, quòd integro aspectu, & auditu obierint. Et ire ad patres, est Hebraismus significans moti.

In canitie, aut, *senectute bona.*

Vocatur senectus bona, cùm complet senex dies suos, aut in senectute bona, id est, diuturna, aut bona, quia integer.

Generatione quarta reuertentur huc.

Vocatur vna generatio ætas vnius hominis, & hominum eiusdem ætatis, dicuntur vna generatio: iuxta illud Ecclesiastes primo. Generatio præterit, & generatio venit. Et quia ætas hominis illius temporis erat centum annorum: ideo dicit, generatione quarta reuertentur huc. Baruch tamen. 6. vocatur decennium vna ætas: vbi dicitur. Eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, vsque ad generationes septem, id est, ad annos septuaginta, sed hic, non sumitur hoc modo generatio: quia tunc ad solos. 40. annos fuissent in Ægypto. Septuaginta verterunt hic generatione quinta reuertentur huc: quod vt Lyra dicit, verum est supputando generationes per lineam sacerdotalem, computando pro priori Leui. pro secunda Cahath, pro tertia Hamrám, pro quarta Aharon, pro quinta Eleazar. Si verò supputes per lineam regiam: tunc quarta generatione reuersi sunt, computando pro prima Iudam, pro secunda Phares, pro tertia Esron, pro quarta Caleph, qui fuit filius Esron, vt dicitur. 1. Paralipo. 2.

Quoniam non completa est iniquitas Amorræi vsque adhuc.

Capitur hic, hauon, pro pœna iniquitatis, & sensus est. Quoniam nondum completum est tempus punitionis Amorræi, id est, quo Amorræos punire decreuit. Multi hic per iniquitates intellexerunt peccata, dicentes Deum hominem expectare vsque ad certum peccatorum numerum: quo impleto, non amplius expectare, sed statim punire. Sic Lucæ 21. habes. Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. In quem sensum referunt illud Christi apud Mattheum. Vos implete mensuram patrum vestrorum. Sed mihi prior expositio germanior videtur: quoniam sæpe Deus hominem non statim punit, etiam si non respiscat.

Et sol occubuit. Supplentur hic quæ omissa fuerant superius.

Et caligo fuit. Et fax, aut *teda ignis.*

Non est hic vertendum lampas, quoniã dictio, lapid, facem potius, quàm lampadem significat. Iudicũ. 15. Et posuit, lapid, id est, facem vnam

Transiens inter diuisiones illas

Putarem, ad consumendum sacrificium.

A flumine Ægypti, scilicet, Riuocorula qui à parte Australi, est terminus terræ sanctæ Ægyptum versus. *Vsque ad flumen.*

Nempe flumen magnum (Perath) id est, Euphráten, quod est ei terminus ab Aquilone.

Cheneum, & Cheniæum.

Nomina sunt gentium: quas Dominus tradidit Israëli. Similiter Gigantes, id est, terram Gigantum, quæ erat (Bassan:) vt patet Deutero. 3. Quæ promissio tempore Dauidis impleta est: vt patet. 2. Samuelis. 8. & 1. Paralipomenon. 18. Volunt aliqui ex nostris, aptare visionem Abrahę captiuitati, qua Ægyptij detinuerunt semẽ Abrahę, sed meo iudicio satis est ad literã intelligendã, quod Dominus ei verbo ostenderit, quicquid semini suo venturum erat. Non tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

inficias eo, aliquid captiuitatis in visione fuisse adumbratum, & in sacrificio ostensum. Sacrificio enim semen eius figurabatur: quod aues, id est, Ægyptij deuorare satagebant, sed merita Abrahæ prohibebant. Illa verò expectatio: quia Deum expectauit, adumbrare videtur moram dei ad eorum liberationem. Vndecim animalia occisa in sacrificio præferebant vndecim tribus Ægyptum ingressas. Ioseph enim iam antea ibi erat. Dantur autem hic. 10. gentes filijs Abrahæ.

INCAP. XV. ADNOTATIO AD MORES.

Ego scutum tuum, & merces tua multa valde.
Quid fides, seu fiducia in Deum nobis valeat, pulchre ostendit locus iste. Nihil enim de Abram tam præclarum huc vsque legimus, quàm fidem: propter quam omnia consecutus est. Eodem modo aduerte etiam quàm difficile sit, iustum mala attingere: cuius scutum est Deus. Et simul disce mercedem à Deo non semper dari propter labores & sudores: licet bona opera soleat optimè remunerare, sed propter fidem, aut fiduciam: quam in Deo habemus, & propter obedientiam, qua in arduis, voci eius obedimus. Tum etiam quo pacto, propter vnicum ministerium, Dominus tantum beneficium confert.

Domine Deus quid dabis mihi?
Commune malum hominum est, pluris facere ministerium, quàm mercedem: præsertim cùm Dominus laudauerit ministerium eorum. Commendauit semel Dominus operas Israëlis. Isaiæ. 49. dicens. Seruus meus es tu Israël: quia in te gloriabor, quod cum ille persensisset: statim æstimauit pluris suũ ministerium, quàm Dei mercedem. Ait enim: in vacuum laboraui, inaniter, & vane fortitudinem meam consumpsi, verè iudicium meum est cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Et nunc dixit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi. Vbi expende verba. Cùm enim persensit Deum de eo, tanquam de bono ministro, se gloriaturum, statim dicit, se in vacuũ laborasse, &, quod deterius est, vult Dominum ad iudicium conuenire, quasi operas eius iniustè detineret: iudicium (inquit) meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Sic & hic sanctus senex: quoniam viderat Dominum dicere, se illius esse protectionem, & mercedem eius apud eum multam: statim ministeria sua euexit, & æstimauit: mercedem verò Domini nihili fecit, dicens. Domine Deus, quid (inquit) dabis mihi? quasi dicat: nihili, quæ mihi contuliſti, æstimo. Sed quid propter Dominum hucusque fecisti bone senex? Nunquid substantiam dedisti, aut caput iugulo, ob eius gloriam obtulisti? Minimè, sed solum patriam, & patrem, mercede præuia, reliquisti. Nunquid tanti hoc facis, vt non pluris facias quæ à Domino accepisti? Nam propter te Pharaoh Regem Ægypti plagis maximis flagellauit: vxorem tuam ab eo contingi prohibuit: quam tu tua sponte prostituebas: tantum substantiam dedit: vt ad debellandos reges, plusquam trecentos expeditos vernaculos habueris, & armaueris. Nunquid parum tibi videtur, polliceri tibi terrã decem gẽtium, & sobolem veluti stellas cœli innumerabilem? Sed omnia hæc pro nihilo æstimas, & dicis. Domine Deus, quid dabis mihi? Et vide nequitiam hominum. Quidquid Deus pro nobis facit, nihili pendimus: pluris verò: si quid propter eum faciamus. Audi Dominum ad Dauid dicentem. 2. Samuelis. 12. Ego vnxi te: vt esses Rex super Israël: eruique te de manu Saul: dediq́ue tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo, & tradidi tibi domum Israël, & Iudah. Et si parum est: adiiciam tibi similia, & similia. Nos verò si quid parum pro eo facimus, statim ostendimus sudores: labores euehimus. Audi Israël labores extollentem in Psalm. 43. Propter te (inquit) mortificamur tota die: æstimatisumus, vt oues occisionis. Quid dicis Israël? Nonne propter peccata tua pateris hæc? Priusquam humiliarer, ego deliqui. Neque fuit illi satis propter Deum se pati dicere, quæ propter scelera sua patiebatur: neque dicit se propter illum diuexatum, aut percussum, sed mortificari, neque semel, aut bis, aut saltem ter, sed tota die. Nonne alibi dicis: castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me? Non est opus Domino: qui tam attente ministeria nostra considerat, & tam abundanter remunerat: merita nostra iactare. Sed nostra pro nihilo reputare: vt ipse ea pluris faciat, quã sint: vt facere consueuit. Est & aliud, quod hic aduertas, homines, scilicet nihili facere quecunque illis contuleris: nisi quæ capiunt, addideris. Multa & præclara munera Dominus sancto seni cõtulerat, sed quoniam cum eis non dederat optatum semen, ea pro nihilo reputabat, & ideo dixit.

Domine Deus quid dabis mihi? Ecce ego liberis priuatus incedam. Mihi non dedisti semen.
Audis hic quanti faciant homines prolem, suique similem, hæredem domus relinquere.

Mihi non dedisti semen. Verba videntur anxietate plena: ac si dicat. Brutis, & sceleratis, & malis copiam seminis tribuis mihi verò obedienti mãdatis tuis, semen vnicum non dedisti.

Ille Damascus Eliezer.
Videtur ex hoc loco haberi gubernatores domus, dominos in defectu sobolis hæreditasse. Similiter habetur, quod vbi est filius, non potest alienus hæres instituti.

Adduxit eum foras: vide hominis miseriam, & diffidentiam, cui tot adminiculis opus est, vt credat verissimis verbis dei. Et mirum valde est, quòd verbis dæmonis sine signis, sine iuramento, sed simplici verbo credimus: Deo vero omnia hæc adhibenti, vix fidem habemus. Cùm enim diabolus promisit primis parentibus immortalitatem, nunquid signa dedit eis, aut sacramentis se constrinxit, aut Illi hæc ab eo exacta sunt? Minime, sed simplici eius verbo fœmina credidit.

Credidit Abram Deo.
Habes hic, quanti meriti sit fides, vt scilicet propter illam Dominus nos iustos reputet. Neque hic charitatem excludimus: quemadmodum Lutherani: inter quos, & nos, in hac re, hoc est discriminis, quod ipsi dicunt, nos sola fide apprehendere Christi iustitiam: per quam iusti sumus. Non enim putant nos iustos iustitia nobis inhærente, sed iustos de nominatione extrinseca denominari, iustitia, scilicet, quæ in Christo est subiectiue: quam per solam fidem nos apprehendere, & nobis applicari, seu nostram facere contendunt. Ecclesia verò sentit nos iustitia, quę nobis inest, iustificari, quæ tamen à iustitia Christi in nobis causatur, neque nos sola fide in Christum iustitiam apprehendere, sed etiam charitate: quoniam quantumcunque deo fidamus, & credamus: nisi amici fuerimus, non iustificabimur. Sed de his alios vide disputãtes pro Ecclesia.

Ego Dominus, qui tuli te de Vr Chaldæorum.
Tria hic aduerte. Primum, qualiter ille, qui vtcunque diffidere videtur, manu tenendus est, ne omnino corruat. Secundum, ne beneficia, quæ nobis deus confert: ab alio collata reputemus. Tertium, quod illis, qui parui pendunt beneficia: extollenda, & inculcanda sunt: quemadmodum gratis, & beneficia magnificientibus, paruipendenda.

In quo cognoscere possum?
Non semper est peccatum signum petere, quando ad consolationem petitur, & ad maiorem firmitatem. Porrò attendendum est, qualiter Deus fragilitati nostræ, veluti pius, condescendere soleat, & faciat nos videre quæ pollicetur.

Cum volatilia descendissent.
Admonuit hic beatus Gregorius, quomodo importunæ cogitationes nos dum orationis sacrificium offerimus: turbant: quas solicite abigere debemus, ne purum sacrificium fœdare præsumant.

Scito sciens. Licet Dominus hic prædixerit Abrahæ futuram seminis captiuitatem, non tamen ei prædixit quo loco, neque à quibus detinendi essent, ne vir sanctus odio haberet eos: à quibus semen suum esset affligendum, & malus esset, antequam mala ab hostibus pateretur. Quo nos pulchre docuit, velle ignorare eos, qui malorũ nobis autores sunt, operæpretium verò esse laborare, vt scias, vnde tibi veniant bona: vt grarus sis, sed malum scire, vnde tibi mala procedant, ne aliquem odio habeas, & fortè eum oderis, qui tibi nihil mali intulit. Duo in Euangelio legis. Ioannis alterum, Regulum: cuius filium Christus sanauerat, soli cite quęsisse, qua hora filius melius habuisset, vt sciret, an filij salus à Christo, an naturæ beneficio accidisset, & intelligens à Christo, quasi illi gratus, credidit cum tota domo. Alterum, Christum, cùm alapis à ministris Pilati cęderetur, voluisse sibi oculos vitta operiri, qui optimè nouerat percutientes velatus. Sed hoc nos voluit symbolo admonere, non esse multum laborandum: vt autorem percussionum sciamus, autorem verò bonorum solicite inquiramus. Primum, ne quenquam odio habeamus ignorare optimum. Secundum verò: ne ingrati simus.

Peregrinum futurum est semen tuum.
Occulta sunt iudicia Dei. Non enim apparet, ob quæ peccata semen Abrahæ fuerit quadringentis annis afflictum: vt sciamus flagella, etiam sine culpa, à Deo irrogari, & vnam esse ad promissam patriam. Similiter discimus, affligentes pœnas daturos, etiã si mala, quæ nos Deus pati disposuit: inferãt. Cuius rei aliud exemplum Isa. 14. videbis: vbi de Assur dominus dicit. Veh Assur virga furoris mei, ipse verò non sic arbitrabitur. Notabis etiam hic iustis raro mala improuisa euenire. Iob. 6. Quod verebar (inquit) accidit. Et hic Abrahæ mala seminis sui ostendit Deus: ita quod vtraque illis ante demonstrat, scilicet bona, & mala: bona, vt gaudeant: mala, vt caueant ab eis, aut certè æquo animo ferant.

Tu vades ad patres tuos integer.
Nouit Dominus bonos auferre prius, cum malæ est mundo illaturus. Vnde Isaiæ. 57. Iustus perit, & non est qui squam, qui ponat super cor, & viri misericordes congregantur ad populum suum, & non est, qui intelligat. Quia propter malum mundo venturum congregatur iustus ad patres suos.

Quia nondum completa est iniquitas Amorræorum.
Admonet locus iste, malos à malo tandem cessare, ne tempus dilatæ punitionis impleant. Atque etiam aduerte Dei patientiam, quæ tam longo tempore peccatores ad pœnitentiam expectat.

In die illa percussit fœdus.
Admonui aliàs, quare fœdus inire, dicatur fœdus percutere: quod, scilicet, dum iniretur: victimæ percuterentur, & iugularentur. Et est hic tertia promissio terræ signo firmata, vbi non dicit, dabo, sed dedi.

IN CAP. XVI. ADNOTATIO AD LITERAM.

Ecce nunc clausit me, aut retinuit Dominus.
Hoc enim verbum, hasat, significat. Vnde illud. 2. Paralipome. 14. Vbi nostri significationem verbi mutare volunt, interpretantes: Dominus Deus noster es tu, non, Iahasor, id est, dommabitur tecum homo? Sic verte, non prohibebit tecũ, id est, te homo, ne scilicet nobis auxilio sis, aut te adiutore, non prohibebit homo.

¶ *Si fortè filios suscipiam ex ea.*
Hebraice habetur: fortè ædificabor ex ea. Vocat Hebraismus filium, ben, à, banah, quod est ædificare: quod sit quasi patris ædificium filius. Quẽadmodum enim domus ædificatur, & facta vna, aliæ illi coniunguntur, & quanto plures, tanto maior est domus: ita familia crescit, adiungendo filijs filios. Quare familia vocatur domus: quoniam ad modum domus ædificatur, & multiplicatur. Et nostri vsque hodie familiam, domum vocant, quam ob rem Hebraismus vocat domum ædificare, multiplicare sobolem: vt patet. 2. Samuel. 7. Vbi Nathan dicit Dauidi. Et annũtiat tibi Dominus, quod domum faciet tibi, id est familiam multiplicabit. Et paulò inferius. Domus seruũ tui, erit stabilita corã te. Quare illud, quod dicitur Exod. 4. de obstetricibus: quod, quia timuerunt Dominũ, ædificauerit illis domos, intelligẽdum est, quod familias earum multiplicauerit: vt ibidẽ dicemus. Sic Rachel infra cap. 30. dicit eadem verba Iacob viro suo, quæ hic Sarai Abrahæ. Ingredere ad ancillam meam, & pariet super genua mea, & ædificabor etiam ego, scilicet, sicuti soror ex alia. Quem Hebraismũ in aliòs scripturæ locos serua: quoniam non repetemus, nisi locus exigat.

A fine decem annorũ. Hebraismus est, id est, finitis 10. annis à sua habitatione in terra Chenahan. *Sibi in vxorem.* Non quasi adulteram, sed in vxorem: iã enim licitum reputabatur, plures vxores habere. *Despecta est domina sua.* Admonui supra verbum, calah, significare alleuiare, leuẽ reputare: despicere. Et dictio, gebirah, non tam dominã, quàm præualẽtem significat, seu superiorẽ. Et quod sequitur. *In oculis eius.* Idem est, quod coram ea, non enim reuerebatur eam, vt antea.

Oppressio, seu subuersio mea, super te. Admonui supra ca. 6. ignotã esse propriã significationẽ nominis, chamás, i. oppressio. Videtur tamen oppressionẽ, aut punitionem significare. Vnde hic sensus est: punitio mea, aut subuersio super te, id est, tu dabis pœnas oppressionis, qua ab ancilla mea nunc opprimor: quoniam tui causa superbit, scilicet: quia cõcepit ex te. Aut punitio mea, id est, mei causa super te, seu mei gratia punieris.

Dedi ancillam meã in sinu tuo. i. ad latus tuum: vbi est hominis sinus, aut in sinu tuo. i. tibi eam coniunxi: quemadmodũ res, quam in sinu habemus, seu intime.

Iudicet Dominus inter me & inter te. id est, ius dicat, culpabilem puniendo, aut ius pro me dicat contra te, & est Hebraismus.

Ecce ancilla tua in manu tua, id est, in tua potestate, quod manu ostendatur potestas vindicãdi, & puniẽdi.

Quod bonum est in oculis tuis, id est, quod placuerit tibi, aut quod tibi bonum videtur.

Et humiliauit eam Sarai.
Sic melius vertas, quàm affligente eam Sarai.

Fugit à facie eius. Verbum, barach, significat fugere, aut velociter transire. Inde, beriach, id est, vectis, sic à veloci transitu dictus, aut à fugiendo, cùm retrahitur, videtur enim fugere, & reuerti.

Iuxta fontes in Via Sur.
Videtur Sur esse nomẽ deserti loci, inter Ægyptum & Harabiam: quod multi dicunt esse Ethan.

Hagar ancilla Sarai. Dictio (Ei) videtur esse vocantis aduerbium.

A quo venisti, scilicet loco? *Et humilia te.*
Idem verbum, scilicet, hanah, quod hic nostri vertunt humilia: ponitur supra, vbi verterunt affligente eam Sarai. Sed cùm hæc significatio ibi optimè quadret, vt iam diximus: non video quare mutetur.

Vocabis nomen eius Ismahel, id est, audiet Deus, quoniam Dominus vocem, seu afflictionem eius audierit, quod statim explicat more suo, & pro afflictione, tu lege humiliationem tuam.

Erit sylvestris homo. Verbum, para, à quo (pére) id est, syuestris, significat fructificare: vt patet Hoseh 13. Ipse inter fratres, Iaphri, id est, fructificabit: tum etiam, quia, parah, quod videtur esse eiusdem significationis, idem significat, scilicet fructum (pére) verò dicunt Hebræi significare asinum syluestrem, & per translationem hominem syluestrem: vt Iob. 6. Nunquid rudet (pére) id est asinus, seu onager? Si tamen allusio debet esse significationis nominis ad verbum: putarẽ potius significare animal fœcundũ, aut crescẽs. Vnde (par) significat iuuencum, quod eiusdem significationis esse videtur. Dupliciter ergo potest verti locus iste. Primò sic. Ipse erit syluestris homo. Cui sensui concordant sequentia, scilicet, manus eius in omnes, id est, contra omnes, & manus omnis, pro omnium, in eũ. Si verò significet fructificans animal: tunc sensus est. Ipse erit fructificans homo. Nam Hagareni maximè fructificãt inter alias gentes, propter vxorum multitudinem, quæ eis permittitur, & omnibus aliis bella

Universidad de Deusto
Biblioteca

bella iudicere videntur : vtpote quibus lex præcipit gladio legem defendere. Et quod sequitur, hunc sensum habet.

Manus eius in omnes, Nam propter filiorum copiam manus eius erit contra omnes & cætera. Posset etiam verti.

Ipse erit fortis homo, quale est (pére) id est, illud animal.

Iuxta faciem omnium fratrum suorum habitauit, id est, eis videntibus, neque potentibus prohibere, aut prope fratres suos habitabit: ita vt possit ab eis videri. Vocat autem fratres eius filios Abrahæ alios : iuxta quos habitauit, infra enim dicitur, eũ cum Isaac interfuisse exequiis Abrahæ, & supra cap. 11. habes similem locutionem : vbi de Harám dicitur, fuisse mortuum super faciem patris sui, id est, eo superstite, & vidente.

Et vocauit nomen Domini loquentis ad eam.

Alij, & inuocauit nomen Domini loquentis ad eam.

Tu Domine videns me, id est, humilitatem meam, aut videns me misericorditer.

Quoniam dixit : nonne etiam hic vidi posteriora videntis me?

Videtur quòd Angelus noluerit ei faciem ostendere, sed cùm recederet, sibi posteriora ostendit : quemadmodum Dominus Moseh, & ideo dicit se vidisse posteriora videntis se. Aduerte tamen, quòd dictio, halam, à qua, halom, significat contundere, aut onerare: vt Iudicum. 5. tunc, halemu, id est, contritæ sunt vngulæ equorũ. Et Isaiæ. 28. (halem laijn) id est, onerati, aut contriti vino, & si, halom, esset hic huius significationis, sensus esset. Nonne etiam contritio, scilicet erit mihi, quoniam vidi posteriora videntis me? Quicunque enim Dominum videbat : se moriturum arbitrabatur, vt infra dicetur. Quia tamen dictio, halom, inuenitur in multis scripturæ locis significare (hic) vt Exod. 5. Ne appropinques, halom, id est, huc. Sic Iudicum. 18. Quia adduxit te, halom, id est, huc: ideo arbitror pro aduerbio vertendum. Est ergo sensus. Et vocauit nomen Domini loquentis ad se. Tu Domine videns me, id est, afflictionem meã, quoniam dixit. Nonne etiam hic vidi posteriora videntis me, id est, terga angeli, qui vidit me ad consolandum me, aut post videntem me, id est, postquam ipse me vidit: vidi eum. Sed quare vocat Deum videntem se: cùm visa esset ab eo: dicendum, quod vocat Deum videntem se, quod ab ea sit visus, & quia vidit eam.

Propter quod vocauit puteum.

Puteum viuentis, id est, Dei, qui semper viuit: videntis me, id est, meam humilitatem. Duobus nomen imposuisse videtur, scilicet Domino, & loco : & Dominum vocauit, tu Domine videns me. locum verò Puteum videntis me. Et vtriusque videtur rationem reddere in illis verbis: quomiã hic vidi posteriora videntis me: quia vidit, & visa est, vocauit locum à visione.

Ecce est, scilicet puteus *inter Cades & inter Bared*. Est autem, Bared, locus medius inter Chebron, & Cades: vt aliqui dicunt, & infra. 21. capite habes descriptum locum: vbi habitauit Ismahel.

Vocauit Abram nomen filii sui Ismahel. aut quia ab Hagar didicerat ab angelo inpositum, aut à Deo edoctus.

Filius. 86. *annorum*, id est. 86. annos natus.

IN CAP. XVI. AD MORES adnotatio.

HAbuit *ancillam Ægyptiam.*

Ostendit locus iste fuisse ab initio mundi seruitutem, & maledictionem Noach impletam in filiis Cham, quorum vnus fuit Misraim, à quo Ægyptij.

Prohibuit me Dominus, ne parerem.

Audis hic, quod superius annotauimus, viros videlicet sanctos omnia bona, & mala in Deũ referre: etiam naturalia: vt quemadmodum prolem se à Deo habere gaudent : ita & sterilitatem ab eo esse cognoscunt, & de prole exemplum habes infra. 30. vbi Leah dicit. Dotauit me Dominus dote bona.

Ingredere ad ancillam meam.

Manifestè ex hoc loco colligimus, sanctas fœminas nõ zelasse viros suos quondã, quẽadmodum nunc. Similiter ostenditur amor: quẽ ad eos habebant, à quibus semen, etiã per ancillas, habere volebãt. 3. quã naturalis sit fœminę prolis amor. Vnde querela illa Rachelis infra capite. 30. Da mihi liberos: alioquin moriar.

Vt saltem ex ea ædificer.

Hinc ardor ille constituendi domum, & solicitudo relinquendi post se hæredem, in quo domus permaneat, & prolis augendæ. Similiter considera, quàm parum libidinis erat sanctis fœminis illius temporis. Et videtur ex hoc loco haberi, tunc temporis non licuisse addere secundam vxorem priori, sine prioris consensu. Cùm enim corpus viri totum sit vxoris, & possit eo vti cùm voluetit, videtur vir iniurius vxori esse, si sine eius consensu aliam vxorem accipiat: ideo sanctus senex noluit ad Agar intrare, nisi conscia, & rogante vxore.

Et audiuit Abram vocem Sarai.

Docentur hìc etiam viri aliquando obedire voci vxoris: cùm non contra diuina præcepta suadent : quemadmodum Eua, Adæ.

Cum ingressus esset ad Hagar, concepit illa.

Commune est, vt iuuencula seni iuncta, prolem edat, & multiplicet.

Videns se grauidam, vilipensa est domina eius ab ea.

Admonentur hìc qui seruos habent, non nimis delicate eos nutrire, ne se, aut vxores despiciant. Hoc enim commune est, vt seruus in dignitate constitutus, dominum vilipendat. Proptet tria (ait Salomon) mouebit se terra, scilicet propter seruum, cùm regnauerit, propter odiosam mulierem, cùm fuerit in matrimonium assumpta, & propter ancillam, cùm fuerit hæres dominæ suæ.

Oppressio mea super te.

Audiant verba hæc iudices, audiãt Reges, & qui alios in officio continere tenentur, scilicet se daturos pœnas propter mala, quæ impotentibus fiunt. Similiter illos : cuius fauore freti mali, mala perpetrare non timent. Et hoc loco stabilire licebit, quod Theologi dicunt, eos ad restitutionem teneri, qui cùm obstare malis ex officio teneantur, non ostant, sed dissimulant.

Iudicet Dominus inter me, & te.

Timendum valde est, cum eo contendere : qui causam suam prosequi nolens, eam diuinæ iustitiæ derelinquit : quoniam horrendum est incidere in manum Dei viuentis. Hebræ. 10. Et difficilius est cum Deo, quàm cum homine pugnare. Putant homines secum benè actum hic esse, cùm pars nolens causam suam prosequi, iustitiæ relinquit : cum qua tamen difficilius agendum esset, quàm cum parte. Prosequitur enim iustitia humana alterius causam tepide valde, quasi non sit magis sua, quàm partis. Audiant isti Dauidem in morte legantem Salomoni. Tu (inquit) nosti, quid fecerit mihi Ioab, quomodo occiderit duos viros melliores se. Nõ dixit tu nosti, quid fecerit Ioab, Abnér, & Hamase, sed mihi : quoniam optimè nouerat sanctus Rex, homines hominibus iniurios magis iustitiæ iniurios esse, quàm parti. Cognoni (ait iustus) quia faciet dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum. Cùm enim Aharón, & Miriãm aduersum Moseh murmurassent tacuit ille, sed Dominus, Moseh contra eos causam egit, & Miriãm lepra impleuit. Nume. 12. Sic Lucæ. 10. Cùm Maria à sorore accusaretur: noluit respondere, sed causam suam iustitiæ diuinæ commisit. Sic Dominus eam excusauit cùm accusaretur à Pharisæo, & discipulis. Vnde iterũ Dauid ait. Fortitudinem eius, scilicet aduersarij mei, ad te custodiam, id est, tibi relinquam, quoniam impar illi viribus sum: tu verò superior, & fortior qui eum facilè superare potes. Sic sæpius Dauid Sauli dixit, Iudicet Dominus inter me & te : ac si diceret, causam meam (tibi viribus impar) prosequi non valeo: ideo eam diuino iudicio committo: à quo facilè te posse superari credo.

Ancilla

Ancilla tua in manu tua. Vxoris munus est ancillas castigare, neque hoc debent viri prohibere, aut sese earum punitioni immiscere : quemadmodum seruorum punitio: viri, non vxoris est.

Cum humiliaret eam Sarai.

Castigandi sunt moderate serui : ne eos, & eorum ministeria perdas : dum fugiunt. Docemur etiam, quàm difficile sit, seruum, qui semel in honorem euectus est, humiliare.

Reuertere ad Dominam tuam.

Ecce quo pacto sancti curæ Deo sint : vt etiam fugitiuos eorum seruos ipse requirat, & restituere cnret.

Vbi simul docemur omnes, cùm seruum, aut subditum de prælato suo conquerentem audimus, aut ab eo fugientem inuenimus, non irritare, aut exacerbare aduersus Dominum, sed potius delinire, & vt ad Dominum reuertatur, & eum patienter ferat, admonere.

Et humilia te sub manibus eius.

Nihil melius est seruo, quàm se Domino suo humiliare. Vnde & puer Domini dicebat. Psal. 114. Humiliatus sum, & liberauit me. Et. 1. Petri. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei : vt vos exaltet in die visitationis.

Multiplicando multiplicabo semen tuum.

Admonui superius. 13. cap. quid muneris sit, sanctis & iustis adhærére. Et nunc hic quid valeat illis seruire: quoniam propter Abram multiplicatur semen Hagar. Et soluit Dominus omnia ministeria, quæ iustis fiunt. Quo etiam docemur. Deum bona ministeria seruorum : etiam si sint debita, & hominibus fiant, persoluere, modo homini propter Deum seruias, aut Deo in homine. Vbi etiam docemur, Deum statim consolari eos: quos mundus cõturbat & humiliat. Et etiam constat, quàm bonus consolator sit Deus.

Vocabis nomen eius Ismahel.

Ecce quàm velit Deus eius beneficia memoriæ nostræ commendari, & voluisse: vt ex nomine filij, recordaretur Hagar muneris sibi ab eo collati. *manus eius in omnes*,

Commune est, vt omnes aduersentur ei : qui omnium aduersarius est.

Vocauit nomen puteiviuentis, & videntis.

Non fuit immemor accepti beneficij, sed vt eius recordaretur: puteo nomen beneficij imposuit, quod etiam superius admonuimus: omnia volunt iusti sibi beneficia Dei referre.

Vocauit Abram. Expectatur semper in arduis sententia viri. Sic Lucæ. 2. Voluerunt vocare Ioannem Zachariam, & licet mater dixerit, eum Ioannem vocandum, innuerunt tamen patri, quem vellet eum vocari, & quod ille scripsit nomen, puero inditum est.

IN CAP. XVII. ADNOTATIO ad literam.

EGo *Deus* aut *fortis omnipotens, ambula coram me.*

Multa ex cognitione significationis nominis, fãdai, quod nostri omnipotentem vertunt : pendere iudicio, vsq; hodie nostris, & Iudæis ignota est. Sunt autem inter Hebræos, qui dictionem compositam esse putant, scilicet à (sin) litera, quæ est eui, & a, dai, quod est sufficientia: vt idem sit, saddai, quod cui sufficientia. Alij verò vnicam esse dictionem asserunt, sed de significatione disceptant, dum alij omnipotentem, alij fortem vastatorem interpretantur. Sed miror cur, omnipotentem significare dicãt, cùm radix eius nihil, quod omnipotentiæ conueniat, significet. Nam si radix sit (Sad) quod est mamma, significabit Deum, quatenus ab eo bona fluũt, vel vt est dulcis quale est lac. Si verò à, saddad, quod est suggere: vel prædari: nam qui prædatur, bona eius, quem depredatur suggere videtur. Significabit Deum, quatenus prædatorẽ. Mihi autem melius videtur significare Deũ : quatenus benefactor est, & quatenus ab eo cuncta bona procedunt : quemadmodum ab vbere lac. Moueor autem primo ex nominis radice, quæ siue sit, sad, siue, saddad, significat vbertatẽ, aut cui sufficit: vt alij dicunt. Secundo quia infra. 35. Dominus dicit Iaacob. Ego sum (El saddai) id est, fortis à quo bona procedunt, sicut liberalis, & statim sequitur: Crescę, & multiplicate. Vbi videtur nominis rationẽ explicare : quare videlicet sit, el saddai, quoniam crescere facit, & multiplicat bona, cui vult. Idem cap. 28. sequenti vbi Isaac, benedicens Iaacob, dicit, El saddai, benedicat tibi, & crescere faciat te. Tertio quia Exo. 5. Dicit Dominus Mosch. Visus sum Abrahæ, Isaac, & Iaacob in, el saddai, id est, in fortem beneficum, sed in nomine meo, iehouah, quod est destructor, seu punitor: vt alias diximus, capite, scilicet primo huius libri, & fusius decimo Exodi. 6. Non sum notus eis. Quod nomen tunc ostendere volebat in punitione Paroh & Ægyptiorum, vt ibi dicetur. Est ergo locus iste sic reddendus. Ego fortis beneficus seu liberalis, plenus omnibus bonis, aut Ego fortis exhuberans, & quoniam talis sum: ambula coram me, timendo me, ac si seruus coram Domino suo ambularet, & esto perfectus, vt scilicet nihi omittas eorum, quæ tibi præcepero, nihil tibi desit, vt scilicet dignus sis bonis, quæ tibi facere decreui, & pollicitus sum. Lucæ. 2. Est similis locutio, vbi Zacharias dicit. In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Et est Hebraismus: de quo suo loco diximus. Et videtur significare: time me, quemadmodum seruus corã Domino ambulans, aut ministra mihi : quemadmodum seruus Domino. Solent enim serui expediti coram dominis ambulare iuxta illud Ezechie. Memento quomodo ambulauerim coram te, id est, seruierim tibi.

Multiplicabo te in valde valde, id est, vehementissimè, cum in prole, tum in substantia, & opibus.

Eris in patrem multitudinis gentium.

Non solùm Iudęorum, sed etiam gentilium: vt Paulus interpretatur, & ex textu conuincitur, etiam secũdum carnem fuisse patrem multarum gentium. Nam Hagareni omnes ab eo sunt per Hagar. Alij verò per filios Cheturæ, Hebræi dicunt, quod non est sensus, quod erit pater gentilium, sed quod multam gentem generabit ex Israhelitis.

Non vocabitur amplius nomen tuum Abram : quod est pater excelsus, sed Abraham: quod est pater populorum. Et nomen est compositum ex Abram, &, hamon, & dicendum erat (Abram hamon) verùm ad cacophoniam tollendã, duæ literę è medio subtrahũtur.

Multiplicabo te Verbum, parah, potius fructificare, quàm multiplicare, significat : vt primo capite huius libri annotauimus: quare vertendum est: Fructificare faciam te valde valde, id est, vehementissime.

Dado te in gentes, id est, faciam ex te multas gentes oriri, *& reges ex te egrèdientur*, scilicet reges Israel & Gentium.

Inter me & inter te, & inter semen tuum.

Sic factũ est quod Dominus pepigit fœdus cum Abraham, vt in fine huius cap. patet, & cum semine eius. Exodi. 24. Et statim ostenditur in quo pactum consistebat, scilicet quòd Abraham esset cum habiturus in Deum, & Deus daturus illi terras illas.

Terram peregrinationis tuæ, & omnem terram Chenahnæi.

Quia Abraham non totam terram lustrauerat, peregrinando : ideo dicit totam terram Chenahnæi.

In possessionem perpetuam.

Dictio, achuzath, id est, possessio, non possessionem, sed comprehensionem : proprie significat, quemaddum, achaz, comprehendere, & apprehendere. & sumitur hic pro occupatione. Vocat autem se hic Dominus, elohim, vbi de pactò mentio fit: quia vt aliàs diximus, elohim, significat Deum, quatenus ab eo mala aliis imprecamur, veluti à iudice: quasi se voluerit obligare, ad standum pactò, sub aliqua pœna.

Hoc est pactum meum: quod custodietis, id est, hoc est signum pacti. vt Paulus habet ad Roma. 4. Et inferius explicatur.

Vt circumcidatur in vobis omnis masculus.

Verbum (mul) significat scindere, & ex consequenti circum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

circuncidere: quod circunciſio, ſciſſio ſit rotunda. Pſal. 118. in nomine Domini quia, amilam, id eſt, ſcindere, ſeu diuidere faciam eos.

Natus domi, et poſſeſſio pecuniæ, id eſt, pecunia emptus.

Filio alieni, qui non eſt de ſemine tuo, ſcilicet ſi ſit ſeruus tuus, & legendum eſt. Et emptus à filio alieni. Omnis ergo maſculus ſiue eſſet filius eius, ſiue natus domi ex ſeruo, ſiue pecunia emptus circuncidendus erat, filius tamen alienigenæ, qui non erat ſeruus, non erat inuitus circuncidendus, ſed ſi vellet. Vide ſimile Exod 12. *Succidetur anima eius de populo eius*, vel ſuo, id eſt, morietur, ſcilicet, aut à Domino occidente, aut à magiſtratu imperãte: quemadmodum fuit poſtquam Iudæi in regnum ſunt euecti. Quidam hoc excidium eſſe putant, quando quis præmatura morte præuẽtus obiit, hoc eſt citra annum. 51. Alij, cùm quis ſine liberis moritur. Videtur autem hic ratio reddi, quare in pactis victimæ iugulabantur: quod videlicet morte dignus eſſet, qui pacto non ſtabat: ideo hic Dominus præcipit pacti violatorem ſuccidere. Si autem quæras, cur Deus ſignum pacti in tali membro expetierit: dicendum, quod quia pactum erat de ſemine multiplicando: voluit Dominus in membro generationis character em poni. Sed quod talis eſſet à Domino occidendus ex duobus conſtat. Altero, quod Dominus Leuitic. 17. pro ſuccidetur anima eius de populo eius, dicit. Excidam eã è medio populi ſui. Altero, quod Exo. 4. Dominus voluit occidere Moſen ob omiſſam filij circunciſionem: quare videtur huius legis trãſgreſſor à Domino occidendus.

Sarai vxorem tuam. Sonat Sarai principes mei. Sarah verò, ſeu, ſar, princeps: per quod Dominus oſtendere vult ſe vellet Sarah extolleꝛe, vt eſſet princeps multitudinis gentium: quemadmodum vir eius. Et in huiuſmodi nominũ immutationibus nihil aliud Dominus prætendere videtur, quàm admonere eos: quorum nomina mutat: debere de cætero alios ſe exhibere. *Erit in gentes*. Hebraiſmus eſt, pro multiplicabit prolem.

Et riſit. Non quidem diffidens, ſed comparando ſenium filio, aut generationi.

Filio centum annorum naſcetur?

Subaudi filius? *Viuat coram te.*

Videtur idiotiſmus linguæ eſſe, aut te vidente, & conſeruante eum.

Vere Sarah. (Abal) verbum ſignificat lachrymari, ſed nomen dicunt Hebræi ſignificare verè, ſicut & infra cap. 42. (Abal) id eſt, verè delinquimus contra fratrem noſtrum Et. 2. Regum. 4. (Abal) id eſt, verè filius non eſt ei.

Vocabis nomen eius Iſchac, id eſt, riſus: quoniam riſerat ad promiſſionem.

Et ſtare faciam, id eſt, firmabo pactum meum cũ eo.

Pro Iiſmahẽl exaudiui te, quia dixerat. Vtinam viuat Iiſmahel coram te.

Benedixi ei, ſcilicet dando prolis copiam.

Et fructificare faciam eum, & multiplicabo illum: ac ſi dicat dabo prolem, & in copia.

Et principes. Melius & germanius eleuatos. Nam à (naſſã) quod eſt portare, eleuare, venit (neſſijm). i. eleuati & principes, quod ſuper alios eleſtati ſint.

Quam pariet tibi Sarah tempore iſto.

Radicem, mohéd, Hebræi ponunt (Iahad) quod eſt conſtituere, conuenire, maximè ad tempus ſtatutum. 2. Samuel. 20. Et tardauit (mim mohéd) id eſt, à conſtituto: quod conſtituerat ei. Videtur ergo ſignificare tempus certum, ſeu conſtitutum: vnde verti poſſet: quem pariet tibi Sarah ad cõſtitutum hoc, ſcilicet tempus. Et ſignificatio nominis videtur explicari. 2. Samuel. 24. Dedit Dominus peſtem in Iſrael, à mane vſque ad tempus (mohéd) id eſt, ſtatutum.

Iuxta Abraham. Quoniam fortè fœderat apud eum, aut à ſuper Abraham, quoniam de cœlo ei loquebatur. *In robore diei huius*, id eſt, in ipſomet die, aut dum adhuc ille dies duraret: vt alias capite. 7. huius libri prædiximus.

IN CAP. XVII. ADNOtio ad mores.

EGo *ſion Deus liberalis*, aut, *fortis beneficus*.

Non ſulum ſum fortis ad mala punienda, ſed etiam ad largienda bona amicis. Ne putaret homo ſe in vanum laborare in cultu veri Dei: oſtendit ſe Dominus largũ in muneribus ſeruitoribus ſuis. Nouit enim pius patet nos non aliter illi ſeruituros, niſi ab eo bona ſperemus, & mala timeamus. Sic ſupra capit. 15. Ego ſcutum tuum, & merces tua magna nimis. Vbi ſimul docet, qualiter homines alliciendi ſunt muneribus, & promiſſionibus ad fidem, non minis, & terroribus: & conſidera (quæſo) hominum diffidẽtiam: quod nullo pacto ſint Deo ſeruituri, niſi merces in manu eius præcedat. Nam ante miniſterium præmium præcedit: ideo dicit. Ego ſum Deus fortis beneficus: poſtea ſequitur.

Ambula coram me. Docet nos hic Dominus viam totius perfectionis: vt, ſcilicet cogitemus Dominum Deum ſemper præſentem. Et expende hoc. Si enim Rex, aut magnus Dominus aſtaret operibus tuis, aut verbis, auderes ne facere, aut loqui aliquid turpe, aut inhoneſtum? Minime: imò neq; muſſitare. Hoc ipſum de Deo tuo cogita, qui non ſolum factis, & verbis, ſed & intimis cogitationibus tuis præſens adeſt, & verére in oculis eius dicere, aut facere: quod homine præſente facere, aut cogitare non auderes. Audi Dauidem. Fiat (inquit) cor meum immaculatum: vt non confundar, cum, ſcilicet me Dominus viderit turpia cogitantem. Et alius quidam Sapiens. Beatus vir (inquit) qui in ſapientia morabitur, & in iuſtitia meditabitur, & in ſenſu cogitabit circunſpectionem Dei.

Eſto integer ſeu perfectus.

Ecce quales Deus vult amicos ſuos eſſe: vt, ſcilicet nihil illis deſit ex iis, quæ ad perfectionem pertinent.

Dabo pactum meum inter me & te.

Ad quid quæſo Domine, cum ſeruo paciſceris, & tot ac tanta illi bona promittis? Nõne ipſe, etiam ſi nihil promiſeris: iure creationis, tibi cuncta, ac ſeipſum debet? Oſtendit locus iſte, quã male debita Deo noſtro ſoluamus. Nonne creditor debitorem illum male ſoluturum crederet: cui ad ſoluenda debita, plura oporteat donare, quàm eſſent debita? Verè ita eſſet. Hoc Deum facere nobiſcum videbis: qui vt illi obſequia debita præſtemus, maioris momenti bona nobis promittit, & præſtat: quàm ſint miniſteria noſtra. Neque ſolum temporalia, ſed æterna. Opus meum vix eſt vnius horæ, multiſque debitum modis, & tamen præmium illius eſt: quod neque oculus vidit, neque audiuit auris, neq; in cor hominis aſcendit. Vbi ſimul expende, quot modos inuenit Deus tuus, ne te ſuis bonis propter peccata tua priuaret. Licet enim cuncta nobis ſub conditione pollicitus ſit: voluit tamen pactum addere: vt ſi aliquando deficeremus: ille ſui pacti memor, defectus noſtros perpetuo traderet obliuioni. Vnde, & ſanctus Moſeh, vt populo peccati remiſſionẽ obtineret: pactum cum patribus factum Deo obiecit, dicens. Memineris (inquit) Abraham, Iſaac, & Iacob: quibus iuraſti te terram promiſſam daturum.

Cecidit Abraham in faciem ſuam.

Docet nos ſanctus ſenex, promiſſis gratos eſſe debere: qui vtinam beneficiis exhibitis non eſſemus ingrati. Eſt porrò hic aduertendum, quomodo Deus continuo euehit, quem ſemel cœperit exaltare.

Non vocabitur vltra nomen tuum Abram.

Conſideratione dignum exiſtimo, cur Deus eis: quos ad munus aliquod eligit: nomina mutare ſolitus ſit: quemadmodum Abrahæ, Saræ, Iacob, & Petro feciſſe legimus. Et hoc facere videtur: vt quotieſcunq; nominis ſui memores fuerint: toties in gratiarum actionem prorũpant. Et meminerint mores in melius de cætero mutare. *Multiplicabo te in gẽtes, & Reges ex te orientur*.

Non ſat fuit Domino ſemen Abrahæ multiplicare, ſed ſemen excellens illi dedit: vt meminerint Reges muneris: quod à Deo acceperunt: ſiquidem progenitoribus ſuis pro magno munere datur, eos genuiſſe.

Statuam

Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te.

Ex hoc loco colligimus patres ſe poſſe pro filiis etiam ad fidem obligare: imò & filios ipſos, & niſi Dominus ſtatuiſſet, neminem ad fidem cogendum, eſſet hic non parum argumẽtum filios fidelium poſſe ad fidem cogi: ſi parẽtes pro ſe, & filiis paciſcerentur cum Deo de fide ſua, & filiorum ſeruanda. Sed quia Deus non vult coacta ſeruitia, pactum poſtea cum filiis renouauit Exodi. 24. Similiter docemur hic, poſſe etiam de religione & cultu cum Deo paciſci. Vbi aduerte, vt iam diximus, pactum inter Deum, & Abraham fuiſſe, quod ipſe, & ſemen eius ipſum haberent in Deum, & Dominus daret illi, & ſemini eius terram promiſſionis, in poſſeſſionem ęternam.

Terram Chenahan. Audis terram malis poſſeſſoribus iure adimi: vt melioribus detur. Quibuſuis etiã bonis infideles: ſi Deo vero iniurij. Sint, aut naturæ poſſe à Domino ſpoliari. Quicquid ſit de hominibus. Et hæc eſt cauſa: propter quam communiter habitatores à ſua patria eiiciuntur: cum, ſcilicet creatori, & naturæ iniurij ſunt. Creatori quidem, cum non colendo, ſed eius loco idõla. Naturæ verò: cum promiſcuè coeunt, aut cum iumentis, aut homicidia priuata autoritate perpetrant. Qua de re fuſius infra diſputabo Leuiti. 18. vbi poſtquam incæſtuoſos concubitus Dominus prohibuit: dicit. Ne polluamini in omnibus his: in his enim omnibus polluerunt ſe gentes: quas ego emitto à facie veſtra, & polluit ſe terra, & viſitabo iniquitatem eius ſuper eam, & euomet terra habitatores ſuos.

Circumcidatur in vobis omnis maſculus.

Admonet nos locus hic ſpiritualem omnium membrorum circunciſionem.

Natus domi. Sicut Domini, & parentes, ſuis prouidere tenentur neceſſaria naturæ: ita, & quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Et ex hoc loco videtur, quod inuitus poſſit filius circuncidi.

Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai.

Oſtendit textus iſte, quãtum debeat fœmina laborare, vt viro iuſto coniungatur, & quid lucri ſit fœminis, ſanctis coniungi viris. Vbi etiam nota, qualiter Deus iuſtis bona ſua accumulſant.

Cecidit in faciem ſuam, & riſit.

Mirum eſt, quanta Deus tolerat iuſtis, quæ forſitan aliis non toleraret.

Nunquid filio centum annorum naſcetur filius?

Solent viri iuſti ad extollenda beneficia diuina: quaſi impoſſibiſia oſtẽdere: quemadmodum Moſeh Numer. 11. dicit Deo poſcenti carnes ad menſem integrum populo. Nunquid pecudes, & boues iugulabuntur eis, & ſufficient eis? Aut omnes piſces maris cõgregabuntur ad eos? Habent enim ſancti mirabiles modos extollendi Deum, in beneficiis, quæ ab eo accipiunt.

Vtinam viuat Iſmahel coram te: contentos ſe eſſe fatentur verè humiles paruis muneribus Dei, ſed ipſe non contentus eſt eis parua donare, aut data conſeruare, ſed maiora, & quæ ipſi non ſuſpicati ſint, præſtare ſolet. Similiter, aduerte, ſanctos parua munera Dei, magna reputare. Solent etiam parentes naturales filios curare: præſertim cùm alios non habent.

Statuam pactum meum cum eo.

Licet Iſmahel eſſet primogenitus, non tamen placuit Domino cum eo paciſci: quoniam filij ancillarum, matres referre ſolent, & mores matris potius, quàm patris ſequuntur.

Et pro Iſmahel exaudiui te.

Habes hic, quàm breues fuerint ſanctorum orationes, & quàm facilè à Deo exaudiantur, & plura, quàm petant, illis concedantur à Domino. Solum dixerat ſanctus ſenex. Vtinam viuat: Dominus autem nõ ſolum vitam, ſed ſeminis propagationem, & nobilitatem maximam poſſicetur.

Quia ſemen Abrahæ. Non propter matris ſanctitatem, vt diſcas, non tantum verba in oratione valere: quantum vitæ ſanctimoniam.

Pariet tibi tempore. hoc: anno altero. Non differt Dominus Deus communiter, quæ pollicetur ſanctis, quin & certa ſigna tribuit ad conſolationem eorum.

Tulit Abraham Iſmahel.

Admonui ſupra, quàm ſolliciti ſint ſancti ſeruare præcepta diuina. Nam eodem die: quo Deus illi circunciſionem præcepit: eodem omnes maſculos domus ſuæ circuncidit. Quo exẽplo nos arguit: qui præcepta Dei aut negligimus, aut in aliam diem differimus, & ſic Deus curauit certa die eius ſemen ex Ægypto liberare. Nam expletis. 430. annis eadem die egreſſi ſunt inde, vt dicitur Exodi. 12.

IN CAP. XVIII. AD LITEram adnotatio.

IN *quercubus Mamré*. Admonui ſuperius dictionem, elon, ſignificare arborem fortem: quæcunque illa ſit. Noſtri communiter querctum vertunt. Ex verbis tamen Iſaiæ. 2. cap. Videtur ſignificare arborem eleuatam: vbi dicitur. Dies Domini ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & eleuatum, & humiliabit ſe, & ſuper omnes cedros Lebanon ſublimes, & eleuatas, & ſuper, aut contra omnes, aloné, id eſt quercus, aut pinus baſſan. Sunt qui planiciem vertunt, ſed non tam germane iudicio meo. Erat autem in loco: vbi Abraham morabatur: quercuũ multitudo, aut pinuum. Et aduerte, quod vallis hæc mamré ab Hebron ſex ſtadiis diſtat, in qua valle vſque ad Cõſtantini tempora quercus oſtendebatur: ſub qua Abraham Dominum hoſpitio recepit.

Leuauit oculos ſuos. Videtur, quod via publica eſſet ſuper tabernaculum Abrahæ: nam ipſe morabatur ad deſcenſum collis, & quia domus erat ad latus collis, & via in ſummitate, ant in ſuperiori parte, quàm eſſet domus: leuaſſe oculos, ſcilicet ad viam dicitur. Angeli enim fingebant ſe velle præterire domũ eius, per viam publicam: ideo eucurrit ſenex ad eos detinendos, & videtur cognouiſſe eſſe angelos.

Stantes ſuper eum. Forſitan è regione domus eius ſubſtiterunt.

Non tranſibis à iuxta ſeruo tuo, aut, *à ſuper ſeruo tuo*. Sic in Hebræo eſt, id eſt, per viam ſuperiorem domo mea, aut poſtquam tam propinque ad me veniſti, non tranſibis à iuxta me ieiunus. Et loquitur vni: quia ille videbatur præcipuus, & honorabilior inter tres.

Innitimini ſub arbore, id eſt, ſedete ſub arbore innixi ei: ſeu appoſitis dorſis arbori. Verbum, ſahán, proprie inniti, aut recumbere ſignificat, & loco magis quadrare videtur recumbere, quàm inniti, vt ſit ſenſus, & recumbite ſub arbore, quoniam illo tempore homines comedebant recumbentes: vt ex multis ſcripturæ locis cõſtat. Sic. 2. Samuel. 1. Saul, miſſãn, id eſt, recumbebat ſuper lanceam ſuã, ſcilicet feſſus, quaſi ſuper baculum innitens. Si tamen legas, innitimini, non erras.

Fulcite cor veſtrum. Verbum, ſahad, fulcire qualitercunq; ſignificat, ſiue fulcias domũ columnis, aut fulcris, ſiue corpus tuum pane & vino. Prouerbio. 20. (veſahad) id eſt, & fulcietur in miſericordia ſoliũ eius. Inde, mishad, id eſt fulcrum, cui domus aut aliquid innititur, & fulcire cor, eſt illud laſſum refocillare.

Propterea tranſitis ſuper ſeruum veſtrum, id eſt, iuxta domum ſerui veſtri, vt, ſcilicet ab eo aliquod miniſterium reciperetis. Aut ſuper ſeruum veſtrum, id eſt, ſuperiori via.

Feſtina. (& hic ſit punctus.)

Tria ſata ſarinæ ſimilæ miſce.

Dictio, ſeah, genus certæ menſuræ ſignificat. ſed quod illud ſit ignoratur: ex præcio tamen videtur, non fuiſſe magna, quoniã ſiclo vendebatur, vt dicitur. 2. Reg. 7. Licet etiam ibidem ſit coniectura aliqua fuiſſe magnam: quoniam Eliſæus tanquam miraculum prædicebat, ſequenti die ſatum, ſiclum valiturum: cùm tunc temporis eſſet valida fames, & ipſe abundantiam futuram prophetaret tantã, vt ſatum valeret (ſechel.) Alii qui vertunt modiũ. Hieronymus aliquando ſtatẽrem. Etiam ex hoc loco videtur fuiſſe menſura parua, quæ

ſufficie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sufficerat ad prandium trium virorum(soleth) verò, florem farinæ significare dicitur: quam similam latini vocant. De qua Martialis. Nec poteris similæ, dotes numerare, neque vius.

Consperge, & fac subcinericios panes.
Vnico est dictio in Hebræos, scilicet, hugoth, quam nostri vertunt, subcinericios panes: nos vocamus (Bolos de borralho). Potest etiam significare placētas: quas nos, Bolos, vocamus, sed coniectura est Hosæ. 7. significare subcinericios panes: vbi dicitur. Ephraim fuit (hugah) id est, panis subcinericius, non reuersatus.

Festinauit ad faciendum illum, id est, ad præparādum.

Secundum tempus vitæ, id est, modo vita duret, vsque ad illud tempus, & est modus loquēdi, quēadmodum latini dicunt. Faciam hoc, Deo volente, aut vita comite, vsque ad illud tempus, & more hominum loquitur, licet immortalis sit. Aut secundum tempus vitæ, ad Abraham, & Sarah refertur, ac si dicat: Modo tu, & vxor, viuatis illo tempore.

Et ipsum, scilicet ostium, *erat post ipsum*, scilicet angelum, qui loquebatur. Posset etiam verti. Et ipse, scilicet angelus erat post ipsum, scilicet ostium, id est, inter Sarah & angelum erat ostium intermedium, sed prior expositio est simplicior.

Senes venientes in dies. Explicat Scriptura more suo, quod obscurè dixerat, Senes.

Cessauit vt esset Saræ via mulierum, id est, consuetudo. Dictio tamē, orach, viā significat: vt patet Psal. 16.

Post veterascere meum, id est, postquam consenui. Verbum, balah, significat veterascere, aut detritum esse.

Quare hoc, scilicet dictum meum.

Risit Sarah. Sic est in Hebræo, & sensus est. Quare tulit promissionem?

Num etiam vere pariam? Et ego senui.
Dictio, vnām, quam nostri vertunt (vere,) videtur habere pronomen affixum meum, & quod litera sit vertenda hoc modo. Nunquid etiam verum eorum, scilicet angelorum dictum tantum, aut, nunquid etiam veritas eorum, quę iste mihi dixit, erit?

Nunquid abscondetur à Domino quicquam?
Non sciunt Hebræi propriam significationem verbi (palá) ideo dicunt significare mirificare, difficile esse, absconditum esse, & separare. Si quis tamen bene consideret: videbit proprie significare separare, & ex consequenti, abscondere: quod id, quod est absconditum à nostra notitia: separatum sit, quæ significatio omnibus locis: quibus verbum ponitur, conuenire videtur: vt Exod. 33. (veniphlinu) id: est, & separabimur ego & populus tuus, ab omni populo. Hic verò pro abscondere ponitur. Posset etiam verti. Nunquid Deo separabitur, id est, prohibebitur verbū, vt, scilicet, non posse illud facere? Et sumitur verbum pro re. Primo verò modo sensus est. Nunquid absconditur à Domino verbum, vt scilicet illud non audiat: etiam si in occulto dicatur? Et respondet ad id, quod Sarah dixit. Non tisi.

Ad statutum, scilicet tempus, *reuertar ad te. Negauit Sarah.*

Dictio, chachas, significat proprie negare quod dixeris, aut pollicitus fueris, & quia mentiens in promissis, videtur ea negare, significat ex consequēti mentiri.

Abraham ambulans cum eis, ad dimittendum eos.
Ex hoc loco colligitur, quàm antiqua sit illa consuetudo: quia consueuimus nobiles deducere, & cum eis ad aliquod spatium ambulare eos comitando.

Propterea quod præcipiet filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini.
Assignat rationem, quare velit ei reuelare punitionem Sodomorum. Nam videns punitionem iniustorum, præcipiet filiis suis seruare iudicium, & iustitiam. Nō plenè constat ex Hebræis discrimen inter, sedacah, id est, iustitiam, &, mispat, id est, iudicium, nisi quod (mispat) videtur significare actum iustitiæ, seu iudicium actuale, quo tribuitur vnicuique quod suum est, & aliquando punitionem, sedacah, verò, id est, iustitia: importare videtur immunitatem & munditiam à peccato. Aliqui dicunt significare iustificationē. Et peruiam Domini, voluntatem eius, & legem intelligit.

Clamor Sedom & Hamorah: quia multiplicatus est, *& peccatum eorum*, quoniam aggrauatum est valde, *venit ad me.*
Contextus videtur indicare, quod sumitur hic clamor pro rumore, & loquitur Deus more principis: ad quem rumor peccatorum expectantium punitionem venit. Nam infra sequitur. Descendam nūc, & videbo, an secundum rumorem: qui venit ad me, fecerunt. Aut clamor Sedom, & Hamorah, scilicet venit ad me, quoniā multiplicatus est. Vel tertio, clamor sanctorū Sedom, & Hamorah. Quemadmodum supra. 4. cap. de Abelis sanguine dixit Chaino, sanguinem fratris eius ad eum clamare de terra, sed primus sensus videtur esse germanior.

Videbo, an secundum rumorem eius, qui venit ad me, fecerunt, consummatio, id est,
Si inuenero eos feciſſe secundum rumorem, qui venit ad me: erit finis seu consumptio ciuitatum. Noster Sanctes vertit. Videbo, an secundum rumorem eius: qui venit ad me, fecerint consummationem, id est, cum summauerint peccata sua, quemadmodum audiui: ac si dicat. Videbo, an peccata consummauerint.

Et si non, scilicet, fecerunt secundum rumorem, aut si non consummarunt. Videbo.

Verterunt se inde viri, scilicet duo angeli. Dominus verò, aut qui eum referebat, māsit cum Abraham: vnde sequitur.

Et Abraham adhuc ipse stabat coram Domino, scilicet post angelorum recessum.

Nunquid etiam perdes iustum cum impio?
Posset etiam verti. Nunquid ita disperdes iustum cum impio? Verbum, sapah, proprie significat deficere, consumere, & vertendum est. Nunquid etiam deficere, vel finire facies etiam iustum cum impio?

In medio ciuitatis, id est, intra ciuitatem. Vnde constat, thoch, non semper verè medium significare.

Et non parces loco. Hebraice est. Et non leuabis, scilicet punitionem à loco.

Absit tibi. Hebræi, & nostri dicunt, chalilah, significare prohibitionem, & secundum eos vertendum esset. Prohibitio tibi, vt facias rem hanc. Sed quia huius nominis significatio nullam ad verbum, chalal, quod polluere, & initiari significat: allusionem habet, videtur melius vertere. Pollutio, scilicet erit tibi, si feceris hoc, id est, blasphemabitur, & polluetur nomen tuum ab hominibus, quod videlicet sis iniustus. Sic Ezechielis. 36. habes. Ingressi ad gentes: ad quas venerunt, polluerunt nomen sanctum meum: dum dicerentur eius, populus Domini sunt, & de terra eius egressi sunt.

Nunquid iudicans omnem terram, non faciet iudicium?
Vult dicere, Iudices particulares, habent qui; eorum sententias corrigant, scilicet superiores: tu autem non, qui iudicas omnem terram, & ideo non debes punire iustum cū impio, vt talis sit causa iusti, qualis & impij.

Parcam omni loco. Etiam hic ponitur (nasla) id est, portare, & vertendum est. Leuabo, scilicet punitionem à loco.

Et respondit Abraham. Vsurpat Hebraismus sæpissimè respondere, pro dicere. Vnde etiam Matthæus capit. 2. dixit. Et respōso accepto in somnis: vbi responsum pro oraculo posuit.

Ecce nunc volui loqui.
Incerta est significatio propria verbi (Iasál) Communior tamen videtur esse velle: ideo sic vertimus, potius quàm incipere: vt primo Samuelis. 12. Quia (óil) id est, voluit Dominus facere nos sibi in populum. Alij vertunt, incipere. Sic infra pro, incipere verte, Ecce nunc volui.

Loquar adhuc vice, videlicet vna. Et nota, quòd (paham) verbum à quo, paham, nomen, significat frequentatis ictibus calcare aliquid, aut contundere. Vnde illud Iudicum. 13. incœpit spiritus Domini (lepahamō) conterere illum: melius vertas, frequentatis pulsationibus mouere, seu pulsare illum. Quare (paham) id est, pes, sic dictus à frequenti pulsatione, quā terram pulsat, esse videtur.

CAP. XVIII. AD MORES.

Et visus est ei Dominus in quercubus Mambrē.
Quam vtilis sit viris sanctis heremus, & solitudo, pulchrè ostēdit locus iste, in quo Dominus tā frequenter videtur. Vbi simul expēde, quàm difficile Domino erat Abraham dilecto suo diu abesse, vel longius.

Ipse sedebat in ostio tabernaculi, in æstu diei.
Vide, quantæ charitatis fuerit beatissimus senex. Ad hoc enim iuxta viam morabatur, vt frequentius hospites: quos reciperet, habere posset, & ne vllus hospitium sine refectione præteriret, ad ostium manebat in æstu diei. Nox autem quælibet aëris intemperies ab operibus charitatis impedit. Si enim pluuia solito durius exuberauerit: domum exire, & Ecclesiam intrare formidamus. Si pauperem videmus: abhorrēmus nos, & nostra: ne cogamur eleemosynam ei porrigere. De Christo legis Ioannis. 9 quòd cùm permansisset: vidit hominem natura cæcum. Ille prætereundo videt, nos videndo pauperes, præterimus, ne videamus.

Ecce tres viri stabant iuxta eum.
Sicut homini assueto peccatis, diabolus semper peccādi occasionem offert: quo nefanda desideria possit explere: ita volenti facere bonum Deus materiam obiicit: qua bonam voluntatem possit perficere. Si quis enim ebrietati studet: in qualibet domo sibi vinum propinatur. Si lusor: vbique ludus illi paratus est. Si incontinens, aut lubricus: vbique fœminæ, quas male concupiscat: se impudice ingerunt. Sed si misericors, omni loco, omnique tempore videas et pauperes occurrere. Cū enim sanctus, & pius Dauid interrogaret seruos suos: an de domo Saulis aliquis esset relictus: cum quo misericordia Domini vteretur, statim audiuit. Est filius Ionathæ debilis pedibus. Et expende, quare vocet misericordiam Domini, quam erga domum Saulis volebat exercere. Nostra in hoc à diuina distare videtur misericordia, quod nostra ad nō ĩtos tantum se extendit, diligentes solum eos: qui nos diligunt, amicos, non inimicos. Misericordia verò Domini, præcipue est ad inimicos, qui solē suū super bonos, & malos facit oriri, & pluit super iustos, & iniustos. Sic, & Christo: quoniam pius & misericors erat, vbique leprosi, mortui, hydropici, & aliis variis langoribus detenti occurrebāt: sancto autem viro Abraham: quoniam summa erat charitate præditus, non solum homines, sed angeli, imò Deus ipse sese illi in hospitem offerebat. Ex quo discere possumus, quantum Deo placeat hospitalitas. Sed hodie periisse videtur hoc opus misericordiæ, & ita à nobis abesse: vt nemo aliquem, nisi amicum, aut sanguine iunctum hospitio recipiat, & cùm quondam omnium hominum domus, hospitalia fuerunt, nunc communes domus ad hoc deputatæ defuerunt. Neque mihi obiicias furem, sub paupere timere, aut lubricum, sub hospite. Nonne inter Christi discipulos Iudas fur erat, & latro, & forsitan lubricus? Sed nūquid Martha propterea cum cum Christo venientem, ab hospitio expulit? Cū tamen ipsa & soror, pudicitię suę iuste timere posset. Sed esto, pauper fur, aut lubricus est, vel vtrunq;, & furetur argentum, aut vas. Expēde quæso, vtrum deterius sit, argentum ne, an potius charitatem (hospitem non recipiendo) perdere. Et times ne amittas vtensilium aliquid, & non times virtutē, quę sine dubio prætiosior est, amittere. Quid quæso Iudici, in die iudicij dicturus es: cum tibi dixerit. Hospes eram, & non collegisti me?

Si inueni gratiam in oculis tuis: ne trauseat à seruo tuo.
Docet nos, non gratiam facere pauperi, cum hospitio recipiendo, sed maiorem recipere: si se ille recipi a nobis permittat. Arbitramur (ait Augustinus) diues magnum bonum, pauperem nactum, si illi diues obuius sit à quo eleemosynam recipiat, & nō cogitat, sibi maiorem gratiā exhibitam, quod ei Dominus pauperem: cui eleemosynā præstet: obiectauerit. Pauper à te obolum recipit: tu verò à deo centuplum, & vitā æternam. Propterea, ille ex tua parua eleemosyna nō est effectus dives: tu verò, quia dedisti, factus es iustus, iuxta illud: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Quia enim Dominus volebat viduā Sareptanam ditare, Eliam ad eam misit, quasi ab ea panis eleemosynam acceperuris: cum re vera potius domum eius intrasset: vt copiā farinę, & olei ei prouideret. Vbi etiā nos docet, non expectare, vt pauper eleemosynā, aut hospes hospitium deprecetur, sed potius illum ad hęc inuitare, & precibus quasi cogere, quēadmodū illi qui in Emaus ibāt: Dominū ad hospitium coēgerunt, & quidā pharisæus rogabat Lucę. 7. Quis mihi daret, vt sic homo se cogi, & rogari sineret ab operibus vitiorum, sicut se cogi finit ab operibus virtutum. Nōdum ira animam pulsat, & iam illi das manum, pedem, ensem, & alia hellica instrumenta. Ad primum luxurię motum, fœminam, cum qua libidinē explere possis: inquiris. Nō remoraris gulam, sed quamprimum os aperit, cibum tribuis. Cur non sic finis vitia importuna se tibi exhibere, quemadmodum hospitem, aut pauperem remoraris? Nō sic sanctus senex, sed hospites cogere vidit, ne sine charitatis officio domum eius prętereant.

Tolletur parum aquæ. Docet locus iste, quanta ambitione, quondam hospites reciperentur, & quot humanitatis officia, illis exhibebantur. *Capiam buccellam panis.* Plura iusti semper exhibent ex bonis, quā promittant. Inuitat eos ad buccellam panis, & instruit solenne conuiuium. Non sic impij. Sed cùm multa polliceantur, perpauca exhibent. *Sic faciet.*

Docentur hic nobiles, non spernere, quæ sibi à seruis hilari animo offeruntur. *Festinauit Abraham.*

Quemadmodum iusti ad opera charitatis festinant, sic impij ad opera impietatis. Exurgens (inquit Lucas) Maria abiit in montana cum festinatione. Neq; solus festinat Abraham, sed Saram, & puerū festinare cogit, ad opera charitatis. Sic mali non solum seipsos, sed etiam vxores, filios, & omnes suos vrgent, ad opera impietatis. Audi Dominum apud Iere. 7. cap conquerentem. Nonne (inquit) vides, quid isti faciunt, in ciuitatibus Iehudah, & in plateis Ierusalem? Filij colligunt ligna, & patres accendunt ignem, & mulieres impastant pastam, vt faciant placentas reginæ cœli, & libent libamina diis alienis, vt me irasci faciant?

Tria sata farinæ similæ.
Aduerte hic, qualiter selegit sanctus senex, quod pauperibus erogandum erat, & hospitibus. Nos verò viliorem obolum, pecus morbidum, & id genus alia, Deo, & pauperibus tribuere solemus.

Vbi est Sarah vxor tua?
Docet hic Sarah fœminas honestatem, vt non se impudice, aut temerè oculis hospitum ingerant.

Reuertendo reuertar.
Admonet locus iste, hospites gratos esse iis: qui eos hospitio receperunt. Sic sanctus Elisæus hospitam inquirit, an apud Regem negotium habeat, & filium illi suis precibus impetrat à Domino.

Sarah audiebat. Antiquum vitium fœminarum est, omnia velle audire: omnes velle videre, ex larebris.

Risit Sarah. Etiam si promissa Dei impossibilia, aut difficilia videantur, non tamen ridenda sunt.

Postquam senui: erit mihi voluptas.
Senes lubricos etiam cum vxoribus propriis, arguit locus iste.

Negauit Sarah. Facilè est fœminis mentiri, & veritatem negare: peccatumque excusare: aut in alium reiicere, quemadmodum Eua. Vbi tu simul aduerte, quanti Deus faciat infidelitatem, & diffidentiam.

Abraham ibat cum eis.
Sancti viri non solum sancti sunt, sed etiam vrbanitatē norunt. Alihorret Dominus à sanctis inciuilibus.

Numquid celo ego? Tractanda sunt cum amicis consilia. Neque faciet Dominus verbum, nisi prius reuelauerit seruis suis prophetis. Incerta, & occulta (inquit) sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Et si in omnibus, quę facturi sumus: consilium accipere debeamus, maximè tamen cùm vindicta exercenda est, ne in ea

Universidad de Deusto
Biblioteca

excedamus. Solet enim ira ita hominem exæcare, vt raro non excedat in verbis, aut factis. Si ergo Deus ad vindictam qui excedere nequit: consulit amicum, quis tu: qui illum consulere dedigneris? Vbi simul docentur parentes, admonere filios custodire viam Domini, & prædicere eis vindictam eius. Occulte autē nos docet littera hæc misericordiā Domini. Vt quid enim seuclare voluit Dominus Sodomorum vindictā: nisi vt pro eis oraret sanctus Abrahā, & quoad potuisset, prohiberet? Sic Moseh Exod. 32. Reuelauit peccatum populi, vt ipse apud eum pro eo intercederet.

Vt faciat iudicium, & iustitiam: & venire faciat Dominus super Abraham: quod locutus est super eum

Ecce qualiter iustitia, aut iniustitia nostra, impediat, vel complere faciat promissa Dei. Quare optimè Petrus consulit, nostris orationibus facere certā nostram prædestinationem.

Clamor Sedom. Cauendum nobis à peccatis, ne illa ad Deum aduersus nos clament: quorum multitudo maximè nobis vitanda est.

Descendam nunc: & videbo.

Graues esse debent prælati in criminibus credendis, & puniendis, vt non facilè cuilibet personæ, aut variis rumoribus credant, sed ipsi oculis videant, quæ debent punire. Similiter notandum est, neminem ex sola infamia iudicandum.

Accessit, & stetit coram Domino.

Debent audacter viri sancti accedere ad Deum, aut iudicem, vt veniam aliis impetrent: maximè cùm viderint iudicium peruerti, quod beatum Nicolaum sæpe fecisse legimus, & Andream.

Numquid perdes iustum cum impio?

Tanta erat Abrahæ iustitia, vt Deum ipsum docere videatur, quod iustū est. Similiter docet prælatos, quàm patienter subditorum monitiones audire debeant.

Absit tibi facere rem hanc, vt perdas iustum cum impio,

Nihil terra grauius sustinet, quàm videre causam iusti, ac si impius esset, iudicari. Similiter audis, quàm Deus faciat iustos, vt propter decem omnibus aliis parcat.

Numquid iudex omnis terræ non faciet iudicium?

Docentur hic Reges, & supremi iudices, quāta diligentia debeant examinare causas: postquam nouerunt, non esse in terris, qui eorum errata corrigat.

Stans puluis, & cinis. Admonemur, quanta reuerētia erga superiores vti debeamus, & quàm benigne, & patienter debeant nos audire. Sic Ieremias. 12. cap. Iustus quidem tu es Domine: verūtamen iusta loquar ad te. Similiter docemur, quam attente verba coram Domino proferenda sint. Et, vt vnico verbo rem absoluam: ferēdam docet locus ille subditorum nimiam importunitatem.

IN CAP. XIX. AD LITE-rum annotatio.

Venerunt duo Angeli Sodomam.

Nam tertius, qui Dei personam gerebat, & fortè Deus erat: disparuit, aut mansit cum Abraham parum temporis.

Vespere, id est, inter solis occasum & noctē, aut noctis initio.

Et Loth sedent in porta Sedom.

Licet manifestum sit, Sahar, portam significare, incerta tamen est significatio radicis eius, scilicet, Sahar, quod nostri & Hebræi Prouerb. 23. existimare vertunt: vbi textus habet. Quia sicut, Sahar, id est, existimauit animo suo, sic fuit sermo eius. Sed quod hæc significatio loco non conueniat, ex contextu manifestum est. Sequitur enim. Comede, & bibe: dicet tibi, sed cor eius non est tecum. Ex quo constat, cor verbis non esse conforme, & per consequēns, nō sicut existimauit animo suo, sic fuit sermo eius, sed prorsus oppositum: cùm verbo dicat: comede, & bibe: cor vero eius nō sit tecum. Quia tamen, Sahar, pro mēsura accipitur infra 26. vbi dicitur. Et inuenit anno ipso centū (seharim). i. mensuras. Aliqui melius vertunt: quia sicut ipse mensumit in animo suo. Sic ipse, scilicēt cogitat te comesturum, id est, licet dicat tibi: comede, & bibe: cor tamen eius non est tecum: si te excedere viderit præscriptam mensuram. Hinc, saharurijah, quod nostri turpitudinem vertunt. Ex quibus constat ignotam esse propriam significationem. Si autem quæras, quid Loth faciebat in porta ciuitatis, respondeo: ibi expectasse, quos hospitio reciperet: quemadmodum Abraham in ostio tabernaculi sui.

Incurauuit facies suas, aut naves in terra.

Vel, quia angelos eos cognouit: quos apud Abraham aununculum viderat, aut, quia honorabiles suspicabatur ex habitu.

Pernoctate, & lauate pedes vestros.

Licet tam nostri quàm Hebræi dicant verbum (lun) significare, pernoctare, si quis tamen rectè locos expendat: propriè significare deprehendet manere, & persistere firmiter. Mouetur autem, quia video verbo addi nomen noctis in multis locis, quod superfluum esset, si verbum pernoctare significaret, vt patet Nume. 22. vbi dicit Billam, linu, id est, manete hic nocte. Idem Ruth, 3. ideo hic germanius vertas. Et manete, & laua te pedes vestros. Ratio (vt reor) quare tunc hospitibus aqua ad pedes abluendos, ad ingressum dabatur, est: quia omnes pedites incedebant, neque erat tunc vsus equorum. ideo, ne illoris pedibus domum fœdarent, atque etiam, vt melius quiescerēt: pedes in ingressu lauare solebant. Credidetim etiam tunc temporis, nudis pedibus homines incessisse.

Et lauabitis vos, scilicet mane, *& ambulabitis per viā vestram.*

Dixi superius cap. 9. verbū, sachā, potius significare leuare se, quam mane surgere: quod ibi probauimus.

In platea manebimus Dicitur platea, rechob, à latitudine. *Et coëgit eos valdè.*

Meo iudicio, ignota est Hebræis propria significatio verbi, pasar, licet ipsi dicant significare, cogere, sed quod hoc non significet, non parua coniectura est illud primi Samue. 15. Quasi peccatum diuinationis res bellio, & iniquitas & teraphim (hapessar) vbi nullo modo quadrat cogere, seu coactio, sed magis persistere, quod videtur verbum significare, & secundum, hoc vertendū esset. Et perstitit cum eis valde, vt, scilicet manerent, significatio tamen nōdum mihi plene nota est, & potest communis significatio tolerari.

Fecit eis convivium. Dictio Hebraica (mistēh) bibale potius, quàm conuiuium significat. Nam, sathah, est bibere, potare, & nos etiam vocamus, beberēte, aut (si latinus sermo permitteret) bibale.

Et azyma coxit, id est, placentulas illas infermentatas: quas (vt dixit, nostri vocant (bolos) quæ possunt facilè fieri & coqui. Et hoc faciebant antiqui, vt molles panes hospitibus apponerent.

Viri Sedom circuierunt domum. aut iuxta domum. verbum (sabab) in passiua voce ponitur hic, sed in actiua legitur, vt apud Hebræos frequentissimè fit, & verbum significat propriè circuire, & ex consequenti, conuerti, quod conuertens, seu vertēs se, videatur circuitū facere. Vnde illud primi Samue. 22. Ego, sabbothi, id est, causa fui in omnē animā domus patris tui (vt nostri vertunt) vertendum puto. Ego me verti in omnem animam domus patris tui, scilicet occidendo eos: ac si dicat. Habui me, ac si me ad eam occidēdam verterem. Dicit autem viri Sedom: quia dixerat, viri ciuitatis, neque explicuerat, cuius ciuitatis.

Omnis populus ab extremitate, scilicet ciuitatis, seu à *fine ciuitatis.*

Furiosa valde libido hæc fuit, & quę meritò pœnas dedit.

Cognoscemus eos. Admonui supra. 4. cap. cur Hebraissmus vocet concubitum cognitionem.

Non facietis verbum, id est, rem, scilicet malam.

Quoniam propter sic, id est, *propter hoc*, vt, scilicet tuti essent venerunt, *sub vmbra tigni mei.*

Verbum, carah, significat proprie cōtignare, seu tignis tegere: quæ vero occurrere significant, sunt à (chara) potius quàm à, carah, licet contingnare sit occurrere domui ne, scilicet cadat, aut pliat in ea.

Vade vltra. Verbum, nagas, appropinquare significat, sed sæpius pro, ire accipitur. Dictio autem (halah) dicunt Hebræi significare vltra, trans, sed non est certa significatio. Possemus etiam dicere significare, longè: propter illud. Nume. 16. vbi dicitur. Et ignē disperge, halah, id est, longè: significatio tamen incerta est. Est ergo sensus appropinqua vltra, id est, discede longè. Appropinqua ad alium locum, scilicet ad viuendum, aut ad alium locum ab eo: in quo stas si vis prohibere nos: quod statim explicat dicens. Vnus venit, id est, solus. *ad peregrinandum, & iudicabit iudicando.*

Ac si dicant. Solus venit, & ad peregrinandum, & vult nobis esse iudex & iudicare nos, prohibēdo quod facere volumus Malum.

Male faciemus tibi, scilicet abutēdo te magis quàm illis. Verbum tamen, Varah, in passiua voce ponitur.

Et vim fecerunt aut *perseuerant in virum*, id est, contra eum, scilicet insistentes.

Amplius quis tibi hic est gener? Et filios tuos & filias tuas, & omne quod tibi est in ciuitate, educ de loco, germanius sic vertendum puto. Et dixerunt viri ad Loth. Adhuc vel amplius, (& ibi sit punctus) tunc sequitur. Quid tibi hic est, generum & filios & filias, & omne quod tibi est, educ de loco. Aut dixerūt. Amplius quid tibi hic est, scilicet præter te? Quid amplius hic præter te habes, generum, & filios, & filias, & omne quod tibi est, educ de loco, & iste sensus videtur verior & simplicior. *Magnus clamor eorum coram Domino*, id est, magnus tumor malorum eorum. Aut magnus clamor quo omnes ab eis iniuriam passi clamabāt coram Domino. Fortè exteri ad vrbem applicantem, iniuriam passi, ad Deum pro vindicta clamabant.

Erat sicut ludens in oculis eorum.

Verbum, sachac, significat ridere, irridere, ludere verbis, vel factis. Nos dicimus, zombar, fazer zombaria, & est sensus, quod visus est eis non serio, sed ioco loqui. *Cum aurora ascendisset.*

Dicunt tam Hebræi, quàm nostri verbum, sachar, significare nigrescere nigrum esse, sed non bene stare videtur nigrum cum aurora. Ideo dicendum est verbum significare turbidum esse, seu mixtum ex claro & obscuro: qualis est aurora: nos vocamus, pardo, quod est medium (vt diximus) inter obscurum, & clarū Iob 30. Cutis mea, sachar, id est, subnigra est, seu fusca. Vnde, sichor, id est, nilus fluuius sic dictus, quod quasi semper sit turbidus, si tamen Hebræorum significationem teneas, non prohibeo.

Et festinarunt angeli, id est, vrgebant Loth. Verbi tamen (os) quod vertimus festinare, significatio, non plene nota est: hæc tamen videtur esse communis, & omni loco quadrare: vt Iosuæ. 10. Et non (as) id est, festinauit, scilicet sol occumbere. Est tamen locus cap. 16. eiusde libri, qui conuincere videtur verbū significare angustiari, stringere: vbi sic habetur. Si (as). i. angustus est mons. f. ad habitandū. Vnde hic verti posset. Et angustabant eum, seu stringebant, vt. f. à loco exiret.

Quæ inueniuntur, id est, præsentes sunt.

Ne fortè deficias in iniquitate ciuitatis.

Melius in punitione ciuitatis: quoniam, vt sæpius dixi, hauon, potius pœnam iniquitatis, quàm iniquitatem ipsam significat.

Et tardabat, & apprehenderunt viri manum eius.

Verbum, chazar, significat roborare, firmare, & in tertia coniugatione fortiter tenere. & sic posset verti hic. Et fortiter tenuerunt viri manum eius, aut fortificauerunt se viri in manu eius, & in manu vxoris suæ.

Et reliquerunt eum extra ciuitatem, scilicet vt redirent ad eam destruendam. Nec vertimus, & posuerunt: quod verbum non proprie significet ponere, sed relinquere, vt patet in omnibus locis, in quibus verbum ponitur, vt infra. 39. Vathanach, id est, dimisit vestimentum suum apud eam.

Libera te super animam tuam.

Sensus est. sis contentus liberare te, & euadere viuus.

Non cures relicta in ciuitate, vnde sequitur. Ne respicias post te, sed quare nolunt eum post se respicere? Ne fortè, visa ciuitate, voluisset ad eam reuerti ex amore, & ne verteretur in statuam salis, quemadmodum vxor.

Ne steteris in omni parte, scilicet hac. Alij vertunt, in omni planitie.

Ne fortè deficias, aut finiaris.

Ne quæso mihi Domine, loquitur ad vnum: quia vt Hebræi dicunt: alter erat ad subuertendam ciuitatem.

Ne fortè adhæreat mihi malum, scilicet ciuitatis, aut aliud.

Ecce leuaui faciem tuam, etiam ad verbum hoc.

Hebraissmus est: & est sensus. Ecce honoraui te in hoc, aut tuli te, sunt enim ferendi senes: licet importuni sint.

Vocatum est nomen eius cohar, id est, parua: quoniam Loth vocauerat eam illo nomine.

Et Dominus pluere fecit super Sedom, et super Hāmorah sulphur, & ignem, à Domino de cœlo.

De dictione, gophrith, disputauimus abunde cap. 6. huius libri, quòd aliqui putarent significare ligna certi generis, scilicet pinea: alij verò picem, alij sulphur: mihi verò probabilius videtur, quod significet picem, & si, gopher, significat lignum, aut arborem: putarem significare pinū, cuius resina decocta, fit pix: vt, scilicet, gophri, significet arborem: à qua fit pix, gopher, verò picem ipsam, hic pro sulphure, picem verte. Sensus autem loci est. Et Dominus, id est, Angelus: qui subuersionis minister erat: pluere fecit super Sedom, & super Hammorah, picem, & ignem à Domino de cœlo, id est, fecit, quod Dominus de cœlo plueret picem & ignem super illas duas ciuitates: quia tamen Dominus in priori loco est, iehouah, videtur, quod pro vero Deo & summo sit accipiendum, & tunc sensus est. Et Dominus, id est Deus supremus pluere fecit ministerio aëris, aut angelorum super Sedom, & Hammorah, picem & ignem, à Domino, id est, quę quidem pix & ignis à Domino de cœlo descendebant. Aut à Domino de cœlo, scilicet descenderunt hæc, scilicet pix & ignis.

Et omnem partem illam. Aliqui, vt iam diximus, planitiem vertunt.

Et Respexit vxor post illum, id est, quæ erat post illum, aut post illum, scilicet versus vrbem. Sed prius melius: quoniam in Hebræo habetur, à post illum. Hoc autem ideo factum est: quoniam prohibitum illis ab angelo erat, ne post se respicerent.

Et leuauit se mane Abraham.

Aliqui vertunt surrexit mane *Super omnem faciem terræ partis*, scilicet illius, aut planitici: vt alij vertunt.

Sicut fumus fornacis.

Verbum, chabas, à quo chibsān, id est, fornax, significat subiicere, deiicere, vt Hebræi dicunt, & patet Nehemiæ. 5. & 12. Paralip. 28. (lichbos) id est, subiicere in seruos. Vnde, chibsan, potius videtur significare locum profundum, aut subagitatum, à quo vapor exiit, quàm fornacem. Significatio tamē nondum mihi omnino certa est. Nun tamen prohibeo, si fornacē vertas.

Recordatus est Abraham.

Ostendit, quòd non propter merita Loth, sed Abrahę, liberauit Dominus Loth ab illa subuersione.

Et ascendit Loth de cohar: quoniam non se ibi securum esse arbitrabatur. Et māsit in spelunca. Ignora vtcunque est significatio, mecharah, id est, spelunca. quoniam radix ignoratur & incertum est, an sit, mahar, an potius, arah, & si dictio est ab, arah, significat discooperturam potius, quàm speluncam. Aut dicetur spelūca, meharah, id est, discooperta, quòd videlicet ostia non habet: quibus claudatur. Quòd enim speluncam significet, coniectura est ex eo: quod dicitur infra cap. 23. Det mihi, meharath, id iest, spelūcam duplicitatis.

Secundum viam omnis terræ, id est, secundum consuetudinem. Nam consuetudo videtur esse res detrita: quemadmodum via detrita est.

Viuificabimus de patre nostro semen. f. huraanum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ac si dicat. Reparabimus humanum semen, concipiendo ex patre nostro.

Quando iacuit, id est, *accubuit. & quando surrexit.*
Erat enim totus vino sopitus. Et mirum valde est, quòd potuerit cum ea congredi, neque aduertere. Sed posset dici, quod senserit congressum, & non senserit, quando accubuit, neque quando surrexit: quoniam illa timens sentiri, aut deprehendi à patre, clanculum accubuit. & clam surrexit. Neque dicit textus eum non cognouisse, cum cõcubuit, sed propter ebrietatem non discreuit, an esset vxor an filia.

Et fuit in crastino. Hebraice à crastino. Sed aduerte, machar, (vt mea fert sententia) nõ esse radicem sed à radice, chur, quod est lucidum, aut album esse. Vnde vertendum puto. Et fuit à luce, id est, post lucẽ, scilicet illius diei: postquam primogenita surrexit.

Dormiui heri, seu iacui.
Dictio, émes, meo iudicio nondum est plene nota Hebræis & nostris: interim tamen transibimus cum significatione: quam nobis ipsi tribuunt.

Vocauit nomen eius (Moab) id est, de patre. Impudica satis apparuit primogenita: cui non sat fuit de patre prolem suscipere, sed peccatum suum prædicauit in impositione nominis.

Ipse pater Moab, id est Moabitarum *Vsque hodie. Vocauit eum (ben Hammi)* id est, filium populi mei, id est, ad propagandum populum meum.

IN CAP. XIX. AD NOSTRAM eruditionem adnotatio.

Loth sedebat in porta Sedom.
Mirum in modum (vt præcedenti capite admonui) antiqui colebant hospitalitatem: quam nos ita negligimus: vt vix vestigium aliquod illius antiquæ charitatis, apud nos remansisse videatur.

Ecce nunc Domini mei, declinate nunc ad domum serui vestri.
Expende euncta humanitatis officia. Primo surrexit in occursum eorum. Secundo incuruauit se super terram. Tertio dicit. Declinate ad domum serui vestri. Quarto: pernoctate. 5. lauate pedes. 6. Vim illis intulit, vt intrarent domum. 7. Conuiuium fecit. Nos verò misere satis, paupertem hospitem tractare solemus.
Quid faciamus, audi. Primo, si nouimus venturum pauperem hospitem fugimus, aut abscondimus nos. Secundo, dura verba damus, vt statim ille præsentiat, quali animo illum recipiamus. Tertio, ad commune hospitium mittimus, aut alterius domum: qui hæc facere solet: ostẽdimus. Quarto, si admittere contingat, statim de recessu eius inquirimus ab eo, qui iam vix intrauit. Pedes autem lauate, neque cogitamus. Simili modo dissece, quid valeat à puero apud bonos nutriri. Vnde putas Loth didicit in porta hospites explorare, eisque assurgere, currere in eorum occursum, & se super terram proiicere, & eos ad hospitium cogere? nisi quia hæc in domo auunculi Abrahæ, scilicet didicerat, & ea frequenter viderat eum fecisse.

Nequaquam, sed in platea manebimus.
Admonentur hic hospites, non se ingerere, aut recipi facilè permittere, nisi rogatos.

Viri Sedom circuierunt circa domum, à puero vsque ad senem.
Mirum valde est, ita omnem pudorem apud istos eecidisse, vt viderentur omnes in facinus coniurasse. Similiter aduerte, mentium diuersitatem. Loth sanctus quærebat hospites, vt honoratet: isti verò, vt dehonestarent, & iniuria afficerent. Vbi valde mirandum est in natione tam praua, tã pium & sanctum hominem inueniri: quo fiunt inexcusabiles, qui ex malorum societate, peccata sua excusant. Aduerte etiam, quàm culpabiles sint senes: qui mala exempla pueris ostẽdunt. Sequebantur enim pueri in vitio senes, neq; senes pudebat naturę esse iniurios. Est etiam considerationi dignum, quomodo isti erant intenti, & speculabantur, quibus abuterentur. Quemadmodum enim iusti semper inquirunt virtutis exercitium: ita nephandi, materiam vitiorum. *Ne nunc fratres mei male faciatis.*
Docet nos sanctus vir, peccatores, nostris verbis admonere, & eos: si possumus, à peccatis reuocare, blandis sermonibus.

Ecce mihi sunt duæ filiæ virgines.
Admonet locus iste, quanti faciebant antiqui hospitum honestatem, & vt nullus illis esset iniurius. Vnde illud vulgatum apud poëtas. Iupiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur. Disquirunt hic multi, an peccauerit in hoc sanctus senex, & cum offerre materiam minoris mali, ad maius vitandum sine intentione faciendi liceat, cõstat iustum virũ à peccato immunem, præsertim cum non ad concubitum offerat, sed dicat, vt faciant eis quod bonum fuerit in oculis eorum. Arbitratus est iustus senex: quemadmodum sub tecto suo protexerat eos: ita se teneri, eos suo patrocinio iuuare. Et ex hoc videtur, morem illum inoleuisse, vt homo defendat eos, qui ad eum confugiunt: modo sint boni.

Vade vltra: Admonet locus iste, quàm male recipiant furiosi, & libidinosi admonitiones iustorum, neque solum non recipiunt consilium, sed iniuriam pro eo reddunt.

Dicentes. Vnus venit, ac si dicant. Nihil attulit, neq; consanguineos habet. Similiter aduerte, malos, quasi iudices torquentes: ferre bonos. Sic & ille Hebræus Moisi dicit. Quis inquit te constituit iudicem super nos? Exodi. 2. Hoc pessimum mali habent: quòd non solũ verbera recipere, sed & verba audire contemnunt.

Nunc magis male faciemus tibi quàm illis.
Ecce quid lucri habeat, qui malos arguit, sed nunquid omittenda est propterea admonitio? absit.

Miserunt viri manum suam, & introduxerunt Loth.
Ecce quid iusto profuit angelos hospitio recepisse. Vbi docemur iuuare eos, qui nostri gratia aliquid patiuntur. *Percusserunt viros cæcitatibus.*
Qui libidine intus cæci erant, non mirum si extra cæcitate oculorum percuterentur.

Generum & filios & filias.
Ecce quid valeat, iustis coniungi, & qualiter mali propter bonos sæpius bene habeant, & quã periculosum sit, bonis inter malos viuere, aut possessionem habere. Expende quæso horum cæcitatem, vt etiam Angelis velint abuti, qui missi erãt ad eos subuertendos. Solent enim mali aliquando in iudicem impingere.

Quia creuit clamor. Disce peccator ex hoc loco, non augere peccata tua. Similiter quàm bonũ sit iustitię ministros hospitio recipere. Tertio q; vix ministri iustitię celare possunt hospitibus suis, quæ sint facturi.

Locutus est ad generos & fuit sicut ludẽs in oculis eorum.
Excæcare solet malitia oculos impiorum: ne audiant iustorum salutaria monita, deludunt etiam impij comminationes Dei.

Vim faciebant Angeli Loth.
Magna est summi Dei pietas erga iustos, vt eos etiam ignorantes, & nolentes, à malis liberet: quo in facto docemur, bona bonis etiam inuitis facere.

Erue te in anima tua. Non sunt curanda bona, inter malos posita: quoniã solent cum eis perire. Opes enim suas perire cupit, qui apud malos eas deponit.

Ecce inuenit seruus tuus gratiam.
Volebat petere vrbis liberationem, sed prius proponit collata beneficia quę valde exaltat, vt nos doceat, cùm volumus noua obtinere bona ab aliquo: accepta numerare, quod & Dauid fecisse inuenies. 2. Samuel. 9. Quis (inquit) ego sum, quæ domus mea, quia adduxisti me vsque adhuc? Et parũ hoc fuit, nisi loquereris de domo serui tui in longinquum.

Et est parua. Hoc (vt superius admonui) commune est, vt, scilicet qui postulat, parua faciat quæ postulat: quod ex arte esse constat, quoniam solent homines, quæ parua sunt, facilè donare: non sic autem magna: Sic Bersabe cum Adoniæ apud Salomonẽ Sunamitẽ postulasset cum qua simul postulabat & regnum, petitionem tamen paruulã se petere dicebat. 1. Reg. Qui verò donãt: magna facere solent donaria sita quem-

quemadmodum ibi Salomon. Vnde & filiorum Zebedæi mater aliquid se petere dixit: cùm tamen Regni Christi assessores filios postulasset. Similiter docemur hic, eos: qui gratiam fecerunt, debere maiora exhibere: vt perficere quæ cœperũt, videantur. Videtur enim hic Loth obligare angelos, postquam vitam concessérant: concedere ciuitatem: qua saluetur.

Non potero eruere me ad montem.
Audis hic hominem debere, viuere, vbi vicinitatem habeat, qua possit quæ sibi desunt saltem mutuo accipere: nisi velit Deo vacare.

Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.
Claudere, & ligare solent sancti Deo & angelis manus, ne possint illis, aut aliis nocere, nisi voluerint ipsi. Quod de sancto Moseh etiam legimus. Dimitte (ait illi Dominus) me, vt irascatur furor meus. Quis te Domine quæso ligauit, vt à seruo ad puniendum postules dimitti?

Pluit Dominus super Sedon picem & ignem.
Conueniens fuit pœnã delicto, vt qui luxuriæ insolitæ igne flagrabant, pice, & igne, de cœlo missis, comburerentur.

Omnem planitiem & germen terræ.
Ecce quàm mali sint impij terræ, & herbis, vt scilicet propter eos terra & germen eius patiatur: apud Ieremiam capite. 12. legis vsque quo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur? Propter malitiam habitantium in ea, consumptum est animal & volucre.

Respexit vxor eius à post eum.
Difficile quis prohibet oculos fœminarum. Sed consueuit Dominus punire huiusmodi licentiosos aspectus: quemadmodum fecit in Eua. Et putarem eam non solum oculis, sed etiam animo Sodomam respexisse: ob quam ingratitudinem in salis cumulum versa narratur. Vbi simul docet mala, non solum non esse facienda, sed neque respicienda: quod ideo fieri puto, ne quis illorum punitionibus moueatur.

Surrexit Abraham mane Quàm securi iusti vident impiorum mala, propterea (inquit) non timebimus: dum turbabitur terra, transferentur montes in cor maris.

Recordatus est Deus Abraham, & emisit Loth,
Misericordior est Deus in consanguineos iustorum: quàm ipsi sint in eos. Non legimus Abraham pro nepote orasse, & legimus Deum, eius gratia eum ab incendio liberasse. Similiter docemur, quod Dominus iustorum gratia facere soleat.

Habitauit in monte. Mirum valde est, quod fuerit ab incendio liberatus, & non ab incœstu. Admonet beatissimus Gregori. Nullum esse locum: vbi iusti tuti esse possint, nisi in Deo. Quamobrem sanctus Dauid dicit. Esto (inquit) mihi in Deum protectorem, & in domum refugij. Quia nouerat nullum à peccatis tutum esse locum: postulat Deum, vt sese illi domum, & locum faciat: quo se à peccatis tutetur. Similiter docemur, quàm periculosa sit viris, etiam consanguineis & parentibus, fœminis cohabitare. Vnde Bern. in sermone quodam super Missus est. Vis (inquit) ô homo in timoribus esse securus: time securitatem. Vis (inquit) ô fœmina ab extraneis esse libera: consanguineorum tuorum, & eorum cum quibus secura esse videris, time contubernium. Legimus enim Virginem, angelos timuisse, & cogitasse, qualis foret angeli salutatio. Nullos enim securius viuere deprehendimus: quàm qui, quæ secura videntur: suspecta habent.

Pater noster senex est. Quærunt semper fœminæ rationes: quibus vitia sua tegere possint. Vbi etiam aduerte, fœminæ ad malum subtilitatem, & nisi ignorantia eas excusset, nescirem excusare, quas incœstus nefandissimus accusat. Similiter docemur, quàm facilè fœminæ ad malum persuadentur.

Ecce dormiui heri cum patre nostro.
Commune est perditis, alios etiam coniunctos perdere velle, vt, scilicet vinctos eos: quos diligunt delectetur habere, ne soli peccatores esse videantur. Sic Eua maritum ad peccatum persuasit faciendum. Vbi etiam aduerte, quàm sit ebrietas fugienda.

Vocauit nomen eius Moab.
Peccatum suum prædicauit, quasi Sodoma. Non æquo animo Deus vnquam tulit, eos: qui peccata prædicant, aut iactant. Legimus enim, quàm ægre tulerit Dauid Ioab, sanguinem Abner in calceis ad iactantiam posuisse, & in cingulo: quod culpam vehementer auxisse videtur.

Fuit pater filiorum Hamon.
Solet Dominus ex peccatis bona elicere.

IN CAP. XX. AD LITEram adnotata.

Profectus est inde Abraham ad terram australem. Ægyptum versus quę terre sanctę est ad meridiem, Et habitauit inter Cades, & Sur.
Videntur nomina locorum in deserto.

Et peregrinatus est in Gerar.
Dicit beatus Hieronymus in Paraliporn. hunc locum etiam dici, Gabaal, qui olim fuit sedes regia Philistinorum. Distat autem à Ierosolyma itinere trium dierum. Infra eã autem est vallis eiusdem nominis: in qua Abraham peregrinatus est. Sunt etiam qui dicunt literæ ordinem hic inuersum: cùm hic Sarah raptus longè ante hoc acciderit.

Soror mea est ipsa. Quemadmodum antea apud Ægyptios sororem vocauerat: ita & nunc. Neque tamen eam instruit: vt superius fecerat: quia iam instructam habebat.

Ecce tu morturus, id est, statim morieris, aut mortuum te reputato.

Ipsa maritata est marito. Dixi aliàs verbum, baal, quod hic ponitur: significare superiorem esse, supergredi, coniungi, vt superius inferiori. Vnde verti posset. Et ipsa dominata Domino, sed clarius, vt versum est.

Non intrauerat, aut, *appropinquauerat ad eam*, & secunda lectio magis quadrat.

In perfectione, aut integritate cordis mei, id est, nihil mali machinans. Vocat Hebraismus cor integrum illud: quod nihil mali, aut insidiarum machinatur.

Et in munditia volæ meæ, aut, *in innocentia.*
Hebraismus est, pro neque corde, neque opere, peccaui in re hac: de quo loquendi modo in Hebraismis diximus.

Quoniam propheta ipse.
Si certa esset nobis radix verbi, naba, facilè cognosceremus, quare Abraham propheta diceretur, & si radix est, ban, id est, intellexit, tunc, nabi, intelligentem significaret. Si autem, nûb, quod est loqui, significat loquentem. Sed prior significatio magis arridet, vt, scilicet Abraham dicatur propheta, quod videlicet intelligeret visiones Domini. Potest etiam verè, & proprie propheta dici: cui Deus capite. 15. superiori captiuitatem sui seminis, & redemptionem reuelauit, & Sodomorum subuersionem, & credibile est, eum posteris suis visionem, & captiuitatem prędixisse, quo animæquiores facti, eam facilius tolerarent. Aut sicut eos vocauit in Psalm. Christus dicens. Corripuit pro eis Reges. Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari: sic nunc Abraham. Sed credẽdum est Abraham verum fuisse prophetam: vt hic Dominus dicit.

Orabit vsque ad te, & viues.
Sic in Hebræo est, & est sensus. Et extẽdet orationem vsque ad te, & viues. Aduerte hic, quod verbum (palal) quod nostri hic orare vertunt duo significat, scilicet diuidere, discernere, & iudicare, vt Primo Samuelis. 2. Si peccauerit vir in virum, (vpilaló) id est, discernet, aut diuidet, seu ius dicet illi Deus, sed si in Dominum: quis, itpalel, id est, diuidet illi, seu ius dicet? Secundo significat orare, scilicet, in quarta conjugatione: quod si ab hac est radice: potest Dominum orare, dici, palal, quod orans seipsum iudicare videatur, sese culpabilem ostendens. Aut (quod verius puto) sibi ius dici petat à Domino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Opera, quæ non sunt facienda: fecisti.
In Hebræo est: facta, quæ non sunt facienda, seu quæ non fient, id est, fieri debent. fecisti.

Quia iuxi profecto. Varie interpretes reddunt dictionem (אך). Aliquando profecto, vere, nonnunquam, tamen, quæ significatio multis locis quadrat.

Propter vxorem meam. Hebraice est, *propter verbum vxoris meæ*, id est, si dixero, eam meam esse vxorem, aut, vt versum est.

Et vere etiam soror mea est, filia patris mei.
Constat ex hoc loco, non fuisse tunc temporis cognitum, esse prohibitum, sororem ex altero tantum parente in vxorem duxisse: neque contra leges naturæ hoc esse. Ex vtroq; tamen parente putarem post Adã, non fuisse in vsu.

Fecit, quando errare fecit me Deus.
Constat ex hoc loco Sarah antequam cum coniuge in terram promissam veniret: à viro edoctam, vt sororem eius se vbique diceret.

In bono in oculis tuis habita, id est, in loco: qui magis oculis tuis placuerit: habita.

Et ad Sarah dixit.

¶ *Ecce dedi fratri tuo mille argenti: pro argenteos. Ecce ipse tibi velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, & omnes, & increpata est.*
Iste est Hebraismus.

Inter huius libri difficiles sententias, hæc quæ hic scribitur: difficillima videtur: ita vt etiam Gigantes sub mole gemere videantur, & duo meo iudicio locum difficilem reddiderunt. Alterum est: quid pronomen Hebraicum (Hu) referat. Aliqui enim putant illud referre argentum, inter quos est vulgatus interpres, qui vertunt hoc, scilicet argentum, aut pannus ex eo emptus, erit tibi in velamen oculorum. Alij verò: qui rectius sentire videntur: arbitrantur (Hu) referre fratrem, seu Abraham sub nomine fratris. Alterum verò, verbum, chachath, id est, reprehensa est, quod qualiter cum præcedentibus cohereat, difficile est cognoscere. Tenendo ergo, pronomẽ referre Abraham sub nomine fratris: dupliciter potest textus exponi.

Vno modo sic. Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, id est, Abrahæ: quem falso fratrem appellas. Ipse, scilicet Abraham sub nomine fratris, erit tibi velamen oculorum, id est, operimentum verecundiæ: si mala, & adultera esse volueris, ad eos qui tecum sunt, & ad omnes. Ac si dicat. Si cum domesticis, vel aliis volueris adulterari: adulterium tuum teges, dicẽdo, maritum esse fratrem, quibus verbis illa redarguta, seu reprehensa est. Sed hunc sensum exibilare videtur id: quod dicitur. Ad eos, qui tecum sunt: quoniam non poterat Sarah domesticis adulterium suum tegere nomine fratris: qui quidem domestici probe nossent eum esse maritum. Sed quia sensus bonus est, posset dici, quod non omnes domestici nosse possent, eum esse maritũ, & si nossent, possent saltem se excusare dicentes, eam asseruisse suum esse frattem. Sed est secundus sensus, qui meo iudicio germanior est: iste, scilicet. Ecce dedi mille argenteos fratri tuo: ipse, scilicet sub nomine fratris, erit tibi velamen oculorum, id est, operimentũ verecundiæ, tum erga domesticos, tum etiam erga omnes alios, qui tibi exprobrare voluerint adulterium meum, & te iniuria afficere: poteris enim te excusare, quod ipse persuaserit tibi eum vocare fratrem: ac si apertius dicat. Si domestici tibi sint iniurij, aut alij vocantes te adulteram: habes quo opprobrium, & verecundiam reiicias, dicendo, eum tibi persuasisse: vt fratrem, non maritum vocares. Sed etiam hic sensus suas angustias patitur: quod iuxta eum his verbis non reprehensa, sed consolata videtur. Sed ad hoc dicitur, quod prudentissime Abimelech consolationi, increpationem miscuit. Dixit enim. Ecce dedi mille argẽteos fratri tuo, id est, marito: quem male fratrẽ appellas, & falso, & in hoc redarguta, & increpata est: in eo verò, quod sequitur, ipse, scilicet erit tibi velamen oculorum, id est, in hoc tamen consolaberis verecundiã tuã, contra eos: qui te adulteram vocauerint: quod ipse tibi hoc præceperit. Si verò teneas pronomen referre argentũ: sensus erit. Hoc, scilicet argentum, quod fratri tuo dedi, tibi operimentum verecundiæ: quod. s. ea pecunia satisfecerim illi peccatum, quod peccaui in eum, auferẽdo illi vxorem. Caietanus dicit verba esse monitoria, vt de cætero Sarah vocet Abraham maritum, nõ fratrẽ, vt apud se fecerat: quoniam hoc titulo, nomine videlicet mariti, velabit oculos omnium, ne eam concupiscant. Ac si dicat. Ipse. s. Abraham sub nomine mariti, erit tibi velamen oculorum, id est, prohibitio concupiscentiæ, ils: qui tecum sunt, & aliis. Sed quia relatiuum, ipse, videtur referre fratrem, qui præcesserat, non multũ placet sensus. Tum quia his verbis videtur reprehensa.

Sanauit Abimelech, & vxores eius.
Constat ex hoc loco plagam, qua percussus fuerat Abimelech: fuisse impedimentum prolis, ne videlicet posset cum vxoribus congredi, aut eas non potuisse concipere, aut parere.

IN CAP. XX. AD MORES componendos adnotatio.

Peregrinatus est in Gerar.
Mirabilis valde fuit æquitas, & patientia viri sancti Abrahæ, qui ex summis diuitiis, ad summam paupertatem deiectus, nihil fuit propterea mutatus. Nuper armauerat. 300. Vernaculos domus suæ: quibus Reges Syriæ debellarat, & nunc, baculo in manu assumpto, ipse & vxor eius cogitur ad Gerar descendere, ibique mendicare. Vbi sunt illi, qui ablatis sibi à Deo diuitiis, quas ab eo mutuo acceperant: murmurant, conqueruntur, blasphemant, ac desperant? Discant à sene, qualiter vtranque fortunam tolerare debeant.

Dixit de Sarah, soror mea est.
Admonui supra, quã parum carnales fuerint sancti patres, qui tam facilè sibi permittebant vxores capi.

Misit Abimelech Rex Gerar, & accepit Sarah.
Facilè impingit homo lubricus, & cupidus, & quæ mala potentia pariat, indicat locus iste. Habent Reges ad manum quæ volunt, siue bona, siue mala sint.

Venit Deus ad Abimelech.
Qualiter Deus curet res iustorum, textus iste indicat vt, scilicet nolit eos, etiam si ipsi velint: dehonestari. In quo docemur, solum curare legem Dei: quoniam ipse curat honorem nostrum, & omnem aliã nostram vtilitatem. Similiter admonentur magni, non tangere res sanctorum, si nolunt à Domino plagis castigari.

Ecce tu morturus. Arguit locus iste, minæ Dei quàm sint timendæ, ac mala ipsa: quoniam non nouit Dominus mentiri. Admonet etiam locus iste, qualiter Dominus subueniat illis, qui ex ignorantia peccant, neque finat eos in peccata labi.

Abimelech non appropinquauerat ad eam.
Curat Dominus honorem iustorum, quanto minus ipsi illum curare videntur.

Nunquid etiam gentem iustam occides?
Communis animi conceptio est, Deum non punire iustum, neque impunitum peccatorem relinquere. Vbi etiam nostram innocentiam coram Domino allegare discimus.

Etiam ego noui, quod in perfectione cordis tui.
Si hæc Domine nosti, cur regem innocentem de peccato arguis? Arguit Dominus opera, non peccamina contra iustos facta, vt nemo contra eos audeat re vera peccare. Qui enim ita arguit quę peccata nõ sunt, qualiter arguet, & puniet, quæ sunt re ipsa peccata?

Prohibui te ego, ne peccares mihi.
Quantum valet opera bona, & simplici corde facere: quoniam si contingat ex ignorantia in peccatum ire, Dominus occurrere solet. Admonui etiam supra, qualiter Dominus Deus non permittit, eum peccata perficere, qui solitus erat ea solum inchoare.

Redde vxorem viro. Docet locus iste non valere illius deprecationes apud Deum, qui aliena retinet adhuc. Antequam ergo, ores, redde vnicuique quod suum est, postea offeres munus tuum.

Quoniam

Quoniam propheta est, & orabit pro te.
Ecce propheratum munus, scilicet orare pro populo. Vbi simul discimus rogare eum: quem offendimus: iam à nobis placatum, vt oret pro nobis. Et hae de causa, orationes Christi fuerunt efficacissimæ: quoniam à nobis iniuriam passus, pro nobis orauit.

Vocauit omnes seruos suos.
Tenentur Domini, & parentes, seruis & filiis narrare, vnde Deum timeant, & lædere proximum non præsumant.

Quid fecisti nobis? Arguendi merito sunt, qui aliis præbent occasionem ruinæ.

Induxisti super me, & super regnum meũ peccatũ grande.
Solet enim regnum sæpius luere peccata regis: eum scilicet non punit iniurias, quæ innocentibus fiunt.

Verè non est timor Dei in loco isto.
Ecce quàm necessarium est regnis, Deum timere vltorem. Vbi similiter docet, occultandam esse veritatem: vbi eam dicere non solum nõ prodest, sed valde nocet.

Occident me, propter vxorem meam.
Isti sunt, qui pluris faciunt minora, quàm maiora mala: qui ne adulterium committant, homicidium perpetrant, & minora mala, maioribus compensant.

Et verè soror mea est. Tenentur viri sancti, de se rationem reddere: maximè, quod non sunt mendaces.

Hæc est misericordia, quam facies mecum.
Tenentur vxores, viros iuuare, quoad possunt.

Cepit Abimelech pecudes.
Non solum veras iniurias, sed tales reputatas tenemur refarcire, & iuxta possibilitatem recompensare. vbi simul aduerte, posse illatam iniuriam aliis rebus externis refarciri.

Ipse tibi velamen oculorum.
Auferenda sunt fœminis, quæ possunt illis ruinæ occasionem dare, & ea: quibus possunt peccata tegere.

Quia claudendo clauserat.
Sicut nos in peccato procedimus, ita Deus in punitione: vt scilicet peccatum incœptum punire incipiat, consummatum verò, aut prolongatum, consummata punitione. Vbi simul discimus, quid prosit oratio iusti.

CAPITIS. XXI. ADNOtata ad literam.

Visitauit Dominus Sarah.
Dicunt Hebræi verbum, pacad, significare visitare, recordari, respicere, deficere, numerare, præcipere, & deponere, quoniam, vt sæpius admonui nolunt aduertere, an vnum significatum quadret omnibus locis. Et si quis expendat: deprehendet, significare, recordari, & ex consequenti numerare: quod videatur esse quoddam recordari, quæ duæ significationes videntur conuenire omnibus locis: quibus verbum, pacad, ponitur, vt Exodi. 4. Audierunt, quod, pacad, id est, visitasset: vbi optimè vertas, recordatus esset Dominus filiorum Israel. Similiter hic optimè conuenit, si vertas,

Et recordatus est Dominus Sarah.
Neque solum recordari, sed etiam numerare: vt si vertas. Et numerauit Dominus, scilicet tempus Satan, sic esse vertendum, ex literæ contextu: quia dicit sequens litera duo, & quod peperit, & quod tempore quo prædixerat Deus. Ac si diceret. Numerauit tempus condictum, & fecit, quemadmodum pollicitus est. Si ergo hoc placet: Sic reddenda est litera. Et Dominus numerauit, scilicet tempus concipiendi Saræ, id est, quo illi conceptum promiserat: fecitque Dominus Saræ quemadmodum locutus est.

Et concepit, & peperit Sarah Abraham filium in senectute eius: secundum tempus, quo locutus illi fuerat Deus.
Si verò magis placeat prior significatio, scilicet recordatus est, non prohibeo.

Risum fecit, vel ludum. Quis diceret Abraham?
Non est vsquequaquè certa significatio verbi, milel, id est, dicere: licet nostri vbique vertant, loqui: interim tamen accipiamus hanc significationẽ ab eis. Sic etiam incerta est significatio verbi, gamal, id est, ablactare: quod Hebræi non solum ablactare, sed retribuere, & maturare, significare dicunt: à quo, gamal, id est, camelus. Neque potui ex locis vbi ponitur, coniectari proptiam significationem eius.

Et vidit Sarah filium Agar Ægyptiæ: quem peperit Abrahæ ludentem.
Iam capit. 18. tractauimus significationem verbi (sachac) quod videlicet significaret proprie ludere, illudere, irridere, siue animo, siue exterioribus gestibus: nostri significantius vocant (fazer zombaria:) vt Exo. 32. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt, lesacheech, id est, ad ludendum, seu iocandum; & infra cap. 39. Venit ad me seruus Hebræus: quem introduxisti, lesacheech, id est, vt illuderet mihi. Vidit ergo Sarah Ismahelem, illudentem; Non explicat textus eũ illuderet, sed subiuncta verba subindicant, illusisse Isaac; & crediderim eum dixisse, se primogenitum, & hæredem totius substantiæ patris sui: ideo dicit Sarah, eum non debere esse hæredem cum filio suo (Iischac) Caietanus putat Iismahelem fecisse alios pueros illudere Iischaç, propter verbum quartæ coniugationis, scilicet illudere facientem, sed non raro huiusmodi verba habent reciprocam significationem. Consultò omittimus hic expositiones Rabbi Salomonis, quod videantur mihi relatu indignæ.

Malum visum est verbum valde, id est, valde displicuit, sic filium eiicere. Et quod sequitur.

Super causam filii sui. Dictio, odoth, non est nobis, neque Hebræis plene nota. Dicunt tamen significare causam. Inuenitur tamẽ (vd) Hamos. 4. & Zacha. 5. & Isai. 7. significare torrem seu titionem. Si autem radix nominis esset (Ed) cum Iod media radicali: tunc significaret inundationem & afflictionem, & verti posset. Super aut propter afflictionem filij sui. Sed (vt dixi) incerta est res hæc.

In Iischac vocabitur tibi semen, id est, soli descendentes ex te per Iischac, vocabuntur semen tuum. Aut solus Iischac, vocabitur semen tuum, sed prior sensus germanior est.

In gentem ponam, id est, in multitudinem gentium.

Et surrexit. Aut melius. *Et leuauit se.*

¶ *In deserto Beersabah.*
Sonat, Beer, puteus, Sabah, verò septem, fuit autem prius fons, postmodum verò amplus vicus tribus Iudæ, & Simeonis, contiguus magno deserto, & alter limes longitudinis promissæ terræ. 20. miliaribus in austrum distans à Chebron, iuxta viam, quę Sinai ducit. Ad eam enim (Elias) peruenit, fugiens iram Iezabel in montem Choreb, qui & Sinai.

Emisit puerum sub vna arborum.
Dixi de significatione nominis, siach, Gene. 2. quod significaret arbustum, seu arborem tenuem, & teneram. Nam cum sub ea puerum proiecerit, constat non fuisse herbam, tum quia (vt ibidem diximus) herba sæpe illi coniungitur.

Secundum iactus arcus. In plurali ponitur iactus. Vnde videtur quòd non ad iactum vnum, sed plures, elongauerit se à puero.

Robora manum tuam cum eo, id est, robora eum manu tua. Da inquit illi manum tuam: vt fortificetur, & surgat.

Fuit iaculator sagittarius.
Dictio Hebraica (rabah) à qua robeh,) quod nostri hic iaculatorem vertunt: significat proprie multiplicare, augere, crescere, sicut rabbab, quod est eiusdem significationis. Et nullibi (quod sciam) significat iaculari, nisi hic: quapropter suspecta valde mihi est hæc significatio: ideo consultius putaui videre, an propria significatio aliquo modo loco conueniat, quàm temere nouam inuenire. Est autem locus sic reddendus, tenendo propriam significationem.

Et fiat eleuans arcum. Solent enim Iaculatores adiaciendum, vtcunq; arcum leuare. Sic Thren. 2. Et euasorem & superstitem: quos educaui (veribithi) id est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dueri, seu auxi. Aut germanius. *Et fuit multiplicans arcum*, id est, frequentans, & hæc mihi adhuc videtur germanior interpretatio.

In deserto (Paran) Est (Paran) herémus magna, ad solitudinem Sinai supra Asphaltiden lacum, & vt colligitur ex. 33. cap. Deuterono. est mons prope monxem Seir: ibi enim dicitur: ortum esse Deum è Seir eis, & illuxisse de monte (paran). Huius etiam montis meminit Abacuch. 3. capite: vbi Deum à meridie venisse dicit, sanctumque de monte, paran, Cuius mentio etiam facta est suprà. 14. & Numeri. 10.

Accepit illi vxorem de terra Ægypti.
Quoniam erat Ægyptia: inde voluit filio vxorem accipere.

Dominus tecum est in omnibus quæ tu facis.
Hebraismus est pro: Deus in omnibus tibi auxilio est.

Iura mihi hic per Dominum.
Diximus dedictione, hennah, supra. 15. capite, quòd locum ostendat, id est, hic.

Si mentitus fueris mihi, ego filio meo, & nepoti meo.
Incerta est Hebræis significatio propria dictionis, nin, quam hic nostri filium vertunt: quoniam propriam nominis radicem ignorant. Sunt tamen coniecturæ aliquot ad hanc significationem, sicut est illud Iob. 18. Non, nin, id est, filius ei, neque nepos in populo eius. Sic Isiæ. 14. Succidam ipsi Babel nomen, & residuum, &, nin, id est, filium. Vnde Burgensis illud Psal. 72. Ante solem, linon, id est, filiabitur (si sic loqui fas esset latinis auribus) vertit, id est, filius vocabitur. Si autem radix sit, Ianah, vt multi putant: cùm, Ianah, significet aliorum substantiam accipere, veluti hæredem: tunc sensus erit. Quia non mentieris hæredi meo, & nepoti meo.

Super causam putei. Iam alias admonui, ignotæ significationis esse, odoth, id est, causas, vt nostri vertunt. *Septem agnas ouium.*

Dicunt Hebræi, chebes, id est, agnus significare agnũ anniculum. Superiorem verò dici (Aijl). Sed parum fido his differentiis: quoniam discrimen, requirit plenam notitiam eorum inter quæ discrimina ponuntur.

Quid septem agnæ istæ? Omiserunt ferè omnes interpretes hic dictionem, hennah, id est, hic, quòd parum interfit siue eam interpretentur, siue non.

Quod fodi puteum istum.
Tribuunt Hebræi multas significationes verbo, chapar, scilicet fodere, scrutari, & erubescere. Sed meo iudicio, illa duo solum significat, scilicet proprie fodere, & alludere siue erubescere, q̃ erubescens, velit se abscondere, & defodere sub terra: si posset. Potes etiam tertiam admittere, scilicet scrutari, quòd nihil aliud sit effodere, quàm scrutari viscera terræ: Iob. 39. Inde, chapar, id est, effodit escam, id est, videt, vt effodiat: vbi nostri vertunt. Inde cõtemplatur escam:

Propter quod vocauit locum illum (Beersabah) id est, puteum septem.

Quoniam ibi iurarunt, & percusserunt ambo fœdus. Nom putes nomen, Beersabah, explicare iuramentum, aut percussum fœdus. quoniam (vt diximus) sonat puteum septem: propter septem agnas.

Plantauit arborem. Putarem (essel) esse proprium arboris nomen. Sed, vt sæpius admonui, Hebræi ignorant significata nominum arborum, & lapidũ, auium, & piscium. Quod tamen ex scripturis colligere potui, est, quod sit arbor magna: sub qua quis potest tabernaculum tendere: quoniam. 1. Samuelis capit. 22. de Saule dicitur, quod habitabat in, Gabah, sub (haëssel) id est, sub illa arbore, & cap. 31. dicitur, quod sepelierunt eum sub, haessel, id est sub illa certa arbore, aut sub arbore. Aliqui nemus vertunt, sed non placet. Plantauit ergo Abraham arborem, aut illud certum arboris genus, & ad quem finem, constat: quoniam ibi recipiebat hospites: vt de angelis patuit.

Vocauit ibi in nomine Domini fortem æternum, aut fortis æterni.

Hæc inuocatio subindicat ibidem obtulisse sacrificium inuocando Deum, sub nomine, Iehouah, fortem & æternum: quemadmodum fecisse legitur capi. 12. Et bene aduertę, quod inuocauerit Deum fortem, æternum: vt intelligas id: quod Dominus Exo. 3. dicit.

Ero qui ero, scilicet semper. Nam in hoc se volunt ab aliis Diis discriminare: quòd illi noui recentesque venerũt: quos non coluerunt patres eorum: ipse verò sit, Iehouah, (él holam). i. Deus fortis perpetuus.

CAP. XXI. AD MORVM correctionem annotatio.

ET *recordatus est Dominus Sarah quãadmodũ dixit.* Inter cætera, quæ in Deo relucent: præcipuum est veritas, vt non solum quę promiseris, compleat, sed eo, quo promiserit tempore. Et iniquũ valde videtur, quod compleat Deus nobis pollicita, & nos non impleamus, quæ promissimus illi ministeria. Quemadmodum (vt aliàs dixi) iusti non solum præcepta Dei implent, sed suo tempore: ita & Deus præterire non solet promissum eius tẽpus. Vbi aduerte, quod non obstante risu Saræ & Abrahæ, Dominus quod promiserat, ad impleuit: vt in hoc suam ostenderet veracitatem. Quare Paulus ad Roma. ait. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.

Vocauit Abraham filium suum Isaac. i. risum. Etiam hic considera, quàm velit Deus, nos suorum beneficiorum recordari. Nam quia miraculosè filium dederat, quasi desperato: voluit, vt omnes cognoscerent, in nõmine filij, esse miraculo acquisitum,

Circumcidit eum octauo die, vt illi præceperat Deus. Docentur hic illi: quibus Deus aliquid pollicitus est: obseruare mandata Dei: quoniam hęc videtur esse via ad verificandas promissiones: vnde supra cap. 18. dixit Dominus de Abraham. Noui eum, quod præcipiet filiis suis, & domui suæ post se, & custodient viam Domini: vt faciant iustitiam & iudicium: vt venire faciat Dominus super Abrahã, quod locutus est super eum.

Risum fecit mihi Dominus. Omnia tribuũt Deo iusti, scilicet risum & planctũ. *Omnis qui audierit, corridebit.*

Docemur hic, ridere, & gaudere, cùm audimus bona proximorum: contra eos, qui inuidia torquentur, cùm bona audiunt, & de malis lętantur.

Quis locutus est Abraham?
Hinc arbitror illam consuetudinem ortam: vt cùm natus fuerit alicui filius dicamus illi profit filius, aut bene natus sit.

Fecit Abraham convivium in die quo filius ablactatus. Non sunt omnino damnanda conuiuia, quę virorũ illustrorum autoritate comprobantur. Similiter docemur gaudere: cùm ab iis, quę puerorũ sunt, ad maiora proficimus: vt non simus semper pauuli fluctuantes.

Vidit filium Hagar ludentem.
Adolescens (ait Sapiens) iuxta viã suã cùm senuerit, nõ recedet ab ea: ideo parẽtibus elaborãdũ est, vt nõ sinãt pueros suos cum malis versari. Vbi etiã aduerte, auariam nobis quasi connatam: cùm audias Ismahelem à puero, iam de hæreditate cum fratre contendere.

Eiice ancillam, & filium eius.
Cauendę sunt valde discordiæ domesticæ, & potius de substantia aliquid perdendum est, quàm discordias permittere. Non reputauit Sarah ancillam perdere, ne postmodum filium cum fratre litigantes audiret. Hic etiam fundari videtur lex, quod filij ancillarum non sint hæredes cum legitimis. Tertio discimus, vt plurimum filios ancillarum esse ad malum procliues.

Displicuit res valde Abraham.
Quis est, qui & si sanctus sit: possit naturæ iura negare? *Ne sit displicentia in oculis tuis.*

Ecce qualis mœstorum consolator sit Deus, qui in minimis etiam succurrit suis.

In omnibus, quæ dixerit tibi Sarah, audi vocem eius. Audienda est aliquando vxor: quãdo iuxta Dei voluntatẽ consulit. Sic beatus Sacharias Ioannis pater, audiuit Elisabeth, & ambo in nomine pueri cõcordarunt.

In Isaac vocabitur tibi semen.
Constat ex hoc loco, Deum sine meritis præeligere homines.

Filium

Filium ancillæ in gentem ponam, quoniam semen tuum est.

Omnia quæ sunt iustis: Deo placent: omniaque exaltare solet, quemadmodum omnia opera iniquorum reprobat.

Erranit in deserto Beersebah.
Ecce in quas angustias permittit Dominus bonos venire: vt inde eruat eos.

Non videbo, quando moritur puer.
Non libenter vident, qui diligunt, mortem eorum, quos diligunt, imò neque audiunt.

Audiuit Deus vocem pueri. Fleuit mater, & Dominus non quidem matris, sed pueri vocem audisse dicitur, vt discamus, quid valeant innocentium voces & orationes apud Deum: etiam si paruuli sint. Vnde solemus in necessitatibus & angustiis paruulorum innocentum lachrymas ad Deum mittere. Quamobrem rex ille Niniuitarum, etiam paruulos ieiunio afflixit, quemadmodum apud Ionam legimus. Est etiam hic aliud, quod aduertas, qualiter bonus amicus non rogatus: rebus amicorum suorum subueniat. Nam quia puer erat semen Abrahæ: periclitanti subuenit Deus. In quo nos docet amicorum res in absentia curare, quemadmodum diximus de Loth. Vbi etiam discę, quòd plus nobis ad misericordiam valẽt fletus nostri, quàm amicorum, & aliorum pro nobis.

Quid tibi est Agar, licet Dominus optimè nouerit mala, quæ patimur, ea tamen à nobis audire desiderat, ne postea dicamus, eum nobis sine necessitate subuenisse. Quæsiuit Christus à languido, quem apud probaticam piscinam sanauit: vellet ne sanus fieri, ad quid quæso? Nonne Domine noueras eum velle? Noui (inquit) sed interrogaui, ne postea diceret me initium illum sanasse, & beneficium tanquam ingratum, præteriisset.

Aperuit Deus oculos eius. Iuxta nos sunt bona quę cõsequimur, & mala, quæ vitamus, sed Dominus claudit, & aperit oculos nostros: vt illa videamus, vel præteream.

Accepit ei mater vxorem. Discant ex hoc loco filij non deligere sibi vxores, sed expectare eas à parẽtibus suis. Similiter vxorem ex patria esse deligendam, cuius mores prius noueris, saltem in communi.

Deus tecum est. Nunc itaq; mihi.
Quantum homo debeat laborare, vt Deum secum habeat, admonet locus iste. Nam quia Abraham secum Deum habebat etiam Regibus timori erat. Simulque docemur pacem habere cum bonis & iustis, ne contrarium nobis Deum habeamus. Docemur tertiò, quàm facilè sit cognoscere hominem, qui apud se Deum habet. Cùm enim videris iustum bonis etiam temporalibus abundare, cognosce: eum Deum apud se habere.

Secundum misericordiam, quam feci tecum, facies mecum.
Non est cum fortuna insolescendum: sed eorum, à quibus bona recipimus: recordari debemus.

Ego iurabo. Astringunt se iusti, quantum possunt, ad bona facienda, & mala vitanda. Hoc enim interest inter bonos & malos, quod boni ita mala faciunt, aut facere proponunt, vt facilè ab *iussituto* recedant. Non enim vouent, neque iurant hæc facere, ne se astringãt. Quod si aliquando hæc iurare, aut vouere contingat, pro nihilo ducunt vota, vel iuramenta rescindere. Ad bona verò facienda, aut mala vitanda mille se votis aut sacramentis astringunt. Iuraui (inquit puer Domini) & statui, custodire iudicia iustitię tuæ. Et votum vouit Deo Iacob, quod non intraret lectum strati sui: nisi prius inuenisset locum Domino, tabernaculũ Deo Iacob. Mali verò, vice versa, bona ita faciunt, aut facere proponunt: vt facilè ab eis desistãt, quæ nullius momenti sunt facile eos impediunt. Ad mala verò, ita se constringunt, ita votis & iuramentis se alligant: vt nullo modo possint ab eis dimoueri. Sanctus ergo Senex, libens iurauit, se non nociturum Regi.

Et cum terra, in qua peregrinatus es.
Debitores sumus nõ solùm hominibus beneficis, sed terræ, quæ nos libenter suscepit, & in qua bene nobis fuit.

Increpauit eum, propter puteum, quem rapuerant serui eius. Docentur hic Domini cognoscere se culpabiles, in iis, quæ serui sui malefaciunt, neq; seruos ipsos esse increpandos, sed Dominos, qui cùm possint, & debeãt prohibere nõ curant. Sic Pharisei ad Christum. Quare (inquiunt) discipuli tui trãsgrediuntur traditiones Seniorum. Secundò aduerte, quãta patientia præditi sint iusti, qui licet se vindicare facilè possint, nolunt tamẽ: volentes potius substantiam, quàm pacem, & quietem perdere. Tertiò, quàm audaces sint canes aulici ad aliena rapienda. Dedit etiam iustus senex Regi quæ poscebat, neque tamen pepercit reprehensioni.

Non noui quis fecit. Gerit iste eorum personam: cognoscunt se aliena detinere inuito Dominò, neque tamen restituunt.

Accepit Abraham pecudes.
Quanti facienda est pax, quę debet multo emi, si opus est.

Septem agnas capies de manu mea: vt sint mihi in testimonium.
Multis cautelis cum mendacibus agendum est, ne postea veritatem negare possint. Et hoc est, quod nos præcipuè docet caput hoc, scilicet esse cum iis, qui pacem oderunt: pacificos.

CAPITIS XXII. ADNOTAtiones ad literam.

TEntauit aut *tentare fecit Deus Abraham.* Non, vt quòd antea ignorabat sciret: sed vt ostenderet, quanta causa, & ratione hominem sic extulisset.

Ecce ego, id est, adsum, & est hebraismus.

Filium tuum, vnicum tuum, quem diligis Ischak.
Vt fortior esset tentatio, appositit omnia, quæ possent immolationem impedire. Nempè quòd esset filius, non filia: quòd vnicus, quoniam Ismahel iam nõ erat domi: similiter vnicus ex vxore: tertio dilectus, non odio habitus: quarto Iischae, id est, risus: ob quem risisti, seu tibi miraculosè donatus. Dicunt autem Hebræi, Abraham decies tentatum. Primò, quando egressus est à patria, cuius dulcis amor est: vocatus in alienam terram supra. 12. cap. Secundò duplici fame, qua in Ægyptum, & in Gerar descendere compulsus est. Quartò in ablatione vxoris. Quintò in bello aduersus. 4. Reges. Sextò in matrimonio Hagar vbi videtur tentatus de desperanda prole. Septimo in circumcisione in senili corpore. Octauò in expulsione Hagar. Nonò in ablegatione Ismahelis. Decimo in immolatione Isaac. Sed ex his. 5. videntur fuisse tentationes, aliæ verò minimè, scilicet de relinquenda patria, quod ex summis diuitiis ad summam paupertatem deiectus est sæpè. Tertia circumcisio in tali ætate. Quarta expulsio ancillæ cum filio. Quinta immolatio vnici, & dilecti filij.

In terram Morijah. Nouerat Abraham terram, sed montem ignorabat, quem se illi ostensurum dominus pollicetur, & ex scriptura constat, in eo Dauidem holocausta obtulisse, pro peste sedanda, similiter in eodem fuisse constructum templum Domini postea: vt patet. 2. Paralipo. 3. Cæterum quod Hebræi addunt, ibidem obtulisse Chain & Abel, similiter Noath incertum mihi est, & valdè timeo nitidacia scripturis sanctis adiungere, quod non verentur Hebræorum multi. De ętymo nominis morijah dubitatur. Nam quidam deducunt à (marar) aut (mar) quod est myrrha, & sic appellatum locũ putant, quòd myrrha, & cinnamomo, & aloe abundaret, de quo in cant. 4. cap. dicitur. Iho mihi ad montem myrrhæ. Alij verò à (iara): quod est timere, quòd videlicet in illo monte Dominus deberet postea coli, & timeri. Tertij à (iarah) quod est dore, descendere, quod ex eo monte descensura, & proditura esset doctrina, & lex, iuxta illud Isaiæ secundo. De Sion exibit lex. Mihi verò (si à (mar) deducimur)

Universidad de Deusto
Biblioteca

videtur vocati amarum, propter amaritudinem Abrahæ immolantis filium, aut filij immolati. Si verò à, iara, quod est timere, aut à timore, quē ibi habuit Isaac: aut (quod verius puto) à timore præsentiæ diuinæ, fu turæ ibidem in templo. Sunt etiam qui à (raah) quod est videre, deducunt (morijah) quasi diceret. Ad terram visionis, id est, in qua tibi antea apparui. Neque ista etymologia improbanda videtur.

Et offer eum ibi. Hebraicè habetur. Et ascendere fac eum ibi in holocaustum. Et sensus est. Et cōbure eum ibi, ita, vt in fumum ascendat ad Dominum, quemadmodum holocaustum: quod, vt iam aliās dixi, dicitur Holah, nō quod esset totum incensum, sed quod in fumum ascenderet ad Dominum, Halah, enim ascendere non incendere significat.

Ignem, & gladium. Dictio (maacheleth) ab (achal) quod est comedere, ortum habet. Dicitur autem gladius comedens, quod homines deuorare, aut comedere videatur, & nomen in hac significatione ponitur Iudicum. 19. & Proueb. 30.

Vbi pecus in holocaustum? Dicunt Hebræi, dictionem, seh, id est, pecus, significare tam agnum, quàm hœdum: vt probant ex eo, quod habetur Exodi. 12. (Seh tamim) id est, agnus, aut pecus erit vobis immaculatum anniculum. De ouibus, vel de capris, accipiens eum. Idem Deute. 14.

Dominus videbit sibi, id est, prouidebit sibi pecus.

Ædificauit altare, scilicet coniungendo lapides ad modum aræ, ex quo postea puto Deum præcepisse Iudæis, ne sibi facerent ex lapidibus politis, seu dolatis altare.

Ordinauit ligna. Non est omnino certa significatio (harach) licet enim communior significatio eius sit ordinare: inuenitur tamen Psal. 89. significare æquare: vbi dicitur. Quoniam quis in cœlo, iaharoch, id est, æquabitur Domino? Posset tamen hic tolerari prima significatio, si vertas. Quoniam quis in cœlo ordinabit, scilicet exercitum Domino, id est, contra Dominum? Aut. Quis in cœlo ordinabit Domino, scilicet astra, quæ ad modum ordinati exercitus egrediuntur: iuxta illud Iob. Nunquid nosti ordinem cœli? Iob etiam. 36. Videtur significare æstimare, & in multis aliis locis, aut numerare, quoniam quæ in numerum venire solent, æstimantur, quæ verò non æstimantur, neque numerantur. Hic verò ordinare, est vnum super aliud: aut sub alio ordinatè ponere, quemadmodum facit qui numerat.

Alligauit Isaac filium suum.

Infra capite tertio dicitur de Iacob, quòd posuit facies pecudum ad, achod, id est, ad ligatum, quod nostri interpretantur, ad maculosum, in loco vbi alligari solet, id est, in pedibus. Sed meo iudicio non aduerterūt, quod hebraismus vocat maculosum, ligatum, quoniam macula videtur pecus, in quo est: cingere, & cinctum, quod macula pet circuitum cingit. Vnde in vulgari nostro dicimus, bacoro cillado, id est, porcus cinctus, quando macula ipsum cingit. Quoniam ergo macula videtur pecus cingere, aut totum aut partem, vocant Hebræi pecus maculosum, cinctum. Quod seruare memento vt scias, quæ in citato capite dicuntur.

Nunc cognoui, id est, ad modum de nouo cognoscentis me habui: experientia noui, quòd timeas Dominum, id est, timeas mandata eius prætērire.

Et non prohibuisti filium tuum, vnicum tuum, à me, id est, non retinuisti filium tuum, ne illum occiderem propter me. Ant cùm ego eum occidi voluissem: tu eum non retinuisti.

Ecce Aries post, scilicet *se.* Dicunt Hebræi (áiil) significare arietem, qui iam annum transierit. Nam dictio à fortitudine ortum habet, & significat fortem arietem.

Tentus, seu *comprehensus in perplexitate cornibus suis,* aut in densitate, scilicet, arborum, vel ramorum, aut spinarum. Dictio, sabach, dicitur significare complecti, implicari, vt patet Iob. 8. Iuxta fontes, radices eius (iessubacho) id est, complicabuntur. Illud verò Ieremiæ. 4. quod nostri vertunt. Ascendit leo de, subscho, id est, de cubili, melius vertas, de perplexitate sua id est, de sylua: in qua perplexus esse videbatur.

Ascendere feeit illum, scilicet arietem, aut super altare, aut in fumum ad Deum, quia obtulit eum in holocaustum Domino.

Vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus videbit quod, aut, *qui dicetur hodie, in monte Dominus videbitur.* Iste est hebraismus huius loci, cuius sensus est, quòd Abraham vocauit nomen loci illius Dominus videbit, id est, prouidebit, scilicet victimam. Nam antea cùm interrogaret Isaac, vbi victima esset: Abraham respondisse fertur. Dominus videbit, id est, prouidebit sibi de victima, quam ob causam vocauit nomen loci Dominus videbit, qui quidem locus hodie dicetur pro dicitur. (Et videntur esse verba Scriptoris libri.) Dominus videbitur, id est, qui locus hodie dicetur pro dicitur, mutato actiuo in passiuum, in monte Dominus videbitur. Cū enim quis inquirit, dicit, seu vocat montem illum. In monte Dominus videbitur, sicut dicitur in monte Sinai: in monte (hebal). & iste sensus mihi simplicior, & planior esse videtur. Alius sensus est, quòd Abraham vocauit nomen loci, Dominus videbit, scilicet hostiam, vt supra, aut meam afflictionem, qui quidem mons hodie dicitur, in monte Dominus videbitur, quoniam ibi postea templum ædificatum est, in quo erat præsentia Domini, sed quia dominus ibi non videbatur tempore templi: prior expositio præferenda videtur. Sunt qui in priori loco, vbi dicitur, quòd vocauit locum Dominus videbit: dicunt actiuum verbum, pro passiuo poni, & quòd debeat legi. Videbitur: sed non audeo literam mutare.

In me iurauit, dicit Dominus. Hebraicè ad literam est. In me iuratum est, aut iuratus sum, dictum Domini. Sed sensus bene redditus est.

Non prohibuisti, aut retinuisti filium tuum, vnicum tuum, scilicet, me præcipiente immolari.

Hæreditabit semen tuum portas inimicorum suorum, id est, vrbes quæ statum capiuntur, cùm ceptæ fuerint portæ, per quas est ingressus, ac si dicat. Vincent inimi cos suos filij tui.

Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, aut *benedicent se in semine tuo.*

Longè aliter Hebræi, præcipuè moderni, explicant locum hunc, quàm Christiani, à Paulo edocti: Iudæi enim dicunt in semine Abrahæ omnes gentes se benedicere, dicentes. Ponat Dominus semen meum, sicut semen Abrahæ, aut multiplicet Dominus semē tuum, sicut semen Abrahæ. Quod verò iste sit sensus, arguūt ex eo, quod infra ca. 48. dicit Iaacob filio suo Ioseph, in te (inquit) benedicet se Israel, id est, in semine tuo, dicendo. Ponat te Deus, sicut Ephraim, & Menasseh: qui textus, vt dicunt, explicat similes locutiones. Tum quia antea dixerat, benedicēdo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo semen tuum: vbi videtur benedictio nihil aliud esse, quàm seminis multiplicatio. Sed quia non videmus gentes omnes, sese benedicere in semine Abrahæ modo prædicto, sed potius in Christo, qui est verum Abrahæ semen: ideò cum Paulo melius dicitur in semine tuo, id est, in Christo, qui est semen tuum, secundum carnem: benedicent se omnes gentes terræ.

Eò quòd audisti vocem meam.

Dictio (ceiteb) dicitur significare eo, propter, significat etiam mercedem: vnde quis posset vertere. Merces, scilicet erit tibi, eò quòd obedisti voci meæ. Quòd verò mercedem significet constat Psal. 19. & 40. & 119.

Patrem Aram, id est, Sirorum. Sic enim vocat Hebraismus Siriam. Est autem sermo de Aram soba, non de ea quæ inter Euphratem, & Tigrim.

Et concubina eius, & nomen eius (Reumah.)

Est concubina (teste Rabbi Dauid) ancilla iuncta viro, absque scriptura, seu contractu sponsalium. Vocatur autem pellex, apud iurisprudentes illa, quæ cum eo cui vxor sit, corpus miscet. Concubina verò, quæ cum eo libe viro sine nuptiis, locū vxoris tenet, sed in sacris literis

literis vera est vxor, vt patet de cheturah, quæ vocatur infra vxor Abrahæ, capite. 25.

CAPITIS. XII. AD MORES componendos annotationes.

Et fuit post hæc, tentauit Deus Abraham.

Quid ex (ait Iob) homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Licet enim omnibus hominibus timenda tentatio sit, illis tamen maximè: qui ab eo extolluntur, aut illi sunt familiares. Cùm enim Christus in baptismo, præclara suæ laudis auditet à patre encomia: Hic (inquit) est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: statim in desertum post hæc ductus est, vt à Diabolo tentaretur. Similiter cùm diabolus virtutes, & gesta præclara sancti Iob, à Domino audiret, quòd illi similis in terra non esset: quòd esset simplex, & rectus, statim à Domino impetrata licentia, eum in varias induxit tentationes. Sic sanctum virum Abraham Dominus, postquam tot præclara concesserat, grauissima eius animum pulsauit tētatione. Vbi tu aduerte, distributas à Domino tentationes, secundum eorum qui tentantur, vires. Dominus (ait Paulus) Benedictus, qui nō permittit vos tentari supra id, quod potestis. Quia enim nouerat neminem, nisi Christum victorem cuasurum ex præsentata mundi monarchia: eum solum voluit illā tentari. Similiter de dignitate Messiæ, qua solum Ioannem pulsati voluit, quia solum nouerat eam refutaturum: sic etiā, quia nullum, aut rarum inueniret, qui tam constanti animo, ex filio holocaustum faceret, quemadmodum sanctus senex: ideo eum solum voluit hoc velut arietē pulsare.

Tolle (inquit) filium vnicum tuum, quem diligis.

Non solum præcepit filium immolare, sed omnia quæ possent senis animum à parendo retrahere, simul, cum præcepto adiungere voluit: vt quanto in parendo difficiliora pertranseundo superaret, tanto eum præclaris ribus mulieribus & laudibus, coram omnibus extolleret. Putas non pulsasse infidelitatem, senis animum, vt Deum reputaret mendacem, qui in Isaac vocaturum se semen ei promiserat, quem nunc ante prolem præcipiebat immolare? Nónne posset sanctus vir dicere in corde suo. Ad quid mihi seni filium in senectute totiēs promittendo, pro magno numere dedisti, si eum tam citò mihi ablaturus eras? Nónne melius erat non dedisse, quā datum in tali ætate auferre: præsertim meis manibus dilaniandum? Nónne hominum necem Noach, & patribus prohibuisti? Quid ergo me cogis innocētem puerum iugulare? An hæ sunt promissiones tuæ, vt des quæ non petimus, vt postquam dederis: tam facilè auferas? Hæc & his similia senis animum pulsasse credideris: sed ille omnibus superatis, sine lachrymis, sine singultu, aut gemitu, iussa complere, filiumq; immolare disponit. Plenissimè (vt inquit Paulus) sciens, quòd à mortuis resuscitare eū posset Deus. Vbi nos docet, quod quanto difficiliora bella aduersus nos suscitari viderimus: tāto maiori simus animo, scientes quòd qui tentat, dare vires solet ad tentationem superandam.

Offer eum ibi in holocaustum.

Quid hoc est Domine? Si enim me lanium filij facere vis: cur sepeliri non permittis, & saltem sepulchri præsentia consolari? Nihil horum, sed in fumum carnes abibunt, & ossa, vt nihil vestigij, quo consoleris: relictum tibi sit.

Surrexit Abraham mane. Parum esset ostendere difficultatem in delectabilibus, aut non tam grauibus, sed iustus senex, grauissimum mādatum sine vlla dilatione perficit: ita vt postquam noctu mādatum de immolando filio accepérat: summo mane implere disposuerit, quasi ad epulas inuitatus.

Leuauit oculos procul, & vidit locum.

Omnia hæc pertinent ad tentationem: Tories enim quis mori videtur, quoties mortis amaræ recordatur.

Manete vobis hic. Omnia relinquit, quæ ad immolationem filij possent impedimento esse. Si enim seruiderent patrem, puerum iugulare volentem, nónne eum senem delitum vocarent, eumque ab hoc, quod facinus putarent: prohiberent? Ideò sanctus senex neminem, qui præceptum opus impedire posset: secum haberet voluit. Quo nos optimè docet: cùm aliquod bonum facere voluerimus: neminē habere nobiscum: qui possit bonum opus impedire. Si tibi quis dixerit maceranti corpus. Cur te is perditum? noli credere, noli talem habere ope is inspectorem.

Reuertemur ad vos. Intelligendum erit, si Deus dispossuerit, & nesciens, prophetat.

Posuit ligna super Isaac. Onus asini portat puer, neque indignatur: aut onus reiicit.

Vbi pecus in holocaustum? Acerbā valdè fuit tentatio hæc, quę ad hoc inducta videtur: vt patet ab incœpto opere reuocaretur: cùm cogitaret filium se pro pecore immolaturum.

Deus videbit sibi. Putant multi Deum aliquo egēre, cùm ipse optimè nouerit sibi in omnibus prouidere.

Ligauit Isaac. Vtrum horum magis mirer, ignoro: patrem ne ligantem siccis oculis filium: an filium se sine fletu, & metu ligari permittentem. Vbi optimè nos docet obedientiam vtrq; : etiam si quæ mandantur, dura videantur, & aspera.

Clamauit ad eum angelus de cœlo. Eccè fructus obedientiæ, non moritur filius, & ipse fructum occisionis portabit.

Non prohibuisti filium tuum, vnicum tuum à me.

Solent homines circumstantias operum bonorum suorum Deo obiectare, & ostendere: ac si ipse oculos ad hæc videnda non haberet. Ieiuno (ait Pharisæus Luc. 18.) bis in sabbato: decimas do omnium, quæ possideo: cùm tamen ipse Deus nihil horum omittat, & per singula laudet. Non considerauit mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix: sui operis substantiam, aut qualitatem, quæ tamen singula Christus Pharisæo enumerat, & quod similia non fecerit, arguit. Aquam (inquit) pedibus meis non dedisti. Hæc dedit lachrymas ad lauandum. Nec osculum ori impressisti: hæc autē, postquam intrauit, osculari non desinit pedes meos, & sic de aliis. Sic, & hic Dominus nō solum opus commendat, sed tanti facit: vt nomen, quò laudet aut operi imponat, non inueniat. Non dicit, quoniam voluisti immolare filium mei causa: sed, quia fecisti rem hanc. Quam quæso Domine? Non inuenio nomen, operi dignum. Et non pepercisti vnico tuo, filio tuo. Quia ille ista pertransierat: ne impediterent: Deus recordatur: vt remuneret. Vbi etiam aduerte, quanti Deus faciat voluntatem bene operandi efficacem: vt pro opere reputet.

Obtulit in holocaustum pro filio. Solet Dominus pro iustis, malos immolare: vt apud Isaiam habes, & in Ecclesiastico legis: iustum ab angustia liberatū, & pro eo impium tradendum. Multiplicando, multiplicabo te. Ecce quid sit pro Deo aliquid exponere. Exposuit vnicum, & eum non amisit: sed pro eo habuit sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.

Nunciatum fuit Abraham, Ecce peperit Milcah.

Mirum valdè, qualiter Dominus vnum opus bonum remunerat: & quot bona propter hoc opus dederit Abrahæ, & suis propter eum.

CAPITIS. XXIII. AD LITERAM annotationes.

Mortua est Sarah in (Ciriath arbah) ciuitas est (Chebron) vt statim textus indicat: hæc quę quidem (Chebron) fuit in vmbilico fortis (Iehudah) sic dicta, à filio Caleph, à Ierusalē distans milliaribus. 22. in monticulo locata: quam cùm olim filij Israel in Ægyptum profecti, reliquissent: gigantum, & filiorum (Henach) facta est habitaculum. Antea vocabatur (Ciriath arbah) id est, ciuitas quatuor: (si arbah) nomen appellatiuum sit. Si verò proprium nomen sit: vt constat Iosuæ decimoquarto. Tunc ciuitas dicitur

Arbah

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arbah ab illo gigante sic nominato, qui prius ibi habitauit. Sic enim habetur loco (Iosuah) citato Nomen (chebron) antea fuit, ciriath arbah, hoc est ciuitas Arbah, homo magnus in (Enachim) ipse. Ex quo constat fuisse gigantem sic nominatum, & ista est veritas. Qui autem, Arbah, quasi appellatiuum accipiunt, dicunt eam ideò vocatam ciuitatem quatuor, quòd quatuor cõiuges in ea sepulti sint, scilicet, Adam cum vxore, Abraham cum Sarah, Isaac, & Ribcah, Iacob, & Leah. Sed quomodo poterat ante sepulturam Abrahæ, & sequentium, dici ciuitas quatuor, si nondum ibi erant quatuor sepulti, sed solus Adam cum vxore: si ibi sepulti sunt? quod dico, quia arbitror non fuisse ibidem sepultos Adam & Euam, sed propè terrestrem paradisum, quem potius iuxta Chaldæam, quam Palæstinam fuisse superius diximus. Quod autem ansam huic sententiæ dedit, fuerunt verba vulgatæ editionis citata in libro Iosuah, quæ sic habent. Nomen, Chebron, antea dicebatur (ciriatharbe) Adam maximus ibi, inter (Henachim) situs est quo loco in hebræo habetur. Homo magnus in (henachim) ipse. Sed quia ibi pro homine ponitur Adam: vulgatus putauit nomen proprium.

Vt plangeret Sarah, & vt fleret eam.
(Sapad) est, magno ciulatu, & vocibus flere, bachâri, vero, propriè flere, seu lachrymari.

Surrexit Abraham à super facie mortui sui, id est, à super mortuo suo. Solent enim qui mortuum plangunt, iactare se super cadauer.

Ad filios (cheth) Isti sunt qui cap. 15. supra dicti sunt Chithei, de stirpe Chenanæorum.

Peregrinus, & aduena. Nomen (tosshab) significat eum, qui diu habitauit in aliquo loco, seu manentem. Vnde ad verbum vertendum esset. Peregrinus, & diu habitans fui apud vos. Et allegat mãsionem: vt ostendat se iure petere sepulturam inter eos. Siquidem diu fuerat moratus vtuus inter eos: ac si diceret. Recipite inter vestros mortuum meum: quod viuum inter vos admittere dignati estis.

Date mihi hæreditatem sepulchri.
Verbum (achaz) significat apprehendere, comprehendere. Et vertendum est. Date mihi comprehensionem, seu apprehensionem sepulchri, id est, tantum terræ: quantum quasi brachiis comprehendere possum, aut aliquid, quod quasi proprium apprehendam.

Sepeliam mortuum meum à facie mea, id est, auferendo ipsum à facie mea: quem coram me habeo.

Princeps Dei tu in medio nostri. Dictio (nesi) ab eleuatione ortum habet, & principem significat: quòd inter alios, eleuatus sit. Porrò quod dicitur princeps Dei: idem est, quod magnus, sicut montes Dei, cedri Dei. Seu tam equus, & iustus, sicut esset Deus, si in medio nostri esset.

Non prohibebit vir. Verbũ, chalah, significat finire, limitare, & sensus est. Non limitabit quis sepulchrum suum à te, id est, non claudet aliquo limite, vel vallo: quod bene redditum est, per non prohibebit. Opus tamen fuit, verbi vim indicare.

Incuruauit se populo terræ, id est, humiliauit se.

Si est cum anima vestra, aut si est voluntas vestra.
Dictio enim, nephes, vtrunque significat: licet commutatius, animam.

Intercedite pro me apud Ephron.
Varias tribuunt Hebræi, & nostri significationes, verbo (pagâ) scilicet, occurrere, incurrere, aggredi, rogare, precari: cùm re vera solùm significet intermedium esse, quod in lingua nostra significantius dicitur (ser medianeiro, ou atraue sarse) & per occurrere aliquãdo bene redditur, licet illud non propriè significet, sed occurrere, quasi intermedium se opponendo. Hamos. 5. dicitur. Quum fugerit quispiam facie leonis, vpegao, id est, intermedius erit vrsus, atrauersãr selha hun vso, quod nostri vertunt. Occurret illi vrsus. Isaiæ. 47. vltionem capiam, & non (ephga) id est, intermedius erit homo, id est, non admittam intercessorem pro eis hominem. Sic, & hic, intercedite, aut medij estote mihi cum Ephron. *Dabit mihi speluncam duplicitatis.*
Dictionem (maâr) dicunt Hebræi esse per se radicem, & significare speluncam. Sed alij (quibus subscribendũ arbitror) à radice (arah) quod est nudare, discooperire, deriuant, & dicitur spelunca, maar, id est, discoperta, quòd non habeat ostia clausa, vel quòd nõ claudatur, quemadmodum domus clauditur. Quare autem spelunca illa dicatur duplicitatis, incertum est, & fortè erat duplex, seu duæ. Nam hebraismus vtitur hoc modo loquendi, spelunca duplicitatis pro duplici: sicut electiõe sepulchri, pro electo sepulchro. Aben Ezrah, putat sic dictum, quòd fuerit altera intra alteram.

Cum argento plenitudinis, seu Pleno det eam mihi.
Vocat argentum plenum monetam nõ attonsam aut non diminutam in pondere. Et videtur, antiquos non fuisse vsos monera aurea, & omnia nummismata tũc temporis fuisse ponderata, quemadmodum nunc multis regnis fit. Et quod sequitur.

In medio nostri. Voluit Abraham contractum coram omnibus fieri, quoniã fortè nouerat eorum mendacia: ne postea agrum, seu speluncã resumerent. Similiter quod dicitur, in possessionem sepulchri, potest verti, in apprehensionem sepulchri.

Non Domine mi, scilicet sic vt vis: sed audi me.

Tantum si tu, scilicet *vis, vtinam audias me.*
Non est plenè certa significatio partium indeclinabilium, coniunctionum, & præpositionum apud Hebræos, ideò variè ab Interpretibus redduntur, prout locus exigere videtur, sicut (ach) quod aliquando tantum, nonnunquam profectò. Similiter (lu) id est, vtinam, quæ hic ponitur. Vnde bene versum est tantum, scilicet, acquiesce, si tu, scilicet, vis, vtinam audias me.

Terra quadringentorum siclorum argenti, scilicet est, valet. 400. siclos argenti, inter me, & te. Nostri dicunt, inter duos amicos, hæc res tantum valet. Aut hoc est pretium inter me, & te. Aut melius, terra quidem valet quadringentos siclos, sed hoc inter me, & te, quid est, vt scilicet, non dem eos tibi?

Argentum transeuntem ad mercatores.
Verbum (sachar) videtur significare circuire: vt patet Ierem. 14. Tam Propheta, quàm sacerdos (sacharu), id est, circuierunt terram. Vnde (sorechah) id est, scutum scilicet, rotundum, & ex consequenti negotiari, quod mercatores soleãt hinc inde discurrere ad negotia peragenda Et quia mercatores solent maximè examinare nummismata, ideò dicit textus, trãsiens, scilicet, argentum per mercatores, id est, tam probatum, quod posset inter mercatores trãsire, aut commune, quale apud mercatores transibat. Nos dicimus monetæ currentis. Aut tertio, quod iam per mercatorum libram transiuit id est, iusti ponderis: quoniam, vt diximus mercatores solebant nummismata ponderare.

Et surrexit ager Ephron, aut *stetit Abrahæ,* id est, extincto dominio Ephronis: cœpit esse sub dominio Abrahæ. Videtur enim agri dominium extingui: cùm venditur, & de nouo surgere, in dominium alterius: licet ager non moriatur in se.

Qui erat in, aut *cum duplicitate, quæ erat ante Mamræ. Ager inquam, & spelunca, quæ erat in eo.*
Sic in hebræo est clausula, quam reddere voluimus, quoniam interpretes multa addunt explicandi gratia, & est sensus, quòd ager, qui erat cum spelunca duplici: simul cessit Abrahæ.

In oculis filiorum Cheth, cum omnibus ingredientibus, qui, scilicet, non erant de filiis Cheth, sed exteri intrantes vrbem. Aut voluit Abraham omnes intrantes per portam, etiam si ciues essent, scire emptionem, ne postea posset venditor venditionem negare.

Ad speluncam agri duplicitatis, licet interponatur agri, inter speluncam, & duplicitatis, sensus tamen est ad speluncam duplicitatis agri.

Super faciem, id est, è regione, aut in prospectu.

Mamræ. De quo supra dictum est, fuisse. s. virum, à quo locus denominatus est. *In possessionẽ.* Hebraicè. Ad apprehensionem, seu cõprehensionem sepulchri.

CA-

CAPITIS. XXIII. AD NOSTRAM eruditionem adnotata.

Fuit vita Sarah. 127. anni. Non est argumentum sanctitatis vitæ longitudo: cùm legamus sanctam fœminam non diu vixisse: implent tamen sancti dies suos. Neque similiter dolendum est: si extra patriam moriaris: cùm videas sanctam Saram in aliena patria mortuam.

Venit Abraham ad plangẽdum Sarah, & ad lugendum eam. Vt sentias non impium esse, neque alienum à fide, plangere, & lugere inter Christianos charos suos: audis hic sanctum Abraham luxisse mortuum suum. Similiter hinc viri coniugati discant, quantum debeãt vxores diligere, & funera curare.

Peregrinus & aduena sum. Ius quæsitum esse videtur, vt ij, qui inter nos viuunt: inter nos sepulchrum habeant: & hinc orta videtur consuetudo: vt homo curet habere locum proprium ad sepeliendum mortuos suos. Et ex hoc loco puto Iudæos, vsque hodie quærere sibi peculiarem sepulturæ locum.

Audi nos Domine. Docent nos hic Chitæi qualiter tractare debeamus peregrinos, maximè quos inter nos piè viuere didicerimus: & etiam constat eos, qui piè, & iustè inter extraneos viuũt, esse magis dilectos: quàm si ciues essent.

Princeps Dei tu in medio nostri.
Ecce qualiter debemus inter impios viuere, vt virtus diuina in nobis relucere videatur: inde Paulus Philippenses laudans, dicit. Inter quos lucetis: sicut luminaria.

In electis sepulchris. Boni extranei, hæredes sunt in bonis ciuium. Vbi simul docemur, quales erga extraneos esse debeamus.

Incuruauit se populo terræ. Semper profuit humilitatem ostendere. Etiam hinc cognoscimus, quàm antiqua sit consuetudo: quemque habere sepulchrum pro sua prosapia.

Vt det mihi speluncam. Non solum in vita, sed etiam in morte voluerunt iusti ab iniustis separari, quod non paruam nobis spem resurrectionis tribuit. Et secluso iure pontificio: nihil simoniæ intercenit: si agrum ad sepulchrum, aut sepulchrum ipsum emas. Arguit etiam locus iste: morem fuisse apud Iudæos cuilibet cadaueri, suum consignare sepulchrum, & hac de causa emisse Abraham duplicem speluncam. Plurimum etiam valet, in terra, qua viuis, aliquid proprium possidere.

Dabo argentum. Quid agis bone senex, emẽdo quod tibi à Domino donatum est? Quanta patientia sancti expectant promissa Dei, docet sanctus Abraham.
Qui etiam nos docet, nihil ab aliquo gratis accipere, quod possimus pecunia emere, maximè ab iis qui possunt exprobrare.

Terra: quadringentorum siclorum est, sed quid hoc est inter me & te?
Sunt qui præ se ferunt facere quod petimus, sed tam difficilè factu faciunt, vt & ipsa difficultate cognoscas eos nolle facere, & ab iis nihil gratis accipiendum conuenire.

Transeuntes per mercatores.
Optimè feceris, si ab iis: qui pactis stare nesciunt, omnem occasionem rescindendi pacta ademeris. Vbi simul docemur: quàm iusti sint sancti, in emptionibus suis: vt non solùm venditorum arbitrio præcium rei venditæ relinquant, sed probatissimam, & plenam monetam soluant.

Omnis arbor, quæ erat in agro.
Quicquid in agro meo nascitur, meum esse probatur. Et videntur ex hoc loco arbores agri, cum eo non vendi, nisi exprimantur in contractu.

CAPITIS. XXIIII. AD LITteram adnotationes.

Abraham senex venit in dies. Frequentissimum est, quod admonuimus in regulis, scripturæ consuetudinem esse, statim, quod obscurius dixerit: explicare. Sat enim fuisset dicere, Abraham fuisse senem: sed quia obscurum erat, illud statim explicuit, dicẽs. Venit in dies.

Benedixerat Dominus Abraham in omnibus, id est, benefecerat, substantiam auxerat.

Qui dominabatur omnibus quæ erant illi.
Duo significat verbum (massal) quod hic ponitur, scilicet, dominari, & parabolicè loqui, seu assimilari. Psal. 49. (Nimssal) id est, assimilatus est animalibus.

Sub femore meo. Tria significare dicunt Hebræi (iarach) scilicet femur, latus, & hastile, sed meo iudicio, propriè significat hastile, & per allusionẽ femur, quòd modum hastilis habeat, sustentando corpus, quod superponitur illi. Significat etiam limitem, quòd scilicet stipitibus soleant limites designari. Exod. 37. habes. Fecit candelabrum (ierechah) id est, femur, vel hastile eius, quod est ad modum femoris. Et Genesis. 49. (yciarchatho) id est, limes eius iuxta sidon, seu stipes: quoniam stipitibus (vt diximus) limitari solent termini. Sed meritò disquirendum est, de huiusmodi ritu, quare, scilicet, pacta & iuramenta: sic firmarentur. Et quidam dicunt, hoc ideò esse, quòd inde, scilicet ex genitalibus, posteritas esset, ad quod citant illud Exodi. 1. animas, scilicet, egressas de femore Iacob, sed si hoc esset verum, potius sub genitalibus, quàm sub femore ponenda esset manus. Rabbi Salomon putat, hoc ideo fieri, quòd in membro virili esset præcipuum fœdus, à quo omnia alia firmitatem habebant: sed eadem ratione hæc interpretatio excluditur, quoniam non sub membro ponebatur manus, vt dictum est. Terrij verò sentiunt, hac ceremonia significari superioris potestatem, & proptum inferioris ad obedien dum, animum. Mihi verò (saluo perspicatiori iudicio) videtur, suppositione manus sub femore pacta firmari, quòd femur sit pars in homine firmior: in qua veluti domus in columnis (quarum figuram præ se ferunt femora) totum corpus sustentatur. Est ergo sensus. Pone nunc manum tuam sub femore meo, id est, ostende signum firmitatis iuramenti: ponendo manum tuam in firmiori loco meo, scilicet sub femore. Qui iurandi modus (vt Aben Ezrah autor est) adhuc apud Indos obseruatur.

Ad terram meam, & ad cognationem meam ibis,
Non quidem ad Vr Chaldæorum, sed ad Mesopotamiam Syriæ: inter Euphratem & Tigrim, in qua mora tus fuerat post egressum, ex Vr Chaldæorum.

Cane tibi. Hebraicè est. *Sis custoditus tibi.* sed sensus redditus est.

Innocens eris à iuramento hoc, id est, non obligaberis, aut melius: non eris reus violati iuramenti.

De bonis domini sui in manu eius, id est, pretiosa quæque, quæ erant in domo Domini sui, maximè quæ ad cultum muliebrem erant accõmoda: sicut anuli: margarita, vestes, & id genus alia secum tulit.

Ad Syriam fluuiorum. id est, quæ erat inter duo flumina Euphratem, videlicet & Tigrim.

Ad ciuitatem Nachor, id est, in qua (Nachor) frater Abraham habitabat.

Et accubare fecit camelos. Verbum (barach) quod accubare vertimus, propriè benedicere significat. Secundò verò genu flectere: quòd homines ad benedictionem accipiendã soleant genua flectere. Et de priori significatione, infinita sunt exempla in scriptura. Secundam verò habes. 2. Paralipo. 6. (Vaiibrach) id est, genuflexit se, super genua sua. Item Psal. 95. (Nibrechah) id est, genuflectamus coram Domino.

Ad tempus vespertinum, quod est inter occasum solis, & noctem.

Occurrere fac. Dicum Hebræi, (chaah) quod hic ponitur: significare contignare, operire, occurrere: & vsu venire. Sed meo iudicio, quæ significant occurrere, sunt à radice (chara) quod est occurrere, non (zacharah) quod est contignare, vel tegere: & mutatur (aleph)

Universidad de Deusto
Biblioteca

(aleph) in (he) : vt sæpissimè fit in hebraismo. Et cùm dicitur.

Fac occurrere. subaudiendum est, quod cupio.

Inclina nunc hydriam tuam, aut cantharum tuum. Duo significat (chidod), scilicet scintillam, vt patet Iob. 41. (chidode) id est, scintillæ ignis egredietur. Secundo significat hydriam, aut potius cantharum: quia infra dicitur de (ribcah). (Vechadah) id est, & cantharus eius, super humerum eius. Nam hydria non solet super humerum deferri, sed super caput, neq; ansam habet.

Illam præparasti seruo tuo Isaac, aut Iischaac. Verbum (Iachach) aliàs significat increpare, arguere, aut potius expostulare cum aliquo: sed quia video significationem, qua præparare significat, rarò in scripturis inueniri: timeo non esse propriam, & potius putarem hic significare iudicare, quàm præparare, quoniam alludit ad principale significatum, quod est (vt diximus) expostulare, disceptare: & sensus est, illa est quam iudicasti seruo tuo Isaac. Si tamen communis lectio magis arrideat, permitto.

Bona aspectu, id est, pulchra visu.

Virgo, & vir non cognouit eam. Etiam hic exemplum habes, quod scriptura statim explicat, quod obscurè dixit. Postquam enim dixit. Virgo: addidit. Et vir non cognouit eam.

Et ascendit, scilicet vrbem versus.

Bibere fac mihe parum aquæ. Dubia est significatio propria verbi (gama) id est, bibere: quoniam non bene quadrat omnibus locis, quibus verbum ponitur, sicut Iob. 39. In impetu suo, & ira (legame) id est, bibet, vel absorbebit terram: ac si dicat. Tanta est eius leuitas, & velocitas, quod terram videatur bibere dum currit: quod Sanctes ibi vertit. Effodiet terram. Sic Abacuc. 1. (megamat) id est, bibens, vel sorbens facies eorum, ventus orientalis. Et nomen (gome) quod iuncum vertunt: sic fortè dictum à bibendo, quod videlicet aquas, quibus nutritur: bibat. Significatio tamen mihi adhuc suspecta est. Et hinc perpendes qualiter Iudæi (quos duces in huiusmodi significationibus habemus) eas nouerint.

Effudit hydriam suam super canale, aut fulcum aquarium. Etiam verbum (Arah) ignotæ significationis est Hebræis, cui rei argumento est, multitudo significationum, quas verbo tribuunt. Dicunt enim significare fundere, effundere, euacuare, nudare, adhærere, & coniungere. Non enim curant propriam loco aptare significationem, sed mutant, & alienant: prout sibi textus exigere videtur. Sed si quis aspiciat, videbit solum significare nudare, seu discooperire: & ex consequenti euacuare: quòd res vacua nudari videatur: quod ostendemus congruere locis, quibus ipsi significatum proprium mutare deprehenduntur: vt Isaiæ. 22. vbi vertunt. Et parieti (herah) id est, adhæsit clypeus: vbi rectius vertas. Et parietem nudauit clypeo, id est, clypeis scilicet ad bellum. Loquitur enim ibi textus de Elamitis, viris bellatoribus, dicens. Helam sumpsit phareträm: in curru hominis, & equitum. Et parietem nudauit clypeis: qui scilicet erant suspensi in pariete, vt solet fieri: qui cùm auferuntur, paries nudatus manet, qui eis operiebatur. Et ex hoc discces, quid valeat proprias significationes expẽdere: ad germanum sensum literæ obstrusum eruendum. Illud etiam Psal 37. Vidi impium fortem (ymitareh) (quod nostri vertunt) Et virescentem. Melius vertas. Et effundentem, scilicet ramos suos: qui in eo veluti in trunco delitescebant. Vnde (heruah) (meo iudicio) potius nuditatem, quã turpitudinem significat. Est ergo locus iste reddendus sic.

Et festinauit, & euacuauit, seu aqua nudauit hydriam suam, in canali, vel fulco. Et vir stupebat in ea.

Verbum (saáh) significat propriè sonare: vt ex nomine (saon) id est, sonitus constat Isa. 66. Vox (saon) id est sonitus, de ciuitate. Item Hosex. 10. Consurget (saon) id est, sonitus. Et ex consequenti desertum, aut euacuum locum: qui vocem reddere videtur, quam echo vocant: & verbum desolate deserere, aut deseri. Vnde locus sic reddendus est. Et vir destitutus est, scilicet viribus, aut spiritu destitutus est, in ea: videns scilicet omnia, prout orauerat euenisse: & quod sequitur. Tacens melius vertas cogitans, scilicet intra se. Verbum (charas) (vt sæpè dixi) significat arare, & fabricare, & ex cõsequenti cogitare, quod cogitãs in corde fabricare videatur.

Vtrum secundaret. Etiam varia est Hebræis significatio (salach) quod significare dicũt prosperari, sciũdere, & transire. Sed meo iudicio: potius significat anteire, præcedere, præire. Et ex consequenti prosperari. Nam qui vltra procedit, in bonis, prosperatur, qui verò retrocedit infelix reputatur Secundo Samuelis. 10. (Iesalechu) id est, præcesserunt, & transierunt Iarden, seu Iordanem. Et primo capite. 10. (Vesalechach) id est, præibit super te spiritus Domini aut præcedet te? Item Ierem. 12. Cur via impiorum (salechach) id est, præit, seu secundatur, vltra? procedit. Nam ante esse, Hebræis est prosperari: sicut retro deficere. Vnde hic vertendum puto.

Vt videret, an præiret, seu præcederet. Dominus viam eius, id est, aut Deum ductorem viæ suę habuisset.

Accepit vir inaurem auream. Est (nezem) ornamentum non solum auris, sed etiam nasi: vt infra hoc eodem capite patebit. & est circulus gracilis, quem in foraminibus aurium, puellæ gestare solent, & viri etiam apud Indos: vt me vidisse memini in oratore Regis Hormuzij Indi, ad Ioannem tertium Regem nostrum destinatum, qui ad circulos illos aureos ligata habebat margarita pretiosissima, & magna. Quòd verò sint ornamenta aurium, constat inferius ca. 33. Et Exod. 32.

Dimidii sicli eius, scilicet pondus. De siclis, sunt qui dicunt Moseh tempore, siclum vnum ponderasse centum sexaginta grana ordei: tempore verò secundi templi, ad. 384. grana (Iudæorum auaritia) ascendisse scrunt: & valebat circiter. 17. solidos.

Et duas armillas super manus illius. Admonui in regulis, ignota esse nomina propria ornamentorum, animalium, piscium, arborum, & lapidum, Hebræis. Videntur tamen fuisse manus, aut brachiorum ornamenta. Ezech. 16. habes. Et dedi (zemidim) id est, armillas super manus tuas. Mihi videtur, fuisse circulos magnos, rotundos, quibus brachia ornantur: & super manus descendunt: si brachia demittantur. Nostri vocant (manilhas). Sunt & alia brachiorum ornamenta: etiam rotunda, sed lata, quæ nostri vocant (bracelletes): & cõmuniter sunt duo, alterum ad vnum brachiorum, alterum ad aliud. Radix (samad) coniungere significat.

Ad permanendum nobis. Iam supra admonui, verbum (lon) non pernoctare, sed permanere potius significare: ideò sic vique verte.

Etiam pabulum. Ignorant Hebræi, an (mispo) significet communiter pabulum, aut (quod verius puto) certum pabuli genus, scilicet auenam, aut fœnum.

Inclinauit se vir, & adorauit Dominum. Videtur (chadad) significare verticem inclinare. Vnde (chodchod) id est, vertex.

Qui non dereliquit misericordiam suam, id est, nõ omisit misericordiam: qua vti solet, cum Domino meo. De significatione autem verbi (hazab). Exod. 23. Deo dante disputabimus, quoniam dubia est.

Et veritatem suam, scilicet, pacti sui: quod cum Abraham pepigerat.

Ego in via, subaudi eram.

Duxit pro. *Et duxit me Dominus, in domum fratrum Domini mei,* id est, consanguineorum, qui omnes Hebræis dicuntur fratres.

Ego verti domum. Nostri ferè omnes vertunt parãui, cùm verbum potius vertere significet: vt patet Deut. 31. Quia (panah) id est, vertit se ad deos alienos. Dicit autem Laban: se domum vertisse, scilicet mundando, & scopando eam. Nam domus mundata alia ab immunda videtur: & versa in aliam, & ad hoc vt mundetur, vertuntur, quæ in ea sunt.

Sed ad domum patris mei, id est, vbi pater meus habitauit: aut ponitur domus pro cognatione. Hebraicè habetur.

Si non ad domum patris mei ibis, id est, reus iuramẽti eris: si non ieris ad domum patris mei, & ita sensus ab Interprete redditus est.

Dominus secundabit, aut præibit, seu præcedet, vt iam dixtmus.

Mundus eris, seu innocens ab execratione mea. Nostri vertunt. A maledictione mea: sed in idem redit iam enim primo capite huius libri disputaui, de significatione verbi (alah) ibi vide.

Si ex te mox præcedens viam meam, id est, dirigens, aut secundans, & tandem idem est sensus.

Puella egrediens ad hauriendum. Ponitur hic nomen (Almah) à verbo (halam) quod est propriè abscondere: ideò (almah) puellam absconditam & latentem significat, aut quod lateat, qualis sit futura, aut quia aspectibus hominum abscondita sit: sicut (Elem) id est, puer sic vocatus, quòd ignotum sit nobis, qualis futurus erit. An verò corruptam fœminam significet: asserit Hieronymus: quod non. Sed Caietanus in prouerbiis oppositum dicit, super illud. Et via viri in (almah), id est, fœmina. quoniam in virgine facilè cognoscitur via viri: non sic in corrupta. De quibus latius Isaiæ. 7. Si Deus vitam dederit disputatui sumus, & in Prouerbiis. Sententia tamen Hieronymi magis pia est.

Quã præparauit, aut *adiudicauit Dominus,* vt supra.

In corde meo, aut *iuxta cor meum.* id est, quæ desideraueram, aut quæ in corde habebam. Sed posterior sensus est simplicior.

Posui inaurem super nasum eius. Arbitror: vt iam dixi, esse huiusmodi inaures circulos: qui non solùm ad aurium extremitates suspendi poterant, sed in naso, ad modum ocularium, seu specillorum aptari.

Inclinaui, scilicet *caput, & incurraui me Domino. Duxit me per viam veritatis,* id est, non me permisit à vera via errare.

Filiam fratris, id est, neptem, aut vocat Bathuelem frarrem, qui nepos eius erat.

Si facitis misericordiam, & veritatem. Est facere cum aliquo veritatem, facere cum eo, quod aliquo iure debetur. Debent enim consanguinei, inuicem seruare veritatem, aut stabilitatem, scilicet amicitiæ.

A Domino egressum est verbum. Hebraismus est, id est, non casu, sed Domini voluntate, hoc actum est.

Non poterimus loqui ad te malum vel bonum, id est, aliud, quàm quod à Deo decretum est.

Dedit (Ribcah) vt scilicet animum eius ad cõiugium inclinaret.

Pretiosa dedit fratri eius. Ignota meo iudicio est, propria significatio nominis (migdanoth): quam nostri vertunt pretiosa. Neque nactus sum bonam aliquam coniecturam: qua significatum eius venari possem. 2. Paralipo. 32. videtur quid pretiosum significare: vbi habetur. Multi afferebant munus Domino in Ierusalem (Vmigdanoth) id est, & pretiosa Ezechiæ regi Iehudah.

Et pernoctarunt. Melius. Et manserunt.

Dimittite me Domino meo, id est, vt vadam ad Dominum meum.

Diebus, vel decem. Miror, quòd tam facilè nostri abeant in mendacia Chaldæorum, & Hebræorum, quæ nullum in literis sacris fundamẽtum habent: vertentes hic.

Per dies, annum, & per decem, decem menses. Quomodo enim seruus Abrahæ esset ad annum, aut decem menses expectaturus, qui festinabat ad Domifrater, & mater dicebant, vt saltem ad decem dies maneret puella: quoniam in hoc non essent multum remoraturi iter eius. Est ergo sensus. Maneat puella nobiscum, per dies, scilicet aliquot, vel ad minus decem. Lege Numeri. 11. Vbi Dominus dicit. Non die vno comedetis, & non diebus, & non quinque: vbi si per dies decem, menses interpreteris: tu videris, quam bene conueniat. Oportebat istos aliquem in sacris literis locum citare: vbi per dies annus, & per decem, decem menses intelligerentur, & non istos sequi contra apertum scripturæ sensum.

Dominus secundauit: aut præcessit viam meam.

Interrogabimus os eius. Hebraismus est, pro inquiremus, quid ipsa dicat.

Sis in millia millium. Hebraicè. Sis in millia multitudinis: aut in mille multitudines.

Hæreditet semen tuum portam inimicorum suorum. Ex hoc loco constat esse adagium, quod imprecando bonum, solebant homines iis, quibus bona imprecabantur: dicere, & sensus redditus est cap. 22. supra. Cupiunt enim homines maximè inimicorum vindictam, id est, sis tuis inimicis superior: ita, vt vrbes eorum capias.

Ascenderunt super camelos, aut melius: sederunt, aut equitarunt.

Et Isaac venit à veniendo à puteo viuentis videntis me, id est, veniendo veniebat à puteo, qui fuerat ostensus (Hagar) qui vocabatur viuentis, & videntis me: ob causam iam illic dictam.

Habitabat in terra australi, scilicet respectu terrę sanctæ, scilicet Ægyptum versus.

Egressus est Isaac ad meditandum in agro. Significat verbum (saách) ore, aut corde loqui: seu meditari. Sunt qui vertant. Ad orandum.

Dum verteret se vespera, id est, dum sol occumberet, aut dum ad vesperam declinaret.

Accepit velum. Significat (saiph) operimentum, sed quod illud sit, ignoratur. Aliqui velum arbitrantur: quo fœminæ solent se operire. Italæ operiunt se velo lineo, aut sericeo: nostræ verò, & Germanæ panno, totam fœminam operiente, nigri coloris: quod manto vocant.

Et narrauit. Verbum (saphar) propriè numerare significat, & ex consequenti narrare: quod qui narrat, quasi rem aliam post aliam numerat.

Fuit illi vxor. Constat ex hoc loco, nullas fuisse matrimonij ceremonias apud priscos: sed ex hoc, quod vir introducebat fœminam in domum suam, & ad eam intrabat: fiebat ei vxor.

Pœnituerat Isaac post matrem suam, id est, pœnituit eum tristitię, quam post mortem matris suę habuerat, ob lætitiam nouæ coniugis, quoniam diligebat eam. Aliqui vertunt. Et consolatus est Isaac se hoc coniugio, post mortem matris suæ, aut post mattrem suam: nullam maiorem habuit consolationem, quàm istam cum vxore: sed prior sensus simplicior videtur.

CAPITIS. XIIII. ADNOTATA ad morum compositionem.

Abraham veterat in dies, & Dominus benedixerat illi in omnibus. Solet Dominus finere iustos, dies suos implere: & rarò infortunio propè mortem lædi permittit, ne tristitia affecti moriantur. Isaiæ enim. 65. Pollicetur Deus, quòd non egredietur inde vltra ad sepulchrum infans dierum, & senex qui non impleuerit dies suos. Quia puer centenarius morietur: & peccator centenarius maledicetur.

Vocauit seruum seniorem domus suæ. Docet ardua negotia non nisi Senioribus, & præcipuis domus esse committenda: maximè ea, in quibus prudentia opus est: licet enim ad iter conficiendum aptiores iuuenes videantur, si tamen negotium discretione eget: eis dimissis, seniores mittendi sunt.

Adiurabo te per Deum cœli. Vide prudentiam senis, quem suspectum magis in matrimonio filij habebat: eum adiurat, & matrimonij filij ministrum eligit. Poterat enim ille, dissimulare,

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& protrahere filij coniugium, vt hæres domus fieret: ideo voluit eum adiurare, vt cogeretur ipse filio vxorem accipere. Sed quid bone senex times, filium Chenanæam vxorem ducere? Nónne tu statim Cheturam, es accepturus? Laborant iusti, nihil agere, quod Dei promissiones possit impedire. Similiter non dare iuueni occasionem, adorandi & colendi idola. Vbi docentur Parentes, qualiter laborare debeant, vt filiis coniungendis bonas vxores eligant, maximè quòd non sint alterius sectæ: quoniam facilè coniugis animum seducit fœmina: quamobrem Dominus postea Iudæis prohibuit accipere filias suas Chenanæas vxores: & eas sibi coniungere. Similiter aduerte, quomodo pius senex, omnes seruos suos, ad vnius Dei cultum induxerit. Non enim seruum per Deum cœli, & terræ adiuraret, nisi nosset eum, Dei cœli esse cultorem: & quoniam non sibi (iam in Dei fide, & dilectione perfecto) timebat: ideo vxorem alterius fidei, accipere non formidauit.

Pergas ad terram & cognationem meam.
Vxorem eam esse deligendam admonet, quam si non facie nosti: maiorum tamen suorum mores, probè noueris. Vbi etiam aduerte licuisse tùc temporis, neptem in vxorem ducere: quod postmodum in lege licuisse notum est.

Caue ne reducas. Tene (ait cuidam Episcopo in Apocalypsi Christus) quod habes: ne alius accipiat coronam tuam: & mirum valdè, quàm tenaciter sancti patres, promissæ terræ adhæserunt: vt nullo pacto amplius inde exire sine Dei mandato voluerint. Quo facto nos docent, nullo modo relinquere quę nobis promissa sunt, quousque possideamus: in quo etiam notare licebit, quàm sit periculosum habitare inter eos, qui idola colunt. Quare sanctus Dauid dicebat. Maledicti sint illi, qui me relicta patria, exulare cogunt, dicentes. Vade serui Diis alienis: pro eodem reputans, agere in terra idolorum: & idola colere

Dominus Deus cœli, qui me tulit de domo patris mei.
Admonui supra, iustorum esse morem, enumerare accepta beneficia, cùm noua accipere cupiunt: similiter ex acceptis beneficiis, animum sumere accipiendi maiora.

Mundus eris à iuramento meo. Docet nos seruus iste, cautos esse in iuramentis, & promissis.

De omni bono Domini sui erat in manu eius.
Etiam locus iste ostendit, serui huius prudentiam, qui fœminam ad coniugium allecturus, munera, quibus hoc facere posset, secum tulit.

Deus Domini mei Abrahæ. Nouerat seruus iste, res melius precationibus, quàm industria fieri: ideò precatur Dominum. Vbi etiam nos docet, in orationibus nostris apud Deum, sanctorum suorum merita iactare, vt quod possibilitas nostra nõ obtinet, eorum nobis intercessione donetur.

Fac misericordiam cum Domino meo.
Industria optima est, negotia nostra, facere sanctorũ: vt Dominus illorum gratia, ea facilius expediat.

Ecce sto ad fontem aquæ. Sine Dei tentatione, possumus expectare à Domino quæ ab eo poscimus, in veritate alicuius euentus.

Puella quæ dixerit bibe: & camelis tuis hauriam.
Non immeritò vir iste, hoc potius signo, quàm alio vxorem Domini sui cognoscere voluit: vt eam videlicet Dominus Isaac eligere didicisset in qua charitas, & dilectio proximi reluceret, quæ scilicet libenter, & sibi & camelis suis hauriret: vt hos ad bona eligendos à Domino scias, qui alacriori animo proximorum indigentiis succurrere nouerint.

Antequam complesset loqui. Solet Dominus iis petitionibus adesse: & facilè eas implere.

Puella erat aspectu pulchra. Audis, quales Dominus vxores piis eligit, quæ non solùm moribus, sed etiam membrorum pulchritudine sint adornatæ. Similiter quàm esset curæ, puellis illius temporis pudicitiam, & integritatem seruare, quod nostræ valdè negligunt.

Hausit camelis. Memento hic aduertere, illius temporis charitatem. *Tulit vir inaurem auream.*
Docet nos esse gratos, omnibus ministeriis, quantumcunque minutis.

Filia cuius es? Non fuit seruus iste contentus, sic vt orauerat, accidisse: sed vt sciret, an Dominus iter eius præcessisset, voluit scire, an esset ex cognatione domini sui. Et nos admonet, non cuicunque signo fidere, etiam in iis, quæ à Deo euenire putamus.

Palea, etiam pabulum est apud nos.
Solent viri impij docere filios, & filias, negare vicinis: quæ apud eos sunt: ne illi ab eis ea, quibus indigent, petant. Non sic viri probi, sed omnes qui domi sunt, indicare quæ aliis vsui esse possunt: docent. Vbi etiam nos docet: libenter quæ habemus, hospitibus offerre.

Domine Deus Domini mei Abraham.
Nihil viri iusti sibi, aut meritis suis tribuit, sed sanctorum orationibus, quorũ ope se omnia nactos arbitrantur. Docentur etiam: homines, omnia à Deo petere.

Nuntiauit domui matris suæ. Cùm tunc temporis homines plures haberent vxores, quælibet cum filiis suis seorsum habitabat. Viro vero licebat cum qua maluisset, manere.

Cucurrit Laban ad virum foras. Parant munera hospitium, exhilarant recipientis faciem, & animum.

Vt quid manes foris? Cap. 19. Admonui, quantum deceat hospites verecundiæ intrandi gratuitum hospitium: & receptores eos ad hoc cogere.

Venit vir domum, & soluit camelos.
Nouerat iste seruus piè iumenta tractare, qui prius eorum pabulum, & solutionem, quàm cibum suum curauit.

Dixit. Non comedam. Vides, quales famulos Dominus concedat iustis, qui ita negotia curant dominorum, vt prius ea expedire velint, quàm comedant, aut bibant.

Dominus benedixit Domino meo.
Non possum satis mirari, huius serui prudentiam, qualiter exaltat Dominum suum, & eum ditissimũ à Domino prædicat: quoniam nouerat diuitias à coniugibus præcipuè quæri. Ac si diceret. Si diuitias quæras, ditissimus est in omni diuitiarum genere. Et quòd maius est: Deum amicum habet, à quo omnia hęc proceduntur. Vbi latenter Dominum commendat, qui suos ditare nouit.

Dedit omnia, quæ sunt ei. Ne putaret bona inter filios diuidenda. Et hinc habes ortum maioricatus: & quod in potestate patris fuerit, ante legem, omnia sua vni, quem maluisset: ex filiis dare.

Si facitis misericordiam & veritatem cum Domino meo.
Debet esse inter consanguineos admixtem misericordia, & veritas. Et licet in re illa maximè puella lucraretur, & parentes: eos tamen cum Domino suo misericordia vsuros prædicit.

A Domino egressa est res. Non possumus quæ à Deo ordinata sunt, mutare: neque debemus. Contra eos: qui diuinæ prouidentiæ obuiam ire præsumunt.

Protulit vasa argentea, & aurea, & dedit (Ribcah.)
Etiam hic relucet prudentia serui, Nam (Ribcah) dedit vasa aurea, & argentea, & vestes, matri verò, & fratribus dedit donaria: quoniam illa erat principalis in negotio: ex cuius consensu præcipuè pendebat res. Secundò quia quæcunq; pretiosa illi dedisset, illa erat secum in domum mariti allatura: & sic nihil in re illa perderet Abraham.

Dimittite me ad Dominum meum.
Admonet locus iste, festinanter agenda esse negotia: quæ possunt impediri: qualia sunt matrimonia.

Maneat puella nobiscum, vel ad decem dies.
Oportet eum, qui ex domo aliqua recedit: amorem erga domesticos ostendere, ante recessum, ne putẽt eum libenter abire. *Ne tardetis. Dominus secundauit viam meam.* Vtendum est bona fortuna, & Dei beneplacito: ne mutari contingat.

Vocemus puellam. Non debet fine vtriusque consensu, coniugium fieri.

Dixit ibo. Audis, quàm verum sit illud. Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem: & facile hæc oblita parentum est: vt iret ad virum suum.

Dimiserunt eam, & nutricem. Grati debemus esse nutricibus: similiter, puellas non esse dimittendas, nisi cum honesta societate, docet locus iste. Debet enim puella semper seniorem fœminam ad latus habere, quę mores eius componat.

Benedixerunt (Ribcah) Constat ex hoc loco, nihil aliud esse benedicere: quàm bona precari: vt primo capite diximus. Sequitur enim hic.

Et dixerunt. Sis in millia millium. Ad meditandum aut orandum in agro.
Ecce qualiter iuuenes edocentur à iustis parentibus, vt qualibet die, locum solitarium ad orãdum, vel meditandum de Deo quærant.

Et leuauit oculos suos Hoc dicit textus de puella, & iuuene, vt ostendat quàm pudici fuerint, & honesti, pueri & puellæ illius temporis.

Iactauit se de camelo. Debent fœminæ viros reuereri. *Accepit operimentum, & operuit se.*
Etiam erga viros suos, honestas pulchra est, in fœminis. Ad hæc tempora apud Turchas mulier aspectibus virorum non apparet nuda facie, sed operta.

Introduxit in tabernaculum matris.
Vt nouo vxoris gaudio, compescetet tristitiam: quam ex matris pia functione acceperat, tum vt vxor memor probitatis socrus suæ, mores illius disceret.

Consolatus est post matrem. Nullus est qui magis, & melius possit virum solari, quàm vxor.

CAPITIS. XXV. AD LITERAM ANNOTATIONES.

Nomen eius (Chethurah). Credendum est, etiam ex Chenanæis fuisse: licet hoc in litera non explicetur.

Midian. Constat ex hoc loco Midianitas, ortum habuisse ab Abraham.

Sebba, & Dedan. Ex iis, orti sunt populi Orientales, quorum scriptura meminit Ezechie. vigesimosexto, vbi dicitur. Filij Dedan negotiatores tui, insulæ multæ, negotiatio manus tuæ. Et paulò inferius. Dedan institores tui: in pannis pretiosis pro curribus. Ex quibus verbis arbitror duo Dedan esse. Eodem etiam capite habetur. Negotiatores Sebba, & Rahamah, ipsi negotiatores tui: præcipua inter omnia aromata, & omnem lapidem pretiosum, & aurum dederunt in negotiationibus tuis. Fuisse autem populos Orientales, ex hoc capite constat: vbi dicitur. Abraham hos ab Isaac ablegasse, ad Orientem. Ephah verò meminit Isaias capite. 60. vbi Midianitis coniungitur: vbi etiam meminit Sebba, & auri eius.

Dedit Abraham omnia, quæ erant illi, Isaac.
Constat ex hoc loco, apud Patres esse situm: dare omnia sua cui maluissent filio: vt iam diximus. Sunt tamen qui putant, hoc de filiis principalium vxorum non fuisse licitum: sed vbi simul erant filij concubinarum, quos licebat alienos ab hæreditate facere, & legitimo omnia dare, & hoc videntur præ se ferre verbà (Sarah) dicentis, non futurum hæredem filium ancillæ, cum filio eius: & de filiis ancillarum dubium non est, secus de vxoribus aliis.

Filiis concubinarum. Præ se fert textus iste Abraham non solùm Chethuram, sed & alias concubinas accepisse: quod valdè mirandum est, hominem tam senem voluisse in tali ætate, generationi indulgere: quare multi putant, eum in vita Saræ, has sibi coniunxisse, & quod hic dicitur, eum filiis concubinarum munera dedisse, intelligendum de Chethura, & Hagar: quod videlicet filijs Chethuræ, & Ismaheli filio Hagar, munera contulerit. Sed cùm Abraham talis esset: non mirum, si Deus voluerit per ipsum mundum bono semine replere.

Filiis concubinarum. Constat ex hoc loco minus principales vxores cõcubinas dici. Et de nomine (peléges) id est, concubina, iam diximus supra.

Dedit munera, aut *dona.* Non plenè constat, quid propriè significet (mathantoh): quod nostri hic vertunt, dona, vel munera.

Dimisit eos à super, vel *à iuxta Isaac.* Ne, scilicet, esset inter eos super hæreditate contentio.

Ad Orientem. Quod explicans addit. Ad terram Orientalem. Quidam tamen hic (Chedem) putant nomen proprium terræ: & putarem istos Arabiam Sebbã coluisse, quoniam Sebbã: & Dedan: videntur Arabes fuisse, iuxta illud Psal. Reges Arabum, & Sebba.

Obiit, & mortuus est. Dicit Rabbi Dauid. Verbum (gauah) significare obire, seu leuiter mori: & non longa ægritudine tabescere. Mihi verò videtur, propter adiunctum verbum (moth) quod mori significat (ne inutiliter repetat textus) (gauah) significare deficere: quod coniector, ex Psalm. 88. vbi dicitur. Pauper ego (ve goueah) id est, & deficiens ab adolescentia: vbi Septuaginta vertunt. Et in laboribus. Hieronymus verò. Et crumnosus. Sic ergo reddendus est locus iste. Defecit, & mortuus est.

In senectute, aut, *in canicie bona,* id est, in senectute longæua, ac si dicat: senio confectus obiit: aut per senectutem bonam intelligit eam, quæ non multum viribus deficit, quemadmodum legimus de Moseh. Deut. 34. quod cùm obiit, nõ caligauerit oculus eius, neque defecerit vigor eius. Et de beato Augustino: quòd integro auditu, & aspectu vita functus est: prior tamen sensus simplicior videtur.

Senex, & satur. Potest hoc esse explicatio præcedentis sententię, vt scilicet idem sit bona canities, quòd senex, & satur, ac si dicat. Mortuus est in canitie bona, id est, senex valdè, & satur vitæ, seu annorum. 2. potest esse per se sententia, & potest dupliciter exponi. Vno modo, quòd obierit senex, id est, longæuæ gratis, & satur, scilicet dierum, ita quòd non desiderarit amplius viuere, aut senex, & satur, id est, implès dies suos, seu mensuram annorum suorum, quomodo de (Lehoiadah) pontifice legimus. 2. Paralipome. 24. quòd senuerit, & saturauerit se diebus. Secundo modo potest intelligi, quòd obierit senex & satur, scilicet temporalibus bonis, & diuitiis plenus. Nos enim Lusitani, vsque hodie vocamus diuites, saturatos. Dicimus enim. (He hũ homẽ farto, & abastado) id est, Est vnus homo satur, & abundans. Prior tamen expositio germanior esse videtur.

Et additus est ad populos suos, id est, ad statum morum quemadmodum maiores sui. Sunt qui idem dici putant, addi ad Patres suos, quòd mori in fide parentum suorum: quod de Abraham falsissimum esse constat: cùm populus eius fuerit idolatra. Caietanus ex hoc loco statuere vult animę immortalitatẽ: quod vtinam faciat. Dicit autem appositum ad populos suos, idem esse, quod animam eius esse in limbo, coniunctam omnibus iustis, ex quacunque natione, vel gente: sed hoc oportebat probare iustos, scilicet, cuiuscunque nationis dici populum Abrahæ, aut cuiuscunque alterius iusti: quod, meo iudicio, non facilè probabitur. Idem de Isinahele hic dicitur: qd scilicet fuerit additus populis suis. De Aharon etiam legimus simile. Numeri. 20. vbi Dominus dicit Moseh, congregabitur Aharon ad populos suos. Et paulò inferius. Expoliare fac Aharo vestes suas, & induere fac eas Elhazar filium eius, & Aharon congregabitur, & morietur. Vbi, per morietur, videtur explicare hoc, quod dixerat, congregabitur: quasi congregari, sit periphrasis mori, quod Hebræi etiam asserunt, dicentes. Qui moritur, ambulat per viam, per quam ambularunt Patres eius, & quasi colligatur ad eos, & viderur esse idem cum dormire cum Patribus suis: quod de Regibus frequenter dicitur in libris Regum. Et videtur quod sit idem, quod mori, quemadmodum Patres mortui sunt. Si quis animæ immortalitatem statuere clarius velit, legat. 12. caput libri Ecclesiastes & ibi ad oculum videbit Salomonem asserere, spiritum hominis morte redire ad Deum, qui dedit illum, vt obturet ora loquentium iniqua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primogenitus Nebaioth. Ab isto dicta est Harabia nabathæa: quam Geographi duplicem assignant. Alteram circa oppidum (Chesbon) Alteram circa fœlicem Harabiam.

Et Cedar. Ab isto descenderunt Harabes. Nam Ezechie. 26. habes. (Harab) id est, Harabia, & vniuersi principes Chedar, ipsi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hircis, negotiatores tui. Sūt enim omnes ferè Harabes pecudum, & armentorum pastores, qui vt plurimū, morantur in campis sub tentoriis: iuxta illud Cant. 1. Nigra sum, sed formosa: sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

Et Dumah. Isaiæ. 21. habes. Onus Dumah, ad me clamat è Sehir: vnde constat istos propè Edomæam, vbi est mons Seir, habitasse: nisi sit alia Dumah. vnde videtur, quòd Edomæi, postea horum terram incoluerint. Nam hic etiam ponitur Theman à quo Themanites Edumei.

Per villas suas, & per palatia sua.
Dictio (chaser) quam Sanctes, hîc villam vertit, atrium significare Hebræis dicitur, & meò iudicio significat atrium sub diuo: in quo sunt herbæ. Nostri vocant (resio), & quandoque est circundatum vallo, aut muro. Mouetur autem, quia (chasir) herbam significat. Primo Regum decimo octauo. Si fortè inueniatur (chasir) id est, herba, aut pratum virens: & Isaiæ. 15. Aruit (chasir) id est, herba, aut pratum. Vnde hic melius vertas: per atria, aut prata sua: quàm per villas suas. Cùm enim (vt diximus) omnes illi sint Harabes, morantur per prata, seu campos: vbi herbam in copia inueniunt. Si tamen atria vertas admittam, quoniam primo Regum sexto, atrium significare videtur: vbi dicitur. Et ædificauit (hachasir) id est, atrium. Solent enim Harabes circundare, vallo campum vbi morantur, & ibi, super gramina, extendere tentoria sua. Sequens verò dictio, scilicet (tirath). Nullo modo potest palatium significare, cùm Harabes non soleant in palatiis morari. Sed si radix est (tur) quod ordinem significat, significabit ordinem. Videtur etiam (tirath) significare pinnas, quas super muros & mœnia ciuitatis collocare solent. Nostri vocant (Améas) aut ordines. Et de pinnis exemplum habes Cant. 8. vbi dicitur. Si murus est, ædificemus super eum (tirath) id est, ordinem argenti, id est, pinnarum argentearum: hic verò, meo iudicio, ordinem significat: & vertendum est.

Per ordines suos. Solent enim Arabes in cāpis tentoria sua ordinatè disponere, quemadmodum domus in ciuitate ordinatæ sunt.

Et obiit melius: *Et defecit. Ab Hauilah.*
Non videtur hæc hauilaha eadem, cum ea, de qua mētio facta est superius capite primo.

Et Sur. Nomē deserti esse videtur, & quod sequitur.

Veniente te in Sur. Sensus est, versus Assyrios.

Quæ est super faciem Ægypti, id est, quæ è regione, Ægyptum respicit. Et meo iudicio, isti habitarunt in terra, quæ postea vocata est Edon.

Super faciem omnium fratrum suorum cecidit.
Nostri ferè omnes intelligunt, quòd Iismahel sit mortuus, fratribus suis videntibus, aut superstitibus. Neque prohibeo. Sed meo iudicio, hic non est sermo de casu per mortem. Iam enim mortem eius prædixerat, quòd scilicet defecerat, & mortuus fuerat, & additus ad populum suum. Sed videtur esse sermo de sorte terræ: vt sit sensus, quòd sors scilicet terræ ceciderit illi super faciem fratrum suorum, id est, è regione terræ Israelitarum. Cùm enim terrā eius fuerit inter Ægyptum, & Palæstinam, ex vna parte, scilicet versus meridiem respiciebat Ægyptum, versus Aquilonem verò, respiciebat terram Israel. Quòd autem (napal) non solùm significet cadere per mortem, seu mori sed etiā ad sortem referatur, constat ex capite. 11. Nechemiæ: vbi dicitur hipalu, id est, cadere fecerunt sortes, & capite. 10. eiusdem idem dicitur. Moueor autem, quia sermo præcedens tractat situm terræ: quam filij Iisma hel incolebant. Nam dicitur. Et fuit habitatio eorum ab Heuilah, vsq; ad Sur: quæ est iuxta terminum Ægypti, veniente te in Assur. Et sequitur.

Super faciem, id est, aspectum fratrum suorum cecidit, scilicet illi sors, aut habitatio. Si verò communem expositionem sequi velis, non prohibeo.

De Padan Aram, id est, Syriæ. Et aduerte, quòd Aram, seu Syria est duplex: quædā quæ dicitur Aram, id est, Syria (neharim) id est, fluuiorum: quæ sita est inter duo flumina, scilicet Euphratem, & Tigrim. Altera vocatur Sytia (padan) id est, coniuncta, quæ scilicet, erat coniuncta priori. Sonat enim (padan) Syriæ copulam, vel partem. Aliqui vertunt: Syriam agrorum, quod ager, vel regio in lingua Hismahelitica vocetur (padan.)

Et multiplicauit Isaac Domino contra vxorem suam: quoniam eradicata ipsa.
Variè hunc locum exponunt Hebræi, & nostri. Nam aliqui vertunt. Et orauit pro vxore: alij, è regione vxoris. Alij, contra vxorem. Tu verò aduertè, quòd verbum (hatar) quod nostri orare vertunt, etiam significat multiplicare, siue verba, siue preces, siue quodcunque aliud: & quia hæc significatio quadrat ferè omnibus locis, quibus verbum ponitur: non autem orare: ideò videtur magis significare multiplicare, seu iterare, quàm orare. Quòd autem multiplicare conueniat locis, quibus nostri orare vertunt, constat primo Iob. 33. vbi dicitur. (Iethar) id est, multiplicabit, scilicet preces ad Dominum & placabit eum: vbi nostri vertunt. Orabit ad Dominum. Sic Iudicum. 13. (Vaiethar) id est, & orauit (Manoach) vbi tam bene vertas. Et multiplicauit, scilicet, preces (Manoach) & sic in multis locis, quæ causa breuitatis omittimus, quæ si placet vide in Lexico Sāctis Pagina. 1857. Quòd verò orare non conueniat omnibus, patet Ezechielis trigesimoquinto, vbi dicitur. (Vehatartim) id est, (vt nostri vertunt) Locuti estis, vbi, si orare vertas, nullo modo congruit, sed vertendum est. Et multiplicastis super me, aut contra me, verba vestra, scilicet iniuria. Vnde nomen (atar) id est, multiplicatio. Hic ergo etiam videtur significare multiplicare. Sequens verò dictio, scilicet, (nochah) in multis scripturæ locis significat contra è regione: vt Exodi. 40. (Nochach) id est, contra, vel è regione mensæ, seu rectè ad mensam. Est ergo hic vertendum. Et multiplicauit Isaac, scilicet, preces, aut iterauit orationem, contra vxorem suam, id est, contra sterilitatem vxoris sugquod statim explicat, quoniam sterilis erat. Vertimus autem, eradicata, quia sic est in Hebræo: quia filij sunt parentum radices. Si quis tamen communem interpretationem sustinere voluerit, poterit: præsertim, quia verbum (atar) significat, (vt diximus) etiam orare: & hic inferius, vbi dicitur. (Vaiehatér ló) id est, exoratus est illi: videtur magis quadrate exoratus, quàm multiplicatus est illi, scilicet, Deus: licet illa possit sustineri, si intelligas, quòd fuit multipliciter petitus ab eo.

Et colludebant se. Verbum (rasas,) significat frangere, confringere non omnino, aut conculcare, & interest hoc, inter (scabar) & (rasas) quòd scabar est confringere, omnino frangere: sed rasas frangere qualitercunque: & propriè non omnino: quod discrimen clare constat ex verbis Isaiæ capite. 42. vbi de Messia loquens dicit. Calamum (rasus) id est, fractum (ló lischór) id est, non conteret, vbi vtrunque verbum ponitur. Videbantur ergo pueri in vtero confringere se, collidentes se inuicem.

Si sic, quare hoc ego? scilicet, desideraui, aut volui. Ac si dicat. Si sic pueri debent postmodum cortixari ad inuicem, sicut modo in vtero meo, quare ego voluit concipere, aut desideraui prolem? Aliqui vertunt. Si sic, vt quid ego? Sed in Hebræo habetur (lamah zéh) id est, quare hoc? Ideò prior sensus amplectendus est. Posset etiam exponi. Quare hoc? id est, quare sic pueri cortixantur? Communis verò sensus est. Vt quid ego, scilicet viuo, aut concepi?

Iuit ad quærendum Dominum.

Putarem iuisse ad sacrificium offerendum Domino, & ibidem à Domino responsum habuisse, quemadmodum Abraham. Neque solicitus sis de sacerdote, quoniam sine sacerdote tunc, quilibet Domino hostias offerebat: vt legimus de Arbaham supra cap. 15. & de Iacob infra. 33. Non enim audeo dicere eā iuisse ad Melchisedech, quia nullum huius rei vestigium in scriptura inuenio. Fortè etiam aliquis propheta erat Domini: à quo scisciari potuit: sed quis ille fuerit ignoratur

Maior seruiet minori. In hebræo est. Amplior, aut multus seruiet pauciori. Ac si diceret. Populus Edomæorum, qui amplior erit: aut maior, seruiet Israelitico: qui paucior erit, & sic fuit tempore Dauidis.

Sicut vestis pellis, seu pilosa. Verbum (adar) à quo (adereth) id est, vestis significat propriè extendere, potius, quàm magnificare, aut roborare, quod Hebræi significare dicunt. Psalmo octauo. Domine Dominus noster, quàm (adir) id est, extensum est nomen tuum in vniuersa terra. Sic Exodi decimoquinto. In aquis aditim, id est, extensis: vbi nostri vertunt, vehementibus. Nomen verò aderet Ezechi. 17. extensionem significat, vbi dicitur. Vt sit in vitem aderet, id est, extensum. Significat autem pallium. Iosue septimo, & Ionæ tertio, quod videlicet sic extensum. Sic etiam hic. Vocat, autem pallium pilosum: quod fiebat ex pilis camelorum, aut aliorum animalium talis, inquam egressus est Esau ex vtero. Posset etiam verti sicut extensio pili, sed sensus idem est. Sonat Esau factus, aut factura eius, sed qualiter alludat ad rem, ignoratur: nisi dicamus eum sic vocari, quod quasi factus homo, sit ex vtero egressus: ferens secum pilos, qui in aliis pueris successiu temporis nascuntur, & crescunt.

Manus eius comprehendens calcaneum Esau.
Hac de causa vocatus est Iacob. à verbo (achab) quod Hebræi supplantare significare dicunt, sed melius dicerent se propriam ignorare significationem. Dicunt enim significare seducere, supplantare, fraudare, astutè agere, & retardare: cùm re vera significet propriè, aut tortuosum esse, aut posttergare (liceat mihi sic latinis loqui) à tergo sequi, siue sequendo, siue vt seducas, aut quacunque alia ex causa: vt tenendo, aut detinendo: vt exempla monstrabunt. Hosæ. 12. in ventre Achab, id est, postergauit fratrem suum, scilicet, tenendo calcaneum pedis eius. Iob trigesimosexto. Tonabit voce maiestatis suæ, & non Ieachebem, id est, postergabit, seu retardabit à tergo tenendo ea, scilicet, fulgura, aut pluuias. Et quia communiter insidiosè agentes, à tergo, seu retro insidiantur: ideò signi ficat insidiosè agere, aut tortuosum esse: vt Ieremiæ decimoseptimo. Achob, id est, insidiosum est cor hominis. Sic Hosæ sexto. Gilhad ciuitas operantium iniquitatem: (achubah) id est, insidiatrix sanguinum: vbi nostri vertunt, sęda sanguine. Sic Isaiæ quadragesimo. Erit (heachob) id est, insidiosum, aut tortum in rectitudinem. Neq; ægreferas prudens lector, quòd aliquando in ostendendis propriis dictionum significationibus immoremur, quoniam hinc pendet genuinus literæ sensus, vt in regulis admonuimus.

Vir sciens venationem, id est, gnarus venandi: quod more suo explicans addit. Vir agri Iacob verò vir perfectus. Hoc enim significat tā, à verbo (tamam) quod est perficere, finire, complere.

Quoniam venatio in ore eius, id est, quoniam comedebat de venationibus Esau.

Coxit Iacob coctionem. Qualis fuerit infra declaratur, quod fuerit lentium.

Ipse lassus. Confuderunt hic Hebræi & nostri duas aut tres radices, scilicet, Iaaph quod significat lassare, & (vph) quod est volare, & Iapha, quod est splendere, & omnia hæc citant in radice (vph) quod est volare. Est ergo nomen (aieph) citandum in (Iaaph) & non in (vph). Erat ergo Esau lassus à venatione, quæ solet homines fatigare.

Ciba me more de rufo rufo hoc.
Non est certum verbum (laat) id est, cibare, hoc significare, neque est coniectura præter contextum aliqua, ad venandam propriam significationem, cùm verbum solum hic inueniatur, & ex contextura textus videtur significare cibare. Ideò quia, scilicet, sic appetiit de rufo edulio comedere, vocatum est nomen eius (edom) id est, rufus. Sonat enim Adam rubescere.

Vende, sicut hodie, primogenituram tuam mihi.
Aliqui vertunt: iuxta hunc diem, id est, præsenti tempore, absque vlla dilatione, & videtur esse germanus literæ sensus, aut sicut eam hodie habes, seu possides ita eam mihi vende. Est autem hic meritò disquirendum ius primogenituræ: quid, scilicet, prærogatiuæ primogenitus inter fratres habebat. Et ex sacris literis constat eum successisse, in patris dignitate. Nam Rubenitæ Datan scilicet, & Abiron, & On: vt Numeri decimosexto habetur, surrexerunt aduersum Moseh quasi illis, vtpote primogenitis, auferret principatum illis debitum, iure patris Reuben. Vnde infra capite quadragesimonono, dicit Iacob Reuben primogenito suo. Tu vir or meus, & principium fortitudinis meæ. Residuum honoris, seu eleuationis meæ, id est, cui relinquendus esset honor meus. Similiter debebatur primogenito locus primus inter fratres, sicut infra capite quadragesimotertio, vbi de fratribus dicitur, quod sederint ante eum primogenitus secundum primogenituram suam, & paruus iuxta paruitatem suam. Et admirati sunt viri vnusquisque ad proximum suum. 3. debebatur ei duplex portio. Nam Ioseph, qui pro Reuben nactus est primogenituram: vt dicitur primo Paralipo. quinto, duplicem portionem habuit in terra sancta: cuius duo filij, scilicet Ephraim & Menasses pro patre duas habuerunt sortes. Regnum tamen non est datum Ioseph, aut filiis eius: tum quia statuendum erat Deuteronom. 17. dandum ei, quem Dominus designaret, tum quia à Domino dandum fuerat Iehudah: infra capite quadragesimonono, cuius causa assignatur loco citato libri Paralipome. quod, scilicet, fuerit Iehudah fortis viribus.
Et fortè quia primogenitura etiam data fuerat Ioseph rediit regnum ad tribum Ephraim tempore Hieroboam. Sacerdotium tamen putarem non fuisse ante legem debitum primogenito. Post legem tamen primogeniti illud requirebant, quasi sibi iure debitum: vt patet de Chorach & sequacibus. Patet etiam de Elhazar, & Ithamar quorum primus patri successit: qui erat primogenitus: & videtur hoc firmari ex verbis Domini Exodi vigesimonono, vbi Dominus dicit vestes summi sacerdotis pertinere ad filios eius: & ex capite vigesimo numerorum: vbi præcipit post mortem Aharon induere Elhazar filium eius primogenitum vestes patris sui. Ante legem verò, licet multi hoc asserant, non tamen mihi perspicuum est, in populo Dei: quicquid fuerit apud Gentiles. Cùm videam Abel, quemadmodum Cain hostias Domino immolasse. Neque filij Reuben vsquam (quòd sciam) de sacerdotio contenderunt: sed post sacerdotij institutionem, cùm filius esset hæres in patris dignitate: credibile est primogenitum sacerdotium hæreditasse. Petit ergo Iacob sibi omnia hæc iura vendi, scilicet, quòd sit dignior fratre, hæreditando patris honorem, & locum. Secundò quod in bonis duplicior illo sit: vt de facto contigit.

Quid hoc mihi primogenitura? Aut quid hæc mihi primogenitura, subaudi, valebit post mortem? quasi dicat, nihil.

Iura mihi, sicut hodie. Expone, vt supra hoc eodem capite, id est, iuxta diem hanc, seu in hac die.

Dedit Esau panem, & coctionem lentium, id est, lentes decoctas. Vbi tamen aduerte, non esse omnino perspicuum, quid significet dictio (hadassim) quam nostri lentes vertunt. Ponitur autem dictio. 2. Samuelis. 17. &. 23. & Ezechie. 4. Coniectura tamen est ex citatis locis, lentes significare.

Contempsit Esau primogenituram, id est, non æstimauit, quid mali sibi foret, eam vendidisse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPITIS. XXV. AD MORES.

Addidit Abraham, & accepit vxorem.
Elaborant sancti vt filios, qui Deum indefessè colant, multiplicent. Gaudet etiam Deus iustorum semen multiplicare: simulq; docemur, non esse malum senes, si non possunt continere, vxores accipere. Tertiò admonemur, non esse peccatum, alterius secte vxores accipere, si talis sis: qui eam facilè ad fidem reducere possis.

Peperit ei Zimram, & Iocsan. Non magnificat Deus filios carnis, ideò nihil curat horum progeniem enumerare: quemadmodum fecit de generatione Iismahel & Iisaac.

Dedit omnia, quæ erant sibi, Iisaac,
Constat ex hoc nullum esse peccatum, si homines primogenitis suis plusquam aliis filiis, de bonis suis, conferant: maximè cùm fuerint cæteris meliores. Alij tamen filij non sunt exhæredandi: sed illis elargiendum est, quo possint viuere.

Ablegauit eos ab Isaac: se viuente. Duo hinc colligo. Alterum, parentes debere disponere ante mortem bona sua, vt non sit iurgium inter filios postea. Alterum, diuisionem bonorum inter hæredes consulto in vita fieri, quod si parentes facerent, non ita filij post illorum obitum litigarent. Docentur tertiò filij, esse contenti distributione parentum suorum, quemadmodum isti filij Cheturah.

Isti sunt dies annorum vitæ Abrahæ.
Solet Dominus Deus, iustis vitam prolongare: vt sem per iustiores fiat. Hinc promissio illa legalis apud Ezechielem. Quæ faciens homo, viuet in eis. Isthuc pertinent quæ sequuntur, vt, scilicet, moriatur in bona senectute, & satur dierum. Debent enim senes vita saturari, neque velle in æternum viuere. Pro maximo Dei munere (vt aliàs diximus) veteres habebant: si nõ longa ægritudine, aut multum deficientes obirent.

Sepeliernnt eum Isaac, & Ismahel.
Docentur filij curare funus parentum suorum. Fuit etiam illis curæ sepeliri cum suis: abhominabile enim reputabant, aut non sepeliri, aut non cum suis. Vnde Dominus, apud Ieremiam de Iechonia dicit cap. 22. Sepultura asini, sepultura eius. Et Num. decimoquarto. Dominus dixit Iudæis, in deserto cadauera eorum casura. Similiter aduerre, Ismahelem iniuriæ sibi illatæ à patre immemorem: cùm opus fuit eum sepelire: licet nosset se cum matre ab eo abiectum, & maiorem natu, hæreditate pulsum.

Ibi sepultus est Abraham, & Sarah vxor eius.
Laudabilis profectò consuetudo: vt quos vna domus viuos collegit: eos mortuos eadem recipiat sepultura. Similiter ostenditur hic, nullum malum esse, locum curare sepulchro: non tamen nimis curiosum, aut elaboratum quærere. Arguit enim Dominus Besnam apud Isaiam capite. 22. quod sepulchrum exciderit. Vide Ezechie. 32.

Postquam mortuus est Abraham, benedixit Dominus Isaac. Admirabilis est Dei bonitas erga iustos: vt non solùm illorum, dum viuunt, curam gerere videatur, sed filiorum & neporum: vt verificet illud. Et faciens misericordiam in millibus his, qui diligunt me. Vnde, vt aliàs admonui, docentur parentes, colere iustitiam, non solùm, vt illis bene in vita sit: sed & filiis eorum post mortem suam. Nam bona, & mala parentum, filios, & posteros tenere solent.

Habitauit Iisaac ad puteum viuentis, & videntis.
Multum vitæ confert, si eum ad viuendum locum deligas, vbi noueris Dei præsentiam peculiariter adesse.

Istæ generationes Iismahel. Mirum valdè est, quanti faciat Deus suas promissiones, & illarum veritatem. Nam quia pollicitus fuerat, se illum in gentem magnam facturum, duodecimque duces generaturum, se hæc exhibuisse ostendit.

Ancilla Sarah. Sicut serui, præcipuè Dominos potius, quàm Dominas suas colunt: & illis ministrant: sic ancillarum est Dominas reuereri, oculosque suos in earum manibus habere: ideò hæc dicitur ancilla Sarah, potius quàm Abrahæ.

Istæ sunt generationes. Vide quid ad hæc verba annotauimus supra capite. 10. &. 5.

Erat quadragenarius, quando accepit Ribcah.
Non possum non taxare nostri temporis homines, qui filios suos vix. 20. annorum vxoribus coniungunt, qui non solùm domum suam regere nesciunt, sed neque seipsos: propter hoc filios immaturos gignunt, & ante maturum tempus senescunt.

Orauit Isaac pro vxore sua.
Admonentur coniuges, à Domino expectare prolem, & pro se inuicem Dominum precari. Similiter opus esse, eum te diligere, qui est pro te precaturus: quaniam ardentiores pro te preces coram Domino fundet. Similiter aduerte, plus tibi prodesse alienas preces, quàm tuas vnde mos exoleuit, vt iustos pro nobis orare precemur.

Collidebant se in vtero filij. Non est malum, aliquando futura ex præsentibus præsagire, modò absit superstitio, & Deus, & non Dæmon consulatur.

Maior seruiet minori. Commendat valdè gratiam locus iste, docetq; homines non ex meritis, sed ex vocãte eligi. Dominus ab vtero vocauit me: ait Israel Isa. 49.

Egressus est prior ruffus totus ipse, vt pallium pilosum.
Stupenda valdè sunt iudicia Dei. Vt Israel esset magis gratus Deo, noluit eum primogenitum facere, sed eum extollere ad primogenituram. Non solet Dominus alta eleuare, sed infima. Nouit enim nos plura facere si propter nos, aliis, præsertim inimicis mala fiant, quàm si nobis bona faciat Deus. Non gaudet Dominus facta facere, sed infecta. Esau ex vtero factus exiit: ideò nihil amplius voluit Dominus in eo facere. Non sic frater eius: ideò à Domino factus est magnus.

Tenebat calcaneum fratris. Non mirum si tanta pro primogenitura sit inter fratres disceptatio, postquam videmus, quæ pueri faciant propter hoc. Similiter expendendum est, qualiter Dominus Deus, signis quibusdam, quæ velit, ostendat. Nam quia secundogenitum, primogenitum facere voluit, cum iam ab vtero fratris primogenituram impedire disposuit.

Fuit Esau vir venationis: Iacob verò vir perfectus.
Solet Dominus ostendere se meritò elegisse, quos elegit, aut potius facere tales. Et verè rarò huiusmodi homines venatores, & agricolas deuotos videas, aut pietatis cultores.

Dilexit Isaac Esau: quia venatio in ore eius.
Mirum valdè est, quod etiam inter parentes, & filios munera amorem gignant, & augmentent: inde vulgatum illud Prouerbium. Matrem & filiam mutuis donariis amicas fieri.

Fac me comedere de rufo hoc. Arguit locus iste gulã: ob quam iste perdidit quod præcipuum habebat. Secũdò docet licere mediis bonis, quod nostrum est vendicare ab eis: qui illud iniustè detinent.

Vende mihi hodie primogenituram tuam.
Non est perdenda bona occasio alicuius negotij, maximè si multis possit modis impediri. Disputant, & corrixantur hic multi: an peccauerit Iacob, emendo primogenituram: & si illa annexum non habebat sacerdotium, nullum fuit peccatum: maximè, si mater sibi responsum Domini explicauit: si etiam sacerdotium illi fuisset adiunctum, intelligẽdum est suam iniustam oppressionem redemisse. Vbi simul aduerte iustitiam Domini. Licet enim iustè primogenituram posset ab Esau auferre, & dare illam Iacob? ne posica de eo posset Esau conqueri, voluit eum, eam sua sponte fratri vendere: vt sibi imputaret, quod eam à se abiecerit.

Ecce vado, vt moriar. Vitam honori esse præponendam admonet locus iste. Similiter aduerte tu qui quæstionibus vacas: nos nõ teneri gratis pascere fame morientem, quandiu ille aliquid habet: quod possit vendere. Nam hic licet Esau se fame mori ostenderet: non tamen frater voluit illum gratis pascere.

Iura mihi. Tam facilè homines, etiã fratribus, pacta frangunt, vt consulto faciant, qui eos iurare compellunt. Similiter taxantur hic, qui pro cibo, honorem proprium facilè commutant.

Contempsit primogenituram. Non est honor paruipendendus, sed est expendendum, quid à te abiicias, ne postea abiecisse pœniteat.

CAPITIS. XXVI. AD LIteram adnotationes.

Ne descendas in Ægyptum. Nolebat Dominus patres relinquere promissa, ne mendacij eum argue rent, quod videlicet promissis non steterit. Noluit autem eum in Ægyptum descendere ne locus placeret, & amplius non reuerteretur.

Benedicam tibi, id est, dabo bona in copia.

Stare faciam, aut, *surgere faciam iuramentum,* id est, complebo, quæ patri tuo iurauí.

Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.
Vide horum verborum expositionem supra cap. 22.

Eò quòd. Dictio (hequeb) inuenitur etiam significare mercedem, & posset verti.

Merces videlicet hæc, erit tibi, quòd obedierit, vel, *audierit Abraham vocem meam,* id est, obtemperauerit his, quæ ad eum locutus sum.

Et custodierit custodiam meam.
In regulis, post hebraissmos, explicui discrimen inter nomina hæc: ibi vide. Et aduerte, quod ex hoc loco voluerunt multi ex Iudæis colligere omnia legalia, a patribus ante datam legem fuisse seruata: sed mihi videtur multa eos non seruasse, licet vtraque opinionum probabilia sit, vt iam aliàs diximus. Et apparet hinc haberi, fuisse præcepta aliquot scripta ante datam legem: quoniam (chocq) videtur significare præceptum scriptum. sed quia etiam limitationem significat, aut præceptum quatenus limitat, & coerceet hominem, nõ omnino vrget litera, vt hoc credamus.

Soror mea ipsa, didicerat hoc à patre. Noluit tamen vxorem ad mendacium instruere: quia nouerat mattẽ, ob hoc redarguram à Rege Abimelech.

Bona aspectu, id est, pulchra ipsa.

Per fenestram. Hebraicè est, in vsque ad fenestram, sed sensus redditus est. Et aduerte, quod (chel) nõ propriè fenestram significat, sed aut fissuram, aut foramẽ: a (chalal) quod est scindere, aut perforare, quod nostri occidere vertunt.

Ludentem cum Ribcah. Diximus abundè de significatione huius verbi (sachach) id est, ludere supra capite. 21. quod scilicet, significet ludere, illudere, & deridere.

Verè ecce vxor tua est. Incerta est (vt diximus) significatio aduerbij (ach) ideò aliquando interpretes vertunt, verè: nonnunquam tantum, quandoque prosectò.

Quid hoc fecisti nobis? scilicet, malum. Reputabant antiqui maximum malum adulterium, quod Christiani, pro nihilo ducunt.

Sicut parum, aut *quasi parum: coiuit vnus populi, cum vxore tua,* id est, parum abfuit, aut pro paruo reputasset vnus de populo, cum vxore tua coire: audiens eam sororem.

Induxisses super nos delictum.
Non plenè cõstat, quid propriè significet (assam) quod nostri, & Hebræi delinquere vertunt. Quantum autem ex coniecturis nosse datur, videtur significare ignoranter peccare, aut solitarie, vel occultè: quod coniector ex eo, quod dicitur Psal. 69. vbi dicitur. (Veassmothai) id est, delicta mea à te non sunt abscondita: ac si dicat. Non solùm peccata mea, quæ sciens, & volens operor, cognouisti, sed etiam, quæ peccata esse ignoro, aut solitarius feci nota sunt tibi. Et locus iste hoc probare videtur.

Et induxisses super nos delictum, id est, graue peccatum, ex ignorantia tamen commissum. Quia etiam (assam) non solùm delictum, sed & delicti pœnam significat: posset hic verti. Induxisses super nos delictum, id est, pœnam delicti, & videtur germanior sensus. Coniectura verò, quod significet occultè, aut solitarie peccare, est, quod verbum Hosæ sexto, & decimo, & Isaiæ vigesimoquarto, & Ezechielis sexto, & multis aliis locis significate videtur desolare. Et iuxta hanc significationem, verterndum esset hic. Et induxisses super nos desolationem, id est, fuisset causa, quòd terra desolaretur propter hoc peccatum.

Centum modios. Dixi de significatione verbi (scaár,) & nominis ab eo deriuati (scaar) supra capite vigesimosecundo, super illud. Possidebit semen tuum portam inimicorum suorum. Et dictio ignotæ significationis est, & videtur à porta originem trahere: fortè mensura erat aperta, ad modum portæ, vel formam portæ habens.

Clauserant eos. Philistiim, & impleuerunt puluere.
Explicat secunda sententia priorem: secũdum morem scripturæ.

Et fixit, scilicet, tentoria sua in torrente Gerar.
Licet nostri ferè omnes verterint hic. Et mansit, verbum tamen proprie figere tentorium significat: siue ad habitandum, siue castrametando: dum quis vrbem obsidet. Quod autem figere tentoria propriè significet, duæ sunt coniecturæ. Altera, quia nomen (chanit) lanceam significat, sic à figendo dictam. Altera, quod hæc significatio omnibus ferè locis, quibus verbum ponitur, quadrat: vt patet Isaiæ vigesimonono, vbi dicitur. (Veariel) ciuitas in qua fixit Dauid, id est, ad quam expugnandam Dauid fixit tentoria. Et hanc interpretationem serua, vt locum Isaiæ germanè intelligas. Sic illud Zachariæ nono, (Vechaniti) id est, Et figam domui meæ ab exercitu, id est, castrametabor, seu tentoria figam, quemadmodum oppugnans vrbem: domui meæ, ab exercitu. Ac si dicat. Defendam domum meam ab exercitu inimicorum figendo tentoria: sicut castrametantur ad vrbem expugnãdam. Eodem modo illud Isaiæ. 29. (Vechaniti) id est, figam, scilicet, tentoria sicut pilam, id est, rotunde super te, id est, tentoria bellatorum figam rotunde, seu in circuitu super te.

Foderunt in torrente. Tunc enim siccus erat.

Puteum aquarum viuentium.
Vocãt Hebræi aquas viuas, quæ fluunt, seu egrediuntur, quoniam se mouent, quod est signum rei viuæ. Aquas verò, quæ se non mouent, neque scaturiunt: vt quæ sunt in lacunis, & aliis congregationibus, mortuas vocant.

Vocauit occupationem, vel, *detentionem:* quoniam occuparunt eum, aut detinuerunt eum. Incerta valdè est significatio verbi (hassach) quod occupare, vel detinere vertimus. Ponit autem Rabbi Dauid in libro radicum discrimen inter (hassach) & (gazal) quoniam (hassach) est nolle reddere, aut restituere rem proximi sui, quæ peruenit ad manus cuiuspiam per depositum, mutuum, vel obligationem, vt est merces mercenarij, quam quis tenetur illi reddere. Sed (gazal) est rapere, vi auferre. Rabbi verò Abraham in commentariis Leuitici sexto, dicit (gazal) esse vi auferre, seu rapere, (hassach) verò occultè accipere. Hieronymus communiter vertit calumniari. Mihi verò magis probatur sententia Rabbi Dauidis, & meo iudicio, aut detinere, aut opprimere significat: ad quod id Isaiæ quinquagesimosecundo, coniectura est, vbi dicit. Et Assur pro nihilo (hassacho) id est, detinuit eum, videlicet populum, seu occupauit: rem tamen nõdum diffinio, quoniam nondum plenè compertam habeo.

Vocauit nomen eius (sitnah) id est, inimicitiam.
Dicunt tam nostri, quam Hebræi (satan) significare odio habere. Sed vt ex locis quibus ponitur appareret, potius videtur significare diuertere: vt ex Psalm. 109. colligitur, vbi dicitur. Hoc opus (scotenai) id est, diuertentis me à Domino, seu declinare facientis me à Domino. Secundo videtur hoc significare: quia (satah,) & (sut) quæ videntur esse eiusdem significationis, significant (Hebræis autoribus) declinare et

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnde vertendum puto. Et vocauit nomen eius (sitnah) id est, declinationem aut diuerticulum. quia diuertebant puteum à Domino suo, ad se. Si autem aduersatum significet, tunc vertendum est. Vocauit illum aduersionem, quoniam illi aduersati sunt propter illum.

Transtulit se inde. Etiam verbi (hatach) id est, transtulit, significatio propria ignota est: tribuūt enim illi omnes istas significationes Hebræi, scilicet senescere, veterascere, crassescere, remouere, eradicare, & transferre. Sed re vera propriè significat, aut elongare, aut extendere: & hoc significare hic videtur, vnde locus sic reddendus est. Extendit se, aut elongauit inde, scilicet tabernacula sua: vt dissensiones fugeret. Dixi de hoc verbo supra capite duodecimo, nondum tamen significatio propria mihi cognita plenè est: nisi quod mihi, vt dixi, videtur significare eradicare, & extendere. Neque deest coniectura ad hoc, illud scilicet Danielis septimo (Veatich) id est, & longus, seu extensus dierum sedit. Illud etiam Iob. 21. ad hoc esse videtur, vbi dicitur. Cur impij viuent, atechu, id est, elongauerunt, seu extenderunt, scilicet annos vitæ, aut se ipsos multa prole. Neque obest illud Psalm. 8. (vatechal) (quod nostri vertunt veteraui inter omnes inimicos meos) quod melius vertendum puto. Extendit se, aut elongauit se, scilicet oculus. Nam propter nimium fletum distenduntur oculi. Illud etiam Prouerbiorum. 25. quod nostri vertunt. Istæ sunt parabolæ, quas (heetichu) id id, transtulerunt viri (chizkiiahu) seu Ezechiæ. Melius vertas, quas extenderunt viri Ezechiæ, aut scribendo, aut diuulgando. Quod enim euulgatur, extenditur in vulgus, vnde verti posset, quas euulgarunt viri Ezechiæ. Verte ergo hic. Et elongauit se inde.

Vocauit eum Rechoboth, id est, dilatationes, seu latitudines: fortè propter abundantiam aquæ: aut quod latius viueret ibi: vt statim explicat. Dilatauerat enim Dominus substantiam eius.

Et fructificauimus in terra.
Sic potius vertè, quam & creuimus. Nam plantæ cùm dilatantur, & extenduntur, fructificant.

Iuramentum (beer sebba) id est, puteo septem, aut iuramenti: de quo dictum est supra. 21.

Vocauit in nomine Domini, id est, inuocauit nomen domini, dum scilicet offerret, quemadmodum patrem fecisse viderat.

Erit nunc iuramentum. Melius execratio inter nos, inter nos inquam, & inter te, scilicet frangenti iuramentum.

Emisimus te in pace. Melius in integritate: non lædendo, scilicet te in aliquo, quia dictio (talom) integritatem potius, quam pacem significat.

Fecit eis conuiuium.
Hebraicè, bibale, (si liceat mihi nunc sic explicandi gratia latinis loqui)

Et leuauites se mane. Verbum (sacam) Hebræis est mane surgere. Sed quia additur illi (bocher) id est, mane, videtur potius significare leuare se, aut surgere.

Super causam patei. Dixi superius ignotam omninò esse Hebræis propriam significationē, odod, quod vertimus causam, neque est coniectura, quam sciam, ad eam inueniendam, interim vtar communi.

Vocauit illum sibbhah, id est, iuramentum, propter iusiurandum, quod ibi fuerat inter eos. Verbum enim saba, iurare significat in, niphal. Sebba, verò, septem. propter quod ciuitas vocata est puteus iuramenti, vsque in diem hanc, scilicet à puteo.

Fuerunt amaritudo spiritus Isaac, & Rebecah, id est, amarum fecerunt spiritum eorum.

CAPITIS. XXVI. AD MORES.

Fit fames in terra, præter famem: quæ fuerat sub Abrahæ. Non est ergo mirandum, si terram, vbi iusti morantur: Deus fame premat, & aliis flagellis: postquam eam in qua sanctus Abrahā, & iustus Isaac agebant, sic afflixit. Vbi etiam illud valdè notandum est, non murmurasse Isaac, sicut neq; Abraham, quòd cùm essent sancti, & iusti: cogerentur extra propriam terram mendicare.

Perrexit Isaac ad Regem.
Docentur hic Reges auxilio esse peregrinis, & extraneis, vbi etiam considera, quàm æquo animo iusti Dei flagella sustineant. Non est Isaac deum suum precatus pro depellenda fame, sed regnum hominis idolatræ, quo pasceretur, intrauit.

Ne descendas in Ægyptum.
Timet Deus suis loca amœna, & abundantiam, quoniam nouit homines, etiam iustos, facilè amœnitate loci delectari. Erat enim terra Ægypti fertilis, & quæ sua abundantia, & copia facilè posset allicere Isaac: ideò noluit eum illuc descendere. Est etiam huius rei alia ratio, quoniā nolebat eum petere possessionem, concessæ sibi terræ.

Ero tecum, & benedicam tibi.
Vnde homini sit copia, & rerum abundantia pulchrè docet locus iste, quod scilicet ex præsentia Dei. Deuterono. trigesimoprimo habes. Irascetur furor meus contra eum in die ipsa, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eis, & erit in consumptionem, & inuenient eum multa mala, & angustiæ, & dicent in die illa. Nónne, quia nō est Deus meus in medio mei, inuenerunt me mala hæc? Nam quemadmodum mala nobis occurrunt ex absentia Dei: ita bona ex eius præsentia eueniunt.

Stare faciam iuramentum. Quandiu in nobis manet iustitia, permanet Dominus in pacto & iuramento: & tam misericors est, vt etiam fidefragis pacta teneat.

Eò quòd obediuerit Abraham voci meæ.
Ecce quid valeat filiis patrum iustitia. Et quod sequitur.

Custodierit custodiam meam.
Ostendit iustum non solùm in certis obedire Deo, sed in omnibus, quoniam qui in vno offenderit: factus est omnium reus.

Interrogauerunt de vxore sua. Vtinam tanti Christianis esset adulterium, quanti Ethnicis. In hoc tamen erabant, quòd plus detestabantur illud, quàm homicidium. Similiter expendenda est cōtinentia sanctorum patrum, qui tam facilè permittebant vxores, cum aliis consortium habere.

Aspexit Abimelech per fenestram, & vidit eum ludentem cum Rebecah.
Debent Reges explorare gesta suorum: maximè cùm suspicantur eos metu, veritatē tacere. Sic Salomonem Prouerbiorum septimo, fuisse legimus, qui de fenestra vidit iuuenem corde deficientem. Docentur etiam coniugati honestè, & in abscondito vxores suas tractare.

Quid hoc fecisti nobis? Arguendi meritò sunt, qui aliis prębent occasionem peccandi.

Venire fecisses super nos delictum. Nouerat iste Deum castigare grauia peccata: maximè quæ aduersus peregrinos committuntur. Similiter docemur prohibere peccata, & abstinere ab iis etiam, quæ ignorantia committuntur.

Præcepit Abimelech populo suo.
Tenentur Reges prohibere iniurias omnium, maximè peregrinorum. Neque quacunque pœna, sed maxima.

Inuenit centum modios. Quid prosit æquo animo inopiam ferre, ostendit locus iste, quia enim Isaac tam libenter paupertatem tulit, benedixit illi Deus, & multiplicauit illum.

Creuit pergendo, & crescendo. Optimum consilium fuerit, non subito crescere, sed paulatim, ne alios vicinos, ad inuidiam prouocare videaris, quemadmodum Deum ipsum seruare hic vides. Si enim istum, qui successu temporis auctus est, rex terræ ferre nequiuit, quomodo eum tulisset: si se subitò ab eo vidisset in bonis superatum?

Abi à nobis. Vides hic, quæ mala pariat inuidia, & qualiter inuidus ferre nequit alium meliorem, aut ditiorem. Hoc enim malum inter cætera inuidia habet: vt omnes, quos occupat, minimos inter cæteros æstimare se faciat. Quare Iob dicebat, inuidiam paruulum occidisse. Iob 5. Erat Rex, iste Abimelech: & tamen tam pusilli animi fuit: vt seruo inuideret, & à se expulerit. Similiter docentur Rectores expellere potentes: maxime si timent eos rebellaturos, aut rem publicam simultatibus turbaturos.

Vocauit puteos nominibus, quibus pater vocauerat.
Vix filium inuenias qui permittat, quæ pater instituit permanere: omnia volunt mutare, vt se patribus sapientiores esse ostendant. Similiter aduerte, in quàm minimis rebus inuidus vindictam exerceat, in obturādis, scilicet, puteis, & qualiter Dominus meliora semper tribuit eis, qui iuribus suis cedunt, vt pacem faueant. Nam, quia obturarunt puteos mortuæ aquæ, concessit Deus puteum aquæ viuæ.

Elongauit se inde. Fugiendæ sunt contentiones: quoniam laus est homini, qui se separat à contentionibus.

Dilatare fecit Dominus nos. Omnem bonum successum, iusti in Deum reducere solēt: malum verò in peccata sua, aut suorum.

Propter Abraham seruum meum. Omnia illi tribuit, Abrahæ intuitu, vt videas quid valeat apud eum iustum esse, & quid valeat iustus suis.

Ædificauit ibi altare. Quoties ac Deus beneficio visitat, toties redire illud in eum facias, gratiarū actione.

Abimelech perrexit ad eum. Coguntur inimici, iustos timere, & eis reconciliari.

Videndo vidimus, Deum esse tecum.
Qui Deum secum habet, neminem timet: & ab omnibus timetur.

Fecit eis conuiuium. Hoc proprium sanctorum est, scilicet, pro malis bona reddere: quod statim Dominus illi soluisse videtur, dando nouam aquam.

Amaritudo fuerunt. Raro nurus cum socru conuenit, maximè si sint diuersorum morum. Tales etiam filij debent vxores accipere, quæ matribus non sint amaritudini.

CAP. XXVII. ADNOTATIONES iuxta literam.

Et caligassent oculi eius. Verbum (eahah) quod nostri hic caligare vertunt, videtur potius significare restringere, quæ est vna ex significationibus, quas verbo Hebræi tribuunt, quod dicunt significare rugare, restringere, debilitare, remittere, seu remissum esse. Deuteronomi. 34. dicit textus de Moseh, quòd non (chahatah) id est, restrinxit se oculus eius, quemadmodum in senibus restringi solet. Sic primo Samuelis tertio, dicit textus de Heli sacerdote. Et non (chihah) id est, restrinxit, vel prohibuit eos, scilicet, filios. Illud autem Isaiæ quadragesimosecundo, quod nostri vertunt. Et lignum (cheah) id est, fumigans non extinguet. Melius vertas. Et lignum restrictum, id est, in quo restrictus est ignis, ne scilicet totum combureret, aut prohibitum non extinguet, quod alij exponunt ferè extinctum. Propria tamen significatio nondum mihi plenè nota est.

Pharetram & arcum. Verbum (talah) significat suspendere: inde (theli) id est, pharetra à suspensione sic dicta: nam ad collum suspendunt eam sagittarij. Paraphrastes Chaldæus gladium vertit.

Fac mihi cibos. Verbum (taham) significat gustare, sapidum esse, neque solùm ad cibos, sed ad verba hominum refertur. Nos vsque hodie vocamus sapidos homines, qui in sermone sunt suaues, dulces, & grati. Primo Samuelis. 14. Et non (taham) id est, gustauit omnis populus panem. Inde (taham) id est, gustus, & ex consequenti cibus, non quicunque, sed qui gustui sit suauis. similiter sapor. Numeri. 11. Et erat (thamo) id est, sapor, aut gustus eius, scilicet, manę. Quod etiam verba grata, & ex sapientia prolata vocentur gustus, seu sapores, cōstat Iob. 12. vbi dicitur (Veteham) id est, saporem, vel gustum senum tollet, & per gustum, seu saporem senum, intelligit sermonem sapientiæ, seu in sapientia prolatum: qualis est sermo seniorum.

Benedicam coram Domino, vel *ante Dominum,* id est, Domino præsente, & approbante benedictionem meam.

Secundum quod præcipio tibi, id est, sicut præcipio, vt in nullo declines à mandato meo.

Vt benedicat tibi. In Hebræo est. Propter quod benedicet tibi: sed sensus idem est.

Ero in oculis eius sicut errare, aut declinare faciens, scilicet, eum, vt cùm velit fratrem benedicere, faciam eum errore benedicere mihi: aut ero in oculis eius veluti decipiens: arbitrabitur me deceptorem suum.

Inducat super me maledictionem.
Aut despectionem: quia cum volui despicere, aut contemptum: quo volui eum contemnere, super caput meum inducet, vel contemnet me, seu cōtemptibilem faciet loco benedictionis, vel mala pro bonis imprecabitur mihi, & videtur sensus simplicior.

Super me maledictio tua, aut despectio tua, id est, *pœna contemptus tui fili mi,* scilicet sit.

Pelles hoedorum. Est dictio (oroth) id est, pelles ab (vr) quod est nudare: quòd videlicet denudetur animal, vt illa extrahatur, quæ est vellis eius.

Super molliciem colli eius.
Dictio (sauar) id est, collum à sur, quod est stringere ortum habet, quod sit strictum comparatione capitis, & corporis.

Quid hoc, subaudi est? sequitur.

Festinasti ad inueniendum fili mi. Ac si diceret. Mirum valdè est, quòd sic festinaueris ad inueniendum, aut quid sic festinasti ad inueniendum?

An tu es. Hebraicè. An tu iste, aut tu ipse, scilicet, filius meus Esau.

An non, vel *si non? Vox, vox Iacob,* subaudi est, *& manus, manus Esau. Et non cognouit eum.*
Verbum (nachar) non est plenè notum Hebræis: cui assignant varias, & contrarias significationes, scilicet, agnoscere, alienare se, ostendere, dissimulare, præ se ferre, claudere, & tradere: ita quod prout textus exigit, nouam inueniunt significationem. Rectè autem consideranti apparet, solùm significare claudere, occultare, & cognoscere. Videtur enim esse de numero verborum, quæ contrarias habent significationes. Omnes autem aliæ facilè reducuntur ad istas. Vnde illud primi Samuelis 23. quod nostri vertunt. Et dixit Saul (Nichar) id est, tradidit eum Dominus in manu mea: melius vertas, clausit illum Dominus in manu mea, vt scilicet non possit fugere, quemadmodum res manu clausa. Similiter Iob. 34. Non (nichar) id est, occultus est, aut clausus diues ante pauperem: ac si dicat, notus est. Hic videtur significare cognoscere, & bene vertitur, non cognouit eum.

Tu ipse filius meus Esau? subaudi es.

Appropinquare fac mihi. s. cibos, & comedam. Appropinqua nunc, & osculare me. Verbum (nasach) duo dicitur significare Hebræis, scilicet, osculari, & armare, & ad secundam significationem pro exemplis citant illud Psal. 78. Filij Ephraim (nosseche) id est, armati iacientes arcu. Sed meo iudicio vnica est verbi significatio, scilicet, coniungere se, aut coniunctum esse: & citata loca sic reddenda existimo. Filij Ephraim coniuncti, iacientes arcu, aut coniungentes, scilicet, sagittas in fasciculis & iacientes arcum. Sic illud primi paralipome. 12. (Nosseche) id est, coniungentes arcu, scilicet sagittam. Est ad hanc significationem probandam illud Ezechielis. 3. Sonitus alarum animalium (massichoth) id est, pectingentium, aut osculantium mulierem sororem suam: sed rem non certò diffinio, quoniam coniecturis agor.

Vide odorem filij mei. Phrasis linguæ est, ac si dicat. Cōsidera odorem filij mei, & ponitur, vide, pro olfac.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est enim (vt diximus in regulis) phrasis linguæ, quod est vnus sensus, alteri tribuere. Et quod sequitur.

Cui benedixit Dominus, id est, quem fructificare fecit in copia.

De rore cœli, aut pinguedine terræ. Nam verbum (talal) à quo (tal) id est, ros, significat tegere, & quia ros, cùm descendit, terram tegit: ideo rorem significare videtur, & si (tal) rorem significat, verbum (talal) significabit qualitercunque operire. Vnde (tala) significat punctatum, seu punctis roris respersum: quod nos, nostro idiomate dicimus Camarinhado.

Et pinguedines terræ. A (scemen) quod est oleum dirivatur (misman) id est, pinguedo. Et sicut oleum videtur esse pinguedo terræ, ita & ros pinguedo cœli. Et est sensus. Det tibi Deus de cœlo ea, quæ pinguedinem causant: sicut est ros, pluuia & cætera: & similiter solum pingue, aut fructus terræ pingues. Dicit autem de rore potius, quàm de pluuia, quia ros minus nocet terræ nascentibus, & magis nutrit ea.

Multitudinem frumenti, & musti. Est explicatio illius, quod dixerat, de pinguedinibus terræ, quæ sunt frumentum, & mustum.

Seruiant tibi populi, & incuruent se tibi populi, aut familiæ.

Arbitror enim (laâm) non esse radicem, sed radicem esse (amám) aut (em) .i. mater, & (lamed) esse literam addititiam, sed de hac re non disceptabo.

Esto Dominus, aut, *prævalens fratribus tuis.*

Verbum enim, gabar, potius prævalere, quàm dominari significat. Hoc impletum est tempore Dauidis: quando Edomæa illi seruire compulsa est.

Maledicens tibi, sit maledictus.

Dictio (arar) videtur potius significare contrahere, quàm maledicere: vt diximus. Nam, arah, quod apparet esse, eiusdem significationis, significat contrahere, colligi. Sicut enim Hebræi vocant benedictum eum: qui bonis abundat: ita maledictum eum: qui in bonis est contractus, neque crescit.

Et fuit, tantum egressus est, id est, tantum fuit spatium egrediendi ipsi Iaácob, cùm intrauit Esau.

Expauit liscae. Verbum (charad) potius commoueri, & solicitari significat, quàm expauescere. Nam Hosseh, 11. habetur. (Iecherdu) id est, mouebunt se sicut auis ex Ægypto. Vnde hic verti posset. Et commotus est (liscae) commotione magna valdè.

Quis: Vbi ille? id est, quis est? & vbi est ille, qui venatus est venationem? Aut, *quis etiam. Ille qui, scilicet, venatus est? Etiam benedictus erit?* Non enim licebat huiusmodi benedictiones retractare, quia coram domino, & ab eo fiebant, aut quia sibi reuelatum à Domino fuerat, non esse retractandam.

Benedic me. Etiam ego, subaudi, *filius tuus sum.*

Aut. Etiam ego sto coram te, aut etiam ego feci, quæ præcepisti mihi.

Venit frater tuus dolose, seu in dolo.

Non plenè constat de significatione verbi, ramah, à quo, mirmah, id est, fraus, dolus. Et si omnia hæc sunt à radice, (rum) quod est eleuare, significabunt etiam leuare, aut eleuare, vt proiicias. Vnde Hebræi dicunt significare proiicere, sed non est certa significatio, nec ex aliqua coniectura potui significationem propriam venerari.

Num, aut, *nónne quia vocauit nomen eius Iaacob?* scilicet, fecit hoc. Ac si dicat. Nónne hoc ideò fecit, quia imponens illi nomen, vocauit, scilicet, eum Iaacob?

Et supplantauit me iste duabus vicibus, aut dolosè mecum egit.

Nunquid non reseruasti mihi? Verbum videtur potius significare separare, quã reseruare: licet quasi eadem sit vtraq; significatio. Nume. 11. (Vaiasel) id est, separauit de spiritu, qui erat in Moseh.

Ecce præcalidum posui illum tibi, id est, fortiorem, robustiorem.

Et omnes fratres eius, dedi illi in seruos.

Per fratres videtur consanguineos intelligere, & præcipuè Edomæos.

Frumento, & musto sustentaui eum, aut stabilui eum.

Sensus est. Dedi ei frumentum, & vinum, in copia, vt sustentarem eum. Et aduerte varias significationes Hebræos, & nostros tribuere verbo (samach) scilicet, inniti, iungere, imponere, appropinquare, circuire, circundare, stabilire, fulcire, confirmare. Cùm, re vera, solùm significet sustentare, quod patet ex locis: vbi illi vertunt coniungere, & secundum alia significata, quibus melius quadrat sustentare: vt patet Deuteron. 34. Iosuah repletus est spiritu sapientiæ, quoniam (samach) id est, sustentauit Moseh manus suas super eum id est, imposuit manus super caput eius, quo videntur sustentatæ. Sic Ezechielis. 24. (Samach) id est, fulcisti Rex Babel, scilicet, exercitum suum ad Ierusalem, id est cõtra Ierusalem. Exodi etiam. 29. (Vesamechu) id est, sustentabunt Aharon, & filij eius manus suas super caput arietis, modo prædicto: vbi nostri vertunt, coniungent.

Et tibi nunc quid faciam? Dictio (epho) quam antea verterunt interprètes vbi, nunc vertunt nũc. Quoniam vt sæpius admonui, incerta est propria significatio harum partium. Posset tamen verti. Et tibi etiam quid faciam fili mi?

Benedic mihi. Etiam ego pater mi, scilicet, filius tuus sum.

Etiam pinguedines terræ, id est, terra pinguis erit habitatio tua.

Et de rore cœli desuper, scilicet erit tibi copia fructuũ.

Super gladium tuum vives, id est, eris vir bellicosus, aut terram gladio acquires, vt viuas.

Erit, quando extendes te.

Dicunt tam nostri, quàm Hebræi verbum (rud) significare dominari, conqueri, plangere, & migrare: cùm, meo iudicio, significet solum extendere se: sicut radad, &, radah, quæ videntur esse eiusdem significationis, vt sæpius admonuimus. Sed tu aduerte, quòd significat extendere se, siue dominando, siue quocunque alio modo. Vnde illud Hosæ. 12. interpretandum est. Et, Iehudah, adhuc, rad, id est, dominatur cum deo suo, id est, sub eius dominio est. Et Iere. 2. Cur dixerunt populus meus, radenu, id est, dominamur. Non nos tractas vt filios, sed vt seruos. Vnde locus iste sic venit reddendus. Et erit quum extenderis, scilicet te, id est, multiplicatus fueris, aut cùm extenderis dominium tuum.

Et franges iugum eius. Etiam significatio verbi (parac) varia est Hebræis, scilicet, frangere, diuidere, & seruare: sed, vt videtur, significat excutere, aut frangere, seu discerpere, quæ significatio congruit omnibus locis: maximè huic, & Psalm. 7. Ne fortè rapiat vt leo animam meam, perec, id est, excutiat, & non sit qui eripiat. Sic Threno. quinto. Serui dominati sunt nobis, porec, id est, excutiens, nõ est de manu eorum. Non tamen prohibeo, si vertas franges, aut discerpes. Videtur enim verbum significare accipere, seu rapere confringendo illud, quod rapitur. Et nomen, hol, id est, iugum, est ab, halal, quod est facere inclinare, seu curuare, quod scilicet iugum faciat curuare, quod sub se premit.

Consolatur se de te. Hebraicè consolatur se tibi: sed sensus redditus est.

Et fuge, aut. *Et transi tibi (charanah)* .i. in Syriam.

Diebus vnis, id est, ad aliquot dies. Hanc nos loquendi phrasim habemus. (Estaras lá hũs dias,) id est, ad aliquot dies ibi manebis.

Quousque reuertatur, aut calor fratris tui.

Et videtur melius calorem, quàm iram vertere: tum quia, chamath, videtur à, iacham, deriuari, quod est calescere, seu caluit: tum quia infra sequitur, & auertatur, aph, id est, ira fratris tui.

Quare priuabor duobus vobis die vna?

Quia forsitan mutuo occidetis vos, aut lictor, occidentem occidet.

Defeci, aut finiui me in vita mea: à facie filiarum Cheth, id est, viuens morior. Vbi aduerte varias significationes Hebræos, & nostros signare verbo (chasas) sed meo iudicio,

iudicio, verbum à fine ortum habet, vnde (chaseh) id est, finis extremitas. Hebræi dicunt significare succidere, quod non prohibeo: quoniam quod succiditur, finiri videtur, & præcisio finem facit rei præcisæ. Vnde dicendum, verbum proprie significare præcidere, & ex consequenti finire, seu finem facere: quia quod præciditur, vt diximus, finitur. Verte ergo. Succisa sum in vita mea. Et dicit propter filias Cheth, id est, nurus, quæ erant ex filiabus Cheth Chenanæorum.

Sicut ista, quæ scilicet sunt vxores Esau: ad quid vita mihi?

CAP. XXVII. AD MORES componendos.

VT *non videret.* Vt quid quæso Domine seruum tuum excæcare voluisti? Quia senex ægrè ferret minorem maiori præferri: voluit eum prius excæcare. Miris modis deus disponit res suas, & nostras, quoniam disposuerat Iacob furari benedictionẽ Esau, ne pater hoc deprehenderet, voluit eum prius excæcare. Neque Deus illos semper præfert, quos præfert homo.

Vocauit Esau filium suum.

Habent parentes idola sua quæ colant, nempe filios, & vt plurimum, quos pater diligit, mater odit, & vice versa: sicut & hic vides: quorum amicitia sæpe in vtilitate fundata est, non in virtute. Audis etiam hic qualiter parentes magis solicitantur pro filiis ditandis, quàm filij ipsi.

Vides, quod senui, & mortis diem ignorem.

Ecce de quibus solicitantur parentes in hora mortis. Nam qui deberent aliena restituere, propria pauperibus largiri, solum de ditandis filiis cogitant. Non sic Christus, sed sciens horam suã venisse, vt ex hoc mundo transiret ad patrem, iter mortis dilectione suorum præuenit, & cum, quod relinqueret eis melius non haberet, reliquit mutuam dilectionem.

Fac mihi cibos, quemadmodum dilexi.

Admonui supra, amorem etiam inter parentes & filios, muneribus conseruari. Similiter instruuntur filij, parentes huiusmodi cibis nutrire, si ab eis præ aliis, cupiunt hæreditari. Voluit tamẽ Dominus, gulam viam esse ad promissiones suas.

Et Rebecah audiebat. Docentur coniugati secreta sua, etiam ab ea, quæ in sinu suo dormit, occultare: quoniam inimici hominis domestici eius. Neque timet mater maritum offendere: propter filium, quem immodicè diligit. Vbi etiam nos instruit sancta fœmina, magis Deo obtemperãdum esse, quàm hominibus: etiam si mariti sint, & pro nihilo reputare, maritum offendere, vt Deo obedias.

Et nunc fili mi, obedi voci meæ. Admonentur optimè hic filij, obedire superioribus, non solum cùm quę præcipiuntur dura sunt, sed etiam cùm prima fronte peccata esse videntur: præsertim cum superiores suos, viros timoratos nouerunt.

Quemadmodum dilexit. Non esse malum, ostendit locus iste, si vxor sciat cibos, quos diligit vir suus, & si vt vult, illi parare curet.

Frater meus est vir pilosus.

Non debent ægrè ferre prælati, cùm præcipiunt, quæ aduersari Dei legibus, & superiorum mandatis videntur: si subditi illis obiectent, quod eis videtur, sed debent eos instruere, vt sciant non ita esse, vt existimant.

Venire faciam super me maledictionem.

Timenda valde est paretum indignatio, & maledictio: sed cum sine causa ira afficiuntur, non est curandum.

Super me sit maledictio tua.

Potissimum signũ dilectionis est, pro amico mala grauia perpeti. Amicos inuenies qui tibi bona conferant, sed paucissimos, qui tui gratia mala grauia ferant. Vbi similiter docemur, quàm tenax propositi sit fœmina: vt nihil mali vereatur, modo faciat quod concupiscit.

Accepit vestes Esau, & pellicidat.

Mirabilis artifex simulationum fœmina: neque solum verbo, sed facto nouit optimè mendacia componere.

Festinasti vt inuenires.

Instruit locus iste subditos, quanta diligentia prælatorum debeant curare commissa sibi negotia. Similiter laudandos esse de diligentia in negotio ministros, vt diligentiores fiant.

Occurrere fecit mihi Dominus Deus tuus.

Hoc bonum iusti habent, vt nihil sibi, aut meritis suis, sed superiorum tribuant: quemadmodum seruus Abrahæ superius fecit: qui omnem bonum successum suum in Deum, & merita Domini sui iactare curabat.

Appropinqua, & palpabo te.

Adhibenda diligentia est, ne decipiaris: quoniam voluntaria ignorantia peccatorem non excusat à peccato.

Vox, vox Iacob. Ostendit locus iste tactum faciliùs decipi, quàm auditum.

Odoratus est odorem vestimentorum eius.

Sumebant prophetæ ex quibuscunque rebus, prophetandi occasionem: sicut Achias Silonites ex vestimẽto nouo Ieroboam. Heliseus ex oleo. Helias in hydria farinæ, & lechito olei.

Sicut odorem agri: cui benedixit Deus.

Solent sancti non solùm magna, sed etiam parua in Deum referre. Non extulit agri fructum, sed odorem.

Det tibi Deus de rore cœli.

Non solum spiritualia dona à Domino speranda sunt, sed etiam copia temporalium.

Esto Dominus fratribus tuis.

Non debent fratres ægrè ferre seruire illi, etiam si minimus sit: quem Deus illis præfecit: quemadmodum in fratribus Ioseh nouimus. Vbi etiam aduerte, omnia seruite seruis Dei, præcipuè. 3. scilicet terræ, cœtia, homines, & consanguineos: quod maximum est, cum videantur æquales.

Maledicentes tibi, maledicti erunt.

Caue, ne vnquam velis maledicere iustum, aut eum, quem noueris Deum benedixisse: quoniam qui iuste maledicunt à Deo maledicuntur. Quomodo (ait Bilham) maledicam cui benedixit Dominus.

Surgat pater meus, & comedat, vt benedicat mihi anima tua.

Audis hic, quanti faciebant quondam filij, parentum benedictionem, similiter benedictionem non nisi certis modis, & gestibus dari consueuisse. Sic, & de Iaacob legimus super lectum sedisse, cùm filius benedicere voluisset: vt capit. 49.

Benedixi ei, & erit benedictus.

Non sunt reuocanda, quę Dei ordinatione fieri digno scuntur, sed firmãda. Nouerat siquidem Isaac, non esse tanto animo Iaacob, vt sine numine instructus, voluisset eum decipere, & fratris benedictionem vsurpare: ideo rem penitius considerans, confirmauit benedictionem.

A maritudine affectus est.

Et si Deum, vt nobis reconcilietur, facilè lachrymis mutare possimus, nõ tamen lachrymis nostris consuevit æternas dispositiones dissipare, aut inuertere.

Supplantauit me duabus vicibus.

Solent nomina rebus nonnunquam conuenire, sed elaborandum est, vt nõ sis malus, licet malum nomen habere contingat. Similiter docet locus iste, non esse iteranda peccata: quoniam nouis, vetera in memoriam reducuntur. Similiter licet ex ante actis suspicari sequentia. *Tibi nunc quid faciam?*

Docentur hic parentes, & superiores non prodigere bona, quæ in multos diuidenda essent, sed aliis distribuenda reponere. Solandos etiam esse tristes compassione vicis suæ. *Eleuauit vocem, & flevit.*

Ecce quid valeant lachrymæ & importunæ precationes, vt nonam benedictionem prodire ex dura voluntate faciant.

Gladio tuo vives, & fratri seruies. Laboriosa res est, gladio viuere, sed valde durior, & laboriosior fratribus tuis, quibus æqualis eras, seruire.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Odio habuit fratrem, & sese illum occisurum, post patris obitum dixit.

Duo hic aduerte. Alterum, quantum interest filios patrem habere superstitem, vt Esau patrem senem, cæcum, & maneum, metuerit, neque audeat eo viuente, fratrem occidere. Alterum, quæ mala sequantur odiū. Nam prius odiuit fratrem, postea ad homicidium armabat se: quare protinus odium separandum à corde est, ne ad mala deteriora inducat.

Consolatur se de te, vt occidat te.

Maximum malum est, malis, & peccatis consolari. Sunt nanque multi, qui non peccatis ipsis, sed illorum memoria, & determinatione pascuntur. Videbis lubricos suia imaginatione repræsentantes obscœnos luxuriæ modos: quibus, ita vt rebus ipsis, delectantur. Sic gulosum, & auarum: quod maximè cauendum est. Commune tamen est, iratum vindicta delectari. Vnde apud Esaiam legis. Heu vindicabor de hostibus meis, & consolabor de inimicis meis.

Donec quiescat furor fratris.

Optimum est, vt qui dat consiliū ad malum, det etiam remedium ad illud vitandum. Sunt multi, qui mala consilia aliis præbent, sed cùm te viderint malis affectum, rident, & fugiunt. Docemur etiam hic optimum odij remedium esse, conspectum odientis vitare, quantum possis.

Si acceperit Iaacob vxorem de filiabus Cheth.

Admonui supra. 24. qualiter parentibus elaborādum est, vt bene filios coniungant.

CAP. XXVIII. AD LITERAM.

Benedixit ei. Nouerat iam voluntatis diuinæ esse, quod maior fieret minor: ideo quod ante nesciēs fecerat, voluntarius approbat.

In Padan Aram. Dixi cap. 25. quare vocatur altera pars Syriæ Padan Aram: ibi vide.

Deus Omnipotens. Dixi superius capite. 17. de nomine, scadai, quod nostri vertunt omnipotens: quod non omnipotentem, sed sufficientem, vberemque significet.

Fructificare faciat te, & multiplicet te.

Non vertas, crescere faciat te: quoniā verbum (parah) fructificare significat, & sequens verbum (rabah) significat crescere, seu multiplicare, & est sensus. Det tibi fructum, & in copia.

De tibi benedictionem Abrahæ. quæ descripta est cap. 22. & 15.

Vidit Esau quod malæ essent filiæ Chenaan, id est, quod displicerent patri, & matri.

Occurrit in loco, aut obuium habuit.

Dixi superius capite. 21. verbum (paga) significare inter medium esse, & occurrere, & pro pernoctauit, verte, & mansit ibi.

Et somniauit. Sunt aliquot in scriptura loci, vbi verbum non somniare, sed quiescere, aut pinguescere, vt alij vertūt significare videtur, vt Iob. 39. (Iaclemu) id est, pinguescent filij earum, aut dormient, seu quiescent. Sic Psal. 126: Fuimus, checholemim, id est, sicut somniantes, aut dormientes, vbi septuaginta vertunt consolatio. Non tamen mihi plene nota est significatio, quia video varia significare.

Dominus stabat nixta eam, aut super eam, id est, in parte superiori eius.

Multiplicabo te. Sparget te ad occidentem.

Aliqui ex nostris vertunt. Multiplicaberis, & bene, alij propagaberis. Dicuntque verbum significare dividere, rumpere, diruere, cogere, multiplicare, & transire. Sed si expendas: videbis verbum vbique significare diuidere, & multiplicare. Quod autem istos coegit mutare significationem verbi, fuerūt loci aliquot. quibus non videtur illa significatio quadrare: veluti illud Iob primo. Possessio eius (paras) id est, creuit. Illud etiam Psal. 8. Vt quid (parastha) id est (vt nostri vertunt) ditrui sti macerias eius? Vbi vertendum est. Vt quid macerias eius? Nam cùm maceria, aut murus destruitur, lapides diuiduntur, & illa ex quibus murus conficitur. Ideo Hebraismus destructionem rei, vocat diuisionem, quoniam cum res destruitur: fragmēta ex quibus facta est, diuiduntur: vt patet. 2. Paralipo. 20. cum Dominus dissiparet naues Iosaphat, dicit textus. (Paras) id est, diuisit Dominus opera tua, id est, maceriem operum tuorum diuisisti. Sic ergo hic vertendum est, diuides te, seu multiplicabis te ad occidentem, & cætera.

Benedicentur in te, & in semine tuo.

Hoc capite. 22. expositum est satis: ibi vide.

Quam terribilis, aut, *timendus est locus iste?*

Aut. Quam timendus est locus iste? Aut quare timendus est locus iste? Et respondet.

Quia non hoc aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.

Ac si dicat. Ideo timendus est locus, quia hic est porta cœli, & domus Dei, id est, adest hic præsens Deus. Neque est verum quod quidam hic scribunt, fuisse, scilicet hic postea templum ædificatum: cum locus iste multis milliaribus distet à Ierusalem.

Et leuauit se Iaacob mane.

Sic melius vertas, quàm manicauit.

Posuit illum statuam, aut, *eleuationem.*

Nam verbum (nasa) eleuare significat. Neq; intelligas idolum ex eo fecisse, aut sculpsile, sed nudum, & simplicem lapidem eleuauit, qui fortè erat oblongus, ita vt figi potuisset in terra. Voluit autem ibi signum ponere, propter Dei promissionem ibi factam sibi.

Vocauit nomen loci illius (Bethel) id est, domus Dei: quoniam dixerat, non est aliud hoc nisi domus Dei. Vocauit autem eam domum Dei: quia domus alicuius dicitur, vbi est ostium domus eius, & quia viderat ostium in cœlo apertum, & famulos Dei, scilicet angelos ascendentes, & descendentes: dixit ibidem esse domum Dei.

Lapis iste: quem posuit, erit domus Dei.

Non intelligas hic postea ædificatum templum, sed fuit locus domus Dei Iaacob: quia ibi rediens à Mesopotamia, Domino liruit, & postea sæpius.

Decimando, decimabo illud tibi.

Si quæras, cui tradebat decimas, sunt qui putent Melchisēdech, cui eas antea dederat Abraham. Alij dicunt, & verius videtur, quòd eas Domino in sacrificio offerebat, & partem comedebat secundum morem sacrificantium hostias pacificas, seu integritatis Domino. Posset etiam dici, eum decimas vouisse dandas tempore legis sacerdotibus.

CAP. XXVIII. AD MORVM. compositionem.

Vocauit Isaac Iaacob, & benedixit ei.

Reuocandum docet senex, si quid, Dei voluntatem ignorans, decreuisti: postquam scieueris.

Et mandauit, vt non acciperet vxorem de filiabus Chanaan eorum.

Omnia hæc superius annotauimus, qualiter debeamus voluntatem, & appetitum nostrum diuinæ voluntati subiicere, & benedicere, cui ille benedixit. Similiter, quàm soliciti esse debeant parentes, de coniunctione filiorum, vt scilicet, bonis fœminis eos copulent: quod olim fecerat sanctus Abraham.

Cape vxorem de filiabus Laban.

Docentur parentes, eas vxores (vt diximus) filiis accipere, quarum mores antea nouerint. Nouerat enim Isaac mores Ribchah, & tales existimauit neptes futuras.

Det tibi benedictionem Abrahæ.

Solent parentes filij nō solum suas optare benedictiones, sed maiorum suorum, vnde & Christus. Non dicit iustis. Venite benedicti mei, sed patris mei: de quo me iam dixisse memini. Et ex hoc loco videtur benedictionem Abrahæ, fuisse donationem terræ peregrinationum suarum.

Abiit Esau ad Ismahel. Fecit Esau quantum potuit: vt patri, & matri non displiceret, sed nihil illi profuit: quoniam à Domino fuerat reprobatus. Vbi nos docet aliis spiritualia inuidere, non quòd doleamus fratres ea habere, sed vt nos similia acquiramus.

Somniauit. Discimus hic, quam accommodus sit solitudinis locus, & lecti asperitas ad diuinas locutiones, & visiones.

Angeli Dei ascendebant, & descendebant.

Vigilat super nos indefessus ille diuinæ prouidentiæ oculus, mittens, & remittens ad ministratorios illos spiritus, qui nos custodiant in omnibus viis nostris. Et cauendum est nobis à malis factis, aut verbis: cùm sciamus Deum ad nos incessanter angelos destinare: qui omnia nostra bona, & mala illi renuntient. Et considera, qua auiditate nostras res audiat, qui ad ostium accedit ad nuntios suscipiendos.

Et Dominus stabat super scalam, vt ostenderet neminem ad eum ire posse, nisi ille tenuerit viam eius: scalamque sustentauerit. Vbi simul disce, quam sit periculosa via, & accliuis ascensus.

Ego Dominus Deus Abraham patris tui.

Nouit Dominus hominum instabilitatem, etiam in fide: ideo cum omnibus posteris Abrahæ pactum renouare vult, quod videlicet colant eum solum, & pollicetur se terram peregrinationis daturum. Vbi simul disce, Deum velle homines iure hæreditario, inter alia paterna bona, ipsum in hæreditatē habere: ideo dicit.

Ego Deus Abraham, & Isaac.

Quare etiam tuus esse debeo. Admonet etiam locus iste, homines ad fidem, & cultum vnius Dei, fore promissis alliciendos.

Verè Dominus est in loco isto.

Veneranda, & metuēda valdè sunt loca diuino cultui applicata. Docet etiam locus, quam caute vbique nobis agendum sit: cùm præsentem sciamus vbiq;, quod cùm sciuerimus, metuendum est.

Tulit lapidem, & posuit in statuam.

Docet nos hic sanctus Iaacob testes vocare ad promissiones Dei, qui ad memoriam pollicita deferant, neq; hoc ipsi Deo displicere.

Fudit oleum. Putarem consuetum fuisse illo in tempore, oleum sacrificiis miscere: quemadmodum postea sub lege.

Vocauit nomen loci Bethel.

Optimum est loca quibus nobis Dei beneficia contigere adnotare, vt nobis diuinorum beneficiorum semper admoneant.

Vouit Iaacob votum. Ostendit locus, Deo vota nostra placere, etiam si illorum sint: ad quæ natura tenemur. Vbi simul disce, quid optet sanctus vir, vt scilicet Deus cum eo sit, & custodiat eum in via.

Erit mihi Deus in Deum. Tenebatur Iaacob, quia filius Abrahæ, Deum verum, pro Deo habere: nihilominus hoc vouet, vt nos doceat ad eandem rem posse pluribus vinculis alligari, & quod vota possint ad tēporalia ordinari.

Lapis erit mihi domus Dei, id est, signum, quòd hic sit domus Dei. Debet iustus locum peculiarem habere ad orandum, & sacrificandum.

Decimando decimabo illud tibi.

Antiqua valde est solutio decimarum: de quibus supra. 14. capite.

CAP. XXIX. AD LITERAM annotationes.

Leuauit Iaacob pedes suos.

Hebraismus est, id est post quietem ambulauit: quòd homines ambulare volentes, pedes leuare soleant. Aut surrexit. Nam animal cum surgit: pedes leuare solet. Aut tertio. Maturauit iter seu festinauit.

In terram filiorum orientis.

Vocat Syriam terram orientis: quoniam vtcunq; erat versus orientem euntibus à Palestina, & orientales dicuntur filij orientis, id est, nati in oriēte, aut quia conjuncti orienti, sicut filius aurorę, id est, propinquus aurorę. Isa. 14. quomodo cecidisti de cœlo Lucifer fili aurorę. i. propinq; aurorę, seu lucide. i. ad modū aurorę.

Ecce ibi tres greges ouium.

Dicunt Hebræi, & nostri, verbum (hadar) à quo (hieder) id est, grex, significare deesse, priuare, fodere, disponere, & ordinare, sed meo iudicio, solum ordinare, & ab ordine deficere, seu deordinati significat: quoniam loca, in quibus ipsi vertunt deesse, & priuate, optime exponuntur in hac significatione, vt est illud primi Samuelis. 30. Non (nedar) id est, deordinatus est eis à paruo, vsque ad magnum, id est, non defuit ab ordine, seu acie. Idem Isaiæ. 4. & secundo Samue. 17. Illud etiam Isaiæ. 5. quod nostri vertunt. Non putabitur, & non (iehader) id est, fodietur. Melius retenta significatione vertas ordinabitur. Solent enim fodientes Vineas, terram in monticulis ordinare, seu disponere. Hinc, heder, id est, grex, sic ab ordinatione dictus. Vnde verti posset. Et ecce ibi tres ordines ouiū. Posset etiam dici, significare monticulos, seu paruos aceruos facere: quemadmodum in vinea fiunt, dum foditur, &, heder, congregationem pecudum, quod sit ad modum horum aceruorum, sed primum germanius.

Numquid integritas illi?

Aliqui, salom, pacem vertunt, sed melius integritatem. Vocant autem Hebræi hominem: integrum qui nihil infortunij passus est, aut cui nihil ex accidenti infortunio decst.

Ecce adhuc dies magna, id est, multum dici adhuc superest.

Cum audisset auditum Iaacob, id est, rumorem. Vsurpat enim Hebraismus sæpius pro obiecto potentiam, vt auditum. pro re audita.

Et narrauit Laban omnia verba ista.

Hebraice est. Et numerauit, sed sensus redditus est. Et per verba intelligit omnia, quæ sibi acciderant, & causam: ob quam venerat.

Mansit cum eo per mensem dierum, id est, per dies vnius mensis.

Oculi Leab molles: Nam verbum Achach mollire significat, id est, lippa oculis erat: vnde Psal. 55. dicitur (Rachu) id est, mollita sunt verba eius.

Rachel verò pulchra forma, aut, *figura, et pulchra aspectu.*

Significat verbum, thar, describere. Iosuah. 15. Vnde nomen Thoar, significat deliniationem corporis.

Sicut dies aliquot. Hebraice vni, sed sensus redditus.

Et fuit mane, & ecce ipsa Leah.

Admonui supra primo cap. nomen bocher, id est mane, à, bachar, quod est discernere, ortum habere, quod tunc res discernantur: vt ex hoc loco conuincitur, vbi dicitur, quod facto mane fuit (Leah) id est, discreuit esse Leah.

Quare decepisti me? Melius vertas, quare despexisti me, aut proiecisti me. Verbū, ramah, significat proprie proiicere, & ex consequenti despicere, & despecta proici soleant. Quod autem proicere sit Hebræis idem, quod despicere, patet. 1. regum. 14. vbi Dominus dicit Ieroboam. Proiecisti me post corpus tuum, id est, despexisti me. Quod verò propria significatio sit proiicere, constat ex multis scripturæ locis. Exod. 15. vbi dicitur. Equum & currum eius, ramah, id est, proiecit in mare. Idem Ieremiæ. 4. & Psal. 78. Si tamen despexisti vertas, non damno.

Rachel sterilis. Verbum (Achar) significat eradicare, vnde (echer) radix, &, acharah, id est, eradicata: de quo iam cap. 11. diximus. Vocat enim Hebraismus filios, parentum radices.

Vocauit nomen eius Reuben.

Sonat reuben videte, vel viderunt filium, & ratio nominis subditur. Et pro

Vidit Dominus afflictionem meam. verte humilitatem meam: quia verbum (hanah,) vt sæpe admonuimus, significat solum respondere, & humiliare. Et vocat Hebraismus contemptum, humiliationem.

Vocauit nomen eius Simhon, id est, auditus, vel obedientiam (simah) quod est audire.

Vice hac copulabitur vir meus mihi.

In Hebræo non habetur hac, sed tantum vice, & verbum (lauah) dicunt tam nostri, quā Hebræi significare,

mutua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mutuare, & adherere, sed re vera solum mutuare significat: quoniam quadrat vbi ipsi vertunt adherere, vt Psal. 83. Etiam Assur, niluah, id est mutuauit se illis: vbi nostri vertunt sociatus est illis. Sed prior interpretatio melior videtur, & est sensus, quod illis associatus est Assur hac lege, vt cùm opus fuisset, etiam illi se illis accommodarent. Aut mutuauit se pro mercede: quoniam mutuantibus se aliquid dabatur. Idem Isaiæ. 14. vbi dicitur. (Veniluah) id est, adherebit illi peregrinus: vbi melius vertas mutuabit se illi, scilicet pro mercede, vt diximus. Sic & hic optimè vertas. Vice hac mutuabit se mihi maritus meus. Nō enim poterat virum habere, nisi cùm soror mutuabat illum illi, aut mutuabit se mihi, quasi pro filiorum mercede. Vnde (Leui) idem est, quod mutuatus, aut mutuo acceptus. Et ex hoc videbis, quantum referat expendere propria dictionum significata.

Vice hac confitebor. Melius eleuabo Dominum. Nam, Iadah, est eleuare, hic & multis aliis scripturę locis: vnde, Iehudah, potius eleuationem, quàm confessionem significat: licet laus vocalis nihil aliud esse videatur, quàm eleuatio illius, quem laudas.

Stetit à pariendo, id est cessauit parere.

CAP. XXIX. AD MORVM compositionem.

LEuauit Iazcob pedes suos. Ecce quàm securum, auxilium diuinum hominem reddit, & qualiter eum festinare fecit.

Et vidit, & ecce puteus erat in agro.
Optimum est in rebus, iudicium expectare peregrinorum. Sunt enim aliqui tantum suis moribus & consuetudinibus addicti, vt etiam de errore conuicti, nolint illum emendare. Isti enim pastores, pecora longa expectatione vexabant: cùm tamen facile, seorsum possent adaquare. Venit Iaacob, & docere voluit eos: ipsi verò noluerunt, sed non sic sanctus Moses, qui cùm à socero audiret. Exod. 18. Stulto labore consumeris, emendauit, quod peregrinus admonuit.

Fratres mei vnde estis? Docet nos optima ad extraneos habere verba: non superbire.

Rachel venit cum pecudibus.
Hoc muneris, non solum sancti patres, sed & matres Israël habuerunt, quæ tamen Deo fuerunt gratissimæ. Nunc verò abhominabile est nobis, fœminas oues pascere.

Quando vidit Iaacob Rachel, & pecudes Laban.
Docemur hic curare ea, quæ sunt consanguineorum, quemadmodum nostra, neque solum homines, sed etiam alias eorum res.

Osculatus est Iaacob Rachel.
Ecce quæ simplicitas fuit in hominibus illius temporis. Nunc vero omnia libidinibus ita ardent, vt vix inuenias qui fœminam sincero animo osculetur.

Occurrit in occursum eius. Modo, fratrum gratia rara est.

Habitauit cum eo mensem dierum.
Docet nos hic Laban famulos experiri, saltem ad mensem: antequam eos mercede conducamus.

Numquid quia frater es: seruies mihi gratis?
Nos non solum fratres, sed extraneos volumus nobis gratis seruire. Similiter docemur, de mercede ante obsequium pacisci, ad vitandas lites.

Seruiam tibi septem annos pro Rachel.
Solebant illo tempore viri vxores pretio acquirere: quod & Sarraceni hodie faciunt, & putarem hoc ideo factum, quoniam licebat reiicere, si displiceret fœmina. Nunc vero, cum dote maxima accipere recusant: quoniam rescindi matrimonium non potest, & cogunt eam retinere, etiam si serpens sit.

Melius est, vt dem eam tibi.
Admonentur parentes, vt sæpius dixi, illi viro filias tradere: cuius mores, & genus nouerint.

Fuerunt in oculis eius sicut pauci dies: quia diligebat eam.
Omnia grauia, facit facilia amor. Vnde & Christus Ioan. 14. Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum seruabit, ac si dicat, qui me dilexerit: lex mea nō lex illa videbitur, sed sermo: neque multæ leges, sed vnus sermo. Timor verò, ex vnica lege multas facit: quemadmodum supra. 3. capit. admonuimus: vbi Eua serpentis ait. De fructu scientiæ boni, & mali præcepit, ne comederemus, neque tangeremus illum. Non enim Dominus contingere prohibuerat, sed quia timore agebatur fœmina, ex vnica duas leges fecit.

Da vxorem meam mihi.
Hoc malum Domini habent, quod obliuiscuntur mercedis: neque computant tempus, sicut mercenarij. Sed si hoc homines faciunt, non tamen Deus, qui ad memoriam seruorum suorum reducit, quæ ipsi oblitioni tradiderunt obsequia. Matth. enim. 24. legimus, iustos in die iudicij Christo dicturos. Domine quando te vidimus famelicum, & pauimus, sitibundum, & potauimus, quasi suorum bonorum operum obliti? Sed Christus. Quod (inquit) vni ex minimis fecistis, mihi fecistis. Neque solum bonis, sed etiam malis seruis solebant curare, quæ ipsi non petunt. Ezechie. 16. habes Deum prophetæ dicere. Fili hominis Nabucdonosor seruire fecit exercitum suum, seruitute dura aduersus Tyrum, & merces nō est data ei. Dabo illi Ægyptum. Vbi tu simul aduerte, quòd merces ministris iustitiæ debetur, cum peccatores ex Dei mandato puniant.

Congregauit viros loci. Non sunt damnanda conuiuia, cum iusta causa fiunt. Et docemur vicinos participes facere lætitiæ nostræ.

Accepit Leah filiam suam, & venire fecit ad eum.
Ars est, mala bonis miscere: vt cum bonis transeant. Vbi vides, quid sint boni malis, quod propter eos tolerantur. Similiter vides ab initio fuisse fraudes, etiam inter cognatos, & fortè hac fraude, voluit Dominus punire illam: quam fecerat ipse Esau.

Non fit ita in loco nostro.
Optimum est loci laudabiles seruare consuetudines, & videtur prius curandus filius, qui prius natus est. Vbi etiam disce, aduenas debere locorum, ad quæ veniunt, seruare consueta placita.

Dedit illi ancillam. Non est malum, honorabilem fœminam, famulam, ad ministerium habere, vt de Sarah legimus.

Vidit Dominus, quod exosam haberet Leah.
Mirabilis valde est Domini prouidētia, & cuncta summa ratione distribuit, vnde colligimus, omnes qui alijs videntur inferiores, & deteriores, aliquid habere, in quo aliis præstant, & hoc in fœminis commune est: vt quæ pulchrę facie non sunt, optimis adornatę sint moribus, & summa prudentia præstent.

Quia vidit Dominus. Optimum est in minimis Deum interpellare, & rogare: vt nostra minima, pro sua benignitate curet. Et omnia beneficia, etiam naturalia in Deum refert sancta fœmina. Putarem Deum Optimum Maximum nos vehementer aucturū, si hæc minima in eum referremus.

CAP. XXX. IVXTA LITERAM annotationes.

SI *non, mortua ego*, id est, hac de causa moriar. Tanta tristitia afficiar propter hoc, vt moriar. Aduerte dictionem, aijn, id est, non, etiā esse aduerbium loci, id est, vbi: vt capite præcedenti dictum est: vbi quærens Iaacob dixit. Fratres mei (meaijn) id est, vnde estis?

Quā prohibuit à te fructum ventris, id est, prohibuit ventrem tuum ne fructificaret, seu à fructu.

Ædificabor etiam ego, scilicet sicut soror, ex ea.
Admonui supra cap. 16. filium vocari apud Hebræos ædificium, & causa ibi data est: quoniam filius filio additus est, sicut domus domui addita. Et ædificari, est domum, seu familiam facere.

Litigauit mihi Dominus, id est, causam meam egit, aut iudicauit me, seu ius dixit pro me. Vide quæ de verbo scripsimus supra cap. 6. Videbatur Dominus causam sororis meæ fouisse, & pro ea ius dixisse, sed nunc

nunc etiam pro me ius dicere voluit (dan) est idē quod iudicare, aut iudicauit.

Callidit atibus Dei, callide egi, cum sorore mea. Etiam præualui.
Difficilem reddidit locum istum, ignorantia significationis verbi (patal) quod Hebræi, & nostri, peruertere, luctari, & conari significare dicunt. Cum re vera, solū significet inuolutum esse, quod ex his coniecturis constare videtur. Primo, quia vbique congruit hæc significatio. Secundo, quia nomina à verbo deriuata inuolucrum significant: vt patet de, patil, quod significat fructum panni, quo os vasis inuoluitur, ne defluat quod intus est, & etiam pannum, quo caput inuoluitur. Et filum inuolutum, & tortum, in quo sunt duo fila torta simul: vt exemplis monstrabimus. Et primo Deuteronomij. 32. vbi dicitur. Generatio prauа (Vpetaltol) id est, & inuoluta, seu inuersa & callida. Item Num. 19. Et omne vas apertum, super quo non est coniunctum, seu coniunctio, patil, id est, inuolucri. Infra etiam. 38. vbi dicit (Thamar Iehudah) ammum tuum (Vpetilecha) id est, inuolucrum tuum, seu pannum, quo caput inuoluis, dabis mihi. Exodi quoque. 24. Pones eam (hal petil) id est, in filo torto hyacinthino, aut super inuolucrum hyacinthinum. Quod verò hæc significatio quadret, vbi verbum ponitur, ex multis locis vnum, aut alterum citabimus. 2. Samue. 22. Cum peruerso, titapal, id est, inuolutus eris, seu callidus. Prouer. 8. Non est in eis, scilicet sermonibus Domini, niptal, id est, inuolutum, seu peruersum. Est ergo locus iste sic reddendus ad literam.

Et dixit Rachel Naptule, id est, involutionibus Dei, id est, magnis, aut à Deo concessis involuta sum cum sorore mea. & potui, seu *præualui.*
Videbatur enim Racheli, se magnis calliditatibus sorori abscondisse, & sibi à Deo detectis cum sorore callide egisse, & superasse. Et modus fuit egregius, & nona inuentio.

Vocauit nomen eius Naptali, quod vt dixi sonat inuolutum.

Et ait Leah. Cum fortuna.
Nostri moti ex eo quod dicitur Isaiæ. 65. Qui paratis (lagad) id est, fortunæ mensam: verterunt hic, bagad, id est, cum fortuna. Nolunt enim significata verborum, & nominum expendere: ideo in multis non plene assequuntur literæ mentem. Tu autem aduerte verbum, gadad, à quo nomen, gad, etiam eis autoribus significare exercitum congregare, seu exercitare (si sic liceret Latinis loqui.) Vnde, gedud, id est, exercitus. Hinc etiam, gad, id est, coriandrum, quod grana eius sint ordinata ad modum exercitus, aut multiplicata. Nume. 11. Et man, sicut semen, gad, id est, coriandri: qui ad modum exercitus in multitudine cōgregat grana sua. Vnde illud quod ex Isaia citauimus vertēdum melius est. Qui paratis exercitui cęli mensam. Et illud quod hic dicitur sic.

Et ait Leah. In exercitum, id est, tantam filiorum copiam habeo, quod possent exercitum constituere. Et re vera ille est germanus literæ sensus. Vnde etiam intelliges illud Psal. 65. Sulcos eius inebria, descendere fac, gedudeah, id est exercitum seu multitudinem eius, scilicet guttarum pluuiæ, aut roris. Illud etiam Ierem. 43. Super omnes manus, gedudoth, id est, notæ, seu puncta. Solebāt enim homines pungere se punсturis, tristitiæ causa: vt constat de seruis Baal. 3. Regum. 8. Et Dominus Leuitici. 19. prohibet huiusmodi notas, & puncturas in carne fieri.

Vocauit nomen eius Gad, id est, exercitum: quoniam adiunctus aliis, videbatur exercitum constituere.

In beatitudine mea, seu, *eam beatitudine mea.*
Tam varias tribuunt Hebræi, & nostri significationes verbo (assar) & nomini (asser) vt homo nesciat, quo se vertat. Nam, asser, vt dicunt, est relatiuum qui, quæ: (Asserah) verò lucus, Asre, beatus, Assur, via, pes, assur, buxus arbor. Sed tu aduerte duas esse radices, scilicet, iassar, quod est rectum esse, rectificare: à quo (asserah) quod nostri lucum vertunt, & videtur significare arbores rectas: quales in lucis plantare solebant Gentiles. Hinc etiam, assur, id est, rectitudo, aut recta via: iuxta illud Iob. 23. Si declinauit (assuri) id est, rectitudo mea: vbi nostri vertunt, pes meus. Et (teassur) arborem rectam significare arbitror. Ezechi. 27. aut potius Assyrios, fortè sic dictos, quòd recta statuta essent. vt patet Ezechi. 23. versu. 11. & 21. Altera radix (Si tamen altera dicenda est) est (Asser, seu asré) quæ vt plurimum in numero plurali inuenitur, & beatum nostri interpretantur. Si tamen ipsi permitterent me quod sentio scribere: dicerem vnicam esse radicem, &, asre, non beatum, sed potius rectum significare. Cui rei argumento est illud primi Psalmi: vbi nostri vertunt. Beatus vir: qui non ambulauit in consilium impiorum. Vbi magis quadrare videtur. Rectus, scilicet est ille vir: qui non ambulauit, seu deflexit in consilium impiorum. Nam rectus dicitur ille vir, qui non declinauit ad malum, & in aliis locis, vbi verbum ponitur, verterem etiam rectus. Et licet, asser, radix per se esset (vt multis videtur) dicendum esset, esse eiusdem significationis cū, iassar, Et tenendo hoc, locus iste sic reddendus esset.
Ait Leah. In rectitudine mea: quoniam rectificabunt me filiæ, id est, rectam esse dicent: quia dedi ancillam meam viro meo: quod non nisi rectè fœminę facere solent. Parce prudēs lector si quod intelligo, expressi: quoniam non prohibeo communē interpretationem. Confer quæ dicimus, & si probaueris: tene: sin minus reiice. Dominus ipse nouit quid laboris pertulerimus, in eruendis veris dictionum significationibus.

Vocauit nomen eius Asser, id est, rectitudo, aut eleuatio, seu beatitudo: si communem teneas interpretationem.

Abiit Ruben in diebus messis triticeæ: & inuenit mandragoras.
Significat dictio, chasir, messem, à, chasar, quod est stringere: quod illo tempore manipuli à messoribus stringantur, & fasces fiant. Altera verò dictio, scilicet (dudaim) magis ignota est, & verè nescio vnde Hebræi, & nostri inuenerunt mandragoras significare. Nam in significationibus nominum, ad radices recurrendum arbitror, potius, quàm ad proprium, aut alienum cerebrum. Inuenio autem nomen (dad) significare mammam. Ezechie. 23. Ibi confregerunt (dadē) id est, vbera virginitatis earum. Et Prouer. 5. (Dadeah) id est, vbera eius inebrient te. (Dud) verò patruum, id est, patris fratrem primo Samue. 10. & multis aliis locis, fortè quod patre defuncto teneatur filium eius nutrire, & quasi lactare, eum ei loco patris succedat. Dicunt etiam significare amorem in Cāticis cap. 5. & 6. sed quod ibi potius collactaneū significet, quàm amorem: probatur ex cap. 8. eiusdem libri, vbi dicit sponsa. Quis det tē, vti fratrem meum, suggētem vbera matris meæ. vbi videtur explicare, eum quem diligit, esse veluti fratrem, & suggere vbera matris eius, quod est, esse collactaneum. Vnde in Canticis pro dilectet, vel amore vertendum puto, collactaneum. (Dud) etiam testibus Hebræis significat ahenum, aut cacabum: quod modū mammæ habeat, aut canistrum eadem ratione: vbi vides omnia hęc, aut māmam, aut, quod modum māmæ habet, significare. Sunt etiam in scriptura duę coniecturæ, ad venandam propriam nominis significationem. Altera est Cātico. 7. vbi dicitur. (Dudaim) odorem dedisse. Ex quo constat, rem esse odoriferam. Altera hic, quod scilicet, reperiatur tēpore messis triticeę. Significabit ergo, Dudaim, rem in qua hæc tria simul cōcurrant. f. forma māmę, odor suauis, & quod tēpore messis triticeę reperiatur: Inuenio autem genus quoddam albi lilij: quod nostri vocant (cepam çaçem,) in quo omnia illa tria simul concurrunt. Nā radix est (çepe) quę omnino assimilatur mammę, flos verò albus, optimū odorē habens. Neq; reperitur, nisi ad finē Aprilis, aut in Maio, & in agro facilè inuenitur illo tempore: quare arbitror esse hoc genus lilij albi: quem diximus. Nostri secant hastilia, & in

vasa

Universidad de Deusto
Biblioteca

uāse aqua pleno mittunt,& ibi ſicut in terra,ſeruatur, non tamen ad longum tempus,& in menſa, aut ſuper altare collocant:vt odore paſcantur. Si autem mandragoris delectaris,quod non prohibemus, ſcito, (teſte Dioſcoridæ) in eis tria eſſe, ſcilicet mala inter folia ſita.Sunt,& folia ipſa,radices quoque binæ,vel ternę, cuiuſcunque caulis, eaque mutuis complexibus coniunguntur,non puero diſſimiles,proditum eſt à medicis hanc herbam menſtrua ciere, vuluamque mulierem ad conceptum mirifice accōmodare.Aben ezrah tamen miratur,quomodo iſtam virtutem habeat,cum ſit frigidæ qualitatis. Rabbi verò Dauid dicit eſſe genus herbæ, quæ eſt inſtar maſculi : cuius duo ſunt genera. Candidus, qui mas, & niger, qui fœmina exiſtimatur . Ferunt mala auellanarum nucum magnitudine. Vis eius, in poculo, ſomnorifera eſt,ac etiam olfactu, ſed non video qualiter textui hæc herba poſſit accommodari.

Quoniam mercando,mercata ſum te, aut *mercede conducendo mercede conduxit te.*

Hoc enim ſignificat,ſachar,ſcilicet mercati,mercede conducere.

Dedit Dominus mercedem meam, id eſt, dedit mihi pro mercede huius,quod dederim ancillam meam viro meo,filium:ideo vocauit eum(Iiſſachar)id eſt,merces,aut virum mercedis,id eſt,in mercedem datum.

Dotauit me. Non plene conſtat quid ſignificent hęc duo verba,ſcilicet(zabad)id eſt,dotauit,&(zabal) id eſt,cohabitauit:quoniam dictiones raræ in ſcripturis ſunt: neque eſt aliqua coniectura ad venandam propriam ſignificationem.

(Zebulun) id eſt,cohabitatio.

Abſtulit Deus. Verbum (aſaph) proprie ſignificat colligere,ac ſi dicat. Opprobrium meum ibat,id eſt, diuulgatum vbique erat, ſed Dominus collegit illud, ſeu retraxit.

*Vocauit nomen eius Ioſeph,*id eſt, additio.

Expertus ſum,et benedixit me Dominus ad pedē tuum, id eſt,ad introitum.De verbo autem,nachas,id eſt,expertus ſum,dixi Gene.3.&.4.Aliqui vertunt. Augutatus ſum. Significatio verbi incerta eſt. Videtur autem ſignificare augurium ſumere , ſuper vas alicuius metalli,propter illud quod infra habetur cap.44. Ipſe (naches ienaches) id eſt,augurando,auguratur in eo.

Explica mercedem tuam. Verbum, nachab,ſignificat perforare proprie:vt patet.2.Regum. 18. Ingredietur manū eius,vnechabah,id eſt,perforabit eā:inde fœmina dicitur (nechebah) id eſt,perforata.Ex conſequenti verò ſignificat explicare:quoniā id quod perforatur peruiū luci fit, & clarius.Addunt adhuc tertiam ſignificationem,ſcilicet maledicere,quę ſuperflua eſſe videtur:qui vbi ipſi vertunt maledicere, poteſt melius verti perforare,id eſt,ad modum perforātis ſe habere. Nām qui blaſphemat, videtur pungere Deum, & ſuo modo perforare: vt Leuiti.24.(Venocheb)id eſt, pungens nomen Domini, ſeu blaſphemans:qui (vt dixi) pungere videtur illum quem blaſphemat: morte moriatur.Inde,machebet, id eſt, malleus, ſic appellatus, quod ſit inſtrumentum perforandi.Iudi.4. Et poſuit (hamachebet) id eſt,malleum in manu ſua.

*Et quæ fuit ſubſtantia tua mecum,*id eſt,quàm aucta fuerit.

Quoniam parum, quod tibi fuit ante me:extendit ſe, ſeu ſparſit ſe,hoc enim verbum, paras,ſignificat,ſcilicet ſpargere,diſpergere,& extendere.

Quando faciam ego,pro domo mea? aut domui meæ. Ac ſi dicat. Hucuſque pro domo tua augenda feci,& laboraui, ſed nunc quādo faciā pro domo mea:quam iam curare oportet,propter ſobolem?

Rediho,ſeu reuertar,oues tuas cuſtodiam. Remouebo inde omne pecus maculoſum,& punctatum.

Dicunt tam Hebræi, quàm noſtri,nachod, ſignificare punctatum, & maculis paruis reſperſum. (Talu) verò maculoſum magnis maculis. Sed ſi radices ſpectes, deprehendes oppoſitum eſſe : quod videlicet,nachod, ſignificet maculoſum , ſiue paruis ſiue magnis maculis:(talu)verò punctatum, ſeu paruis punctis reſperſum,quod ex radicibus probabimus. Nam Cantico.1. habes Margaritas aureas faciemus tibi : cum (nechudim) id eſt,maculis argenti, id eſt,argenteis, aut varietatibus argenteis. Sic Ioſuæ.9.Omnis panis cibi eorum ſiccus erat,nechudim, id eſt, maculæ, ſeu varietates,id eſt,cum diuerſis coloribus:qualis eſt panis mucidus,quem nos vocamus,Borolento.Item primo Regum.14.dicit. Rex Ieroboham vxori,cùm eam ad Prophetam deſtinauit, ſciſcitaturam de morte filij. Capies in manu tua decem panes, venichudim, id eſt, varietatem,id eſt, varios. Volebat enim:vt panes diuerſos viro Dei afferret,aut legumina varia,ſeu fercula ex diuerſis leguminibus,vt Thargum intepretatur: Ex noſtris quidam cruſtulas vertunt,quod neque radi ci quadrat neque contextui:cum iam de panibus feciſſet mentionem. Quod autem ſequens dictio, ſcilicet (talu)ſignificet punctatum,patet:quia,tal,quod videtur eſſe eiuſdem radicis, ſignificat guttas roris, quæ ſunt veluti puncta. Et Ioſue. 9. dicitur de Gabbaonitis.Et calciamenta vetera,Vmetulaoth, id eſt,& punctata, ſeu variis commiſſuris corij reparata : erant in pedibus eorum.Nos dicimus, (Remendados.) Eſt ergo vertendus ſic textus. Remouebo inde,ſcilicet ex omni grege , omne pecus maculoſum, ſeu varium,& punctatum.Aut ſi,nachod, cinctum, ſeu cingulo maculæ ligarum, ſignificat,verte cinctum,& punctatum.

Et omne pecus nigrum. Dictio,chum,à calore ortum habet: qui nigredinem cauſat. Erat autem conuentio inter Iaacob, & Laban, quod omne pecus varium,& punctatum in capris, & nigrum, ſeu inuſtum in ouibus eſſet merces Iaacob:candidum,& varium in ouibus, & nigrum, & album in capris erat Laban.

Reſpondebit in me iuſtitia mea die craſtina , id eſt, oſtēdet futuro tempore, iuſtitia mea quod meum eſt. Aut dabit mihi aperte quod meum eſt, ſine vlla dubitatione.

Quoniam venict, ſcilicet iuſtitia mea , *ſuper mercedem meam coram te,*id eſt, oſtendet quę ſit merces mea in oculis tuis.

Virgam populi viridem. A (laban) quod eſt album, eſt (libneh)quod eſt populus arbor, ſic dicta propter corticis,& foliorum albedinem.

Amigdalinam,& caſtaneam.

Dixi in regulis nomina propria arborum, ignota eſſe Iudæis: ideo hic aliqui (amigdalinam, alij corillum vertunt.Verbi radix,ſcilicet (luz) videtur ſignificare declinare,recedere: vt patet Prouerb.3.Fili mi,(ne laſ luzu) id eſt, recedant ab oculis tuis,&,luz,videtur ſignificare arborem:à qua cortex facilè recedit. Sic dictio ſequens,harmon, ab,aram, quod eſt nudare deſcendit, & ſimiliter ſignificat arborem quæ facilè nudatur.

Poſuit virgas:quas decorticauit in trabibus, in canalibus aquarum.

Non puto Iaacob totam pellem,ſeu corticem à virgis abſtraxiſſe,ſed corrigias quaſdam,& forte cingentes in rotundum:vt ſic oues cinctos fœtus ederent. Dictio, rehatim, id eſt, trabes ignotæ ſignificationis eſt Hebræis:Cantic.tamen primo videtur trabes ſignificare,vbi dicitur . (Rehatim) id eſt,laquearianoſtra (berotim)id eſt,abiegna.Solent autem canales ex trabibus fieri:ideo videtur hic dictio,Rehatim,huiuſmodi trabes ſignificare. Poſſet etiam verti.In canalibus potationum aquarum.

Conceperunt oues ad virgas, id eſt,ad aſpectum virgarum.

Peperierunt oues. alligatos. Vocat alligatos eos qui habebant maculas cingentes eos. Neque cum Sancte vertendum puto maculis reſperſos,vbi ligari ſolent. Et aduerte tria macularum genera hic poni , ſcilicet cingentia,magna,& punctata.

Et agnos ſeparare fecit Iaacob, & dedit facies ouium, ad varium, & omne, id eſt, & ad omne *nigrum in ouibus Laban.*

Alij vertunt : Et pecudes diuidere fecit Iaacob & poſuit

poſuit facies pecudum ad varium, & omne ruſum in pecudibus,erat Laban.Sed prior lectio germanior eſt: quoniam in pacto ſuperius poſito , omne nigrum in ouibus debebat cedere Iaacob.

In omne coire ouium colligatarum modo prædicto, id eſt, quando maculis cinctæ coibāt:ponebat virgas. Verbum enim,chaſſar,ſignificat ligare, & nihil aliud: ideo nullo modo vertendum eſt:robuſtiorum.

In attenuatione, ſeu tenuitate ouium, id eſt,quando oues erant tenues: non poſuit, ſcilicet virgas. Ignorant Hebræi propriam ſignificationem verbi (ataph) ideo ſignificare dicunt tegere, anguſtiis afficere, ſerotinum eſſe : cùm re vera ſignificet ſolum attenuari, & ſtringi : vt patet Threno. 2. vbi noſtri vertunt . Pro anima paruulorum tuorum(hatuphim) id eſt, qui afflicti erant fame: vbi melius vertas qui attenuati erant fame. Sic Pſalm. 73. (Iaataph) id eſt, ſtringet ſe,ſeu attenuabit ſe, vt tollat predam ſibi. Hic ergo vertendum eſt : in tenuitate ouium, id eſt, quando tenues erant, non ponebat virgas, & fuerunt attenuatæ Laban,& cinctæ,ſeu ligatæ Iaacob.

*Et ſparſit ſe vir valde,ſeu extendit ſe,*ſcilicet,in pecus lio, & ſubſtantia.

CAPITIS. XXX. AD MORVM compoſitionem annotata.

Vidit Rachel quòd non pareret Iaacob.

Nihil debet eſſe animæ Chriſtianæ infœlicius ſterilitate, id eſt, ſi Chriſto non fructificet, & fructificet morti: quod eſt deterius. Tolerabilius enim eſt ſterilem eſſe,quàm morti fructificare.

Inuidit ſorori ſuæ . Periculoſum valde eſt habere apud te:cui poſſis inuidere. Neque ſancta fœmina ſorori inuidebat,quòd haberet filios, ſed dolebat,quòd non haberet ipſa ſimiliter,ſicut ſoror. Vbi ſimul diſcimus,quid ſancti patres, & matres à coniugio expectabant. Non enim,vt libidini inſatiabili inſeruirent,ſed prolis procreationi operam dabant.

Da mihi filios ? Quàm irrationabilia ſint ſæpius fœminarum placita, oſtendit aperte locus iſte: niſi dicamus eam voluiſſe, virum precibus ſibi prolem impetrare : quemadmodum fecerat pater eius vxori ſterili. Quo nos docet patronos quærere, qui pro nobis petant ea,quę nos non poſſumus noſtris precibus impetrare.

Iratus eſt furor Iaacob in Rachel.

Debent viri immoderata vxorum deſideria arguere,& temperare.

Quis prohibuit te fructu . Nouit ſanctus vir à Domino eſſe prolem,& ſterilitatem, neque ſe poſſe diuinam mutare voluntatem.

Ecce ancilla mea ingredere ad eam.

Mirabilis erat quondam in fœminis prolis amor, quæ ex ancillis liberos ſuſcipere volebāt, quando ex ſe non parerant. Vbi pulchre docentur ſteriles coniuges,alios ſi proprios,enutrire. Quo etiā Dominæ docentur: filios ancillarum non negligere,ſed quaſi ſuos curare.

Iudicauit mihi Deus. Etiam ad minima, iudicia diuina extendi credendum eſt.

Calliditatibus magnis callidè egi cum ſorore mea.

Excitare ſolet ingenium cupiditas vehemens,& etiam miſeria : inuenerat enim ſancta fœmina ſubtilē valde modum ędificandi domum ſuam,neque parum de inuentione gaudet. Multi ſunt,qui eùm ſubſtantiam ex proprio labore augere neſciunt, augentur alieno. Vbi admonemur, non gloriari in malitia, aut fraude:quēadmodum ille,cui in Pſal.dicitur. Quid gloriaris in malitia,qui potens es iniquitate? In quibus verbis expende,qui potens es: vt videas potentiſſimos eſſe fraudulentos,& doloſos in iniquitatibus : quorum mala tanto plus nocent,quanto minus ſunt præuiſa.

Accepit Leah Zilpah. Artibus noſtris nonnunquam inimicos inſtruimus, & nonnunquam doloſus capitur arte,qua alium capere voluit. *Venit exercitus.*

Non ſolum ad pacem,ſed ad tuendam patriam, & patrios mores:nutriendi ſunt filij. *Beatam me dicēt filiæ.* Honore afficiendę ſunt fœminę,quę genus humanum multiplicare ſtudent prolis multiplicatione: quo docemur eos exaltare, qui cōmunitati vtiles eſſe ſtudēt.

Reperit Reuben mandragoras, & attulit matri ſuæ.

Admonet locus iſte filios,patri, & matri ſuæ acquirere, & inuenire.

Da mihi de mandragoris filij tui.

Inuida res valde fœmina,quę etiam minimis inuidet.

Nunquid parum eſt, quod acceperis mariton meum? Quicquid pauperes habent, volūt ſibi diuites haberi.

Dormiat tecum nocte pro mandragoris.

Coguntur pauperes pretio ſua propria emere,quæ eis iniuſtis diuites detinent : de quo cōquerebatur ſanctus Iere.Threno.vltimo. Aquam noſtrā pecunia bibimus: ligna noſtra pretio comparamus.

Exaudiuit Deus Leah. Exaudit Dominus Deus afflictos potius, quàm hilares,& quos mūdus abiicit, recipit Deus:vt de cæco nato narrat Ioannes. cap.9.

Dedit Deus mercedem meam,quia dedi ancillam meam viro meo.

Mirum valde eſt videre, qualia opera Deus mercede remunerat, etiā infima, & pro qualibus,operibus: homines mercedem à Deo expectant: ita vt nihil gratis faciant propter Deum. Similiter oſtendit Leah maximam mercedem a Deo dari iis,qui ſe contēni æquaniniter ferunt.

Habitabit mecum vir meus, quia peperi ei ſex filios.

Tenentur viri grati eſſe fœminis, quæ domum augēt, & prolem multiplicant. *Recordatus eſt Deus Rachel.*

Hinc haberur, eum quem Dominus caſtigat, poſtmodum conſolari: modo non ægrè flagella ferat. Et quod ſequitur, *Et exaudiuit eam.*

Admonet filios non ſolùm congreſſu viri, & vxoris, ſed potiſſimum precibus impetrandos . Similiter Deum exaudire iuſta deſideria, veluti preces.

Abſtulit Deus opprobrium meum.

Probro dabatur illo in tempore, eſſe ſterilē fœminam. Vnde apud Iſaiā legis fœminas propter virorum paucitatem dicturas, innocetur nomen tuum ſuper nos: collige opprobrium noſtrum . Vbi ſimul diſce, curæ Deo eſſe: iniuſta opprobria auferre.

Addat Dominus mihi filium alterum.

Parat gratitudine viam,ad maiora percipienda beneficia,& modeſta valde eſt in prece: quoniam vnicum ſibi addi poſtulat filium.

Da vxores. Admoni ſuperius: raro Dominos recordari miniſterij famulorum,an finiatur, aut quando,neque ſic mercedis, ſicut operis meminiſſe.

Tu noſti ſeruitutem meam.

Quia non aduerterat ipſe Laban,opus fuit:vt Iaacob oſtenderet operas ſuas.

Expertus ſum:quòd benedixit mihi Dominus propter te.

Audis hic quid valeat iuſtum domi apud te habere.

Quando faciam ego domum meam ?

Curanda eſt propria domus : neque ſemper aliorum commodis inſeruiendum eſt.

Teſtificabitur mihi iuſtitia mea.

Volunt iuſti ita iuſtitiam ſuam oſtendere : vt nullus poſſit eos iniuſtos arbitrari. Vbi ſumme expende iuſtitiam, vt plurimum,iuſtis reſpondere,& præſtare illis, etiam in hac vita:mercedem ſuam.

Vtinam ſit ſecundum verbum tuum.

Tam æquas conditiones, & placita iuſti iniquis offerunt:qualia ipſi nunquam cogitarent.

Tulit Iaacob virgam populeam.

Nullum peccatum interuenit,ſi tua induſtria vtaris:vt diteris:modo abſit dolus,& fraus. Si autem quæras, an naturale ſit : vt tales cōciperent fœtus,quales dum concipiunt imagines habent. Puto quòd ſic, modo imaginatio ſit vehemens. Non tamen eſt cauſa omnino neceſſaria.

Quando ſeratina non ponebat.

Colligitur hinc , neminem teneri ſua induſtria alium ditare, cùm ſe ad hoc non obligauerit.

CAPI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPITIS. XXXI. AD LITERAM ANNOTATIONES.

Fecit omnem gloriam istam.
Verbum (chabad) significat grauare, onerare, & vocat Hebraismus diuites graues, seu grauatos, scilicet substantia sua. Vnde verti posset. Fecit omes opes istas.

Ero tecum, scilicet defendendo personam, & augendo substantiam.

Deus patris mei fuit mecum.
Aut augendo substantiam, aut præcipiendo redditum in patriam.

In omni fortitudine mea.
Dictio (choach) significat fortitudinem, & virorem qui indicat arboris fortitudinem. Psal. 22. Aruit tanquam testa, choci, id est, viror meus.

Pater vester irrisit me, aut, *fefellit me, Et transire fecit, seu mutare fecit mercedem meam decem vicibus*, sed verbū (chalaph) proprie transire significat: Chabachub primo. Tunc, chalaph, id est, transiuit spiritus, & quia id quod transit mutatur, significat etiam mutare.

Si dixit. Maculosi erunt merces tua, pepererunt oues maculosas. Si verò sic dixit. Ligati erunt merces tua, pepererunt oues ligatas.
Iam capite præcedenti dixi, per ligatos intelligi debere cinctos macula, seu habentes maculam cingētem totam pellem: licet dictio (achad) nondum mihi plene nota sit: videtur tamen, aut ligare, aut extendere significare. Quod enim ligare significet, illud quod capite. 22. huius libri dicitur, argumento est, vbi dicitur. (Vaiahacod) id est, ligauit Iisaach filium suū, sed etiam ibi bene quadrat extendere fecit.

Et spoliauit Deus, aut exuit substantiam patris vestri.
Hoc enim verbum, nasal, significat, scilicet spoliare, & exuere. Aut spoliauit Deus peculium patris vestri, & dedit mihi.

Fuit in tempore incalescendi oues, id est, quo ad concipiendum incalescere solent.

Ecce hirci ascendebant super capras.
Dictio, Athudim, quam nostri vertunt hircos (vt aliàs diximus) significat duces gregis: siue sint hirci, siue arietes. Nam, athad, à quo, Athudim, significat ordinare: vnde, Athudim, ordinatores gregis significat. Quod verò non tam bene vertas hircos, patet ex contextu, vbi dicitur.

Vidi hircos ascendētes super oues, quod insolitum est, scilicet hircos super oues ascendere. Et dictio, son, ouem proprie significat, non capram: vt hic Sanctes vertit. Si velis tibi probari dictionem, hatudim, significare duces, & ordinatores: lege illud Isaiæ. 14. Omnes, hatude, id est, duces terræ, seu ordinatores. Et Iob 15. Sicut Rex, hatir, id est, ordinatus ad prælium. Vertendum est ergo hic.

Et vidi duces gregis ascendentes super oues, aut super pecudes cinctos, maculosos, scilicet virgnis maculis, & grandinatos, id est, maculis paruis, ad modum grandinis aspersos.
Nam (barad) est grando. Vbi tu aduerte, quàm bene dictum sit capite præcedenti, quod (talu) significaret paruis maculis respersum: cuius loco nunc ponitur, barad, quod est grandinatum.

Ntiquid adhuc nobis pars, aut diuisio in domo patris nostri?
Quoniam, chalah, proprie significat diuidere, chelech partem, aut diuisionem, necesse est significare.

Comedit, comedendo argentum nostrum, id est, pretium nostrum. Videbatur enim illis, quòd pater eas vendidisset Iacob pro mimisterio suo: quo illi seruierat annis. 14. & comedisset illud, quod tenebatur soluere illi. Dictio, chasaph, à qua, cheseph, id est, argentum: significat diligere, amare, &, cheleph, argentum: quod sit omnibus amabile, & desiderabile.

Minauit omne pecus suum.
Alij vertunt. Duxit, sed verbum potius minare significat: vt patet Isaiæ. 11. Puer paruus, noheg, id est, minabit eos, aut si mauis ducet.

Furata est Rachel idola, quæ erant patri sui.
Non conuenit inter Hebræorum doctores, quid significet dictio, teraphim, quam idola vertimus. Hoc certi de hac dictione habemus, quòd videlicet significet imagines hominum, & quod loquerentur. Nam primo Samue. 19 dicitur. Et tulit Michol, teraphim, & posuit in lecto, scilicet pro Dauid: vt putarent aparito res Saulis, imaginē esse Dauidis decumbentis. Ezechie verò. 21 dicitur. Consuluit, scilicet Rex Babel, bateraphim, id est, idola. Ex quo constat esse imagines, quæ consulentibus respondebāt. Idem Zacharię. 10. vbi dicitur. Quia, teraphim, locuta sunt mendacium.

Furata est Iacob cor Laban.
Hebraismus est, pro eo inscio, discessit.

Non indicauit illi, quod fugeret.
Verbum, barach, non solum fugere, sed & transire significat, & posset verti. Et nuntiatum est illi, quòd transiret ipse, id est, transitum fluminis disponeret.

Posuit faciem suam ad montem Gilhad.
Sunt autem Gilhad montes trans Iordanem siti, qui à Libano initiū sumentes, per duo regna, scilicet Amorræi, & Bassan, quondam portendebantur, pascuosi, & odoriferi, & videntur esse illi, quos Strabo thraconos appellat.

Persecutus est eum via septem dierum.
Nam filij Laban oues pascebant via triū dierum à domo Laban. Iacob verò etiam via trium dierum à domo Laban distabat versus aliam partem, &, vt textus dicit: Laban tondebat tunc temporis oues, & cum filiis erat: ideo septem diebus peruenit ad Iacob.

Assecutus est eum in monte Gilhad.
Verbum, dabach, significat proprie coniungi, & adhærere: ideo posset verti. Et coniunctus est illi in monte Gilhad.

Cane tibi. Hebraice, sis custoditus tibi.

A bono, vsque ad malum, idiotismus linguæ est, id est, non loquaris cum eo aliquid, quod illi displiceat, quæ loquendi modo nos vtimur. Nolo tecum bonum, aut malum, id est, nolo tecum contendere.

Et assecutus est Laban Iacob.
Melius. Et attigit. *Quid fecisti*, scilicet fugiendo, *& furatus es cor meum?* aut, *Quid fecisti, vt furareris cor meum, & minare*, seu ducere *fecisti filias meas, quasi captiuas gladio.*
Dixi hoc eodem capite de significatione verbi, nahag, quod hic ponitur, quod significet minare, aut ducere: præsertim cum velocitate.

Furatus es me, id est, me inscio, recessisti.

In tympano, & cithara. Omnes hic tympanum vertunt, & citharam, sed, chinor, constat esse instrumentum, quod suspendi potest: vt patet Psal. 137.

Est Deus patris vestri, id est, tui, & patrum tuorum, aut tuus, & eorum, qui sunt tecum: qui edocti à Iacob verum Deum colebant.

Nocte præterita dixit ad me.
Non plene constat de significatione propria (emes.) Dicunt tamen Rabbini significare noctem preteritam: quam nunc acceptabimus significationem vsque quo detur propriam inuenire.

Et nunc ambulando ambulasti, aut abeundo abiisti, quoniam desiderando desiderasti domum patris tui, id est, dato quòd paternæ domus desiderio motus, à me discessisti.

Quare furatus es Deos meos?
Antea vocauit, teraphim, quod modo Deos vocat: vnde constat fuisse idololatram. Quod autem Chaldæus Rachelem idololatram non fuisse contendit, nullo modo damno. Puto enim, eam potius argenti, aut auri desiderio, ex quo idola erant conflata, ea abstulisse: quā colēdi gratia. Licet enim in domo Iacob idola postea fuissent, non puto ea apud suos fuisse ad cultum. Res tamen incerta est: ideo non facilè potest definiri. Non est enim mirum, quòd illi, qui fuerant de domo Laban assueti idololatriæ, secū talia detulissent furtim, & Iacob inscio, etiam coluissent.

Agnosce tibi, quid mecum, scilicet est de tuo. Ia-

In clitella Cameli. Non constat quid proprie significet (chac) communiter tamen Hebrei dicunt significare clitellam, aut sellam. Dictio rara est in scripturis. Si tamen radix esset (charah,) quod est fodere, significaret foueam, sed quæ sit fouea Cameli, ignoratur.

Quia via mulierum mihi, id est, consuetudo, quæ est menstruum: mihi scilicet accidit, & est Hebraismus.

Et inuestigauit, & non inuenit.
Dicunt Hebræi, & nostri verbum (chapas) significare scrutari, & mutare, sed meo iudicio, vnica est verbi significatio, scilicet reuoluere, cùm scilicet scrutando, res quas scrutaris, reuoluis, seu voluis. Inde mutare se, quod nihil sit aliud, quàm inuoluere se, alium se ostendere.

Quæ iniquitas mea?
Rabbi Dauid purat verbum (passa) significare rebellare, & à voluntate Domini exire, aut à præcepto ex superbia. Mihi verò videtur, quod aut hoc, aut infideliter agere significet: incerta tamen est verbi significatio, & etiam nominis (pesse) Posset etiam verti, rebellio.

Quia persecutus es me. Incerta est significatio verbi (dalach) cui Hebræi duas significationes tribuunt, scilicet accēdere, & persequi, & prioris illud Threno. 4 exemplo sit. Super montes, (delachunu) id est, persecuti sunt nos: secundi verò illud Ezechie. 24. (hadlaches), id est, accende ignem. Posset tamen dici, verbum proprie significare persequi, & ex consequenti ardere, aut accendi: quod persequentes aliquem incalescere soleant. Significatio tamen non est plene nota. Hieronymus vertit. Quia sic exarsisti poll me & litera consentit.

Increpent inter duos, id est, diiudicent, & reum increpent.

Hos viginti annis fui tecum.
In Hebræo dictio (Zeh) quam vertimus his, ponitur in singulari, sed pro plurali accipienda est.

Ego pœnas dabam. Hebraice ad literam est. Ego peccabam, sed frequentissime peccare accipitur apud Hebræos pro peccati pœnas dare.

Fui, scilicet in ea dispositione, aut statu, quòd in die consumebat me æstus, & gelu in nocte. Aut fui, scilicet in campo. Dicitur autem gelu (cherach) à (charach) quod est decaluare, quòd similitudinem caluitij præ se ferat. *Et recedebat somnus ab oculis meis.*
Melius: elongabat se somnus meus: quia verbum (nadad) proprie elongare significat.

Hoc mihi, scilicet accidit tecum. Hæc fuit vita mea apud te, pro quo aliqui vertunt. Iam (Alijhen) sed in Hebræo est, Zeh lib, id est, hoc mihi. Aut vltra præcedentia hoc mihi fuit. quod. 20. annis seruiui tibi in domo tua.

Mutasti mercedem meam decem vicibus.
Verbum (chalaph) proprie significat trāsire, & ex consequenti transigere (vt diximus,) quod in transfossione, ferrum transeat ab vna in alteram partem. Psalm. 90. Mane florebit, (vechalaph) id est, & transibit, & Iudi. 5. (vechaleph) id est, transfodit, seu transfixit tempus eius, aut transire fecit. Significat etiam mutare, quod qui se, aut aliquid mutat, transire faciat vnum in alterum: vt. 2. Samuelis 12. (vaichaleph) id est, mutauit vestes suas, seu transire fecit vestes suas, mutando quas gestabat in alias. Sic, & hic. Transire fecit meā cedē meam, scilicet vnam in alteram mutando.

Et pauor Isaac. Vocant Hebræi aliquando Deum pauorem: quod maximè sit timendus: quod forsitan a Chaldæis mutuarunt, qui frequentissime, Deū pauorem vocāt: cuius rationē quidam Hebræorū assignāt, quod Isaac adhuc in vita extiterit, ideoq; adhuc peccare potuisset: vnde illi necesse fuisset: vt in timore, & tremore Dei vitā suam traduceret. Forsitan etiam vocat timorem Isaac illum quem habuit cùm pater eum voluisset iugulare.

Et afflictionem meam. Melius humilitatem: quoniam (vt sæpius admonui) verbum (anah) proprie significat respondere, & humiliare.

Increpauit, scilicet te nocte præterita. Dicunt Hebrei (emes) significare præteritam noctem: vt iam supra diximus, quod ex eo quod dictum est supra capit. 19. habere se putant: vbi altera filiarum Loth, alteri dicit. Ecce dormiui (emes) id est, nocte præterita cum patre meo. Sed meo iudicio, dictionis significatio nondum plene nota est eis.

Filiæ, scilicet istæ, *filiæ meæ*, subaudi sunt.

Quid faciam eis, scilicet mali.

Leuauit illum, scilicet lapidem. *in statuam*, id est, statuit illum eleuatum, & erectum.

Fecerunt cumulum, aut melius inuolutionem, scilicet lapidum: quia verbum (galal) inuoluere significat. *Vocauit illum, scilicet cumulum Laban, legar sahaduta*, id est, tumulum testificantem. Sunt enim verba Syriaca nō Hebraica: loquebatur enim Labā linguam Syriacam, non ignārus Hebraicæ. Iacob verò appellauit illum, galeed, id est, cumulum testificantem. Verba Iacob sunt Hebraica: licet etiam Syriacam calleret linguam. Et licet verba sint diuersa: significant tamen idem.

Et mispah, id est, specula, *quia dixit*, scilicet Laban, *speculetur Dominus inter me, & inter te.*
Duplex nomen fortitus fuit aceruus ille lapidum. Nam vocatus est (galeed) id est, aceruus testimonij, & (mispah) id est, specula: cuius ratio in litera ponitur.

Si affixeris filias meas.
Admonui non semel verbum (hanah) potius humiliare, quàm affligere significare: ideo vertendum est. Si humiliaueris filias meas, faciendo, scilicet ex vxoribus ancillas. Et si acceperis vxores super filias meas. Constat ex hoc loco non fuisse tunc temporis apud omnes consuetudinem multiplicandi vxores: nisi velis dicere Laban voluisse Iaacob non accipere alias vxores quas præ filiabus diligeret, aut eis præferret.

Non vir nobiscum, id est, testis inter nos, nullus erit tunc qui pro me testimonium ferat. Aut dicat apud te.

Non est vir nobiscum, ideo faciam quod lubet, sed prior interpretatio germanior est, ideo sequitur.

Videat Dominus, qui est testis inter me, & te. Ecce statua, quam ieci inter me & te.
Coniecerat enim lapidum multitudinem, ad constituendum aceruum: quem statuam vocat: vt, scilicet esset testis inter ambos.

Testis est aceruus iste, & statua ista: quæ non erat aliud ab aceruo. Potest tamen teneri fuisse distincta ab aceruo lapidem, scilicet aliquem erectum, & volebāt huiusmodi aceruo aut statua erecta significare pacti firmitatem & stabilitatem: vt quandiu statua duraret & staret: duraret & staret pactum initum.

In malum. Poterat tamen vterque transire præfixum terminum: ad se mutuo inuisendum, sed non ad malefaciendum.

Iurauit Iacob in pauore patris sui Isaach, id est, per Deum quem timebat Isaach pater suus.

Mactauit Iacob victimam in monte, id est, obtulit pacifica: ideo vocauit fratres ad comedendum: per quos intellige sororios, seu fratres vxorum.

Pernoctauit in monte.
Admonui non rato verbum (lun) non pernoctare, sed potius manere significare: ideo verte. Et mansit in monte.

Et surrexit Laban mane.
Disserui aliàs de significatione verbi sachar: quod potius videtur significare leuare se, quàm surgere mane: cùm ei adiungatur, Mane hic.

CAPITIS. XXXI. AD MORES componendos.

Audiuit Iacob verba filiorum Laban.
Docet locus iste quantum homo debeat fugere, habere substantiam alterius hominis, etiam si ea iusto titulo possideat: quoniam prouocat in se dominos

Universidad de Deusto
Biblioteca

illatum rerum? Isti enim non curarunt, quo titulo Iaacob habuerat substantiam patris sui, sed solum se spoliatos considerarunt. Et quod maximè cauendum est ostendere te diuitem, aut pompam coram eo: cuius prius fuerunt res, quas possides. Nō enim sunt diuitiæ ostentandæ, ne alios ad inuidiam prouocare videaris.

Vidit Iaacob faciem Laban.

Nihil melius vultu, amorem, aut odium ostendere solet. Similiter raro inter generum, & socerum bonam amicitiam fuisse deprehendimus. Et qui generum, & filiam coniugatam domi habet, furem se secum habere existimet: quia quicquid è domo parentum habere possunt, suffurantur.

Reuertere ad terram patrum tuorum.

Nihil viris sanctis sine numine agendum est: Iaacob enim, licet reditum summe desiderasset: Non tamen redire sine Dei imperio ausus est. Vbi tu similiter perdisce, quàm sint curæ iusti Deo: qui eos ducere, & reducere curat.

Vocauit Rachel, & Leab.

Audiendum est consilium vxoris, non tamen in eo sistendum. Et perdisce prudentiam Iaacob: Nouerat enim ex arbitrio vxorum pendere maximè reditum in patriam? quoniam eis nolentibus ire cum eo, non erat ipse abiturus, propter amoris vinculū: ideo voluit eas consulere, iustificareque causam suam apud eas.

Non permisit eum Deus malefacere mihi.

Ecce qualiter Deus curet iustos, vt non permittat aliquem nocere illis: iuxta illud Psal. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nam quemadmodum nemo potest Deum decipere, ita neque iustum, cuius curam gerit Deus. Vbi simul aduerte iustum figuram gerere sphericam: vt quocunque eum vertas, sedem propriam habeat. Mutationes: quas fecit Laban, in vtilitatem cesserunt ipsi Iaacob. Hoc enim interest, inter impium, & pium: quoniam si impium vertas, non est amplius. Si autem pium, quocunque se verrat, suam sedem acquirit: quia Dominus supponit manum suam. Vos (inquit Ioseph fratribus) cogitastis mihi malum, sed Deus vertit illud in bonum. Nam quod vt malum impij iustis inferunt, cernunt sibi in bonum cedere, & quod impij eligunt vt bonum, illud illis in malum vertit Deus.

Abstulit Deus gregem patris vestri & dedit mihi.

Mirum valde est, quod furatur Deus impiis, vt tribuat iustis: neque solum spiritualia illis largitur bona, sed & temporalia.

Leuaui oculos meos in somno, & vidi: & ecce hirci ascendebant.

Perdisce hinc, quàm Deus velit nos cognoscere beneficia quæ nobis largitur.

Ego Deus bethel: vbi vnxisti statuam.

Quemadmodū Deus memor est, vt nobis benefaciat, sic memores esse debemus, vt pollicita reddamus illi.

Nunquid adhuc est nobis pars, in hæreditate patris nostri?

Ecce qualiter filij, & filiæ, propter hæreditatem patrem diligunt, illique seruiunt, & quàm verū illud sit, quod propter virū, vxor patrem relinquat, & matrem.

Nunquid non extraneæ reputatæ sumus?

Commune malum murmurantium est: vt non inueniant qui impediant, sed qui iuuent. Detraxerat Iacob Laban, mentitumque asserit, mercedemque suam decem vicibus mutasse, & filiæ, quæ debuerant patrem excusare apud virum, accusant, & maiora mala, quàm audierint, detegunt, & aduersus patrem causam viri, veluti suam, tuentur. Vide quæ crimina patri obiiciant: quòd, scilicet eas extraneas reputauerit, quòd eas vendiderit, illorumque pecuniam consumpserit. Hinc est quod filiæ coniugatæ, quasi alienæ reputantur: quod in virorum partem omnino transierint.

Furata est Rachel idola patris sui.

Admonui superius, eum qui filiam coniugatam domi habeat, furem, ac latronem potius, quàm filiam habere: quod si religionis gratia idola patri abstulit, docemur proximis, quæ illis sunt nocitura, auferre. Dicunt enim Hebræi Rachelem tribus ex causis patris idola surripuisse: prima ob ablatam mariti mercedem à patre: secunda, ne pater illorum monitis per quod iter abissent, cognosceret. Tertia (vt diximus) vt ita patrem ab idololatria auocasset.

Venit Deus ad Laban nocte.

Non est quod hic admoneam, qualem Deus suorum curam habeat, vt non solum prohibeat nocere, sed etiam dure alloqui.

Dimisissem te cum lætitia.

Impij nunquam meminerunt bona facere, nisi cùm non est tempus faciendi.

Fortitudo manus mea, ad faciendum vobiscum malum.

Hoc interest inter bonos, & malos, in bonis & malis faciendis, quod bonis satis est posse nocere, non nocent tamen. Boni verò in bonis posse bene agere satis esse non putant, nisi facultatem bene faciendi opere impleant. Impij verò contra: bona posse facere volunt, sed non faciunt, mala verò exequuntur: neque potentia contenti sunt. De bono enim diuite scriptum habes, quòd potuit transgredi, & non est transgressus: facere malum, & non fecit.

Sed Deus patris vestri. Audis hic quàm bonus amicus sit Deus: qui non iactat bona, quæ pro amicis facit: capitque eos potius ab alio, quàm à se audire, quæ propter eos bona fecerit.

Ne fit ira: in oculis Domini mei; quia non possum tibi assurgere:

Promptę sunt valde fœminæ, ad mendacia quibus mala opera excusent.

Et ira fuit ipsi Iaacob. Ostendit locus iste qualiter culpæ timor, timidum faciat hominem: iustitia verò audacem: quandiu enim timuit: ne fortè socer esset idola inuenturus, tacuit: postquàm verò non inuenit, audax factus est. Permittit etiam Dominus iustorum tabernacula inuestigari, vt illorum iustitiam ostendat.

Viginti annis fui tecum.

Considera hic quàm fideliter sancti dominis inseruiant, neque vtantur iuribus suis. Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat. Arguuntur hic infideles serui, suæ infidelitatis erga dominos suos: cùm videamus quali cura, & solicitudine Iaacob seruabat pecora Laban.

Nisi fuisset Deus patris mei.

Omnia bona in Deum sancti referunt, & potius in merita parentum, quàm sua illa coniiciunt. Nemo ergo iustum iusta mercede fraudet, cùm sciat eum Deum habere vltorem.

Vacuum remisisses me. Commune malum valde est, Dominos male soluere, sibi impensa ministeria: vt opus fuerit Deum mercedem ab inuitis auferre, & sua dare, sic fecit etiam Ægyptiis.

Filiæ, filiæ meæ sunt. Sæpe enim aliqui putantes in alios sæuire, in seipsos sæuiunt, & est optima consideratio: eum qui sæuire in aliquem vult, considerare an sibi quicquam mali faciat. Vnde August. sermone. 16. de verbis Domini dicit neminē posse in inimicum sæuire, qui sibi maius malum non inferat, quàm illi. Non potest (inquit) fieri, vt qui odit alterum, non sibi prius noceat, illum enim lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinseus, quanto autem animus noster corpore maior est, tanto ipsi prospicere debemus, ne ipse lædatur. Lædit autē animum suum, qui alterum odit. Et quid facturus est ei quem odit? Tollit pecuniam. Nunquid fidem? lędit famam. Nunquid cōscientiam? Quicquid nocet, forinsecus nocet. Sibi attendat quid noceat intus. Sibiipsi inimicus est, qui odit alterum, sed quia non sentit, quid sibi mali faciat, in alterum sæuit eo periculosius viuens, quod non sentit quid sibi mali agat: quia sæuiendo sensum perdidit. Te sæuiente, ille nudatus est, tu verò iniquus factus es. Multum interest inter nudum, & iniquum esse. Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quære quis grauius damnum perpessus est. Ille perdidit rem periturā: tu factus es periturus. Cogitauit ergo Laban sibi illatarum omne malum, quod Iaacob intulisset: ideo facere nouuit. Vbi

Vbi similter aduerte: quòd qui non potest multum nocere, si odit, nocet eo modo quo potest. Nam quia Laban adeo prohibitus, nō potuit quicquam mali inferre Iaacob, lubens dicit omnia illius sua fore.

Veni percutiamus fœdus.

Iusti sunt timori iniquis: ideo cum eis fœdus inire cupiunt. Et aduerte, quod lapidum collectio, significabat duros prius animos, in vnum coire: quemadmodum duri lapides in acernum.

Speculetur Dominus, quia latemus alter alteri.

Admonētur hic fidigraphi, non rescindere pacta, quādo non est qui fractam fidem exigat: quoniam Dominus, qui testis pacti fuit, exiget.

Si acceperis vxores super illas.

Diuisus amor non ita ardet, sicut coniunctus: ideo optimè coniugibus consultum est, vt vna vni cōiunga tur. Docētur etiam homines vxores non multiplicare.

Deus Abraham & Deus Nachor.

Admonet locus iste per illum Deum iurandum esse, quem nouimus vtrunque iurantium colere: modo sit verus Deus. Vnde quando iusiurandum est inter homines, diuersos deos colentes, optimum est, si per eum qui verè Deus est, quicunque ille sit, iurent.

Iurauit Iaacob, per pauorem patris sui.

Quàm timendus à nobis sit Deus, docet locus iste: qui Deum timorem vocat.

Vocauit fratres suos, vt comederent panem, immemor murmuris: quo aduersum se murmurauerant: eos modo ad hostiam pacificam inuitat. Mordet hoc in loco, Catharinus noster Caietanum bis, quod videlicet dicat Rachelē fuisse idololatram, & quia putat cultus disparitatem matrimonium non impedire ex naturali iure, sed quid interfit inter Caietani, & Catharini peritiam etiam cæci norunt. Est autem prior Caietani sententia Diui Chrysostomi Homil. 67. in Gen. Fuisse quę idola in domo Iacob, textus ipse indicat inferius cap. 35. vbi Iaacob dicit admonendo domum suam. Remouete deos alienos: qui sunt in medio vestri, & mundate vos, & mutate vestimēta vestra. Et dederūt ipsi Iaacob omnes deos alienos, qui erāt in manu sua, & inaures, quæ erāt in auribus suis, & abscondit eas subter quercum, quæ erat apud Sechem. Neque est credibile fœminas, & seruos, aliosque comites Iaacob, idolis assuetos, tam facilè omnia reliquisse cultumque deorum suorum sic oblitos, vt non secum idolatriæ aliquod vestigium deferrent. Præsertim si theraphim futura prædicebant: quę sciendi omnes auidissimi fumus. Quod autem coniugium inter cultu dispares iuri naturæ non aduersetur, sanctus Dauid: qui Macham filiam regis Gessur in coniugem accepit, argumento est. Similiter sanctissima Hester, quæ idololatræ, marito iuncta est: vt interim Salomonē omittamus, qui filiam Pharaonis, dum adhuc iustus esset, accepit. Est etiam quidam Minorita, qui nuper in Caietanum inuehitur, non ea modestia, quæ Minoritam decet, qui dum Caietanus in humanis esset, neq; mutire quidem in eum ausus est, sicut neq; in Erasmum. Postquàm verò eos vidit esse vita sanctos, gladium linguæ in eos exeruit: neque passus est illorum vmbras quiescere. Tuum bone pater, erat eos fraterne admonere, dum viuerent: si quid tibi in eis admonitione dignum videbatur. vmbras autem illorum cædere, non strenui, sed debilis militis est. Sed sunt qui putāt se gloriosos milites ostendere, etiam si debiles sint, si cum gigantibus sese certasse ostendant, sed sat sit te pater admonuisse, vt in posterum talia non audeas, sciens. D. Caietanum patrono non indigere: neque defuturum, si egeat. Audiumus non semel te in concilio differentem, neque ignoramus cuius peritiæ sis, quare consuleremus, vt tua prodas, & aliena non laceres.

CAPITIS. XXXII. AD LITERAM ANNOTATIONES.

Occurrerunt ei angeli Dei. Miserat Deus angelorum acies in auxilium ipsi Iaacob aduersus fratrem: quem timebat, & isti sunt angeli, qui ei occurrisse dicuntur hic. Verbum autem (pagaa) significat occurrere intermediando: vt supra cap. 23. probauimus. Vnde angelorum castra, manserunt inter Iaacob, & Esau fratrem suum, vel fortè alterum castrorum erat ante Iaacob, alterum à tergo, vel ad latera, ita tamen, quòd antea erant milites inter ambos fratres.

Ad agrum Edom. Significatur, quod Iaacob miserit nuntios ad terram Sehir in agrum, id est, ad campestria Edom: vbi fortè morabatur frater: aut vbi tunc erat cum. 400. viris.

Cum Laban peregrinatus fuim, & postea, vsque nunc. Sic Hebraismus habet, & sensus est. Cum Laban peregrinatus sum à discessu meo à te, & postea vsque nunc. Aut peregrinatis accessi Domum Laban, & postea vsque nunc, apud eum mansi.

Misi ad annuntiandum, scilicet aduentum meum Domino meo: vt inuenirem gratiam in oculis tuis, id est, vt tua gratia liceret transire, aut vt tibi gratus esse sem qui antea fueram ingratus.

Timuit Iaacob valde, & coarctatus est.

Aliqui hic vertunt angustia affectus est. Sed re vera vet bum (Sur) significat proptie stringere, arctare: vt patet Deuterono. 14. (Ve sarta) id est, stringes argentum, seu pecuniā in manu tua. Idem cap. 20. (Ve sarta) id est, arctabis illam, seu stringes, scilicet ciuitatem. Vnde illud Psalm. 39. quod nostri vertunt. Ante, & retro (sartani) id est formasti aut figurasti me, vertendum est, arctasti, compressisti: quemadmodum figulus lutum, dum vas formare cupit. Vnde sequitur. Posuisti super me manum tuam, ac si dicatur. Non solum ante, & retro compressisti, sed manum tuam posuisti super me: quemadmodum figulus super lutum. Posset etiam hic verti. Et angustia affectus est, ab angustando, seu stringendo. Non enim videbat Iaacob modum quo posset euadere fratris iram. Hebraicè adiicitur in se, seu angustia affectus est sibi, id est, in se.

Si venerit Esau ad turmam vnam, & percusserit eam: turma reliqua eruetur.

Arbitrabatur enim, quod dum Esau percuteret alteram turmarum, altera posset interim fugere, & transire terminos Edomæorum. Aut quod satiatus vnius turmæ petcussione, nollet amplius in aliam sæuire.

Minor sum omnibus misericordiis tuis, & omnibus veritatibus tuis: quas fecisti seruo tuo. id est, excedunt miserationes tuæ, merita mea, & veritates tuæ similiter excedunt merita mea: per quas intelligit promissorum impletiones: quas cum patribus, tum etiam ipsi fecerat, quod statim explicat. Promiserat enim Dominus multa illi, præsertim quod liberaret eum cap. 28. Dicit enim se in baculo suo, id est sine vlla supellectili, sine diuitiis, sine armētis, & pecudibus, sine seruis, sed solo baculi comitatu transisse Iordanem. Et aduerte, quòd dicit se minorem miserationibus Dei: propter substantiam quam illi, sine meritis dederat. Dicit autem se minorem cunctis veritatibus, ratione promissionum impletarum.

Percutiat matrem super filios, id est, post filios.

Et pernoctauit ibi. Melius. Et mansit ibi.

Et accepit de eo quod veniebat ad manum suam. munus Esau. Non diligebat, sed quod manui occurrisset, separabat pro munere, quod ideo fecisse credo, quia non habebat tempus deligendi: sed mirum valde est eum non delegisse quæ mittenda erant. Audierat enim fratrem iam venire ei obuiam. Similem loquendi modum habes primo Samuelis 25. vbi pueri Dauidis dicunt Nabal. Da, quod inuenerit manus tua seruis tuis, id est non deligas dona.

Gregem & gregem seorsum ipse. id est, Tradidit seruis turmam vaccarum seorsum, & camelorū, & omnium aliorum, & ipse sequebatur eos.

Interstitium ponetis inter gregem, & gregem.

Hebraicè est. Respiratio sit inter gregem, & gregem. Vocat enim Hebraismus spatium quod est inter duas tes, spirationem, id est, intermedium: quo possit flatus transire ab vna in aliam partem.

Cuius es tu. Hebraicè ad literam habetur. Ad quem

Universidad de Deusto
Biblioteca

cu, scilicet pertines: sic infra.

Et ad quem ista ante te? id est, ad quem pertinent ista, quæ sunt ante te, sed sensus redditus est.

Etiam ipse post nos.

Prudenter valde se habuit Iacob, quia fratris animum ignorabat, noluit esse primus, ne primus periret, si frater malo animo illi occurreret.

Placabo faciem eius munere.

Non plenè cōstat, quid propriè significet verbum (chapar:) quod nostri hic placare vertunt: de cuius significatione Gene. 6. disputauimus, & videtur propriè significare linire, & ex consequenti placare, quod placatus videatur linitus: vt non appareat eius ira. Nostri in libris legis, ferè semper expiare vertunt.

Si fortè leuet faciem meam.

Nam offendentes coram offensis deiicere faciem solent, & cùm offensus parcit, facit eos leuare faciem suam, & hoc est quod hic dicit Iacob. Cùm enim illum offenderim, faciem coram ipso deprimam, sed ipse si mihi fuerit propitius, faciem mam leuabit. Aut si fortè parcat: quod erit causa, quod ego leuem faciem mam coram eo. Similem locutionem habes. 2. Samue. 2. vbi Abner dicit Hasaeli fratri Ioab. Si percussero te, quomodo leuabo faciem meam ad Ioab fratrem tuum? Sic supra. 4. Si bene egeris, leuabis, seu erit leuare faciem. Alio modo posset exponi. Si fortè portet. seu ferat faciem meam. Solent enim homines non ferre inimicorum aspectum.

Ipse mansit, potius, quàm *pernoctauit in nocte illa in castris.* *Transitum Iaboch.*

Erat Iaboch torrens regionis petral, ad ortum Iordanis: distans à Gerasa. 4. milliaribus, fuitque quondam Hammonitarum terminus, quem aliqui sic nominatum à Iacobo putant.

Et luctabatur vir cum eo.

Variè tam Hebræi quàm nostri sentiunt, de significatione verbi (abach) quod hic vertunt luctari. Dicunt enim Abach nomen, significare puluerem, vt patet Deute. 18. Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ. Abach id est, puluerem, & multis aliis scripturæ locis. Et quia luctantes puluerem pedibus ciere solent, inde verbum Abach, luctari significare dicūt. Sed si quis rectè expendat, videbit, nomen potius significare exhalationem, seu nebulam tenuem, quàm puluerem, & verbum exhalare, seu flatum emittere potius, quàm luctari, & etiam luctari: quod luctantes soleāt propter laborem, flatum frequenter mittere. Quod autem (abach) potius nebulam significet, quàm puluere constat Deute. 28. in loco citato. vbi textus habet. Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ (abach) id est puluerem, vt isti vertunt. (Ve aphar) id est, & puluerem. vbi vides inutilem omnino repetitionem fieri: si dictio abach puluerem significet: cum post eam sequatur aphar, quod propriè puluerem significat. Quod autem quosdam ad hanc significationem compulit, fuit illud, quod habetur Cant. 3. Præ omni abchat, id est, puluere aromatarij (vt isti intelligunt:) non videntes melius quadrare, si vertas. Præ omni fumo, seu nebula aromatarij. Vertendum est ergo. Ecce vir luctabatur, sed ratio significationis huius non est à puluere, sed ab anhelitu? (vt diximus) quem luctantes crebro emittere solent. Vnde illud Nachum primo Nubes puluis pedum eius: melius vertas. Nubes nebulæ, seu nebulosa pedum eius, id est, quam excitabant pedes eius, aut quam pedibus suis excitabat. *Tetigit neruum.*

Melius curuitatem, aut curuum femoris eius, & est locus, vbi genu curuatur ad modum volæ manus.

Extendit se curuitas femoris Iacob, seu recessit à loco suo, & est sensus, aut quod plus solito extenderit se, aut, quod nerui sustinentes curuitatem illam, à suo loco recesserint. Verbum enim (Iachah) significat propriè extendere se, & recedere à loco suo: vt patet Exod. 23. (Vathecha) id est, recessit, extendit se, anima mea ab ea. Significat etiam suspendere: quòd suspensi extendantur penduli: vt habes. 2. Samuelis. 21. & Numeri. 25.

Dimitte me, quia ascendit aurora.

Quærendum esset, cur angelus, ante auroram discedere volebat, & causa meo iudicio est, quia nolebat cognosci quantum ad effigiem. Nolunt enim superni ciues, sese tam palam ostendere: ne familiarius cognoscantur. Nā inferius cū Iaacob nomen eius inquireret noluit indicare: vnde constat quod nolebat cognosci.

Quoniam principatum habuisti, seu *princeps fuisti cum Deo, & cum hominibus poteris*, seu *præualebis*: & sensus est. Quoniam si conflixisti cum deo, aut si cum Deo æquis viribus contendisti, poteris cum homine contendere, & præualere. Sunt qui interpretantur: si præualuisti cum Deo: ita vt eum coēgeris rogare te, vt eum dimitteres: præualebis etiam mortalibus. Sed quia angelus videtur: præualuisse tangendo curuitatem fæmoris eius, prior sensus germanior est. Secundum tamen sensum verba Hoseæ. cap. 12. probare videntur: vbi dicitur. In vtero supplantauit fratrē suum, & fortitudine sua præualuit angelo, & præualuit angelo, & præualuit, fleuit, & rogauit eum, quæ verba, si ad angelum refer antur, videtur quòd angelus fleuerit, rogans Iaacob, vt eum dimitteret, & sic, principem fuisse, seu esse cum Deo, seu in Deum nihil aliud est, quàm Deo dominari, & ei præualere. In Hebræo tamen habetur. Quoniam princeps fuisti cum Deo, vel in Deum, & cum hominibus, aut in homines, scilicet princeps eris, & potuisti, scilicet in Deum & in homines, id est, & si potuisti in Deum: poteris in homines. Quia tamen coniunctio (Et) frequentissime ponitur otiosè: arridet mihi magis prior interpretatio. Constat autē ex hoc loco nō bene illos etymon nominis Israel explicare: qui dicūt significare hominē deū videntem.

Vocauit Peniel, id est, facies Dei, & ratio subditur. Videre Deum facie ad faciem Hebraismus est significans videre Deum familiariter. Quod enim non sic reuera faciem videre, constat Deuterono. 5. vbi de populo dicitur vidisse Deum facie ad faciem.

Salua facta est anima mea.

Commune fuit Hebræis, neminem, qui Deum vidisset, postea viuere posse: vnde Exodi. 33. Deus Moysi dicit. Non videbit me homo, & viuet.

Ipse claudicans, super femur suum: id est, claudicabat, dum se sustentaret super femur suum. Hebraicè ad literam est. Et ipse laterizans, id est, ad latus pēdebat super femur suum.

Non comederunt filij Israel nervum contractionis.

Incerta est significatio nominis (Nasseh) quod nostri contractionem vertunt: sicut & verbi (Nassah) à quo descendit: quod meo iudicio, significat obligare, & contrahere: quoniam obligatus, contractus esse videtur. Est ergo sensus. Quia neruus curuitatis femoris extensus est, non comedunt filij Israel neruos contrahentes crura, aut quia dimotus est.

In nervo contractionis.

Expone vt suprà, scilicet extensionis. Permittitur tamen contractionis lectio.

CAP. XXXII. AD MORES.

Misit Iacob nuntios, ad Esau.

Docet nos hic sanctus patriarcha Iacob, quam liter debemus iis, quos offendimus, reconciliari.

Sic dicetis Domino meo Esau.

Nouerat optimè sanctus vir, nihil magis offensi animum placare, quàm si te illi subiectum, & humilem ostendas: ideo vocat eum Dominum. Vbi simul aduerte, qualiter nuntij, quos mittimus: instruendi sunt, vt decenter loqui sciant: maximè cùm ad magnos mittuntur. *Sunt mihi boues, & asini.*

Si quæras, ad quid hęc fratri recēset, putarem, quod ne frater æstimaret eum pauperem, velle ab eo sustentari, & similiter habere, vnde eū posset iuuare, si opus esset, similiter ne putaret tantum recessum sine fructu fecisse.

Timuit Iaacob valde, & diuisit populum.

Fuerat Iaacob certior factus, quòd deus foret cum eo, & quòd

& quòd frater futurus esset superior. Nouerat Deum arguisse propter eum Laban, nihil tamen industriæ humanæ prætermittit, vt nos doceat facere, quæ in nobis sunt, etiām si certi simus Deum nos adiuturum. Quod autem populum diuisit in turmas, industrij ducis opus est.

Deus patris mei Abraham.

Expende orationis argumenta. Postquam enim quod suum erat fecerat, ad diuinum recurrit auxilium, & primum Deum Abraham nominat: quia nouerat, quàm gratus illi fuerat Abraham. Secūdo loco promissa proponit, quòd suo imperio iter arripuisset.

Minor sum cunctis misericordiis tuis.

Commemorat præterita beneficia, vt præsentibus dignus sit: quo nos optimè sanctus vir docet, de præteritis gratias agere, cùm volumus impetrare noua à Deo munera.

Tulit ex ea quæ manu occurrebant: munera Esau: Lenite (vt diximus) solēt munera faciem irati, & ex ira in hilarem mutare.

Interstitium ponetis inter gregem, & gregem.

Nouit sanctus vir munus suum decorare: vt maius appareret.

Placabo faciem eius munere.

Ac si dicat. Videat ipse prius munus, quàm ego faciem eius: vt munus faciem leniat ad aspectum meum, ne in me malum, quod sibi intuli, videat: seu videat oculis muneris me, non suis: qui enim munera accipiunt, vident per munera, non oculis suis.

Remansit Iacob tantum. Requirit oratio locum secretum, & qui orat, debet secretiora loca, vbi nemo possit eum impedire, quærere.

Luctatus est vir cum eo. Solet Dominus suos reddere certiores bonorum suorum, vt bis letentur: semel in spe, & iterum in re.

Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

Non est Deus dimittendus, neque ab oratione cessandum, nisi obtinueris quæ postulas. Vnde & sponsa in Canticis dicebat Canticorum. 3. Tenui eum. neq; dimittam, donec inducam eum in domū genitricis meę. Multa enim videntur facere sancti coacti: quæ antea facere nolebant, vt patet de Elisæo, & Sunamite, quæ illius vestigia apprehendit, neque dimisit, donec ad resuscitandum filium compulit.

Princeps fuisti cum Deo.

Ecce quanta sit orationis potestas, vt angelum descendere fecerit ad luctam, & Iaacob Deum ipsum superasse videtur, ac benedictionem ab eo obtinuisse.

Quid interrogat de nomine meo?

Debent sancti viri, nomina celare, quantum possunt, neque nisi inuiti, prodi.

Vocauit nomen loci Peniel.

Ostenditur ex hoc loco sanctorum gratitudo, quod etiam locis, vbi bona adeò suscipiunt, noua nomina imponunt.

Erubuit anima mea. Quàm terribilis sit diuinus aspectus, docet locus iste: vt nemo citra mortem eum videre possit.

Idcirco non comedunt filij Israel nervum.

Debent filij sentire mala parentum, & flagella quibus Deus parentes suos castigauit, sua reputare.

CAP. XXXIII. AD LITERAM ANNOTATIONES.

Diuisit filios super Leah, id est, adiunxit vnicuique vxori liberos suos: vt quęque pro suis intercederet: si contingeret fratrem seuire.

Posuit ancillas, & filios earum in principio: vt scilicet iram fratris minus dilecte acciperent prius: quo docet minus dilecta pro conseruatione eorum quę magis diligimus esse periculis obiectanda.

Quid isti tibi? subaudi attinent. Aliqui vertunt. Qui sunt isti? sed Hebraicè priori modo habetur.

Quos donauit Dominus seruo tuo.

Non constat quid proprie significet verbum (chanan) videtur tamen significare donare, cōdonare, & parcere gratis, quod parcere nihil aliud sit, quā gratis condonare, sed nondū animus in hac significatione quieuit.

Quid tibi, id est, quid ad te pertinet, omnis turma illa cui occurri? aut melius. Quid tibi, scilicet prętendis, in turma cui occurri?

Est mihi multum, & tibi sit punctus. Postea sequitur.

Frater mi, sit tuum tibi, aut erit tibi quod tuum est.

Quoniam propterea vidi faciem tuam, sicut si viderem faciem Dei, & complacuisti in me.

Sicut enim qui volebant Dei faciem videre, non debebant apparere vacui coram eo, sic Iaacob dicit ideo se voluisse munus offerre, quòd faciem eius ad placationem suam viderit, ac si vidisset faciem Dei. Vnde sensus est. Ideo munus tibi offerre volui, quia vidi faciem tuam ad placationem: sicut quis videt faciē Dei: vt sibi sit placabilis: quam sine munere videre non audet. Et condonasti, seu pepercisti mihi.

Accipe benedictionem meam, id est, munus, quod vocatur benedictio, quod cum benedictione offerri soleat.

Quoniam donauit mihi Deus, scilicet substantiā. Sunt qui vertant. Quoniā misertus est mihi Deus, sed prior interpretatio germanior est. Vnde sequitur.

Et quoniam est mihi omne, quod, scilicet do tibi, non emo, nō mutuò accipio, sed ex eo quod abundo, dono.

Et vim fecit in eum, & accepit.

Duplicem tam Hebræi, quàm nostri, significationem tribuunt verbo (pasar) scilicet cogere supra. 19. & Iudi. 19. & iterum. 2. Regum. 2. Et transgredi. 1. Samue. 15. vbi dicitur. Et (teraphim, est hapsar) id est, transgredi: vbi melius vertas. Vim facere, seu resistere. Et sensus est, perinde est Deo resistere, ac habere (teraphim) seu colere idōla. Quare hic vertendum reor. Et vim illi intulit, aut restitit ei, & accepit.

Ambulabo ante te, ne, scilicet possit quis tibi nocere.

Et boues fœtæ sunt mihi.

Verbum (alah) significat proprie ascendere, & reuoluere. Hebræi etiam, quos & Santes, & Munsterus sequuntur, fœtas vertunt: carpitq; Mūsterus Steuchum, quòd verterit ascendentes. Sed cùm tam bene textui quadret ascendentes, non video cur verbum à sua natiua significatione distrahamus, & iam sæpius admonui Hebræis in huiusmodi parum fidēdum esse: quòd ex coniecturis, quemadmodum & nos, significationes venentur, & provt eis videtur mutant, & alienant verborum significata. Vnde licet Eugubius in hac sententia solus sit, cùm pro se habeat verbi propriam significationem, malo ei soli adherere, quàm multis Hebręis cæcutientibus, & pro libito suo mutātibus verborum significata. Quare cum Steucho vertendum puto. Et boues ascēdentes sunt iuxta me. Est enim terra sancta cæteris vicinis altior, & cùm boues lento ascendant gradu: oportebat Iaacob etiam lento gradu ascendere, si cum eis ascendere disposuisset.

Si pulsauero eas vna die. Verbum (dapach) videtur significare crebris ictibus pulsare: vt patet Iudicum 19. (Mitdachim) id est, pulsantes crebro ad ostium, & Canticorum. 5. Vox dilecti mei (Dopech) id est, crebro pulsantis ostium.

Ducam ad quietem, seu quietè *ad pedem substantiæ.*

Aduerte quòd dictio (iti) seu (at) à nostris, & Hebræis dicitur significare pedetentim, quiete: vt patet. 2. Samue. 18. (leat, li) id est quiete mihi, seu propter me pueto Absalon. Si tamen radix est (natah) quod est inclinare, tunc sensus est. Ducam me summisse, seu demisse ad pedem substantiæ, id est, quemadmodum substantia mea potuerit: per quam intelligit vxores, & paruulos, oues, & boues, cæteraque id genus.

Inueniam gratiam in oculis tuis, hanc, scilicet vt neminem mecum relinquas, aut hoc solo contentus sum, vt gratiam coram te inueniā, seu tibi gratus sim. Vimebat enim, ne aliquid insidiarum moliretur frater contra eum.

Iacob profectus est in Succoth.

Non sic tunc appellabatur, sed illa de causa sic postea appellatus est locus, quòd ibi Iaacob tuguria gregibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuis ædificauerit. Erat autem hæc Succoth propinqua torrenti Iabboch, in tribu Gad. Est & altera, quæ fuit prima mansio Iudæis de Ægypto egredientibus, multum ab hac distans. Alia duo ponit Hieronymus in Sorte (iehudæ.) Est autem Succoth tecta à, sachach, quod est tegere.

Venit Iaacob integer, ciuitatem Sechem.

Sensus est, quòd venit sine alicuius rei defectu, cum omnibus quæ illi erant. Admonui aliàs, salam, non significare pacificum esse: vt multi, tam ex nostris, quàm ex Hebræis arbitrati sunt, sed potius integrum esse, nihil illi deesse: quare cùm nostri interpretantur, Est ne pax? tu verte. Est ne integritas? Et sic alias similes locutiones: ad quod probandum, optimus est locus iste, vbi (salem) non significat pacem, sed integritatem. Aliqui voluerunt, salem, esse nomen proprium loci: cuius meminit scriptura supra cap. 14. quorum sententiam non probo. Et quod sequitur.

Ciuitatem Sechem. Describitur vir, cuius erat illa ciuitas: vt statim textus explicat. Quælibet enim ciuitas tunc temporis suum regem habebat.

Mansit ante vrbem Verbum (chanah) non manere, sed potius figere tentorium significat, aut castrametari: vt patet Isaiæ. 29. vbi dicitur. (Vechanithi) id est, figam tentoria, sicut pilla super te, id est, cingam te castris in rotundū, seu per circuitum. Et eodem cap. Vè Ariel, Ariel ciuitas (chanah) id est, in qua fixit tentoria Dauid, seu quam circundedit. Est ergo hic vertendum. Et fixit tētoria ante ciuitatem. Disponebat enim mansionem suam, ad modum castrorum, circūdans, scilicet eam vallo per circuitum.

Centum nummis. Alij vertunt, Centum agnis: quia ignota est propria significatio nominis (cheshtah) Probat autē Rabbi achibah significare nummū: quoniam audiuit Arabes (vt ipse testatur) vocare nummum (chesshtah) Ex quo dices qualiter Iudei significata nominum mendicent ab Arabibus. Mihi verò magis probatur significare agnam, aut pecudem. Nam Iob. 42. vbi dictio ponitur, & habetur. Et dederunt ei, scilicet Iob vnusquisque, scilicet consanguineorum, & amicorum (chesshtah) vnam: melius quadrat pecudem vnam: quoniam statim sequitur, quod Dominus benedixerit nouissimo Iob magis, quàm principio, & fuerunt ei. 14. millia ouium, quasi oues illæ paucæ, quas amici dederant, Dei benedictione in tantam creuerint multitudinem. Secūdo, quia tunc temporis rarus erat nummorum vsus. Est etiam Ionatas Chaldæus paraphrastes, cum vulgato interpreti, in hac sententia.

Vocauit illud, scilicet altare *fortis Deus Israel.*

Probauerat enim Iaacob Dei fortitudinem in sua liberatione, & incolumitate: quoniam à Laban, & à fratre liberauerat eum, & sanum, & incolumem cum multa substantia in patriam reduxerat. Et quod dicitur eum altare vocasse, fortem Deū Israel, non est seinsus, quòd crederet altare Deum, sed Dei fortis Israel. Vocauit altare Dei fortis Israel. Similem loquēdi modum nos Lusitani frequentissimum habemus, dicentes. Eamus ad sanctum Andreā, id est, ad domum sancti Andreæ, vocantes domum dedicatam sancto, nomine sancti. Sic, & altare Dei, Deus hic appellatur, quòd in eo Iaacob litauerit Deo Israel.

CAP. XXXIII. AD MORES.

Vidit, & ecce Esau veniebat.

Ostendere solet Dominus pericula sua sanctis: vt cognoscant, à quibus eos liberauerit, & grati sint illi. Si enim mala sibi imminentia non cernerent, nescirent Dominum eos ab huiusmodi liberasse.

Diuisit liberos. Commune, & naturale est, vt quæ minus diligimus prius periculis obuiis opponamus: sicut hic Iaacob ancillas cum liberis præmisit.

Et adiunxit liberos matribus suis.

Quia melius eos custodirent, & pro eis fratrem deprecarentur.

Incuruauit se super terram decem vicibus.

Admonui supra nihil magis flectere irati hominis animum, quàm subiectionem illi ostendere, & reuerentiam. Et hoc peculiare habent Hebræi, vt cùm timent, aut aliquid à te obtinere volunt calceum præsefetant: cùm verò tu illorum ope egueris pileum, (vt nostri dicunt) id est, superbiam maximam ostendunt.

Cucurrit Esau in occursum eius.

Admonet locus iste non debere nos perpetuo esse memores injuriarum, & quod multū prosit fugere eum, quem offenderis: quoniam successu temporis, animus irati placatur.

Quos donauit Deus seruo suo.

Omnia bona sua, dona Dei esse: iusti arbitrantur.

Appropinquauit Ioseph, et Rachel, et incurcuauerunt se. Debent viri docere familiam morigeram esse, & quasi ter magnos debeant reuerentiis tractare, & honorare.

Est mihi multum frater mi.

Docentur diuites non acceptare munera: quibus non egent. *Ne quæso, sed, si inuenigratiam.*

Optimè nouerat sanctus vir munera hominem ligare, ne posset, aut audeat ei, qui dedit nocere: ideo fratrem ad accipiendum cogit. Vbi simul aduerte quàm probe nouerit palpare verbis fratrem. Duo sunt quæ maximè solent hominem flectere, scilicet munera, & laudes: quibus nunc sanctus Iaacob vtitur in fratem. Discant ex hoc loco iudices, qui alios punire habent, nihil à reis accipere: cùm sciant munera non solùm excęcare, sed ligare hominem, ne iniuriam vindicet.

Ambulabo ante te. Admonet locus iste, eum quem semel offenderis, semper habere suspectum, & non libenter acceptare eius ministeria.

Si pulsauero vna die. Docentur hic fortes, & robusti ad aliquod munus, non exigere à debilibus ea, quę ipsi faciunt, sed se potius illorum imbecillitatibus accommodare, quod prælati aduertant, neq, ab omnibus subditis exigant quod soli robusti facere possunt.

Ad quid hoc? Nihil voluit Iaacob à fratre accipere, & coēgit eum ad sua munera capienda: quia nouerat potentes, & diuites, non libenter dare, & libentissimè accipere.

Emit partem agri. Docet nos emere nostra: vt pacem habeamus, iuxta illud Threno. vltimo, ligna nostra pretio comparamus.

Statuit ibi altare. Admonemur hic cùm incolumes de via redimus, gratias Deo agere, & munera offerre.

CAP. XXXIIII. AD LITERAM.

Afflixit eam. Sæpissime admonui verbum, anah, non significare affligere, sed respondere, & humiliare. Vnde hic vertendum est. Et humiliauit eam. Vnde Gerundensis hic dicit omnem violentum coitum vocari oppressionem, seu humiliationem.

Adhæsit, seu coniuncta est anima illius cum Dinah, id est, affectus illius coniunctus est puellæ: quod statim suo more explicat dicens:

Et dilexit puellam. Locutus est ad cor puellæ, id est, consolatus est eam, & est Hebraismus frequens in scripturis: de quo abunde in Hebraismis diximus. Est enim ad cor loqui, dicere ea quæ cor desiderat. Sic Isaiæ. 40. Loquimini ad cor Ierusalem: vbi præcedit consolamini: cōsolamini populum meum, scilicet vos Prophetæ, loquimini ad cor Ierusalem, id est, blanda, & ea quæ cor triste desiderat.

Quoniam polluisset Dinah filiam suam.

Vocant Hebræi coitum pollutionem, quod eo corpora congredientium polluantur semine.

Siluit Iaacob Varias significationes Hebræi tribuunt verbo (charas.) Propria tamen videtur esse aratre, & exinde fabricare, præsertim sculpendo: quod sculptores stillo metalla aperiant, quemadmodum aratores terram. Similiter cogitare aliquid, quod sis facturus: quod cogitans sit quasi arās & locutio, vel opera sint quasi fructus arationis. Significat vltimò surdū se exhibere, seu surdescere: vt patet Micheæ. 7. Aures eorum (techerasnah) id est, surdescēt: quod fabricatores ob strepitum malcorū surdescant, aut operi suo intenti, non aduertant quæ dicuntur. Hic verò significat surdescere. Exhibuit enim Iaacob se surdum, quasi non audiret filiæ stuprū: cuius simile habes. 1. Samue. 10. de Saule de quo dicitur quod fuerit (chemacharis) id est, sicut surdescens. Fecit autem hoc Iaacob ne filios ad vindicandum stuprum prouocaret.

Cum audissent ipsi, aut ea: angustiati sunt, seu angustia facti affecti.

Verbum (hasab) videtur proprie significare premere, comprimere, angustiari: quod angustia affectus sit, quasi compressus. Primo Regum. 1. Et nō (hasabo) .i. compressit eum pater suus, seu non repressit. Et elarius Iob. 10. Manus tuæ, hisebuni, id est, compressērūt me. De quo verbo iam diximus Gene. 6.

Et succensi sunt, seu irati illi, scilicet Chemor, & Sechem valde. Aut *Et irati sunt ipsi valde. Quoniam fœditatem fecerunt in Israel.*

Verbum (nabal) proprie significat cadere, & quia res quæ cadit deturpatur, & fœdatur, significat exinde fœdare, turpare. Inde, nebelah, id est, fœditas, aut turpitudo. Erat enim fœdum apud Israelitas, puellam opprimere, aut vi cognoscere.

Et sic non fiet, id est, non solet fieri, scilicet apud Israelitas. *Connubia iungite.*

Aliqui vertunt. *Facite affinitatem.*

Sed idem est verbum tamen (chatan) significat connubia iungere Iosue. 23. & primo Samue. 18.

Habitate, & negotiamini eam, scilicet terram. Nondum plene constat, quæ sit significatio propria verbi (sachar) videtur autem significare discurrere hinc inde negotiationis gratia. Iere. 14. Quia tam propheta quàm sacerdos sacharu el eres, id est, discurrerunt ad terram, seu hinc inde. Vnde verbum sequens, scilicet comprænhendite in ea, videtur præcedens explicare. Posset etiam verti. Habitate, & discurrite eam, & comprænhendite in ea, scilicet possessionem, seu partem in qua habitetis, & quam colatis.

Multiplicate valde dotem, & donum.

Dixerui de significatione verbi, mahar, supra cap. 18. Et vt ididem diximus, verbum proprie significat festinare, accelerare: vt supra. 27. Quo modo, miharta, id est, accelerasti, seu festinasti, ad inueniendum, & in multis aliis scripturæ locis. Vnde nomen (meher) id est, festinus. Et, maherah, id est, cito. Et in (nipal) significat præcipitem esse in agendis. Est tamen locus Exo. 22. ex quo tam nostri, quam Hebræi occasionem sumpsere alterius significationis qua significant dotare, vbi dicitur. Si seduxerit quis virginem, quę non est desponsata, & rem habuerit cū illa (mahor, ijmharenah) id est, dotando dotabit eam, & eodem cap. ponitur nomen, aut participium, mohar, vbi dicitur, chemohar, id est, secundum dotem virginum. Sed cum in locis citatis propria significatio quadret non video quāobrem mutemus eam, & nouam fingamus: locus enim citatus in Exodo sic optimè reddi potest. Festinando sestinabit eam vxorem, id est, in vxorem accipere. Et sequitur. Si renuerit pater eius dare eam illi, argentum appendet, iuxta dotem, aut iuxta accelerationem virginum, id est, tam cito, quàm cito argentum solet dari aliis virginibus: quibus statim, cum nubunt datur. Aut tam cito, quàm cito virgines festinant ad nuptias, ac si dicat. Tam cito dabit, quàm cito virgo fuerit nubilis. Posset etiam dici, sustinēdo communem opinionem, dotem virginum vocari festinationem: quod cito, & festine soleat virginibus coniugatis tradi. Dupliciter ergo potest locus iste reddi. Altero modo sic. Multiplicate dotem, & donum. Secundo. Multiplicate super me valde festinanter, aut festinando donum, id est, multiplicate donum, & iniungite quod festinè illud soluam.

Respondentes filij Iaacob Sechem, & Chemor patri eius in dolo.

Nutāt Hebræi in significatione verbi (ramah) quod dicūt significare proiicere, fraudare, & dolose agere. Et verbū videtur significare proprie proiicere, & ex consequēti dolose agere, quòd dolosus soleat demittere se, & inclinari, vt dolose agat iuxta illud. Est qui nequiter

se humiliat. Vnde illud Prouer. 10. Pauperem facit manus, (remijah) .i. fraudulenta (vt nostri vertūt) melius veritas. Manus deiecta, aut proiecta. i. non eleuata ad laborandum, aut proficiens. f. prodigendo bona sua.

Et locuti sunt, scilicet secum, seu mutuo, quod polluisset Dynam sororem eorum.

Cœperunt (inquit) tractare filij Iaacob inter se opprobrium suum, ob sororis stuprum. Vnde puto non statim dedisse illis responsum, sed paululum inter se fratres deliberasse, & tractasse rem, & obprobrium sibi factum. Aut melius.

Et locuti sunt, scilicet ad duos *quòd polluisset filius sororem eorum,* ac si dicat. Obiurgarunt eos verbo, ob sororis stuprum ptius, postea dixerunt verba sequentia.

Quoniam obprobrium, aut turpitudo.

Reputant enim Hebręi immūdos omnes preputiatos.

Et placuerunt verba eorum. Hebraicè. Et bona fuerunt.

Ipse honorabilior præ omni domo patris sui, id est, plusquam omnes, qui erant in domo patris. Posset etiam verti. Et ipse ditior quia (chabat) grauare significat, & vocat Hebraismus diuites graues, seu onustos, scilicet diuitiis, sed prior expositio germanior est.

Pacifici nobiscū. Melius integri. Nihil doli meditātur.

Discurrent illam, aut circuibunt. Et terra ecce lata est manibus, id est, locis, Vocat (vt aliàs in Hebraismis diximus) Hebraismus manus, omne id: quod à magna latitudine egreditur, quēadmodum ab Oceano sinus, quos nos etiam in vulgari, & latini brachia maris vocamus. Similiter valles, qui à campo magno egrediuntur: de quo affatim in loco citato.

Nonne nobis ipsæ scilicet erunt, ac si dicat. Nonne habebimus eorum substantiam, & bona?

Dum essent ipsi dolentes.

Non plene constat, quid proprie significet verbum (chaab,) quod nostri dolere vertunt. Nam illud. 2. Regum. 3. vbi dicitur. Et omnem agrum bonum (tachibu) non bene redditur, si vertas: dolore afficientes lapidibus, quoniam ager non est doloris capax: quare puto potius significare percutere, aut plagis afficere, quàm dolere: quoniam hæc significatio omnibus locis, quibus verbum ponitur, congruit: vt Psal. 60. Et ego pauper (vechoeb) id est, percussus, aut plagatus. Sic Iob. 14. Caro eius super seipsam (ijchab) id est, percutiet se. Sic, & hic. Et factum est die tertia à percussione sua, seu à circuncisione, id est, dum essent ipsi percussi circuncisione, quæ erat quædam percussio.

Filij Iaacob, scilicet residui venerunt super occisos.

Vocantur occisi Hebraice (chalalim) à (chalal) quod est polluere: eo quòd sint suo sanguine polluti, aut quia tangentes eorum cadauera polluantur.

Rapuerunt vrbem, id est, prædati sunt eam.

Et omnem substantiam eorum.

Dictio (chel) propie significat robur, & exinde substantiam, quod sit quasi robur hominis.

Turbastis me. Alij vertunt. Corrupistis me. Neque verbi (hachar) significatio certa est. Secunda tamen significatio magis conuenit cum sequenti verbo, scilicet: vt putrescere, seu fœtere faceretis me. Quod enim corrumpitur, statim fœtere incipit.

Et ego viri numeri, id est, habeo paucos viros, & qui facilè possunt numerari. Et est Hebraismus, aut. Et nos viri numeri, id est, pauci ad pugnam.

Consummar, seu finiar ego, & domus mea.

Hoc enim verbum (scamad) proprie significat.

Nunquid sicut meretricem faciet sororem nostram? vt scilicet non vt coniuge ea vtatur, sed, vt pellice.

CAP. XXXIIII. AD MORVM emendationem.

Egressa est Dinah filia Leah.

Colligimus hinc, quàm periculosa, & perniciosa sit fœminis euagatio: quod Paulus primæ ad Thim. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prohibet, de viduis loquens. Otiosæ (inquit) discunt circuire domos, neque solum otiosæ, sed, & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

Vidit eum Sechem Hoc malum principes habent, quod facilè possunt, quæ male cupiunt, habere. Et ignorant pauperes & debiles, quàm bene cum eis agat Deus, quod etiam si velint, non possunt multa vitia, quæ improbe consequi volunt, opere complere. Non cogitant in quæ mala labi possint: si diutiùs fierēt, sed multa bona se facturos somniant.

Adhæsit anima eius Dinah.

Commune est, vt homines magis afficiātur extraneis, quàm suis, vt de Samsone constat.

Surdauit Iaacob. Oportet prudentem hominem multa nolle audire, ne cogatur cum discrimine vitæ suæ honorem tueri. Sic fecit Saul, cùm in regē vnctus esset. Quæ enim honorem tāgunt, melius dissimulantur, quàm dicuntur. Qui enim de his conqueritur, opprobrium suum diuulgat.

Egressus est Chamor pater Sechem.

Docet locus iste parentes, non facilè debere cōdescendere filiorum malis desideriis. ex quorum impletione multa mala orta fuisse didicimus.

Dixit Sechem ad patrem eius.

Commune est, vt ille: cuius negotium proprium est, diligentius, & ardentius curet illud. Vbi simul aduerte hominis aliquid vehementer cupientis animum: vt nihil neget, nihil differat: vt consequatur quod aliquā do improbè capit.

Responderunt in dolo. Non fidere illi: cui fuisti iniurius, admonet locus iste: quoniam dolos, vt plurimum meditatur.

Non possumus dare sororem nostrā viro incircunciso.

Constat ex hoc loco, licere fidem, & religionem, temporalibus promissis dilatare, boniſque ad eam talibus allicere. Similiter quod raro cōeunt in eadem Republica homines diuersarum religionum, & diuersæ fidei.

Tollemus sororem nostram.

Cauendum valde est, ne inimicus tuus sciat, quid multum desideres.

Non tardauit puer facere Non solum sua bona, sed religionem facilè relinquit quis: vt quod auidè desiderat habeat.

Viri isti pacifici, seu integri sunt nobiscum.

Hoc summè extranei obseruare debēt, cùm apud ignotos commorantur: vt scilicet pacifici sint, quia vir pacificus vbique gentium acceptatur.

Greges eorum, & substantia eorum nostra erunt.

Sepe accidit: vt suis bonis priuetur, qui aliena requirit.

Obedierunt Chamor.

Quàm facilè propter mandatum principis, subditi religionem mutent, nouamque amplectantur, optimè docet locus iste, vt iam non simus Christi, aut Dei: Christiani, sed principum: quod Anglia, & Germania nostris temporibus ostenderunt: quæ statim regem apostatantem secutæ sunt.

Acceperunt Simon, & Leui gladios suos.

Quos magis lædit opprobrium, audaciores fiunt ad iniuriam vindicandam.

Filij Iaacob venerunt ad occisos.

Extremum malum est, esse malorum exemplar, quod alij videntes sequantur. Vbi simul disce, quot mala ex vno impunito oriantur.

Turbastis me. Extremum malum est, patrem habere procaces filios.

CAPITIS. XXXV. AD LITERÆ explicationem.

Surge, ascende Bethel, Voluit Dominus: vt ipse declinaret aspectum Chananæorum: ne videntes eum, iniuriæ memores in eum sæuirent, & etiam vt liberius sibi vacare posset.

Et ad omnes, qui erant secum.

Forsitan aliqui de populo terræ cum eo erant, aut simul venerant cum eo de Padan Aran.

Remouete deos alienos, id est, quos alieni à nobis, id est, gentes colunt. Vocant enim Hebræi omnes Deos gentium, deos alienos, id est, quos alieni ab Israel adorant. Et constat ex hoc loco, non solum Rachelem idola patris habuisse, sed etiam multos alios, qui erant in societate Iaacob, & isto modo crediderim iuisse apud Ægyptios, dū Israēl de Ægypto egrederetur. Similiter tempore Samuelis. Nunquam enim, aut raro gens hęc fuit ab idolis munda.

Mundate vos, scilicet ab huiusmodi Diis. *Et mutate vestimenta vestra.*

Verbum (chalaph) significat proprie transire: vt patet Psalm. 90. Mane floxebit (vechalaph) id est, transibit. Et exindè significat penetrare, quòd sit transire ab vna, in alteram partem: vt patet Iudicum. 5. (Vechalephah) id est, & penetrauit, seu transiuit ferro tempus eius: vbi aliqui male vertunt. Abscidit. Sic Isaiæ. 2. Idola penitus (iachaloph) id est, penetrabit, perforabit, gladio trāsfiget. Significat tertio mutare, quod nihil aliud sit, quàm transire facere alteram rem, in alteram: vt. 2. Samue. 12. (Vaichaleph) id est, mutauit, seu transire fecit vestes, scilicet quas habebat, in alias. Vnde hic vertendum est. Et transire facite, seu remouete vestes vestras, scilicet quas habetis, & alias induite. Et hoc etiam solebat fieri, ad cultum Dei: quemadmodum habes Exodi. 19. Vnde (macalaph) id est, culter, sic à penetrando dictus, aut potius verū, sic à perforando dictum. Et colligunt ex hoc loco Iudęi, quod accedsuri ad orationem, debent corpus, & vestimēta, & alia munda habere, nec male, licet magis curanda sit interior munditia, quæ Deo magis placere dignoscitur: vt constat Isaiæ. 1. vbi Dominus dicit. Lauamini: mundi estote. Ne autem putarent exteriorem sufficere munditiam, addidit. Auferte malū cogitationū vestrarum.

Qui exaudiuit me. Aut respondit mihi. Hoc enim verbum (hanah) significat.

Dederunt Iaacob omnes Deos alienos: qui erant in manu eorum, & inaures, quæ erant in auribus eorum.

Dicunt Hebræi (nezem) significare inaurem, quod ex hoc loco probant, & Exodi. 32. sed, vt iam admonuimus supra. 24. Non solum erat ornamentum aurium, sed etiam nasi: vt patet Prouerbio. 11, (nezem) id est, inauris aurea in naso suis. Idem supra. 24. Similiter Isaiæ. 3. Et crediderim ego fœminas illius terræ fecisse foramina in extremitate nasi: quemadmodum in auribus: ad quæ suspendebant huiusmodi inaures, quæ sunt circuli aurei, aut argentei: quibus solent margaritæ ligari, & suspendi.

Sub quercu. Admonui in regulis Hebræos ignorare significata nominum significantium determinatas arbores. Vnde aliqui putant (elah) quod hic ponitur, significare quercum: alij terebinthum: alij castaneam. Si tamen radix nominis, quæ est (alah) quod significat execrari, malum imprecari) insp iciatur: dicendum esset significare arborem execrabilem functam, quales communiter apud idolorū delubra plantari solebant, & fortè hac de causa Iaacob sub ea, execrabilia idola recondidit.

Fuit terror Domini super ciuitates.

Verbum (chatat) à quo (chitat) id est, terror, significat proprie frangere, quod non solum ad corporalia, sed etiam ad animum refertur. Solent autem timentes animo frāgi, dicitur autē terror Domini, id est, à Domino immissus, sicut primo Samue. 26. vbi dicitur, soporem Domini irruisse super eos, qui erāt in castris Saul. Alij vertunt, terror Domini, id est, magnus, sic, & sopor Domini, id est, vehemens, sed primum melius.

Omnis populus, qui erat cum eo.

Ex quo constat fuisse magnam hominum multitudinem cum Iaacob.

Vocauit locum fortem Bethel, aut, *Deum Bethel.*

Quemadmodum capite præcedenti diximus: domum alicuius sancti fortiri sancti ipsius nomen, sic & locus vbi colitur.

Mortua est ibi Deborah nutrix Rebeccæ.

Omnes nostri hic nutricem vertunt, quod non prohibeo, sed dictio potest tam colactaneam, quàm nutricem significare. Et verbi significatio consentit: quod lactare: ad quod, coniectura magna est illud Cant. 8. (tonech) id est, sugentem vbera matris meæ. Est tamen locus secundo Regum. 11. qui cogere videtur dictionem significare nutricem, vbi dicitur, quòd (iehosebah) filia Regis foram tulit Ioas, & nutricem eius: vbi melius quadrat nutrix, quàm colactanea. Ideò prior significatio amplectenda est. Si autem quæras ad quid erat nutrix Rebeccæ cum Iaacob: dicunt Hebræi Rebeccam eam misisse: vt nuntiaret Iaacob ex parte eius, & patris reditum, quemadmodum mater promiserat, quod postea mitteret pro eo, cùm dimitteret eum: vt patuit supra capite vigesimoseptimo. Posset etiam dici, eam domui Iaacob hæsisse post reditum ex Mesopotamia, Non enim textus dicit, eam illuc descendisse.

Sepulta est sub Bethel, id est, ad radicem montis: in quo erat ciuitas illa Bethel. Et quod sequitur.

Sub quercu. Aliud est nomen: quod hic ponitur, scilicet (alon) aliud quod supra positum est, sub quo posuit Iaacob idola, quæ familiares obtulerant: sed tam ignota est significatio huius, sicut illius. Ex verbis tamen Ezechielis. 27. videtur significare arborem: ex qua remi nauium fiunt, quę apud nos non est quercus: licet videatur genus illius. (Nostri vocant bordum) ex quibus etiā mali nauium fiunt. Hoseh etiam quarto, constat fuisse arborem, sub qua idola colebant idololatræ. Et si radix est (alal) quod est leue, aut vanum, significabit arborem leuem: qualis est pinus. Constat etiam esse arborem excelsam. Isaiæ. 2. Et super omnes quercus Basan, aut pinus. Res incerta est. Mihi tamen videtur, aut bordum, quem diximus, esse quercus speciem, aut pinum significare. Vocauit autē quercum fletus, quòd ibi domestici eius fleuerint anum illam, quæ forsitan omnes enutrierat.

Et visus est Deus ad Iaacob adhuc. Dubium mihi est, an hæc noua sit apparitio, vel potius reseratur illa, qua antea Deus illi apparuerat, quādo cum eo in aream descendit. Non enim videtur necessaria noua impositio nominis, quæ antea imposita à Deo ipso fuerat: nisi dicamus, Deum confirmasse nominis impositionem factam ab Angelo.

Ego Deus omnipotens. Disputauimus abundè supra capite decimoseptimo, de significatione nominis (sadai) quod nostri hic vertunt omnipotens, quod potius significaret vberem, & abundantem à (sad) quod est mamma.

Fructifica, & multiplicare. Non solū fructum feras, sed in magna copia, quæ locutio non rectè à nostris, meo iudicio, explicata est, vt supra primo capite huius libri ostendimus. Vide ibi.

Reges de lumbis tuis egredientur.

Dicunt tam nostri, quàm Hebræi (chalasiim) lumbos significare. Cùm re vera non significet nisi (renes:) quod ex significatione radicis coniector. Nam verbum (chalas) (eis etiam autoribus) significat proprie diuidere se, & recedere: vt patet Hoseæ quinto. Ibunt ad quærendum Dominum, & non inuenient (chalas) id est, diuisit se, seu separatus est ab eis. Item Threno. 4. Etiam serpentes (chalesu) id est, diuiserunt, seu separauerunt mammam, scilicet singulis catulis suam tribuentes, lactauerunt catulos suos. Cùm ergo (chalasaim) sit ex hac radice, videtur significare separatos duos. Et quia lumbi non sunt separati, sicut renes, qui sunt quasi separati à reliqua carne, videtur dictionem (chalasaim) potius significare renes: quàm lumbos: rem tamen non omnino definio, quoniam non demonstrationibus, sed coniecturis agor.

Statuit Iaacob statuam.

Non intelligas idolum, sed informem lapidem elevatum.

Extendit super illum extensionem. Alij: effudit effusionem, & cuiusmodi fuerit effusio, statim explicat.

Ponuntur hic duo verba: quasi eiusdem significationis: scilicet, (nasach) & (iasach.) Prius tamen videtur propriè extendere significare. Secundum verò fundere.

Et fuit adhuc milliare terræ.

Variè tam nostri, quàm Hebræi hunc locum reddiderunt: & ex Hebræis quidam arbitrantur (chibrath) esse à radice (barah) & (caph) esse aduerbium similitudinis, & isti vertunt. Et fuit adhuc sicut milliare terræ. Rabbi verò Dauid dicit in libro radicum esse mensuram ambulantis terram, à mane, vsque ad tempus comestionis. Ita enim viatores metiri solent vias. Alij interpretantur. Cùm dat cibum terra, aut cùm gignit cibum terra, id est, in Vere, & isthuc respexit vulgatus Interpres: qui vertit. Erat autem vernum tempus: & isti putarunt (chibrath) esse macor, seu infinitiuum. Sed non mirum, quòd isti in tales incidant expositiones, quia nolunt significationem radicis attendere. Constat autem (chabar) esse per se radicem, & significare multum esse: vt patet Iob octauo. Et spiritus (chabir) id est, multus eloquia oris tui, id est, eloquia oris tui sunt ventus multus, seu ventosa. Idem capite decimoquinto. Etiam canus, etiam decrepitus inter nos est: (chabir) id est, multiplicior, scilicet in annis, quàm Patres tui. Idem capite. 31. & 34. & Isaiæ decimosexto. Cùm ergo constet radicem hoc significare, expendendum erat, an loco hæc significatio quadraret, & re vera optimè conuenit. Nam textus intendit reddere rationem, quare Rachel sit sepulta in via: & ostendit hoc factum fuisse, quoniam adhuc erat multum terræ, ad veniendum in (ephrathah) id est, multum itineris, ac si dicat. Hac de causa non est sepulta in (Ephrathah) sed in via: quia multum viæ supererat adhuc ad veniendum in (Ephrathah.) Vertendum est ergo hic. Et profectus est à Bethel: & fuit adhuc multum terræ, id est, multum itineris, seu multum iter, ad veniendum in (Ephrathah.) Et mirum est quod isti milliare vertant, cùm neque (barah) neque (chebir) quæ radices nominis ab eis ponuntur, hoc significare alicubi inueniantur: & si aduerterent radices, & expenderent: an nomen cum suo verbo in significatione posset conuenire, non tam facilè huiusmodi facerent mutationes. Dicunt etiam (chebarah) significare cribrum, quod multitudinem foraminum habeat, aut acerum tritici. Vnde illud Hamos nono. Quemadmodum mouebitur, seu concutitur (bachebarah) id est, in cribro triticum. Posset etiam verti in acerno, sic à multitudine granorum dictus, dum scilicet, pala mundatur in area, quia tamen Exodi vigesimoseptimo, videtur cribrum significare: admittenda est hæc significatio, sed sic dicitur à multitudine aut foraminum, aut filorum in ordine dispositorum, aut quod verius credo, non significat quocunq; cribrum, sed quod ex multis setis fieri solet caprarum, quod nostri (peneira rara) vocant. Castellani (çedaço) quod ex setis fiat. Moueor ad hoc, quia 2. Regum. 8. videtur hoc significare: vbi dicitur. Et tulit, scilicet, (Asahel hamachber) id est, pannum, scilicet, ex huiusmodi setis factum, aut pellem, & intinxit in aquam, & expandit super faciem eius, scilicet, regis Syriæ. Sic primo Samuelis. 19. ve & chebir, id est, pannum ex pilis caprarum aut pellem caprarum posuit ad caput eius: vt scilicet appareret caput pilosum Dauid: aut vt corpus eius videretur, quod fortè pilosum erat.

Et difficultatem passa est dum pareret.

Verbum (chasah) significat durum, aut graue esse, vt patet primo Samuelis. 5. Quia (chasserah) id est, grauis est manus eius super nos. Vnde hic melius vertas: Et grauauit dum pareret, id est, grauem partum passa est, aut difficultatem passa est. Nam verbum etiam significat difficilè esse: vt patet Exodi. 18. vbi dicitur. Rem (diachasseh) id est, difficilem afferēt ad (mosseh.) Dicunt autem Hebræi, & nostri nomen (michsah) quod est ex hac radice, significare æquale, aut planum: ad quod citant illud Exodi. 25. (michsah) id est, ductile facies illud, scilicet, cādelabrum, sed retenta propria

Universidad de Deusto
Biblioteca

significatione, melius vertas Durum, aut graue, ac si dicat. Non erit intus vacuum candelabrum: quia sic esset leue, & facilè moueri posset: sed facies illud seu stipitem, & hastile eius graue, seu intus plenum. Illud etiam Isaiæ. 3. Et pro opere (michsseh) id est æquali caluitium, seu pro æquali dispositione, caluitium. Melius vertas, & pro opere graui, scilicet, capillorum caluitium. Et videtur vocare opus graue, dispositionem grauem capillorum, seu capillos grauantes. Nam de capillis Absalon legimus, virum grauasse, vt eos ferre nequiret.

Dum egrederetur anima eius. quod statim explicat dicens.

Dum moreretur: vocauit nomen eius Benoni, id est, filium doloris. Pater vocauit eum Biniamin, id est, filiũ dextræ. Dictio (on) significare videtur fortitudinem, & laborem: quòd in labore ostendatur fortitudo hominis. Psal. 105. Principium omnis (onam) id est, laboris, aut fortitudinis eorum. Vnde posset verti. Vocauit nomen eius filium laboris, id est in cuius partu laborasset mater. Aut fortitudinis, id est, fuit matre fortior, vt, scilicet, viueret mortua matre. Quare autem pater vocauerit eum filium dextræ, duplex potest causa assignari. Altera, quòd in eo ostenderetur virtutem apud eum adhuc esse ad generãdum filios, solet enim robur dextra signari: vnde cùm dicitur: Vocauit eum filium dextræ, sensus est. Vocauit eum filium fortitudinis suæ. Secunda, quia pueri vltimo nati solent semper esse ad dexteram patris sui: vocauit eum filium dextræ.

Erexit statua seu erectionem super sepulchrum eius: per quam intelligo pyramidem aliquam, aut lapidem eleuatum.

Hæc est statua, seu titulus sepulturæ Rachel.
Solebant enim illo tempore pyramides super sepulchra insignium personarum eleuari, sicut vsque hodie ostenditur super sepulchrum Iob.

Trans turrim gregis. Quare autem hæc turris dicatur turris gregis, ex scriptura non constat: dicunt tamen Hebræi esse locum, vbi postea templum fuit constructum, citantes ad hoc illud Michææ. 4. Ad te autem turris gregis, turris filia Sion, vsque ad te venient: dominium primum regnum filiæ Hierusalem. Dicunt autem vocari turrim, quòd templum in turris modum fuerit constructum: gregis verò, quòd illic greges ad immolandum adducerentur. Sed hoc non mihi multum probatur, de quo in Michæa fusius dicemus. Posset etiam verti. Ad eleuationem gregis, id est, ad collem.

Fuerunt filij Israel. 12. Putarem residuum huius capitis locandum post finem capitis sequentis: vbi est sermo de filiis Iaacob.

CAPITIS. XXXV. AD NOstram eruditionem.

Surge ascende Bethel. Frequentissimè nos admonet gratitudinis supremus pater, quòd nouerit nos ad ingratitudinem promptissimos: & vbi beneficia contulit, aut promisit, illic nos gratos esse cupit. Neque fuit satis, quòd Iaacob iam illi, pro gratiarum actionibus victimas obtulisset, altareque construxerit: vt videas, non sat esse semel Deo pro magnis beneficiis gratias agere, & hostias obtulisse.

Remouete deos alienos de medio vestri.
Qui Deo summo est litaturus, oportet eum mundari intus & extra: maximè à cultura alterius Dei. Vbi simul nos Hebræi docent cum sancto patre Iaacob, non solùm interiora, sed & externa mundare, dum ad orationem, aut alium quemuis Dei cultum accedimus: vt scilicet lotis vestibus, & manibus, accedamus: quemadmodum celebraturi facimus: modò absit Iudæorum superstitio.

Qui exaudiuit me, & fuit mecum in Via.
Tametsi pro omnibus summi Dei beneficiis, gratia rependenda est: maximè tamen pro eo, quòd te in die angustiæ libertatierit: & se tibi comitem exhibuit.

Dederunt ei omnes deos alienos.
Docentur hic subditi, ea Prælatis suis tradere libenter, etiam si talia forent, quæ intensissime diliguntur, aut in summo pretio habentur.

Abscondit ea Iaacob sub quercu.
Audiant hoc communitatum rectores: & discant à subditis auferre, quæ illis sunt nocitura. Sic sanctus Moseh vitulum combussit, & contriuit, atque idolatris potum dedit: ne postea putarent aliquid illius relictum, quòd colere non vererentur.

Fuit terror Dei super vrbes. Solet Deus sese aduersus iustorum inimicos opponere.

Mortua est Deborah. Commonet nos locus iste, officiorum, quæ erga pios exhibere debemus, & quantum nutricibus debeamus. Similiter debere filios, eos qui de parentibus suis benè meriti sunt, enutrire senes & anus: quòd multi, obligationis huius immemores, negligunt.

Cœtus gentium erit ex te, & Reges è renibus tuis egredientur. Parum est multitudinem generare, nisi nobiles, & probos, ex te producas. Similiter discc, qualiter Deus iustos multiplicare solet.

Terras, quas dedi Abraham, tibi dabo.
Non solùm ob ipsam virtutem boni esse debemus, sed etiam, vt Patrum promissa hæreditare possimus: sæpe enim mala soboles, parentum hæreditatem sua culpa amittit.

Statuit Iaacob titulum, seu statuam in loco: in quo locutus est Dominus.
Sicut dominus ex nobis testes exigit, qui mentita promissa, aduersum nos testificentur: ita & sancti, præsertim veteris instrumenti, testes inuocabant statuas, diuinorum promissorum: licet iis opus non haberent. Et patitur hoc pius pater, videns nos ad diffidentiam pronos. Cogitaui aliquando apud me, vnde nobis esset tanta promissorum diuinorum diffidentia, vt nos solùm de hominibus nobis similibus, & qui nobis sæpè mentiti sunt, sed de Deo ipso diffidamus sæpius. Et arbitror hoc ex malitia nostra ortum habere: vt quemadmodum nos fallaces sumus, & tales nos cognoscimus, tales cæteros arbitramur. Nam quia ego sæpius Deo & hominibus fum in promissis mentitus, arbitror neminem mihi promissa redditurum.

Erat adhuc multum terræ. Admonentur hic viri, curare vxorum funera, & similiter non multum solicitari, vt funus longè deferas: licet hoc de Patriarcha ipso legamus.

Ne timeas. Debent Medici non desperationem adducere infirmos, sed consolari: etiam si eos videant morti esse propinquos: quia sæpius solus timor hominem, plusquam languor diuexat.

Vocauit eum filium laboris mei.
Sic omnes filij appellandi essent, pro quibus parentes in continuo labore, & solicitudine sunt.

Abiit Reuben, & concubuit cum Bilhal vxore patris sui. Mirum est, quod iam ab olim fuerit in hominibus tam cæca cupido, vt patris vxorem violaret quis. Sed non impunè hoc fecit Reuben: cùm propter hoc non creuerit: vt infra capite. 49. dicitur: & perdiderit ius primogenituræ, quæ data est Ioseph: vt dicitur primo Paralipo. 5. Ipse, scilicet Reuben (ait textus) fuit primogenitus: & cùm violasset ipse torum patris fuit data est primogenitura eius filiis Ioseph, filij Israel.

Venit Iaacob ad Isaac patrem suum.
Crediderim ego eum, hac de causa ad patrem senem veniisse, vt eius posset nutrire senectam: quo facto nos admonet pietatis erga parentes senio confectos.

Senex, & satur dierum.
Saturantur vita sancti: iniqui verò, nunquam ab hac vita egredi vellent.

Sepelierunt eum Esau, & Iaacob.
Debent filij parẽtum curare funus. Non meminit scriptura mortis Rebeccæ, quòd fortè ante reditum Iaacob de Mesopotamia obierit, & hac de causa nutrix eius Deborah, ad domum Iaacob se contulit. CA-

CAPITIS. XXXVI. AD LIteræ explicationem.

Ipse est Edom, id est, qui alio nomine dicitur Edom: & causa dicta est cap. 25. supra à rubedine, scilicet, iuris lenticularum: cuius auiditate deperiit.

Sororum Nebaioth. Crediderim hunc Nebaioth virum insignem: à quo soror describitur.

Eliphaz, à quo puto vnum ex amicis Iob vocatum Eliphaz Themanitem. Constat enim ex scripturis Iob fuisse Edomæum: vt suo dicemus loco.

Animas domus suæ. Ex hoc loco habetur nomine animarum, venire personas cuiuscunque conditionis: ex quo etiam intelliges illud, quod supra capite. 12. dictum est de Abraham, & Loth: quod tulerunt secum animas, quas fecerant in Aram, id est, personas genitas illo in loco.

Omnem possessionem, quam acquisierat in terra Chenahan. Capitur hic possessio, pro re possessa, & de verbo (rachas) id est, acquisiuit, diximus. 14. cap. huius libri, cuius significatio non plenè nota est.

Abiit ad terram, scilicet, Seir, quæ est Seit.

A facie Iaacob fratris sui: Quoniam fuit substantia eorum multa.
Maximè in pecoribus. Pascua forsan non sufficiebãt pecoribus vtriusq; alendis, quemadmodum hac de causa diuisus est Loth, ab Abraham. Et potissimum, quia volebat Dominus solos Iudæos in terra Chenahan habitare, quam illorum Patribus promiserat.

Habitauit Esau in monte Seir.
Qui quidem mons est quasi terminus terræ sanctæ ad australem plagam.

Patres Edom, id est Edomæorum, in monte Seir, id est, quos genuit in monte Seir, præter filios quos genuerat in terra Chananæorum, aut melius in monte Seir, id est, qui habitauerunt in monte Seir.

Theman, à quo illa regio Orientalis nomẽ sortita est.

Isti sunt Principes, seu Ducet.
Radix nominis (aluph) est, eleph, quod mille significat, & videtur, aluph, significare ducẽ mille virorum. Vnde etiam, eleph, quod nostri interpretantur bouem, potius ducem gregis (iuxta radicis etymon) significare videtur.

Isti sunt Principes Elephaz, id est, ex Elepham.

Isti sunt filij Seir, id est, qui incoluerunt mõtem Seir: aut qui nati sunt in monte Seir.

Horræi, id est, qui dicti sunt Horræi, sed qua de causa, non constat.

Ipse est Anah, qui inuenit mulos, dum pasceret ipse asinos Sibeoni patri suo. Dux Hamalech: à quo arbitror Hamalechitas ortum habuisse.

Impingunt hic omnes in vulgatum Interpretem, quod pro hemim legerit, maijm, id est, aquas, & ex suo, calidas addiderit, Hieronymus in libro Hebraicæ quæst. de hac re sic dicit ad verbum. Multa, & varia apud Hebræos de hoc capite disputantur. Nam apud Græcos, & nostros super hoc silentium est. Alij putant (Iemim) mária appellata: iisdem enim literis scribitur mária, quibus & nunc hic sermo descriptus est: & volunt illum, dum pasceret asinos patris sui in deserto, aquarum congregationem reperisse, quæ iuxta idioma linguæ Hebraicæ, mária nuncupantur, quòd scilicet stagnum repererit, cuius rei inuentio in eremo difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas, iuxta Punicæ linguæ vicinitatem, quæ Hebræe conterminis est, hoc vocabulo signari. Sunt qui arbitrentur onagros ad hoc admissos ad asinas, & ipsum per istiusmodi inuenisse concubitum, vt velocissimi ex iis asini nascerentur, qui vocantur (Iemim.) Plerique putant, quòd equarum greges, ab asinis in deserto ipse fecerit prius ascendi, vt mulorum inde, noua contra naturam animalia nascerentur. Vt autem ego etiam quid de hac re sentio, dicam. Arbitror hic (Iemim) non mulos, vt Moderni dicunt, sed mária significare. Moueor ad hoc primum, quòd radix Iemim sit (iam) quod in confesso est mare significare. Neque obstat, quod nostri obiiciunt, scilicet scribi, iamim, dum mária significat, non Iemim. Ad quod dico, variam punctaturam in nominibus eiusdem radicis; non semper variare significationem: vt patet in nomine, Ieled, id est, puer, Ecclesiastes quarto, vbi dicitur. Melior est Ieled, id est, puer pauper; vbi puerum significat, & mutato puncto idem significat. Genesis decimoseptimo, vbi dicitur. Et omnes, Ielide, id est natos, seu pueros domus suæ: & mutato, Hitich, in, Holem, non amittit propriam significationem, vt patet Exodi primo. vbi dicitur. Omnem filium, Haijlod, id est, natum, in flumen proiicite. Vbi vides punctorum variationem, nominis significationem non variare: quod in aliis multis ostenderem, si nõ brevitati studerem. Ad hoc est citata sententia Hieronymi, dicentis: eisdem literis scribi mária, quibus etiam hic sermo. Est autem aduertendum, scripturam hic factum, seu inuẽtionem huius viri, quasi rarum aliquid enarrare. Non est autem rarum stagna in solitudine inuenire: ideò reiicimus illorum sententiam, qui dicunt eum stagna, aut aquas inuenisse in solitudine. Non audeo autem mulos vertere: quia nusquam in scripturis vocabulum hoc, significate mulos reperi: & propter paucos Hebræos qui (vt sæpè testatus sum) coniecturis potius, quàm linguæ peritia aguntur: non puto nomen à suæ radicis significatione alienandum. Quam ob rem æstimo hunc, Anah, ideò hoc rarum solitudine inuenisse dici, quod venam aquæ salsæ, quam hic mare scriptura vocat, repererit. Nam hoc rarissimum est: aliquando tamen inuenitur: vt apud conuentum nostrum de victoria: in quo indutus sum, videre datur: vbi vena aquæ salsissimæ in loco, qui vltra quatuor Hispanica miliaria à mari distat: reperitur. Quare sic locum vertendum puto.

Iste est Anah, qui inuenit mária in deserto, id est, venas aquæ salsæ: quòd fortsitan vsque ad tempus illud, non erat visum, vel auditum: & ideò illud veluti rem admirabilem, & raram, scriptura describit. Omitto quòd si mens scripturæ esset, mulorum generationem scribere: non diceret eum mulos, sed inulorum generationem inuenisse. Potuit etiam fieri, vt eos aliunde genitos in deserto inuenisset. Neque erat mirum, speciem illam potius in deserto, quam alibi inueniri: cùm vbique posset fieri huiusmodi congressus: scriptura autem commemorat rem in deserto inuentam, quam mirum sit ibidem inuenire. Præterea etiam, quod multi arbitrantur puncta ab Esdra inuenta: ne putemus scripturam ab initio fuisse, Iemim, potius, quàm, Iamim, si tamen mulos legere velis, non prohibeo. Neque putes, rem recentem esse, cùm videas interpretationem hanc Hieronymi tempora præcessisse: isti autem nouam ex veteri fecerunt.

Vz ve Aram, id est, *Vz & Aram.*
Ab isto Vz denominata est Edomæa terra Vz, vel saltem pars aliqua illius: & fortè ab hoc Aram Mesopotamia dicta est Aram.

Hi principes Achori, id est, Choræorum, qui quales fuerint, ignoratur. Vide tamen quæ de his dicuntur Deut. 2.

Isti sunt Duces Choræorum in ducibus suis, germanius *in millibus suis*, quoniam dictio hoc significat.

Bosrah. Constat, Bosiah, fuisse Edomæorum ciuitatem, quod etiam ex Isaiæ verbis colligitur dicentis. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrah.

De terra Hatemani. Constat etiam, Theman, fuisse terram Edomæorum: ex qua fuit vnus ex amicis Iob.

Regnauit pro eo, Qui percussit Midian.
Erant Midianitæ filij Iobab. Omnes ferè antiqui sancti arbitrati sunt hunc Iobab fuisse Iob: quem Regem, vt hic dicitur, putant. Sed non sic esse ostenditur ex discrimine nominis. Nam hic Iobab scribitur

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum prima litera Iod, Iob verò prima est (aleph) primus etiam pũctus, seu vocalis Iobab est Holem, prior verò Iob, est in Hebraico (hiriech gadol). Constat tamen eum fuisse Edomæum ex scripturis. Nam in Threnis capite quarto habes. Gaude Edom, quæ habitas in terra Vz. ex quo constat Vz fuisse in terra Edom, quæ nomen sortita est vb Vz filio Dissam. Constat autem ex libro Iob eum fuisse Vzitam. Nam in libri initio dicitur. Vir erat in terra Vz. Ex quibus clarè colligitur eum fuisse Edomæum.

CAPITIS. XXXVI. AD MORES.

HOc potissimum ex hoc capite colligitur qualiter, scilicet Deus vltra promissa dederit sanctis patribus: Licet enim Iaacob elegerit, & Esau odio habuerit, non tamen multiplicare eius semen desiit, quasi in immensum, quod semen sanctum esset: vt in hoc capite vides.

Accepit vxores de filiabus Chenahan.
Cùm primum Deus hominem deserit, statim ad noxia perducitur. Reliquit Dominus Esau, qui statim idololatras vxores sibi asciuit.

Accepit omnia sua, & iuit ad aliam terram.
Audis hic qualiter Deus remouet à suis omnia illa, quæ eorum quietem impedire possunt.

Nequirent pariter habitare. Vix conuenit inter duos diuites, quam ob rem honesta paupertas eligenda esset.

Isti sunt duces. Non sat est Deo filiis sanctorum prolem copiosam dare, nisi etiam nobilem dederit.

CAPITIS. XXXVII. AD LIteram annotationes.

IStæ *sunt generationes Iaacob.* Quæ, scilicet dictæ sunt in fine præcedentis capitis, vel huc vsque.

Pascebat cum fratribus suis gregem, aut oues.
Posset etiam verti: Pascebat, scilicet ipse, & fratres eius gregem: sed sensus idem est.

Et ipse erat cum filiis Bilhah. Varias causas Doctores assignant, quare Ioseph esset cum filiis ancillarum, & videtur quòd quia semper fuerat his, inter Rachel, & Leam super viro, etiã inter filios earum, inimicitia perseuerarit, quare coniungebat se filiis ancillæ matris suæ: cum quibus fuerat nutritus: & alterius ancillæ qui eum non tanto odio prosequebantur quanto filij Leach.

¶ Et adduxit famam, seu oblocutionem eorum malam ad patrem eorum.
Difficilis vtcunque est locus iste, cuius difficultas præcipuè pendet, ex ignorantia significationis vocabuli quod hic ponitur, scilicet (dibbah) quod aliqui infamiam, seu famam malam. Alij oblocutionem, siue bonam, siue malam significare dicũt. Hoc certum est, quòd scilicet sit rumor seu res quæ auditur: quod constat ex Psal. 31. vbi dicitur. Quoniam audiui (dibbat) id est, vituperationem, vel oblocutionem multorum. Idem Ieremiæ. 20. Sic Numeri. 13. de exploratoribus dicitur quòd eduxerunt (dibbat) id est oblocutionem, vel infamiam terræ, seu ea quæ ad infamiam terræ erant. Clarius Ezechielis 36. vbi sic habetur. Pro eo quòd ascendistis in labia linguæ (loquitur ad montes Israel) & oblocutionem populi. Ex quibus omnibus apparet, quòd propriè significet oblocutionem, siue malam, quæ est infamia, siue bonam. Verbum (dabah) ponitur Cantico. 7. vbi dicitur. Palatum tuum, sicut vinum optimum, propter bonitatem (dobeb) id est, faciens loqui labia veterum, aut dormientium.
Sed quænam fuerit ista oblocutio, quam detulit Ioseph patri suo, non facilè constat. Aliqui dicunt eum retulisse patri, qualiter eum odio haberent, & de eo loquerentur. Mihi verò (salua prudentiorum sententia) videtur ex sequentibus, quòd fratres loquebantur de eo, & patre: qualiter, scilicet plus æquo ab eo diligeretur, sine vlla ratione. Nam statim paucis interpositis habetur: vidisse fratres eum plus cæteris à patre diligi: quare non poterãt ei pacificè loqui. Est ergo sensus.

Et deduxit Ioseph oblocutionem eorum malam patri, id est, murmura quibus de patre propter se, seu eius specialem amorem erga se murmurabant.

Quia filius senectutis (aut, vt Hebraicè habetur) senectutum ipse erat. Sunt qui hic per filium senectutis intelligant sapientem: ac si dixisset. Quia filius sapiens erat ipse illi. Mihi verò communis expositio magis arridet, eum, scilicet ideò præ cæteris dilectum, quòd ab eo in senectute fuerit genitus. Solent enim senes pueruli affici, & eorum verbis, & iocis maximè delectari: tum, quia eos semper ad manum habent, vt huc & illuc mittant.

Fecit ei tunicam polimitam, seu diuersorum litiorum, aut colorum. Dictio Hebraica (pas, seu passas) videtur propriè significare partem, seu particulam: vt patet Psal. 72. Erit (pisat bar) id est, particula frumenti, in terra. Vnde videtur quòd tunica fuerit, non ex diuersis filis diuersorum, scilicet colorum, sed quòd fuerit ex particulis, quæ quidem particulæ erant diuersorum colorum. Quare vertendum arbitror. Et fecit ei tunicam partium, seu particularum, scilicet diuersarum: & diuersorum colorum. Idem nomen habetur. 2. Samuelis. 13. vbi dicitur de Thamar, quòd erat induta talari tunica, & quòd sciderit tunicam (passim) id est, partium diuersarum.

Non potuerunt ei loqui pacificè.
Melius integrè, id est, integro animo, seu ad integritatem: vt scilicet illi integritatem verbis imprecarentur: vt fieri solebat cùm sese aliqui amicè salutabant: & sese mutuo videbant.

Ecce nos ligabamus manipulos in medio agri.
Varias significationes Iudæi tribuunt verbo Alam, scilicet manipulare (si sic loqui liceret.) Obmutescere, sed si quis rectè expendat, videbit significare propriè ligare, & se obmutescere, ideò est quòd mutus apparet lingua ligatus. Inde (almanah) id est, vidua, quod videatur habere ligatum os: vt non audeat loqui. Vnde illud Isaiæ. 53. Sicut agnus coram tondente se (ne elamah) id est, obmutescet, aut obmutuit. Posset etiam verti. Coram tondente se ligatus est. Solet enim agnus coram tondente se, balare cùm os obligatum non habeat, & voces querulas emittere, ac si dicat. Fuit ille coram tondente se ligatus, velut agnus: vt non posset pedem, aut manum mouere ad percutiendum. Vnde, & Psal. de eo dicit. Placebit Deo super vitulum nouellum cornua extendens, & vngulas, vt scilicet, ligarentur.

Narrauit eis. Dixi aliàs verbum (sapar) significare propriè numerare: & exinde narrare, quòd narrando vnum post aliud narret veluti numerans.

Num ego, & mater tua, & fratres veniendo veniemus, vt incuruemus nos tibi?
Ex hoc videtur Rachel tunc vixisse, & autorem libri, non seruare ordinem rei gestæ, quòd & alio argumento fundatur, quia si tunc mortua fuisset Rachel, non fuisset Ioseph filius senectutis, sed Biniamin: quia Ioseph in Ægypto vocat Biniamin filium dicens: Deus misereatur tui fili mi. Ideò multũ placet eorum sententia, qui dicunt adhuc vixisse Rachel cùm hæc acciderunt. Sed alius insurgit nodus difficilioris solutionis qualiter, scilicet, verum sit, quòd pater & mater adorauerint eum, cùm pater non adorauerit eum, mater verò, scilicet, Rachel fuerit mortua & in Ægyptum non descenderit, vt eum adorare posset. Hebræorum aliqui hic dicunt, quòd licet pater, & mater non adorauerint eum in personis propriis: voluisse tamen Dominum (vt verificaret somnium) postea ipsum Solem, & Lunam, non ipsum Ioseph, sed Iosue (qui fuit de tribu eius) vt habetur Iosue. 10. adorasse. Sed quia ibi non legitur Solem & Lunam adorasse Iosue, sed voci eius obedisse, non multum huic solutioni tribuo.
Alij dicunt hic per matrem non debere intelligi Rachel, sed vxorem Iaacob, præsertim ancillam Rachel, quæ

quæ eum nutrierat veluti filium. Sed neque ista solutio plenè soluit: cùm illa non adorauerit. De patre autem quod adorauerit non in persona propria, sed per filios constat infra capite quadragesimotertio, vbi dicitur eum munera misisse viro, qui in Ægypto dominabatur, quod saltem fuit signum subiectionis, & reuerentiæ, quare dicerem, aut quòd in patre adorauit simul mater: quæ reputatur in subiectione idem cum viro: Aut quod non sit opus omnia, quæ in somnio ostendebantur, postea verificari, sed sat esse, si maior pars eorum quæ somniauerat vera fuerint præsertim cùm primùm somnium nihil habeat quod ad patrem, vel matrem pertineat: quod tantum manipulos adorantes figurabat. Posset etiam dici eum vidisse quidẽ, Solem, & Lunam, & stellas vndecim, sed non omnia se adorare, sed solum stellas vndecim.

Pater obseruabat verbum, an scilicet verificaretur necne: quia enim videbat iuuenis simplicitatem, putauit hoc aliquid numinis esse: ideò exitum rei obseruabat, aut disquirebat intra se, an esset veritas, vel vanitas quæ in somniis esse solet.

Ecce ego: Hebraismus est, pro ecce adsum, aut presto sum, quem loquendi modum nos Lusitani hodie obseruamus sic enim loquimur. (Eys me eu aqui) id est, ecce hic adsum.

Vide patrem fratrum tuorum, & integritatem gregis.
Melius. Vide integritatem fratrum, & integritatem gregis, an omnia sint integra, an desit aliquid fratribus, aut gregibus: aut, an acciderit eis aliquid.

Ex valle Chebron. Dictio (Emech) significat profunditatem, & vallem à profunditate.

Machinati sunt contra eum.
Ignota videtur esse propria significatio verbi (nachal) id est machinati sunt: Dicunt tamen Hebræi, significare malum corde cogitare. Hieronymus vertit. Dolose agere. Malachi. primo habes. Maledictus (nochel) id est, cogitans malum: vbi vulgatus habet. Maledictus dolosus. Mihi verò videtur verbum significare plusquam cogitare malum, scilicet tractare faciẽdum. Significatio, vt dixi, incerta est. Septuaginta vertunt. Dolum facere. Chaldæus verò, cogitare.

Ecce Dominus, seu dominator somniorum.
Dixi aliàs nomen (Baal) significare superiorem, persaepe à (ba) quod est in & (al) id est, super, quasi insuper, seu supra. Aliqui per Dominum somniorum, somniatorem intelligunt, id est, qui consueuit somniare. Alij magistrum: sed meo iudicio, sensus est. Ecce qui se Dominum somniat, aut qui in somniis Dominus est, qui non quidem re, sed somnio se Dominum nostrum futurum arbitratur. Aut, ecce Dominus somniorum ille, id est, qui somnia ad manum habet, & in sua potestate est somniare quod vult, neque abiicio superiores expositiones. Nos enim vsque hodie irrisoriè dicimus (Eyt ho senhor Rey) Ecce Dominus Rex.

Videbimus, quid erunt somnia eius, quod, scilicet, nihil eueniet eorum, quæ ipse somniauit.

Audiuit Reuben, & liberauit eum de manu eorum.
persuadendo fratribus, ne eum interficerent: vt statim sequitur. *Non percutiamus animam*, id est, non occidamus. Et ponitur anima pro vita.

Exuerunt eum tunica particulari, scilicet diuersarum: de qua iam hoc cap. diximus, & videtur quòd fuerit vestis superior. Non enim crediderim eos eum nudum in puteum proiecisse. Verbum (passat) Hebræis, significat exuere, expoliare, excoriare, irruere, & irrumpere. Sed expensis locis, quibus ponitur: solum exuere significat, siue quod exuitur sit vestis, siue corium, siue arboris cortex. Nachum. 3. habes. (bruchus passat) id est, decorticauit, seu cortice exuit, & auolauit. Et quod illi Iudic. 6. vertunt irrues super ciuitatẽ, tu verte: expoliabis ciuitatem. Sic illud. 1. Samue. 27. (Al pessat tem) id est ad quem irruistis hodie? tu verte. Quem exuistis, seu spoliastis hodie? Viuebant enim socij Dauid ex rapto.

Ecce turma. Verbum (arach) significat iter facere, inde (orach) id est via, & turma, seu sodalitium viatorum vocatur (ore chah). *Portantes aromata.*
Non puto hic bene verti aromata, sed potius pretiosa quæque, quod ex eo coniector, quod Isaiæ. 39. significat pretiosa quæque. Nam Hebræi dicunt esse à radice (nachat) quod ex secundo Regum. 2. videtur significare esse desiderabilem, quia ibi dicitur de Ezechia. Et ostendit eis, scilicet oratoribus Regis Babylonis, omnem domum (nechoto) id est, pretiosorum suorũ, argentum & aurum, & aromata, vbi frustra adderet aromata, si (nechot) aromata significaret. Significata horum nominum Hebræis, & nostris ignota sunt, vt in regulis admonuimus, ideò tam variè hìc sunt interpretationes, quare ad radices recurrendum puto. Sequens verò dictio, scilicet (seri) à (sarar) quod est strin gere, & ligare deducitur: vnde significat aut resinam, vt communiter nostri vertunt, quæ quoddam ligamen esse videtur, aut aliquod aroma, quod ligat fractionem: certum est significare rem medicinalem, quo niam Hiere. 5. habetur. Capite (seri) id est, resinam ad dolorem eius: si fortè sanetur. Tertia verò dictio, scilicet (lot) à (lut) ortum habet: quod est inuoluere, operire, & videtur significare aliquid inuolutum. Aliqui hac de causa castaneam vertunt, aut glandem, quòd sint inuolutæ cortice, vt Chaldæus. Alij, stacten, esse dicunt, quod est myrrhæ gutta. Nomen Arabicum, baIot, castaneam, aut glandem significat. Nos etiam glandes, bolletas vocamus.

Vt descendere facerent, scilicet, hæc aromata in Ægyptum. Erat enim terra à qua ibant Ægypto altiori ideò dicit: vt descenderent.

Quæ vtilitas, quoniam occidemus fratrem nostrum.
Dictio Hebraica, besa. Non vtilitatem, sed impletionem, seu satietatem significat, vt patet. Exodi. 18. vbi dicitur. Odio habentes, basa, id est, impletionem, seu satietatem, id est, qui odio habeant implere se diuitiis. Sic Ieremiæ. 22. Quia non sunt oculi tui nisi super, bisecha, id est, impletione tua: solùm respicis implere te. Vnde hìc vertendum est. Quæ impletio, seu satietas, scilicet, volũtatis erit occidere fratrem nostrum? ac si dicat. Non est bonum consilium implere, seu satiare voluntatem cum iactura nostra: & hoc postea explicat dicens:

Frater noster, & caro nostra est. Celauerimus sanguinẽ, id est, occultauerimus mortem eius. Transierunt viri Midianitæ. Erat alia turma ab Hismahelitis. Aliqui tamen putant eosdem Midianitas & Ismahelitas dici: inde aegumentum sumentes, quòd tam Ismaelitæ, quàm Midianitæ fuerunt filij Abrahæ: alter, scilicet, Ismael ex Agar, alter ex Cheturah, vt patet supra capite. 25. & hoc verius videtur. Tertiò posset dici simul iuisse Ismaelitas, cum Midianitis, quæ lectio nodis, & scrupulis caret: & res fieri solet.

Extraxerunt, & leuauerunt, seu ascendere fecerunt eum.
Verbum (massah) significat trahere: Nam fune traxerunt Ioseph de cisterna, seu puteo: Vnde illud Psal. 126. eundo ibit & flebit: portans (mesiech) id est, pretiosum semen: melius vertas, impulsum, seu propulsatum, aut tractum semen, scilicet à terra sua. Similiter illud Psalm. 120. Heu mihi, quia inhabitani (mesiech) id est, propulsatus, & eiectus, aut tractus, scilicet à terra mea: posset etiam esse nomen proprium terræ.

Reuersus est ad fratres suos.
Ex hoc textu colligitur non affuisse Reuben, cùm Ioseph à fratribus fuit venditus.

Ego quo iui, scilicet, vt non viderem, quid de puero factum sit? ac si dicat. Quo abij ego, vt me absente ali quid de puero fieret. Hebraicè habetur:

Et puer non ipse, & ego nunc. Ego veniens, id est, puer non comparet, & ego nunc venio ad eum quærẽdum, quando ipse non apparet. Aut puer non comparet, & ego nunc quid faciam. Ego veniens, id est, nũc venio: quando eum inuenire non possum. Tertiò, Ego quò iens, id est, quò iho, vt vulgatus vertit.

Cognosce nunc. Est verbum (nachar) de illis, quæ contraria habent significationes. Significat enim claudere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

claudere, seu occultare, & cognoscere. Exemplum prio
tis habes primo Samuelis. 23. Dixitque Saul (nichar)
id est, clausit, seu occultauit eum Dominus in manu
mea. Secundi verò exemplum habes hic.

Discerpendo discerptus est Ioseph.

Hoc enim verbum, taraph, significat.

Et luxit super filium suum. Verbum, abal, significat aut lachrymari, aut fluere: Hebræi addunt perire, desolari, perdere: propter illud Isaiæ. 24. Abal, id est, periit vinum nouum: vbi melius vertas luxit. Videtur enim arbor lugere, cùm perditur fructus eius: sicut apud Ieremiam legis. Luxit ante murale, vbi idem ponitur.

Vt consolarentur eum. Verbum, nacham, propriè significat pœnitere: vnde verti posset. Vt pœnitere facerent ipsum, scilicet, tanti doloris, quòd tanto tempore filium luxerit.

Renuit consolationem accipere: aut pœnitere, scilicet doloris.

Lugens sepulchrum, id est, vsque ad sepulchrum: & est sensus. Lugendo filium meum, descendam ad sepulchrum seu vsquequo sepeliar, lugebo filium meum.

Et flenit illum pater eius: non obstante filiorum consolatione.

Vendiderunt illum Putiphari eunucho Pharaonis.

Vertunt hic tam nostri, quàm Hebræi dictionem (saris) eunuchum: sed statim insurgit quæstio ab omnibus, vtinam tam benè soluta, quàm mota: qualiter hic fuerit eunuchus, cùm vxorẽ in Ioseph depereuntem, ex textu habuisse constet: Quam quæstionem Rabbi Dauid in libro radicum soluit dicẽs, eum virilem quidem habuisse neruum, amputatis testiculis: quod eunuchorum genus, & si seminare nequeat, concumbere tamen non prohibetur. Alij dicunt dictionem non solum eunuchum, sed principem significare. Sed illud secundo Regum. 24. obstare videtur, vbi habetur. Et principes eius, & (sarisau) id est, eunuchos eius: vbi si secundo loco principem vertas: inutilem facies repetitionem. Mihi verò videtur, dictionem significare custodem domus, aut personæ. Potuit tamen fieri: vt tales eunuchi essent: & dictionem vtrunque significare. Res nondum mihi plenè certa est, quæ, cùm fuerit: indicabo, interim vtamur communi expositione.

Princeps Laniorum. Ex nostris aliqui putant: fuisse militiæ Principem. Alij verò Præfectum Coquorum. Alij autem Laniorum: per quem eum intelligunt, qui plectendorum damnatorum curam habet. Verbum hebraicum (tabach) significat mactare, aut potius rem mortuam, aut morituram scindere. Primo Samue. 25. Victimam meam, quam (tabacthi) id est, iugulaui tonsoribus meis. Constat ergo verbum significare laniare, aut iugulare: sed an (tebach) significet eum, qui animalia iugulat, seu laniat, vel potius qui homines, certum non est. Nam primo Samuelis. 9. habes, quòd dixerit Samuel, latabach, id est, lanio, seu coquo, qui carnes decoquendas iugulat, seu laniat: vt partem meliorem carnium seruaret Sauli: vbi coquum videtur significare. Qui autem per, tebach, intelligunt militiæ principem, inde argumentum sumunt, quod Ieremiæ 39. dicitur de Nebuzardam, quòd fuerit princeps, Tabachim, quem constat fuisse militiæ principem: vt ibidem dicitur. Mihi verò videtur, quòd iste Putiphar fuerit princeps Laniorum, non quidem Coquorum, sed eorum qui homines plectebant, & iugulabant: & cum hoc potuit esse princeps militiæ, quia de Banaiah legimus primo Regum secundo, quòd fuerit princeps militiæ Salomonis: & cum hoc missus ad occidẽdum, vel iugulandum Ioab, quare crederem tunc temporis munus laniandi reos demandatum principibus militiæ fuisse. Vnde, & Chaldæus vertit principem interfectorum. Indubiè ergo tenendum est hunc fuisse principem Laniorum modo prædicto.

Descendam ad filium meum lugẽs in sepulchrum, id est, lugebo filium meum vsquequo sepeliar. Dicitur autem sepulchrum Hebræis, scheol, à, chaal, quod est petere, quòd videlicet semper petat, & nũquam satietur, quemadmodum dicit Salomon Prouerbiorum. 30. Tria sunt quæ non saturantur, inter quæ sepulchrum enumerat. Et capite. 27. dicit. Infernum, & perditionem non saturari. Sed lubet paucis hic cum quodam Theologo agere, qui longo sermone (parum catholicè) asserit Christum, seruatorem nostrum ad inferna non descendisse: contra illud quod apertè Ecclesia in symbolo Apostolorum (vt vocant) docet, & affirmat: vbi habet Crucifixus, mortuus, & sepultus, & sequitur. Descendit ad inferos, quod ipse interpretatur fuisse sepultum. Sic enim habet. Non ergo (sceol) hoc in loco, locum pœnarum, & damnatorum significat. Ad hunc enim non descendit Iaacob. Sed potius communem illum statum omnium defunctorum, tam piorum, quàm impiorum hominum. Id quod ex multis sacræ scripturæ locis manifestum est. Ex quo facilè (inquit) est articulum fidei nonstræ intelligere, in symbolo Apostolico: vbi de Christo dicitur. Descendit ad inferos, quo sine dubio significatur, Christi mortem non fuisse fictitiam, sed veram, re vera illum mortuum fuisse, ac sepultum, communemque illum defunctorum statum, pro nobis peccatoribus degustasse. Dicit vlterius Christum ex tribus cõstitisse, corpore, scilicet, anima, & spiritu: quibus verus homo constat, & iam moriturum spiritum, hoc est animam illam immortalem, in manus patris cœlestis commendasse dicendo, Pater in manus tuas. Is ergo spiritus non descendit ad inferos illos. Corpus emortuum, sepultum fuit, & anima descendit ad inferos: hoc est, ad triduum vita illa naturali, & sensitiua: quæ Hebræis, nephech, dicitur priuatus fuit. Locum verò illum Psal. 15. quem alij ei obiiciunt. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: de vita illa naturali, & sensitiua, quæ est presentis seculi, qua Christus ad tres dies fuit destitutus: intelligit. Hæc ille. Sed miror virum alioqui doctum in re tam clara hallucinatum. Postquam enim in Apostolorum symbolo dicitur. Crucifixus, mortuus, & sepultus: Ad quid quæso adderetur iterum mortuus, & sepultus, si idem apud istum est dicere: descendit ad inferos, quòd est mortuus, & sepultus. Postquam enim dicitur mortuum, & sepultum fuisse, inutiliter repeteret eum mortuum, & sepultum, si per hoc nihil aliud voluit significare. Voluit ergo asserere, & confiteri eum, postquam fuerat mortuus, & sepultus, ad inferos descendisse, quod Augustinus longo sermone prosequitur secundo sermone in die sancto Paschæ, qui intitulatur de descensu Christi ad inferos: vbi, inter cetera, sic habet. Carnem in sepulchro posuit, & comitante secum anima, ad inferna descendit, & post pauca. Omnia enim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit: ad quod citat illud Hoseæ. 13. Ero mors tua, ô mors. Vide ibi. Omitto multa ex sacris literis citare: quoniam non ex professo cum homine contendo. Quod enim hoc stare nequeat, paret. Cùm enim per te, Christus constet illis tribus spiritu, corpore, & anima, vel illa anima descendit ad inferos, vel non: si descendit, habemus quod volumus, si non: ergo Christus non est mortuus, cùm per te descenderet ad inferos sit vita priuari. Secundo peto ex te: quid sit esse mortuum, & cùm non sit aliud, quàm vita priuari, seu anima, sequitur quod cùm dicitur in symbolo Christum fuisse mortuum: explicatur re vera eum fuisse vita priuatum, non ergo opus est addere eum descendisse ad inferos, postquã apud te hoc nihil sit aliud, quàm esse priuatum vita, seu anima sensitiua. Illud verò Psal. 15. quoniam non derelinques animam meam in inferno: quod apud eum idem dicere est, quòd non derelinques animam meam, id est, vitã sensitiuam in sepulchro, perperam eum explicare constat, quoniam vita Christi sensitiua non descendit in sepulchrum. Si enim descendisset, viuus Christus in sepulchrum descendisset. Anima ergo, quæ non erat in inferno relinquenda, apud inferos fuit: cuius oppositum constat de vita sensitiua: vt diximus, licet locus ille possit de morte intelligi. Quòd etiam dicit Christum ex tribus constare, corpore, scilicet anima, & spiritu, si per spiritum

aliquid realiter ab anima distinctum intelligit, falsum dicit, quoniam spiritus ab anima rationali non distinguimus &c. sed ratione. Omitto interim Petrum tertio capite suæ prioris Epistolæ sic dicentem. In quo etiam spiritibus, qui erant in carcere, profectus prædicauit, qui inobedientes fuerant quondam. Et homini Christiano sat esse debuerat Ecclesiam hoc asserere. Ad hæc etiam est beatissimi Petri interpretatio in gestis Apostolorum secundo capite, quæ sic habet. Quem, scilicet Christum Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: vbi si per dolores inferni, intelligas dolores sepulchri: falso intelligas: cùm in sepulchro nulli sint dolores. Sed quia, vt prædiximus, non suscepimus modo disceptandi cum hæreticis prouinciam: sat fuerit ostendisse, quàm ineptè vir iste locum Symboli Apostolorum tractauerit. Neque in hominem: quem in Christi visceribus diligimus: hæc iactamus, sed in dogma.

CAPITIS. XXXVII. AD MORUM compositionem.

Ioseph pascebat cum fratribus suis pecudes.

Sinit Dominus dilectos suos ad infima deiici: vt postea ab illa vtilitate eos ad suprema extollẽdo, gloriosior appareat: quare Psalm. 80. habes. Testimonium in Ioseph posuit illud, linguam quam non nouerat audiuit. Diuertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino seruierunt, id est, in castro, quo lateres ad opus deferuntur. Hic verò cum cum filiis ancillarum posuit: vt postea faceret inter principes sapientiam loqui. Vbi simul docet, qtid periculi sit, inter eos qui nos odio prosequuntur.

Retulit famam eorum malam.

Habes hic, nihil mali esse: si omissa correctione fraterna (quando non ex te libenter acceptabitur) pergas denũtiare mala, quæ nolli, Prælato, veluti patri: quod Augustinus in regula docet. Commune etiam est pueris referre parentibus, quæcunque audierint: vbi similiter aduerte, non esse mala quę vides, vicinis aut amicis denuntianda, sed iis: qui possint ea emendare. Sunt etiam multi, qui mala, quæ de proximis sciunt: prius per totam vicinam diuulgant, quàm dicant patri, aut Domino illius qui male operatur.

Viderunt quòd pater præ cunctis filijs eum diligeret.

Admonui supra. 4. capite, quàm oculati deberent esse Principes, & superiores in ostendẽda dilectione (quod etiam nunc de parentibus dico.) Ne cæteros, in eorum quos præ cæteris diligunt, inuidiam prouocent: quemadmodum Cainum in fratrem legimus, & nunc fratres Ioseph in eum. Malet enim homo sæpius non diligi, quàm alterum illi in amore præferri. Vbi simul aduerte inuidiæ malũ, quæ neq; fratribus parcit: sicut legimus de Haron, & Maria aduersum Moseh.

Non poterant eum alloqui pacificè.

Difficile est inuidiam, aut odium vultu, aut verbis nõ prodere: quemadmodum supra diximus de Laban, & filiis erga Iaacob.

Somniauit Ioseph somnium, & addiderunt amplius eum odire. Solet Dominus inuidos torquere, augendo bona eis, quibus inuident. Non sat fuit Deo Ioseph facere ampliori dilectione dignum, sed ostendit fratribus eum fore eis præponendum in Regno: duplici somnio. Vbi similiter aduerte non deesse, qui inuidis bona eorum quibus inuident, narret, quemadmodum de Phariseis apud Ioannem legimus, quibus tanquam inuidis voluit Dominus Lazari resurrectionem narrari: qui statim commoti, consilium inierunt: vt eum morti traderent. Quare elaborandum maximè tibi est, ne sis inuidus, quoniam non solùm bona, sed mala aliorum tibi in bona vertentur: vt illis inuideas, & torquearis.

Numquid regnando, regnabis super nos?

Omnia interpretatur inuidia in malũ sinum. Vbi simul docentur homines, tacere præclara sua coram inuidis.

Egrè ferunt etiam fratres, regnum fratris sui.

Increpauit eum pater. Tenentur parentes increpare in filiis ea, quæ ad eorum vanitatem pertinent, quando tamen vident ea, quæ dicunt non ex vanitate, sed potius ex simplicitate procedere: tractanda, & expendenda sunt.

Vide pacem, aut integritatem fratrum.

Tenentur parentes explorare filiorum gesta, quemadmodum, & superiores subditorum opera recta ne sint, an peruersa: vt malè gesta possint in eis arguere, præcipuè pacem, sine qua corpus Reipublicæ non potest consistere.

Videntes eum fratres, machinati sunt occidere eum.

Debet odiosus homo maximè cauere aspectum eorũ, quibus est odiosus: ne videlicet illis, aut illorum obtutibus se exhibens eos in se prouocet.

Venite, occidamus eum. Timida res malitia est: & mali trepidi: è contra verò audax virtus: & boni audacissimi. Nusquam enim videbis malos, malum aliquid, aut facinus committere, nisi sint in magna multitudine quod Psalm. 82. optimè depingit vbi mali sese ad malum cohortantur: & sic habẽtur. Super populum tuum malignauerunt consilium: cogitauerunt aduersus absconditos tuos: dixerunt. Venite dispersamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltra. Sed qui conuenerunt? Tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ, Moab, Agareni, Gebal, & Amon, & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Loth. Audis hic innumerabiles malos aduersus paucos bonos conuenisse, neque fortes, sed abiectos persequi. Sic Prouerbiorum primo capite se inuicem vocant ad malum, quia soli non audent. Vides etiam hic viros robustissimos, sese hortari ad pueri occisionem. Nónne duo, aut tres ex vobis, ad hoc facinus sufficiunt? Quid omnes ad hoc conuenitis? Timet etiam malus solus plecti, ideò socios quærit. Malum etiam in se formidabile est, ideò non nisi multi simul audent illud perpetrare. Sic apud Matthæum. 22. Pharisæi audientes, quòd Iesus silentium Saduræis imposuisset, in vnum conuenerunt: vt scilicet multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant.

Dicemus, bestia mala Multa peccata secũ affert, vnum peccatum. Nam hic homicidium peperit mendatium, & patris mœstitiam, cui non pepercit inuidia.

Videbimus, quid erunt somnia.

Ea, qua volunt mali via Dei consilia impedire, ea illa perficiunt: vt beatus Gregorius in Moralibus multis probat exemplis.

Audiuit Ruben, & voluit liberare eum.

Sed cur potius Reuben, quàm omnes alij? Putarem, quoniam maior natu erat: cuius muneris est, minores fratres in absentia parentum arguere, & castigare, aut quia magis curabat patris consolationem cùm esset primogenitus.

Non effundamus sanguinem.

Mira valdè est peccatorum cæcitas. Timebant valdè sanguinem fundere, seu gladio occidere: & non timebant fame cruciare fratrem, & facere perire. Talis est peccatorum conditio, qui timent, proprio gladio, non alieno percutere: vt patet de Davide. 2. Samue. 11. Et habes hic duo exempla quibus probatur licere, parato facere maiora mala, suadere minora, quemadmodum hic Reuben: vt eos ab homicidio deterreat, suadet proiectionem in puteum; & infra Iudas suadet venditionem, ne fratrem occidant. Vbi docemur, quàm difficilè sit, homines determinatos ad malum detinere: quos, cùm nõ omnino auertere possumus, saltem persuadere illis debemus: vt minùs peccent.

Quæ vtilitas, si occiderimus, seu quæ vindicta? Expendere debet, qui alteri vult nocere, an sibi etiam noceat, & magis. Nam Iudas hac consideratione fratres ab homicidio deterruit, quibus suadebat non solùm puero, sed sibi malum facere, cùm puer esset caro eorum, & frater, quod supra ex Augustino extendimus.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sederunt: vt comederent. Magna est malorum læ-titia cùm mala, quæ cœperunt, expleuerint, sed sæpè accidit: vt in mediis gaudiis ad pœnam vocentur: vt patet de Rege Achab, qui dum descenderet ad possidendam vineam Naboth audiuit quæ ventura erant mala super se.

Reuersus est Reuben. Homo paratus malum aliquod facere, non est relinquendus. Si enim Reuben nō abcessisset, forsitan fratres, non tam graue facinus perpetrassent.

Deferre fecerunt tunicam ad patrem.
Neque parentibus parcet malitia, licet enim isti vidissent patris senectam, & canitiem, non pepercerunt tamen: ad eum falsum & triste nuntium mittere, & itz pertinaces in malo fuerunt: vt postea patris mestitiam videntes, venditionem non reuelarint.

Scidit vestimenta sua. Hinc ortum habuisse credo morem scindendi ob lutum vestes apud Iudæos. Vbi docet Sanctus senex quàm deplorandus sit obitus sanctorum.

Surrexerunt filij: vt consolarentur eum.
Debent cognati consolari suos: in eorum aduersis rebus.

Et noluit eos audire, quia forsitan suspectam habebat eorum consolationem: & putabat ab eis prodiisse malum illud. Vbi docemur, eos qui causa mali fuerint, non esse bonos consolatores.

CAPITIS. XXXVIII. AD literam.

Declinauit ad virum Hadulamitam. Erat Hadulam vicus in sorte Iudæ, in confinibus Dan situs: decem miliaribus ab Eutropoli ciuitate distans, versus ortum Solis. Erat autem vir iste Gentilis: vt hinc discas gentem sanctam: non omnino abhorrere gentilium connubia.

Nomen eius, scilicet, fœminæ Suah. Ingressus est ad eam.
Vocat hebraismus congressum maris & fœminæ, ingressum, quia intra cubiculum fieri solet.

Et erat in Chezib, cùm peperit ipsa eum.
Nulli putant Chezib, esse hic loci nomen, quemadmodum esse videtur Michæ. 1. vbi habetur. Et domus (Achzib) id est, talis loci, erunt (leachzab) id est, in mendatium: vt Sanctes vertit. Probatur etiam esse homen loci. Iosuæ. 15. Et (Cheilah) & (Achzib) Dicunt etiam Hebræi (Chazab) significare mēdatium: ad quod citant illud Psal. 4. Quæretis (Chazab) id est, mendatium. Sed Hieronymus dicit. Isaiæ. 34 verbum (chazab) significare deficere: vbi interpretatur, cuius nom (iechazebu) id est, deficient aquæ, ex consequenti verò mentiri, quod nihil aliud sit, quàm à veritate deficere: & nomen (chezib) defectum, & mendatium significare videtur. Vnde illud Psal. 116. Ego dixi in festinare meo: omnis homo (chozeb) id est, deficiens, seu deficit, & tandem moritur, ac si dicat. Dum dies meos festinare considerarem, dixi omnem hominem tandem per mortem deficere: & proculdubio iste est germanus illius literæ sensus. Illud etiam, quod Numeri. 23. habetur. Non est vir Deus: vt mentiatur. Melius vertas: vt deficiat: & filius hominis: vt mentetur, seu vt pœniteat eum. Hic verò non arbitror loci esse nomen, sed significare defectum: & sensus est. Et fuit defectus, id est, defecit à pariendo, dum pareret illa illum, scilicet (Selah) Neque obstat quòd verbum, fuit, cùm sit generis masculini, non potest ad vxorem referri: quoniam hoc sæpè fit: vt scilicet, verba fœminina ponantur pro masculinis, & contra, sed hic nō est opus, cùm verbum possit esse impersonale. Non veto, quin communem teneas lectionem.

Fuit Her primogenitus Iudæ, malus in oculis Domini.
Non constat quo malitiæ genere malus fuerit. Dicunt tamen Hebræorum aliqui, eum prohibuisse vxoris gratidationem, ob nimium amorem, quo eam prosequebatur: crediderim enim, eũ in actu coniugij deliquisse, postquam Dominus eum occidit, dum esset in coniugio fratriæ.

Ingredere ad vxorem fratris tui.
Constat ex hoc loco, hoc legale: fuisse ante legem seruatum, de semine fratri suscitando: sicut & multa alia. Et quod sequitur.

Affinitatem contrahe cum ea, aut, *accipe eam in vxorem.* Significatio propria verbi (iabam) non plenè nota est. Videtur tamen significare cognatam accipere, aut cognationem facere. Vnde (iabam) id est, cognatus Deuteronom. 25. Renuit (iebam) id est, cognatus meus suscitare fratri suo nomen. Posset etiam verti.

Sororiam eam effice. Quoniam Ruth primo habetur. Eece reuersa est (iebimtech) id est, soror tua, vbi non tam bene quadrare videtur cognata. Non tamen prohibeo cognatam vertere. Indulsit autem Dominus in hoc, desiderio hominum: quia vidit propensos: vt post mortem suam, similem sibi relinquerent: qui eorum gereret personam: & cùm mortuus re vera esset, mortuus non reputaretur, sed viuus.

Surge fac semen fratri tuo, id est, quod pro fratre tuo stare videatur: & accipitur semen pro prole: ac si dicat. Stare fac filium eius pro patre, qui licet tuus sit, reputabitur tamen: cùm natus sit in fundo eius, nempè in vxore.

Quoniam non sibi erit semen, id est, non reputabitur filius eius, sed fratris.

Cùm ingrederetur ad vxorem fratris sui, id est, cùm eam carnaliter cognosceret. *Corrumpere faciebat terram.* Sic est in Hebræo: & locus est vtcunque difficilis qualiter, scilicet, iste terram destrueret, vel corrumperet. Verbum (sachat) ignotum vtcunq; est Hebræis, ex locis tamen, quibus verbum ponitur, videtur significare destruere, & dissoluere: de cuius significatione abundè diximus Gene. 6. Variæ sunt hic expositiones. Quidam vertunt eum corrupisse terram: quoniam impediebat generationem, qua deficiente, terra corrumpitur. Sed sensus iste, non multum arridet: & ideò communis amplectendus est: quòd videlicet iste, vt Iudæi dicunt, dum ingrederetur ad vxorem fratris sui, in vase coibat: sed cùm semen erat emittendum, fundebat illud foras, scilicet, super terram, & vocat hoc destruere terram, id est, polluere, & fœdare, quod quædam corruptio terræ sit. Aut causa est, quòd destruatur a Domino. Nam supra sexto capite dicitur, Deum vidisse terram esse corruptam, aut destructam, &: vt iam diximus, corrupta erat fœdissimis commixtionibus. Possemus etiam dicere eum corrupisse terram, aut in terra, quòd ante ingressum ad vxorem fratris diceiebat se super terram, quasi concumbens, & super terram fundebat semen: vt postea in vase vxoris non posset seminare: & sic fœdabat terram, quem sensum cæteris arbitror præponendum: & sic vertendum puto.

Et cùm ingrederetur ad vxorem fratris sui, corrumpebat faciebat, aut corrumpebat, id est, fœdabat suo semine terram, ne daret semen fratri suo, id est, potius semen terræ dabat, quàm fratri suo.

Et consolatus est Iehudah. Verbum (nacham) vt iam diximus, pœnitere significat: vnde verti posset, & pœnituit, scilicet, Iehudam luctus, & doloris.

In (Timbatah.) Fuit olim (Tinnat) ciuitas magna, in monte Ephraim sita, contra Septentrionalem plagam Iehudad, cuius ager, etiam Tinnat dicitur est, in quo erat Iaath saltus, in quo Samson Leonem occidit.

Operuit se velamine. Putarem esse velamen lineum, aut sericeum; quo vtuntur fœminæ Orientales, & Italæ, quandò domum egrediuntur, quod caput, & medium corpus tegit, quo super omnes alias vestes vtuntur, Nostræ pallia nigra, quæ totum corpus tegunt, portant, cùm exeunt. Aliqui peplum vertunt, quod (autore Suida) est æstiuum vestimentum. Per diction (saiph) iam supra vigesimoquarto capite diximus.

Et inuoluit se. Non libenter hic verto inuoluit se, quia iam dixerat operuit se velo, tum quia inuenio verbum (alaph) in tribus scripturæ locis significare arescere, aut incalescere. Primo Ionæ. 4. vbi dicitur. Percussit Sol super caput Ionæ (vatithalaph) id est, & aruit, seu siccabatur. 2. Hamos. 8. quo loco habetur. In die illa, tithalaphnah, id est, arescent virgines pulchræ, & iuuenes siti. 3. Ezechiæ. 31. qui de rege Assur, aut Ægypti loquens dicit. Prohibuit flumina eius, & prohibitæ sunt aquæ multæ, & tenebrescere feci super eum Lebanon, & omnia ligna agri, vlph, id est, aruerunt, seu exsiccata sunt. Ex quibus coniectura magna est, verbum significare arescere, exsiccari. Sed sunt alij tres loci in scriptura, in quibus hæc significatio non videtur quadrare, scilicet, Isaiæ quadragesimoprimo, vbi habetur. Filij tui defecerunt, dormierunt in capite omnium platearum: sicut bos siluestris in reti: vbi ponitur hoc verbum in loco, quo nostri aliquando vertunt defecerunt: nonnunquam lassati sunt. Sed si quis rectè aspiciat, videbit, quòd prior significatio etiam hic conueniat, si vertas. Filij tui, vlephu, id est, aruerunt, aut æstuarunt, iacuerunt in capite omnium platearum, scilicet, expositi ardoribus Solis. Illud etiam Canticorum quinto, vbi dicitur. Venter eius: vt candidum (ebur) obductum saphyris: in quo loco ponitur participium huius radicis, scilicet, (meulephet) posset verti. Ardens saphyris, aut inflammatus saphyris: quod dicit propter splendorem saphyri, ac si dicat. Splendens saphyris. Quòd autem huiusmodi splendores dicantur inflammationes, constat ex significatione (vrim) quod flammas significat: & ponitur pro splendoribus lapidum pretioforum: vt suo loco dicemus. Hic autem verti potest. Operuit se velamine, aut cum velamine, & strinxit se, scilicet, illo velamine. Apud nos enim cùm fœmina vult non cognosci stringit opertorium, quod super caput habet circa os, aut super faciem, & sic occultat se. Secundò, posset verti. Et incaluit, scilicet, æstu, & fedit in ostio, seu apertura fontium, pro fontis. Nam quia æstuabat, fedit iuxta fontem: & per ostium, seu apertionem fontis, intelligo canale, seu aquæductū ipsius fontis. Et si, hanaijm, hic fontem significat, indubiè vertendum est, & caluit, seu siccata est, scilicet, Solis ardore, & ideò iuxta canalem autem nactus fuero coniecturas certiores propriè significationis, indicabo tibi.

Et sedit in ostio (henaijm) quod est super via (timnatah.)
Difficilis vtcunque intellectu est locus iste: & tribus modis à nostris redditur. Sanctes in sua priori editione, arbitratur nomen proprium loci, sed quia additur in ostio, non videtur multum expositio conuenire: nisi sit sensus. Sedit in ostio, id est, ingressu illius loci, henaiim, & dicendum est locum fuisse clausum. Alij putant, ibi, henaiim, significare oculos: vertentes. Sedit in apertione oculorum, id est, in publico loco, qui omnium aspectibus peruius erat, aut melius. Sedit in ostio oculorum, id est, in loco, à quo magna pars illius terræ videri poterat: vbi oculi aperiuntur versus omnem partem, ac si dicat. Sedit in apertione oculorum, id est, in loco in quo oculi versus omnem partem poterant aperiri. Neque ista expositio reiicienda est. Si (henaiim) hic oculos: (vt iam diximus) significat. Si autem dictio, henaiim, significet fontem, tunc sensus est. Sedit in apertione fontium, id est, in riuulo, seu canali ipsius fontis, aut in principio aquæductus, per quem fontis aqua decurrebat, aut melius. Sedit in ostio fontium, id est, in porta, qua erat ingressus ad fontem. Solent enim fontes esse clausi ne immunditia turbentur, aut bestiæ bibant, & habere ostium per quod est ingressus ad eos. Et vt iam admonuimus, iste est sensus literæ, si verbum (halaph) significat incalescere, seu æstuari. Arbitror tamen posteriorem sensum esse literæ germanum. Rationem in regulis reddidimus, quare (hen) & fontem, & oculum significat, quòd fons cùm egreditur: formam oculi habeat, aut quòd oculus, quidam sit fons, à quo lachrymæ quasi aquæ fonte egrediuntur.

Putauit meretricem, quoniam operuerat faciem suam.

Dum Venetiis agerem, memini me vidisse meretrices incedere per vrbem, operta facie, nigro velo, & forsan tũc temporis mos erat sic meretrices faciem operire, & tunc quod dictum est Thamar operuisse se velo, intelligendum esset de huiusmodi velo quo meretrices faciem occultare solebant.

Da quæso, aut mane ingrediar ad te, id est, concede, prebe assensum. Diximus de significatione verbi (habah) id est, dare, supra cap. 11. vide ibi si placet.

Si dederis arrabonem vsquequo mittas, aut (vt hebraicè habetur) *Vsque ad mittere tuum.*
Verbum, harab, vt primo huius libri cap. diximus, significat propriè ligare, obligare, cõiungere: vt patet infra. 44. vbi dicit. Iehudah seruus tuus, harab, id est, obligauit se pro puero: aut fideiussit. Nos vocamus (Fiar) i. fidem pro aliquo dare. Inde, arrabón, id est, pignus, quod quasi fideiubeat pro Domino suo, aut obliger eum, & forte ab Arrabon Latini verbum subarrare deriuarunt: hoc nomen quemadmodum multa alia ab Hebræis mutuantes.

Amulum tuum, armillum tuum, & baculum tuum, quod est in manu tua.
Dictio hebraica (chotam) quam anulum vertimus, est à, chatam, quod est claudere, & sigillare, quod sigillo claudantur literæ. Deut. 32. Nonne hæc recondita sunt apud me: &, chatum, id est, clausa, aut sigillata in thesauris meis? Et Iob. 14. chatum, id est, clausa est, aut sigillata, ligamine forti: prauaricatio mea. Inde est, chotam, id est, anulus sigillum: à claudando, vel sigillando. Est enim anulus clausus, & claudit digitum, & literas. Sequēs verò dictio, scilicet, patil, id est, tegumentum nō plenè constat, quid significet, ex contectis ramen: vt iam superius cap. 30. diximus, videtur significare inuolucrum, aut inuolutum quid: sicut patal, inuolutum, & tortuosum esse: vt ibi multis exemplis monstrauimus. Videtur ergo, patil, significare inuolucrum, quo aliquid inuoluitur, & meo iudicio, significat pannum, quo caput inuoluitur. Non tamen sum longè ab hoc, quod putem significare ligamen quo aliquid ligatur: vt diximus, dictio significat inuolutum quid. Secundò, quia infra hoc eodem capite ponitur in plurali numero: cùm dicit Thamar. Agnoscere quæso cuius sit anulus, ve, apetilim, id est, & inuoluera, seu capitergia sic dicta, quia ex duobus, aut multis tortis filis fiant. Si ergo significat pannum, seu inuolucrum capitis, dicitur, petilim, propter duas extremitates, quibus ligatur caput. Dictio enim, patil, Numeri. 19. videtur operculum significare. Nam ibi dicitur. Omne vas apertum, super quo non est conjunctum, aut connectio, patil, id est, inuolucri aut ligaminis super eo, immundum erit. Vbi etiam verti posset, coniunctio panni. Dicitur enim pannus tortum quid, quod ex multis tortis filis fiat. Exodi verò vigesimooctauo, tortum filum significat, & Iudicum decimosexto, vbi de Samsone dicitur quòd funes quibus erat ligatus ruperit, quemadmodum rumpitur (petil) id est, filum stupe. Ex quibus omnibus colligo dictionem significare filum tortum, aut pannum ex huiusmodi filis contextum, vel quid inuolutum. Quare meo iudicio, hic significat, aut pannum quo caput inuoluitur, vt diximus, aut ligamen ex tortis filis conflatum forte cingulum. Vtuntur enim homines aliquando cingulo ex tortis filis cõtextis, & forsitan hac de causa ponitur in plurali: & ex hoc disces quàm benè Hebræi norunt significationes nominum, & verborum hebraicorum. In loco enim quem ex Numeris citauimus, quidam eorum vertunt fruſtum panni, vt diximus. Alij pallium: vt habet Thargum. Hieronymus hic armillam vertit.

Remouit velum suum, scilicet, meretricium, vt iam diximus, quod operiebat faciem eius.

Vbi est meretrix illa? Dicunt tam nostri, quàm Hebræi verbum (chadas) tria significare, scilicet, sanctificare, præparare, & immundum esse. Sed re vera verbum propriè separare significat: sanctificare autem, quòd quæ sanctificabantur, separarentur abusibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

prophanis, & cultui Dei manciparentur. Significat vero immundum esse, quod etiam immunda separari solebant: vt patet de leprosis seminifluis, & aliis immundis tangentibus. Vnde meretrix dicitur hic (chedessah) id est, separata: quod separaretur à ciuitatibus, & maneret in loco remoto. Vbi etiam ipsi vertunt præparare: vt Michææ tertio. (Vechidessu) id est, & præparabunt aduersus illum prælium, tu melius vertas. Et separabunt, scilicet, homines aduersus illum in prælium. Sic illud Ioelis primo (chadessu) id est, præparate ieiunium (quod vulgatus vertit) sanctificate. Optimè vertas. Separate ieiunium, id est, homines ab immunditiis: vt rectè possint ieiunare. Diximus de hoc verbo capite primo huius libri. Posset ergo hic verti. Vbi separata illa? id est meretrix.

In fontibus super viam, id est, quæ erat in ostio fontium, aut in oculis, seu in loco, quo multa loca videri possunt?

Producite eam, & comburatur.

Ex hoc loco videtur, quòd habuerit Iudas gubernationem loci illius: vt posset præcipere comburere hominem, & saluare. Ex quo loco coniectari licebit: Iehudæ prudentiam, qui etiam inter gentes ius dicebat.

Cognosce quæso, cuius sit anulus.

Melius. Ad quem, scilicet, pertineat anulus: & inuolutiones, aut cinguli, aut panni: vt diximus.

Fuit cùm pareret, dedit manum, scilicet, alter eorum. *Ligauit super manum eius coccinum.*

Meo iudicio, (sani) non est à (sen) quod est dens, & (ebur) sed à (sanah) quod est duplicare, iterare, & significat aut duplicatum colorem, aut duplicatum filum: & per duplicatum colorem intelligo, intensum valdè, magis tamen mihi arridet secunda significatio: vt scilicet duplicatum filum significet, quæ significatio constat ex eo, quod dicitur Prouerbiorum. 31. Omnis domus eius induta (sanim) id est, duplicibus, scilicet, vestibus. Sic illud. 2. Samuelis. 1. qui induere faciebat nos duplicatis, scilicet, vestibus potius, quã coccineis. Vnde verti posset. Et ligauit super manum eius, duplicatum, scilicet, filum, & mihi videtur germanior lectio.

Quid diuisisti super te diuisionem?

Nostri exponunt. Quare rupisti secundinam, id est, pellicula, qua fœtus in vtero matris inuoluitur: vt scilicet, prior egredereris. Verbum (paras) significat propriè diuidere, & multiplicare, quod ea quæ diuiduntur, multiplicentur: vt secundo Samuelis. 5. (paras) id est, diuisit Dominus inimicos meos. Aliqui legunt: neque malè. Quare diuisisti? Super te, subaudi, erit diuisio, sed prior lectio simplicior est, scilicet, quare diuisisti diuisionem, quæ erat super te? Sonat (zerah) ortum: & puto nominis rationem esse, quòd prius fuerit ortus, vel quòd ortu saltem manus, fratrem præcesserit.

CAPITIS. XXXVIII. AD MORES componendos.

Descendit Iehudah à fratribus suis, & declinauit.

Homini multum prodesse nouimus, esse in fidelium consortio. Nam licet fratres isti iniusti essent, non tamen defuerunt inter eos, qui alios à tanto facinore, scilicet fratricidio retraherent: & Iudas, qui nuper alios à peccato auerterat homicidij, hic à fratribus recedens, alienigenam coniungit sibi. Sic de Samsone legimus.

Accepit Iehudah vxorem filio suo.

Discant hic filij expectare parentes (qui melius mores fœminarum norunt) deligere sibi vxores: non ipsi ignari accipiant, quod supra de Abrahamo annotauimus, qui Isaac filio suo vxorem delegit.

Erat Her primogenitus Iudæ malus, in oculis Domini.

Audiant hæc qui fœdis congressibus, & commixtionibus sese polluunt, maximè qui vxores habent: quibus non benè vtuntur. Et quàm seuerè castiget Dominus, quos viderit iniurios esse naturæ.

Suscita fratri semen. Docemur hic curare quæ sunt fratrum nostrorum, præsertim defunctorum, qui obliuioni traditi esse videntur, & qualiter pius pater, postquam hominem mortis sententia damnarat, voluit alia via diuturnum, aut perpetuum facere. Hinc natura docente, homines nomina sua filiis imponere consueuerunt: vt qui in se viuere nequeunt, in filiis viuerent: vt hac pia fraude, aliorum oculos deciperent, hinc Ecclesiasticus habet. Mortuus est pater, & quasi non sit mortuus. Inde etiam cognati beati Ioannis, eum nomine patris sui Zachariam vocabant. Sed non permittit Dominus: vt homines nomina rebus, quibus ipse ad suum ministerium vtitur: imponant.

Cognouit Onan non ei fore semen.

Omnia turbat priuatus amor. Sed qui non curat aliena, perdit propria. Nam, quia iste noluit fratri filium gignere, propriis destitutus est. Vbi similiter expende, quæ mala sibi homines faciant, ne aliis bona facere contingat. Quoties contingit, rem propriam apud eum, qui eam noluit accommodare: perire. Et aduerte etiam quàm graue crimen apud Deum sit, mollitici fœditas.

Mane vidua. Nom sunt omittenda diuina præcepta, ad damna temporalia vitãda, quoniam qui hæc faciunt, maiora incurrunt. Audis etiam, quàm vindicatiua sit fœmina, & qualiter nihil horreat, vt suam expleat voluptatem.

In domo patris tui.

Nullibi vidua securior est, quàm in domo patris, & putarem illius temporis consuetudinem fuisse, iuniores viduas, post virorum obitum, in domum patrum remitti. Nunc verò liberè viuere volunt: & sinuntur.

Ipse, & Chirach amicus eius.

Nihil melius in tristitiis, amicorum societate, sed hoc malum in magnis amicis inuenitur, quòd non solum bona confulunt, sed & mala permittunt: vt patet de Ionadah, & Annon filio Dauid secundo Samuelis.

Operuit se velamine. Nihil est, quòd non auferat fœmina libidine tacta.

Viderat, quòd creuisset Selah.

Cui ius suum negatur, necesse est, vt sibiipsi ius dicat si potest.

Declinauit ad eum. Ecce quid mali faciat occasio peccandi, & qualiter consulendum est vidiuis: qui continere nequeunt, vxores accipere, aut maritos, ne fœdo concubitu polluantur.

Da quæso: ingrediar ad te.

Ostendit locus iste, neque meretricibus esse infectendam vim ad concubitum.

Non nouerat, quòd nurus esset. Excusat scriptura, quoad potest peccata sanctorum.

Quid dabis mihi? Iustam esse corporis mercedem, quæ datur meretricibus, locus iste ostendit.

Dabis hœdum. Docet hominem fecurum & reddere pignore, cùm de veritate promittentis dubitat.

Misit hœdum. Omnibus personis fides seruanda est.

Capiat sibi: ne simus contemptui.

Admonemur hic, non debere multam inquisitionem facere, vbi honor, & fama periclitantur: maximè in rebus carnis: & potius multa temporalia perdêda sunt, quàm vt homo veniat in opprobrium, quod multi Prælati religiosorum parum curant, qui dum exactè quærere volunt quædam semiocculta, pluribus faciunt manifesta.

Fornicata est Thamar nurus tua.

Mirum valdè, quòd pœna mortis tam horrendæ: vt dua fornicata plecteretur illo tempore. Putarem tamen hanc reputari cõiugatam, cuius vir, ad eam quædam modo erat obligatus.

Agnosce, cuius sit sigillum.

Putant multi sua peccata occulta esse, quæ tamen suo tempore autorem subindicant. Vbi tu simul aduerte, qualiter qui in alios sæuiunt peccatores: cùm sese reos intelligũt, mitius iudicant, quemadmodum de Dauid legimus:

legimus, qui tam seuerè voluit diuitem pauperis ouis occisorem punire, ignorans aduersum se tulisse sententiam mortis.

Iustior me tu. Considera hic veritatem sanctorum Patrum. Poterat ille negare pignora esse sua, & noluit: & vltra hoc fatetur ingenue iniustitiam suam. Vbi discant parentes non detinere nuptias filiis, & filiabus nubilibus, ne in fœdiores concubitus prolabantur.

Non addidit cognoscere eam. Cauenda est valdè peccatorum iteratio. Hinc etiam illa lex postmodum sancita, ne socer cognosceret nurum suam.

Iste egredietur prior. Vult Dominus ostendere, non pendere ex arbitrio nostro, quis sit primogenitus, sed ex voluntate eius.

CAPITIS. XXXIX. AD LITteram annotationes.

Fuit vir proficere faciens. Significatio verbi (salach) non est plenè nota Hebræis, & nostris: ex coniecturis tamen apparet, quòd significet proficere, vltra ire, & transire: vt secundo Samuelis decimo. (Vesalechu) id est, & transierunt Iarden. & primo Samuelis decimo. (Vesalechah) id est, transibit super te spiritus Domini, seu præibit te spiritus Domini. Diximus de significatione huius verbi supra vigesimoquarto, & vigesimosecundo, nondum tamen intellectus meus omninò in hac significatione, quieuit. Sic anfia. Omne quod ipse faciebat Dominus proficere faciebat, in manu eius. Nos cùm hominem proficere, & prosperari vidimus, dicimus (tudo lhe vai a diante).

Et præposuit eum super domum suam.

Verbum (pachad) vt aliàs diximus, significat propriè numerare, & recordari: quod ille qui recordatur videtur multa numerare, vt recordetur alicuius, aut quia numerare, sit quodã reminisci. Sunt tamẽ aliquot loci in scriptura, in quibus magis quadrat præficere, præponere, quàm recordari, aut numerare: sicut hic, & Iob trigesimoquarto, vbi dicitur. Quem (pachad) id est, præfecit super se, super terram? posset tamen retenta propria significatione hic verti. Qui recordari fecit eum super domum suam, id est, fecit quòd ipse esset memor omnium quæ erant in domo sua: & omnibus numeratis tradidit ei cuncta. Sic quod infra dicitur. Et fuit ex tunc quo recordari fecit eum domus suæ, id est quo curam domus illi commisit. Aut ex tunc quo illum domui suæ præfecit.

Benedixit domui Ægyptij, propter Ioseph. Aut in reuolutione Ioseph, id est, dum Ioseph reuolueret, quæ erant in domo eius: aut ad circuitum, Ioseph. Nam Galal voluere, & reuoluere significat. In multis tamen locis videtur (gelal) significare propter, vt Deuteron. decimooctauo, supra. 12. & 30. Per benedictionem autem intelligit beneficentiam: qua Dominus illi benefecit.

¶ *Et non cognouit cum eo quicquam,* sed aut nisi *panem, quem ipse comedebat.*

Variè tam nostri, quàm Hebræi, hunc locum reddunt: cùm meo iudicio sensus non sit obscurus. Aben Ezrah sic vertit. Non discernebat cum eo quicquam, nisi panem, id est, omnia illis, communia erãt, nisi quòd Dominus in cibo non communicabat cum eo, quoniam non licebat Ægyptiis comedere cum Iudæis: vt infra dicetur. Alij ad Ioseph verbum referentes, vertunt. Non cognouit, scilicet Ioseph cum Domino suo, nisi panem, id est, nihil præter siccum panem: in domo Ægyptij comedebat. Expositio indigna relatu est. Quidam, quòd non haberet cum eo quicquam ratiocinij. Sed simplex, & germanus literæ sensus est, quòd Dominus Ioseph, de rebus suis nihil cognoscebat, nisi panem quem comedebat: ac si diceret. Ioseph cuncta curante: Dominus non curabat nisi comedere, & bibere, aut nihil eorum, quæ possidebat nouerat, nisi solum panem, id est, cibum, seu comedere, & bibere. Nam hoc solum quærebat.

An cibus ad comedendum esset paratus necne: & hunc sensum, contextus approbat. Nam antea dictum est: quòd Dominus constituerat eum super domum suam, & omnia quæ habebat tradiderat in manu eius, vt scilicet ipse de cætero ea curaret, & Dominus ipse vacaret ab huiusmodi curis. Infra etiam dicit heræ suæ Ioseph. Ecce Dominus meus, non cognouit mecum, quid scilicet sit in domo, & omne quod est illi, dedit in manu mea. Vbi præcedens textus locum explicare videtur.

Fuit pulcher forma, id est, lineamentis. Nam (toar) est formare, describere, signare: & putarem hic significare colorem, seu colores aptos: vt scilicet rubeus esset suo loco, & candidus suis, vnde resultabat quòd esset visu pulcher.

Non est maior me, in domo ista, aut eleuatior loquitur de conseruis. Quomodo faciam malum magnum hoc, scilicet, aduersus herum, & peccabo in Deũ. Duos timebat offendere, scilicet, herum, & Deum.

Cùm loqueretur ipsa ad Ioseph dietim.

Hebraicè est (Die) & (die) id est, singulis diebus.

Vt iacéret apud eam: vt esset cum ea.

Duo dicit textus, quòd, scilicet, Ioseph noluit cum ea accumbere: & quòd noluit cum ea esse. Vitabat enim quantum poterat, esse in loco, in quo illa erat: vt illi auferret peccandi occasionem. Aut noluit acquiescere vt iaceret iuxta eam, neq; vt esset cum ea, aut in lecto, aut in eadem domo.

Et fuit secundum diem hanc, id est, sicut omni die solebat, vt scilicet, Ioseph intraret ad faciendum opus suum. Aut fuit secundum diem hanc, qua ipsa eum solicitare solebat: & per opus intellige opus quod illi erat faciendum, aut quod facere solebat.

Vocauit viros, aut clamauit ad viros domus suæ.

Nam infrà dicit. Et clamaui voce magna.

Vt illuderet in nos, seu nobis. Diximus abundè, de significatione verbi (sachach) supra. 21. ibi vide.

In domum carceris. Dictio (sahar) rotundum significat vnde videtur, quòd Domus carcerum illo tempore essent rotũdæ, & hoc manifestè habetur ex capite sequenti vbi puteus vocatur. Cantico. septimo. Venter tuus erat (hasahar) id est, rotundus. Et quod sequitur.

Et dedit eum in domum carceris: in qua incarcerati, regis tenebantur: Coniecturam nonnullam præbet textus, quòd iste esset princeps Laniorum, seu plectendorum: qui, quos volebat incarcerabat. Et per vinctos Regis intellige eos, quos rex includi præcipiebat.

Inclinauit ad eum misericordiam, scilicet Deus. *Dedit gratiam suam Deus in oculis principis domus carceris:* vt, scilicet, bono aspectu aspiceret Ioseph.

Omnia quæ faciebant ipsi, scilicet, vincti ipse. ℭ Ioseph *faciebat,* ipse omnia quæ vincti faciebant: fiebant ex imperio Ioseph. Aut omnia quæ ipsi erant facturi, id est, necessaria illis: faciebat Ioseph.

Neque princeps domus carceris videbat quicquam, ex his quæ erant in manu eius.

Hebraicè sic habetur. Non princeps Domus carceris videbat omnia, quicquam in manu eius: & posset negatio præcedens subintelligi, scilicet, neq; quicquam, scilicet, erat in manu eius, scilicet, principis: ac si dicat. Nihil videbat, neq; habebat quicquã in sua potestate, cunctis Ioseph traditis: & ratio subditur.

Quia Deus erat cum Ioseph. Nam quod ipse, scilicet, Ioseph faciebat, Dominus proficere faciebat, seu vltra transire faciebat, quod est proficere.

CAPITIS. XXXIX. AD MORES.

Emit eum Potiphar princeps, aut custos Pareb.

Cùm Dominus parat iustis tentationes: statim parat quę leuiter eos excipiant, quemadmodum parauit Ionæ belluam marinam, quæ eum deglutiret, sed non deuoraret. De iustis in Psalm. scriptum est: quòd dedit Dominus eos, in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos. *Fuit Dominus cum Ioseph.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quocunque pergit iustus Dominus eum concomitatur. Si (inquit Sãctus) ambulauero in medio vmbrę mortis non timebo mala, quoniã tu mecum es, Qui venditum iustum non dereliquit, sed cum eo descendit in foueam, donec afferret illi sceptrum regni.

Vidit Dominus eius, quòd Deus esset cum eo.
Facilè cognoscitur homo, in quo est Deus. Nihil est in iusto, quod Deum adesse non ostendat. Ostendunt oculi, os, manus, pedes, & cætera membra, quemadmodum in impio: absentiam Dei cuncta proclamant. Ex confusione enim. (vt dicit Apostolus) Deum abesse malis ostenditur, quemadmodum ex ordine præsentia Dei in bonis.

Omnia quæ faciebat Dominus prosperabat.
Non solum iustis, sed etiam rebus eorum Deus adest, & cuncta eorum, secundat.

Præposuit eum domui suæ.
Audis ad quid Dominus suos, seruos esse permittat: vt ex seruis Dominos faciat. Similiter quid valeat bonus seruus.

Omnia sua dedit in manu eius. Idem enim est, tua iusto tradere, ac si Deo ipse tradidisses.

Ex quo eum præposuit domui suæ, benedixit Deus omnibus quæ erant ei.
Non crescunt vel augentur opes in manu impiorum: quare si ditari cupias: iustis eas tradas necesse est. Vbi simul expende, quid vtilitatis sit iustum domi habere. Sic ad ingressum Iaacob, Laban fatetur se à Domino benedictum. Sunt manus iusti manus Dei, vt sicut quæ Deus manibus tangit augentur, ita & quæ iusti tractant.

In domo & in agro: vt scias quàm latè diffunditur benedictio iusti.

Reliquit omnia sua in manu Ioseph.
Docentur hic Domini fidere bonis seruis.

Leuauit vxor Domini oculos suos in Ioseph.
Audis quid valeat honestas in fœmina. Nam quandiu hæc oculos habuit demissos, non peccauit: cùm verò leuauit, scandalum passa est. Et simul aduerte, quãtum prosit ad honestatem, oculos deiicere.

Dormi mecum. Miram valdè est, quòd sic apud fœminas ecciderit omnis pudor, vt non expectaret ista rogari, sed inuitet.

Ecce Dominus non cognouit mecum.
Docet iuuenis iste pudicitię speculũ, qualiter nos cum inuitantibus ad vitia habere debeamus. Nullo enim modo suadenti assentiendum est: sed econtra, persuadendus suasor bonis verbis & rationibus, vt desistat: qui si vim inferre voluerit, pallium potius in manu eius relinquendum est, & cuncta mala ferenda, quàm in vitia prolabendum. Similiter proposuit beneficia Domini in se collocata. Vbi tu aduerte, non esse malum pro bono reddendum.

Quomodo faciam malum grande?
Hoc malum peccatores, dum peccare volunt habent, quòd cùm peccare cupiunt peccatum attenuant, iusti verò omnes, eius neruos extendunt: & tam graue & magnum faciũt: vt vires eorum omninò excedat: & sic dimittant, nec se posse, aut scire facere fatentur, Excedit enim iustorum vires peccatum. Mirum valdè est considerare quantum potest iustus in bonis, quàm parum in malis. Peccatores verò potentissimi ad mala sunt, debiles verò ad bona. Similiter licet iusti optimè sciant bona facere, malà verò facere se nescire fatentur. Neque obicit ei, Timeo videri, aut peccatum meum sciri: sed quod sit contra Deum obiectat, vt nos doceat, non dimittere peccata, timore pœnæ alicuius: sed Dei.

Cum loqueretur ad eum dietim. Importuna res mulier in desideriis suis, vt quæ hominem nõ sinat quiescere nisi concedat quę poscit. Exemplo tibi sit Dalilah quæ precibus suis importunis, Samsonem deiecit. sed non quandiu cum eo fuit Deus: Cum quo simul aduerte iuuenis constantiam, quam importuna mulier vincere nequiuit.

Non erat quisquam ex viris domus domi.
Quis mihi daret, vt sic iusti scirent tempus captare ad opera virtutis, quemadmodum vitiosi & peccatores ad peccata sua. De Iuda traditore legimus, quæsisse oportunitatem, quomodo Christum oportunè traderet. Sancti vix sciunt tempus oportunum ad bona opera quærere.

Reliquit vestimentum. Ne relinqueret pudicitiam.

Adduxit nobis virum Hebræum.
Mirabilis malitiæ artifex fœmina. Quæ vim intulit, & iniuria fuit: conqueritur, qui autem damna patitur tacet, Neque peccatum saltem semel excusat. Solent quãnimium innocentes sunt, tacere, & malunt se reos ęstimari, quàm causam suam defendere. Sic fecit illa pudicissima fœmina Susanna. Sperãt enim suam causam à Deo defendi, qui cùm innocentes sint, tacent.

Retinuit vestimentum apud se.
Si pudica esset, absconderet opprobrium suum: sed quia diuulgat, seipsam ream constituit. Docemur hic non esse peccandum cuiuscunque metu. Puto eam sępius inuenì periculum mortis, si non acquieuisset, exheminatam, sed ille magis periculum diuinæ offensionis curauit, quàm vitæ.

Secundum hæc fecit mihi seruus tuus.
Peccatum serui, in maritum, qui emerãt, impingit: quemadmodum Adam vxoris peccatum in deum, qui dederat vxorem, retulit.

Iratus est furor eius. Voluit Dominus, huius impudicæ fœminæ technas ostendere: vt de cætero sint cauti viri, & sciant non in omnibus vxori fidem esse adhibendam.

Posuit eum in domo carceris.
Audis iusti patientiam, & qualiter ream non prodit, sed mauult talia sustinere, quàm peccatum eius detegere: vt sciamus, quàm curandã sit proximi fama. Sic sancta fœmina Susanna apud Danielem decimotertio capite.

Fuit Dominus cum Ioseph. Quemadmodum fuerat cum eo, in venditione: ita & in vinculis nunc. Et si Dominus iustum nusquam deserat, maximè tamen in malis, illi adest: ne manus suas propter mala, quæ patitur, ad malum extendat. Et hìc collige quid fidelitas valeat, vt quemadmodũ prius herus omnia sua illi tradiderat, ita & nunc princeps carceris. Vnde meritò sapiens consulit, fidelem seruum, esse diligendum sicut animam.

CAPITIS. XL. AD LITERAM ANNOTATIONES.

Et pistor. Vtrum (aphzh) significet coquere: siue sint carnes, siue panes. Hic videtur (opheh) significare coquum, aut pistorem. Supra. 19. Et azima (aphah) id est, coxit azima. Sed statim explicatur, quòd isti fuerunt principes Pincernarum & Pistorum.

Iratus est Paroh. Verbum (chasaph) significat fœdere ira, non qualitercunque irasci.

Contra duos eunuchos. Melius custodes, vt iam diximus.

Dedit illos in custodiam domus principis Laniorum.
Multos fuisse Laniorum principes. Similiter custodiæ carcetis fuisse vnum ex eis: sequentia probant.

Et proposuit princeps Laniorum Ioseph, illis: aut numerauit eos Ioseph, scilicet vinctos. Solent enim numerari, quæ alterius custodiæ traduntur. Non enim bene cohærent, vt præposuerit eum illis, & quòd ministraret eis: vt, scilicet, esset præpositus, & ministret, sed dicitur quòd præposuit eum eis, vt custodiret, sed quia iuuenis vt ministraret.

Vnusquisque, aut vir secundum interpretationem somnij sui, id est, conformem interpretationi suæ, qua postea Ioseph interpretatus est: Aut secundum interpretationem suam, id est, secundum veritatem interpretationis suæ.

Erant turbati. Dicunt Hebræi verbum (Zaaph) significare irasci, turbari, dolore affici, & macie: sed turbare, videtur congruere omnibus locis quibus verbum ponitur, aut cõmoueri & mutari. Vnde (azeph) id est, turbatio Ionæ primo. Et fletit mare (miraphò) id est, à turbatione sua. Sic & hic, Ecce ipsi turbati, aut commoti Danielis autem primo habes. Et si viderit vultus vestros, zoaphim, id est, magis mutatos, quàm aliorum puerorum. Vnde indubiè dicendum est: verbum significare commoueri, mutari, & turbari, siue huiusmodi commotio seu mutatio sit in animo, vt in iratis apparet, siue in vultu, mutãdo vultus colorem. Isti autem erant mutati vultu seu colore vultus, in alium.

Quare facies vestræ malæ hodie, id est, ipsæ præ se ferunt morbum. Erant enim (vt diximus) mutatæ in pallorem tae si infirmi essent. Vsq; hodie Castellani vocãt infirmos, malos (Estaa malo) id est, infirmatur.

Numquid non Dei interpretatio est, id est, ex diuina reuelatione pendet, aut ex Deo est veritas somnij, quod scilicet verificetur vel non.

Narrate mihi. Hic (sapar) significat narrare: Inuenitur etiam significare numerare, vt alias diximus.

Me sommante, Hebraicè, *Erant in somnio meo, & ecce vitis ante me.*
Sumitur autem hic vitis, non pro palmite, sed pro matre, aqua palmites prodeunt: quia sequitur in qua, scilicet vite, erant tres rami, id est palmites. verbum (satag) propriè significat complecti, circundare, Threno. primo (istorgum) id est, circundabunt se super collum meum: & Iob quarto. Nerui testiculorum eius (lesorãgu) id est, perplexi sunt. Hinc, saris, id est, palmes, sic à complectendo, seu à complex, seu circundando dictus. Sunt enim palmites complexu & eis caput coronamus: factis ex eis circulis.

Et ipsa, scilicet vitis: *ficut pullulans, aut germinans.*
Hæc enim duo verbũ, parach, significare videtur. Quidam addunt florere, sed non placet.

Ascendit flos eius. Et maturescere fecerunt, seu decoqui: botri eius uuas.
Verbum, basial, quòd maturescere vertimus, significat propriè coquere, decoquere: & exindè maturescere, quòd matura videantur à sole decocta: aut quia apta ad comedendum, vt cibus decoctus. Dictio, Eschol, id est, botrus, asachal, quod est priuari, aut separare ortum habet: & vocatur sic botrus, quod sit separatus à vite sua, aut quasi separatus, vel quia vitis, eo priuatur, dum scinditur botrus. Significatio tamen verbi propria: non plenè nota est. Videtur tamen significare priuari filiis, maximè ab vberibus pendentibus: quemadmodum à palmite botri sui: & vt vno verbo dicatur significat diuidere filios à matre, à quo veluti botri à palmite pendent. Vnde Hieronymus capite quadragesimosecundo vertit. Absque liberis me esse fecistis.

Et calix Paroh. Non propriè meo iudicio (cos) calicem significat, sed vas habens rostrum ad modum falconis aut auis rapacis: Cui rei argumento est, quòd dictio, cos, falconem etiam significat, aut aliã auem rapacem, vt patet, Psal. 102. fui, chechos, id est, sicut falco aut nicticorax, in domicilio: nostri vas illud, quod ad modum auis, rostrum habet tortum vocant gomil.

Tres rami, Clarius tres palmites.

Redire faciet te super sedem tuam.
Dictio, chanah, significat basim, vel sedem, achum, quod est firmare: inde chanah, id est, basis, sic à firmitate dicta.

Secundum consuetudinem, aut morem primum.
Hebraicè secundum iudicium primum, id est, distributionem: & vocat officium distributionem, quòd soleãt distribui à principibus ministeria in seruos.

Sed recordatus eras mei secundum quod bene tibi fuerit, Hebraicè est.

Quoniam si recordatus, fuisti mei tecum, quemadmodum tibi bene fuerit: & facies quæso mecum misericordiam: vt facias mei mentionem apud Paroh.
Et sensus est. Quoniam si memor fuisti mei tecum, id est, dum essem tecum, scilicet hic in carcere. Secundum quod bene tibi fuerit, id est quando tibi bene fuerit, scilicet recordaberis mei, Ac si dicat, Sicut memor fuisti mei, dum in malo fuisti, scilicet in carcere, vbi me continuò videbas, ita precor sis mei memor, dum tibi bene fuerit. Et facies mecum misericordiam, qui sensus mihi magis arridet, quoniam vt diximus verbum Sum in præterito ponitur, aut quoniã si recordatus fueris mei tecum, id est, apud te, cùm tibi bene fuerit: & feceris mecum misericordiam, scio quòd facies memoriam mei apud (Paroh). Vel aliter. Si recordatus ita fueris mei quemadmodum tibi bene erit: scio quòd facies misericordiam mecum memorando me apud Paroh.

Quoniam posuerunt me in puteo.
Constat ex hoc loco carceres fuisse rotundos ad modum puteorum, vt iam diximus.

Ecce tria canistra alba super caput meum.
Dictio (sale) id est, canistra: ortũ habet à (salal) quod est calcare, conculcare, terere, & assuescere. Neque assentior Hebræis dicentibus significare etiam exaltare: quoniam vbi ipsi exaltare vertunt, melius quadrare videtur terere: vt Prouerbiorum. 15. Semita rectorum (selulah) id est trita: vbi nostri vertunt eleuata. Sed magis trita conuenit, vt sit sensus quòd via rectorum est trita, in qua, scilicet, nemo errare potest aut nullus in ea error sit: aut in qua nemo lędatur. Sic Ierem. 18. Via non (selulah) id est trita assueta: & sic ibi Hieronymus vertit. Idem Isaiæ. 57. Et dicet, scilicet, preco (Solu Solu) id est, eleuate eleuate. Melius, terite terite, seu facite tritam viam: in qua viator non lędatur, neque erret. Quod autem terere significet, constat Ieremiæ. 50. vbi dicitur (salauah) id est, terite eam, sicut aceruos, scilicet, manipulorum. Vnde (sale) significat canistra, quòd dum fiunt terantur: vt æqualia sint. Dictio verò sequens, scilicet (chori) quam Sanctes noster alba vertit, frequentius significat foramen. Vnde quidam vertunt foraminum, id est, perforata: & melius meo iudicio. Quòd autem dictio etiam albedinem significet constat Danielis. 7. vbi dicitur, Vestimenta eius sicut nix (chouar) id est, candida: aut splendida: & candorem canistrorum, aliqui ad vimina decorticata ex quibus fiunt: alij verò ad panes albos, quos in canistris deferebat referunt. Melius tamen ad canistra referendum puto.

Fecit conuiuium. Admonui alias (misteh) potius bibale (vt ita dixerim) quam conuiuium significare: (sasatah) quod est potare, propinare.

Et leuauit caput principis Pincernarum, id est, leuando seu eleuãdo summam seruorum suorum, in medio eorum leuauit capita istorum duorum, aut leuauit à carcere, vt in aliis locis multis scripturæ.

CAPITIS. XL. AD MORUM COMPOSITIONEM.

Iratus Pharao contra principem Pincernarum & Pistorum.
Hoc communiter seruis Principum euenire solet: vt propter facilem causam in carcerem detrudantur: & vna hora perdant, quod tota vita sua meruerunt. Varia & iniusta res Principis animus: & qui pro re minima hominem summè euehat & pro nihilo deprimat.

Posuit eos in custodia in qua erat Ioseph.
Mirabiles vias Dominus quærit ad liberandos suos à malis, & ad exaltandos eos. Etiam hic nota qualiter in malis & in carcere, voluit honorare seruum suum Dominus, vt ibi esset vinctus Ioseph, vbi Principes vinciri solebant, vt tolerabilior sit illis probatio.
Sic martyres suos voluit pro maiori parte decollari: quæ mors nobilium esse solet, sic Petrum apostolum sua cruce euexit.

Fuerunt per annum in carcere.
Miror cur nostri, cæcos sequantur hic Iudæos: vt pro, per aliquot dies, vt textus habet, vertant per annum? quod iam supra. 24. annotauimus, Aduerte hic quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

facilè obliuioni tradantur palatini canes, à suis conseruis, & à Principibus: vt tandiu rex reliquerit istos in carcere, neque fuerit qui preces Regi pro eis funderet.

Somniauerunt somnium, licet somnia vt plurimum vana sint, nonnunquam tamen aliquid veritatis continent. Cùm enim somniaueris, in peccato existens, quòd daturus sis pœnas propter illud, nihil periculi est, si fidem somnio adhibeas.

Cur facies vestræ commotæ?
Cùm videmus aliquid mutationis in amicis, quærenda est causa, & solandi à nobis sunt.

Dei sunt interpretationes.
Ideò vani sunt, qui sine Dei reuelatione, somnia interpretari præsumunt.

Hæc est interpretatio. Quærunt ambages, qui sua prudentia interpretari volunt somnia. Non sic qui à Deo didicerunt: sed statim explicant: vt apud Danielem videbis.

Sicut memor fuisti mei tecum.
Hoc malum hominis habent, vt solum in præsentia suorum amicorum memorentur: neque solum amicorum, sed & beneficiorum acceptorum. Voluit autem Dominus, quòd iste amplius non memoraretur interpretationis: vt sciret, non esse in homine, sed in se fidendum.

Quia furto auferendo, furto ablatus sum de terra Hebræorum, scilicet à fratribus & Ismahelitis, qui optimè nouerant eum ablatum. Audis, ni fallor iusti prudentiam, & charitatem: vt neminem velit damnari, neque nominat autores malorum suorum, sed solius innocentiæ suæ memor est.

Vidit princeps Pistorum, bonum est in alieno capite periculum facere.

Fecit conuiuium omnibus seruis suis.
Admonentur hic principes seruos suos nonnunquam inuitare, vt fideliores habeant: & numerum eorum habere, eosque sæpius numerare, quemadmodum Dominus: Apud Hester legimus Assuerum, eorum præclara gesta legisse: Pharaonem verò hic numerasse.

Reuire fecit principem Pincernarum ad pocillationem suam. Non debent principes diu iram aduersus suos tenere, sed facilè condonare, & reuocare, si quid iræ impetu malè gesserunt.

CAPITIS. XLI. AD LITERAM.

ET *fuit post duos annos dierum*, id est, constantes ex integris diebus. Annus autem perfectus, qui conficitur ex reuolutione Solis ad eundem punctum, non constat ex integris diebus, sed restant aliquot horæ, quæ quotannis collectæ diem intercalarem pro Sole constituunt: & epactas pro Luna. Sed an hæc vera sint, nescio. Lego apud Hebræos fuisse, hebdomadam dierum, & hebdomadam annorum, vt patet Leui. 25. & fortè vocabatur annus iubileus, annus annorum, id est, ex multis annis constans: communis verò annus vocabatur dierum, quoniam ex diebus constabat. Et Hebraicè habetur.

Et fuit à fine duorum annorum dierum, Id est, finitis duobus annis, aut post finem duorum annorum.

Ecce stabat iuxta fluuium, significat (ieor) propriè riuum, vt patet Isaiæ. 33. vbi dicitur locus fluuiorum (Ieorim) id est, riuorum. Et Exodi. 8. Super flumina super (Haseorim) id est, super riuos. Aliquando tamen ponitur pro flumine absolutè: vt patet Exodi. 7. Hic verò potest pro flumine absolutè, & pro riuo accipi: & est sermo de Nilo.

Et pingues carne. Verbum (bara) à quo (bari) significat separare, & etiam creare secundum Hebræos (bari) verò videtur significare separatum, electum, aut pingue: quod animalia & aues separari solent, vt impinguentur.

Pascebant in prato. ab (achot) id est, soror, venit (achu) quod est gramen, seu herba virens: & vocatur (achu) id est, soror: propter similitudinem inter herbas eiusdem prati, quæ videntur esse sorores.

Malæ aspectu, id est, deformes & tenues carne.

Super littus fluuij. Hebraicè super labium fluuij. Vocat Hebraismus labium, littus maris, aut fluminis ripam, quod sit veluti labium.

Ecce septem spicæ ascendebant in culmo vno.
Dictio (Siboleth) id est, spica, varia significat Hebræis: scilicet, alueum, spicam, & (sebil) viam, semitam, & (sobel) pedem, crus, coxam, & allusionem habent omnia hæc adinuicem. Nam dictio propriè significat alueum, à quo multi riui deducuntur, vt patet Psal. 64. Ne inundet me (siboleth) id est, alueus aquarum. Significat spicam, quod ab ea multitudo aristarum veluti setæ pullulent. (Sechil) verò viam, ex qua multæ semitæ oriuntur, (Sobel) autem pudenda, quod inde multi pili exoriuntur: vt patet Haiæ. 47. Discooperi, sobel, id est, pudendum tuum. Et quod culmum vertimus, verti potest in canna vna. Vocat enim Hebraismus (culmum) cannam, quod modum cannæ habeat.

Arefactæ Orientali, id est, ventò Euro, qui segetes exurere videtur. Hamos. 4. habes percussi vos (bassidaphon) id est, ariditate.

Euigilauit Parhob. Arbitror (iachats & chuts) eiusdem esse significationis, & significare finire, & euigilare, & potius vtrumque finire, quàm euigilare: enim euigilare nihil sit aliud, quàm somnium finire: vnde hic verti posset. Et finiuit (Parholt) scilicet somnium, seu euigilauit: & ecce erat somnium: nō erat (inquit) vera res, sed somnium.

Contusus est spiritus eius. Verbum (paam) significat contundere, præsertim multiplicatis ictibus, seu vicibus. Inde, paam, id est, pes, sic dictus, à contundendo multis vicibus terram, &, paamon, tintinnabulum, ob ictibus frequentibus quibus sonat.

Vocauit omnes Magos. Incertum est, quid propriè significet (charton). Ex hoc loco videtur significare coniectorem somniorum, & sic Hiero. vertit. Alij tamen (geniethliacos) significari putant, id est, qui ex die natali, fortunam hominis successumq; pronuntiant. Sequens verò dictio, scilicet (chacham) sapientem significat, quacunque sapientia.

Peccatum meum ego recordari facio hodie, id est, cogor recordari peccati mei: non enim sponte eius recordabatur, aut peccatum meum ad memoriam reduco.

Parhoh iratus est, aut *efferbuit. Vt secundum interpretationem suam somniauimus*, id est, secundum euentum ab interprete coniectatum.

Me redire fecit, id est, redire prænuntiauit super sedem meam, aut me redire fecit (Parhoh) super sedem meam, & illum suspendit, id est, suspendi iussit, aut suspendendum prædixit.

Currere fecerunt eum de puteo, id est, de carcere, qui (vt diximus) rotundus erat ad modum putei.

Et rasit, scilicet rasor, *caput eius*. scilicet, ad mundiciam.

Et mutauit, scilicet nuntius, *vestes eius*, scilicet Ioseph: aut mutari fecit. Verbum, chalaph, vt dicimus supra. 31. significat propriè transire: & hic in, piel, transire fecit, scilicet nuntius, aut, Parhoh, vestes eius, scilicet, Ioseph: quod bene vertitur per mutauit.

Dominus respondit pacem aut integritatem, id est, ea quæ sunt ad integritatem, Parhoh, ac si dicat interpretatio somnij, aut res quā indicat somnium: nō afferet detrimentum, Paroh, sed potius boni iudicium est.

Turpes forma, Hebraice malas forma, id est, effigie. *valde*. Et quod sequitur. *In turpitudine.* Hebraicè habetur: *in malo, seu ad malum.* Cuius sensus est. Non vidi vnquam in Ægypto tam malas.

Venerunt ad interiora, aut ad internum earum, id est, intrauerunt vaccæ pingues, interiora vaccarum cupium & macilentarum: ac si dicat. Non solùm comederunt eas, sed vsque ad intima sua perduxerunt, quod statim explicat.

Et non est cognitum quòd venerint ad intimum earum, id est, nihil ereuit pinguedo vaccarum macilentarum: post esum vaccarum pinguium. Sic fuerunt postea ac si

ac si nihil esset, quod comederāt, seu nihil vestigij vaccarum pinguium remansit in corpore vaccarum macilentarum, quod erat signum, quòd in annis famis, nulla esset memoria annorum fertilitatis: vt infra explicatur: & quod latenter anni famis, sequuturi essent annos fertilitatis.

Et aspectus earum malus, quemadmodum in principio, scilicet videram.

Et euigilaui. Posset etiam verti. Et finiui, scilicet somnium: vt iam diximus de verbo (Iachats).

Et vidi, scilicet secundò, *in somnio meo. Septem spicæ paruæ & tenues.*

Non constat, quid propriè significet (senumah): quod Sanctes paruam vertit. Rabbi Dauid paruas exponit. Rabbi Selomoh absque humore, quoniam (senumah) in lingua Aramæa est petra. Thargum inanes, non habentes nisi flores. Alij tenues, quod in lingua Ismahelitica tenues dicantur (selamim).

Arefactæ, aut *aridæ Orientali.* Significatio dictionis (sadaphon) vt diximus: ignota est.

Deus fecit, id est, facere decreuit: *nuntiauit Parhoh. Hoc est verbum*, id est, interpretatio verbi, aut res significata per verbum (parhoh).

Quod Deus fecit, id est, facere decreuit: *Videre fecit Parhoh. Septem abundantiæ in omni terra Ægypti*, Hebraice est. *Septem eleuatus vel crescens*, id est, quibus herbada eleuabātur, aut crescent, aut septem laudari ansi ab omnibus, seu quos omnes prædicabunt. Nam de sequentibus annis dicitur, quòd obliuiscetur omnis saturitas.

Consumet fames terram. i. homines terræ, & memēto hebraismum, vocare homines terræ, terram, aut consumet fames terram, ita vt arari non possit.

Nunc videat Parhoh virum, id est, eligat, aut prouideat *intelligentem aut sapientem.* Vix potest sciri discrimen, inter significata horum duorum nominum in Hebræo, scilicet, inter (baiam) id est, intelligentem, & (chacham) id est, sapientem: nisi quod (bin) videtur significare prudentem, discriminantem seu discernentem: vnde (ben) id est, inter (Chacham) vt plurimum ad artificialia pertinet: confunduntur tamen sæpius huiusmodi discrimina. Aliqui putant (chacham) ad astutiam pertinere.

Et constituat eum super terram, Hebraice. Et ponere faciat eum: ac si dicat. Faciat (Parhoh) præfectum communem vnum. *Præficiat præfectos super terram.* Et isti debebant esse multi: vt in singulis locis curarēt triticum seruare.

Et quintam partem accipiant. Hebraicè: quintare faciant (si latinè fas esset dicere).

Coacernabit, id est, in aceruos ponet, *frumentum.* Dictio (bar) videtur potius puerum significare, quàm frumentum, sed etiam ad frumentum purum significandum extēditur: & est sensus. Congregetur frumentum à palea purgatum: & custodiatur.

Erit cibus ad depositum terræ, aut ad numerum terræ, id est, secundum multitudinem locorum terræ.

Non succidetur terra fame, id est, homines terræ.

Tueris super domum meam, id est, gubernabis eam.

Et iuxta os tuum armabitur populus meus.
Varie locus iste ab interpretibus redditur: propter ignorātiam propriæ significationis verbi (nassach) quod dicunt significare osculari, armare. Et de priori significatione sunt multa exempla in sacris literis: de secūda non item. Ideò mihi suspecta est. & videtur potius post osculari, sed significare cōiungere, aut coniungi, quòd osculari, nihil sit aliud, quàm os ad os coniungere. Ne autem putes me absq; ratione loqui: lege. 3. cap. Ezechielis. & probabis quod dico: ibi enim habetur. Sonitus alarum animalium (massichoth) id est, coniungentium, seu pertingentium se, mulier ad sororem suam, id est, altera ad alteram. Quare meo iudicio vertēdum hic est. Et ad os tuum, id est, imperium, congregabit se omnis populus meus, seu coniungetur: siue ad bellum siue ad consilia. Rabbi Dauid retenta priori significatione vertit, ad imperium tuum osculabitur omnis populus meus, vt scilicet, ostendant te esse Dominum. Posset aliter in hac significatione verti sic. Ad imperiū tuum, osculabitur, scilicet, manum, aut pedem tuum: omnis populus meus: in signum subiectionis. Solet enim osculo manus, subiectio designari, vt Psal. 2. patet vbi dicitur. Osculamini filiū, id est, signa subiectionis ostendite: & placet iste sensus. Ac si diceret: cùm præceperis, omnes tibi signa subiectionis ostendent.

Vestire fecit eum vestibus bisi, id est, bissinis. Est bissus genus lini candidissimi.

Posuit torquem auream super collum eius.
Non plenè nota est significatio nominis (rabid) id est, torquis. Nam hic torquem significare videtur, cùm sit ornamentum colli. Prouerb. verò. 6. nostri verbum (rabad) ornare interpretantur. 70. autem, funibus tendere. Mihi autem videtur verbum significare ad modum catenæ coniungi, seu ligari ad modum annulorum catenulam, quæ est ornamentū colli. Et illud Prou. 31. citatum: sic vertendum puto. Tapetibus ligaui lectulum meum aut ornamēto ad modum catenarum, complexa sum lectū meum, seu funibus ligani lectum meum. Posset etiā dici verbū (rabad) significare ligare (rabid) verò catenā, aut torquem, quod collo ligetur.

Equitare fecit eum super currum secundum, qui erat sibi.
Aut curru vehi fecit eum, quoniam (rachab) significat curru vehi.

Clamauerunt coram eo, genu flectite.
Dictionem Hebraicam (abrech) aliqui compositam arbitrantur: ex (ab) quod est pater, & (rech) quod est tener, quasi vocarent eum patrem tenerum: & patrem propter sapientiam: tenerum verò propter iuuentutem: ac si vocarent patrem seu senem iuuenem, aut sapientem iuuenem: & infra dicit Ioseph, se positum à Deo, quasi patrem (Parhoh). Alij verò simplicem putant esse dictionem, & futurum verbi, barach, quod est benedicere, & hunc subesse sensum. Benedicam, id est, benedicite. Thargum vertit: hic est pater regis. Et quia, barach, significat etiam genuflectere: ideò priores sic vertunt. Ego verò illis subscribendum puto, qui veiam dicunt esse dictionem: & sensum esse. Et clamauerunt ante eum, genuflectam. Omnes enim videntes, eum, dicebant: genuflectam. Si tamen vertas, benedicam: non prohibeo. Vltimo verti posset. Eleuatio tua, ab, abar, quod est eleuare: & quod sequitur arridet huic expositioni. Nam sequitur.

Et dedit illum super omnem terram Ægypti. Absque te non leuabit vir manum suam, aut pedem suum in tota terra Ægypti. Sensus est. Nihil fiet arduum, sine tuo imperio: & est loquendi modus, aut quia per manum opus designari solet: sensus est. Nihil operis sine tuo imperio fiet. Et quod dicitur.

Ego sum Parhoh, videtur esse promissionis confirmatio, ac si dixisset, per me (Parhoh): promitto tibi, quòd nihil sine te fiet in Ægypto: aut ego sum (Parhoh) cuius imperium nemo audebit præterire, aut immutare.

Et vocauit nomen eius Saphnat, Paaneach.
Sic de hiis nominibus Hieron. dicit, in lib. Hebraicarū quæst. Licet Hebraicè, hæc nomina sonent absconditorum reuelatorem: tamen quia ab Ægyptio pronuntur, ipsius linguæ debent habere rationem: interpretatur autem huiusmodi sermo, in lingua Ægyptia, Saluator mundi: eò quòd orbem terræ, ab imminenti famis excidio liberauerit. Rabbi autem Abraham in Commentariis dicit. Si sit dictio Ægyptia, nescimus eius significationem. Thargum vertit. Vocauit eum, virum cui absconditā sunt reuelata. Rabbi Salomō, Expositorem absconditorum. Et si dictiones sint Hebraicæ, vt mihi videtur: nullū est dubiū, quin prior, scilicet, saphnath, significet occultum: à, saphan, quod est abscondere, occultare, vt patet Prou. 27. vbi dicitur, Sophene ach, id est, absconditos eam, absconduntque ventum. De significatione verò secundæ magis dubitatur, quia solū hic reperitur. Rabbini tamen, & omnes alij putant significare reuelatorē: vt sit sensus, quòd eum vocauerit ab-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sconditorum reuelatorem. Et postquam nulla est alia coniectura, ad venandam propriam significationem secundi nominis: acceptanda est communis sententia.

Dedit illi Asnath filiam Pothiferah.

Non credo hunc (pothiferah) fuisse Potiphar, qui eum emit ab Ismahelitis, quia ille princeps Laniorum, iste sacerdos dicitur. Aduerte tamen, vt iam supra cap. 14. admonuimus, nomen (Cohen) nō solum sacerdotem, sed & principem significare. Nam. 2. Samuelis octauo dicitur. Et filij Dauid (Coheni) id est principes erant. Non enim possumus dicere fuisse sacerdotes, cùm sola tribus Leui sacerdotes produceret. Et aduerte, quod hac significatione eludūt Iudæi sacerdotij Christi æternitatem: cùm enim aduersus eos citamus illud Psalm. 110. Tu es sacerdos in æternum, secundum rem, seu dispositionem Melchisedec: dicunt vertendum esse. Tu es princeps in æternum. Sed saltem hoc fateri coguntur regnum, scilicet Messiæ æternum futurum, quòd ipsi negant: cùm purum hominem arbitrentur. Sunt ad hoc duo Psalm. scilicet secundus: vbi dicitur de rege Messia. Vitam petiit à te, dedisti ei longitudinem dierum, in seculum & in seculum. Et. 60. vbi habetur dies super dies Regis adiicies: anni eius sicut generatio & generatio. Ad quæ respondent, regem Messiam diu victurum, & permansurum in æternum, non in se, sed in posteritate sua: iuxta illud Psalm. 131. Si custodierint filij tui pactum meum, & testimonium meum quod docebo: etiam filij eorum vsque in seculum, sedebunt super solium tuum. Sed illos in sua cæcitate relinquamus. Sequentem autem dictionem, scilicet (on) Aliqui vertunt, Heliopoleos, scilicet, Hieronymus & Thargū, quæ est ciuitas Ægypti nobilissima Sonat autem, on, fortitudinem & laborem.

Pertransiuit omnem terram Ægypti, vt scilicet præponeret viros, qui frumenta colligerent in annis fertilitatis, & vt se terræ Præpositum ostenderet.

Et fecit terra in septem annis fertilitatis ad acervos seu acervos. Sic est in Hebræo, id est, protulit frumēti magnos acervos: Incertum est quid propriè significet dictio, chemasim, quod aliqui pugillos, alij mensuras vertunt. Tertij horrea. Verbum verò, chamats, à quo deriuantur, significare dicitur capere pugillum cuiuslibet rei. Nam Leuit. 2. dicitur, Ve chamats, id est, pugil labit (si sic loqui latinis auribus licet) seu pugilli mensuram accipiet, seu colliget in die: plenitudinem pugilli sui. Sed huic significationi aduersari videtur, quod dicitur Leuit, 6. Tollet ab ea pugillo suo de simila oblationis: & de oleo eius, & totum thus. Non solet autem oleum pugillo colligi, vnde aliqui propter hoc: collectionem vel mēsuram significare dicunt. Sed posset sic intelligi locus Leuiti. Tollet ab ea pugillo suo, de simila oblationis: & tollet etiam de oleo eius, non quidem pugillo, sed alia mensura. Si ergo teneamus dictionem pugillum (vt videtur significare) tunc sensus est. *Et fecit terra illis septem annis, pugillos,* id est, in magna copia fructum. Quem loquēdi modum, nostri vsque hodie habent: dicentes. (Tem dinheiro a punhados) id est habet pecuniam ad pugillos, neq; pugillum vocamus, quod vnius manus vola colligi potest: sed quantum vtraque manu aperta quis potest capere: quòd si illa significatio non placet, possumus vertere ad mensuras, vel ad collectiones, & mihi placet magis quòd significet collectionem, aut mensuram quàm pugillum.

Posuit cibum in vrbibus, Cibum agri ciuitatis, qui. s. ager erat per circuitum: dedit in vrbe eius. s. agri. Sensus est quòd cibum, seu frumentum agrorum cuiuslibet ciuitatis: recondebat in medio ipsius ciuitatis.

Antequam veniret annus, scilicet, primus famis, aut ante annos famis.

Vocauit primogenitum Manasseh: quod obliuionem sonat, Ephraim verò sonat fructificationem.

In terra afflictionis meæ. Melius humilitatis meæ, id est, in qua antea humilis fui.

Fuit fames in omnibus terris, scilicet finitimis.

Aperuit Ioseph omne quod in eis, id est, omne frumentum quod in vrbibus erat. Concisa est locutio, vt in multis aliis locis scripturæ. 1. Samue. 13. Secundum tempus quod Samuel. subaudi prædixerat.

Et vendidit Ægyptiis. Confusa valdè est significatio verbi (scabar) & Hebræi dicunt significare conterere, vendere, emere, exponere: & sciber, escam cibum, & alia multa, quod meo iudicio accidit, quia propria significatio ignota est. Et si quis rectè consideret, deprehendet, verbum significare diuidere, scindere, & aperire. Nam explicatio, quædam apertio est, & confractio apertio esse videtur. Et loci quibus ipsi emere, aut vēdere vertunt, possunt bene verti per frangere. & videtur hebraismus vocare escam, fractionē: eò quod famem frangat. Vnde illud quod infra cap. 47. dicitur. Collegit Ioseph omnem pecuniam, quę inuenta est in terra Ægypti, & in terra Chenahan, pro alimēto, quod ipsi emebant: posset melius verti pro fractione, quæ ipsi frangebant, scilicet famem: vocando (vt prædiximus) cibum fractionem famis: & hic verti posset. Et diuisit Ægyptiis, scilicet, escam ad frangendum famē, aut distribuit Ægyptiis. Sic infra vbi dicitur. Et venerunt omnes in Ægyptum, vt emerent à Ioseph, vaterpores. Et venerunt ad Ægyptum ad Ioseph, vt frangerent, scilicet, famem suam. Sed quia aliqui sunt loci quibus non bene videtur quadrare propria significatio, scilicet, frangere admittendæ sunt aliæ, scilicet, vendere & emere.

CAPITIS. XLI. AD MORVM compositionem.

Pharboh somniauit. Mirandum valdè est quòd tanto tempore antequā veniret fames Deus regi eam reuelarit, & quod solus ipse de ea somniaret & prouiderit. Ostendit enim Dominus futuram famem, regi potius quàm aliis, quoniam eorum est prouidere quæ suis necessaria sunt, vt etiam doceat principes præuidere necessitates, antequam sint, & prouidere, & succurrere eis. Debent enim sic publicis rebus inuigilare: vt ex curis multis quas in die habent: nocte somniorum quę curanda sunt in republica. Non enim solent homines somniare: nisi quę animo ſæpius reuoluunt. Vnde signum euidens est (Parhoh) frequentissimè de prouidendis necessitatibus suorū cogitasse in vigilia, quod de eis noctu somniatit. Vbi tamen similiter aduerte patris pietatem, qui cùm vellet Ægyptum fame diseruiari: prius hoc ostendit: vt succurre possent, quod sępius facere solet: vt homines fugiant à facie arcus. Terriò adnotare licebit post bona tempora expectare mala, præparare animum ad tentationem. Quartò nullū Deum dare aliquod infortunium, nisi prius dederit, quæ sufficiant ad illud, æquo animo ferendum, quemadmodum hic prius dedit abundātiam, qua ferre possent penuriam.

Comederunt vaccæ malæ aspectu: pinguet. Commune est: vt magis mala sentiamus quàm bona.

Ecce septem spicæ. Nonnulla licentia hic dari videtur nobis, vt attendamus somnia cùm multiplicata fuerint, & certa.

Non erat qui interpretaretur. Cùm Dominus velit aliquem ex suis exaltare, alios exeçat etiam sapientes: vt accidit tempore Nabuchodonosor.

Peccati mei ego recordor hodie.

Arguit locus iste, quanta difficultate, homines peccatorum suorum memorentur, quod ideò fieri puto: ne pœnarum quæ peccata comitari solent: recordentur. Et recordatus est peccati sui: nō tamen interpretis sui, in quo etiā tu aduerte, quàm facilè principes inueniāt qui eos consolentur: & qui à consiliis sint. Et simul perdisce aliorum malis, ea remedia adhibere. quibus tua curasti, simulque medicum commendare.

Currere fecerunt eum de carcere. Talia solent esse ministeria regis. Omnes currunt, & quantocius faciunt quæ imperat rex. *Totondit se.* Docetur qui apparere debet in conspectu principum, parare se: & multo magis qui Dei obtutibus sunt præsentandi. *Præter me Deus respondebit quæ ad integritatem sunt Pharboh.* Omnes

Omnes solent regibus bona prophetare: quemadmodum constat de propheris Achab.

Non fuit qui indicaret.

Mirum valde est, quod viderit (Parhoh) somnium, neque sciuerit quid significaret quod viderat, sed interperte opus fuit: vt reges discant se egēre consiliis sapientum, & peritorum.

Prouideat Pharboh. Adagium apud nos est, vt qui consilium præstat: præstet remedium. Sed considera quod rex vidit sertiliratem & penuriam, sed non vidit remedium: Deus verò omnia vidit, & prouidit, vt discas non esse in nostra prudentia, cognoscere ea quibus indigemus. Et sequitur.

Virum prudentem & sapientem.

Quia horum esse debet gubernatio.

Et quintam soluere iubeat.

Constat ex hoc loco principem, suis posse tributa imponere, sed quæ postea in eorum vtilitatem expendat.

Erit cibus pro septem annis famis.

Prudentium gubernatorum est, tempore abundantiæ seruare in tempus pœnuriæ, & ægestatis.

Numquid inuenienus talem virum?

Quos Deus euehit, exaltet princeps. Multi enim sunt, quibus Deus optimas dotes dedit: quos principes non curant, & inhabiles loco eorum subrogant.

Tu eris super domum meam.

Meliora regni, principes accipere solent, sed non semper meliores homines. Vide primo Samue. 8.

Remouit annulum suum.

In potestate regis est nobiles facere, sed non sapientes: ideo Maximilianus Cæsar: sapientes nobilibus præferre solebat. Docentur etiam hic principes, qualiter honorare debeant sapientes.

Præter te non leuabit vir manum suam.

Admonentur hic populi: nihil facere sine consilio sapientum. Ne putares regem, bonum priuatum curasse, prępponendo Ioseph domui suæ, toti regno eum præponit.

Egressus est Ioseph super terram Ægypti.

Debent gubernatores visitare & videre suis oculis, quæ sibi commissa sunt.

Cibum agri ciuitatis.

Solent aliquando ciuitates alię, aliarum cibum comedere, & aliæ abundant, & quę protulit fame perit, quare consultum esset: vt vnaquęque vrbs, quæ sua sunt comederet, & de superfluo alias aleret.

Quia obliuisci fecit me Deus.

Solent homines postquàm filios habent, non curare parentes neque patriam. Quandia domum non habent, patriæ domus memores esse solent. Vbi simul aduerte, qualiter Ioseph omnia regia beneficia, non in regem, sed in Deum refert, quia sanctè à nullo ditari volunt, nisi à Deo.

Fuit fames in omnibus terris, & in Ægypto panis.

Licet in Ægypto rara sit fames, & magna frumenti copia: audis tamen hic famem ad septennium passam, quia nisi Dominus suam dederit agris benedictionem, nihil valet humana industria.

Clamauit ad regem pro pane.

Mirum valde est, quòd ad regem, vt panem præberet, irent: vt hinc Reges discant non esse tam Domini, quam parentes omnium suorum, & curent temporalia etiam suis administrare, & vereantur Christiani Reges hæc negligere, videntes hæc gentilem curasse. Vnde apud Isaiam cap. 3. legis. Indumentum tibi est, princeps eris nobis. Et iurabit in die illa. Non ero Dominus, & in manu mea non est panis. Noluit ille esse princeps, quia non habebat ad dandum, vt eos ostendat non debere reges esse: qui nihil dant.

Ite ad Ioseph. Optimè sibi consulit princeps, cùm distribuere nescit: constituere qui hoc facere sciat, & ei negotia committere: qui facere ea scit. Et hinc discę, qualiter principes labores, & negotia regni in alios reiiciunt, & ipsi quasi statuæ luxui vacant.

CAPITIS. XLII. AD LITERÆ expositionem.

Et vidit, id est, audiuit *Iacob quod esset frumentum in Ægypto.*

Vsu venit Hebræis (vt in regulis admonuimus) vt quod est vnius sensus, alteri tribuant: vt supra. 27. Vide odorem filij mei pro (olfac). Et Exod. 5. fœtere fecistis odorē nostrū in oculis, pro in naribus (Parhoh.) Posset etiam verti: quod esset fractio, id est, cibus ad frangendam famem: vt cap. præcedenti diximus.

Quare aspicitis, id est, quare otio vacatis? Vsque hodie nos Lusitani hoc vtimur Hebraismo, quo significamus aliquem esse otiosum, neque curare quod sibi curandum est. Cùm enim Dominus viderit famulum: quem ad negotium aliquod mittit, aspicere aliquid quod occurrit, & in eo aspiciendo detineri, neque curare quæ iussa sunt: dicit illi. Quid aspicis? id est quid aspiciendo quod ad rem non pertinet, occupas te? Est ergo idem dicere. Quid aspicitis, quod quare non curatis, aut quare negligitis, vt vulgarus vertit. Solent etiam homines pigri se inuicem respicere: cùm aliquid faciendum est, & vnus alium sperare facturum. Sic erant filij Iaacob, quod quisq; illorum sperabat alium in Ægyptum iturum, qui pro se & aliis emeret, & iste videtur sensus literæ germanus.

Et Ioseph ipse præerat super omnem terram.

Non plene sciunt Hebræi, propriam significationem verbi (scalat) quod aliqui dominari. Alij præesse vertunt, aut potestatem habere. Vnde (scalit) id est, potestas vel dominium. Nomen tamen (scelatim) scuta significare dicitur, quod est ab hac radice.

Et quod sequitur. Ipse vendebat omni populo terræ, possent verti. Ipse distribuebat, aut diuidebat. Cognouit eos: & alienum se ostendit eis.

Admonui superius, verbum (nachar) contrarias habere significationes, scilicet agnoscere, & occultare, seu alienum ostendere: quod aliquot verbis Hebræis accidit, vt in regulis admonuimus.

Locutus est res duras, scilicet verba.

Exploratores vos: subaudi estis. A verbo (ragal) quod est ambulare, detrahere, descendit (regel) id est, pes, & explorator: quod hinc inde discurrat. Vbi aduerte Hebraismum per ambulare, facere intelligere, detrahere. Nam qui detrahunt, videntur deferre mala eorum: de quibus detrahūt, ad eos: quibus detrahunt, vt habes. 2. Samue. 19. (Vairagel) id est, ambulare fecit seruum tuum, ad Dominum meum, id est, detraxit mihi Domine apud te, & statim hic textus seipsum more suo explicat dicens. *Ad videndam nuditatem terræ venistis.* i. quàm vacua sit terra munitionibus. Possemus etiam per terrę nuditatem intelligere secretiora terræ, & sensus tunc erit: ad videda secretiora terę venistis. Iudei & nostri, varias verbo (arah) tribuunt significationes. s. effundere, euacuare, nudare, adhærere. Sed re vera verbum solum significat nudare, euacuare, & illud Isai. 22. Pariete, herah, i. adhæsit clypeus: tu melius vertas. Et paries nudatus est clypeis. Præcedit enim ibi Helam sumpsit pharetram, in curru hominis & equitum, & parietem nudauit clypeo pro clypeis. Solent enim scuta ad parietem suspendi, qui tegitur illis, & cùm inde tolluntur: videtur paries qui eis erat opertus: nudari.

Veraces sumus, aut *certi sumus.*

Non vagi, quales exploratores esse solent: ac si dicant. Ex certo loco sumus, & ex certo patre, & iste sensus videtur sequentibus probari.

Et vnus non ipse, id est, non comparet.

Hoc est quod dixi ad vos dicens: exploratores estis, id est, hoc est inditiū, habere, scilicet vos adhuc alium fratrem, quòd sitis exploratores. Si quæras, qualiter ex hoc eos iudicet exploratores, crediderim, quòd ex fratrum multitudine. Dixerāt enim se esse. 12. fratres, filios eiusdem viri, & iterum se adhuc fratrem alium habere, aut melius. Quia dixerānt minorem fratrem non comparere: quasi ille occultus exploraret.

In hoc probabimini, ibi est punctus in Hebræo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Postea sequitur. *Vitàt Parhoh*, id est, per vitam (Parhoh) *si exibitis hinc: donec veniat frater vester minor iste.*

Erat modus iurandi tunc per vitam principum: sicut per vitam Dei. Et vt admonui supra. 14. cap. à Deo nos iste iurandi ortum habuit: vt patet Deut. cap. 32. vbi Deus dicit. Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam viuo ego in æternum, & in Psal. habes: Qui non accepit in vanum animam meam, id est, qui non iurauit vane, sine impletione eius, quod iurauit, per animam, seu vitam meam.

Per vitam Parhoh: quod exploratores vos, scilicet estis, si non permittitis vnum è vobis mitti, ad fratrem minimum adducendum. Si quæras an Ioseph mendatium iuret, aduerte, quod ipse non iurat, eos esse exploratores, sed quod erit indicium eos fore exploratores, si conuincantur mendacij, vtpote non habere fratrem minorem, quem se habuisse dixerunt: ac si dicat. Si non est ita, vt dicitis, per salutem (Parhoh) quod est coniectura vos esse exploratores.

Hoc facite, & viuetis. Deum ego timeo, id est. Nolo vos occidere omnes, quia Deum timeo: qui prohibuit occidere sine probatione sufficienti.

Si veraces estis. Posset etiam verti.

Si firmi estis, seu *stabiles. Alimentum ad expellendam famem.*

Hebraice est fractionem famis, & est coniectura magna, quod dictio (scebar) significet fractionem, potius quàm escam.

Verè delinquentes nos, super fratrem nostrum.

Melius vertas: verè desolati nos, quoniam verbum (assam) etiam desolare significat, vt patet Hasch. 14. & multis aliis locis, & est sensus. Verè & merito non habemus hic aliquē, qui pro nobis loquatur: quoniam non curauimus fratris desolationem, dum ipse precaretur nos, aut germanius. Dum frater miserum se exhiberet ad nos. Verbum enim (chanor) significat misereri, & misernm se exhibere. Aduerte etiā quod dictio (abal) id est, verè, videtur à radice (abal) deriuari, quod significat lugere, lachrymari, decurrere. Nec constat quam allusionem habeat (Abal) nomen, ad verbum in significatione, quia tamen Gen. 17. videtur significare verè vel profectò, vbi dicitur (Abal) id est, verè vel profectò (Sarah) vxor tua, pariet tibi filium, & 2. Regum 4 ideo admittenda est significatio hæc. Est ergo sententia sic reddenda.

Merito, aut *profectò desolati nos propter fratrem nostrum*, id est, propter malum quod illi intulimus, *qui vidimus angustiam animæ eius*, id est, vitæ eius, *dum miserum se nobis exhiberet, & non audiuimus*, id est, acquieuimus, vt eius misereremur: *propter quod venit super nos angustia ista. Et etiam: ecce sanguis eius*, id est, vltio sanguinis eius, *quæritur*, scilicet à Deo. Hoc enim quasi à Domino sancitum credebant, vt qui humanum effudisset sanguinem, pœnas daret, vt supra cap. 9. dictum est ad (Noach.)

Audiret, id est, intelligeret *Ioseph. Quoniam interpres inter eos.*

Verbum, luts, videtur proprie significare loquacem esse, & inde, melits, id est, interpres, sic à loquendo dictus. Significat etiam rethorem ea de causa, Iob 33. Si fuerit pro eo angelus, melits, id est, eloquens seu loquax. Si tamē, malats, esset per se radix, tunc, melix, significaret dulcem in sermone esse, & blandum. Nam, malats, est dulcescere.

Accepit ab eis Simonem.

Fortè iste fuit inter cæteros culpabilior in casu eius, vt Hebræi sentiunt.

Vt daret pabulum asino suo.

Videtur (sapa) esse einsdē significationis cum (sapah) quod significat finire, deficere, consumere, &, sapa, fœnum, quod cito deficiat: iuxta illud Matthæi. 6. Hodie est, & cras in clibanum mittitur, & quod sequitur.

In hospitio, verti potest in mansione à, lun, quod est manere, potius quàm pernoctare.

Ecce ipsum, scilicet pecuniam, *in ore sacci*, aut *extensionis.*

Et vocatur saccus extensio vel expansio, quod extendatur, cum impletur.

Egressum est cor eorum.

Hebraismus est, ac si dicat: corde defecerunt: quem loquendi modum nos vsque hodie habemus, quod statim suo more explicat dicens.

Et expauerunt vir ad fratrem suum,

Aut commoti sunt, & videtur esse admiratio alicuius rei, cuius causam ignoramus, quod nos pauorem vocamus, & admirationem.

Dedit nos, quasi exploratores terræ, id est, iudicauit nos tales esse.

Fratrem vestrum vnum dimittite mecum.

Hebraice, requiescere facite mecum, ac si dicat, non eum grauabo. Et quod sequitur,

Frumentum ad expellendam famem accipite.

Hebraice est: Famem domorum vestrarum accipite, sed sensus redditus est.

Et terram negotiabimini, id est, in terra, aut terram circuibitis, scilicet libere, non prohibebo, neque retinebo, quasi exploratores. Dixi de significatione huius verbi supra. 34.

Ecce ligatura pecuniæ.

Portabant enim ligatam pecuniam, seu inuolutam panno, vt fieri solet. Et dictio (serot) est à (sara) quod est stringere, ligare.

Et timuerunt. Ne fortè propter illam pecuniam: malum aliquod illis accideret. Aut timuerunt, id est, admirati sunt, ignorantes, vt suprà.

Me orbastis Admonui supra. 27. & 40. verbum (sachal) significare præcidere à patre filios, quemadmodum botros à palmite. Videntur enim filij præsertim paruuli, à patre & matre pendere, quemadmodum à palmite botri, & sic succidi, cùm auelluntur. Pendet enim paruulus ab vbere matris, sicut à palmite botrus, & ad hoc alludit significatio huius verbi: vnde vulgatus hic vertit. Absque liberis me esse fecistis.

Super me fluerunt omnia, scilicet mala hæc, ac si diceat. Ego omnia damna hæc luo.

Duos filios meos occide.

Insipiens consilium fuit istud. Perinde enim est filios, ac nepotes perdere.

Descendere facietis canitiem meam, cum tristitia, aut in tristitia ad sepulchrum.

Nomen (Iagon) id est, tristitia, quod nostri hic dolorem vertunt, tristitiam significare potius videtur: vt patet Hester. 9. vbi ex opposito ad lætitiam: ponitur: nam ibi dicitur (mijagon) id est, à tristitia in lætitiam. Ierem. 31. Et lætificabo eos (migonam) id est, à tristitia eorum: aliqui vertunt, descendere facietis canitiem meam præ tristitia ad sepulchrum, sed prior lectio germanior est. Et memento hic aduertere (sceolah) non significare saltem vbique damnatorum locum: quod quidam heremitanus, ex huiusmodi locis euincere voluit; vtinam fœliciter. Dide quæ cap. 37. scripsimus.

CAPITIS. XLII. AD MORVM compositionem.

Vidit Iacob, quòd alimentum esset in Ægypto.

Qualis sit cura parētum erga filios, etiam iam proiectos: locus iste pulchre ostendit: vbi similiter docentur gubernatores reipublicæ, quales debeant oculos habere, vt, scilicet instantem miseriam, ante alios videant, & prouideant. Non curant filij Iacob alimenta quærere, neque sibi deesse sentiunt, sed patet omnia hæc vidit, & procurauit obuiam ire. Sic ferax torem Christum fecisse inuenies Ioānis. 6. quem cùm maxima multitudo sequeretur, antequam ipsa sibi ebum deesse sentiret: iam ille procurabat afferre. Cùm enim vidisset multitudinem, dixit ad Philippum. Vnde ememus panes, vt manducent hi? Vbi etiam tu aduerte, sapientum esse, cognoscere indigentiam, & consilium præstare, qualiter subueniendum sit. Iuuenum verò, exequi quæ senes, & prudentes consuluerunt. Et sicut vitio daretur seni, non prospicere, ita iuueni datur, si

cur, si otio torpeat. Quare isti à patre moniti, descenderunt, vt sibi prouiderent, & patri: sicut enim senes, non solum sibi, sed iuuenibus vident: ita iuuenes non solum sibi, sed & senibus debent prouidere.

Binjamin fratrem Ioseph non misit.

Non facilè quæ diligimus, periculis exponimus.

Ne forte accidat ei mors.

Quando ego non timui, grauiora pericula veris: tes est soliciti plena timoris amor, vt poeta dixit.

Venerunt filij Iacob in medio venientium.

Docent nos hic Patriarchæ, quærere comitiuam, cum longum & periculosum iter faciendum est. Sit tibi Thobias sanctus exemplum.

Ipse vendere faciebat omni populo terræ.

Optimus gubernandi modus. Non quisque pro libito suo vendebat, sed princeps statuendo, scilicet pretium & mensuram vendere faciebat.

Incuruauerunt se vt facietenus super terram.

Hoc malum habet eos, qui nolunt humiliari, & subiici, cùm Deus eos vult esse subiectos: vt postea magis subdātur & humilientur. Quoniam isti noluerunt vtcunque subesse, coacti sunt nunc, demissa in terra facie fratrem Dominum adorare. Quamobrem, 1. Petri. 5. dicebat Petrus. Humiliamini sub potenti manu Dei: vt vos exaltet in die visitationis. Econuerso qui humiliatur, dum Deus eum vult humilem esse, nunquam tantum deiicitur, quantū erat deiiciendus: si non humilia ret se. Humiliatus sum (inquit) & liberauit me.

Recordatus est Ioseph somniorum.

Non dicit eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum: vt nos doceat, non esse memores, sed oblitioni tradere iniurias fratrum nodelectum videris, non recordēris malorum, quæ ipse tibi fecit, sed beneficij diuini: quo eū coram se humiliauit.

Exploratores estis. Bonum est aliquando fingere, vt veritatem scias, sed nunquam mentiri.

Omnes filij eiusdem viri sumus.

Non debent homines plusquam oporteat, aperire se, maximè cùm examinantur. Sat enim istis erat respondere se non esse exploratores.

Per vitam Parhoh. Ex hoc loco arbitror ortum, iurandi modum, per vitam & salutem Regum & magnatum.

Dixit ad eos die tertia. Non finit amor amantem diu cruciari, quem amat, sed neque fingere.

Deum ego timeo. Videtur eos iis verbis arguere malorum in se gestorum. Ego timeo, vos (forsitan innocentes) punire: vos non timuistis vēdere, quem innocentem noueratis. Vbi nos admonet, non solum fugere mala innocentibus facere, sed neque ficte aliquid aduersus eos moliri, & Deum vindicare non tantum quæ malo animo in eos fiunt, sed etiam quæ simulate, aut ioco.

Frater vester vnus ligetur.

Vt fieri alicui potest, ad bonum eius: quemadmodum phreneticos ligamus, vt sani fiant.

Meritò desolati sumus propter fratrem nostrum.

Optima consideratio, cum sensum pœnam, culpæ memisisse. Cùm enim Christi discipuli (vt Ioan. 9. scribitur) cæcum natiuitate hominem vidissent, statim culparum memores, Christo dixerunt. Quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Licet enim aliquando pœna sine culpa homini eueniat, nihil tamen mali est, si se propter culpam castigatum putet, vt aliquid in se emendandum corrigat. Vt enim quidam ex amicis Iob dicit, Pœna: quidam loquendi modus Dei est: quo culpam nobis ostendit.

Deus deprecatur nos.

Audis hic scripturam supplere: quæ suo in loco subsecuit. Non enim legimus Ioseph fratres deprecatum fuisse, quando in puteum coniectus est: quod tamen hic suppleuit. Similiter docentur hic, qui alios puniūt, preces eorum audire: vt postea ipsi audiantur: cū clamauerint. Tertiò nullū malum fore impunitū. Nemo fit qui secreto male agens, se arbitretur impune factu-

runt: quoniam dabit pœnas, quando munus sperat.

Nonne dixi vobis: nolite peccare in puerum.

Audiendi sunt qui nos prohibent, & arguunt, dum mala facimus. Et commune est dum aliquis peccat, habere qui arguat intētius vel exterius: ne postea possit peccatum excusare dicens: non adfuisse qui admoneret, & etiam pius pater hoc permittit, vt gratia illius qui arguit; cæteris peccatoribus pareat. Si peccauit Israel, non delinquat saltem Iudah: vt propter Iudam innocentem parcetet Israheli peccanti.

Ecce sanguis eius requiritur.

Audiant hæc qui sanguini insidiantur, quoniam & si non sit homo requirens: requiret ramen Deus.

Vertit se ab eis: & flenit.

Quoniam nullo modo poterat ferre peccātū fratrum, in fratres vindicari: vt nos eadem faciamus.

Accepit ab eis Simon. Audis hic multum esse, non esse in malis primum.

Implenerunt vasa eorum frumento.

Non dicit saccos, sed vasa: vt intelligas, non solum saccos, sed alios pannos impleuisse eis. Et bonum pro malo reddere dilce.

Quid hoc fecit Deus nobis?

Norunt iusti, omnem euentum bonum, vel malum, in Deum referre: à quo cuncta procedere sciunt.

Et viderunt pecuniam ipsi, & pater eorum.

Hoc hic mirot, quam obedientes fuerint isti patri: vt non ausi sint saccos suos, nisi eo vidente aperire: vt ipse prius acciperet, quod vellet.

Dixit Ruben. Videtur iste cæteris mitior: qui, & erga Ioseph antea, & nunc erga Simonem pietatis viscera ostendit, sed callide cum patre agere vult. Obiicit enim filios à pietate interficiendos: quia nouerat senem nepotes suos non esse interfecturum, aut potius ex simplicitate, & solent simplices misericordiores cæteris esse.

Descendere facietis canitiem meam cum tristitia ad sepulchrum.

Magnum malum antiquis erat, tristitia affectum mori. primo Regum. 2. præcipit Dauid Salomoni, ne permittat canitiem Ioab, pacifice ad sepulchrum descendere. Boni læti debent mori, mali verò tristitia affecti.

CAPITIS. XLIII. AD LITERAM.

Interrogando interrogauit vir ille de nobis.

Melius vertas, nos. Licet ponatur coniunctio, in, sequēti dictione. Nos Lusitani dicimus (Por mym per gunto) pro me petiit.

Et de genere nostro id est, progenie nostra.

Indicauimus illi secundum verba ista.

Hebraice est. Secundum os, seu iuxta os, verborum istorum: vbi ponitur os pro locutione, aut interrogatione, id est, interrogauit nos secundum locutiones verborum istorum.

Ego fideiubeo, aut melius.

Ego obligo me pro eo, quoniam (vt aliàs dixi) verbum (harah) videtur significare ligare, obligare, & etiam fideiubere.

Panæ obstaxinx ero tibi omnibus diebus.

Hebraicè est. Peccani tibi, omnibus diebus, & posset alter esse sensus, scilicet. Omnibus diebus ero peccator tibi. id est, me peccatorem in te appellabis, & est Hebraismus.

Accipite de laudabili terræ, id est, de laudabilibus terræ. Verbum, zamar, à quo, zimrath, id est, laudabile. significat psallere, canere, laudare cum clamore, & strepitu, seu fragore. Secundo, significat putare, scilicet vineam. Posset etiam dici, quod verbum significat præcidere, frangere, præsertim vocem, & ex consequenti putare, quod est palmitem scindere: significatio tamen mihi adhuc suspecta est. Hic verò, vt diximus, zimrath, significat laudabile, & quæ sint ista laudabilia, statim explicat, scilicet, *paritm resinæ.*

Dixi de hac dictione supra cap. 37. & vt ibi diximus, est res medicinalis: vt patet Ieremiæ. 51. & si radix

fit

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit (sur) aut (sur) & (sarah) sint eiusdem significationis: est res, quæ stringit: ideò meritò hic quidam resinam verterunt. Alij rem consolidantem, & stringentem.

Aromata. Ignorata est significatio vocabuli (nechoth.) Nostri communiter vertunt hic, & supra. 37 aromata, sed quod non significet aromata, colligi videtur ex eo, quod dicitur. 2. Regum. 20. & Isaiæ. 9. vbi dicitur: Ostendit eis, scilicet Ezechias, oratoribus Regis Babel, omnem domum, nechotho, id est, desiderabilium suorum, argentum, & aurum, & aromata, & vnguentum optimum, & domum vasorum suorum, vbi si priori loco, vbi ponitur (nechotho) vertas aromatum, frustra secundo loco adderetur, & aromata. Nisi dicamus, quod per domum aromatum, intelligit domum pretiosorum: in qua erat aurum, argentum, & aromata. Et si radix est (naehal) quod est percutere: tunc (necoth) significaret, aut balsamum quod ab arbore scissa, & percussa decurrit, aut domũ in qua erant arma, sic à percutiendo dicta. Sed mihi magis arridet prior interpretatio, quod, scilicet sit res pretiosa, aut desiderabilis. Dictionis tamen significatio, nondum plene nota est.

Stacten. Verbum (lut) à quo (loth) id est, stacten, significat inuoluere: ideo significare videtur fructum in uolurum, aut rem inuolutam, sed quæ sit, ignoratur, Chaldæus castaneam vertit, sed cùm illa pretio non habeatur, tiueo sic exponere: vbi ad oculum vides, quàm bene Hebræi norunt significata terminorum Hebraicorum.

Amygdala. Dictio, botnim, id est, amygdala à (beten) quod est venter seu viterus ortum habet, & cùm amygdala modum vteri habeant, videntur per dictionem significari, aut nuces ea de causa. Sequens verò dictio, scilicet, sechedim, à (sachad) quod est vigilare ortum habet: qua de causa multi putant per (sechedim) amygdalã significari: quod vigilet ad maturitatẽ, aut arbor acceleret eas, & si hoc verũ est, per precedentem, vt diximus, intelligendæ sunt nuces, & tunc non mirum, quod per (loth) intelligantur castaneæ, sed de iis nihil certi est. Reddenda est ergo litera sic:

Deferte viro munus: parum resinæ, & parum mellis, aromata, castaneas, nuces, & amygdalas. Et Deus omnipotens, aut melius *liberalis abundans: det vobis misericordias coram viro.*

Dictio (racham) vt sæpius dixi, significat intus commoueri, quod bene per misereri redditur.

Et ego quemadmodum orbatus fui, orbatus sim.
Difficilis est sensus huius loci. Quidam reddunt. Sicut prius orbatus sum Simone, ita nunc orbabor Biniamin. Aben Ezrah verò sic: In morte Ioseph, puto me omnibus orbatum, sed non placet ille sensus. Mihi hic videtur esse sensus. Et ego siue mittam hunc Biniamin, siue non, orbatus sum, scilicet Simone. Nos dicimus. (Eu assi como assi samo priuado dos filhos) Nã si non mitto, perpetuo orbabor Simone, si autem mittam: timeo orbari Biniamin. Sed melius est Biniamin cum periculo mittere. vt duos recuperem, quam altero perpetuo priuari. Neque, meo iudicio, hic est sermo de Ioseph, quem amissum putabat pater: vnde antea pro duobus viuis Deum orat. Secundo modo posset sic locus reddi. Ego etiam si non mittam, orbatus duobus iam sum, scilicet Ioseph, & Simone, parum est si etiam isto Biniamin priuer.

Macta victimam, aut macta tionem. Mecum comesturi sunt in meridie.
(Zachar) à quo (zacharim) id est meridies, proprie significat lucidum esse, & (zaharim) medium duarum lucium, scilicet eius, quæ est ante meridiem, & quæ est post. A qua radice etiam (ijzhar) id est, oleum sic dictum à luce, seu quod sit lucidum, & prioris nominis exemplum habes Psalm. 91. Vespere, & mane, vezzahorim, id est, meridie meditabor. Secundi verò secundo Regum capite. 18. Terram oliuæ, ijzhar, id est, olei & mellis.

Vt voluit se super nos, & cadere faciat se super nos, & accipiat nos in seruos. Verbum (galal) significat proprie volnere, reuoluere: vt patet Iosue. 5. vbi dicitur. Hodie (galothi) id est, reuolui opprobrium Ægypti de super nos. Et supra. 29. (vegalalu) id est, & reuoluant lapidem ab ore putei. Vtitur autem hic textus metaphora quadam, sumpta ab eo, qui molarem lapidem, super aliquem iactat, quo eum opprimit. Sic cuim putabant fratres Ioseph, eum velle voluere se, & iactare se super eos, occasione sumpta ab ablata pecunia, & opprimere eos seruitute. Et quod sequitur.

Vt cadere faciat se super nos, videtur explicatio præcedentis sententiæ.

In ostio domus, id est, antequam domum Ioseph ingrederetur.

Quæsumus Domine mi.
Dictio (bi) incertæ est significationis. Gerundensis ramen, quem hic Sanctes sequitur: vertit, quæsumus. Dicunt autem Hebræi esse vocem deprecationis, & semper inueniri adiunctam Adonai, id est, domino. Posset etiam verti. Mi Domine, aut in me Dominus: vt sit littera seruilis cum affixo primæ personæ.

Pecuniam nostram secundum pondus fuam.
Dicit hoc, quia illo tempore solebant pecuniã librare.

Pecuniam alteram descendere fecimus.
Hoc dicit, quia venientes de terra Chenahan descendere oportet, cum ad Ægyptum veniunt. Est enim terra Ægypti, terra Chenahan humilior.

Pax vobis, seu integritas sit vobis.
Nihil pericli est super hac re, seu nihil à vobis minuetur hac de causa.

Dedit vobis thesaurum in saccis vestris.
Verbum (taman) abscondere significat, vnde (matmon) id est, thesaurus, quod abscondi soleat.

Lauerunt pedes suos. Erat consuetudo illius temporis, præbere aquam hospitibus, ad lauandos pedes: quamprimum domum intrabãt: vt patet de Abrahame supra. 18. de cuius defectu Christus arguit Pharisæum Luce. 7. dicens. Aquam pedibus meis non dedisti, cum in domum tuam intraui. Et quod sequitur.

Dedit pabulum, verti potest, *fœnum. De pace,* melius de integritate. Sic quod sequitur.

Numquid integritas est patri vestro? de quo dixistis?
Et vbicunque illi vertunt pacem, tu integritatem verte: quia hoc significat Verbum (salam) aut Saloum.

Procidertunt, & adorauerunt, melius:

Incuruauerunt se, & adorauerunt.
(Nanchidah) est cassia, sic à curuitate dicta: quod est signum verbum (chadad) à quo descendit, significare curuare.

Festinauit Ioseph, scilicet exire inde, *quoniam incaluerunt miserationes eius.*
Ignorata est propria significatio verbi (chamar) Hebræis, & nostris: ideo varias illi tribuunt, scilicet reuoluere, resonare, incalescere, & denigrare. Sed (tuo iure doctioris) videtur potius significare solum incalescere, aut exuri, seu exsiccari. Nam Threnorum. 4. habes: Pelles nostræ, sicut clibanus, nichmaru, id est, incaluerunt, seu exustæ sunt. Hinc, chamar, id est, sacerdos idolorum, qui erat niger, aut exustus. Inde etiam (michmar) id est, rete, sic dictum à siccitate, aut à calore sub rufo, res tamen nondum est plene certa. Vnde hic vertendum puto:

Festinauit Ioseph, quoniam incaluerunt viscera eius, id est, commota sunt.

Quæsiuit flere, id est, prope fuit: vt fleret. Parum abfuit quin fleret, scilicet coram omnibus.

Et ingressus est cubiculum.
Dictio, cheder, significat cubiculum, vbi quis dormit vt patet. 2. Regum. 6. Nam cùm esset cum eis, quæsiuit flere, & ne ipsi eum flentem viderent, cubiculum intrauit.

Fortificauit se. Ferè omnes nostri hic vertunt continuit se, sed verbum, apach, videtur potius significare roborare se, & fortificare se, vt patet primo Samu. 13. (Vaethapach) id est, Et roboraui, seu fortificaui me,

& obtuli sacrificium. Vnde (apich) id est, fortis, vehemens, licet bene hic explicetur verbum per continere se.

Quoniam abominatio hoc est Ægyptiis: comedere cum Hebræis.
Propter immunditiam puto. Nam: vt capite. 46. sequenti patet: Ægyptij abominabantur omnes pastores ouium, & cum tales essent Hebræi, arbitrabantur eos Ægyptij immundos: sicut re vera inculti, & immundi sunt ferè omnes.

Primogenitus secundum primogenituram suam, id est, in loco priori: qui illi iure primogenituræ debebatur.

Leuauit elevationes, id est, fercula à facie sua. Vocantur autem elettationes, quod eleuate ad mensam deferri soleant.

Et multiplicata est elevatio, sen portio Beniamin præ elevationibus omnium eorum quinque partibus.
Hebraicè est, quinque manibus, & meo iudicio, est Hebraismus, quo nos Lusitani vtimur dicentes. Isse homo est maior alio (hua mão trauessa) id est, vna manu transuersa. Vocamus autem transuersam manum, quantitatem manus ab vna extremitate ad alteram, secundum latitudinem. Vnde. 2. Samue. 19. habes. Decem (sadoth) id est, manus sunt mihi in Rege, sed dictio bene per partes vertitur: modo vim dictionis non ignores.

Inebriati sunt cum eo, aut vino saturati, seu opulenter comederunt.

CAPITIS. XLIII. AD MORVM honestatem.

Cum finissent edere alimentum dixit pater.
Mira est patris prouidentia, & filiorũ mirabilior neglectus. Sed vt iam præcedenti capite admonuimus, munus senum est futura prouidere: iuuenũ verò, quæ illi faciẽda imperauerint, perficere. Vbi etiam aduerte mirabilem amoris vim: vt potius amans permittat se mori, quàm ab amato diuelli.

Vt quid male fecisti mihi? Sæpius accidit: vt sine nostro placito proximos, & consanguineos lædamus, & memento hic aduertere, quam cæcus sit amor, vt culpet eos, qui omnino inculpabiles sunt.

Mitte puerum mecum. Commendatur in multis scripturæ locis, prudentia Iudæ. Quia enim amor impediebat senem, ne malum, quod sibi imminebat, attenderet: opus fuit de eo admoneri. Erat enim moritus senex, si non itent, & sic perditurus amatum, quod ille cognoscens annuit.

Ego fideiubeo pro eo.
Iisdem dixisse Reuben patri capite præcedenti didicimus, neq; acquieuit pater: vt discamus non omnium verbis, & fideiussionibus esse fidendum. Similiter quid operentur importunæ preces.

Nisi tardauissemus.
Negotiorum inimica morositas est: quæ quoniam aliquando in bonum morosis cessit, prudentiam arbitrantur, morositatem. Vbi tu expende prudentiam Iegit: quarum altera fuit vitæ propriæ diserimen. Altera dispendium ex morositate.

Si ita mane. Acquiescendum est rationi, neque perstistendum in re: quæ totius rationis expers est.

Tollite de laudabilioribus terræ.
Mira est huius senis prudentia. Nam quia nouerat quàm bene negotium cum fratre cesserit, ob munera præmissa: docuit filios, sic modo, tem suam apud Ægypti princeipem expedire. Multi enim ex auaritia muneribus parcunt: qui postmodum innumerabilia, sine fructu expendunt. Vbi etiam docet pretiosiora esse principibus offerenda.

Et pecuniam duplicem.
Scrupuli omnes tollendi sunt, cùm apud scrupulosum agendum est. Et simul disce senis iustitiam: qui suum vnicuique restitui cupit, & mandat.

Deus omnipotens det vobis misericordiam,
Vbiq; docet faciendum esse, quod in nobis est postea ad preces recurrendum. Sic cum fratre egit supra.

Ego quemadmodum orbatus fum, orbatus fum.
Commune est ei, qui aliquid amittit, quærere rationes, ne sentiat amissionem. Sic & Iob cùm cuncta perdidisset, rationes solandi se quęsiuit dicens. Si bona suscepimus de manu Domini: Dominus dedit Dominus abstulit. Et facilè rationes ad ea, quę volumus, inuenimus, & mutimus.

Mecum comedent viri meridie.
Audis hic, quanta fuerit in principibus illius temporis parsimonia: vt meritò sapiens conquestus dicat. Veh terræ cuius Rex est iuuenis, & cuius principes mane comedunt: beata verò, quæ sapientem gubernatorẽ sortita est, & cuius principes suo tempore comedunt. Hinc Dominus apud Isaiam cap. 5: Veh (inquit) qui consurgitis mane ad bibendum vinum.

Timuerunt viri. Sequitur semper peccatores pœnæ meritæ pro peccatis timor: qui sufficiens causa esse deberet, ad deterrendum eos à peccato. Iusti verò pauerent, & securi vbique agunt. Sed vtinam mali hoc timerent, antequam incipierent puniri. Neque meminerunt satisfacere, nisi postquam cœperunt opprimi: vt discas, quàm difficile sit, aliena restituere.

Pax vobis. Non dure, neque aspere recipiendi sunt, qui pecceta cognoscunt, & satisfacere volunt. Sunt tamen aliqui, qui tam acerbe satisfacientes recipiunt: vt pœniteat eos satisfeciisse.

Deus vester, & Deus patris vestri,
Sicut iniquus omnes ministros impios habet: sic iustus omnes institia præditos, & vt plurimum cuius fidei est Dominus, eiusdẽ est seruus, & quali vultu Dominus aliquem recipit, tali, & ministri eius. Vbi simul aduerte, qualiter iusti non solum munera Dei Deo reddunt, sed etiam quæ sua industria acquisiere. Iniqui vice versa. Sibi tribuunt, non solum quæ sua industria acquirunt, sed quæ Dei munere consequuntur.

Dedit aquam pedibus eorum, & fœnum afinis.
Non solum hospes amicè tractandus est, sed & iumentum eius: quoniam sæpius pluris facit, quod eius iumento fit, quàm quod sibi. Sic supra Rebecca, cùm seruo Abrahæ potum ex hydria dedisset, camelis suis etiam se daturam potum obtulit.

Parauerunt munus. Aptanda esse munera quæ offers: locus admonet iste: quoniam sæpe accidit: vt pluris aptatio, quàm munus ipsum fiat.

Sanitas est patri vestro? Adhuc viuit?
Interrogatis tantum, respondere iam didicerant, qui antea liberaliores in verbis, plusquam oportuit fuerant.

Et procidernnt, & incurnauerunt se:
Hic videtur somnium Ioseph etiam in patre impletum quoniam illi, patris vice: secundo videntur incuruari, & adorare fratrem.

Deus misereatur tui fili mi.
Optima imprecatio Pueris, & omnibus dicenda. Cùm enim illi sint imbecilles: præcanda est super eos misericordia Domini. Apud Psalm. legis. Non sit illi (viro videlicet impio) adiutor: neque sit qui misereatur pupillorum eius.

Incaluerant viscera eius. Non potest negare natura quod suum est. Non est commotus super alios fratres, & super hunc commotus est.

Quæsiuit flere, & ingressus est cubiculum.
Non est seruis ostendenda animi debilitas: ne te talem putent postea, qualem te viderint. faciendaque est lachrymis vis: vt passionum tuarum dominari discas. Viri enim fortes, non solum alios, sed seipsos potissimum vincere satagunt.

Posuerunt ei seorsum. Antiqua consuetudo principum, & magnatum est, seorsum comedere: neq; hoc est vitio dandum.

Non poterant Ægyptij comedere cum Hebræis.
Vides quales elegerit Deus, quos, scilicet omnes fastidiunt, & à quibus abhorrent. Quos enim mũdus reiicit Deus admittit.

Primogenitus iuxta primogenituram suam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amabilis res est ordo: vt vnaquæque res suo loco consistat, & à principio mundi primus locus primogenito debitus est. Neque est quòd magis homines mirentur, quàm ordinem: vt ex Paulo didicimus. 1. ad Corint. 14. qui ex ordine Deum adesse, vel nõ adesse conuentibus demonstrat.

Multiplicauit partem Beniamin.
In inuidia fratres alios induxisset forsitan: nisi timerent, & putarent illi licere: quod facere voluisset.

Inebriati sunt cum eo.
Docet locus iste non debere conuiuia esse defectuosa. Melius est enim non inuitare: quàm in conuiuio penuriam, aut defectum alicuius rei ostendere.

CAP. XLIIII. AD LITERAM.

ET *cyphum meum, cyphum argenteum.*
Verbum (gaba) à quo (geba) id est, cyphus eleuare significat, geba, verò eleuationem, & exinde collem: quod sit eleuatus. Vnd, migbaot, quòd nostri thiatas, seu mitras vertunt sic dictas puto: quod elenatæ essent ad modum collis. Hinc etiam, gabia, id est, cyphus, non qualiscunque, sed qui formam collis habeat, & meo iudicio habebant huiusmodi cyphi formam dimidiæ amygdalæ, aut Indiani coci.

Apprehende eos. Verbum (naisag) proprie significat attingere: vt patet Leuiti. 26. (Vehiflig) id est, attinget tritura vindemiam.

Ipse augurando augurabitur in eo, vel pro eo.
Tam varie Hebræi & nostri hunc locum reddunt, vt homo nesciat, quis sit germanus literæ sensus: quod ex ignorantia propriæ significationis verbi nachas: accidisse arbitror, de qua supra capit. 3. & 4. & 30. abunde diximus. Aliqui vertunt ipse, scilicet Ioseph augurando augurabitur in eo, id est, auguria sua in eo facit. Alij pro eo augures consulit, vt scilicet eum inueniat. Tertij malum omen ex hoc sumit: quod, scilicet sit ablatus cyphus in quo ipse bibit. Vt autem quod sentio proferam: arbitror verbum, alterum è duobus significare, scilicet incantare musitando aut circuire, & primum potius quàm secundum. Moueor autem quia ex hac radice est Nachas, id est, serpens, sic vt videtur ab incantatione, aut sibilatione dictus: inde etiam (Nechosset) id est, es, sic à tinnitu dictum vt reor. Similiter (nechosti) id est, compes etiam à tinnitu sic dictus, & podex à crepando seu sono quem ex se mittit. Solebant autem huiusmodi incantationes cum stridore aut cantu, seu sibilo fieri: vt patet Isaiæ. 8. vbi dicitur. Qui stridunt in incãtationibus suis. Inde Virgiliũ, dixisse legimus. Frigidum in pratis cantando anguem disrumpi. Et fortè tinnitu vasis, solebant facere incantationes. Si ergo verbum significet tinnire, & incantare tunc sensus est. Et ipse, scilicet Dominus meus (Naches Ienachis) id est, incantando incantat, seu auguria sua facit: in eo. Et hunc sensum probare videntur verba Ioseph sequentia, in hoc cap.

Numquid non cognouit his quod incantando, aut augurando augurabitur homo: qui est sicut ego? ac si diceret. Nonne nostis professionem meam, quæ est augurari, incantare, somnia interpretari? Quod vero significet circuire, & exinde augurari: quod augures hinc inde discurrant, ex eisdem coniecturis apparet. Nam (nachas) ideo fortè serpentem significat: quòd circulum cauda faciat. Cõpedes verò (nechosset) dicuntur, quòd sint circuli enei, & podicem à rotunditate, & iuxta hãc significationem posset locus verti. Ipse circumeundo circuit pro eo, id est, hinc inde discurrit. Prior tamen sensus mihi magis arridet: vt, scilicet sit ex sono alicuius rei, siue animatę, siue inanimatæ, aliquid diuinare. secundo Regum. 11. habes. (Veniches) id est, augurabatur, seu omen sumebat: & supra. 30. dixit Laban. Si quæso inueni gratiam in oculis tuis (vichaili) id est, auguratus fui, & benedixit mihi Dominus ad introitum tuum. Item Deutero. 18. Non inuenietur in te, vmenaches, id est, & augurans, vel ex somnio aliquid cognoscens.

Et apprehendit eos. Melius attigit: vt iam diximus.

Absit à seruis tuis: facere secundum verba ista.
Dictio, chalilah, ה, chalal, quod est polluere, prophanare, ortum habet, & significat pollutionem, turpitudinem, & reddenda est litera sic. Turpitudo esset seruis tuis: facere reni hanc. Sanctes dicit; significare prohibitionem, sed non bene: quoniam reclamat radicis (chalal) significatio.

Vos eritis innocentes. Melius mundi, scilicet à peccato hoc.

Et scrutatus est. Verbum (chapas) proprie significat scrutari, & ex consequenti reuoluere, & mutare: quod is qui aliqua scrutatur, reuoluat ea, et mutet.

Quod augurando auguratur vir, qui est sicut ego?
Nonnihil videtur locus iste fauere illis, qui interpretati sunt Augurando auguratur. i. augurium sumit: vt inueniat. Eligat prudens lector quam maluerit.

Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum, id est, inuenit peccatum in seruis tuis, ob quod voluit nos punire, aut Deus punire voluit iniquitatem seruorum tuorum, & est Hebraismus.

Et dixit. Absit mihi. Potius.

Turpe mihi est facere hoc. Dixit obsecro mi Domine, aut in me Domine mi, scilicet respice, vel aduerte.

Quoniam sicut tu. Sic Paroh, id est, idem est loqui ad te, sicut ad Paroh, aut tanti te facio quanti Paroh.

Et puer senectutem, id est, quem genuit in senectute. Vnde iste locus videtur explicare, quod dictum est capite. 37. vbi dictum est. Diligebat Iacob Ioseph quoniam filius senectutum ipse; & hic sequitur parvus: quasi reddens rationem quare vocauerit filium senectutum. Dicit autem in plurali senectutum, quoniam erat filius patris senis, & matris vetulę, seu anus, aut multæ senectutis.

Relictus est ipse solus matri suæ.
Ex hoc loco videtur adhuc vixisse Rachelem, cùm Ioseph fuit in Ægyptum vẽditus, & ideo dixisse Iacob. Nunquid egò, & mater tua, & cætera

Ponam oculos meos super eum.
Hebraismus est, id est, videam eum, aut acceptus erit mihi, & gratus.

Et si dereliquerit. Hebraice est Dereliquit, *moriatur pater eius*, sed sensus redditus est.

Et dixi. Discerpendo discerptus est.
Verbum (amar) in prima persona ponitur, sed videtur alia lectio. Et dixistis. Potest tamen prior tolerari, & sensus est. Quamprimum à me egressus est: statim dixi discerptus est, id est, præsagiuit animus eum discerpendum.

In malo, vel cum malo: in sepulchrum, id est, malum senectutem præbebitis mihi, aut (vt dictum est) cum tristitia, & vocat tristitiam malum absolute, quod magnum malum sit: præsertim cum hominem vsque ad sepulchrum sequitur.

Anima eius colligata est cum anima ipsius.
Capitur hic anima pro vita, ac si dicat. Vita patris à vita filij pendet: cuius similem habes. 1. Samue. 18. Anima Ionathæ colligata fuisse cum anima Dauid. Dicunt tam nostri, quàm Hebræi (chasar) significare ligare, & coniurare, sed melius vertas, vbi ipsi vertunt coniurationem, colligationem. Solent enim mali ligare se ad malum, siue iuramento aliquo, siue sacramento: vt patet. 1. Regum. 6. & Hamos. 7.

Quoniam seruus tuus fideiussit, aut melius obligauit, seu ligauit se pro puero.

Ne fortè videam malum.
Hebraice est. Ne fortè videam cum malo.

Quod inueniet patrem meũ, & sensus est. Ne fortè videam patrem meum cum malo, quod inueniet eum. Sunt enim huiusmodi transpositiones apud Hebræos frequentes.

CAPITIS. XLIIII. AD MORVM compositionem.

IMple saccos eorum, quantum potuerint ferre.
Hæc est mensura: quam facere solet amor: cuius simile habes in libro Ruth.

Cyphum

Cyphum meum argenteum pone in ore sacci iuniorit:
Licitum est amorem alicuius erga nos, vel alium, experiri. Disquirunt hic aliqui, an peccauerit Ioseph in hoc facto, cùm fecerit fratres, saltem ad horam suspicari Biniamin furem, & etiam iuuenem commoueri, & fratres, & puto in priori saltem, venialiter peccasse peccato imprudentiæ, quod scilicet non attenderit, ne que cauerit suspicionem, quæ apud fratres de puero oriri posset. In secundo vero non.

Ipsum est, in quo bibit Dominus meus.
Tanto furtum aliquod grauius est, quanto id: quod furto aufertur, aut pretiosius, aut magis necessarium est. Neque hinc licere putes, fortibus, aut aliis sortilegiis, aut superstitionibus perdita, aut ablata quærere: quoniam omnia hæc fiẽte dicuntur.

Vt quid loquitur Dominus meus?
Cauendum valde est, ne verbis malis, iustum crimineris. Similiter discimus, quàm patienter iniuria verba toleranda sunt.

Turpitudo est seruis tuis, hoc facere.
Tam graue esse debet facinus iusto, quàm graue illi esset, turpe aliquid manu tangere.

Peccatum retulimus. Discimus quàm difficile iudicium ferendum sit de peccato alicuius iusti. Nam qui bona fecit, & iustum se esse ostendit: quando ad hoc non tenetur: credibile est, cum iustitiã seruaturum in re, ad quam tenetur. Et qui suum restituit: incredibile est aliena furari. *Is cum quo fuerit inuentus: moriatur, & nos serui tui erimus.*
Facilè innocentes sese pœnis obligant, neque præsumendum male est de eo, quem probe nõm. Vbi etiam discimus, non esse verba prodigenda, neque facilè promittendum, quod nescis, an possis præstare. Possumus enim testari facilè propriam innocentiam: alienam verò non tam facilè.

Sciderunt vestimenta sua.
Dolendum valde est, de malis proximorum: maximè consanguineorum.

Nonne nostis, quod augurãdo auguratur vir similis mei?
Non est malum aliquod faciendum ei, qui facilè, & autorem cognoscere potest, & suum recuperare: vnde cauendum valde est, ne sapientibus, aut diuitibus noceas.

Quid dicemus, & quomodo iustificabimur nos?
Obstruit peccatum, aut peccati confessio os peccatoris: vt neque loqui, neque excusare possit illud. Vbi etiam aduerte, quanto melius sit peccatum fateri: quàm excusare.

Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum.
Docet nos locus iste, vt quamprimum peccauerimus, peccatum precibus diluamus: ne Deus illud in nobis inueniens puniat.

Etiam serui sumus Domini mei.
Nobis cõsulimus, si nos peccatores pœnæ offeramus. Nihil enim melius peccatorem à pœna debita excusat: quàm si sese illi offerat ipse.

Turpe esset mihi. Etiam si innocens sese pro peccatore offerat puniendum, non tamen puniri debet: imò hac de causa facilius peccatori dimittendum peccatum est.

Accessit ad eum Iehudah.
Quantumcunque aliquis magnus sit: reddere licet illi rationem eorum, quæ agimus, debita reuerentia. Et considera orationis Iehudæ vim, qui nititur probare, Ioseph fuisse in causam illius furti: qui tam obnixe eos astrinxerit: vt puerum deferrent ad eum, & simul reddere rationem, quare non audeat parrem sine puero videre. *Descendere facient serui tui canitiem patris tui cum tristitia ad sepulchrum.*
Pulchre locus iste docet, quàm sit cauendum filiis patrem tristitia afficere maximè senem.

Seruus tuus fideiussit pro puero.
Audis, quot argumenta quæsiuit prudens vir, ad liberandum puerum. Primum, quod ipse fuerit in causa, vt dixi mus. Secundo, ex parte patris iuxta morituri. Tertio, ex parte obligationis paternæ: qua filij tenentur non esse patri causa mœstitię. Quarto ex parte sui qui pro eo fideiusserat:

CAP. XLV. AD LITERAM annotationes.

ET *non potuit Ioseph fortificare se*, vt scilicet amplius vim faceret sibi, ne sese offenderet fratribus. Hebraice sic est.

Et non potuit Ioseph: vt fortificaret se, omnibus, qui stabant iuxta eum, id est, non potuit sibi vim facere: vt omnibus, qui erant iuxta eũ lachrymas suas absconderet, aut non poterat se tantum continere, quin omnes: qui in domo eius erant, cum lachrymantẽ viderent: si eos à se non ejiceret, & ideo præcepit omnes eiici.

Dedit vocem suam cum fletu, id est, fleuit, vocem altam emittendo.

Audierunt Ægyptij. Fortè domus eius erat prope domum regiam.

Quoniam territi sunt à facie eius, id est, videndo eum talia loqui. Verbum (bahal) significat proprie terrere, & quia territi fugere, & currere solent, ex consequenti significat fugere, seu currere, & festinare.

Ne angustiemini.
Aliqui vertunt, Ne dolore afficiamini, sed verbum (hasab) significat proprie premere, comprimere: quem admodum figulus lutum: vt patet Iob. 10. Manus tuæ (izebuni) id est, compresserunt me, aut finxerunt comprimendo: quemadmodum figulus. Vnde (esceb) id est, figmentum.

Quoniam propter vitam, id est, vt vos viueretis, *misit me Dominus ante vos. Ereptione magna, aut euasione*, id est, à magno malo, aut in magna copia, quia vos, & domus vestras eruam à malo famis.

Posuit me in patrem Pharaoh, id est, in gubernatorem, & directorem: quia nihil sine meo consilio facit.

Ne steteris. Vocant Hebræi tardare, stare, quemadmodum nos Lusitani. (Estiue laa dez annos) id est, mansi ibi, aut tardaui.

Alam te ibi. Verbum (chul) seu (chilchal) incertæ significationis est apud Hebræos. Dicunt enim significare, mensurare, apprehendere, continere, ferre. Sed ex locis, quibus ponitur, constat significare mensurare, & alere, in mensura, aut ad mensurã capere aliquid. Isai. 40. (Vechal) id est, & mensus est, in mensura pulueremterræ. Hic verò sumitur pro alere ad mensuram, id est, tribuendo mensuram annonæ, secundum ora comedentium.

Ne fortè depauperetis, aut pauper fiat.
Verbum (iaras) videtur significare hæreditare, & exhæredari. Vnde hic verti posset. Non fortè exhęredaris, id est, hærede priueris, tu & domus tua.

Omnem gloriam meam, aut *opulentiã meam*, diuitias, scilicet & gloriam *Cecidit super collum Biniamin.*
Hebraice super colla, & dictio (sauar) quam nostri collum vertunt: est à (sur) quod est proprie stringere, & collum dicitur (sauar) à stringendo, aut quod strictum in se sit magis, quàm reliquũ corpus, aut (quod verius puto) quod brachiis amicorum stringi solet, & quia ex vtraque parte brachiis amplexantibus circundatur: ponitur in plurali numero colla.

Et bonum fuit in oculis Pharaoh, id est, placuit ei, quod ipse Ioseph nosset fratres suos, aut quod ad eum venissent.

Onerate iumenta vestra.
Verbum (taan) iuxta significationis est Hebræis, licet dicant significare onerare: & configere gladio. Nam Isaiæ. 14. habetur. Vt vestimentum occisorum (metaane) id est, qui confossi sunt gladio. Rabbi Ioseph chimi hic vertit. Pungite iumenta vestra, scilicet vt citius gradiantur, & optimè iudicio meo, & tũc vnica est verbi significatio, scilicet pungere, quam quidem significationem verbo tribuit, non quia sciant eam vi propriã esse verbo, sed quia locis, quibus verbum ponitur: congruere potest. Sequens verò dictio, scilicet (beir) iumentum significat, sic dictum à depascendo: quòd herbam depascat, aut deuoret: ac si combureret.

Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam (baal) videtur significare comedere, & ex consequenti comburere : quòd ignis comburens comedere videatur ea quæ comburit.

Et domos vestras, id est, supellectilia domus, & omnia quæ ad domum pertinent.

Et tu iussus es. Hoc facite.

Difficilis est sensus huius loci. Quidam sic vertunt. Tu præceptus es, id est, potes omnia præcipere. Alij. Tu iussus es, scilicet dicere fratribus tuis. Hoc facite, id est, vt hoc faciant. Terti. Tu iussus es: vt loquaris fratribus tuis meo nomine, in hunc modum. Hoc facite. Tollite, & cætera, & eis hunc subesse sensum videtur. Et tu iussus es, scilicet facere quod bonum fuerit in oculis tuis, aut quòd prædixi. Sequentia verò verba, scilicet hoc facite videtur esse verba Ioseph ad fratres, aut. Et tu iussus es, dicere fratribus. Hoc facite, id est, vt hæc quæ prædixi faciant. Dixerat enim Parhoh supra. Dic fratribus tuis. Hoc facite. Vnde sic legenda est litera. Et tu iussus es à me, scilicet dicere fratribus tuis. Hoc facite, id est, vt hoc faciant. Accipite vobis de terra Ægypti plaustra, ac si dicat. Ego præcepi tibi dicere fratribus tuis: vt accipiant plaustra de terra Ægypti, & quæ sequuntur.

Accipite vobis de terra Ægypti plaustra pro parualis vestris.

Dictio (agalah) id est, plaustrum, non plene nota est Hebræis. Nam (agol) quod est eiusdem radicis, dicunt significare rotundum (Agil) verò inaurem. (Maagal) locum castrorum, & semitam, aut viam. (Egel) verò vitulum, à, galah, autem plaustrum, & mirum valde est: vnam radicem in tot distrahi significationes. Mihi verò libratis omnibus, videtur significare clausuram maceriarum, seu quod maceria, aut maceriis, aut vallo clausum est, siue sit rotundum: siue oblongum, quemadmodum via inter duas macerias : vt exempla monstrabunt. Nam primo Regum. 7. habes quòd fecit Salomon mare fusum. 10. cubitorum à labro, vsque ad labrum, (agol) id est, clausum, scilicet maceria in circuitu, vbi alij vertunt. Rotundum in circuitu. Idem eodem capite. Et os eius clausum opere basis, aut rotundum. Inauris etiam sic dicta est quòd sit clausa, aut rotunda. (Maagal) verò significat locum castrorum vallo clausum per circuitum, & etiam semitam inter duas macerias clausam. Et, egel, vitulum quod in pede habeat quasi semitam inter duas macerias, aut quia pedem rotundum habet, si tamen rotundum significare dicas, non prohibeo. Non enim mihi adhuc significatio est omnino certa : inde etiam plaustrum quod habeat quasi maceriam in vtroque latere cùm oneratur, & in medio sit quasi semita.

Oculus vester non parcat super vasis vestris, id est, omnia supellectilia vestra vobiscum afportate : nullum quantumcunque, vile videatur vas, quod ad vos pertineat relinquatis, sed omnia vobiscum adducite. Aduerte tamen hoc non esse plene notum, quid proprie significet verbum (chus) quod parcere vertimus.

Iuxta os Parhoh, id est, vt Parhoh mandauerat.

Dedit eis escam ad viam.

Dictio (sedah) etiam significat venationem : sed bene reddita est.

Biniamin dedit trecentos argenteos.

Est autem argenteus, monetæ nomen : qui tempore Christi valebat septem solidos. Nunc verò cuius valoris sit ignoratur. Ostenditur hodie Parisiis in ede diui Ioannis ad lateranum vnus ex iis quos Iudas ad templum reiecit: ex altera parte habens hominis effigiem aduersam, & integram : ex altera floseulum nullo indice.

De bono Ægypti, id est, de iis quæ pretio habentur apud Ægyptios.

Panem, & cibum patri suo.

Dictionis (mazon) id est, cibus propria significatio ignota est : ideo varia illi & radici eius significata tribuunt Hebræi, communiter tamen dicunt (zan) significare speciem, præsertim aromaticam. Vnde verti posset. Panem, & specie, pro species aromaticas ad viam: panem ad viam, & species aromaticas pro munere.

Ne iracamini in Via.

Melius, ne commoueamini, scilicet vnus contra alterum: quia verbum (ragam) hoc significare videtur: vt patet Iob. 9. Nouerat quidem prudentissimus vir fratres in via facilè super culpam venditionis suæ corraturos : ideo de hac re, eos præcipue admonet.

Et cessauit cor eius, scilicet amotu suo. Verbum (pug) non plene notum est Hebræis, ex coniecturis tamen, videtur significare cessare, & quiescere. Nam Psalm. 77. habes Plaga mea defluxit nocte, nō (pugea) id est, cessauit, seu quieuit. Et Threnorum. 2. Ne det (pugath) id est, requiem, seu cessationem tibi. Et cap. 3. Eo quod non essent (hapugoth) id est, cessationes, scilicet à fletu. De hac dictione sic scribit Rabbi Abraham in Commentariis Chabacuc primo, vbi hunc locum citat. Omni tempore, quo homo viuit, pulsat cor eius, in medio eius. Sed quando dixerunt ei Ioseph viuit, tacuit cor eius, & non pulsabat, quia territus consternatusque erat : vnde infernus dicitur spiritum coarctauisse.

Multum, scilicet est, *si adhuc Ioseph filius meus viuit*, aut. Multum est hoc, quod narratis mihi, quod adhuc filius meus Ioseph viuit, & iste sensus videtur simplicior. Potest & tertius addi, iste scilicet. Multum est, scilicet hoc quòd dicitis : Adhuc filius meus viuit ? id est, est ne hoc verum quòd filius meus Ioseph adhuc viuit ?

CAPITIS. XLV. AD NOSTRAM eruditionem annotata.

Ducite omnem virtum à me.

Solent homines, infirma sua paucis amicis ostendere, grandia verò, amicis & inimicis, & inimicis potius quàm amicis. Cùm enim mortuus esset Saul, & Ionathas, & tristis nuntius ad Dauid peruenisset. Nolite (inquit) annuntiare hæc in Geth. ne fortè lætentur filiæ incircunciforum. Christus autem nobiscum, non sibi, sed diuitias suas paucis discipulis, in monte quo transfiguratus est, ostendit: quos vltra hoc cōtestatus est, vt nemini visionem, ante eius resurrectionem dicerent. Passionem verò suam, celebratissimam, & vulgatissimam esse voluit : quam acerbissimam coram iniquis passus est : vt nos doceret, infirma nostra diuulgare, suprema verò & gloriosa abscondere. Sed illi, & alios quos ille docuit: seruata est res hæc. Aduertant etiam hic prælati, qualiter arguere debeant alios subditos, scilicet prius eiiciant eos, qui scandalizari, aut malam opinionem de eis: quos corrigere volunt, habere possunt. Debebat enim Ioseph ostendere se fratribus, quod non poterat facere : nisi ad memoriam reuocaret illis peccatum quod in ipsum commiserant, & eorum peccatum apud exteros diuulgaretur: omnem extraneum à se eiecit. Sic cum Dominus voluit arguere Iob, solum eum conuenit: quem cùm arguisset, locutus est : in publico apud amicos commendauit. Non estis (inquit) locuti corā me rectum: sicut seruus meus Iob. Mirabilis prudentia Domini conuicerat ipse Iob, vt fateretur se stulte locutū, & apud amicos commendat eius locutionem rectitudinis. Sic etiam cùm arguere voluisset Aharon, & Mariam murmuris in Moysen, eos ad fœderis tabernaculum seorsum ire præcepit cum fratre.

Territi erant à facie eius.

Et si malos : vt prediximus : timor comitetur, marore tamen, cum eos, quibus fuerunt iniurij vident.

Ne dolore afficiamini.

Non vindicat peccatum, neque saltem exprobrat, sed ex peccato, opus bonum efficere nititur: imò opus de. Sicut enim impij ex operibus iustitiæ, peccata faciunt: ita & iusti ex peccatis opera iustitiæ, & Dei. Nullum est enim opus tam iustum, aut sanctum : in quo iniquus non inueniat circunstantiam aliquam, qua illud damnet. Calumniabantur sæpe Iudei Saluatoris iustissima opera curationum & sanitatum, quòd ea Christus in die sabbathi fecisset. Sic filij, Amon, quorum Regem, cùm ob patris interitum Dauid consolari niteretur ex pietate : suspicati sunt principes, illum terræ illorum insidiari, & ex misericordiæ opere, opus fecerunt impietatis. Didicerunt à diabolo patre, qui cùm in nobis opus bonum damnare non possit: damnat intentionem. Commendauerat enim Dominus opera sancti Iob, ipse verò eius mentem, apud Deum damnare satagebat, dicēs. Nunquid frustra Iob timet Deum? Boni verò vice versa, cùm opus malum aliter excusare non possunt: saltem intentionem, quam non norunt: excusant, & bonam, quoad possunt, faciunt. Quod enim opus in rerum natura deterius lapidatione innocentis ? & tamen Beatus Stephanus eam, ignorantia lapidantium excusat: dicens. Domine ne statuas illis hoc peccatum : quia nesciunt quid faciunt. Didicerat à magistro, qui opus pessimum crucifigentium, patri quasi non malum offert dicens. Pater ignosce, quia nesciunt quid faciunt. Sic nunc iustus : nephandissimum venditionis opus Dei opus & maximè clementiæ Dei fuisse contendit, & graue facinus in eorum vtilitatem conuertere nititur. Hoc enim, peculiare opus Dei esse ostendit: vt mala opera nostra, in nostrum vtilitatem cōmodum: à quo hoc sancti facere didicerunt. Omnia enim iis qui sancti vocati sunt in bonum cooperantur. *Misit me Deus ante vos.*

Mira valde, & stupenda est cura, qua Deus electos in hac vita custodit, & quàm solicitus est: de seruandis eorum reliquiis. Nisi enim ipse (vt inquit sanctus Isaias cap. 1.) nobis sanctum semen reliquisset, quasi Sodoma fuissemus, & Gomorræ similes.

Non vos me hic misistis, sed Deus.

Quod in operibus malis malum est, nostrum esse dignoscitur, sed si quid boni habet, Dei munus est, & vbique nititur opus eorum malum excusare.

Posuit me patrem Parhoh.

Debent Reges habere sapientes, loco parentum.

Posuit me Deus in Dominum.

Non gratia iactandi se, sed consolandi senem patrem: hæc verba protulit Ioseph. Vbi discant filij, qualiter tractare, & alere debeant Parentes, senio confectos. Et considera solicitudinem, quam gerit erga patris dominum : vt non tam filius quam pater paternæ domus videatur.

Osculatus est fratres suos.

Ecce qualiter soluunt sancti mala sibi à fratribus illata. Vide, si placet Bernar. in sermone Magdalenæ, & intellige qualiter peccata fratrum, deflet iustus.

Placiat in oculis Parhoh.

Licet ex vitibus parentibus esset Ioseph, gaudet tamen Rex & sui : quod cognouerit eos. Doleo aulicorum huius temporis conditionem : qui cùm aliquem sublimatum vident, ex inuidia progeniem inquirunt, & obiectant, si quid in ea vitæ inuenerint.

Dic fratribus tuis onerate iumenta vestra.

Debent principes: non solùm in bene meritos, liberales esse, sed in suos, & quod seruus non audet petere princeps imperat. Quo loco considera Ioseph modestiam, qui sine Rege non audet aliquid patri mittere.

Capite curus de terra Ægypti pro parualis.

Quoniam Ioseph solicitus erat pro bono Reipulicæ Ægyptiæ: fuit etiam Rex solicitus patris, & domus illius. Qua in re admonentur principes, curare eos, qui rebus suis negligentes, pro communi bono incessanter inuigilant.

Biniamin dedit. 300. argenteos.

Nullum crimen est, si in beneficiis, fratres destinguas: vbi ordo charitatis commendatur.

Escam patri suo pro itinere.

Ostendit hic locus prudentiam singularem ipsius Ioseph: qui omnia curauit. Quod etiam ostenditur in eo quòd addidit.

Ne trascamini in via.

Nouerat enim vir prudens eos in via disquisituros, quis nam eorum fuerit in eius causa culpabilior: ideo pacis eos admonuit ante.

Quieuit cor eius. Difficilius credimus bona nuntia, quàm mala. Vnde nostri dicunt. (Tanto me he dé ben, que ho nama eren) id est, tantum bonum in hoc est, vt non credam. Reputamus enim difficiliora nobis bona quàm mala : quoniam communiora, & frequentiora.

CAP. XLVI. AD LITERAM annotata.

Mactauit victimam Deo patris sui Iischach.

Quoniam venerat ad locum, vbi pater habitauerat, & Deum coluerat: voluit ibi victimas offerre: vt scilicet Deus esset memor suarum promissionum, quas patribus suis fecerat. Secundo, vt Deus sibi reuelaret : an in Ægyptum descendendum esset.

In gentem magnam ponam te ibi, id est, multiplicabo tuos, vt sint gens magna.

Ego ascendere faciam te inde.

Aliqui vertunt, id est, eadauer tuum, sed melius in semine tuo, cuius causa vocauit eum Israel: quemadmodum dixit superius. Multiplicabo te, non in persona, sed in semine.

Ioseph ponet manum suam super oculos. id est, claudet oculos morienti, aut astabit tibi dum obieris, & ex hoc loco videtur fuisse cōsuetudinem illius temporis: vt qui morituro gratior in vita fuisset : eius clauderet oculos in morte.

Filiæ eius, scilicet Iaacob. Vocat nurus filias. Non enim legimus eum habuisse nisi Dinam, aut ponitur plurale pro singulari, & fortè alias habuit, quæ non sunt nominatæ, aut notæ.

Ista sunt nomina filiorum Israel intrantium Ægyptum.

Quod cum iis sit pater annumerandus, sequens textus subindicat dicens. Iaacob, & filij eius, & per hoc soluitur nodus, qui hic quibusdam perplexus videtur, qualiter, scilicet textus dicat. Omnes animas filiorum, & filiarum eius. 33. cum in textu sine patre solum. 32. numerentur. Vnde locus fingendi datus est Iudæis de Iocabeth matre Moseh, & Aharon, quam in vtero matris, Ægyptum intrasse perhibent. Vbi etiam fingunt Chenanitidem, cuius hic textus meminit, fuisse Dinam filiam Leah : quo quid absurdius dici possit ignoro. Annumerandus est ergo pater Iaacob cum filiis, & sic numerus integratur.

Et cùm dicitur omnes animas filiorum, & filiarum eius. 33. intelligendum est cum patre Iaacob, quem etiam inferius in numero septuaginta supputandum sentio. Et Saul dicitur filius Chenanitidis, quod esset filius mulieris Chenanææ.

Omnes animæ egressæ de femore Iaacob.

Cùm audis animas, intellige personas. Solemus enim nos vsque hodie vocare personas: animas cū dicimus, tot animas captiuas duxerunt Sarraceni. Neque credas propterea animas ex traduce oriri.

Egressæ de femore Iaacob, id est, ex fortitudine ipsius, quæ in femore, quod est fortior pars in homine designatur: vt superius in iuramento serui Abrahæ annotauimus, aut pudenda honestè nominat. Nam (ierech) significat etiam id, super quo aliquid sustentatur : vt patet Leuiti. primo iuxta (ierech) id est, pedem, aut (basim) altaris.

Vt doceret, sicut ad docendum ante eum (gosenah) id est, vt doceret eum, vbi esset terra Gosen. Verbum etiam significat iacere, proiicere, & secundum hanc significationem vertendum est, vt iaceret, seu mitteret se Ioseph ante eum in terram Gosen : vnde sequitur quod Ioseph currum iunxit, & ascendit in occursum Israel patris sui in Gosen.

Fleuit super collum eius adhuc, id est, non solùm ruit super collum eius, sed etiam fleuit. Secundo sic. Et fleuit amplius quàm antea : cum super colla eius rueret. Dicit autem colla, aut quia ex vtraq; parte circundatur collum, dum amplexantur se mutuo homines, aut quia collum vnius ruit super collum alterius.

Moriar hac vice: postquam vidi faciem tuam, quoniam adhuc tu viuis, id est, parū mihi est iam mori: postquā

Universidad de Deusto
Biblioteca

hac vice vidi faciem tuam, & quoniam tu viuis. Videtur esse secunda sententia, explicatio prioris, ac si dicas. Non curo mortem: postquam vidi nunc faciem tuam: quod explicans ait, Parum mihi est mori: postquam te viuum, & superstitem relinquo. Putabam te me in morte præcessisse, sed nunc lætus moriar: quod te præcedam in morte.

Omnes animæ domus Iaacob adductæ in Ægyptum, septuaginta.

Filij Ioseph hic supputantur: qui tamen non sunt Ægyptum ingressi. Erant tamen pars domus Iaacob ductæ in Ægyptum: ideò inter ingressos numerantur.

Viri pecudum fuerunt, id est, pastores sicut vir terræ, id est, agricola: de qua phrasi supra. 9.

Quod est opus vestrum? id est, opificium. Quid muneris habetis?

Vt habitare possitis in terra Gossen.

Est Gossen magna pars terræ Ægypti, cuius portio est Remesses: vbi filij Israel manserunt. Dicitur autem Gossen esse in agro vrbis Heliopolis: ad quam ferunt parentes Christi, eum infantem detulisse.

CAPITIS. XLVI. AD MORVM compositionem.

Venit in Beersebah, vbi scilicet Abraham & Abimelech fœdus iniere: vt patet supra capite. 21. & etiam Isaac, & Abimelech supra. 26. vbi tam Abraham, quam Isaac Deo cœli immolarunt: quo in loco etiam Iaacob victimas offerre voluit: antequam in Ægyptum descenderet. Qua in re colligimus nihil sine Dei consilio viris iustis esse faciendum. Cogitabat enim prudens senex sibi promissam terram, & timebat eam relinquere, ignorans, an Deus propter demerita filiorum eam negaret: quod si eum ad manum non habes, legem eius consule, quemadmodum Dauid. Consilium (inquit) meum: iustificationes tuæ. Hoc interest inter pios, & impios, quod pij antequã quicquam operentur, Dei consulunt voluntatem in lege: impij verò post opus, de Dei lege inquirunt. Si mercaturam vis facere, aut contractum aliquem: quare non consules leges Dei, aut in lege peritos, an ibi sit vsura, aut fraus aliqua necne? Sed prius te finis peccato illaqueari: postmodum verò quæris, an iustum opus fuerit, vel non. Non sic hic sanctus Iaacob neque Iosaphat: qui sine consultatione Dei non voluit cum (Achab) in bellum descendere in Ramod.

Ne timeas in Ægyptum descendere.

De duob⁹ erat sanctus Iaacob solicitus: timebat enim semen suum cum gentibus in Ægyptum misceri. Secundo perdere promissam hæreditatẽ: ideo Dominus eum de vtroque securum reddere curat.

Ponam (inquit) te ibi, in gentem magnam: & ascendere faciam te inde. Ego descendam tecum.

Admonui sæpius hoc bonũ habere sanctos, quod secum Deum deferunt quocunque vadunt: ideo nihil eis nocere potest. Isaiæ 43. habes. Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: eùm ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te.

Ioseph ponet manum suam super oculos tuos.

Curat Dominus facere etiam in minimis, quæ sancti desiderant. Vtinam sic nos maxima, quæ ex nobis ipse postulat faceremus: qui non solum quæ ipse vult negligimus, sed etiam quæ magno studio præcipit quem admodum de Salomone legimus, cui Deus nõ solum quæ postulauit dedit, sed etiam quæ poterat ipse desiderare. Sic cum Abraham egit: vt non solum Ismahelem viuere faceret, quod senex postulabat: sed in gentem magnam, & robustam multiplicauit, quod nouerat senem desiderare.

Lætatuntur filij Israel patrem.

Vide quali affectu, & diligentia isti patri suo inseruiant: cùm tamen ferè omnes essent coniugati. Nunc verò filij maximè vxoribus addicti, patrem & matrem negligunt: solum curantes quæ sua sunt, non quæ parentum.

Iehudah misit ante se ad Ioseph.

Vbiq; strenue gerit negotia Iudas: vt hinc discas eum meritò à Deo electum ad regnum.

Ascendit in occursum patris.

Princeps erat Ioseph, & Ægypti Dominus, sed non dedignatur patri occurrere: contra filios qui cum se in dignitate constitutos vident: non amplius parentes neque seipsos agnoscunt.

Moriar hac vice. Qui verè amat, seipsum quàm amatum mauult mori.

Ascendam, & nuntiabo Pharaoni.

Postquam patrem vidit, statim negotia curat: vt nos doceat non negligere curanda, in mediis gaudiis.

Dicetis. Viri pastores sunt serui tui.

Non curauit fratres exaltare, sed potius humiliare ad eorum vilitatem: vt hinc discas, & humiliari, & exaltare, cùm opus sit. Vbi simul disce, cùm fueris odio sibitus, non te miscere iis qui oderunt te.

CAPITIS. XLVII. AD LITERAM.

De extremitate fratrum suorum accepit quinque viros.

Timuit Ioseph, ne Res, si homines robustos, & strenuos vidisset: eos in negotiis Reipublicæ occuparet, aut ad bella mitteret: & quia volebat eos in quiete agere: extremos Regi proposuit: vt eos ad sua remitteret, & greges suos alerent, & etiam ne se moribus gentium miscerent, & idola colerent.

Statuit eos coram Pharaone, aut posuit. Significatus verbi (tasag) non plene nota est, sed ponere, aut stare significare videtur supra. 43. Nisi (vehisagti) id est, ibi tuetur eum videlicet puerum, coram te. Dubiam autem reddit significationem hanc id quod dicitur Exod. 10. Tantum pecus vestrum, & bos vester (iusag) id est, statuum est, id est, statuetur, aut locabitur in loco suo. vt exposuit Rabbi Salomon: vbi hæc significatio vtcunque dura videtur.

In optima terra habitare fac.

Hebraice est In benefaciente terra, & est sensus. In terra quæ bonum facit fructum.

Et si cognouisti, & sunt in eis viri fortitudinis, id est, robusti, seu fortes. Dictio (chail) significat fortitudo & exercitum, sic à fortitudine dictum. Habebat autem Pharaoh pecora sua, ad quorum custodiam fortitudine erat opus.

Benedixit Iaacob Pharaoh.

Admonui Gene. 2. verbum (barach) cum dicitur de homine erga aliũ hominem, aut respectu Dei: esse idem quod bonum precari: cum verò dicitur de Deo in eo dine ad homines: esse benefacere eis, quod multis exemplis probauimus. Est ergo sensus quod Iaacob bona fuerit regi imprecatus.

Quot sunt dies annorum vitæ tuæ.

Hoc est, quod communiter à senibus petimus, ætatem videlicet suam: Hebraice est. Secundum quod sunt dies annorum vitæ tuæ?

Dies annorum peregrinationis meæ.

Hoc dicit, quia in terra Chenahan tàm ipse, quàm patres eius quasi peregrini vixerunt: & etiam quia vitam suam in peregrinatione apud Laban quasi absumpserat. Et quod sequitur.

Parui, & mali, statim explicat Fuerunt parui, quoniam non tot fuerunt, quot fuerunt dies parentum: malos verò vocat, quia quasi ab vtero in laboribus fuerat. Coactus est enim ad viginti annos exulare. Postea vxorem dilectam amiserat. Tertio filiũ quẽ tenerime diligebat. Quarto fomem passus fuerat, & denique in senecture coactus est patriam relinquere, & in Ægyptum descendere. Pauper (ait Israel) fum ego, & in laboribus à iuuentute mea.

Et benedixit Regi. Expone vt supra. id est, illi bona imprecatus est. Aliqui exponunt benedixit, id est, valedixit, sed non placet expositio.

Dedit eis possessionem.

Nomen à (chuzah) significat proprie comprehensionem: vnde melius vertas, partem.

In optima terra. Hebraicè in bene faciente: quod expone vt supra, referendo ad fructum, & quod sequitur.

In terra Ramesses. Erat Remesses, vt diximus, pars vtilior terræ Gossen, & fertilior.

Panem ad os paruuli, id est, præbendo panem fratribus, & domui: ac si esset paruuli, aut quemadmodum dari solet paruulis ad os, id est, cum petunt, ac si dicat. Saturauit eos. Solent enim paruuli frequenter comedere: vt opus sit parẽtes quasi semper ad manum panem habere: ad porrigendum illis. Vel dando mensuram panis, secundum numerum comedentium. Dedit pro vnoquoque mensuram tam magnam: quod ea poterant frequẽter comedere, quemadmodum paruuli. Posset, & quarta addi, id est, secundum numerum paruulorum. Non solum dedit patri & fratribus, sed mensuram panis dedit, secundum numerum paruulorum domus. Nullus fuit paruulus, cui non signaret suam portionem. Neque mihi aliena à litera videtur hæc expositio. *Et laborauit terra Ægypti.*

Ignota est propria significatio verbi (lahah) quod nostri vertunt laborauit. Aliqui vertunt insaniuit: sicut Rabbi Dauid, Thargum quem hic sequuti sumus, laborauit. Dictio geminata ponitur Prouerbio. 6. sed tam obscura est eius significatio ibi, sicut hic. Nam ibi dicitur (chemitelahleah) id est, sicut abscondit se, qui iacit scintillas. Alij qui festinat, & quia dictio in scripturis rarissima est, nõ facilè ex coniecturis possumus significationem venari.

Et sustentauit eos cum pane, pro omnibus pecoribus, id est, pro omni genere pecudũ. Verbum (nahal) quod sustentare vertimus, aliqui dicunt significare ducere, & sic vertunt hic ferè omnes Hebræi: sed re vera germanius sustentauit, aut portauit, quoniam verbum hoc proprie significat: & vbicunque isti vertunt duxit, tam bene quadrat sustentauit: vt Exodi. 15. (Nehalta) id est, duxisti in fortitudine, tam bene vertas. Sustentasti in virtute tua: ad habitaculum, id est, vsq; ad habitaculum. Sic Isaiæ. 51. vbi ipsi vertunt. Non est (menahel) id est, ducens eam, tam bene vertas, sustentans eam. Quod non tam proprie significet ducere patet Psal. 31 vbi dicitur. Propter nomen tuum duces me (vtenahaleni) id est, & sustentabis me: vbi si repetas ducere inutiliter fiet, & significat sustentare qualitercunque, siue pane cibando, siue quocunque alio fulcimento, aut portando. vt Isaiæ. 40. vbi dicitur. Fœtas, aut ascendentes (senachel) id est, sustentabit.

Venerunt ad eum anno secundo, scilicet, famis seu à famis initio: quoniam iste videtur secundus annus à famis principio. Nam primo sustentauit eos pro pecunia, qua deficiente, sustentauit eos secundo anno pro pecoribus.

Non celamus à Domino meo.

Tam nostri, quàm Hebræi asserunt, verbum (chachad, id est, celare: significare non solum celare, sed succidere, & removere: propter illud Iob. 4. Et vbi recti, nisi chad, id est, succisi sunt: vt nostri, & Hebræi vertunt. Sed etiam hic melius vertas occultati sunt, scilicet sub terra: quasi submersi. Sic capite. 22. eiusdem libri, vbi nostri vertunt. An non (nichad) id est, succisa est, ere-dum volumus erigi: subuersi sumus, & terra quasi occultati, & ideò arbitror verbum solum significare occultare. Illud etiam Iob. 15. Habitabit ciuitates succisas: tu lege subuersas, seu obrutas, ita vt non amplius viderentur. *Nisi ea pora nostra.*

Confundunt (meo iudicio) hic Hebræi duas radices, scilicet (gauah, à quo (geuah) id est, corpus: cũ (gaah) quod est eleuare, seu eleuari, aut superbire, & quæ significant corpus sunt à, gauah, cum verò, geuah, significat superbiã, est à, gaah, quod est superbire. Posset etiã dici, gaah. &, nauah, eãdem esse radicem: & significare eleuationem, aut eleuare, & corpus, quoniam eleuatum est. Nam literæ (eui) permutabiles sunt: vt ex grammatica constat.

Quæ moriuntur etiam nos, etiam terra nostra

Dicitur terra mori, seu mortua: cùm non producit ex se fructum. Nam signum vitæ in nobis est operatio, & similiter in terra productio fructuum, & quia tunc non poterat seri, ideo mortuam dicunt, & est sensus. Quare moriemur nos: vt scilicet amplius non operemur, & terra, non dans fructum suum? ac si dicant. Da nobis panem ne moriamur, & semen ad serendum, ne moriatur terra non fructificando.

Terra non desoletur, scilicet cultoribus, vel fructu suo, aut non in solitudinem redigatur. Desolata est enim terra: eùm caret fructu suo. Verbum, saman, significat desolare, & stupescere: quod stupens videatur desolatus spiritu.

Et populum transire fecit ad ciuitates, aut ex agro ad ciuitates, aut ab vna ciuitate in aliam: vt nemo de cætero putaret esse suum: quod pro frumento venderat.

Quoniam statutum, id est, statuta mensura, *erat sacerdotibus à Pharaone, vt comederent.*

A (chachach) quod est scribere, & terminare: venit (coch) id est, statutum scriptum, aut determinatum, seu limitatum.

Quatuor partes erunt vobis.

Hebraice est, & quatuor manus. Vocatur manus pars, quia manibus solet fieri partium diuisio.

Possessiones fecerunt in ea.

Verbum (achan) significat comprehendere, partem accipere, & ponitur in passiua voce. Vnde verti posset, & comprehendit eam, id est, partem in ea accepit, & ponitur actiuum pro passiuo, vt sæpissimè accidit.

Creuerunt, & multiplicati sunt valde.

Geneſis primo ad oculum ostenditur, verbum, parah, non significare crescere, sed fructificare: vnde, peri, id est, fructus, & vertendum est. Et fructificauerunt, & multiplicati sunt: ac si dicat, fructum fecerunt, & in magna copia.

Pone manum tuam sub femore meo.

Admonui supra capite. 24. consueuisse priscos, hoc modo iurare, ad ostendendam seritatem iuramenti: quod fiebat posita manu in parte fortiori ipsius hominis, quæ quasi columna corpus totum sustentat, scilicet, in coxa.

Misericordiam, & veritatem, aut *stabilitatem.*

Misericordiam, quidem faciendo quod volo, licet non sit debitum: veritatem implendo omnino.

Adorauit Israel super caput lecti.

Crediderim senem incuruasse se super cerueical, quod erat ad caput lectuli, & gratias Domino egisse, quòd nactus esset quod cupiebat: nempe vt in terra & sepulchro Patrum, sepeliretur. Et dictio (mitah) est à (natah) quod est extendere, & significat lectum, aut quod in eo homo, aut lectisternia extendantur.

CAPITIS. XLVII. AD MORVM compositionem.

Ecce sunt in terra Gossen.

Non abs re voluit Ioseph patrem, & fratres venire in terram Gossen, antequam venirent ad Pharaonem: vt scilicet viderentur iam ibi sedes habere, ne Pharaoh in alium locum eos mitteret. Et mira prudentia cum gentili egit, vt, scilicet mitteret fratrum suorum ineptiores ad Regem, ne Rex in aliis ministeriis, eis vteretur. Timuit etiam vir prudens, ne fratres Ægyptiis commixti, illorum mores & cæremonias discerent, aut cùm essent pastores, illis inuisi essent.

Dixit Pharaoh ad fratres.

Debent Reges audire non solùm nobiles, sed viles, ac pannosos.

Vt peregrinaremur in terra tua venimus.

Videntur protestari se peregrinos, ne Rex postea, captiuos, & seruos arbitraretur.

In optima terra habitare eos fac.

Consuetum, & antiquum malum est, eos qui regibus grati sunt: comedere medullam terræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Constituit eos principes. Nihil gratis dant principes, sed semper aliquid emolumenti ab eis volunt, aut ministerij, quibus aliquid boni fecerunt. Vbi etiam aduerte: robustos debere principes constitui, qui labores pro Republica sustinere queant.

Benedixit Iaacob ipsum Parhoh.

Non parui faciendæ sunt senum benedictiones: quibus nobis bonum imprecantur.

Dies peregrinationum.

Quam laboriosa sit vita præsens, ostendit locus iste: & quæ potius peregrinatio dicenda sit, quàm vita.

Parui, & mali. Hoc est, quod Iob aliis verbis dicit. Breui viuens tempore, repletus multis miseriis. Et quemadmodum merita filiorum, non attigerunt merita patrum. ita neque anni vitæ.

Benedixit Iaacob Regi.

Hinc perpendere licebit, quàm antiqua sit consuetudo, amicis in discessu vale dicere: quemadmodum in ingressu benedicere. Similiter omnes debere à senibus, expectare benedictionem.

Quemadmodum præcepit Parhoh.

Nihil sine Pharaonis imperio facere ausus est Ioseph: quantumcunque illi fuerit acceptus, qui autem nunc principibus sunt grati, quæ volunt faciunt.

Abiuit Ioseph patrem, & fratres, præbendo panem ad os paruuli.

Senes parentes, alendos docet litera, ac si paruuli essent, & quemadmodum multa paruulis ferimus: ita & parentibus senio confectis multa ferenda sunt. Vbi mirabilem amorem docemur: vt scilicet, non curantes proximorum, & fratrum iniurias, naturam nostram tantum in eis consideremus.

Intulit pecuniam in domum Parhoh.

Non possum satis mirari, videre eos qui grati Regibus sunt detestere: Regem verò ipsum, indies pauperiorem fieri. Neque aliud iudicare possum, quàm quod ipsi non ad Regis erarium, sed ad suum, pecunias venantur à populo. Sed non minus mirum est, sanctum virum, sic voluisse ditare Regem, vt nõ curaret aliquid gratis dare: præsertim cùm videret populum in arctam esse positum necessitatem: ne dicam extremam. Ex quibus etiam colligi videtur, neminẽ teneri gratis alium alere: quãdiu quod vendere possit habet: etiam si opus sit seipsum vendere.

Da semen. Mirabilis amor quem habet artifex ad artificium suum, vt ferè tam soliciti sint illi de colenda terra, quàm de propria vita, & hinc discas, quid valeat hominem esse artificem non mercenarium. Nam licet homo malus sit, sæpe tamen munus suum bene administrat, ob amorem quod ad munus suum gerit, quod vicarius non facit. Vnde consultum optimè Reipublicæ esset: vt quisque artifex, per se munus suum administraret non per alium. Nam ideo mercenarius fugit, quia mercenarius est, qui si pastor esset, animam pro ouibus poneret.

Populum transire fecit ad vrbe.

Optimum est nihil in hac vita tanquam proprium possidere: ne postea, dum reliqueris doleas: vbi etiam iuris prudentes discere possunt, non sufficere ad dominij translationem: venditionis & emptionis pactum, sed dimittendam esse possessionem. Et è contrario ad dominium: nõ sufficere emptionem, sed necessariam esse rei emptæ possessionem.

Pars sacerdotibus erat à Parhoh.

Clamat locus iste publicos ministros Dei à populis alendos esse: præsertim à rege. Et etiam quantum ædi tui regibus curę esse debeant: etiam si aliunde habeant vnde se sustentent, quia nemo suis stipendiis militare debet. *Ecce vobis semen.*

Optima lex: vt Domini dent agricolis semen, & ab eis non expectent omnem terræ prouentum, sed eis vxoribus, & paruulis: vnde sustententur relinquant: Infœlicia tẽpora nostra, quibus & omnia domini sibi volunt, & agricolę, quicquid possunt Domino suffurantur: Vbi etiam aduertere licebit, quã sit antiquum, Regem quintam partem à suis colonis expetere.

Pone quæso manum. Parum curant filij quicquid parentes iniunxerint. Noueratque hoc prudens senex, ideò filium iurare cogit, implere quæ vult. Esset mihi hic amplus locus arguendi filios, qui nihil minus curant, quàm quæ parentes defuncti præceperunt. Æquoque iudicio Dei hoc parentibus euenit: vt qui propter filios eueliendos, aliena sustinere non cessarunt: nihil emolumenti ab eis post mortem recipiant.

Ne sepelias me in Ægypto.

Dulcis patriæ amor est, vt non solum viui eam desideremus dum absumus, sed non nisi in ea mortui nos requiescere putemus. Et si altius rem repetere vis: colligo hinc, quid solacij sit animam, iustorum habere societatem postquam eis mortuis coniungere corpus: sic à piis desideratur. Neque solum in vita, sed etiam in morte, fugienda esse malorum consortia. Sunt qui dicant eum ad hoc voluisse in terram Chenahã deferri: vt tempore resurrectionis Christi: cum patribus resurgeret.

Incuruauit se Israel ad caput lectuli.

Non filio, sed Deo gratias egit, quod ad vota sibi cum filio successisset.

CAPITIS. XLVIII. AD LITERAM annotata.

Fvit post verba ista, id est, post res istas *Dixit*, scilicet aliquis *Ioseph*. Sunt in Hebraismo frequentes concisæ orationes, vt in Hebraismis admonuimus.

Ecce pater tuus ægrotat. Verbum (chalah) significat languere, debilitari. *Et roborauit*, scilicet aliquis, *Iaacob, & dixit. Et fortificauit se.*

Nos dicimus (cõforcõsc.) *Fortis beneficus vel abundans*, vt sæpius admonuimus significare (El schadai) alij vertunt Deus omnipotens.

Benedixit mihi, id est, bona promisit certò danda.

Ecce fructificare facio te.

Hoc enim verbum (parah) potius significat: quàm crescere.

Et multiplicari facio te.

Non solum faciam te fructificare, sed in copia.

In apprehensionem, vel comprehensionem sæculi.

Significat verbum Acham, propriæ comprehendere. Exodi 4 (Ve echoz) id est, comprehende caudam eius scilicet serpentis, & quod sequitur.

Sæculi. Verbum (halam) à quo (holam) id est sæculum, significat proprie absconde occultare latere. Vnde (olam) significat tempus occultum, longum, & quasi cuius initij non est memoria.

Sicut Reuben & Simon. Instituere videtur filios Ioseph primogenitos loco Reuben.

Ego dum venirem de Padan, id est, Siria. Excusat se apud Iosephi, quare matrem eius non sepelierit in sepulchro patrum suorum, neq; in ciuitate, sed in via.

In via, qua adhuc multum terræ erat, ad veniendum Ephratah. Exposuimus hæc supra cap. 35. Hæc autem (Ephratah), eadem est quæ betlechem, & vult dicere Iaacob se ideo non sepelisse Rachel in Betlechem, neque in sepulchro patrum, sed in via, quod distaret adhuc multum ab vrbe Ephratah, & dispendiosum illi esset, illuc cadauer adducere.

Duc eos ad me, Hebraice est. Accipe eos ad me, sed sensus redditus est: ac si dicat tu tolle eos, & ad duc ad me. *Oculi Israel graues*, id est, non poterat eos facile mouere & aperire, propter senium.

Videre faciem tuam non iudicaui.

Dicunt Hebræi verbum (palal) id est, iudicare, quod hic ponitur, significare iudicare, & orare, quod, scilicet eos orans videatur ius à Deo petere. vt plurimum. Significat etiam diuidere, quod iudicans diuidat, & distinguat, inter litigantes. 1. Samuel. 2. Si peccauerit vir in virum, (vpilalo) id est, ius dicet illi Deus. s. de aduersario. Sed si in Deum quis (ijtpalel) id est, ius dicet illi, scilicet contra Deum: quasi dicat nemo. Vide de hac re, caput. 9. Iob, vbi habet. Si iustificauero me: os meum cõdemnabit me. Si perfectus fuero, peruersum iudicabit me: quia nõ est Deus sicut ego vir, vt possem respondere

respõdere ei: vt intremus simul iudicio. Non est inter nos qui increpet, qui ponat manũ suam super ambos nos. *Eduxit eos Ioseph de genibus patris.*

Ne, scilicet senem grauarent, & incuruauit se facie tenus in terra, aut Deum adorando pro exhibendis beneficiis, quæ pater prædixerat, aut patri reuerentiam faciendo.

Cognoscere, seu intelligere facies manus suas, id est, ita eis vsus est, in impositione: ac si in eis esset intellectus. Aliqui Hebræi vertunt, intelligere fecit manus suas, scilicet quod Ephraim esset primogenitus potius, quàm Manasses. Posset etiam verti, discernere faciens manus suas. scilicet Ephraim à Manasseh, aut prudenter dirigens manus suas, scilicet ponens dexteram super Ephraim, & sinistram super Menasseh: quoniam nisi prudenter manus poneret, ponenda erat dextra super Menasseh, qui erat primogenitus: sinistra verò super Ephraim, & hic mihi videtur planus literæ sensus. Et ex hoc loco Iudæi modum benedicendi colligunt: imponendo, scilicet manum dextram super caput benedicendi, aut vtranque.

Qui pascit me à tempore præcedenti vsque ad diẽ hanc. Hebraicè est. Ab adhuc me. i. postquam fui, seu esse habui. *Vocetur eis nomen meum*, id est, vocentur Israelitæ, & de genere Abraham, Isaac & Iaacob. cuius simile habes Isaiæ. 4. Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, id est, vocemur vxores tuæ. Aut vocetur in eis nomen meum, id est, cùm benedicendi fuerint, benedicãtur in nomine meo: & patrum meorum, dicendo Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iaacob, benedicat tibi. Et aduerte, quòd benedictio erat in nomine Domini, sed simul cum nomine Domini, miscebantur nomina patrum, dicendo. Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iaacob.

Et instar piscium multiplicentur.

Vnicum verbum est in Hebræo, scilicet (ijdgis) cui nullum verbum in sermone latino respondet.

Et sustentauit melius *apprehendit*: quoniam verbum (tamach), potius apprehendere: quàm sustentare, significare videtur: non tamen prohibeo si, sustentare vertas.

Non sic pater mi, scilicet fieri debet: vt, scilicet maiori præponatur minor.

Erit in populum. Ponuntur hic duo Hebraismi, scilicet esse in populum, & esse in multitudinem gentium: quod plus est, quàm esse in populum.

Benedixit eos Aut, scilicet pueros, aut tam patrem quàm pueros *in te*, scilicet Ioseph, *& semini tuo benedices Israel.*

Dicendo: Benedicat tibi, id est, iste erit modus, quo se alij benedicent in eis.

Ponat te Dominus, id est, faciat te, aut multiplicet te, *vt Ephraim & Menassib.*

Et hoc est quod dicitur: in te benedicentur gentes.

Dedi tibi partem vnam.

Dictio (sechem), videtur significare leuationem, sicut (sacham) leuare, cleuare. Vocatur autem pars leuatio: quod à toto auferatur: eleuando eam.

Quam accepi de manu Amorræi.

Videtur quòd non sit hic sermo de bello aduersus Sichimitas, à filiis Iaacob gestum: quoniam (Sichimitæ) non fuerunt Amorræi, sed (Hiuei). Non constat autem de bello cuius hic meminit Iaacob: vnde coniectari licebit, multa præclara à Patriarchis gesta, esse omissa in suis locis: vt in regulis admonuimus.

CAPITIS. XLVIII. AD MORVM compositionem.

Ecce pater tuus, languet.

Duo hic expendere licebit. Alterum pietatem, quam parentibus debemus. Alterum, quanti antiqui facerent parentum benedictionem & maledictionem: tam sibi quam filiis.

Qui roborauit se, & sedit super lectum. Tanta est amoris vis, vt senio grauatis, nouas conferat vires.

Deus omnipotens visus est mihi.

Debent etiam parentes honorare filios maximè beneficos. Sunt prædicanda filiis & nepotibus munera Dei: vt sciant Deum timere, & amare, & digni fiant: quibus conferantur, tes promissæ.

Duo filij, mei sunt. Habes ex hoc loco, in potestate patris esse: ex nepote facere hæredem, & filium. Sed dignũ consideratione esset: cur illi: qui ante aduentum Israel in Ægyptum nati sunt, adoptantur: non autem sequentes. Ad quod dicitur: quod illi iam erant nati, neque alij tunc præter illos ipsi Ioseph. Etiam aduertere licebit, quid profit patri obsequi. Adoptauit enim Iaacob filios Ioseph non qualitercunque, sed veluti primogenitum, & secundogenitum, aut quòd omnes sunt adoptati in iis duobus.

Cum venirem ex Mesopotamia, mortua est Rachel.

Debent viri, pij esse in vxores suas, & parentes non dedignentur apud filios excusare: quæ mali speciem habere videntur. Neque conuenire, in via aliquem sepelire: nisi necessitas vrgeat.

Filij mei quos mihi dedit Dominus.

Quæcunque sunt iustorum bona, munera Dei sunt. Et iam aliàs admonui iustos, ex naturalibus facere dona Dei impios, verò ex donis Dei bona naturæ.

Adduc eos ad me, vt benedicam eis.

Non sat est seni filium benedicere. sed quasi cogit filium proles adducere, vt benedicat: vt hinc discas parentes honorare, & eis morem gerere.

Me videre faciem tuam non iudicaui.

Oportet humilia sentire de se: qui altiora consequutus est. Similiter cum Paulo aduerte Deum iustis plus quam cogitant donare: Et quod dicitur.

Ostendit mihi Dominus semen tuum, id est, multitudinem & copiam seminis tui.

Accepit Manasseh ad dexteram suam.

Naturalis amor parentũ est erga primogenitos, etiam si inepti sint.

Extendens dexteram: posuit super caput Ephraim.

Gaudet Deus summe, ex minoribus maiores, & vicè versa facere: vt si cupias maior fieri, te in oculis tuis minorem facias. Sic fecit filiis Abrahæ, Isaac & Ismaheli. Sic Iaacob & Esau, sic & nunc Ephraim: præ Manasse extollit.

Prudenter dirigens manus suas.

Oculata sunt omnia iustorum: oculus, manus, pes: ita vt nullum horum sine consideratione inoueant, neque manus alicui sine intellectu ponant.

In cuius conspectu ambularunt patres mei.

Arbitror idem esse ambulare in conspectu Dei, quod eum timere: Aut eidem placere: quemadmodum principes eos quos diligunt semper coram se habere volunt. Seruus enim maximè timet: cùm in conspectu Domini sui ambulat. *Angelus qui redemit me.*

Non incongrue ex hoc loco haberi posset: quenque hominum, suum angelum habere custodem, qui eum à malo eruat, & ad bonũ prouocet. Et habes hic quid gratiæ Deus patribus contulit: vt simul nominarentur cum eo: dum quis esset benedicendus. Neque contentus est Iaacob sua benedictione, sed patrum merita etiam inuocauit: vt hoc loco discas, cur Christus electis dicat. Venite benedicti patris mei, Non benedicti mei. Solent enim benedictiones nostræ: benedictionibus patrum adiunctæ esse fortiores. Notare etiam licebit, benedictiones patrum, vt plurimum: in seminis multiplicatione consistere.

Displicuit in oculis Iosephi quòd pater dexteram posuisset super Ephraim.

Docentur hic iuuenes, non præponere iudicia, & consilia sua consiliis & iudiciis senum: quoniam melius sciunt quæ faciunt, quàm iuuenes. Voluit Ioseph emendare patris placitum, sed tandem acquieuit prudentiori. Neque est voluntati Dei obsequium eundum: cùm aliquem alteri præponere vult.

Ponat te Deus sicut Ephraim.

Explicatur hic quod supra cap. 22. dictum est Abrahę à Domino. In te benedicetur omnes cognationes terræ:

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque me immemorem putes, verborum Pauli: cuius, scilicet causa Abraham posteris fuerit benedictio.

Dedi tibi partem vnam.

Discant hic iurisconsulti, licere patri, de bonis suis: plus vni filiorum quàm alteri conferre: maximè de bonis castrensibus. Discant etiam parentes: gratos esse filiis, qui in eos maiora beneficia collocarunt.

CAPITIS. XLIX. AD LITERAM annotationes.

VOcauit Iacob filios suos.

Tam obstrusa & obscura sunt, quæ in hoc capite à Iacob dicuntur: vt putem vsque hodie, nos & Iudæos, in multis: genuinum sensum non attigisse. Multa tamen sunt, quæ antea obscurissima erant, quæ nunc interpretum diligentia, & linguæ peritia, perspicua sunt: quoniam vt video, successu temporis, multa in scripturis anteà ignota, prodita sunt: ideò animum non despondimus, quod nos etiam, numinis diuini gratia, aliquid explicemus, ad quod suppetias ex tribus potissimum petiuimus. Primum ex cap. 29. & 30. huius libri, in quibus Leah & Rachel, nomina filiis imponentes, nominibus rebus alludunt: quod, & hic Iacob facere in benedictione Iehudę constat. Dicit enim Iehudah tu: subaudi es, & statim nomini alludens, adjungit, laudabunt te fratres tui. Secundo ex cap. 33. Deut. vbi sanctus Mosch tribubus benedicens, nonnulla quę hic obscure dicuntur, explicare videtur. sicut est illud benedictionis Aser. De Aser pinguis est panis eius, & ipse dabit pinguedines, aut irrigationes regis, seu regias: vbi explicatur quænam sit hæc pinguedo huius tribus. Explicat autem eam Mosch: loco citato: dicens. Benedictus præ filiis Aser: sit placens fratribus suis, & tingens in oleo pedem suum: vbi explicare videtur in sorte terræ Aser: futuram copiam olei tantam, vt pedes in eo lauare possit, & hac de causa videtur Iacob hic, panem eius pinguę prædicere, propter olei scilicet misturam, & copiã. Tertio ex 2. cap. Iudicum, vbi sancta illa fœmina Deborah: etiam in benedictiones tribuum prorumpit Dan inquiens, vt quid habitabit in nauibus. Vbi situm huius tribus: maritimum prædicat. Elaborabimus ergo, huius capitis germanũ sensum: ex his quæ prædiximus, & ex significatione propria vocabulorum, quo ad fieri poterit, obstrusum sensum eruere, quod si non vbique fecerimus, scias tamen nos labori non pepercisse. Sed iam ad literam. Aduerte autem hic, cum dicitur.

Indicabo vobis, quod vobis occurret.

Verbum, charah, significare proprie clamare, altaq; voce legere, & ex consequenti occurrere quod occurrentia tam mala quàm bona, videantur nos ad se vocare. Vnde & hic verti posset.

Et indicabo vobis, quæ vos vocant.

Et quod sequitur. *In extremis seu notissimis diebus,* Posset verti in posteris diebus: quia multa quæ hic sanctus Iacob vaticinatur: iam diu præcesserunt: vt infra ostendemus, quẽadmodum de regno Biniamin: quod, scilicet futurus esset lupus rapax. Describit enim hic textus, quę successu temporis, ventura erant populo Israel, à die seu tempore prophetiæ: vsque ad extrema tempora. Omitto quod dictio (achar), quæ hic potuit proprie significat posteà: vt ex multis scripturæ locis constat, scilicet supra. 18. & Iudicum. 7.

¶ Tu virtus seu vir or meus, et principium roboris mei: residuum eleuatum, & residuum forte.

Significat dictio Hebraica, ĕhoc, id est, virtus proprie, vim & fortitudinem: vt patet Numeri. 14. Magni fiertur quęso, choach, id est, fortitudo, seu potẽtia Domini. Et Deutero. 8. Ipse est qui dat tibi, choach, id est, robur ad faciendum. Ex consequenti significat virorem, quod in eo virtus arboris & terræ demonstretur: vnde Psal. 22. Aruit tãquã testa (chochi). i. viror meus. Significat etiam pomum, seu fructum viridem Iob. 6. (Vmichochachem). i. de fructu seu virore vestro: (per quem abundãtiam, seu prosperitatẽ intelligit) donate mihi. Et cap. 31. Si, chochah, id est, fructum eius. f. terræ: comedi absq; argento. Idem Gen. 4. Inuenitur etiã significare lacertum, ratione viriditatis. Leuit. 11. Dictio autem, On, id est, robur, licet sit, vtcunq; occulta, ex locis tamẽ quibus inuenitur, videtur significare fortitudinem, & laborem, quod ex fortitudine procedat Psal. 75. Primitias vel principium, onim, id est, fortitudinem eorum. Et Psal. 105. Primitias vel principium omnis onam, id est, fortitudinis eorum. Item Iob. 40. (Veono). i. virtus seu fortitudo eius. in vmbilico eius: vbi nullo modo videtur quadrare labor. Et Hose. 12. (Veono) id est, in fortitudine sua directus est cum angelo. Colligitur ergo dictionem hæc duo significare, scilicet fortitudinem, & laborem: vt diximus, & vt inferius ostendã, videtur huic loco magis quadrare fortitudo, quàm labor. Sed si laborem vertas, sensus est.

Tu labor meus id est, cuius gratia laborani in acquirenda substantia. Solent enim parentes laborare: posquam filios habent: ad eorum sustentationem: vt illis relinquant quo viuant. Si autem fortitudinem vertas, aut virorem sensus est. Tu fortitudo mea, id est, es id in quo virtus & fortitudo mea, ostẽsa sunt. Latet enim in homine virtus generatiua, quæ in generatione prodire videtur. Aut tu fortitudo mea. i. eras qui me defendere senio confectum debueras. Sed primum melius. Vnde quasi explicans more suo addit Principiũ roboris mei. i. es id, quo primum robur meum apparuit. Explicatur locus Deut. 21. vbi dicitur. Sed primogenitũ filiũ ex osse agnoscet: vt det ei partes duas: ex eo quod inuentum fuerit ei. Ipse enim est principium fortitudinis eius. Dictio verò sequens. f. (ieter) propriè significat residuum: vt patet Iosue 13. (ieter). i. residuum regmi Sichõ. Et Iudicum. 7. Omne, ieter, id est, residuum populi, ineuruauit se. Nam verbum, iatar, à quo, ieter, significat propriè residuũ esse: vt patet Exo. 10. Et omnem fructũ arboris, quem, hotir, id est, reliquit grãdo, aut qui residuus fuit grandini. Idem Isaiæ. 1. Nisi Dominus exercituũ, hotir, id est, reliquisset nobis supẽtem. Loci autem: quos nostri citant, ad probandum dictionem significare excellentiam: multo melius exponũtur, si residuũ interpreteris: veluti illud. Prouer. 17. vbi vertunt, iater, id est, excellentior proximo suo, seu iustus. Melius vertas, permanentior, seu diuturnior: quoniam plures filios relinquit, quã impius. Sic etiam Ecclesiastæ. 7. Melior est sapientia cũ hæreditate, & dignior. Melius & germanius vertas. Et diutu tnior, videntibus solem. Sequens verò dictio, sceet, id est, eleuatio dicit Rabbi Ionath esse per se radicẽ, sed verius puto, esse à radice, nasa, quod est leuare eleuare. Vnde (sceet) eleuationẽ significare arbitror, & excellentiã, & loco aptissime quadrare videtur: vt dicat Iacob Reuben: debuisses esse residuum eleuationis meæ. i. illein quo mea dignitas, & eleuatio seu excellentia deberet remanere. Solent enim primogeniti esse hęredes honoris, & dignitatis paternæ. Vltima verò clausulæ dictio. f. (am). i. fortitudo significat robur, & fortitudinẽ: vt patet Iudi. 14. Quid, am, id est fortius leone? Est ergo huius clausulæ sensus integer iste: Reuben primogenitus meus. Tu fortitudo mea. i. es id quo fortitudo mea generatiua manifestatur, & principium roboris mei. i. id quo primum robur meum ostensum est. Residuum seu permanẽtia eleuationis, id est, honoris mei, seu in quo honor meus, dignitas mea remanere debuit, & residuũ roboris mei, seu fortitudinis meæ, id est, in quo progenies mea & posteritas, quæ robur domus patet næ dicitur: relinquenda erat. Posset etiam verti: (quoniam dictio (ieter) non videtur esse in regimine) Residuum, id est, tu deberes esse residuũ mei, id est, in quo ego debeam permanere. Et tu eleuatio, id est, deberes esse dignitas mea, quæ in te erat relinquenda, aut eleuatio, id est, qui me à laboribus leuare debueras. Debetes etiam esse residuum, forte ad defendẽdum me, aut in quo mea fortitudo relinquenda erat.

Fessimus aut leuis, sicut aquæ.

Verbum (pachaz) significat proprie festinum esse, & ex consequenti leuem: quod leues siat festini, dum incedunt.

incidunt. Vnde Sophoniæ. 3. prophetæ eius (pochazim) id est, festinantes, scilicet ad prophetandum: iuxta illud Iere. 13. Non mittebam eos, & ipsi currebãt. Et Iudicum. 9. quoniam mercede conduxit ex eis. Abimelech, viros vacuos: (vpochazim) id est, & leues, id est, nõ grauatos pecunia. Solet enim Hebraismus vocare diuites, graues seu grauatos. Pauperes verò leues: Et Iere. 23. Errare fecerunt populum meum mẽdatiis suis: (vbepachazuthã). i. & leuitatibus, aut festinationẽ sua. f. in prophetando. Si ergo hic festinum vertas: sensus est. Eris festinus. i. cito perdes dignitatẽ primogenituræ, quemadmodũ aquæ cum festinatione transeunt. Nam primo Parali. 5. habes de Reuben. Ipse (inquit) fuit primogenitus, & cũ violasset thorum patris sui: data est primogenitura eius filiis Ioseph filij Israel: trãsiuit ergo cito eius primogenitura, in aliam tribum scilicet Ioseph, qui in duobus filiis, scilicet Ephraim, & Menasseh, duplicem portionem substantię paternæ hę reditauit. Et idem sensus est, si leuem legas. Aut festinus, vt aqua, id est, non considerans malum: quod volebas perpetrare, quantum esset.

¶ Non residuus, subaudi eris in honore. f. patris. Non ages personam meam. Relinquitur enim primogenitus loco patris, aut non permanebis modo prædicto, scilicet hæres dignitatis & roboris, & causa subditur.

Quoniam ascendisti cubile patris tui.

Alij vertunt. Non erit tibi residuum, id est, plusquam aliis fratribus tuis: cum tamen debuisset esse iure primogenituræ, neque est mala interpretatio.

Tunc polluisti, stratum meum ascendit.

Verbum (hallal) significat polluere, fœdare, & posset esse sensus. Tunc polluisti, scilicet te, aut stratũ meum.

Stratum meum ascendit.

Dictio (Iesua) Hebræis significat stratum, ex ligno seu tabulis: quod est sub culcitra, & aliis lectisterniis. Verbum (iasa) ponitur Isaiæ. 14. vbi dicitur. Subter te (iusa) id est, sternetur vermis, aut stratus fuit vermis. Et dupliciter potest litera ista legi primo sic. Tunc polluisti, scilicet te aut me, & ibi punctus: posteà sequitur, stratũ meum ascendit: quasi admirando quòd ausus fuerit stratum eius ascendere, & est sermo ad alios fratres. Alio sic. Tunc polluit stratum meum, & ibi sit quies. Posteà. Ascendit, scilicet stratum meũ, aut ascendit ipsum. Non est (inquit) veritus, ipsum ascendere. Res gesta scripta est supra cap. 35.

¶ Simon & Leui fratres: Vasa destructionis. seu succisionis: in habitaculis eorum.

Non est sensus quod Simon & Leui sint fratres germani. Hoc enim manifestum est, sed sensus est, eos esse socios in malo, seu similes (vasa.) id est, instrumenta, ad succidendum, seu subuertendum: sunt in habitationibus eorum. De dictione (chamas) id est, succisio, diximus supra cap. 6. cuius significatio propria, non est plenè nota. Sequens verò, scilicet (mecherah) id est, habitaculum, etiam ignota est. Nam radix eius ponitur (machar), quod est vendere cum quo nullam habet in significatione conuenientiam. Si radix nominis Mecherah esset (chur) quod est fornax: sensus esset (vasa) succisionis in fornacibus suis, id est, sunt veluti arma succisionis dum sunt in fornacibus suis ac si dicat. Sunt arma succisionis ardẽtia & inflãmata: in quibus perdurat ardor diu. Ideò maledictus furor eorum. &cet. Alij putant esse nomen instrumenti seu gladij, quod Græcis dicitur (macherah) & hunc sensum subesse putant. Macherę eorum sunt arma succisionis, id est, ad succidendum. Locum difficilem reddit ignorantia significationis vocabuli. Qui putant nomen significare habitationem: citant illud Ezechielis. 16. (mecurotaich) id est, habitationes tuæ. Mihi tamen hæc expositio non multum arridet, & si esset aliquis locus in scriptura, vbi dictio (mecheram) significaret: nulla lectio magis quadraret textui, & sequentibus, vt sensus esset Simon & Leui socii, scilicet in crimine. Macherę eorũ sunt arma succisionis, id est, ordinata ad perdẽdum. Sed quia dictio nullibi (quod sciam) in scripturis, macherã, significare inuenitur, ideò reiicienda est hęc interpretatio, & quia dixerat eos esse socios ad malum: ideò desiderat quod *in consilio, seu secreto eorum non veniat anima;* id est, vita eius, *& in congregatione eorum; non veniat gloria eius:* ne si dicat. Quoniam Simon & Leui iuxta fratres, id est, socij ad faciendum malum: cupio quod non tractent in consilio suo de vita mea, neque in congregatione sua de gloria mea; aut de substantia mea: quoniam quemadmodum tractarunt de vita, & substantia, aut gloria Sichimorum perdendis, & perdiderunt: sic facerent vitæ meæ, & gloriæ meæ. Secundo modo potest textus exponi. Ita secreto eorum non veniat anima mea, id est, Non sit cum eis in consilio, neque gloria mea vniatur congregationi eorum, aut grauitas mea, & loquitur de grauitate & gloria semum, seu consiliariorũ. Possunt ergo anima & gloria, hic accipi, aut provt pertinent ad personam venientem ad cõsilium & congregationem, aut pro rebus, seu materia cõsilij, & secundo modo sensus est in consilio eorum, non veniat anima mea. i. vita mea; tãquam res super quæ est consiliũ, neq; gloria mea; & honor, eadẽ ratione veniat, in congregatione eorum. Primò modo est sensus in consilio corũ, non venia anima mea. i. persona neq; gloria mea. i. autoritas mea, nõ vniatur cœtui eorum, & causam assignat. Et videtur loqui de impetu, quem fecerũt in Sichimitas, supra. 34. & per virum intelligo, aut Sechem, aut omnes viros ciuitatis, more Hebraico: Aut melius. *Quoniam in furore suo occiderunt virum,* scilicet Emor & in voluntate sua, eradicauerunt taurum, id est, Sechẽ qui erat iuuenis. Et aduerte quod verbum (achar) significat proprie eradicare, & etiam subneruare, seu succidere hominem: quod crura in homine sint quasi radices, quibus corpus quasi arboris truncus sustentatur. Sunt hic qui (for) interpretantur murum vertentes eradicarunt, seu subuerterunt murum, & licet (sur) significet murum, infra hoc eodem ca. in benedictione Ioseph, vbi dicitur: Filiæ incedebãt super (sur) id est, murum. (Sor) tamen, non inuenio alicubi aliud quàm bouem significare: bouem autem in multis scripturæ locis significat: vt suprà. 32. Fuit mihi (sor), i. bos, & asinus. Idem Leuit. 9. & Deut. 22.

Maledictus furor eorum, quia fortis & transitus, aut impetus illorum, quia durus.

Verbum (arar) maledicere significat, & etiam contrahere, aut contrahi: quoniam id quod maledicitur, videtur contrahi ne se extendat, aut crescat. Dicitur autem furor eorum fortis, & impetus durus: quia nihil potuit eos diuertere à malo: quod facere cogitarant.

Diuidam eos in Iacob, ne scilicet aduersus alias tribus vniantur.

Et dispergam eos, id est, longè à se inuicem esse faciam. Habit ergo perfectus huius sententiæ sensus iste.

Simon & Leui fratres, id est, socij ad malum.

Arma iniquitatis, aut *succisionis,* scilicet sunt: in tabernaculis eorum, id est, arma ad succidendum. *sunt in tabernaculis eorum,* inclusa.

In consilio eorum non veniat anima mea: tanquam res: de qua perdendæ consiliantur: *& in congregatione eorum non vniatur gloria mea:* eodem modo ac si dicat. Non consulant de perdenda vita mea: neque vniantur ad perdendam gloriam, aut substãtiam meam. Portugallice (Guarde Deos de seus conselhos & aiũt amentos: à pessoa, e a fazenda.)

Quoniam in furore suo occiderunt virum, scilicet. (Emor) *et in voluntate, seu appetitu suo subuerruauerunt, aut eradicarunt taurum,* scilicet Sichem.

Maledictus furor eorũ, quia fortis, scilicet ad destruendum: *et impetus eorũ, seu transitus: quia durus ad retinendum:* ideò ne similis faciant fratribus suis.

Diuidam eos in Iacob, id est, faciam, quod non habitent simul: *& dispergam eos,* scilicet longè lateque *in Israel,* ne coniungi ad malum possint. Posset etiam illa clausula, Arma succisionis in tabernaculis eorũ, intra aliũ sensum verti. Arma succisionis in fornacibus suis id est, sunt veluti arma ad succidendum, dum sunt ignita: quibus tarde calor ille aufertur. Vnde sequitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maledictus furor eorum.

Et quia hic pater ferè maledixerat Leui: Moseh Deut. 33. quasi consolando eum: miris encomiis eum commendat: quemadmodum Reubeu: cui dicit ibidem. Viuat Reuben, & non moriatur: fortè quia hic dixerat ei Iacob: Non eresces.

¶ *Iehudah tu, laudabunt te fratres tui, manus tuæ in cervice inimicorum tuorũ, incuruabunt se tibi filij patris tui.*

Alludit senex ad nomen. Iehudah, quod est laus, exaltatio vocis in laudem alicuius. Verbum, iadah, à quo, Iehudah, duo significat, scilicet. Proiicere, deiicere, & laudare, seu laudibus attollere. Exemplũ prioris significationis habes Zacha. 1. vbi dicitur, leiadoth, id est, & deiiciant cornua gentium. Et Iere. 50. (Iedu) id est, proiicite in eam, aut deiicite eã. Et Isaiæ. 11. Ablactatus manum suam, hadah, id est, proiiciet, seu descendere faciet. Licet in his locis possit bene tolerari secunda significatio, scilicet vt leuent cornua gentium à loco suo. Ablactatus manum suam leuabit. Similiter illud Ieremiæ verti posset: leuate in eam, aut contra eam, scilicet sagittas, aut arma. Secundæ verò sunt infinita ferè exempla, in scripturis. Et videtur verbũ quasi contraria significare, scilicet deiicere, & exaltare, & potest esse alludo alterius ad alteram, si significet proiicere, quod etiam significet laudibus attollere: quod ille qui alterum laudibus extollit, videatur in eum laudes proiicere, & sic non sunt cõtraria significata omnino. Est ergo sensus. Meritò vocaris, Iehudah, id est, laus, quoniam laudibus attollent te fratres tui. Solebant enim Iehudæi Regem suum, præsertim nouiter institutum, laudibus extollere dicentes. Viuat Rex viuat Rex: vt patet primo Reg. 1. Posset etiam verti. Deiicient se tibi fratres tui: iuxta aliam verbi significationem, sed quia statim sequitur: Incuruabunt se tibi filij patris: videtur prior sensus germanior & magis alludit ad nomen Iehudah prior significatio.

Manus tuæ in cervice, aut collo inimicorum tuorum.

scilicet ad deiiciendum eos. Solent enim qui alios deiicere volũt: si fortes sunt, ponere manum suam super collũ eorũ, quos prosternere volunt. Et dictio (oreph) secundum Hebræos, significat posteriorem partem colli, qua manus ad deiiciendum iniiciuntur, & in hoc prædicit robur, & fortitudinem huius tribus aduersus inimicos, & ex decursu scripturæ verum esse constat.

Incurualabunt se tibi filij patris tui, id est, fratres tui, regiam reuerentiam exhibebunt. Et aduerte: quàm caute loquatur senex, de regno Iehudę. Nõ dicitur ei aperte. Eris Rex, ne fratres ad inuidiam prouocaret quèadmodum amor in Ioseph, sed velate in iis omnibus loquitur. *Catulus leonis Iehudah.*

Putant Hebræi nomẽ (Gur) id est, catulus, esse à radice (gur) quod est peregrinari, sed meo iudicio cõfundunt duas radices, scilicet, gur, quod est peregrinari, & (iagar) quod est pauere. Vnde, gur, id est, catulus leonis, non est à, gur, sed à, iagar, & significat aut paubres aut leonem ratione pauoris, quem hominibus incutit. Possumus ergo vertere catulus leonis, & melius. Pauor leonis Iehudah, id est, tam pauendus vt leo: vnde infra dicitur. Quis suscitabit eum?

A præda ascendisti fili mi. Dictio, tereph, significat proprie partem discerptã ab animali, & sensus est. A discerpsione. i. accepta parte animalis, veluti leo, ascendisti. Et per partem discerptam, seu raptam, intelligit regnum, aut regni partem quam tribus Iehudah, vt quasi abstulit à domo seu tribu Biniamin tempore Saulis, & sensus metaphorę est, quod quemadmodum leo, quoniam pauor est omnibus animalibus, intrat gregem, & partem ab animali sibi decerpit, & cum ea ascẽdit ad locum suum: sic tribus Iehudah in Dauid, Israel, (tempore Saulis) inuasit regnum, & abstulit, aut rapuit, à filio eius. Et prius partem, scilicet tribum Iehudah: postea verò totum Israel.

Curuauit se, iacuit sicut leo, quis suscitabit eum?

Aduerte hic nomen labi meo iudicio non significare leonem, licet Hebræi dicant (arieh) significare leonem minorem, labi verò maiorem, sed potius aliud animal ferocissimum: quia Naum. 2. & Nume. 23. Lebi cõiungitur (arieh) id est, leo leoni. Potest tamen sustineri opinio Hebræorum. Sensus est. Quemadmodum leonem postquam prædam rapuit, & ascendit, & incurua uit se & iacet comedendo prædam, nemo audet suscitare: ita neque tribum Iehudah postquam regnũ rapuit à Saulis domo. Postquam enim semel regnum accepit nunquã ex totò amisit postèa: licet bene partem.

¶ *Non recedet virga de Iehudah, & scribere faciens, de inter pedes eius: vsque quo veniet Siloh, & illi obedientia populorum.*

Sic est sententia in Hebræo.

Duo significat dictio, scebet, scilicet virgã, & familiã, seu progeniẽ: quod homines ex vno producãtur, sicut ex virga folia, aut rami Isaię. 10. (Veh Assur, scebet) id est, virga furoris mei. Idè Prouer. 10. Quod autem virgam regni significet habes Psal. 45. (scebet) id est, virga rectitudinis, scebet, id est, virga regni tui. Quod verò familiã constat Psal. 78. Vbi dicitur, scebet, id est, tribum; aut familiã, Ephraim nõ elegit, & multis aliis locis. Sequens autem participium, scilicet, cochecch, à (chachach) significat proprie limitare, scribere decreta facere, maximè prohibitiua, terminare præsertim stanea, vel radio Ezech. 4. Fili hominis Accipe tibi laterem, & pone illum coram te, Vechachota, id est, describes deliniabis super illum ciuitatẽ Ierusalẽ. Vnde, mechochę, id est, scribere faciens, aut statuere faciens, seu statuta faciẽs. Sed participium, vt plurimum significat legislatorem, seu decreta facientem: siue scribendo, siue condendo. Psal. 108. habes (Iehudah mechochechi) id est, legiser meus. Idem Isaiæ. 33. Dominus iudex noster. Dominus, mechochenu, id est, legiser noster. Et Deut. 33. Et vidit principium sibi, scilicet terre sanctæ, esse bonũ, scilicet prò alendis pecoribus: quod ibi esset pars. (Mechochech) id est, legislatoris recti. i. Moseh ibi absconditi. Hic verò accipiendum videtur, aut pro scriba, scribente decreta quæ Rex dictauerit, aut promulgante decreta à Rege ædita, seu facta. Qui quidem scriba, aut promulgator decretorũ, solet sedere inter pedes principis, sedentis in solio suo. Dictio verò sequẽs scilicet, siloh, occultissimè significationis est: ità vt neque Hebræi neq; nostri, sciant quid significet: ignorantes cuius sit radicis. Potest autẽ esse à radice, scil, quod secundum Hebræos est filius, sed eũ dictio, scil, nullibi in scripturis reperiatur, suspecta mihi est hæc significatio, & videtur ficta, potius quã vera: quare ea reiecta, arbitror potius radicem esse, scalah, quod est quietum & securum esse vt patet. 2. Reg. 4. Nonne dixi tibi non (tasieh) id est, noli me securam reddere, scilicet de filio habendo? Iob etiam tertio. Non (salauthi) id est, fui quietus, aut pacificus. Et Ierem. 12. (salu) id est, quiescent, seu pacifici sunt omnes, qui præuaricantur. & sic puto, siloh, significare quietum & pacificum. Aliqui purant dictionem, siloh, ortũ habere à; sciliah; quod est secundina, seu pellicula illa, qua partus obuolutus, vtero prodit, citantes illud Deutero. 28. (Vhosilatah) id est, & in secundinas; quæ egredíuntur è loco, qui est inter pedes eius, sed mihi non arridet hæc significatio. Est ergo sensus. Non recedet virga, scilicet regia, aut septrum: de Iehudah, & scribere faciens, scilicet decreta, aut decreta profetens, de inter pedes eius: donec veniat quietus: per quem Messiam intelligit, & ei obedientia populorum, scilicet erit. Et per scribentem, aut decreta facientem, intelligit scribam, qui solet esse inter pedes eius, scilicet Regis, aut eum qui Regis nomine decreta promulgat. Et si, mechocheh, significaret decretum ipsum: clarior esset sensus: quod scilicet neque virga iudicis, seu potestas iudiciaria recessura sit à Iehudah, nec decretum: id est, liber decretorum, de inter pedes eius: donec veniat quietus, sed quia participium, potius quã nomẽ videtur esse, mechochech, prior expositio & cõmunis amplectanda est. Quodverò Messias debeat esse quietus, & pacificus: ex multis locis scripturæ constat: præsertim ex. 9. Zachariæ cap. vbi de eo dicitur, quòd sit venturus mansuetus. Et post pauca. Et succidere faciam quadrigas Ephraim &

& equos de Ierusalem: & succidentur arcus bellici: & loquetur pacem gentibus. Sed aduerte hic qualiter Iudæi moderni hunc locum de Christo apertè loquentem peruertunt. Dicunt enim. Non esse sensum, quod quãprimũ cessauerit regnum Iehudah: statim Messias sit venturus, quem sensum licèt prima fronte præ tendere videtur: sed quod non dabitur alteri tribui, donec Messias venerit: itaque secundum eos, sensus est. Non recedet virga, scilicet iudicis, aut regia potestas: de tribu Iehudah: vt scilicet alteri detur, quantumcunque cessent reges Iehudah; vsquequo veniat quietus, id est, Messias, quod ex præcedentibus confirmat. Præcedit enim Iehudam accepto regno, accubuisse, neque aliquem ausum ab eo auferre illud, quem vt leo quietus defendit. Sed hunc sensum esse extortum, & alienum à litera: lippis, & tonsoribus notum est. Sunt aliqui, qui dictionem, siloh, in duas partes diuidunt, scilicet, in scin seruile, quod est qui quæ quod: &, lo, quod est ei, illi, vt sit sensus: Donec veniat cui illi, id est, donec veniat ille, cui debetur corona regni, & si posset dictio diuidi, optimus esset sensus ille, quem locus apud Ezechielem capite vigesimoprimo, illustrare videtur, vbi dicit prophetæ iuxta veritatem Hebraicam, ad Iechoniam, qui tunc temporis regnabat, aut ad regem, qui tunc temporis erat. Remoue, cidarim, & tolle coronam, hæc non est hæc, humilem sublena, & superbum humilia, subuertsionem, subuersionem, subuersionem ponam eam: etiam hoc nõ, fuit ei ad coronam: donec veniret cui est iudicium, & tradam illi eam. Vbi Prophetæ Regi Iehudah iubet remouere mitram, quæ sub corona ponebatur. Hæc corona non erit amplius corona, id est, cessabit regnum. Superbum, scilicet Regem, qui nunc regnat humilia, & humilem, scilicet, Messiam sublena. Ego Dominus ponam eam, scilicet coronam subuersionem, id est, sepius eam subuertam, & deiiciam, & corona hæc non erit Regi corona, id est, non reputabitur amplius Rex: vsquequo veniat, cui datum est iudicium. Ioannis. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, & tradam eam ei. Qui sensus valde placeret, si dictionem sentirem posse dimidi. Chaldæus, & Septuaginta, non longè sunt ab vltima interpretatione, quorum primus vertit. Donec veniat Messias. Alij verò. Donec veniant reposita ei.

Ligans ad vitem pullum suum, & ad perplexam, scilicet vitem filium asinæ suæ. Lauabit, seu lauare faciet in vino vestimentum suum, & in sanguine vuarum operimentum suum.

Commendat nunc sortem tribus Iehudah, à copia vini. Et postquam laudauit homines, laudat sortem terræ eius. Aduerte hic nomen, ir, significare propriè ciuitatem, sed ex verbis Zachariæ nono capite conuincitur etiam pullum significare: vbi dicitur. Super asinum & super (aijr) pullum filium asinarum. Sed quia hic ponitur (air), sed (troh): puto potius nomen esse ab (arah), quod est nudare, enacuare, quàm ab (ir), quòd est ciuitas, & significare potius (iroh) vacuum, quam pullum. Neque libenter admitto, quod ponatur ibi (hè), loco (Vau): quia licet hoc frequens in hebraismo sit: hic tamen nulla est necessitas huius mutationis. Dictio autem sequens, scilicet, serechah, incertæ est significationis, quidam vitem optimam interpretantur: cuius vuæ non habent acinos. Excoriaturis autem, videtur significare vuam diuersi coloris, quam nos vocamus (bastardam), quæ non est plene rubra, sed subrufa. Moueor ad hoc, quoniam Zachariæ primo legimus. Et post illum, equi rufi (seruchim) id est, coloris illius vuæ, aut diuersi coloris. Et Isaiæ decimonono. Et pudore suffundentur, operantes (lina fericot) id est, subrufa, qualia esse solent piscatorum, Ieremiæ secundo. Plantaui te, sorech, id est, vitem subrufam: seu bastardam. Solent apud nos vuæ huiusmodi vitis, in pretio esse. Est ergo sensus verborum iste. Ligans ad vitem pullum (si pullum legas), scilicet, ad onerandum illum. Tanta (inquit) erit racemorum copia, vt in vite vna: possit pullus onerari. Si autem vacuum, per illud canistrum intelige, & sensus est: ligans, id est, suspendens ad vitem vacuum, scilicet, canistrum, & ad optimam vitem, seu bastardam (liceat mihi sic explicandi gratia loqui) filium asinæ suæ, eadem ratione, scilicet, propter copiam, quod statim suo more explicat, dicens. Tanta erit copia vini, quòd *Lauabit in vino vestimentum suum*: id est, ac si equa esset, tanta erit eius copia; *& in sanguine vuarum operimentum.*

Non plenè constat, siue significare operimentum, neque est vlla coniectura, ad venandam propriam significationem: cùm non alibi quàm hic, in scriptura reperiatur. Sed si, setau, esset radix nominis, quod est hyems: tunc significaret vestem hyemalem pilosum, quæ dum madeat, multam aquam, aut vinum attrahit. Et per vinum album intelligit, qui speciem aquæ habere videtur, ideò dicit, lauabit vestimentum: per sanguinem verò vuæ, rubrum: iuxta illud, Deute. 32.

Rubeus oculis à vino, & albus dentibus à lacte.

Commendat, Iehudæ, sortem à copia vini, & lactis. Solent autem qui egregiè potant, oculos rubicundos habere, & similiter dentes albos, qui lacte vescuntur. Quod autem dictio, chachlal, significet rubeum, conflat ex vigesimotertio capite Prouerb. vbi dicitur. Cui vech, cui rixę, cui loquacitas, cui vulnera frustra, cui rubor oculorum? vbi ponitur, chaehlilu, loco roboris. Est ergo integer huius loci sensus iste: Ligans ad vitem, racemis, scilicet omnibus vacuum, scilicet canistrum, aut pullum ad onerandum in eadem vite, & ad vitem pretiosam, seu bastardam filium asinæ suæ: eadem ratione. Et præ copia vini, lauare faciet in vino, scilicet albo ad modum aquæ vestimentum suum, & in sanguine vuæ, id est, rubeo vino: operimentũ, scilicet, hyemale suum, id est; tãta erit in terra eius vini copia, vt in albo vino, veluti in aqua possit vestimenta lauare: & operimentum tingere in vino rubeo, aut lauare. Et præterea hac de causa consequetur oculorum rubedinem, & præ copia lactis, abescent dentes eius.

¶ *Habitabit ad sinum maris habitabit, & ipse ad sinum nauium, terminus eius super Sydon.*

Verterunt hic omnes ferè nostri portum, sed dictio choph, videtur potius signum significare, aut locum, quo naues à ventis teguntur, quàm portum absolutè. Nam; capah, radix nominis, significat tegere, seu abscondere: vt patet Deute. 33. Chapeph, id est, tegens eum tota die. Vnde, cupaph, id est, thalamus, sic dictus, quod ibi abscondatur sponsa cum sponso: vt habes Psal. 19. Quasi sponsus, egrediens mecupatho. i. è thalamo suo. Ex quo manifestè apparet, choph, significare sinum, seu locum, quo naues teguntur, & protegũntur à ventis. Ad hoc est res ipsa. Nam terra Zebulun, vt in charta ostenditur, sinus maris est, iuxta Carmeli montis promontorium: si descriptioni fides adhibenda est. Dicit autem mãrium, quia in sinu videntur duo maria, scilicet, quod sinu concluditur, & quod est extra sinum. Vnde statim explicat quod dixerat. Et ipse ad sinum nauium, scilicet, morabitur.

Et stipes eius, id est, limes. Solebant enim quòdam stipitibus lapideis quemadmodum nũc termini terrarum designari. Vnde ad literam vertendum erat. Et stipes eius iuxta Sydonẽ qua, scilicet ciuitate erat terminus illius tribus. Vertimus autẽ stipitem, quia (iarech) propriè significat stipitem, & exinde hastile, & femur, quod modum stipitis habeant. Memento hic etiam (onijah). i. nauis, esse ab (anah) quod est currere, sic dicta à cursu: & licet pater nihil boni hic (Zebuloni) imprecati, aut prædicere videatur: Moseh tamen Deuteron. 33. consolatur eum dicens: Lætare (Zebulon) quando egredieris, scilicet terrã tuam ad nauigãdum. Et Isachar in tabernaculis tuis, populos ad mõtem vocabunt, ibi sacrificabunt sacrificia iustitiæ, quia affluentiam marium sugent, & tectos thesauros arene. Ex quibus constat. Non parũ Iaacob hic tribui Zebulun præ dixisse: dum eum ad sinum mariũ locat. Solent enim vrbes maritimæ ditissimæ, & opulentissimæ esse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ *Isachar asinus dorsi, aut dorsuus i cubans inter duos terminos.*

Modo ponit quæ ventura sint (Isachar) & prius ponit methaphoram, & postea explicat eam. Non vertimus asinum fortem, sed dorsi, quoniam (gerem) propriè significat spinam dorsi, seu dorsum ipsum: vt patet. 2. Regum. 9. vbi de constituentibus (Iehu) in Regem dicit textus. Accepit vnusquisque vestimentum suum, & posuit subter eum (El gerem), id est, in dorsum graduum. Fecerunt enim ei gradum ad modum graduũ tribunalis: super quod Rex sedere solet, quod tu valdè nota: quoniam in eo loco omnes rabini hallucinati sunt: dum quidam verterunt, super gradus ipsos: Ac si (gerem) nullius esset significantiæ. Chaldæus verò super gradus horarum. Hieronymus rem propius attigisse videtur, qui vertit in similitudinem tribunalis. Sanctes verò, super fastigium gradus. Nomen etiam (misperetaijm) quod ordines hic ferè omnes vertunt: ignotę significationis est. Nam Ezechielis. 40. nostri vertunt vncinos, quibus carnes suspendi solent. Psal. vero. 68 (chitropodes). Si dormiatis inter (sephataijm), id est, (chitropodes) vbi aliqui sortes vertunt. Hic verò terminos, aut ordines. Alij acies: ex quo constat ignotam esse propriam nominis significantiam. Si autem verbum (saphat) significet ordinare, disponere, sicut Hebræi colligunt, ex eo quod habetur secundo Regum. 4. vbi dicitur (sephoth), id est, dispone, seu ordina ollas: & idem Ezechielis. 24. & si (sephataijm) significet ordines: sensus est (Isachar) asinus dorsi, id est, forte dorsum habens: iacuit inter duos ordines, id est, inter duas sarcinas ordinatas. Et vult dicere quòd permisit se tributis onerari: vt quiesceret. Non curauit tributa multa sibi imposita soluere: modò quiescere posset. Vnde sequitur.

Et vidit requiem. Posset etiam dici, verbum significare ordinare: & nomen (Sephataijm) cacabos, aut (ollas) sic dictas, quod ordinati soleant in culina: propter illud Psalm. 68. Si dormiatis inter, sephataijm, id est, cacabos vel ollas. Similiter. Ezechie. 40. (Vehasephataijm) id est, & (cacabi), aut (ollę) mensuræ vnius: & tunc sensus esset (Isachar) asinus dorsi, vt supra iacuit inter (cacabos) id est permisit se in loco vilii esse: propter requiem: sed prior expositio magis arridet. Neutra tamen intellectum meum adhuc satiat: quia non quiescit in significatione termini. Vnde Moseh, significans huius tribus quietem: dicit Deute. 33. Lætare (Isachar), in tabernaculis tuis.

Et *vidit requiem quoniam bona*, id est, esse bonum requiescere, & terram, quia dulcis. Hoc enim, significat (naemah), scilicet dulce: à Naam quod est dulcescere: vt patet Prouerbiorum nono. Panis absconsionum, id est, absconditus (ijnam), id est, dulcescet.

Inclinauit humerum suum ad portandum, & fuit tributo seruiens, id est, passus est tributo onerari: ne quietem, & requiem relinqueret. Dectio (mas) quam tributum vertimus: est (amasas) quod est dissolui: seu (amassa) separari, & exinde significat pecuniam tributi, quod à (massa) dissolnatur nummus: aut quòd hominis substantiam dissoluat, si multiplicetur. Est ergo perfectus huius benedictionis sensus (Isachar), est veluti asinus, forte dorsum ad portandum habens: (iacens) id est, quiescens inter duos ordines, seu sarcinas: quod explicat. Vidit requiem esse bonam, & terram sortis suæ dulcem, quia dulcis erat fructibus, & amena, & ideò inclinauit humerum suum, ad onera, scilicet, tributorum portanda: *& fuit tributo seruiens.* Regibus, scilicet, & Principibus.

Dan iudicabit populum suum, sicut vna tribus Israel. Quemadmodũ Leah Dan nomẽ filio imposuit, quod Dominus ius pro ea dixerit: ita nunc pater, à iudicando populo: eum nomen sortitum asserere videtur. Significat autem Dan iudicare, litigare, contendere. Iudicauit autem hæc tribus populum in Samsone, vt habetur Iudicum. 13.

Erit Dan serpens super viam, id est, similis serpenti in via quem, scilicet, nemo aduertit. Nullus viator considerat. *Cerastes super semitam.*

Significatio nominis, sephiphon, ignota est radix eius (si tamen ea est), scilicet, scaphat, significat mordere, contundere: vnde coniectari licebit, sephiphon, significare rem quæ mordet, & comminuit, fortè viperam. Aliqui cerastem vertunt, quæ est serpentis genus & autore Plinio, libro octauo quadrigemina cornua præfert: similima arietum. Vide Plinium si placet capite. 33. libro octauo.

Mordens calcaneos equi: cadere faciens cursum eius retrorsum.

Significatur hac metaphora tribum Dan futurã callidam: cuius nemo impunè dominetur. Quando autem hac vsa sit calliditate tribus Dan, nõ constat. Qui autem Antichristum futurum dicunt de tribu Dan: nihil dignum autoritate, aut fide, afferunt: ideò malo ignorãtiam fateri, quàm fabulosa recitare. Calliditatem hanc Dan: firmare videtur id, quod de ea dicit Moseh. Deut. 33. Dicens Dan, vt catulus leonis, fluet ex Basan: quasi ex insidiis prosiliens.

Salutare tuum expectabo Domine.

Duo hic dubia sunt. Alterum significatio verbi, chauah, quod nostri hic expectare vertunt, & Iudęi dicunt significare expectare, & congregare, sed meo iudicio tam ipsi, quàm nostri, propriam ignorant significationem. Dixi de ea. Gene. 1. & si rem expendas: videbis quòd significat extendere, & ex cõsequenti expectare: quòd expectanti extendatur res sperata, aut tempus ad id quod sperat. Moueor autem, quoniam, chau, quod est huius radicis, significat lineam, ratione vt reor extensionis, quod scilicet, extensa sit. Si autem congregare significat, nõ video qualem allusionem habeat hæc significatio cum sperare, & cum linea: nisi dicamus lineam significare, quod facilè colligatur & congregatur. Res autem mihi adhuc dubia est. Alterum est, ad quid hæc sententia hic ponatur, scilicet, Saluti tuæ, aut salutem tuam expectaui Domine, & de verbi significatione diximus. Hoc tamen constare videtur, quod in piel significet expectare: vt patet Iob. 70. Sicut mercenarius, Iechaueh, id est, expectabit opus suũ, id est, mercedem operis sui. Item Isaiæ quinto. Expectaui: vt faceret vuas: vbi idem verbum ponitur. Si autem significaret ligare, tunc omnia conuenire viderentur: quoniam congregari est colligari inuicem, & linea dicetur, chau, à ligatione. Secundum verò adhuc videtur difficilius, & c duobus alterũ mihi videtur. Aut quod quemadmodum solent senes, & ægroti, inter verba suspiria sua emittere: sicut inter comedendum, sic faciat hic Iacob, qui defessus inter (tot) verba: vocem illam ad Deum emisit. Salutem tuam expecto Domine, id est, spero, quòd sanabis me. Aut sana me Domine, quoniam salutem tuam spero. Si verò sententiam cum præcedentibus coniungere vis: tunc sensus erit. Quoniam hãc tribum Dani serpentina astutia præditam video: spero Domine, vt me salues ab ea, quemadmodum de Simon & Leui dixerat. In consilio eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum, non sit gloria mea. Prior tamen expositio mihi magis genuina literæ videtur. Est & tertia Salutem tuam expecto Domine, vt scilicet, impleantur hæc omnia per Messiam salutem tuam.

¶ *Gad exercitus exercitabit eum, & ipse exercitabitur in fine, seu postea, aut à tergo.* Sic est in Hebræo.

Obscurus valdè est locus iste: cùm propter verbi (gadad) significationem ignotam, tum propter sensum, quem ex verbis eruere difficile est. Vertimus autem exercitabit. Non quidem latinè, sed vt verbum, verbo Hebraico redderemus. Sicut enim (Gad) exercitum, & multitudinem significat. Sic, Gadad, exercitum facere: quod vt verbum verbo redderemus, vertimus exercitare. Et sensus est, quòd, Gad, quod exercitum sonat. Alludit enim senex in iis nominibus communiter ad nomina filiorum: vt patuit de Iehudah, & Dan exercitus congregabit eum, id est, se aduersus eũ: sed ipse, scilicet, exercitus: tandem castrametabitur ab eo, scilicet, Gad. Ac si apertius dicat. Hæc est prophetia

Gad, quòd exercitus congregabit se contra eum, sed ipse exercitus postea dimincetur, seu superabitur ab ipso Gad, aut & ipse scilicet Gad congregabitur postea contra eum. Sed quãdo hoc acciderit, non constat. Alii qui hic vertunt (Gad) exercitus succidet eum. Et verbum (Gadad) etiam significat succidere: vt patet primo Regum. 18. vbi de sacerdotibus Baal dicitur, quod (ijthgodedu) id est, succidebant se, seu incidebant se more suo cultris. Licet autem de significatione huius verbi diximus supra cap. 30. hic etiam repetemus.

Verbum, Gadad, vt diximus, significat exercitum facere, aut congregare: vt patet Psal. 94. vbi dicitur, iagodu, id est, congregabunt exercitum, contra animam iusti, aut multiplicabunt se. Sic Habacuc. 3. Quando ascendet ad populum, vt, iegudenu, id est, exercitum congreget contra eum, seu multiplicet se contra eum. Significat etiam in (hit pael) punctatum esse multis puncturis, ordinatis ad modum exercitus: vt patet Ieremiæ. 41. vbi dicitur. Et venerunt scissis vestibus, vmitgodedim, id est, & punctati, seu punctis scissi. Solebant enim gentiles tristitiæ causa, se huiusmodi puncturis incidere, vt patet Ieremiæ. 48. Super omnes manus, gedudoth, id est, puncturæ, quod nostri vertunt incisiones. Quem ritum Dominus suis prohibet Deuterono. 14. Inde, gedud, id est, exercitus multitudo, &, gedudah, id est, punctura, incisio, in multitudine tamen: inde etiam, gad, id est, coriandrum, quod eius grana multa sint, & ordinata ad modum exercitus. Et quod aliqui. Psalm. 65. vertunt, lineas, vbi dicitur. Sulcos eius inebria, descendere fac, gedudeah, id est, in lineas eius, vt nostri vertunt. Melius vertas. Descendere fac grana eius, per quæ grandinem, seu grana grandinis intelligit, quæ multiplicantur ad modum exercitus, sicut de coriandro diximus. Et hinc arbitror, gedi, hœdum significare, aut quia dux gregis, seu exercitus pecudum, aut quia ad modum exercitus in multitudine congregentur hœdi. Sunt qui hunc locum sic vertunt. Gad congregando congregabit eum, scilicet, exercitum Domini, quando terram promissam erant ingressuri filij Israel, & ipse extremam partem, scilicet castrorum Domini congregabit. Pullicet Israel, ad eos custodiendos. Sed nescio, an hic sit verus literæ sensus. Fateor hunc sensum mihi hunc locum legenti occurrisse, quem postea inueni in quodam ex nostris annotatum.

De Aser pinguis panis eius, aut oleo liues, id est, pinguis est panis Aser. Explicat hũc locum Moseh ea. 33. Deutero. vbi commendans terram tribus Aser, dicit. Tingens in oleo pedem suum, quo ostendit solum, seu sortem tribus Aser, oleo ita abundare: vt in eo pedes posset quis lauare, quemadmodum Iob butyro & lacte. Est ergo sensus, Panis Aser est pinguis, id est, erit multo oleo mixtus.

Et ipse dabit voluptates Regis, id est, regias, aut Regibus, id est, dabit oleum, ad facienda vnguenta, quibus Reges vtuntur, & in delitiis suis inunguntur. Solebant enim Reges, & nobiles, in signum lætitiæ, & ad delitias suas vti oleo: iuxta illud Psalmi. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Et illud Matthæi sexto. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum. Erat ergo Aser præstaturus Regibus oleum, quo in suis delitiis vterentur. Dictio, madan, significat delitias, delectationem, aut potius rem, quæ causa illius est. Vtuntur enim Hebræi actibus pro obiectis, & contra.

Naphtali cerua missa, dans eloquia pulchritudinis.

Aduerte hic dictionem Hebraicam (aialah) quam hic turbam doctorum sequentes vertimus, ceruam, meo iudicio non significare eam, sed potius aliquod aliud animal fortis naturæ, emittens magnam vocem, quasi tuba. Moueor, quòd dictio (aial) quæ est radix eius, significat fortitudinem. Similiter, aialuth, Hinc etiam El, id est, Deus, sic à fortitudine appellatus. Et, vl, Inde, elah, id est, quercus quod forte lignum sit. Etiam, aijl, id est, aries. Non quicunque sed fortis, & qui iam annum transierit, vt Rabbini dicunt. Similiter postis eadem ratione. Quamobrem arbitror, aielah, significare, vt dixi, animal forte, & velox, propter id quod dicitur. Psalm. decimooctauo. Posuit pedes meos, chaaialoth, id est, sicut illius animalis, & ex hoc loco propter velocitatem, aliqui putarunt significare ceruam. Neque inficas eo, posse significare ceruam, modò sit cerua grandis & fortis. Psam. etiam. 42. habes, chahaial, id est, sicut cerua desiderabit ad fontem aquatum. Aduerte secundò dictionem, scapher, quam hic omnes pulchritudinem vertunt, potius significare sonorum & famosum, quàm pulchrum, quod ex eo constare videtur, quia, sopher, quod est eiusdem radicis, tubam, præsertim corneam significat, vt patet Exodi. 19. Et sonitum, sophar, id est, buccinæ. Iosue sexto. Sapient. septimo, sophijoth, id est, tubas arechritudinem, tam benè quadrat famosum, laudatum, & nominatum, vt Psalm. 16. Etiam hæreditas, saphe-rath, id est, pulchra, tam bene vertas laudata. Et Iob. 26. Spiritu suo cœlos ornauit, non inepiè vertas cœlos tonare fecit. Sunt tamen qui putant, sopherath, non esse à radice, sophar, sed esse nomen quatuor literarum. Dupliciter ergo potest locus iste reddi. Primò sic. Napthali cerua missa, id est, tam pulcher sicut cerua, quæ in munus alicui mittitur, dans eloquia pulchritudinis, id est, compte & ornate loquens: vt commendet hanc tribum à pulchritudine, & à venustate verborum, seu ornatu. Si verò proprietatẽ nominum sequaris, sic redde. Napthali animal forte dimissum scilicet à iugo: dans eloquia sonora, id est, emittes tubases voces, quod se liberum à iugo videat, quemadmodum sunt quædam animalia ita laborem ferẽtia, quòd cùm à iugo soluuntur, calcitrant, voces emittunt. In quo commendare vult hanc tribum, quod maximè libertate gaudeat. De cuius libertate (inquit) Moseh. Deute. 3. Napthali saturitas voluntatis.

Filius fructificans Ioseph: filius fructificans super fontem, id est, tam fructuosus erit filius meus Ioseph, quemadmodum arbor iuxta, aut super ipsum fontem plantata. Non vertimus crescens, quoniam, vt sæpius admonuimus, verbum, parah, non crescere, sed fructificare significat: vnde, peri, id est, fructus.

Filiæ discurrerunt per murum, scilicet, ad videndam pulchritudinem eius. Confundunt, meo iudicio, Rabbini duas radices, scilicet, iasar, quod est, aspicere. vnde, sur, id est, murus sic dictus, quòd inde homines quę procul sunt aspicere soleant, &, sur, quod est canere, ad quod nullam habet (sur) allusionem.

Amaritudine affecerunt eum, & multiplicauerunt, aut se, aut sagittas contra eum. Odio habuerunt eum Domini sagittarum.

Lege Psal. 77. & intelliges locum hunc, vbi sic habes. Filij Ephraim armati, iacientes areu, id est, peritissimi in arte sagittandi, verterunt se in die belli. Commendat ergo hic pater filium, aut tribum, à peritia sagittandi, quæ tanta futura erat, vt magistri in ea arte illi inuiderent, & ex inuidia eum odio habuerint, & multiplicauerint se in bello aduersum eum, aut sagittas in eum. Sed nõ potuerunt, scilicet hostes eius eum debellare, quoniam, *Sedit in sauro, seu forti arcus eius*, id est, in Deo, qui est fortis, & durus: *& roborauerunt se brachia manus eius*: scilicet, ad iaciendum, & defendendum se arcu. Aduerte hic verbum, (pazam) quod hic ponitur, & roborarunt vertimus, non esse certæ significationis. Rabbini dicunt significare roborare, & fortificare: ad quod citant hunc locum, & illud secundo Samuelis sexto. Et vidit, scilicet, Michol Regem Dauid (mepazem), id est, roborantem se coram Domino, & despexit illum in corde suo. Hinc dicunt, paz, significare aurum optimum, & purificatum, sic à fortitudine dictum. Sed coniectura est non parua ad oppositum, illud quod dicitur primo Regum. 10. Fecit Rex solium eburneum grande, & texit illud auro (mupaz). Vbi si (mupaz) aurum vertas, inutiliter repetes aurum, nisi vertas: auro roborato, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut depurato. Et Danielis decimo. Et lumbi eius accincti auro (mupaz) id est, puro, vt alibi vertunt. Idem Ieremiæ. 10. Mihi videtur quod potius significat extendere, & (paz) extensum. Et sic sensus erit. (Vaiapozu) id est, & extensa sunt brachia manuum eius, quemadmodum extendunt sagittantes. Et illud Regum citatum: sic reddendum. Vidit Regem Dauid eleuantem se, seu extendentem.

De manu potentis, aut eleuati, seu velocis Iacob.
Licet enim Rabbini dicant (abar) significare robotare (eber) tamen, id est, penna, seu ala, nonnullam connexionem præbet, quod significet eleuare, quemadmodum auis, aut leuem, & velocem esse, eadem causa.
Est ergo sensus, quòd arcus tribus Ioseph sedit in forti, & roborauerunt, seu extenderunt se brachia manus eius, scilicet, ad tendendum arcum de manu eleuati, aut fortis Iacob, id est, adiutorio Dei, qui est fortitudo Iacob.

Inde, id est, *ex hac tribu pastor, lapis Israel*, id est, ex hac tribu est Ioseph, qui fuit pastor Israel, cibando ipsum: & lapis, id est, fortitudo Israel defendendo eum, quandiu vixit. Si verò ad pastores referas, sensus est. Inde, id est, ex hac tribu erit pastor, id est, Ieroboam: qui fuit rex, & pastor gubernans Israel, & inde lapis, id est, defensor Israel. Iuxta illud Psalm. 59. Ephraim fortitudo capitis mei. Nam tribus Ephraim robustissima erat, ad populum defendendum. Posset tertiò continuari hæc sententia cum sequenti. Inde pastor, & inde lapis, id est, fortitudo Israel.

A Deo patris tui, & cætera.
Si verò alia sit sententia, quæ sequitur, sensus est. A Deo patris tui, subaudi, erunt tibi bona, quæ sequuntur.

Et benedicet te, id est, & beneficus, seu abundans benedicet tibi, benedictionibus cœlorum desuper, quæ sunt pluuia, & ros, & quæ de cœlo descendunt ad terram irrigandam.

Et benedictionibus abyssi, seu profundi e aquæ cubantis deorsum, ad irrigandam terram, & terræ nascentia.
Fontes enim, & flumina ab aqua profunda, quæ sub terra est, prodeunt. Et per hæc significat tribum Ioseph in sorte sua habituram copiam omnium fructuum, quæ cœli clementia, & irrigatione deorsum nutriuntur, & multiplicantur. Et quod sequitur.

Benedictionibus vberum, & vuluæ.
Copiam filiorum, & prolis futuram significat. Nam filij in vtero gestantur, & vberibus nutriuntur. Ex hoc loco non parua coniectura est, quod (sadai) vt sæpius diximus, non omnipotentem, sed beneficum significet: cùm hic ponatur tot benedictionibus affluere.

Benedictiones patris tui, id est, non putes paruas meas benedictiones, aut infirmas, non venturas super te, quoniam, *Robustiores fuerunt, seu fortiores, benedictionibus progenitorum meorum.*
Fuerunt enim multò plures, & ad meliora se extenderunt, quàm benedictiones Abraham, & Isaac. Illi enim vnicos benedixerunt, iste verò. 12. Illi paucos habuerunt, iste multos, quos particularibus benedictionibus benedixit, quod Patres non fecerant abundanter. Non loquimur hic de benedictione Abrahæ, quæ Messiam respicit, sed de temporalibus.

Vsque ad desiderium collium seculi, erit, pro, *erunt ea capiti Ioseph, & vertici Nazarei fratrum suorum*, id est, inter fratres suos. Si radix (taauath) id est, desiderium, est (taah) clarus est huius clausulæ sensus, nempè iste. Durabunt huiusmodi bona prædicta tribui Ioseph vsque dum terminentur, & finiantur colles æterni, id est, semper durabunt, quemadmodum colles. Sed si radix est (auah) quod est desiderare, obscurus valdè est locus. Sed potest esse sensus, quod benedictiones Ioseph erunt super caput eius, vsquequo veniat desiderium, id est, ille quem æterni colles desiderant, qui est Messias: iuxta illud Psalm. Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, quoniam venit iudicare terram. Posset etiam esse sensus, benedictiones patris tui fortiores fuerunt, id est, durabiliores quàm progenitorum meorum, magis quàm desiderium collium, id est, præ collibus, qui desiderant perpetuo esse. Nondum tamen intellectus huic acquiescit expositioni.
Quod autem dicitur. Nazaræi inter fratres suos, aduerte quod (nazar) est separare: inde (nezir) id est, separatus. Dicebatur autem Nazaræus separatus, quoniam tempore sui Nazaræatus separabatur à multis rebus, quæ aliis hominibus licebant: vt patet Numeri sexto.

¶ Beniamin lupus, discerpet: in mane comedet adhuc, & vespere diuidet spolium.
Dictio (ad) interpretata adhuc, potest etiam verti præda, aut spolium à radice (auad). Et est sensus, quod Beniamin erit veluti lupus, & discerpet, scilicet animal, accipiendo sibi partem.

Mane comedet adhuc, id est, mane adhuc comedet, scilicet, vsque ad vesperam, aut non solùm discerpet, sed amplius mane comedet, quod discerpserit. Sed vespere diuidet spolium, scilicet prædæ cum alio. Nomen (alal, quod spolium vertimus, est, à, (alal, quod significat spoliare, & spolium dimittere. De sensu autem huius prophetiæ variè tam nostri, quàm Iudæi scribunt. Mihi verò videtur, quòd voluerit hic Iacob prædicere Beniamin accepturum regnum in Saule, qui accipiendo regnum, quod erat tribui Iehudah debitum, videtur lupum gessisse, quod quidem regnum statim cum Dauide (quoniam parum durauit) diuisit: sed primam partem reliquit Dauidi, scilicet, tribum Iehudah: postea verò totum. Quod autem per prædam regnum intelligatur, constat ex benedictione Iehudah supra posita, cui dictum est. A præda ascendisti fili mi, id est, à regno accepto cœpisti ascendere, aut accepto regno veluti præda, ascendisti. Est ergo sensus. Beniamin, id est, tribus Biniamin lupus, id est, veluti lupus discerpet, & mane, id est, in initio regni Israel adhuc comedet, quoniam adhuc Isboset illi successit, sed vespere regnum cum Dauide diuisit, aut prædabitur regnum mane, id est, in prima institutione Regis apud Israel & comedet adhuc, quoniam filius Saul Isboset patri ad biennium successit. Non solum ergo prædatus est, sed comedit adhuc, id est, permansit in regno. Sed non perpetuò, quoniam vesperi, id est, postquam à Deo declinare cœpit, statim regnum cum Dauide diuisit vt patet primo Samuelis. 15. cùm enim Saul pallium Samuelis tenuisset, & scidisset, audiuit à Samuele. Scidit Dominus regnum tuum. Nam reliquit Dauidi tribum Iehudah, & tandem totum regnum. Neque mihi obiectes Saulem non fuisse regni raptorem, sed à Deo electum, quoniam neque Dauid regnum tyrannicè inuasit, & de eo nihilominus supra dictum est à præda ascendisse. Neque textus habet, quòd rapiet mane, sed quòd discerpet: sed etiam si diceret, verum esset, quoniam qui, quod alteri debitum est, accipit, quodammodo rapere dicitur, quemadmodum de Chananæa dicit Ambrosius, quòd rapuit salutem à Iudæis. Et de Hæmorrhoissa, quòd prædata est salutem, quam Christus filiæ Principis afferebat: & Ecclesiam sponsum synagogæ surripuisse asserit, quoniam quod erat alterius debitum, acceperunt. Expende huius loci omnes expositiones, & si germaniorem inueneris, amplectere: hinc minus, hac vtere mecum.

Ego colligor ad populum meum, id est, ad statum defunctorum, in quo est populus meus, id est, omnes prædecessores mei. Diximus de hac phrasi supra. 25. & de spelunca duplici ibidem diximus. Similiter de Mamre.

In possessionem, Hebraicè. In comprehensionem sepulchri. Vocatur autem comprehensio pars, quam quisque apprehendit.

Emptio agri, id est, emptus, est ager, quod dicit ne (Chitæi) forte non permitterent cadauer suum sepelire.

Collegit pedes suos ad lectum. Nam sedebat super lectum: pedes in terra habens: ideò nunc dicitur eos collegisse.

Et obiit. Dicunt Hebræi (gaual) significare obire, seu blandè, & leniter mori. Non longa ægritudine, non gestibus corporis. Sed ex Psal. 88. constat potius significare deficere: vbi habetur. Pauper sum ego, (vegouea) id est, & deficiens, ab adolescentia: & Num. 17. Num consumendi sumus (ligoa) id est, vt deficiamus, videlicet omnes.

Quæ venit Abraham. Debent parentes admonere filios de titulis, & instrumentis possessionum, ad vitandas lites.

Ipsi sepelierunt Abraham. Hinc ortum puto cõsuetudinem illam, quòd omnes qui sunt ex eadem familia, eodem condantur sepulchro.

Collegit pedes suos, ad lectum.
Optimum est hominem moriturum, omnia sua membra colligere, vt honestè moriatur, & memento quæ de Iulio Cæsare, cùm occideretur Historiographi tradunt.

CAPITIS. L. AD LITERAM annotata.

Præcepit seruis suis Medicis. Significat verbum (rapha) à quo (ropheim) id est, medici, sanare, & curare soleant homines.

Vt aromatibus condirent patrem suum.
Ignota est Hebræis, propria significatio verbi (chanat.) Tribuunt autem Hebræi (binam) scilicet, proferre, producere, & aromatibus condire. Et priorem ex illo, quod dicitur Cant. 2. Ficus (chanetah) id est, protulit grossos suos, eliciunt. Secùndam verò ex hoc loco. Neque coniecturam firmam ad propriam significationem inuenire potui, quoniam rara est dictio in scripturis. Sed re vera puto potius verbum significare implere, & inflare, quàm proferre, quæ significatio vtrique locorum conuenire videtur. Neque me putes pro meo arbitrio variare significationes. Cùm enim Hebræi: vt sæpius testati sumus, ex coniecturis agant ad significationes venandas, arbitramur id nobis nõ esse prohibitum. Vnde quod sequitur verti potest.

Et impleuerunt medici Israel, id est, cadauer Israel, *sic implebuntur*, id est, impleri solent dies impletorum, aut aromatibus conditorum.

Loquimini in auribus Pharaonis.
Putabat enim Ioseph, Regem non facilè permissurum eius recessum.

Etiam equites.
Admonui superiùs, à (paras) quòd est diuidere, deriuari, (parasim) id est, equites, quòd dum equitant diuidantur eorum crura.

Venerunt vsque ad aream Atad.
Aliqui arbitrantur, hic Atad esse nomen proprium loci, alij appellatiuum, vertentes vsque ad aream spinæ, id est, quam spinosa arbor circundat. Inuenitur hoc nomen Psalm. 50. vbi dicitur. Priusquam intelligerent spinæ vestræ, aut ollæ vestræ (atad) id est, carduum, vel spinam, quod Septuaginta verterunt raphanum.

Quæ est in transitu, id est, iuxta transitum.

Iordem. Planxerunt ibi planctu magno.
Melius eleuato, id est, eleuando vocem (gadol) enim non tam magnum, quàm eleuatũ significat. Et quod sequitur.

Grauem valdè. Vocatur planctus grauis, quando est multorum.

Fecit patri suo luctum. Dictio (ebel) videtur significare magis propriè lachrymationem, quàm luctum, sicut (abal) lachrymari: potes tamen luctum vertere. Et quod dicitur septem dierum. Illa fuit consuetudo apud antiquos ad septem dies mortuos suos lugere, nisi esset insignis persona, iuxta illud Ecclesiast. 22. luctus mortui septem dies: fatui verò, omnes dies vitæ eius.

Ob quod vocauit, scilicet, Chenanæus locum, luctum Ægyptiorum. Super facie Mamre, id est, in prospectu.

Forte aduersabitur nobis Ioseph.
Hoc significare videtur verbum (satan) id est, aduersari: non tamen significatio propria plenè nota est. Inde (satan) id est, aduersarius.

Reddendo, reddet nobis malum, quod retribuimus ei.
Tam varias tribuunt Hebræi verbo (gamal) id est, retribuere significationes, vt arbitrer eos propriam ignorare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tare. Dicunt enim significare retribuere, ablactare, & maturare, nomen verò (gamal) camelum, & harum illam illi tribuunt, quam contextus exigere videtur. Neque est aliqua bona coniectura ad venandam propriam, ideò cum communi transeundum est.

Et præceperunt ad Ioseph dicendo, id est, præcepta patris indicarunt, aut præceperunt nuntio ire ad Ioseph.

Obsecro parce nunc. Hebraicè est: *leua nunc.* Vocant Hebræi leuare peccatum ab aliquo, non punire illud, quemadmodum onus eleuatur ab aliquo, quod illud onerabat.

Et tu leua peccatum seruorum Dei patris tui, id est, age nobiscum, quemadmodum Deus cum seruis: vt, scilicet, leues à nobis peccatum, id est, peccati pœnam, sicut ipse leuat à seruis, aut à nobis qui sumus serui Dei patris tui.

Ne timeatis, quoniam, num pro Deo ego, scilicet, sum? Sensus est. Ne timeatis me velle malum, quod mihi intulistis, vindicare in vos, quoniam ego non sum Deus: vt possim impedire quæ ille disposuit. Quod etiam 45. capite dixerat. Et nunc non vos misistis me huc, sed Deus.

Vos putastis super me malum, id est, cogitastis mihi malum facere vendendo me, sed Deus cogitauit illud bonum, id est, facere bonum tam mihi, quam vobis.

Locutus est ad cor eorum, id est, quæ illis erant cordi, nempè blanda.

Deus visitando, visitabit.
Melius recordando, recordabitur vestri.

Posuerunt in arca. Putarem saxeam.

CAPITIS. L. AD MORES annotata.

Iacuit se Ioseph super patrem.
Pietatis erga parentes nos admonet, & eam docet hic sanctus Ioseph.

Vt aromatibus condirent. Antiqua valdè est consuetudo condiendi corpora defunctorum, quæ seruari volumus.

Eleuerunt eum Ægyptij septem diebus.
Varia est consuetudo gentium, in lugendis mortuis. Nam isti luxerunt 7. Iudæi Moseh, & Aharon. 30. Alios vulgares. 7. vt iam annotauimus.

Et fleuit Ægyptus patrem: neque legimus fleuisse filium: vt discamus, qualiter Aulici ei in omnibus obsequuntur, quem viderint Regi esse acceptum, & gratum, & quàm facilè quicquid pro communi bono feceris, oblitioni traditur.

Si quæso inueni gratiam in oculis vestris.
Consueuerunt qui grati sunt Regibus, non pro se, neque per se quicquam petere, sed rogare alium, qui pro se postulet, quoniam non tam effrenatè quis pro se petit, quàm amicus eius pro eo. Vbi simul discimus, quàm difficilè debet esse Regibus separare à se prudentes.

Ascende, quemadmodum iurare fecit.
Debemus quantum possumus, iuuare eos, qui iuramentis, aut votis constricti sunt, vt vota, & iuramenta sua reddant. Neque debent superiores iuramenta licita, & honesta, subditorum sine causa irritare, licet possint.

Ascenderunt cum eo omnes serui Pharaonis.
Etiam hic ostenditur, qualiter omnes seruiunt eis, qui Principibus grati sunt.

Planxerunt ibi planctu magno.
Nullum est malum, mortuos plangere, modò eos non lugeas, quemadmodum ij, qui nullam resurrectionis spem habent.

Fecerunt filij, quemadmodum præceperat eis.
Discant hinc filij, implere, quæ parentes in suis testamentis mandarunt, quod tamen rarò fit.

Viderunt fratres Ioseph, quòd mortuus esset pater.
Ecce quid fratribus faciat præsentia patris. Arbitrati sunt isti Ioseph esse de numero illorum, qui ob aliquod mala sibi illata dissimulant, & postea vindicant. Vbi simul aduerte, qualiter mala conscientia, semper sibi timeat.

Pater tuus præcepit. Docemur hic, cùm merita propria desunt, ad veniam obtinendam, interponere merita eorum, qui grati sunt. Ex quibus discant Lutherani, Sanctorum merita media esse inter nos, & Deum. Iniquitatem suam in patrem coniiciunt, quemadmodum Deus in Christo iniquitates omnium nostrum. Sic Ribcah, in me (inquit) sit maledictio. Facilè enim qui amant, iniquitates amatorum super se ponunt, ac si dicant. Et si patri non parcis: parce Deo, cuius serui sumus. Norunt isti iniquitates suas in Deum suum reiicere. Hinc discant parentes, filiorum iniquitates portare, & Domini seruorum suorum.

Iacta uerunt se coram eo.
Nullum lapidem non mouent, ad veniam impetrandum, quoniam videbant se illius ope indigere, ac quæ nos docent signa humilitatis ostendere ei, à quo veniam postulamus.

Nunquid loco Dei sum? Admonui supra quadragesimoquinto capite. Munus esse bonorum, ex malis bona facere, quemadmodum Deus: malorum verò consuetudo est, ex bonis mala: vbi maximè Dei benignitas commendatur.

Ego alam vos. Non auferenda sunt beneficia ingratis.

Vidit Ioseph filios Ephraim.
Solet Deus iustos, etiam temporalibus bonis locupletos facere.

Ascendere faciet ossa mea hinc.
Audis hic, quàm mala sit coniunctio malorum, vt non solùm viui, sed etiam defuncti nolint iusti cum eis commorari.

LAVS DEO.

Quoniam in operis processv, aliquot Hebraismi occurrerunt nobis, dignum duximus, eos ad Operis calcem adnotare: ne quid pio Lectori deesset, quod nostra illi posset industria præstare, quos quemadmodum priores, alphabetico ordine digessimus.

A.

Ambulare in cogitatione cordis, est Hebræis facere quod lubet, quem Hebraismum habes Deut. 29.

C.

Cognoscere faciem in iudicio: est alicuius gratia iudicium peruertere, & per oppositum. Non cognoscere faciem, est illud non peruertere alicuius personæ intuitu. Deute. 1. & Prouerbiorum. 24.

Custodire custodiam, est seruare præcepta officij, aut muneris sui. Est etiam custodire rectè suæ fidei creditam, qui Hebraismus frequens est. Nume. 18.

D.

Deum loqui bonum super aliquem, est bona illi promittere. Nume. 10. habes, dixisse Moseh Chobab. Veni nobiscum, quia Dominus bona locutus est super Israel, id est, bona illi promisit.

Dare aliquid coram aliquo, est tradere illud in potestate eius. Deute. 2. Incœpi dare coram te Sichon, id est, illum cœpi tradere in tua potestate. Item Gene. 20. Terra coram vobis est, id est, in vestra potestate.

Dare faciem in aliquem, est illi irasci, quod facie ira maximè ostendatur. Leuit. 17. Dabo faciem meam in animam comedentem sanguinem. Et Ieremię. 21. Dedi faciem meam contra ciuitatem hanc in malum.

E.

Esse sub pedibus alicuius, est esse illi subditū, quòd subdita soleāt esse ad pedes nostros. Ponitur Hebraismus Exodi. 11. Psal. 8 & Deutero. 11.

F.

Facere aliquid coram sole, est facere illud publicè, & manifestè, quod lux, & Sol soleant omnia ostendere, & manifestare. Nume. 25. & 2. Samuelis. 12.

I.

Ire ad Patres, pro mori vsurpat sæpius Hebraismus: vt Gene. 15. Tu ibis ad Patres tuos, id est, morieris, seu congregaberis ad statum defunctorum.

Implere post aliquem, est eum plenè, vel in omnibus sequi. Ponitur Hebraismus Nume. 32. bis.

Iudicium mortis alicui esse, est eum esse dignum morte, aut qui morti adiudicetur: & è contra. Nō esse alicui mortis iudicium, est eum non esse morte dignū. Habes Hebraismum Deute. 16.

L.

Ligare ligamen super animam, est Hebræis vouere quod vouens obliget animam, id est, vitam suam punitioni: si votum non soluat. Nume. 30. habes Hebraismum.

M.

Mittere cum aliquo manum, est eum iuuare, quod auxilium soleat manu exhiberi. Ponitur Hebraismus. Exodi. 23.

Manum Domini esse, vel fuisse super aliquem, est punire, aut puniuisse eum. Deute. 2. Etiam manus Domini fuit in eos.

N.

Nomen Dei esse in aliquo, seu Deum ponere alicubi nomen suum, est illud sortiri diuinum nomen, vel à Domino denominari, sicut angelus, qui præcedebat Israel: aliquando dicitur Dominus, & templum Domini à Domino denominatur. Vide Hebraismum. Exodi. 23. & Deute. 12.

P.

Præputiare præputium, est immundum reputari. Leuitici. 19. quod præputiati apud Israelitas immundi reputarentur.

Polluere verba, Hebræis est mentiri: quod mentiens videatur conspurcare veritatem verborum mendacio suo. Ponitur Hebraismus. Nume. 30.

Ponere sanguinem super domum, est domum vltioni obligare, seu facere sanguini obnoxiā. Deut. 22. Non pones sanguinem in domo tua.

R.

Reuelare nuditatē, aut turpitudinem, pro coire, frequenter vtitur Hebraismus, & ponitur Hebraismus sæpius Leuitici. 18.

Remittere manum, est Hebræis debita condonare, aut parcere. Habes loquendi modum Deutero. 15.

S.

Si, pro non, sæpè vrnitur Hebræi: vt Nume. 32. Si videbunt terram, quam promisi, id est, non videbunt eam. Semel iuraui in sancto meo: si Dauidi mentiar, id est, quod non mentiar Dauidi. Psal. 88.

Seminari semine, pro concipere, dicunt sæpius Hebræi: vt patet Nume. 5. vbi Dominus fœminæ innocenti pollicetur, quod seminabitur semine.

Sanguinem alicui reputari, est illum ob parratum crimen, esse occisione dignum. Leuit. 17. habes phrasim linguæ.

Sanguinem alicui esse, est sanguinem eius vindicari, & non illi sanguinem, est non esse vlciscendum sanguinem ipsius. Hebraismus ponitur Exodi. 22.

Surgere pro Patribus, est eis succedere. Nume. 30.

Stare coram aliquo, est illi ministrare, quod ministri soleant coram Dominis suis astare, parati ad ministeria. Ponitur Hebraismus Deute. 1.

Secundum diem hanc, idem est Hebræis: quod prout in præsenti cernitur. Deutero. 2.

V.

Videre aliquem in malum: pro videre sinistro, aut torto oculo, aut ad puniendum vtitur Hebraismus, Exodi. 5. vbi dicitur præfectos Iudæorum vidisse eos in malum.

Quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quorundam locorum EXPLICATIO, IN QVIbus pius Lector hærere potest, in nostris scholijs in Genesin.

ANTEQVAM MENTEM NOstram in locis ex quibus aliquis offendi potest explicemus: hanc regulam tibi ob oculos ponere volumus. Nullam videlicet expositionem, esse quasi hæresim damnandam, quæ sacris literis, aut ecclesiæ diffinitionibus nō aduersatur, ne cùm tibi aliena à tuo antiquo codice occurrerint: statim hæresim inclames aut opus damnes, quo præmisso ad rem veniam.

Quoniam in nostris commentariis, præsertim in Genesin, sint nonnulla, quæ pij Lectoris animum mouere possunt: operæpretium duxi, amice Lector, horum tibi hic rationem reddere, & omnem scrupulum, qui animum tuum turbare potest, quod me attinet, expungere: tuum ergo erit, & quæ prius diximus boni consulere, & hanc nostram excusationem beneuolè acceptare.

Primum in epistola ad Henricum Cardinalem, nobis vitiò datur, quòd hominem nimium palpantes, vo cauerimus tutelarem Deum, quod neque somniauimus, sed diximus: quòd quemadmodum hi qui alicuius momenti libros in lucē ædere decreuissent: Deum sibi tutelarem eligere solebant: ita ego de patrono, libro eligendo, penes me iuditium fecerim, quod non est eum Deum appellare sed patronum. Quod verò gentiles id consuetudinis haberent præsertim Poetæ, omnibus perspicuum est, quemadmodum Vergilius Caliopen, Ouidius omnes deos, in operis patronos vocant, neque solùm Ethnicos, sed etiam Christianos vates, id facere deprehendens, siue Latino, siue vulgari, Poëmata ædant. Quare qui id taxauit, taxare potius debuit: se quod nō intellexerit arguisse, & si etiam hominem, deum vocassem tutelarem, non id sine autore feciſſem. Nam Paulus Fagius Germanus, in epistola quā dedit ad Fridericum Palatinum, cui scholia in Pentateuchum dicauit: eū deum appellat tutelarē, in hæc verba. Sic istud ipsum, & ego secutus, huic meo libro, iam primum in lucem emergenti: tutelarem aliquem deum, fidelemque patronum quæram.

Taxauit etiam quidam Doctor, qui nobis rem non ingratam faceret, si de eo quod principis auribus instillauit, & in angulis protulit, nobis pio animo prius admoneret. Is inquam vitio nobis dedit, quod omissa vulgata æditione, Sanctis biblia interpretaremur, cùm in cōcilio Tridentino id cautum fuerit, vt nemo aliam quàm vulgatam interpretaretur æditionem. Cuperem hominem vidisse prius verba sinodi, quàm taxaret. Sunt enim hæc. Insuper eadem sacrosancta synodus, considerans non parum vtilitatis accedere posse ecclesiæ Dei: si ex omnibus latinis æditionibus, sacrorum Bibliorum, quæ circunferuntur, quænam pro autentica habenda sit innotescat, statuit & declarat: vt hæc ipsa vetus & vulgata ęditio, quæ longo tot sæculorum vsu, in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro autentica habeatur: & quod nemo illam reiicere, quouis prætextu audeat, vel præsumat. Vbi vides sacram synodum, non prohibere alias interpretari, sed præcipit pro autentica haberi in publicis lectionibus, & quod nemo illam reiiciat, nos verò licet aliam interpretemur, eam pro autentica habemus; neq; alicubi eam reiicimus imò multis locis probamus, vt canone priori, & in præfatione ad lectorem, & etiam explicamus. Ad hæc in eadem præfatione dicimus, nos non tàm Sanctis, quàm hebraicā veritatem in ea exponere: quòd verò hebraicā veritatem interpretari liceat: constat ex illa clementina de magistris, ædita in concilio Vienensi, vbi præcipitur, quod in publicis gymnasijs, sint magistri, qui linguam Chaldæam, hebraicam, & arabicam, doceant, quos necesse est eas linguas in latinum aut alium sermonem interpretari, vbi etiam dicitur, huiusmodi peritos debere Hebræos, Chaldaicos, & Arabicos libros, in latinum interpretari. Cur etiam non licebit nobis, quod multis licuit? Noster Cardinalis Caietanus in tota sacra scriptura, noui ac veteris instrumenti, Hebraicam, Græcamq; exponit veritatem, non vulgatam. Hieronymus etiam, in libris Salomonis, eam explicat in multis locis. Item Erasmus, Campensis, Vatabler, & alij quamplurimi. Æditio etiā Sanctis, non sine Pontificum beneplacito & licentia ædita est. Extant ad operis initium, duo diplomata, alterum Clementis septimi, alterum verò Adriani sexti, quibus eum adhortantur, ad ædendum, & facultatem concedunt, quare non debet alicui displicere, si id facimus quod nulli facere vetitum est, & quod tam graues viri fecerunt ante nos.

Mouit etiam animum huius boni viri, quòd tam crebrò Rabbinos citemus, & adducamus ad probanda ea quæ dicimus. Cùm (Christo teste) ab eis ablata sit scientia scripturarum. Quibus etiam Christus dixit, Erratis nescientes scripturas. Sinite eos quia cæci sunt & duces cæcorum. Peto ex te bone vir. Si de significatione græcæ dictionis, controuersia verteretur, à quibus nisi à Græcis, vera significatio petenda est? Idem de Gallica, Itala, vel Hispana linguis, cito autem eos, vbi de dictionum hebraicarum significationibus res in dubium vertitur, quanquam sciam eos, vt in quodam canone admonuimus multas ignorare. Quod si de explicatione alicuius loici dubij loquatur, non mutum illorum etiam interpretationes interdum citare, & accepture, quoniam licet in mysteriis Christi cæci & excæcati sint, non tamen in aliis: vbi sensus ex significationibus pendet. Expendendum etiam esset, quibus seruator dicit. Erratis, quòd, scilicet, Saducęis, qui mortuorum negabant resurrectionem. Licet enim nō iniscias eam, eos in mysteriis Saluatoris & salutis hallucinari, errorem tamen puto dicere, eos nullam scripturę sententiam rectè intelligere & explicare, cùm Christus dicat eos clauem scientiæ habere. Hieronymus etiam dic mihi, quos iudices, in controuersiis appellet? Nónne Hebræos? Audi eum in prologo prioris libri Paralipomenon. Cùm à me nuper flagitassetis literis vt vobis Paralipomenon, latino sermone transferrem de Tiberiade, quendam legis doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, assumpsi, & cōtuli cum eo, à vertice vt aiunt, vsque ad extremum vnguem, & sic confirmatus, ausus sum facere, quæ iubebatis. Et post pauca subdit. Si quis in hac interpretatione volet rit aliquid reprehendere, interroget Hebræos. In prologo etiam Galeato, audi quid dicat. Si inquit inredulus es, lege Græcos codices, & confer cum his opuculis, & vbicunque discrepare inter se videris: interroga quemlibet Hebræorum, cui magis accommodare debeas fidem, & si nostra firmauerit, puto quòd nō nos æstimes coniectorem, vt in eodem loco, mecum sentiat liter diuinarit. Item in prohemio Esdræ, vide quid dicat. Quid interpretem laniant? Interrogent Hebræos, & ipsis autoribus, translationi meæ vel arrogent, vel derogent fidem. Similiter in præfatione in Iob audi quid dicat. Memini me, ob huius voluminis intelligentiam, Lydeum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus habebatur: non paruis redemisse nummis. Et in prologo Thobiæ dicit, se loquacem quendam Hebræum reperiisse peritissimum, & vnius diei labore arrepto: quicquid ille hebraicę expressit, se accepisse notario, sermonibus latinis exposuisse, & multis aliis locis, hæc eadem apud eum offendes, quæ nos ea de causa brevitatis omittimus. Mirū ergo videtur, quòd diuus Hieronymus, nihil audeat interpretari, inconsultis Hebræis, & eorum suppetias totiens expetierit, nobis verò non liceat eos saltem citare. Liranus etiam, nō contentus eos suis nominibus citare, placita & expositiones afferre, hāc regulam in sui operis vestibulo ponit.

In hoc inquit Opere, non solum Catholicorum doctorum dicta adducam, sed Hebræorum, præsertim Rabbi Salomonis, qui inter Hebræos rationabilius locutus est, quem in omnibus ferè capitibus citat, & sententiam eius in multis sequitur & approbat. Ad hæc. Nemo tam acerrimè in Rabbinos inuehit, quàm ego, quorum multa mēdacia detego canone. 15. quos etiā cæcos duces ibidem appello.

In prologo ad Lectorem sentio emendandam vulgatam æditionem. Non deberet mihi vitio dari, si id peto quod sacra Tridentina synodus fieri præcepit, quòd, scilicet vulgata æditio, de cætero, quàm emendatissimè imprimatur, ad quod munus, vtinam doctos viros deligeret, quibus tam pium opus demandaret. Locos verò aliquot in epistola ad Lectorem, Typographorum incuria depravatos notauimus, & plures annotare possem si vellem.

In priori canone id offendere potest, quod dicimus multos ex antiquis Patribus alioqui doctissimos, quod peritia linguarum essent destituti, scripturę genuinum sensum non fuisse consequutos, cùm illi abundantiorem nobis spiritum ad hæc habuerint. Dico me loqui de his sensibus, qui ex linguarum peritia pendent, non de reuelationibus. Si enim sententiæ cognitio, ex modo loquendi pēdet, quomodo eam cognoscere potest, qui illius sciētiæ peritia destitutus est? Non loquor de Hieronymo qui omnibus his præditus fuit, nō de Augustino, qui græcas literas optimè nouit, neq; de diuo Ambrosio quem non latebant, sed de aliis qui nihil ea rum nouerunt: præsertim cùm ex Hieronymo deducerimus eum in multis non sibi fidisse, sed doctiorem consuluisse Hebræum.

Quarto etiam canone: illud Ieremiæ. 31. Creabit Dominus in terra nouum: fœmina circuibit virum, quod multi sancti, de diua Virgine interpretantur, de synagoga intelligo, pium lectorē mouere potest. Sed nihil officiet, si mens nostra intelligatur. Dico enim ibidem, literæ genuinum sensum, ex contextu venandum: cùm verò verba quæ præcedunt, nullo pacto deberi virgini accommodari, cùm non sit filia vaga, aut rebellis, qualis ibi dicitur synagoga: non puto loquas literæ seriem, sed truncata verba, aut prophetiam diuidere, placet mihi valdè, de intemerata virgine locum interpretari, & idem dico de alio loco Iob. Ducunt in bonis dies suos, quem si cōtextum à principio videas, videbis de diuitibus, & de eorum successibus loqui.

Canone etiam. 6. illud Psalm. 68. Super dolorem vulnerum meorum addiderunt, quod ad literam de Christo loquitur, interpretor. Super dolorem vulnerationum meorum addiderunt, quod vtcunque ostendit, Psalmum, non de vno Christo, sed de aliis loqui. Ad quod dicimus, loca quæ de Christi benedicta loquuntur passione, non solum enarrare quæ ille semel in suā persona pertulit, sed quæ etiam sui aut simul cum eo, aut post eum passi sunt: vt eodem Psalmo in fine videre licebit, vbi sic habetur. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit. Videant pauperes & lætentur, quærite Deum & viuet anima vestra. Quos enim antea vulneratos dixerat, pauperes nunc vocat, quales fuerunt discipuli Christi, & alia membra eius. Quod verò in textu hebræo sic habeatur videat, qui etiam mediocriter hebraicam cognouit linguam. Et idem respondemus ad id quod canone. 11. de multis dictum putamus Psalmū. 109. quem sanctus Petrus in actis Apostolorum de vno Iuda pronunciatore interpretatur, ad quod etiam dicimus Psalmum de eo, & etiam de sui similibus loqui, quoniam iuxta hebraicam veritatem, statim in Psalmi initio dicitur: Deus laudis meæ, ne taceas, quia os impij & dolosi, super me aperuerunt se, & locuti sunt mecum lingua mendacij, vbi vides textum non solum de vno, sed de multis loqui.

Canone etiam. 13. illud Geneſis. 4. Maior est iniquitas mea interpretor. Maior est pœna iniquitatis, quod multi Sancti de peccato desperationis Chaim intelligunt, fateor, sed sic ante me Sanctes interpretatus est, neque propterea eius æditio reiecta est, & significatio dictionis aon, consentit, quæ & iniquitatem, & iniquitatis punitionem significat, & contextui magis quadat, & nos capite. 4. vtroque modo exponimus. Licet enim aliqui ex Patribus aliter exposuerint, non tamen sequentibus facultatem aliter exponendi abstulerunt: si fide salua expositio tolerari possit, ipsi enim Patres sæpius diuersè valdè ne dicam cōtrariè, eundem locum interpretantur, & variè salua fide sentiunt de multis sacræ scripturæ locis.

Dico etiam eodem canone: immunditiam puerperæ, leprosi, & seminiflui, vocari peccatum in sacris literis: fateor, quòd à textu & Paulo Burgensi. Leuiti. 12. accepi: quoniam, vt ibidem diximus: non video quod peccatum sit, cum propria vxore non libidinis, sed filiorum gratia congredi: lepram incurrere, aut seminihenderit: nos facilè sententiam reuocabimus & eius sequemur.

Ad calcem. 16. Canonis dicimus: varticinia quæ nos de Christo intelligimus, Hebræos de populo Israelitico multis modis adflicto, interpretari. Hoc facimus, vt si contingat cum eis disputare, noscas quibus armis ipsi vtantur, & tu aduersus eos vti debeas.

Cāpite prion Geneſis, super illud Creauit, miror cur Theologi, verbum creare, in eam significationem qua ex nihilo aliquid facere significat, vsurparint. Cùm sententiarum Magister, priori distinctione secundo dicat eum creatorem dici propriè, qui ex nihilo aliquid facit. Lege quæso cum paulo inferius, & inuenies eum dicere: in scriptura sæpius accipi creatorem pro factore, & creare pro facere. Secundo illi Augustinum opponam: qui libro contra legis & prophetarum aduersarium sic habet. Facere, est quod omnino non erat: creare verò, est ex eo quod iam erat: educendo aliquid constituere. Sanctus etiam Thomas licet parte. 1. quæst. 45. articulo primo dicat, creare esse ex nihilo aliquid facere, exponit hoc esse: cùm totum esse rei creatur: non autem cùm creatur esse huius vel illius rei, hoc etiam tam apertis auroritatibus monstrauimus: vt non sit opus hoc magis explicare.

Pono ibidem aliam interpretationem scilicet separauit pro creauit, vbi de creatiōe aliter sentire videor. Absit hoc à me, sed vim verbi bara explicuimus, quod etiam Hebræis separare significat: vt ibidem exemplis monstrauimus, & statim subiunximus nos non ita sentire, sed verbi virtutem, explicare.

Ibidem etiam teneo, cœlum ex aquis productum potius quàm creatum: cùm ferè omnes illud ex nihilo productum credant. Ad quod dico me de firmamento loqui, nō de cœlo empireo, quod vt sanctus Thomas parte. 1. quæst. 68. articulo primo dicit, multi ex elementis factum esse crediderunt, vt Empedocles: nos verò illud ex sola aqua factum fuisse dicimus, quod ex verbis beati Petri in sua canonica deduximus. Neque obstat illud esse incorruptibile secundum naturam: quoniam ex elementis potest rerum omnium artifex, facere aliquid incorruptibile, quemadmodum corpora beatorum, quæ licet ex elementis composita sint, erunt tamen post iudicium incorruptibilia munere Dei.

Dico ibidem ex nomine Elohim, non conuinci aduersus Iudęos mysterium trinitatis, quod inde veteres Sancti & multi ex modernis eruere voluerunt. Fateor me in eo loco Caietani nostri sententiā sequutum, qui ibidem dicit, falsō personas diuinas vocari iudices, quemadmodum falsō dicerentur dij: ne ergò cogeret te Iudęus ponere multos deos, arbitrati sumus, sacrū mysterium, non plenè ex eo loco firmari: si tamen illud inde habere velis, placet mihi valdè quod dicis.

Eodem etiam loco dicimus trinitatis mysterium nimis velatum Iudęis, & asseruatum, vt Messiæ tempore reuelaretur: ex quibus verbis quidam collegit nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

velle dicere, nemini ante Messiam reuelatum, quod non dicimus neque somniauimus, sed indefinitè loquuti sumus, &, intelligimus non passim sed paucis proditum, tempore verò Christi omnibus creditum & manifestatum, iuxta illud Christi. Pater manifestaui nomen tuum hominibus, non quo vocaris Deus, sed Pater meus, vt Augustinus interpretatur.

Illud etiam eiusdem capitis, quod dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas, quod omnes fere sancti de Spiritu sancto intelligunt, ego interpretor de vento elementari. Fateor, sed ante me multi sic interpretati sunt. Nam Onchellus de elementari exponit. Lyranus voluntatem Dei. Caietanus spiritum angelicum. Alij sapientiam Dei. Eugubius elementárem aerem, vbi vides, non omnes eandem in ea re sententiam tenuisse, nos verò vtranque expositionem tenemus & approbamus.

Ibidem etiam contra Augustinum tenemus, Deum cuncta non momento vno creasse, sed sex dierum successione, verum, sed sequuti diuum Chrysostomum, qui eandem sententiam tenet, & in rebus nondum ab ecclesia definitis, licet opinari quod volumus, modo ad id non sine ratione moueamur.

Pro crescite & multiplicamini, verti, fructificate & multiplicate vos. De ea re Lectorem ad verborum significationem, & rationem ibi adductum remitto, vt iudicet quid magis quadret loco.

Dico etiam illud crescite & multiplicamini, non esse præceptum, quod sanctus Thomas præceptum esse affirmat. Non iuramus in verba Magistri, & sequuti sumus Ioannē Coelcum, vt eo mucrone Lutheranos cōfigeremus, & subiūcta ratio, id apertè probare videtur

Super illud faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: dico Deum in formatione hominis humanam effigiem assumpsisse, & ratione corporis hominem dici ad vmbram Dei: ratione verò animæ ad eius imaginem, quod nullus hucusque dixit: & sequitur ex hoc, quod dimisso illo phantastico corpore: homo non diceretur amplius ad imaginem Dei. Fateor me illud dixisse, quoniā textus ibi habet, deum spiritum vitæ, in hominis nares sufflasse, & etiā quòd descenderit ad hortum ad auram post meridiem, ibidemq;. Adam conuenerit, & de transgressione conuicerit, quę omnia humanā effigiem eum tunc habuisse: præ se ferunt. Postmodum etiam eum legimus Abrahæ, Moysi, & aliis Patribus, in humana forma apparuisse. Tantum enim deus ab initio mundi, humanam formam quam assumpturus erat postea dilexit, vt eam antea sæpius licet statim depositurus acciperet, quousque eam assumeret in vnitatem personæ: quasi iam vellet experiri, quàm benè sibi habitus ille noster conueniret, vnde de eo homine in Psalmo legimus. Specie tua, & pulchritudine tua: intende prosperè, procede & regna. Quod verò obiicitur sequi, hominem non dici ad imaginem Dei: si Deus phātasticam illam formam deponeret, inficias eo hoc consequium, quoniam homo, non ratione corporis assumpti, sed spiritus: dicitur ad eius imaginem. Quòd si vrgeas saltem non tam perfectè dici ad eius similitudinem. Fateor licet adhuc posset dici ad eius similitudinem, quemadmodum si quis tabulam ad Regis similitudinem, dum in throno sedet depingeret, eo è sede leuato, & purpura deposita, adhuc illa diceretur Regis imago. Ad hæc, nos non solùm illam expositionem posuisse, sed aliā: vt ex Commentariis constat, quoniam secunda clausula, potest esse prioris expositiua: vt in hebraismo frequenter accidit.

Ibidem assero, imaginem Dei in homine, consistere in iustitia & sanctitate veritatis: vnde sequi videtur hominem peccatorē non posse dici ad imaginem Dei: quod falsum esse videtur, cùm esse ad imaginem Dei ad essentiam animæ pertinere videatur. Ad quod dicimus imaginem Dei essentialiter quidem, ad animæ essentiam pertinere, & hanc hominem nunquam amittere, etiam si in multa crimina labatur, accidentaliter verò pertinere ad iustitiam & sanctitatem quam nullum inconueniens est amittere per peccatum. Sententia verò non nostra est, sed diui Augustini. 3. super Genesin ad literam, vbi sic habet. Non corporis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ Dei similitudo in homine consistit, iuxta illud Apostoli. Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum. Eodē etiam libro capite vigesimo, dicit hominem ratione domini dici ad imaginem Dei.

Eodem loco non inuecho in Iudæos, negantes trinitatis mysterium: quod eo loco apertè describitur. Ibidem rationem qua id fecimus afferimus: quoniam, scilicet multi rem illam ex professo tractant, qui disputationibus vacant, & me rem tractaturum pollicetur peculiari libro, indignum reputās sacram scripturam, rixosis disputationibus implere.

Super illud. Dominamini piscibus maris, dubitra an animantia, primo homini tunc ad nutum obedirent: cùm sanctus Thomas & multi alij, hoc asserere videantur. Fateor, quoniam video Deum animantia adduxisse ad Adam, quo non esset opus, si illi ad beneplacitum obtemperarent: nō tamen prohibeo, vnumquemque suam sentētiam tenere, neq; puto Ecclesiam rem illam vnquam hucusque diffiniisse.

Capite Secundo adnotata.

Illud 7. capitis Iob. Militia est vita hominis super terram, expono. i. certum & limitatum est tempus militandi seu viuendi homini, cùm omnes ferè expositores de vita hominis exponant, quod sit quasi militia super terram. Sic illud Isaiæ completa est militia, pro malitia. Ad quod dico nulli, qui sacras literas (saltem à limine salutauit) dubium fuisse apud Hebræos Sabaoth significare exercitum vel militiam, vnde Dominus vocatur Deus sebaot, id est, exercituum, & quia homines ad certum tempus militabant, & seruiebant in templo nempè vsque ad annum. 50. vt patet. Nume. 4. exinde significat certum tempus militandi, seu militare ad tempus certum. Vnde loco Iob citato postquam dixerat. Nónne militia homini super terram? sequitur, & sicut dies mercenarij dies eius, id est, numerati sunt dies vitæ eius, quemadmodum dies mercenarij, quæ planus literæ sensus esse videtur. Nunquid non dies certi, quales sunt dies militiæ, sunt dies hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius? vt fecisti clausula sit prioris explicatio. Secundo etiam loco, militiam vertimus, quoniam sic in omnibus Bibliis hebraicis (quas videre datum est) habetur, & sic omnes moderni interpretantur, & Sanctes dicit sic habere in Bibliis emendatis, & loco optimè conuenit. Non tamen inficias eo, posse malitiam legi, eligat prudens Lector quod magis placuerit.

Super illud. Omne quod vocauit Adam, hoc est nomen eius: teneo Adam nō fuisse sapientissimum, cum S. Tho. p. 1. oppositum teneat cum multis aliis Theologis, quorum ratio est, quia nomen rebus indidit, iuxta naturām suam, quare oportuit eum omnium animantium naturas nosse. Iam diximus, nos in verba nō iurasse diui Thomæ. Secundo dicimus textum non dicere, nomina quæ animantibus Adam imposuit, esse nomina naturæ eorum: sed esse nomina eorum: quare non est necesse dicere eum omnium animalium nouisse naturas, sed quod nomen illis imposuerit quasi instrumentis, quibus illi vtendū erat, quemadmodum artifex omnibus instrumentis suæ artis, nomina imponit, neque puto ecclesiam huius sententiæ oppositum diffiniisse, liberum ergo erit cum diuo Thoma & aliis sentire, si nostra sententia displicuerit.

Item super illud. Tulit vnam è costis eius, dico plures, aut duas tulisse, cùm textus vnam dicat. Tulit ibidem hebraicā dictionem quæ ibi ponitur. f. selach, significare Hebræis nō solùm costam sed latus, & coniectura quā ad hoc habui, sumpta est ex eo quod Adā ostēsa sibi fœmina dixerit. Hac vice, os ex ossibus meis, vbi fœminam vocare videtur os ex ossibus suis, fateor tamen locum reddi posse. Hac vice hoc os, ex quo mulier producta est, vnum ex ossibus meis est. Fuit etiam nobis altera coniectura, quoniam plures ex vno latere quàm ex alio costæ, in homine relinquerentur, & videtur conuenientius, eum æqualem ex vtroque latere temansisse, quàm truncum.

In Caput tertium adnotata.

Expono illud. Cur præcepit vobis Deus. Ita est vobis, quoniam quidam Rabbinus sic interpretatur. Si vulgatam æditionem interpretarer, nihil mihi mutandum esset: sed quia hæbraicum interpretamur textum, opus est dictionum hebraicarum vim examinare & explicare. Dictio verò aph, vt ibidem diximus, licet multa significet, inuenitur frequenter iram significare, & literæ optime quadrat, neque damno alias interpretationes. Potest enim salua fide, scriptura in multis locis varias ferre expositiones, eligat verò prudens lector, quæ sibi germanior videtur.

Explicans illud. Sub viri potestate eris, dico fœminæ desiderium viro subditum: cum actus interior, homini non subiiciatur. Nollem nodosam illam intrare quæstionem, an motus interior præceptis subdatur humanis, & noui Caietanum nostrum dicere, eum subiici, vt exterioris ratio est, & eo modo fœminæ desiderium arbitror viro subiectum, vt si fœmina vellet hinc inde discurrere, virum posse eam domi retinere.

Verba illa. Fuit sicut vnus ex nobis, dico ad angelos dicta: nisi gratia honoris à Domino dicantur, quo loco alij trinitatis mysterium indicari putant. Ad quod dico me verba statim restrinxisse addens; nisi mysterium subsit.

In Caput quartum.

Quod dicitur in vulgata æditione. Maior est iniquitas mea, verto. Maior est pœna iniquitatis, verum quia sic sanctes vertit, & expositio bona est, neq; reiicio imò vtranq; explico, & iam de hac re superius diximus. Hoc solum ex lectore cuperem, vt rationes quibus nostra fultio expendat, & sic damnet aut probet, quoniam vidi aliquem, quæ reuera non intellexit taxasse, qui asseruit me in canone, illud. Non auferetur sceptrum, non de Messia exponere, cùm ad locum illustrandum, explicuerim Ezechielis verba. Legant prius & intelligant, vt Hieronymus dicit: postea si libuerit damnēt, ne vehti cæci de coloribus quos non viderūt vnquam, iudicare videantur aut potius cæcutire.

In Caput quintum.

Versum Psal. 86. Ecce alienigenæ Tyrus populus Æthiopum, de Ierusalem intelligo, cùm de Ecclesia veniat intelligendum. Dico nullum inconueniens esse, eandem literam varios habere sensus etiam literales, vt omnes dicunt.

In Caput sextum.

Videntes filij Dei, hominum filias, quòd essent pulchræ: muto, in videntes homines proceræ staturæ, filias hominum, quòd magno corpore essent. Fateor, & sic multi alij ante me: & significatio nominis hebraici consentit: & aliorum interpretationes non reiicimus.

Ibidem vbi noster vertit, non permanebit: ergo, non litigabit. Sic diuus Hieronymus ad locum varias adducit interpretationes: sequuti sumus eam quę nobis verior & germanior visa est.

Voco ibidem animam portionem spiritus Dei: fateor, sed portionem pro effectu seu participatione accipio.

In Caput septimum.

Teneo, in cœlo diluuij tempore foramina à Domino facta, ad aquas inde demittendas: cùm cœlum incorruptibile sit, & oppositum omnes ferè Theologi & Philosophi sentiunt. Dico scripturam hoc apertè dicere, etsi super cœlum sunt aquæ præsertim elementares, vt multi ex Sanctis putarunt, nullum incōueniens video, quoniā quæ natura incorruptibilia sunt, à Deo non solum corrumpi, sed ad nihilum redigi possunt.

In Caput octauum.

Theologos arguo, quòd vocem hebraicam holam, incensum verterint: cùm illa interpretatio sit multorum sanctorum, verum sed vocis propriam significationem sequor, quæ non accendere seu incendere, sed potius ascendere significat: vt omnes quī hebraica norunt, cognoscunt.

Odorem etiam suauitatis, in odorem mutò quietis: Fateor, sed naturam nominis & verbi hebraicorum sequor quæ hoc significant.

In Caput nonum.

Qui hominem occidit, dico destruere imaginem Dei. Verum in quātum pertinet ad corpus aut totum compositum: si totum illud sit ad imaginem Dei, quoniam Deus ad prohibendum homicidium, & deterrendum homines ab eo, pro ratione adducit hominem esse ad imaginem Dei, vt quasi illi iniurius sit, qui hominem vita priuat.

Ibidem ad mores dico, eos qui laborare contemnunt, aut in aliorum laboribus luxuriantur, taxatam sibi pœnitentiam reicere, vbi nobilium otium damnare videor. Dico nobiles suo modo debere laborare, quos excusare nescirem, si omnino otiantur, & aliorum labores comedunt, quos etiam Paulus taxat neque manducare sinit.

Hæc sunt pie Lector, quæ nobis in scholiis nostris super Genesin explicatione digna visa sunt: tu multo plura quæ nostros oculos effugere, deprehendere poteris, de quibus si nos Christiano pectore admoneas, rem nobis gratissimam valdè feceris, quæ omnia boni consule quæso. Et vale.

FINIS.

Commentaria IN EXODVM.

HIERONYMVS

OSORIVS F. HIERONYmo ab Oleastro.
S. P. D.

EX COMmentariis tuis, quos in libros diuinæ legis ædidisti, pauca quædam summa tamen cum voluptate degustaui. Ex illis enim intellexi, quantum certares prudentia tua cum diligentia. Nihil enim prætermittis, quod quidem ad diuinarum rerum explicationem facere videatur. Nam & verborum Hebræorum sententias ponderas, & minutissima quæque persequeris, & omnes Hebræorum latebras excutis, & abstrusa & abdita perscrutaris, vt ex illis etiam aliquid arripias, quod ad vsum sacrosancti illius tabernaculi transferas, quod vt est apud Isaiam, neque moueri à loco in locũ, neq; conuelli, neq; rumpi, neq; vetustate vlla consumi potest. Nosti enim qua ratione sint Ægyptij, hoc est homines in Deum rebelles & contumaces spoliãdi, vt illis opibus quibus ad impietatem, & suorum pestem & exitiũ abuntur, Dei templum ornare, multorumq; hominum vtilitati consulere valeamus. Non igitur is es, qui Iudæorum more, & consuetudine in vmbris tantum & imaginibus rerum cœlestium spectandis insistas: sed diuinorum hominum sensa rimaris, & mysteria legis ipsius integumentis inuoluta sapienter explicas, eorumq; nobis intelligentiam tradis. Illam itaq; rationem quam sequeris, in sanctis literis explanandis, valdè probo. Nam neque scripta tua allegoriis infinitis nullũ exitum habentibus infercis, quod à multis fieri solet, qui quoties in locum aliquem difficilem incidunt, allegoriarum sibi perfugia comparant: neque rursus quod quidam nimis imperitè, ne dicam Iudaice faciunt, scriptum tantum legis, studiosè consectaris, diuinum verò sensum qui sub legis inuolucro latet, abdicas & reiicis. Imo cùm scias legem ipsam rerum diuinarum imagines continere, totamq; illius sententiam & mentem ad ipsam vim diuinam, & sanctissimum Christi numen esse referendam, tota mente, atque omni studio in diuino legis sensu perquisitando & eruendo versaris, ita tamen, vt minimè ab ipsorum verborum significatione discedas. Rectè nanque statuis ineptum esse, cum litera legis, spiritum legis ipsius adumbret, viamq; monstret, qua veritatis ipsius inuolutæ intelligentiam assequamur, hac via neglecta, aliam inire. Quid enim minus conuenit, quàm cùm lex ideò literis ad memoriam sempiternam consignata fuerit, vt indicaret nobis viam, qua possemus ad diuinum sensum peruenire: literarum sanctarum ductu neglecto, alias sibi vias quemque aperire, præcipitemque eò ferri, quò se commodè expedire non possit? Quod necesse est eueniat plerunque omnibus, qui verborum vim, quibus ipsa sententia continetur, negligendam existimant. Dum enim de via deflectunt, quam literæ sanctæ monstrant, alias viis ingressi, ea quæ latent in ipsis sacris literis temerè scrutantur, in sententias ineptas incidunt, multaq; frigidè & insulsè comminiscuntur. Te igitur satis laudare non possum, cùm sic regiam viam ingrediaris, vt ab alterutram partem tibi minimè declinandum existimes. In quo verò cuncta ad morum disciplinam, ad religionis sanctitatem, ad pietatis & charitatis studium conferenda censes, ipsius legis quam explicas, finem prudenter attingis. Finis siquidem legis est, charitas, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod si beati sunt, qui scrutantur præcepta Domini, & in studio legis diuinæ noctes & dies consumunt, & si qui multos eruditos ad iustitiam, quasi Sol æterno splendore collucebunt, vtrumque tibi de diuina gratia & bonitate polliceri potes, quando non solum tota mente in legis ipsius studio versaris, verum etiam quàm plurimos his tuis Commentariis ad iustitiam instruis, omnibus sanctarum literarum studiosis fructum tuæ eruditionis impertis. Plura tecum de tuis scriptis communicabo, cùm primum per otium mihi omnia legere, & pertractare licuerit. Te tamen interim adhortari non desistam, vt alias sacrarum literarum partes explanandas suscipias, vt laboris, & industriæ tuæ præmium actum, & amplificatum à Deo consequare. Vale.

(*)

M. HIE-

M. HIERONYMVS A BRITO LVSITAnus vir Theologus, pio Lectori S.

NON TANTVM mihi assumo (Lector optime) vt existimem posse me facilè de ingeniis, & eruditione, doctorum hominum iudicare. Verùm enimuerò vel huius Operis dignitas, vel meum erga illius Autorem studium facit, vt aliquid de illius vtilitate, ac præstantia dicam, præsertim cùm multi admonendi sint, ne ita antiquitatem admirentur, vt si quid commodè à recentioribus explicatum sit, id ne legendum quidem putent. Vt enim plerique exstiterunt, quibus quo aliqua recentiora, eò iucundiora videntur, quique nouitatis studio omnia probarunt, sic alij sunt, qui antiquarum rerum studiis ita delectantur, vt quæ viri huius tempestatis eruditi literis mandarunt, vituperent ac detestentur, atque adeo vt iam optimè cuique virorum studiosorum exercitationi velint inuidiosè detrahere. Quod esse in causa non dubito, vt viri bonis artibus exculti, & sacrarum literarum studiosi, quæ pro disciplinis illustrandis, in lucem ædere voluissent, eorum perterriti iudicio, iam efficere recusarent. Vtrique iure reprehendendi: illorum profectò arrogantia, nam quę ipsi fortasse ignorant, ob idque ad multitudinis opinionem temerariè reprehendunt, latere maluissent. Istorum extrema demissio, a magnitudine animi non porrò aliena, qui quæ doctis & piis probari intelligunt, eorum iudicia ita formidarunt, vt ea in vulgus ædere dubitarent. Itaque hominum deprauata vituperandi libido, quæ in aliorum opera effrenatè seuit, multorum ingenia, ac præsertim Lusitanorum, à maximarum rerum studiis retardauit: vt licet bonis artibus, & ingenio pollerent: raro tamen in lucem aussi sint prodire. Quo maiore laude dignus est Hieronymus ab Oleastro, vir singulari doctrina ac virtute præditus, instituti Prædicatorum decus, quando nec timore hoc est impeditus, quò minus cogitationes suas literis mandaret, atque pro viribus ecclesiæ vtilitati consuleret. Hunc igitur aliorum arrogantia non modo non deterruit, vt à piis sacrisque studiis animum auocaret: verùm etiam quæ maximis vigiliis, ac laboribus literis mandauit, sine vlla detractorum formidine. A Christianæ pietati incremento amicis vtilitate, cæterisque emolumento esse possent, typis curauit committenda. Neque enim puerilia, vel quæ sensũi populari essent accommodata (vt sæpè vsu venit) nobis ædidit: Verum Platonem imitatus, qui viros graues à Comœdiis, hoc est, à rebus friuolis & quæ parum habeant momenti, docuit abstinendum: quæ Bibliis sacris interpretandis, ingenio non mediocri, multis diebus elaborauit, summa cum moderatione ac modestia omnibus offerret. Atque docta illa, plaque Commentaria in libros Moseh quos Pentateuchum vocant, quæ singulari doctrina industriaque compositerat, ad communem vtilitatem, & in gratiam literarum nunc demum in publicum emisit. Quo in re quantum eruditionis ac doctrinæ ostenderit, aliorum sit iudicio: mihi verò in hoc Opere id præclarum videtur, quod non modo scripturæ sensus explanat: verùm illam ad mores & instituta vitæ sapientissimè transfert, atque mirificè cum literæ explicatione, spiritum coniungit. Multi enim ita scripto addicti sunt, vt diuinum ipsius scripti sensum repudient: & dum plus nimio literæ adhærent, spiritum negligunt. In quo non modò ab Chrysostomo (cuius Autor videtur vestigia fuisse secutus) Hilario, Cyrillo, Hieronymo, Augustino, Bernardo, & aliis viris sanctissimis longè dissident: verùm etiam à Paulo totius Theologiæ splendore, dissentiunt. Is enim ad Galatas quartum & doctrinam deprimens nonnulla per allegoriam dicta, retulit: multisque aliis locis, ad Corinthios, ad Hebræos, & alibi (quæ quia breuitati studij silentio prætereo) in quibus spiritum ex scripturis accipiens, significat ex sacris literis, quæ ad nostram doctrinam, non solùm ad historiam referendam scriptæ sunt, eruditionem & spiritualem intelligentiam etiam esse petendam. Hoc enim interpretandi genere, mens illustrator, totus animus rerum diuinarum studio concalescit, atque ad cœlum magnis conatibus aspirat, qui igitur hanc diuinam explicandi rationem, ex diuinis literis repellendam putant, magno pietatis fructu studiosis priuant. Hinc iam poterit intelligi, quantum huius Autori debeatur, qui omne suum tempus in fide amplificanda, nostrisque animis moderandis transigendum putauit. Et eum animum quo erga Deum Optimum Maximum flagrabat singulari charitate in proximos, sacris concionibus declamatorum more, quibus maximè floruit, semper ostenderit. A quibus cùm propter tot ardua negotia pro fidei amplitudine ab eo susceptа: dum fidei ac religionis tractandarum rerum muneri à Cardinali amplissi. Henrico, Portugaliæ Infanti præficeretur: esset præpeditus perpetuis istis monumentis, scripturæ claritatem, & morum institutionem posteris summa cum laude reliquerit: ex quo maximam gloriam & famæ splendorem est consecuturus. Præcor te igitur Lector humanissime vt hoc tibi collatum beneficium Christiano affectu traditum, ea animi alacritate & candore suscipias, quo scis esse oblatum aliorum fruere laboribus, quos tibi non minimam credo vtilitatem allaturos.

Bene vale. Olysip. 5. Kalend. Februarij.
1556.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reuerendi Patris F. HIERONYMI AB OLEASTRO, ANNOTATIONES in Exodum.

CAPITIS PRIMI, AD literam.

ADMONVI in precedenti Libro, qualiter Hebræi libros legis à prioribus initij dictionibus inscribant. Vocant enim hunc Librum. Veeleh, semot, id est, Hæc sunt nomina: quòd eo modo in Hebræo incipiat. Græci verò eum Exodos vocant, quòd Latinè exitus interpretatur, quod in eo exitus filiorum Israel ex Ægypto describatur. Numerantur autem hic. 70. ingressi: quoniam nititur Dominus ostendere, qualiter Abrahæ promissionem de multiplicando semine, sicut arenam maris, adimpleuerit. Voluit enim sciri, quàm pauci intrauerint, & quàm multi egressi sint inde. Enumerat enim sexcenta milia. cap. 12. sequenti, quæ ex 70. creuerunt.

Fuerunt omnes animæ egressæ de femore Iaacob. 70. Cùm hic audis animas de femore Iaacob egressas, non intelligas rationalem animam ex traduce esse, sed vocantur animæ, personæ ipsæ iuxta illud Regis Sedon. Gene. 14. Da mihi animas, cætera tolle tibi. Significat autem, nephes, propriè halitum, & exinde animam: quod nihil aliud esse videatur quàm halitus, aut flatus Dei. Dicitur autem eas de femore Iaacob egressas, ac si diceret, de trunco. Nam, ietech, significat hastile, & femur, quod modum hastilis habeat. Nam sicut ex hastili, aut trunco, rami egrediuntur: sic ex femore filij. Aut dicuntur ex femore orti, quod genitalia membra vnde filij excriuntur, femori sint propinqua.

Et omnis generatio illa. Non intelligas omne genus Hebræorum moriuū, sed vocat generationem hominēs illius ætatis, quæ tunc temporis erāt centum anni. Constat autem Ecclesiastes primo, vnam generationem vocari homines eiusdem temporis seu ætatis. Ibi enim dicitur generatio vadit, & generatio venit: terra autem in æternum stat, id est, homines vnius ęta tis veniunt, & alij alterius per mortem decedunt: terra verò, in quam veniunt, & à qua decedunt · in æternum stat, id est, immobilis manet: nec vadit, & venit, quemadmodum homines. Idem Gen. 6. vbi de Noach dicitur. Noach vir iustus, perfectus fuit in generationibus suis, id est, inter homines illius ætatis seu generationis.

Et filij Israel fructificauerunt, & creuerunt, & multiplicati sunt, & roborati, valdè valdè, seu vehementissimè. Ponuntur hic quatuor verba in Hebræo inter quæ discrimina ponere difficilè est. Et licet nostri, & Hebręi prius, scilicet parah crescere vertant, iam tamen Gene. primo ostendimus, propriè significare fructificare: & de hac significatione nihil hæsito. Sequentis verò, scili cet saras, non ita nota est significatio: vt Gene 1. & 7. ostendimus. Videtur tamen significare, ad modum reptilium crescere. Aut primo reptare, ex consequenti verò ad morem reptilium crescere. Nam Leuit. 11. habes Hoc vobis in mundum: baerets hasorets. i. in reptili quod reptat super terram. De. 3. verò. f. Rabáh, non est dubium significare multiplicari, licet Hester. 1. & Isa. nono, videatur eleuatum, & magnum esse significare. In confesso autem est quartum, scilicet azam, significare fortificare, & roborare, maximè in multitudine, vt patet Daniel. 8. Ve azam. i. roborabitur fortitudo eius, scilicet in multitudine exercitus. Significat ex consequenti multiplicare, quod multitudo fortis esse solcat, vt habes Ieremiæ. 15. Azemu. lib. 1. multiplicatæ sunt mihi viduæ eius præ arena márium. Vnde Ezem, id est, os, sic à robore dictum. Est ergo sensus horum verborum, quòd filij Israel fructificauerunt, & ad modum reptilium creuerunt, seu producti sunt, & multiplicati sunt, & ex multitudine roborati. Dicit autem Rabbi Salomon. Sex vno ventre genitos tunc. Scribūt autem Medici, vsque ad. 7. posse vno ventre gigni. Quod autem dicit Aben Ezrah, singulas mulieres binos genuisse, mendaciū apparet: ex eo quod mater Moseh vnicum tantum genuit. Non enim legimus Moseh aliam quàm Miriam sororem habuisse, aut alterum quàm Aharon fratrem, vt patet cap. 6. prioris Paralip. Non fuisse autem Miriam gemellam cum Moseh, sed maiorem natu: cap. 2. sequenti probatur.

Surrexit Rex nouus super Ægyptum, qui non cognouit Ioseph. Solent enim præclara gesta præcedentium, latere sequentes, præsertim Reges. Nam Rex Assuerus obliuioni tradiderat præclarum facinus Mardochæi, qui eum à morte liberauerat: vt dicitur Hester sexto. Putat Iosephus hunc Regem ex alia progenie fuisse, quàm essent Ægypti præcedentes Reges. Caietanus verò Rabbinos sequutus, putat fuisse Assiriū, propter id quòd Isa. 52. dicitur in Ægyptum descendit populus meus in principio, vt peregrinus esset ibi: & Assur, pro nihilo oppressit eum. Sed meo iudicio deceptus est. Nam apud Isaiam conqueritur Dominus de oppressoribus populi sui duplici captiuitate, quarum prior fuerat apud Ægyptios. Secunda verò in terra Assiriorum, quæ temporibus Ezechiæ accidit, sub quo vltimo Isaias prophetauit: vt habetur Isaiæ. 1. & 4. Regum. 18. Tunc enim Salmanasar Rex Assiriorum Samariam cepit, & decem tribus in Assirios transtulit. Vnde Dominus terram suam Israel, quasi omnino vacuam videns, inquit apud Isaiam, Et nunc quid mihi hic, scilicet residuum est dicit Dominus, quoniā ablatus est populus meus gratis. Est ergo huius sententiæ sensus, quod surrexerit Rex nouus. i. non linea recta natus super Ægyptum: qui non cognouit, id est, noluit cognoscere aut obliuioni tradidit præclara gesta Ioseph.

Da: sapienter, aut callidè *agamus illi.* Id est, sapientes simus cum illo, seu sapientia cum eo vtamur, vt scilicet cum inscium minuamus. Diximus de significatione verbi (habah) id est, da quod hic ponitur Gene. 11. vbi multis autoritatibus probauimus significare dare, & est phrasis linguæ. Da faciamus hoc id est, da auxilium, quo loquēdi modo nos Portugalli vsque hodie vtimur dicentes, Da cáa façamos isto, etiā si nihil ab alio administrandum sit. Aliqui vertunt, Da, sapientiores illo simus, sed prior lectio mihi magis probatur.

Et erit cùm occurrerit bellum. Posset etiam legi. Cùm proclamatum fuerit bellum: quoniam (chara) vtrunque significat.

Posuerunt super eos Principes tributorum. A masas, quod est liquescere, dissolui est mas, quod est tributum, sic dictum, quod soluatur dominis aut manus ad illud reddendum: manus enim argentum, aut nummisma habens clauditur: cùm autem datur quod manu clausum est, soluitur manus. Aut quia metallum ex quo nummismata fiunt dissoluatur, & liquefiat. Neque intelligas illis constitutos principes tributorū, vt scilicet tributa soluerent nummismatum, sed laterum. Vnde sequitur. *Vt affligerent eum oneribus.* Posset etiam verti. Et posuerunt super eos principes dissolutionum, id est, qui eos cogerent terram liquefacere ad conficiendos lateres: ac si dicat. Constituerunt super eos Principes laterum. Sed prior sensus magis arridet. Et pro affligere, tu verte: vt humiliarent eos.

Et ædificauit, scilicet populus, aut ponitur pro plurali ædificauerunt.

Vrbes thesaurorum, (Piton & Rahamsses.) Nomen hebraicū (mischenot). i. thesaurorum, quod hic ponitur, est à (sachan) quod significat claudere, includere, & etiā occultare. Vnde (sochen. i. incluſor seu thesaurarius, & custos. Isa. 22. Ingredere ad asochen, id est, ad custodem, seu thesaurarium hunc. Sic primo Regum. 1. de Sunnamite dicitur. Et sit ei, scilicet, Dauidi sochener, id est, includens, seu custodiens, cuius sensus est. Custodiat quæ in domo Regis sunt includēdo, & seruando. Quære illud Iob. 15. malè à nostris, & Hebræis redditur: Num Sapientis est disputare in verbo non iiscon, id est, quod non proderit, cùm potius vertendum sit, quod non occultabitur. i. in verbo non occulto, seu clauso, quasi dicat nō est sapientis disputare in re, in qua nulla est difficultas. Sic Psal. 139. vbi nostri vertunt. Et omnes vias meas proficere fecisti. Tu verte. Inclusisti, seu clausisti: vt amplius non valeam incedere. Est ergo sensus huius loci, quòd Iudæi ædificarunt Ægyptiis vrbes ad includendum, siue thesaurum, siue arma, siue quiduis aliud. Posset etiam salua propria significatione esse sensus. Et ædificarunt vrbes inclusionum. i. muris inclusas, seu muratas.

Quemadmodum humiliauerunt eum. Sic melius vertas, quàm quemadmodum affligebant eum.

Sic multiplicabatur, & dilatabatur, seu extendebatur. Ponitur hic verbum, parats, quod est augere, licet non plenè constet propria significatio, ex locis tamen quibus ponitur, videtur significare diuidere, & multiplicare, quod, id quod diuiditur multiplicetur. Diximus de verbi significatione. Gene. 38.

Et angustiis afflicti sunt, scilicet Ægyptij à facie filiorum Israel. Ignota est propria significatio verbi, chuts, cui Hebræi duas tribuunt, scilicet, angustiis affici, seu affligi, & euigilare, seu expergisci, sed confundunt hic duas radices, scilicet, iachats, quod est euigilare, seu expergisci, & chus, quod est (meo iudicio) finiri seu vsque ad finem venire. Arbitror autem, chus, significare, finire: quia, chisonah, quod est ex hac radice, extremitatem, seu finē significat, vt patet infra. 26. Et sic facies in ora cortinæ, hachisonah. i. extremæ seu vltimæ. Est etiam coniectura, quod significet pungere, quia, chots, id est, spina ex hac radice, nihil tamē certi huius rei diffinire audeo. Videtur tamen mihi verbum significare ex puncturis, aut tristitiis, quasi ad finem vsq; peruenire, siue quis ab spinis, siue æstu, siue molestiis aliis pungatur: quod exemplis ostendam. Isa. 7. habes, Derelinquetur terra, quæ te pungit à facie duorum Regum. Vbi nostri vertunt. Quam tu detestaris, vel ob quam angustiis afficeris. Capite verò. 18. significat æstuare, quod illo in tempore homines ab æstu pungantur, & quasi deficiant. Vbi dicitur. Ve chats. id est, æstuabit ibi volucris & omne animal terræ super eum hyemabit. Potest ergo locus iste sic reddi. Et spinis puncti sunt, scilicet, Ægyptii, à facie filiorum Israel, id est, tāto eos odio prosequebantur, vt cùm eos viderent quasi aculeis pungebātur, aut æstuarunt à facie filiorum Israel. Colligo ergo, verbum hoc duo significare, scilicet æstuare, vel æstuari: quasi vsque ad vitæ discrimen, & spinis pungi nostro sermone vernaculo, agastar muito. Rem tamen non plenè diffinio, quoniam coniecturis moueor. Posset etiam sententia referri ad filios Israel, vt sit sensus. Et æstuarunt, aut puncti sunt, à facie, scilicet Ægyptiorum filij Israel: sed quia à facie ponitur in regimine, prima lectio germana est.

Et seruire faciebant Ægyptij filios Israel eum duritia. Dictio, pereh, quam hic (Chaldæum secuti) duritiam vertimus, non est plenè nota, & in scriptura significat duritiam, vt hic. & parochet, quod est ex eadem radice, infra. 26. est velum. Idem. 32. sed meo iudicio, significatio propria ignota est, vt diximus, & iusta vtranq; significationem, possemus vertere: quòd faciebāt eos Ægyptij seruire cum supercilio: vt velo respondeat supercilium. Videtur enim supercilium velum quoddam ori pendens.

Et amaritudine affecerunt vitam eorum, id est, fecerunt quod vita, quæ omnibus dulcis esse solet: esset illis amara.

In seruitute, aut eum seruitute dura, in luto & lateribus Dictio, chomer, quam lutum interpretati sumus, non significat quodcunq; lutum, sed rubrum: ex quo conmunitet lateres fiunt. Nam radix, chomer, scilicet, chamar, rubescere significat. Disputauimus Gene. 11. de significatione vocabuli. Et explicat textus more suo, qualiter Ægyptij filios Israel amaritudine affecerunt, scilicet seruitute dura, & in quo fuerit huiusmodi duritia, etiam declarat, quæ erat luti, id est, disponere lutū: & facere lateres.

In omni seruitute rurali. Non inquit, ministrabant eis in operibus mundis, aut parū laboris, sed in vilibus ministeriis, qualia sunt lateritia, & ruralia. Neque hoc contenti erant, sed omnis seruitus, qua eis vtebantur erat cum supercilio, ac si dicat. Nunquam eorum ministerio contenti erant.

Et dixit Rex Ægypti: obstetricibus Hebræorum. Aliqui vertunt ad obstetrices Hebræas, sed non est verisimile quòd fideret in re hac obstetricibus Hebræis. Tum quia infra dicunt obstetrices regi, hebræas párere, antequam veniat ad eas obstetrix.

Et videritis super sellas. Varij sunt Hebræi, in significatione, obnaiim, id est, sellas. Radix (si tamen ea est) scilicet, eben, lapidem indubiè significat. Sed, obnaiim quidam putant significare rotas, super quas figuli faciunt opus suum: & quia formam habent duarum molarum in aliquibus locis, ideò nomen venit more duarum, quod firmare videtur illud Ieremiæ. 18. Ecce faciebat opus super, haobnaiim, id est, rotas. Alij verò sellam, super quam sedet figulus, interpretantur. Mihi verò (saluo doctioris iudicio) videtur, euen, non esse per se radicem, sed radicem nominis esse, banah, quod est ædificare: vnde. eben, id est, lapis, quod ex lapidibus ædificium fiat, Obnaiim, verò significare ædificia, seu illud in quo figulus ædificat vasa sua, quæ ad modum ædificij surgunt, & illud Ieremiæ citatum verten dum est. Et ecce faciebat opus super ædificium suum, aut super ædificia, propter binas rotas: hic verò puto significare duos cardines ventris, qui sunt ad modum ostij in ædificio, & vocantur, obnaiim, à, ben, quod est filius, quòd per illa ostia, seu cardines filij egrediantur. Et si obiitias, quomodo possent obstetrices intra cardines videre an esset masculus, an fœmina. Hoc facilè cognosci potest, quoniam facies in masculo est inferne, in fœmina verò: superne. Et Rabbi Ioseph est huius sententiæ, quod, scilicet aleph in obnaiim: non sit litera radicalis, sed seruilis: & quod nominis radix sit banah, id est, ædificare vt diximus, neque mirum, quod fœminea genitalia per quæ filij egrediuntur, dicantur ædificia, postquàm filius sic vocatur. Est ergo sic locus reddendus. Cùm obstetricabitis hebręas, & videritis sper cardines, scilicet ventris, si filius ipse, interficite: si fœmina, seu filia viuet.

Quoniam viuaces ipsæ. Sic in Hebræo est, & non vt Sanctes vertit, quoniam obstetrices ipsæ nisi vocentur obstetrices viuificatrices, quòd pueros, & puellas viuere facerent. Vocantur autem Hebrææ viuaces, quoniam agiles sunt ad pariendum, quemadmodum aliæ quæ ex nostris, quas mirum est videre quàm facilè pariant. *Et fortificatus est valdè*, scilicet in numero, & multitudine.

Et fuit, quia timuerunt obstetrices Dominum: cuius, scilicet, timore non occiderunt mares, iuxta Regis imperium. *Fecit eis domos.* Difficilis intellectu est locus iste, & variè, tam à nostris, quàm ab Hebræis explicatur. Quidam ad populum Israeliticum hoc referūt: quasi ipsi filij Israel, suis obstetricibus domos munitas extruxerint, in quibus ab incursibus Ægyptiorum tutę esse possent. Sed non video qualiter, à potentissimo Rege, fese tueri possent duæ mulierculæ: quantumcunq; fortes haberent domos: ideò omissis aliorum opinionibus, aduertendum, hebraismum vocare dare posteritatem, domum ædificare: vt in hebraismis, & Gene. 30. diximus: ita quod idem dictu est fecit, aut ædificauit illis domos, & dedit posteritatem, seu progeniem, seu filiorum multitudinem: eò quòd hebraismus à, banah, quod est ædificare, deducit, ben, quod est filius: quasi ædificium patris. Ex quo sequitur quod dare filios, est ędificare. Lege cap. 16. Gen. & inuenies Sarah,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Abrahæ dixisse. Ingredere ad ancillam meam, si fortè ædificer ex ea. Simile offendes dixisse Rachel Iaacob Gene. 30. Secundo etiam Samuelis septimo dicit Nathan propheta Dauidi. Annuntiat tibi Dominus, quòd domum ædificabit tibi. Et eodem capite dicit Dauid. Tu Domine reuelasti aurem serui tui, dicendo domum ædificabo tibi. Et quod de progenie loquatur, textus ipse subindicat. Postquam enim dixerat Nathan Dauidi, Deum illi domum constructurum, statim addidit. Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, statuam semen tuum post te. Vnum tamen est quod hanc expositionem excludere videtur, quoniam pronomen lahem, id est, illis, est masculini generis in Hebræo, & non videtur posse ad obstetrices referri, quamobrem quidã ad Hebræos ipsos non indoctè referunt, vt sit sensus. Quia timuerunt obstetrices Dominum, non occidendo mares, ædificauit Dominus Hebræis domos, id est, numerosam sobolem dedit; quo domus ædificatur, vt diximus Vnde præcessit, quod populus creuerit. Sed ad hoc potest dici, quod apud Hebræos sæpissimè vsuuenit, vt pronomina masculina pro fœmininis ponantur & cõtra: Nam Ruth primo dicitur de duabus sororibus. Vehemah, id est, & illæ, scilicet sorores venerunt: vbi pronomen, vehemah, est masculini generis, & ponitur loco fœminini, secundo verò Regum quinto fœmininum pro masculino ponitur: vbi dicitur. Vehennah, id est, & illi venerunt, vbi pronomen Vehennah est fœmininum, & masculos refert: Quod Alphonsus Zamorensis in sua Grammatica, capite sexto de pronominibus, annotauit. Aliqui exponunt. Fecit eis domos, *id est*, rem familiarem dedit, & auxit, iuxta illud Gene. 30. Vbi Iaacob dicit. Et nunc quando faciam ego domum meam, id est, quando rebus meis prospiciam? Consulto omittimus hic Hebræorum mendacia dicẽtium, alteram harum fuisse Iocabet, & alteram Mariam, Deumque alteri domum regiam, alteri verò sacerdotalem ædificasse, quoniam arbitramur has non fuisse Hebræas, sed Ægyptias.

Omnem filium natum, id est, post natiuitatem suã, seu mox natum, *in riuum proiicietis, ante in flumen: & omnem filiam viuificate.*

Disputat hic noster Caietanus, an hoc præceptum fuerit commune ad omnes infantes, tam Hebræorum, quàm Ægyptiorum, vel potius ad solos Hebræos pertinuerit: Dicit autem secundum formam fuisse commune, nec fuisse ita crudele, vt vulgata ædito sonat, quòd videlicet Hebræorum infantes essent in flumen proiiciendi, quoniam Hebraicus textus non dicit in flumen, sed in riuum proiicite: vbi non submergebantur. Et licet præceptum commune fuerit, credit tamen ministros à Rege instructos, in solos Hebræos sæuisse. Sed salua tanti patris reuerentia, oppositum vtriusque videtur esse verum, scilicet quod præceptum ad solos infantes Hebræorum pertineret, & de submergendis eis datum sit. Suauis enim literæ cursus præ se fert, quod postquam Rex vidit industriam suam de obstetricibus non profuisse, vt callidè masculos in egressu vuluæ occiderent, conuerterit se ad apertã sæuitiam, vt scilicet quisq; de populo suo occideret, infantes masculos submergendo, seu proiiciendo eos in flumen. Nam textus habet. Omnem filium natum in riuum proiicite, & omnem filiam viuificate. Si enim filia erat viuificanda, ergo masculus occidendus: tum quia hoc intendebat Rex, scilicet minuere populum masculum: quod non nisi per mortem fieri poterat: ne inimicis adderetur populus. In coniectura nominis Ieorah, etiam deceptus est, quoniam non solum riuum, sed flumen significat: vt patet infra cap. 7. vbi dicitur, omnes aquas quæ erant baior, id est, in flumine in sanguinem fuisse versas. Si enim soli riui versi essent in sanguinẽ, non fuissent afflicti Ægyptij, cùm flumina ad bibendum haberent. Item Hamos. 8. chiior, id est, sicut fluuius Ægypti. Et Ezechiæ. 29. Mihi ieori, id est, meus est fluuius. 3. quia Pharaonis filia cum arculam vidit in flumine, agnouit pucrum esse de infantibus Hebræorum, quod non esset, si præceptum esset omnibus commune. Neque erat licitum ponere in arca puerum, & submersione tutum, sed hoc fecit mater Moseh furtim vt filium posset casu viuificare: Non enim edictum erat de exponendis in riuo pueris, sed de proiiciendis, vt in textu dicitur. Et si Ægyptiorum intentio erat populum Hebræorum minuere, ad quid quæso volebant eos exponi, vt ad militiam nutrirentur, vt Caietanus dicit. Quod verò vltimo affert inexcusabiles Iudæos si obedirent huic præcepto, & innocentes pueros occiderent. Non constat hoc præceptum Iudæis datum, quoniam textus dicit, Regem populo suo præcepisse, & per populum suum videtur Gentiles Ægyptios intelligere, quoniam non crederet Iudæos ita crudeles futuros in filios suos, vt hoc exequerentur. Quemadmodũ enim prius per obstetrices Ægyptias, non per Hebræas voluit pueros occidere: ita nunc per suos, non per Hebræos. Et sic indubiè tenendum est præceptum de solis Hebræis submergendis, nõ in communi datum, quoniam Ægyptij nullo pacto illi obtemperarent, si eis præciperet filios exponere periculo submersionis. Sed mirũ valdè est inter Hebræas non fuisse obstetrices de populo Dei. Sed huic admirationi dicitur Hebræas, cùm seruituti essent addictæ, non didicisse huiusmodi munus, & fortè à Rege cautum erat, vt solæ illæ Ægyptiæ, hanc rem curarent: vt quod volebat expleret, occidere, scilicet omnes masculos, arte sua.

CAPITIS PRIORIS EXODI, ad mores annotata.

Hæc sunt nomina filiorum Israel.

Quàm memor promissionum suarum Dominus sit, aduertere hic licebit. Quia enim promiserat Abrahæ, semen suum ad instar stellarum, & pulueris multiplicaturum, voluit eos nunc enumerari, vt postea constaret quàm breui annorum spacio, in tot centenaria, aut milia creuerint, vt iam diximus. Quod etiam Iaacob, dum in Ægyptum descendebat pollicitus est dicẽs. Ne timeas in Ægyptum descendere: quia in gentem magnam ponam te ibi. Cuius promissi non immemor Deut. 10. Iudæis dicit. Quoniam in 70. animabus descenderunt patres tui in Ægyptum, & nunc te posuit Dominus sicut stellas cœli in multitudine. Qua in re admonemur implere vota nostra, & quæ Deo promittimus, quemadmodum Deus facit vobis. Similiter opera bona multiplicare, quemadmodum Deus multiplicat nos.

Mortuus est Ioseph, & filij Israel creuerunt.

Non consueuit Deus opem suam suis auferre, & si vnum adiutorium deest, aliud affert. Cùm enim Ioseph, qui suis auxilio, & robori erat, ab hac luce sublatus esset, ita multiplicauit & roborauit eos Deus, vt nemo eos posset omnino delere.

Surrexit Rex nouus in Ægypto, qui ignorabat Ioseph.

Parum erat gesta præclara ignorare, nisi & personam notissimam ignorasset. Hoc est munus quod ex laboribus & sudoribus suis acquirunt, qui communitatibus inseruiunt, vt facilè tam ipsi, quàm præclara eorum gesta perpetuæ obliuioni tradantur. Quamobrem debent Principes obniti, quæ eorum tempore benè gesta sunt, remunerare, ne postea contingat ea ignorari. Et si Assuerus, quæ in eum gesserat Mardochæus tam facilè obliuioni tradidit, qualiter quæ pro communi bono gesta sunt, in memoria erunt?

Ecce populus Israel multus, & fortior nobis est.

Hæc est inuidorum pœna, vt aliàs annotauimus, alios plures, & fortiores se semper existimare, vt non nisi paruulos & pusilli animi inuidia occidat. Vbi simul aduerte, qualiter Reges indies, in Tyrannos conuertantur. Raro enim quæ Principes christiani iure, aut iniuria occuparunt, restituunt: vt videmus in vrbibus, regnis, dominiis, quæ semel rapuerunt, quæ postea sibi vsurpant & inuitis Dominis retinent. Et quod magis dolendum est, non deesse iurisprudentes, ac Theologos, qui regum tyrannidem, humanis, ac diuinis legibus defendant.

Astet sapientes simus in eam.

Vocant astuti malitiam suam maximam sapiẽtiam, vt eos nunc mundus sapientiores arbitretur, qui astutiores & malitiosiores fuerint. Ista sunt astutorum consilia impia, cum Dominus doceat nõ esse mala propter bona facienda, & dũ publicum bonum augere volunt, ipsum minuunt. Et aduerte hic qualiter iste tyrannus, vt malis cogitatis medeatur mala præsentia perpetrat. Vbi similiter disce, nõ esse malo, malo alio, præsertim maiori, occurrẽdũ: quemadmodũ diximus de Dauide: qui homicidio, adulterium voluit operire, illiq; occurrere: quemadmodum etiam diximus de Adam.

Sic, cum venerit bellum. Considera quæso quibus armis, quibus mœniis, quibus militibus, futuro bello occurrere voluerit iste nempe occisione innocentum, & qui arma polire debuit, ciuitates mœniis cingere, milites & globos parare, in vnum facinus, de necandis pueris coniurat.

Ascendat de terra. Hoc malum peccatores sequitur, vt nõ solum peccata perpetrẽt, sed laborent quoad possunt, ne ab eis desistant. Et hinc discant homines, quod malum sit, alienũ præsertim sibi vtile, detinere: quoniam postmodum, cum maxima difficultate restituunt: imo ne restituant neruos tendunt.

Posuerunt super eos principes tributorum, sed quatenus eos affligebant, eatenus multiplicabantur.

Tales sunt tribulationes, & passiones sanctorum, vt per eas in immensum crescant. Tribus modis conatus est Pharaoh, Iudæos affligere. Primo famulatu duro, in operibus vilibus luti, scilicet & lateris: secundo matrium suffocatione, per obstetrices: tertio aperta iactatione in flumen. In quibus disce, quod quemadmodum sancti, semper in bono proficiunt, ita impij continuo deteriores fiunt. 2. ad Thimo. 3. habet Paulus: malos, & seductores in peius proficere, errãtes, & in errorem mittentes. Et malitiam eorum qui Dominum oderũt, semper proficere, habet Psal. Postquam enim isti viderunt sibi non prodesse, ex insidiis agere: in aperta mala prolapsi sunt.

Dixit Rex Ægypti obstetricibus Hebræarum.

Volunt (vt sæpius admonui) impij, mala alienis manibus facere, sed quid iis profuit, ostendit factum Dauid, qui cum Vriam gladio filiorum Hamon occidisset: se innocentem arbitrabatur, sed non fuit.

Timuerunt obstetrices Deum.

Quid his fœminis fortius mũdus tunc tẽporis habuit? quę animositatem regis non timẽtes, masculos contra eius imperiũ seruauerunt? A quibus discant aulici omnes, timendum magis esse Deum, quàm regem: qui vt voluntatibus regum obtemperent, Dei mandata non curant, & principes pro diis colunt.

Non sicut mulieres Ægyptiæ, Hebrææ sunt.

Debet fœminæ robustę esse, & sese roborare ad ardua peragenda. Similitet docent nos, beneficia quæ aliis facimus tegere, & aliis tribuere, potius quàm nobis, quemadmodum de Christo legimus, qui beneficia salutis quæ ipse præstabat, in fidem collocabat sanatorem quam per teipsum possis facere.

Benefecit Deus obstetricibus.

Bis soluitur, qui sanctis administrat, semel à Deo, & iterum à sanctis. Vbi etiam disce, qualiter Deus sit creditor eorum bonorum, quæ sanctis fiunt, & simul aduerte, non solum bona in re collata, sed etiam sanctis exhibita persoluere, quemadmodum Deus. Similiter cogita, Deum soluere ea opera, ad quæ aliàs tenemur. Tenebantur enim naturæ lege, obstetrices mares non perdere, sed etiam hoc soluit eis Deus.

Præcepit populo. Mirum valde est, quod fœminæ in malo regi obtemperare noluerint, viri verò facilè, vt illi submergerent, quos illæ seruauerant.

CAP. II. AD LITERAM ANNO.

Abiit vir de domo Leui, id est, de familia Leui. Sed, quis iste vir fuerit, textus non explicat hic, sed infra. 6. cap. dicit Hanram accepisse, Iochebet amitam suam in vxorem, & illam illi peperisse Moseh, & Aharon. Ex quibus colligitur, hunc virum de domo Leui, fuisse Hanram matrem verò Moseh, vxorem eius Iochebet.

Vidit illum quoniam pulcher ipse.

Dictio tob, bonum proprie significat; sed vocat Hebraismus, pulcrum, bonum, nondum enim tantæ erat ætatis, vt bonos mores, quis in eo cernere posset.

Abscondit eum tribus mensibus, aut lunationibus, quoniam Hebræi, per lunationes menses suos supputant. Nam Iareach Hebræis est Luna.

Accepit illi arcam iunci, id est, iunceam. Tam nobis quàm Hebræis ignota est propria significatio verbi gama, à quo gome, id est, iuncus. Dicunt autem significare bibere, quod si verum est, iuncus dicetur gome, à bibendo, quod cum circa aquam crescat, aquam bibere videtur. Fundant autem hanc sigmificationem, in eo quod Gen. 24. dicit seruus Abrahę Rebecę. Hagmieni, id est, propina seu bibere fac me, parum aquæ de hydria tua. Sed sunt quidam alii scripturæ loci, quibus hæc significatio non bene quadrare videtur, vt Iob. 39 vbi dicitur. In imperu, & ira iegame, id est, bibet terram: Item Habachuc. 1. Megame, id est, bibens facies eorum, ventus orientalis. Posset etiam dici verbum gama, significare currere, transire velociter. Nam loco Iob citato magis conuenire videtur, si vertas currere. Cùm enim ibi loquatur de animositate, & velocitate equi, cum est in prælio, dicit in impetu, & ira curret, vel transibit velociter terram. Vnde Sanctes, qui in lexico vertit, bibet terram, in loco Iob citato vertit. Effodiet terram. Et si placet illa significatio scilicet currere, aut velociter transire, illud Gene. citatum, vertendum erit. Currere fac quæso nunc mihi parum aquæ, de hydria tua. Et gome, id est, iuncus sic dicetur quod facilè transeat, & penetret sua cuspide, aut quod ex eo fiant huiusmodi naues velocissimi cursus. Quod autem ex huiusmodi iuncis fiant cimbæ ad nauigandum, constat Isaiæ. 18. vbi habetur. Qui mittit per mare legatos, & in vasis gome, id est, iunci, seu iunceis, super faciem aquarum. Accepit ergo mater Moseh arculam iunceam: in qua infantem inclusit.

Bituminauit eam, bitumine, & pice.

Dixi de significatione verbi chamor quod hic bituminare vertimus, cap. præcedenti, & Gene. 11. quod, scilicet chamaar significet linire luto rubro, quod creta vocatur. Nos dicimus barrar conbarro. Non intelligas ergo, quod bituminauerit eam alio bitumine, quàm rubro luto, aut creta, & super hoc lutum leuit pice.

Posuit in iunceto, super labium, seu ripam fluminis.

Varia Hebræis significat verbum suph, à quo suph nomen, quod iuncetum vertimus. Dicunt enim verbum significare finire, & deficere. Nomẽ verò soph, sipem. Suph autem iuncum, vel iuncetum, algam & mare rubrum, seu algosum, suphah turbinem. Quod autem verbum significet finire, & deficere, ex multis scripturæ locis constat. Nam Psal. 73. habes. Saphu. i. defecerunt, consumpti sunt. Item Hamos. 3. Ve saphu. i. defecient domus multę. Sic Hest. 9. & Isa. 66. Item Ierem. 8 Quod autem soph, significet finem, constat Eccle. 3. A principio, ve ad. 1. & vsque soph. i. finem. Et cap. 7. In quo est soph, id est, finis, seu terminus omnis viuentis. Quod verò iũcum significet, notum est ex Isa. cap. 19 vbi dicitur. Calamus va suph. i. & juncus excidẽtur. Et meo iudicio significat iuncũ, aut iuncetum à terminãdo, seu finiẽdo, ęp, scilicet sit terminus inter aquam, & terram. Solet enim nasci, in extremitatibus terræ, iuxta aquas. Turbinem verò, quòd cito deficiat, aut quia est terminus, inter pluuiã, & serenitatem: aut quia hominis finire & occidere solet. Dupliciter autẽ possumus hunc locum vertere, iuxta duplicem nominis suph, significationem. Si enim iuncetũ significet, sensus est. Et posuit, scilicet arcã in iunceto, super labium, aut iuxta labium fluminis. i. in iuneeto, quod erat iuxta ripam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ipsius fluminis. Si autem extremitatem, & finem significet, sensus est. Et posuit, scilicet aream in extremitate, super, aut iuxta labium, seu ripam fluminis. Et vult meo iudicio, dicere, eam posuisse aream in iunceto, in quo erat aqua, sed non profunda, cum iunci ibi essent. Et erat arca prope ripā fluminis, id est, prope terram. Vocat autem Hebraismus extremitatem terræ, iuxta aquas labium: quod modū labii habeat. Nam quæ ibi ponuntur, facilè aqua absorbet, sicut os ea quę sunt in labiis. Illud autē Ioan. 2. sic vertendum puto. Abyssus operiet me: fusih, id est, iuncus seu alga, alligata est capiti meo. Vnde mare, quod nostri rubrum vocant, appellat Hebraismus mare Suph cap. 10. sequenti, aut quia finitum est ripis, nec extenditur more oceani, aut quia algosum, & iuncosum est.

Et puellæ eius ambulabant iuxta locum fluminis. Hebraice est iuxta, aut super manum fluminis. Admonui in explicatione Hebraismorum, Hebraismum vocare, manus diuerticula, quæ aut à magno Oceano egrediuntur, quæ nos vocamus brachia maris, & valles, quæ à magno campo ortum habent. Vnde hic per manum fluminis, meo iudicio, intelligit riuum aliquem fluminis, iuxta quem puellæ incedebant. Gradiebantur enim per ripam fluminis, iuxta riuum à flumine magno egredientem. Quod autem sequitur.

Et vidit arcam in medio iuncti, explicatum est præcedenti annotatione.

Et aperuit, & vidit eum, & puer, scilicet erat masculus, & ecce puer flebat.

Sensus est, quod postquam aperuit, cognouit esse puerum, scilicet masculum, Et ecce puer flebat. Quem literæ sensum multi ex nostris non aduerterunt.

Et misericordia est super eum.

Verbum chamal, primum significat parcere, & ex consequenti misereri, quod sit causa veniæ. Posset etiam verti, & pepercit ei. Noluit, vt submergeretur, quemadmodum alij submergebantur.

Nominauit nomen eius Moseh, & dixit. Quoniam ex aquis traxi, vel eduxi illum.

Non est omnino certum Masah significare extrahere, ex hoc tamen loco, & ex. 2. Samuelis. 22. vbi dicitur. Iamsseni, id est, eduxit me, de aquis multis, & ex Psal. 18. videtur hoc significare. Sonat ergo Moseh eductum, vel extractum, & ratio nominis in litera subditur: Aben Ezrah dicit eum lingua Ægyptia vocatum monios, quod Hebraicè sonat Moseh.

Egressus est ad fratres suos, scilicet, ex aula regia, & putarem fratres, opus suum in agro facere: ad quos extra mœnia egressus est.

Vidit onera eorum, id est, quæ onera subibant, aut subire cogebantur, quàm grauia erant.

Et respexit huc, atque illuc. Aut vertit se huc, atque illuc, quia verbum panah, proprie significat vertere se, & ex consequenti respicere: quod respiciens vertat se, ad locum quem respicit.

Ecce duo viri Hebræi rixabantur.

Verbum nasah, significat proprie eleuare se, aut volare: vt patet Hieremiæ. 48. Date alam Moab, quia Naso tese, id est, eleuando eleuabit se, aut volando volabit. Inde nosah, id est, pluma, sic dicta, quod auem eleuet, aut à vento facilè leuetur. Quod autem Hebræi addunt in hiphil, & niphal, significare rixari, & litigare, omni penitus ratione caret: cum ibi proprium significatum conueniat: vt patet. 2. Regum. 19. vbi ipsi vertunt. Et erit ad desolandum in aceruos nisim, id est desolatos vbi melius quadrat in aceruos eleuatos, seu eleuationum. Vnde hic vertendum melius puto. Ecce duo viri Hebræi: eleuabantur, scilicet alter in alterum. Non enim (vt sæpius admonui) libenter fero huiusmodi æquiuocationes, cùm propria significatio potest tolerari.

Dixit impio. Ignota est (meo iudicio) propria significatio verbi rassa: cui Hebræi omnes istas significationes tribuunt, scilicet impium esse, impie agere, condemnare, pauere, inquietū esse, quod mihi signum præsentissimum est (vt sæpius testatus sum) eos propriam ignorare. Videtur autem magis propriè significare, impie agere, quam quiduis aliud. Vnde rassia nomen, impium significare puto: res tamen nondum mihi plenè certa est. Vocat autem hic impium: qui culpabilior erat inter duos rixantes.

Nunquid occidere me tu dicis?

Sic in Hebræo est, sed sumitur dicere pro decernere: ac si dicat. Nunquid occidere me tu decreuisti.

Certè nota, seu scita est res.

Arbitrabatur enim esse absconditam. Et aduerte Hebræos ponere achen, per se radicem, sed puto esse potius, à radice chum, quod est firmare, & certificare: vnde achen, id est, certè.

Sacerdoti Madian erant septem filiæ.

Admonui Gene. 14. dictionem cohen, significare non solum sacerdotem, sed principem: quod ex scriptura firmaui: ibi, si placet vide.

Et hauserunt. Verbum dalah, videtur proprie significare leuare, eleuare: vt patet Prouer. 26. Daleni, id est, eleuatæ sunt tibiæ claudi. Ex consequenti verò haurire, maximè cum situla: quod nihil aliud sit, quàm eleuare.

Et impleuerunt canales.

Significat Rahit, proprie trabem, & quia canales, ex trabibus fieri solent, vocantur canales. Rehatim, id est trabes. Canticorum. primo habes. Rahitenu, id est, trabes nostræ, seu laquearia nostra abiegna.

Voluit Moseh habitare viro, id est, cum viro, Varias significationes assignant Hebræi verbo Iaal, quod voluit vertimus, scilicet velle, acquiescere, incipere, & iurare: cum re vera solum significet velle.

Vocauit nomen eius Gersom. Dixit peregrinus fui in terra aliena.

Non putes totum nomen Gersom, interpretari peregrinus, sed solum ger: totum autem nomen sonat peregrinus ibi.

Audiuit Deus clamorem eorum.

Significat zaach clamare, sed addunt sine vlla ratione Hebræi aliam in hiphil, & niphal, scilicet congregare, quoniam vbicunque ipsi vertunt congregare, optimè quadrat pro clamare, vt patet Iudicum. 18. Quid cibi, quia nizochra. id est, congregatus es. Vbi tam bene vertas, quia clamas, ponendo passiuum pro actiuo, vt sæpius Hebræis accidit.

Et vidit Deus filios Israel. Et cognouit Deus, scilicet mala quæ eis fiebant, aut vidit eos, & cognouit esse filios sanctorum patrum: cum quibus fœdus pepigerat.

CAPITIS. II. AD NOSTRAM eruditionem annotata.

Abiit Vir, de domo Leui, & accepit filiam Leui.

Constat ex hoc loco, consuetudinis fuisse, ante legem, accipere in vxorem, mulierem stirpis suæ: quod & Abraham seruauit. Gene. 24. & Isaach Gene. 28. Neque vituperandam puto, hanc consuetudinem, citra tamen ecclesiæ prohibitionem. Nam mores hominum, & mulierū eiusdem familiæ, magis noti sunt, & pax magis conseruatur, & iuuatur familia.

Vidit eum, quod pulcher esset, & abscondit tribus mensibus.

Vbique pulchritudo in pretio est, & cunctis amabilis: neque immerito: Non enim mirum est, vt nobis amabiliores illi sint, quos Deus selegit, & fecit cęteris, aut doctiores, aut pulchriores, aut meliores.

Accepit sibi arcam, ex iuncis.

Mirabilis artifex omnium rerum amor, qui matrem arcam facere, qua puerum poneret, docuit: quam pice, & certa bituminauit. Neque culpanda est, mulier hæc, quasi occidere voluerit infantem, sed timuit satellitem submersorem, & posuit puerum propè ripam in iunceto, inspectante sorore, vt facilè illi posset aliquis succurrere. Videtur enim, tępus oportunum selegisse ad hoc opus: quando filia Paroh, erat descensura ad flumen. Vbi tu similiter disce, qualiter Dominus ad opera sua, cuncta oportunè disponere solet.

Descen-

Descendit, vt se lauaret.

Amabilis semper fuit, puellis munditia. Memento etiam verecundiæ fœmineæ. Cùm enim filia Paroh, voluit lauare se, puellæ eius abiere, & gradiebantur iuxta ripam fluminis. Aduerte etiam honestatē Nam filiæ regum inter puellas, & in societate, enutriri debent, neque vnquam sine ea domum exire.

Miserta eius ait, de pueris Hebræorum est iste.

Innata est fœminis misericordia, etiam si aduersus patris edictum facere videretur, masculum Hebræum seruans, maluit tamen patrem, quàm misericordiam offendere. Docet etiam filios, non debere odio prosequi, quos parentes, sine vlla causa odio prosequuntur.

Vadam, & vocabo tibi mulierem lactantem.

Qui Domino, rem quam faciunt, commendant, ab eo consequuntur, vt quemadmodum volunt, eueniat, sicut de seruo Abrahæ legimus. Putarem ego, matrem, & filiam, ante hoc de re pueri tractasse, & ad optatum illis euenisse. Vbi simul discimus, dubios aut oblitos bonorum operum, quæ ad manum habent, admonere: vt faciant bona, quæ tunc temporis facere possunt: quoniam dum animus in dubio est, paulò momento huc, vel illuc impellitur (vt ait comicus.) Cuius simile habes. Samue. 2. capite. 9. Vbi cùm serui Dauid, vidissent eum, ad misericordiam in domum Saulis prouum, & inquirentem, an aliquis de domo eius superfuisset: cum quo veteretur misericordia Domini, dixerunt superesse nepotem, filium Ionathæ: in quem optimè bona opera collocare posset: quod & fecit.

Dabo tibi mercedem tuam.

Miseria regum est, facilè à suis decipi. Nam famula matrem suam pretium habere voluit, pro eo, quod iure naturæ tenebatur facere. Neque tamen tenebatur illa reuelare rem, quoniam maius malum imminebat, si proderet, quàm quod filia Paroh, pro nutriendo puero, pretium exolueret.

Fuit ei in filium. Considera viscera pietatis, & disce. Non sat illi fuerat, peperisse, & enutrire fecisse, nisi & in filium adoptasset. Quo docentur fœminæ nobiles, quæ prole carent, pauperum filios enutrire, & adoptare. Solent enim beneficia exhibita, semper ad maiora prouocare.

Egressus est ad fratres suos.

Non est oblitus generis sui infimi & laboribus afflicti, iuuenis in aula regia nutritus, & à filia Paroh, in filiū adoptatus. Quod docet aulicos, ex infimis eleuatos, non obliuisci debere suorum. In quo etiam discāt, qui in sublimioribus constituti sunt, labores, & dolores miserorum, maximè, suorum considerare.

Percussit Ægyptium. Non factum, sed zelum maximum erga suos, in Moseh considerandum puto. Vbi etiam considera, quam caute, malum operatus sit, vt prius huc, atque illuc respexerit, quàm occideret. Et si qui occisus fuit, exactor erat, vt multi putant, cau sam communem nos agere docet, & communem iniuriam vindicare.

Dixit impio. Vt quid percutis fratrem tuum?

Docet nos hic sanctus Moseh, pacificos esse, & inter fratres componere pacem, ac culpabiliores arguere, argumentum à fraternitate sumēs: quæ nos maximè deterrere debet, à nocumentis in proximum.

Quis posuit te virum principem, & iudicem?

Solis principibus, & iudicibus, ex officio cōpetit vindicare, & punire mala. In quo simul ostenditur, impios nolle principem, aut iudicem super se habere, malaq; sua impunita fore desiderare. Et quem mitem fratrem noluit audire, postmodum principem, & iudicem pertulit. Et quia cognouerat Dominus Moseh, zelum habere ad bonum commune, & ad pacificandum inter fratres: fortè ideò præfecit eum.

Nunquid occidere me tu cogitas?

Hoc est munus quod referunt, qui inter discordes componunt, dura verba, obiectionem occulti criminis, & nonnunquam ab vtroque discordātium percutiuntur, quemadmodum Christo domino accidit, qui eum in-

ter nos, & patrem cœlestem, componere pacem voluit sed, ab eo, & nobis pecussus est. Habet enim Isaias cap. 53. Propter scelus populi mei: percussi illum. Et apud alium. His plagatus sum in medio illorum, qui diligebant me. *Zacha. 13.*

Vere scita est res. Non arbitrētur, qui male agunt, sese, ac vitia sua ignorari: cum nihil sit absconditum, quod non sciatur.

Audiuit Paroh, & quæsiuit occidere.

Nullum debet esse malum, ignotum regi, aut impunitum: quoniam omnium male gestorum, ab eo exigenda est ratio. Similiter ab initio, homicidium, homicidę morte expiatum est. De quo assatim diximus Gen. 9.

Fuit Moseh. Quando non morte homicida plectitur, saltem perpetuo exilio plectendus est.

Surrexit Moseh, & seruauit eas.

Mirabilis est huius vltri æquitas, in defendendis imbellibus. Prius Hebræum ab Ægyptio defenderat, nunc verò puellas à pastoribus: quo nos docet, imbecillibus, præsertim fœminis opem ferre.

Vir Ægyptius eruit nos. Enarranda sunt beneficia, in nos collata, cum benefactore, ei qui potest, & debet remunerare. Quod Rehuel fratrim fecit. Debētq; parentes opera bona in filios suos collocata, retribuere. Et tales cogendi sunt. Vnde sequitur.

Cur dimisisti illum? Debent enim beneficii, etiam inuiti remunerari. *Dedit illi Sipporah.*

Astutia magna est, vt quem detinere velis, vxore ligares. Quoniam non sunt compedes, qui ita hominem detineant, quemadmodum vxor cum liberis. Sic fecit Laban Iacob.

Peregrinus fui in terra aliena.

Consuetudo apud Iudæos erat, vocare ab euentibus filios, quemadmodum fecerat Ioseph Gen. 41.

Suspirarunt, aut clamarunt filij Israel propter opus.

Et si Deus pia, & iusta desideria audiat, & orationes, promptior tamen est, ad clamores audiendos. Vbi simul disce, non quoscunque eum exaudire clamores, iniustos enim non audit, sed eorum, qui iniustè ab aliquo grauantur. Ipsi iustè propter durum opus clamarunt, & ille, hac de causa exaudiuit.

Recordatus est pacti sui cum Abraham.

Cùm alicui subueniendum est, omnes causæ quæ prouocare misericordiam possunt, sunt in memoriam reuocandę: sicut fecit hic Deus: qui & propter clamores, & propter pactum cum patribus, subuenire voluit filiis Israel. Nam quemadmodum qui alicui malè facere volunt, omnes fœuiendi causas, in memoriam reuocant; sic & benefici omnes benefaciendi. *Adnotanda doctrina.*

Vidit Deus filios Israel; & cognouit Deus.

Ostendit locus iste, quàm exactè, & oculatè Deus aduertat mala, quæ in suos fiunt, vt considerent qui faciunt, quales sint pœnas daturi. Audi eum apud Iere. 2. capite. Sanctitas inquit, Domino Israel, primitiæ frugum eius. Omnes deuorantes eum: delinquunt, malum veniet super eos. Nam quemadmodum, qui sancta Dei, ac primitias eius commedit, grauissimas daturus est pœnas, quales dedisse legimus filios Heli. 1. Samue. 2. ita, & qui populum Dei deuorant, & in pios fœuiunt, daturi sunt. Vnde & illud alterius Prophetæ. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Cauendum ergo valdè est, ne quempiam sanctorum lædas, cùm scias eos seuerissimum vindicem habere. *Zacha. 2.*

CAPITIS. III. AD LITERAM annotationes.

Moseh, pascebat oues Iithro soceri sui, sacerdotis, aut principis Madian.

Qui ante dictus est Rehuel. 2. cap. nunc dicitur Iithro: quoniam re vera binomius fuit. Disputāt hic Hebræi, an iste Iithro, sit idem cum Rehuele. Et multi ex eis, & nostris tenent Rehuel fuisse patrem Iithro, Chobab verò, & Iithro, eundem fuisse, ad quod ex his mouentur. Primo, quoniam Numeri. 10. dicit Moseh, ad Chobab. Ne quæso derelinquas nos: quia ideirco nostri, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod dum maneremus in deserto, fuisti nobis pro oculis. Constat autem ex cap. 18. huius libri, Iithro fuisse cum eis in deserto, ergo Iithro, & Chobab sunt idem. Sed ad hoc dicitur, quòd tam Iithro, qui & Rehuel, quam Chobab filius eius, fuerant cum Moseh, in deserto, scilicet pater, & filius. Sed pater, qui & Iithro, reuersus est in terram suam, Chobab verò mansit cum sororc, & Moseh, in deserto, & postea in terra sancta habitauit inter Iudæos: vt patet Iudi: 4. vbi dicitur. Et Cheber Chenæus, diuisus est à cain, de filiis Chobab, choten, id est, coguati, seu affinis Moseh. Non vertas hic soceri, quoniam testibus etiam Hebræis Choten, non solum socerum, sed cognatum, seu affinem, ratione matrimonij significat. Hoc enim deceipit tenentes hoc, quia Iudicum. 4. pro cognato verterunt socerum: quod etiam fecerunt Numeri. 10. vbi dicitur. Et dixit Moseh, ad Chobab, filium Rehuel Midianitis Choten, id est, cognatum, si ad Chobab referas, aut socerum, si ad Rehuel. Ex quo loco Constat Chobab, fuisse filium Rehuel. Nam verbum chatan, significat connubia iungere, affinitatem ratione connubij contrahere. Vnde choten, id est, socer, cum quo ratione connubii, affinitatem contrahit gener. Similiter cognatum, seu sororium, quod ratione sororis, genero, seu cognato, affinis sit. Chatan verò est gener, & sponsus. Moneor autem ad sentiẽdum, Rehuel fuisse socerum Moseh: quoniam dicit textus præcendenti capite, puellas venisse ad Rehuel patrem suum, infrà verò 18. dicitur Iithro socerum Moseh, adduxisse illi vxorem, filiam suam. Vnde constat eundem fuisse Rehuel, & Iithro: quod etiam diuus Hieronymus sentit, & rabbi Ionah. Et hanc annotationem seruare memento, pro citatis locis. Vnde hic dicitur, Moseh pauisse oues Iithro soceri sui. Si ergo Iithro est socer, vt hic dicitur, & Rehuel pater vxoris, quod est idem quod socer, sequitur eundem fuisse Rehuel, & Iithro.

Duxit oues post desertum, quod, scilicet erat prope eum, aut post desertum, id est, vltra desertum Paran. Est enim mons Choreb, post seu vltra desertum Parã. Et aduerte, quod Sinai, est nomen deserti, in quo multi sunt mõtes: mons verò, in quo Dominus apparuit Moseh, vocatur Choreb, aut Chorebah, vt hic vocatus est. Sic etiam admonitus, verbum nahag, quod hic (turbam doctorum sequuti,) vertimus ducere, significare etiam stimulare, minari, vt Hiero. aliquando vertit, scilicet. 1. Samue. 30. Vocatur autẽ mons Choreb, mons Dei: quia ibi Deus sæpe fuit visus, & crediderim, antehac non sic vocatum.

De medio rubi. Hebraicè de corde rubi. Vocat enim Hebraismus medium cor: quoniam cor est in medio humani corporis. Et nescio an seneh, proprie rubum significet: quoniam dictio rara est in scripturis. Ponitur itetum Deutero. 33. Neque desunt qui desertum vertant, sed non bene. Dicit autem de corde, seu medio ignis, & de medio rubi: quia ignis erat in medio rubi, & in medio ignis angelus, qui loquebatur.

Rubus non comedebatur, id est, non comburebatur. Dicit enim Hebraismus, non solum homines comedere, sed ignem, & gladium. Psal. iuuenes eorum comedit ignis.

Recedam nunc, & videbo,

Sensus est. Recedam à loco in quo sum, & accedam, & videbo. Ex nostris aliqui vertunt. Diuertam nunc. Alij declinabo. Verbum tamen sur, significat recedere.

Videbo visionem istam magnam.

Etiam verti posset, eleuatam, excelsam.

Quoniam recessit ad videndum, scilicet à loco in quo erat, *Ne appropinques huc.*

Radix nominis, scilicet halam, significat conterere. Vnde verti posset.

Ne appropinques: & ibi punctus. Postea sequitur.

Contritio, scilicet erit tibi, si appropinquaueris, quia tamen multis in locis, videtur significare huc, aut hic, vt Gen. 16. & Iudicum. 18. videtur prior lectio germanior. *Solue.* Verbum salal, significat proprie dimittere, & spoliare, & posset verti. Dimitte, seu spolia calceos, de pedibus tuis, aut, vt Hebraismus habet, de super pedes tuos.

Videndo vidi afflictionem populi mei.

Melius humiliationem: quoniam, vt (sæpius admonui) anah, duo significat, scilicet respondere, & humiliare, & est sermo de humiliatione, & subiectione, quæ ab Ægyptiis deprimebantur.

Quoniam cognoui dolores eius.

Verbum caab, à quo macob, significare, dicitur dolere, & dolore afficere. Sed est locus. 2. Regum: 3. quo hæc significatio non bene quadrare videtur: vbi dicitur. Et omnem agrum tachibu, id est, dolore afficietis lapidibus, id est, obruetis: vnde magis videtur significare percutere, quam dolere, sed quia dolere pluribus locis conuenit, admittamus hanc significationem.

Ascendere faciam eum. Hoc dicit, quia terra promissionis, altior Ægypto est.

Etiam vidi coarctationem: qua Ægyptij coarctant, aut arctant eos.

Licet Hebræi, varias significationes tribuant verbo lachats, scilicet opprimere, vim inferre, & coarctare: vltima tamen sufficere videtur omnibus locis, quibus verbum ponitur, quæ videtur propria: vt patet Numeri. 22. Vidit asina angelum domini, vatilachets, id est, & coarctauit se ad parietem. Arctabantur enim filij Israel in Ægypto, vt nõ possent inde exire, & etiam ad onera dura.

Hoc tibi signum, quoniam ego misi te, id est, in hoc cognosces, quod ego te misi.

Postquam eduxeris populum meum, colet is, aut seruiet Domino, in monte isto.

Et videtur esse sermo de seruitute cultus, ac si diceat, cum videris populum liberatum ab Ægypto, & colere me, in hoc monte, cognosces, te à me missum. Aut videbitis, vos iam non seruire Ægyptiis, sed mihi.

Ero qui ero. Sic dices filijs Israel. Erit, misit me ad vos. Verterunt hic ferè omnes nostri. Sum, qui sum. Vnde ortæ sunt tot quæstiones apud Theologos, de nomine Dei: sum, qui sum, sed si aduertissent quid dominus hoc velit significare, nõ tam facilè mutassent literã Hebraicã. Ad cuius notitiã aduertendũ, hoc inter verum Deũ, & idola interesse, quod illa, sicut tẽpore incepe-rũt, ita quoq; tẽpore definẽt esse, iuxta illud Deut. 32. Noui, recẽteque venerunt: quos non coluerũt patres. Deus autẽ verus, sicut nunquã incepit, ita nunquã esse desinet: vt constat ex multis scripturæ locis. Et primo ex Isaia. 43. vbi ipse dicit. Ante me non est formatus Deus, & post me nõ erit, &. 48. Ego primus, ego etiam nouissimus. Item Ierem. 44. &. 23. Ego sum Deus de longè, & non de propè. Et Gene. 21. habes. Abraham vocasse, dum offerret, nomen Domini fortis, perpetui. Hoc est ergo illi peculiare, quod inter deos sit primus, & nouissimus. Quod verò omnes alij, deficere debeãt constat, ex Ieremiæ. 10. cap. vbi dicit. Vanitas sunt sculptilia, opus irrisione dignum, tempore visitationis peribunt. Itẽ Isa. 2. Humiliabit se altitudo hominum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus concidit. Idem. Hoseæ. 38. Isa. 17. &. 30. ac. 31. & Ezech. 37. Vult ergo Dominus significare Moseh, & Hebræis, se perpetuum Deum, seu Deum qui semper erit, ac si dicat ero, qui semper ero, & sic dices filiis Israel. Erit misit me ad vos, id est, qui semper erit, misit me ad vos. Aut ero qui ero, scilicet erga vos, ac si diceat: ero qui fui erga vos, in promissionibus implendis, non mutabor, licet visus sim hucusq; dissimulare: iuxta illud Malach. 3. Ego Deus, & non mutor, & vos filij Israel non estis consumpti. Sed prima lectio videtur germanior. Vnde & rabbi Salom. super hunc locum sic habet. Cum Dominus Moseh dicit. Ero, qui ero, sensus est. Ero cum eis in præsenti tribulatione, qui ero cum eis, in afflictione reliquorum regnorum. Mihi ramen prior sensus magis arridet: quem beatus Ioannes primo cap. Apocalip. probare videtur cùm dicit. Pax vobis ab eo, qui erat, qui est, & qui venturus est. Per hoc summam dei æternitatem describere volens. Accedit ad hanc sententiam, quidam non contemnendus autor

autor Hebræus. qui vocatur Rabbi Hitchuni, qui locum explicat, vt, primum ero, sit nomen Dei. secundũ verò, scilicet qui ero, sit eius expositio quasi dicat. Moseh, nomen meum est ero, ratio, quia ero in sæcula sæculorum absque fine.

Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham. Dixerat nomen quo ab omnibus diis distinguebatur, & quasi peculiare sibi, sed quia Israelitæ illud non nouerant, ostendit nomen, quo ab eis facilè cognosci poterat quod, scilicet esset Deus qui patribus eorũ pollicitus fuerat redemptionem, terram Chenahan.

Hoc nomen meum in sæculum, & hæc memoria mei, aut memoriale meum in generatione, & generationem.

Alij putant relatiuum hoc, referre nomen Ero, qui ero. Alij autem secundum nomen, scilicet Deus Abraham Deus Isaac, & Deus Iacob, sed vt mea fert opinio, priorum sententia verior est. Et ratio est: quia prius est magis proprium nomen Dei, distinguens illum à falsis, per illud cognoscitur ab omnibus nationibus, & non per secundum, quod, scilicet sit Deus Abraham, Isaac, & Iacob, ostendit tamẽ Christus seruator noster Mat. 22. secundo nomine, deum non solũ apud eos, qui hic viuunt, sed etiam apud beatos notum esse, dum dicit: Deum Abrahę, deum esse viuentium hic, & eorum qui apud Deum viuunt. Est ergo sensus. Hoc, scilicet nome ero, qui ero, seu æternus, est nomẽ meum in perpetuum, id est, quo me perpetuo nominabo. Et hoc memoriale meum. i. & hoc nomen est per quod omnes recordabuntur mei: cum ex me aliquid voluerint, aut cum aliquis dixerit de me quicquam. Nam per hoc, quod est semper esse, ab omnibus nationibus, cognoscitur & colitur. Aliqui Rabbini hic legũt. Hoc nomen meum occultum, seu ad occultandum: quoniam halam, occultare significat: quasi innuatur hoc nomine tot mysteria contineri, vt non nisi probo viro, cabalæque perito, vt Hebræi dicunt, sint reuelanda. Et dicunt deum de priori nomine, scilicet Ero, loqui. Et hæc est ratio, quare multa Iudæi de hoc nomine fabulantur, quæ si videre delectat, lege Galatie num. 2. lib. cap. 14.

Recordando, recordatus sum vestri, & quod factum est vobis in Ægypto, scilicet recordatus sum. Admonui sæpius verbum pachad, proprie significare recordari, ex consequenti verò, numerare, & visitare, & videtur hæc significatio melius loco congruere. Nam oblitioni eos tradidisse videbatur: qui ad quadringentos annos, aut vt alij dicunt. 210. eos permiserit ab Ægyptiis affligi: ideo instituẽs liberare eos, se eorum recordatum asserit.

Et dixi, id est, decreui.

Ab afflictione Ægyptiorum. Melius ab humilitate, qua vos humiliant Ægyptij.

Ad terram fluentem lacte & melle, id est, ad humum pinguem, & dulcẽ, id est, cuius fructus dulcissimi sunt: veluti mel, & est Hebraismus.

Dominus Deus Hebræorum occurrit nobis.

Hebraice, obuius factus est nobis. Et debet intelligi, quod occurrerit eis quasi iratus: quod scilicet eum non colerent ex patrum suorum obligatione. Vnde sequitur.

Ibimus viam trium dierum in desertum, & sacrificabimus Domino Deo nostro.

Posset etiam legi: (quoniam verbum charah videtur esse eiusdem significationis cum chara, quod vocare significat) Deus Hebræorum inuocatus est super nos, id est, est noster Deus, quem inuocamus, & cui sacrificamus, & quia sumus sui, ibimus nunc viam trium dierum in desertum, & sacrificabimus Domino Deo nostro. Aut. 3.

Deus Hebræorum vocauit vos, ibimus nunc. &c. Videntur enim vocari à deo suo, ad sacrificia in desertum, & ad hoc cogi. Neque mentiuntur, quoniam dominus dixerat Moseh. hoc eodem cap. quod post exitum, essent illi sacrificaturi in monte Choreb. Vnde Moseh videtur nuntius dei, vocantis populum ad sacrificia sua in deserto.

Ego noui quod non dabit vobis Rex Ægypti, subaudi, facultatem egrediendi. Aut melius, vt Hebraice habetur. Non dabit vos Rex Ægypti, cum vos habeat, seruos suos. Aliqui ex nostris verbum natan, quod dare significat, hic vertunt. Non concedet. Sanctes permittet. Sed cum verbum in sua significatione tolerari possit, non est opus illam mutare.

Et non in manu forti. Sic in Hebræo est. Aliqui vertunt. Neque in manu valida, id est, etiam si sæpius Ægyptus percutiat. Alij, nisi in manu valida, vt vulgatus vertit, & hęc interpretatio, germanior est. Alij, quorum interpretatio non est contemnenda, interpretantur. Non dimittet vos rex Ægypti, & non in manu forti, id est, non quia manus eius sit fortior, aut robustior mea, sed me sic permittente ad malum eius. Sequens tamen textus secundam magis probare videtur. Vbi vides Hebraismum, per manum validam, intelligere punitionem grauem quod manu percussio fieri soleat.

Et mittam manum meam, id est, percussionem, *In omnibus mirabilibus meis*: aut separatis, quoniam pala, proprie separare significat. Vocat autẽ punitiones, & miracula separata: quoniã nemo nisi ille potest illa facere, aut quia talia non sunt visa.

Et postea: Hebraice. Et post sic, id est, postquam punitionem in eis fecero.

Et postulabit mulier à vicina sua, et à cohabitatrice sua, id est, ab ea: cuius domũ habitat. Nam magna pars Hebræarum ancillabantur apud Ægyptios, & pauci ex Hebræis domos proprias habebant seorsum: quemadmodum apud nos Æthiopes, & Sarraceni seruituti addicti. Dicit autem, huiusmodi ancillas Hebræas petituras à suis dominabus: in quarum domibus morabantur vasa, quoniam solent dominæ, cum festum celebrant serui, aut ancillæ ornare, & inducre eos arbitrantes se in ornatu ancillarum, ostendere diuitias, & ornamenta sua: vt apud nos fieri solet, in festo diuæ virginis de Rosario: quando omnes Æthiopes sericis induuntur, & torquibus, & aliis iocalibus ornantur à dominis suis. Dicitergo. *A vicina sua*, propter Hebræas habentes proprias domos. *Et à cohabitatrice sua*, propter illas quæ veluti seruæ, in domibus alienis habitabant. Aduerte tamen, quod Hebraice habetur. Ab habitatrice sua, & à peregrina domus suæ, & est sensus, quòd postulabit ab ea, apud cuius domum habitat, vt dictum est, id est, à vicina, & à peregrina, id est, ab ea: in cuius domo peregrinatur, id est, veluti peregrina manet, non habens propriam domum.

Ponetis super filios vestros, scilicet induendo, & ornando eos alienis vestibus, & ornamentis: aut ponatis sarcinas suas super filios, & filias vestras. Sed prior sensus germanior est.

CAPITIS. III. AD MORES.

ET *Moseh pascebat pecora Iithro.*

Audis hic quibus hominibus, & quibus in locis, Deus sua secreta reuelat: nempe pastoribus, & deserta loca incolentibus. Pastoribus enim vigilantibus, & custodientibus vigilias noctis: angelus apparens, Saluatoris ortum, nuntiauit. Et Dominus Hoseæ. 2. se Synagogam in desertum ducturum prædicit: ibidemq, ad cor eius locuturum, id est, blanda, & quibus cam consoletur, dicturum.

In flamma ignis. Solet Dominus imaginibus ipsis, & figuris ostendere, bona & mala suis seruis ventura, & præsentia: igne enim qui in medio rubi ardere videbatur. Neq, tamen ipsum comburebat, adumbrabat populum suum, quasi in fornace ferrea Ægypti detineri: non tamen posse ab igne ardenti comburi. Vnde & apud Isaiam habes. Nunc si dicit Dominus, formans te Iacob, & formans te Israel. Ne timeas, quia redemi te: vocaui nomen tuum: meus es tu. Cùm transieris per aquas, tecum ero: & flumina non operient te. Cum ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te. Vbi etiam aduerte quare Israel dei, id est, ecclesia rubo significetur.

vt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt, scilicet ostendat omnes qui tetigerint eam, à spinis eius pungendos. Nullus enim cuiuscunque potentiæ, aut conditionis, ecclesiam vnquam læsit, qui non maximas, & grauissimas pœnas daret. Hoc interest inter bonos & malos, quod boni sunt viride lignum: quod non facilè comburitur, aut inflammatur: mali verò sicca sunt ligna, quæ ignis tribulationis, in momento deuorat. Quod enim sancti: viridi ligno assimilentur, Saluator ipse testatur qui apud Lucam conuersus ad fœminas, post se in die suæ gloriosæ passionis plangentes, ait. Filiæ Hierusalem, flete super vos, non super me: quoniam si in ligno viridi hoc faciunt, in arido quid fiet? id est, si in me, qui viride lignum sum, sic passionum ignis ardet, in vos qui estis aridum quid fiet? Ardet in sanctis flamma, & nonnunquam grauis: ipsi tamen non solum non consumuntur ab igne, sed suam semper seruant viriditatem, & in super pungunt. Quamobrem, cùm dies iudicij appropinquauerit, Deum impios aridos inuenturum, Lucas ipse commemorat. Arescentibus (inquit) hominibus, præ timore. Sic & apud Matt. vocantur impij paleæ, igni inextinguibili comburendæ.

Videbo visionem hanc magnam.

Non prohibet Dominus mysteria sua viris sanctis, sed vult vt reuerenter ea tractent: ideo præcipit Moseh calciamenta soluere. Et admonet locus iste, quanta reuerentia calcanda sunt loca sancta, cuius rei pulchrum audi exemplum. Cùm enim Philistæi captam arcam Domini, ponerent in templo Dagon dei sui, & mane truncum eũ inuenirent super pauimentũ: in reuerentiam eius, de cætero non calcabant loca, quæ caput idoli tetigerat, limen, scilicet. Si ergo idolatræ, tanti faciunt loca, quæ membra idoli tetigere: quanti à Christianis facienda sunt sacra. Similiter docemur venerari loca, quibus Dominus, aut apparuit, aut miraculum aliquod ostendit.

Ego Deus patris. Hoc est quod inferius dicit. Hoc nomen meum, & hoc memoriale meum.

Abscondit Moseh faciem suam.

Communis animi conceptio fuit apud Israelitas, vt qui Deum vidisset, non amplius viueret: vt patet de Iaacob Gene. 32. & infra. 24. Ad principes Israel non misit manum. &. 33. Non videbit me homo, & viuet. Item de Manoach Iudic. 13.

Videndo vidi afflictionem populi mei.

Putant iusti Deum non considerare mala, quæ ipsi patiuntur, ipse verò dolores, & labores eorum considerat, & cogitat liberare eos, & suis oculis videt. Quod tam ipsi, quàm tyranni considerare deberent. Ipsi quidem, vt consolationem caperent, tyranni verò, vt timerent, & cessarent. Dicit autem se vidisse afflictionem, & audisse clamorem, & clamoris causam, quoniam omnia mala, quæ eis fiunt, diligenter considerat.

Descendi vt liberarem, & vt ascendere facerem.

Nónne de cœlo, & de sede tua domine, eos potetas liberare ab omni malo? Nonne Angelum ad illorum liberationem mittere? Quid opus est vt descendas? Gaudet Dominus, vt leuiora faciat quæ sancti patiuntur mala, sese illis immiscere. Iudicũ. 10. dicit textus, quòd cùm Dominus vidisset afflictos filios Israel, angustiis affecta est anima eius propter laborem Israel. Et Isaiæ. 63. In omni angustia eorum ei fuit angustia, & angelus faciei eius saluos fecit eos.

Ad terram bonam, & latam, stringi videntur sancti in hac vita & compediti quasi captiui, quẽadmodum colligitur ex verbis Saluatoris Luc. 21. vbi dicit. Respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, sed post hanc vitam soluuntur. Pro summis malis summa bona mutare Deus solet.

Et nunc ecce clamor. Quoties repetit se audire clamores filiorũ Israel, ne se derelictos putarent: & ostenderet se illorum clamores curare.

Nunc veni mittam te ad Pharaonem.

Ecce quos elegit Deus ad negotia sua: nempe qui inhabiles videntur, vt habiles faciat, & sciant homines, opera Dei ad quæ assumuntur, non esse sua, sed Dei.

Quis enim non miretur, videns Deum, hominem balbum, oratorem ad regem destinare, & pastorem pecudum, ducem populi constituere? Cogitaui sæpius, qua re Dominus pastores in reges, & duces commutauerit & Christus piscatorem, præsulem ecclesiæ fecisset, pondera quęso omne artificum genus, & deprehẽdes omnes pastores, & nautas in maximo vitæ discrimine versari: nullumque artificiũ, his laboriosius. Pastor enim non dormit, sed ferè continuo vigilat: vix vestit, maleque vescitur. Sic & piscatores, nudi, in vigiliis, ac laboribus semper sunt. Vt ergo tam reges, quàm põtifices scirent se non ad quietem, non ad diuitias aut delitias assumptos, sed ad labores, sudores & vigilias, hos inter cæteros deligere curauit.

Quia ero tecum. Nullus est inhabilis cum quo Deus est, ad quodcunque munus, etiam si aliàs talis videatur. Nullus habilis ad quicquam sine Deo.

Hoc tibi signum. Vbique illusio demonis timenda est, & signum missionis expectãdum. Vnde quantumcunque se quis dicat nuntium Dei, nisi hoc aliquo decuerit signo: illi fidendum non est.

Qui sum ego. Quanto Deus nos ad maiora eligit, tanto magis considerare debemus infirmiora nostra.

Dicent mihi, quod nomen eius?

Vt discas Deum non semper omnino ineptos ad sua munia eligere, considera hic prudentiam Moseh, qualiter voluit mittentem ex nomine cognoscere.

Ero qui ero. Disces hic, semper esse, esse nomen proprium Dei.

Hoc nomen meum in seculum.

Mira valde est dilectio, qua Deus iustos diligit, vt sum me delectetur vocari Deus illorum, & malit esse Deus paucorum bonotum, quàm omnium malorum.

Congrega senes, Non omnibus mysteria Dei inculcanda sunt, sed maioribus natu, vt per eos ad iuniores descendant.

Dominus Deus Hebræorum occurrit nobis.

Qui verum Deum pro Deo colunt, tenentur sacrificia illi offerre: cùm ipse postulauerit, etiam inuitis dominis, si captiui sint.

Ibimus viam trium dierum.

Mirum valde est Deum nullo pacto velle in Ægypto sacrificia suscipere, sed longè ab ea. A malis elongari valde esse debent, qui Deo sacrificare volunt.

Ego noui, quod non permittet vos rex.

Solet dominus dicere seruis suis, quæ passuri sunt propter opera virtutis, & quod tandem superabunt aduersarios suos. Sic Ioan. 16. &. 17. Christus cùm suos in mundũ mitteret, quæ à mundo passuri erant prædixit eis. In mundo, inquit, pressuram habebitis, sed confidite: ego vici mundum.

Et non in manu forti, Nemo Deo resistere valet, robustiori manu, sed quia ipse permittit malos ad malum suum sibi resistere, in quem sensum aliqui accipiunt quod ipse inferius dicit,

In hoc ipso stare fecite, id est, permisi te mihi resistere. Non statim occidi: vt in te ostenderem fortitudinem meam. Quod si legas,

Nisi in manu forti; docemur impios nunquam deo cedere, nisi dissectos iuxta illud Psal. Dissipati sunt: neque tamen compuncti, boni autem, non solum flagellis, sed minis Deo cedunt.

Non exibitis vacui. Sunt iusti maximè curæ Deo: vt non solum eos curet, sed etiam mercedem laborum restituere faciat.

Postulabit mulier à vicina sua.

Docet locus iste licere mutuo petere quod debitũ est, ab eo qui debet: neque amplius restituere.

CAPITIS. IIII. AD LITERAM.

Non credent mihi: & non audient vocem meam.

Sensus est. Licet dixeris mihi, quod audient me: & signa in futurum dederis: semper relinquetur eis dubitandi locus, & recusandi me, quoniam signa quæ dedisti,

dedisti, sunt verificanda post exitũ de Ægypto: nempe quod simus te culturi in mõte Choreb: nullum est autem signum ad probãdam meam legationem, & tuam apparitionem. Istuc enim tendere videntur verba Moseh. Vnde dicit.

Et dicent, non est visus à te Dominus.

Controuertunt hic quidam, an peccauerit Moseh dicendo, non credent mihi: cum Dominus asseruisset quod essent illi crediturí. Soluit quidam ex nostris, quod Moseh loquitur de populo, quod non sit illi crediturus: Deus verò de sensibus: & licet solutio sit bona, posset tamen dici, Moseh arbitratu, eos non sibi sine signo præuio credituros, & hoc est quod domino dicit.

Non credent mihi, scilicet sine præuio signo, quod tu mihi apparueris, & ideo dominus ad hoc præbet illi signum virgæ, in serpentem versæ.

Et misit manum suam, & apprehendit eam.

Verbum chazach significat proprie fortificare, & robo rare se: ideo melius verras. Et tobora te in eum, scilicet serpentem: ac si dicat, fortior illo sis, & subiice eum. Quod verò verbum significet roborare, constat Gene. 41. Quia chazach, id est, roborauerat se fames in terra. Idem Iudicum primo, & multis aliis locis.

Vt credant. Posset etiam verti. Propterea credent, id est, propter signum.

Induc manum tuam in sinu tuo.

Dictio chech, duo significare dicitur, scilicet signum, & medium, & ad probandam secundam significationem, citant Hebræi illud. 1. Reg. 22. effusus est sanguis plagæ ad chech, id est, ad medium currus. Dicunt autem chech significare medium: quia sinus est corporis medium, sed meo iudicio non sciunt allusionem. Videtur enim dictio significare proprie sinum, & quia sinus est ad latus hominis, ex consequenti significat latus. Vnde illud, quod ex libro Regum citatum est, vertendum puto. Effusus est sanguis plagæ ad latus currus, potius quàm ad medium currus.

Leprosa quasi nix, id est, alba à lepra, veluti nix.

Si non audierint ad vocem signi, id est, ad loquelam quam probabis priori signo.

Obsecro Domine. Non est in Hebræo verbum obsecro, sed litera bet cum pronomine primæ personæ, scilicet bi, id est, in me. vnde verti posset. In me Domine, aut mi domine.

Non vir verborum ego, id est, non abũndo verbis, aut vt vulgatus vertit. Non sum eloquens, & est Hebraismus, de quo iam diximus in Hebraismorum explicatione.

Etiam heri, etiam nudiustertius, etiam ad loquũ tuum, cum seruo tuo, aut ad seruum tuum.

Sensus est. Non abũdo verbis à tempore præcedenti, id est, non solum nunc sum tardus, & rarus in verbis, sed à tempore præcedenti vsq; ad loqui tuum, ad seruum tuum, id est, vsque quo nunc locutus es ad me, seruum tuum. Posset etiam hæc vltima clausula sic reddi. Non solum à tempore præcedenti, non abũdo verbis, sed etiam à tẽpore, quo locutus es ad seruũ tuum: ita quod allocutio tua ad me, etiã me reddidit minus expeditum in verbis. Quem sensum habet vulgatus interpres: vt statim more suo explicat.

Quoniam grauis ore, & grauis lingua ego.

Dicitur homo grauis ore, habens labia grossa, quæ non sunt expedita ad loquendum. Sic grauis lingua, id est, habens eam grossam, & quæ cum difficultate moueri potest.

Quis posuit mutũ? Verbum alam significat ligare: à quo ilem 1. mutus: quod sit ligatus ore, vt non possit loqui. Et per os hominis, loquelã intellige, ac si dicat. Quis posuit, id est, dedit homini loquelam.

Et quis fecit mutum? videntem? vel cæcum?

Significat pachach proprie aperire, & inde est pichech, id est, videns, quod oculos apertos habeat.

Vel cæcum? Radix iuer, id est, cæcus, quæ est ur, significat manifestare, & ex consequenti exuere, & nudare: quod exutus, & nudus, sint manifesti, cum non habeant tegmen: iuer verò cæcum: quod sit nudatus, & exutus visu.

Docebo te quod loquaris.

Posset etiam verti, & descendere faciam tibi, seu in te, quid loquaris.

Mi Domine, mitte nunc, aut quæso, in manu mittes.

Sic est in Hebræo. Et sensus est. In manu alterius quem volueris mittere: quoniam ego non sum eloquens, neque aptus ad hanc legationem. Et mittere in manu, aut per manum, est mittere per aliquem, quasi per instrumentum ad opus, & est Hebraismus, quia manus est instrumentum ad omne opus, seu organum, (vt Philosõphi dicunt.)

Loquendo loquitur, id est, quod sit eloquens, & est Hebraismus, aut quod verbis abũdet, aut quod loquẽdo loquetur ipse pro te.

Ponet verba in ore eius, id est, dabis ei verba quæ loquatur. Et ponere verba in ore alicuius, est docere eum quid loquatur.

Ipse erit tibi os, id est, loquetur pro te, & tu eris illi in Deum, scilicet dans illi verba quæ loquatur: sicut deus prophetis. Qui sensus infra. 7. capite videtur explicatus. Dominus dicit Moseh, Dedi te Deum Paroh, & Aharon frater tuus erit Propheta tuus. aut,

Eris illi in Deum, vt facias mirabilia quæ ipse facienda prædixerit. Simplex tamen sensus est. Tu dices illi verba prophetica, veluti prophetæ Deus, & ipse ea loquetur vt Propheta tuus.

Facies in eo, scilicet virga *signa,* id est, ministerio eius. Nam eã Moseh leuabat, & ea percutiebat aquas, & mirabilia faciebat.

Reuersus est ad Iether. Hoc est tertium nomen soceri Moseh. Nam vocatur Rehuel, Iithro, & Iether, aut pro eodem accipit Iithrõ & Iether.

Vade in pace, Melius, *ad integritatem,* id est, & sis integer, aut integet reuertatis. Nihil tibi accidat mali.

Mortui sunt viri quærentes animam tuam, id est, Ministri iustitiæ, aut consanguinei occisi: qui te vita primare volebant.

Equitare fecit eos, aut fedare. *Omnia prodigia quæ posui in manu tua.*

Differimen ponunt grammatici Hebræi inter ot, & mopheth: quod (ot) significet absolute quodcunque signum, mopheth verò portentum, sed hoc discrimen in sacris literis confunditur, vt hic. Nam quæ hucusq; vocauit (ot), id est, signa, modò vocat mophetim, id est, portenta.

Quæ posui in manu tua, id est, in potestate tua: aut vt ea manu tua faceres, & virga.

Ego roborabo cor eius, aut fortificabo, id est, manu tenebo duritiem eius, non mollificando, aut faciam vt non attendat, seu videat vnde mollificẽtur. Similem locutionem habes Lucæ. 24. de euntibus in Emaus, de quibus dicitur, quod oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Solet enim Dominus corpore fortificare aut manu tenere eos cũ quibus est pugnaturus, vt possint stare. Cederet enim plasma creatori, nisi ipse fortificaret aut manu teneret eam. Dedignatur enim Dominus cum debilibus certare. Vnde Ioel. 3. habes. Clamate hoc in gentibus: præparate bellum, suscitate robustos, accedant, ascendant omnes viri bellatores. Concidite bidentes in gladios, & falces vestras in lanceas: debilis dicat fortis sum.

Filius meus primogenitus Israel.

Dicitur Israel filius Dei quia à Deo veluti filius eductus est, vt habes Ezechiel. 16. aut quia hæres, quoniam hæreditauit terram Dei, id est, quam sibi peculiariter Deus elegerat. Vos (inquit) ingressi contaminastis terram meam. Cui etiam ab initio mundi parauit hæreditatem, iuxta illud Deutero. 32. Quando diuidebat altissimus gentes: & hæreditabat filios hominis. Constituit terminos populorũ iuxta numerum filiorũ Israel. Et dicitur primogenitꝰ, quia ante omnes alios electus est à Domino, iuxta illud Deute. 32. Pars autem Domini populus eius: Iaacob funiculus hæreditatis eius.

Iord. 2.

Vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vel dicitur filius primogenitus propter maximam dilectionem, qua eum diligebat. Vnde infra. 19. dicit ei Dominus. Eritis mihi thesaurus dilectus, præ omnibus populis.

¶ *Et fiat in via in hospitio, aut mansione, & occurrit illi Dominus, & quæsiuit occidere eum. Et accepit Sipporah petram, & præcidit præputium filij sui, & tangere fecit pedes eius, & ait. Quia sponsus sanguinum tu mihi. Et recessit ab eo. Tunc dixit. Sponsus sanguinum propter circumcisionem.* Iste est Hebraismus.

Locus iste difficilis est, & variè ab Hebræis, & nostris exponitur. Vt ergo sensum intelligas: aduerte deū voluisse in hospitio, Mosen occidere, quoniā neglexerat circūcidere filiū, iuxta ritū legis. 8. die: quod cùm cognosceret Sipporah, tulit petrā, & præcidit præputiū filij sui, & eo tetigit pedes Mosen: & irata dixit, Spōsus sanguinū tu mihi, id est, maritus causa effusionis sanguinis filij. Quod cū illa fecisset angelus domini dimisit Mosen, seu ab eo recessit. Et postq̄ ab eo recessit angelus, iterauit Sipporah Sponsus sanguinum tu mihi. Aut tūc Spōsus &c. Quod locū obscurum reddit est ad quem referatur verbum recessit, seu dimisit, & quis sit iste qui recessit, & à quo. Aliqui retulerunt ad Sipporah, quod videlicet illa maritum dimiserit. Quod stare nequit cū verbum Hirepho sit masculini generis. Quare necessariò referendum est ad Angelum qui voluerat occidere Mosen, Applicando ergo sensum literæ sic expone. Et fuit. 1. accidit in via qua scilicet cum vxore, & filiis ibat in Ægyptū, in hospitio, aut mansione occurrit illi, scilicet Mosen: dominus, id est angelus domini, & quęsiuit eū occidere. Et crediderim causam indicasse, quare eum voluisset occidere. Et hinc argumentum non parium habes quod illud Gene. 15. Anima cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit de populo suo, debeat intelligi per mortem corporalem. Nam ob omissam hanc legem, Dominus volebat occidere Mosen. Et tangere fecit præputium filij pedes eius, scilicet Mosen, & indignata quòd ob legem viri, cogebatur filium tam graniter vulnerare, proiecit præputium ad pedes mariti dicens. Quia sponsus sanguinum tu mihi, id est, tui gratia, sanguinem filii mei fundere cogor. Et tunc angelus recessit ab eo, scilicet Mosen, & non occidit, quoniam iam filius erat circuncisus. Et crediderim de vtroque filio intelligendum. Aduerte etiam, quod sor (quod hic petram vertimus) significat propriè aliquid strictum seu acutum: sicut verbum sur à quo descendit, stringere significat.

Sor, Hebraicè: latinè, mucro.

Occurrit illi in monte Dei.

Erat enim mons Choreb, inter terram Midian, & Ægyptum, distans ab Ægypti terminis via. 3. dierum: quam filij Israel non ante tres menses ob itineris flexus, confecerunt. Ad hunc ergo egressus est Aharon.

Congregauerunt omnes senes, id est, maiores natu. Quia enim dixerat Mosen Domino cap. 3. Quis sum vt vadam ad Paroh, ideo voluit Dominus eum secum ducere senes, ne sibi tantum timeret à facie regis.

Audierunt quod visitasset.

Melius quod recordatus esset Dominus, id est, crediderunt quod Dominus illorum esset recordatus & acquieuerunt liberationi qua eos volebat liberare.

Et quoniam vidit afflictionem eorum, aut humilitatem eorum.

Inclinauerunt, aut curuauerunt, *verticem: et adorauerunt.*

Verbum chadad significat propriè verticem, id est, superiorem capitis partem curuare. Inde chodchod, id est, vertex suprema capitis pars. Deut. 28. A planta pedis tui, vsque ad chodchadeeha, id est, ad verticem tuum. Inde etiam chidah, id est, cassia sic dicta, quòd in capite, seu parte superiori curua sit, aut curuitatem habeat.

CAPITIS. IIII. AD MORES.

Ecce non credent mihi. Magna est hominis peccatoris erga Deum diffidentia. Cùm enim Deus facilè fidat homini, & illi omnia sua credat, homo tamen præsertim iniquus cum maxima difficultate deo fidit: Cogitaui non semel penes me, vnde hominis tanta diffidētia ad Deum suum, & cognoui ex eo esse, quod quales nos sumus erga Deum: talem eum arbitramur erga nos. Quia enim nos frequentissime Deo promissa mentimur: arbitramur Deum nobis etiam non seruaturum promissa. Et hinc etiam est fiducia iustorum erga Deum. Cùm enim ipsi promissa Deo seruent, & faciant voluntatem Dei, talem erga se Deum arbitrantur: quod scilicet seruabit illis promissa. Vnde Paulus ad Rom. 4. de fiducia Abrahæ loquens dicit. Et non infirmatus est fide, neque considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Sarę. In promissione verò Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam deo, plenissime sciēs, quod quæcunque promiserit Deus, potens est & facere. Vnde etiam Salomon, iustum vt leonem confidere asseruit. Secutum reddiderat Dominus Mosen de populi credulitate, & obedientia: ipse tamen adhuc diffidebat. Vbi tu etiam aduerte eius prudentiā, qui nunc omnia impedimenta legationis suæ deo opponit, ne postmodū ad eum redire cogeretur. Si enim non haberet suę missionis signū, & Iudęi ab eo illud expeterent, ad deū qui miserat, redire cogebatur: quod ne fieret exponit deo non tam suā, quàm populi futurā incredulitatē. Similiter aduerte qualiter dominus non vult nos facilè credere: quę nobis suo nomine dicūtur, sed quod probentur quæ dicuntur, prius signis & mirabilibus.

Quid est quod tenes in manu tua? Virga.

Voluit Dominus Mosen virgam secum ferre in manu: quoniam facturus erat iudicia in Ægyptios. Cuius quidem iustitiæ virgæ cùm Mosen caput apprehenderet serpens erat: cùm verò caudam, in virgam vertebatur. Hoc enim habet iustitia, vt si quis principium aspiciat, mordere videatur reum, sed si finem inspectes, virga est, æquans inæqualia. Si quęras quare iudices virga recta vtantur, aduerte eos hac virgæ rectitudine, rectitudinem animi iudicis designare, aut quia virga metiri solemus, ostenditur iudices vnicuique debere seruare mensuram. Est enim, vt Isaias bene dicit opus iustitiæ pax. Est etiam hic aliud quod aduertas. Virgam, scilicet in terram proiectam, in serpentē vertit quoniam iudex terrena cupiens, omnia veluti serpens deuorat, sed si iudex eam amplexetur, & finem consideret, virga mitis erit. Iustitia in cōsideratione terreni hominis, videtur serpēs. Timēt enim iniusti facere opera iustitię, ac si serpēs esset: ea verò in manu, seu in opere, virga lenis, & mitis est. Nolite (ait Beatissimus Antonius suis) nomen virtutis tanquam impossibile panere. Si etiam iustitiam despicias, senties eam ergā te serpentem: si autem caudam accipiens demulceas, lenem deprehendes. Deus enim proiicientes se, mordet: demulcentibus verò, iustus apparet.

Erit si non crediderint.

Mirum in modum Deus nobis morem gerit, ferens æquo animo nostram incredulitatem. Dedit autem Dominus Mosen 3. signa, quoniam & si in omnibus voluerit suos esse prudentes & cautos, maximè tamen in credēdis: quoniam nouit, quàm facilè nos inimicus decipiat

Non vir verborum ego.

Docet nos hic sanctus Mosen humilitatem: vt non de nobis alta, sed humilia sentiamus. Prius enim opposuit Deo impedimenta ex parte populi, quòd non facilè illi crederet, nūc verò ex parte sui, quòd etiam iam præcedenti capite fecerat dicens.

Quis sum vt vadam ad Paroh?

Vbi tu etiam expende, nō fat fuisse Domino, ineptum casu eligere, sed natura: vt ostendat se, ex ineptis naturā aptissimos ad omnia quæ voluerit facere. Sic ad docendum, euangelium per orbem, idiotas elegit: vt sermo eorum nō esset in persuasibilibus humanę sapientiæ verbis, sed in virtute Dei.

Mitte per manum illius quem mittes.

Licet paululum excusare, quæ Deus præcipit, non tamen contentiosum omnino esse: ne Deum prouocemus in nos. *Nonne Aharon frater tuus notus, quod loquendo loquatur?*

Non acquieuit sanctus vir Deo, quousq; ei socium in legatione daret. Qui principibus ministrant, societatem abhorrent, nolentes consortem habere, & si detur, ægrè ferunt. Non sic autem ministri dei, Sed quia reputant, se ministerio Dei impares, socios non solum ferunt, sed postulant. Audi quid ancilla Domini Martha apud Lucam dicat. Cum enim imparem ministerio Christi, se sentiret, conqueritur apud dominū. Domine (inquit) non est tibi curę, quod soror, me solam ministrare reliquit? Iube illi, vt me adiuuet. Serui principum, quoniam non tam bonum principis ministerium, quàm propriam vtilitatem quærunt, nolunt consortium. Serui verò dei, quia non quod suum est, sed quod Dei cupiunt, socios ad ministerium desiderant, & petunt. Considera, quod sanctus Mosen, domino dicat Numeri. 11. Non possum inquit, solus ferre, populum hūc vniuersum, quia supra vires meas est. Docet etiam locus iste, principes & Prælatos, humiles cogere ad grandia, eosq; maximè dignos arbitrentur, qui hæc maximè recusant, & à se reiiciunt. Meminisse etiam oportet eos, dare socios, suis officialibus, & ministris, quando alter ad ministerium non sufficit.

Luc. 10.

Tu eris ei pro Deo. Quàm largus est Deus in seruos suos, vt eos deos faciat. Nam quę præcipua & admiranda in eo sunt, facilè hominibus tradidit. s. peccata remittere, & miracula facere. Similiter quanti faciendus sit sanctus Mosen, quem dominus Deum constituit, & cui prophetam dedit Aharon.

Vadam nunc, & reuertar.

Sunt maximè celanda secreta domini. Non socero, non vxori, neque alicui, nisi quibus deus præceperat, munus dei sibi commissum reuelauit. Sic Saul verbum regni, neque patri, neque patruo, voluit indicare.

Samu. 10.

Mortua sunt omnes, qui quærebant animam tuam.

Omnia impedimenta dominus tollit, quæ suam potent impedire legationem, forrè nouerat Mosen adhuc trepidare reuerti in Ægyptum, ob patratum homicidium.

Tulit vxorem suam. Sciebat se amplius non reuersurum in Midian, ideo tulit secum vxorem, & filios: vt nos doceat parui facere patriā, & locū habitationis nostrę, eu à domino alio vocamur, sicut fecit Abraham.

Tulit virgam Dei in manu sua.

Vocatur hæc virga dei, quia deputata erat ad cultum Dei, in qua, scilicet facienda erant miracula, & signa Dei, aut quia à deo ei peculiariter fuerat data, ad faciendā signa, seu melius, in qua erat potestas dei, ad miracula facienda.

Vide, vt omnia portenta.

Solemus in discessu, ad memoriam reducere nuntiis, commissa negotia.

Ego indurabo cor eius.

Cauenda docet, locus iste grauia peccata, ob quæ, solet dominus corda peccatorum indurare.

Filius meus, primogenitus, Israel.

Si beatus populus cuius dominus deus eius, beatissimus ille dicendus est, cuius Dominus pater eius, & qui filius primogenitus est dei.

Dimitte filium meum, vt seruiat mihi.

Tenentur filij seruire parentibus: neque potest quis filium detinere, ne seruiat patri suo.

Ecce ego occido filium tuum primogenitum.

Quia priuas me meo, priuabo te tuo. Vbi discę, quid placuli sit, filios dei detinere, incarcerare, aut male tractare, & quales pœnas dabunt, qui hoc facere præsumpserint. Vnum hic est, quod maximè miror, qualiter, scilicet dominus, nominem cogit, cùm sit potentissimus. Nonne donune poteras Paroh occidere, & populum tuum redimere, absq; hoc, quòd nuntium ad eum destinares: qui rogaret sæpius regem, populum dimittere? Sic, cùm transeundum Iudæis esset, per terram Edom, nuntios ad regem præmisit, qui dicerent. Liceat mihi, transire per terram tuam. Quo nolente, quasi impotens, alio diuertit. Hoc fecisse crediderim: ne potentes sæculi, ab eo discerent, vim alicui inferre. Si enim videntes Deum humilem, superbiunt, quid facerent, si cernerent violentum? Disce etiam ex hoc loco, qualiter deus omnia mala, quæ alicui facturus est, minatur prius: vt scilicet, qui facturus est, non faciat, & ipse flagellis pateat. Ierem. 17. habes. Repente loquar aduersus gentem.

Quæsiuit occidere eum.

Nonne Domine, seruus tuus est Mosen, ad regem, & populum destinatus à te? Cur non dissimulas peccātum eius, saltem nunc? Consueuerunt principes, & ministri iustitiæ, cum opera alicuius egent, omnia eius peccata dissimulare. Non sic autem Deus, sed tunc maximè quærit, cùm maximè indigere videtur. Cuius rei aliud egregium, ex scripturis exemplum accipe. Cùm Christus seruator Christiani populi, missurus esset discipulos suos ad prædicandum gentibus, eum exprobrasse discipulorum incredulitatem, & cordis duritiam, refert Marcus: ne putarent eum velle indulgere peccato incredulitatis, quia eorum ministeriis indigens videbatur. cùm, scilicet eum Deum erant per orbem prædicaturi. Sic & nunc facit dominus Mosen: cuius peccatum non solum arguere, sed etiam punire vult: licet nuntium ad Pharaonem mitteret. Nemo ergo iustorum se decipiat, putans deum dissimulaturum peccatum eius: cum eius ministerio vtitur. Sicut enim iratus, misericordiarum suarum recordatur, ita propitius, vindictæ memor est peccatorum.

Marc. vlt.

Tulit Sipporah, petram.

Debet vxor sese opponere vindictæ diuinæ; pro viro suo. Cognosce tamen hic, quam licentiosa sit sæpius vxor in virum, vt ausit dicere.

Sponsus sanguinum tu mihi.

Est etiam, quod aduertere debeas, qualiter vir, non debeat cum vxore rixari, coram extraneis, maximè nobilibus: aut vxor cum viro. Dicit enim textus. Et recessit, scilicet, angelus ab eo, videlicet Mosen, & post recessum eius tunc dixit:

Sponsus sanguinum tu mihi.

Non enim ausa est dicere verba illa dura, angelo præsente. Tertio aduerte quàm male coëant vir, & vxor diuersorum rituum, & diuersæ fidei.

Vade in occursum Mosen.

Ecce quid præstent iusti fratribus, & consanguineis. Crediderim enim, dominum propter Mosen, apparuisse Aharon, & eum sic postea exutisse.

Nuntiauit Mosen Aharon.

Debet inter prædicatores conuenire, aliter non proficient. Legimus enim Paulum cum Petro, Iacobo, & Ioanne, euangelium contulisse, ne in vanum curreret, ad Galatas. 1.

Congregauerunt senes. Non sunt secreta Dei, statim omnibus reuelanda, sed maioribus natu, vt per eos, ad iuniores res deueniat.

Fecit signa. Probarunt missionem suam Vbi docemur, quàm cauti in huiusmodi esse debeamus.

Credidit populus. Quemadmodum leuis corde est, qui cito credit, ita durus, qui apertis miraculis nō credit, esse tamen opus auxilio Dei ad hoc, ex capite precedenti constat, vbi Dominus hoc prædixit.

Incurnauerunt se. Gratitudinem docet, locus iste.

CAPITIS. V. AD LITERAM annotationes.

Dimitte populum meum, vt festa celebret mihi in deserto. Non plene constat, quid propriè significet verbum chagag, quod nostri festum celebrare, vertunt. Vnde chag, nomen, quod significare dicūt solennitatem, & oblationem. Quantum autem ex aliis scripturæ locis cognosci datur, videtur proprie significare saltare, seu tripudiare. Significat autem chag, solennitatem, quod illa die puellæ Hebreæ, solerent tripudiare, & festos choros ducere. Possemus etiā dicere, significare festinare, si sic dicere fas est. Non qualitercunq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed cum tripudio. Psal. 107. videtur significare saltare, subsilire, vbi dicitur. Iachogu, id est, saltabunt, mouebunt se sicut ebrius, Chag verò (vt diximus) significabit solennitatem, ratione saltationis, quæ illis diebus fiebat, pecus verò immolaticium, aut quia saltare solet, aut quia in die saltationis, & tripudij, id est, solenni, immolabatur. Dubius etiam, videtur Hieronymus, de significatione huius nominis. Dicit enim Isa. 19. super illud. Erit terra Iehudah Ægypto lechoga, id est, in pauorem. Melius reor etiam proprium errorem reprehendere, quam dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere. In eo quod transtuli in pauorem, in Hebraico legitur, lechoga, quod interpretari potest, in festiuitatem, & timorem: quod Aquila significantius trastulit. In trepidationem, quum aliquis pauidus, & tremens, circunfert oculos, & venientem formidat. Hic vero vertere possimus. Vt festum agat mihi in deserto, aut vt tripudiet, diem festum agendo. Sed prior interpretatio mihi magis arridet.

Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, ad dimittendum Israel? id est, vt in hoc obediam ei, scilicet dimittendo Israel. Nostri ex vna clausula duas fecerunt, legentes Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel?

Dominus Hebræorum inuocatus est super nos.

Ex hoc loco aperte colligo, verum esse, quod capit. 3. (vbi hæc sententia ponitur) annotaui: Non, scilicet esse vertendum. Deus Hebræorum occurrit nobis, vt tam ibi, quam hic, omnes nostri vertunt, sed inuocatus est super nos, vt sit sensus. Nos inuocamus, & colimus, vt verum Deum nostrum, Deum Hebræorum: ideo ibimus viam. 3. dierum ad immolandum ei, seu colendum illum in deserto. Et si actiue verbum chara legas, scilicet Deus Hebræorum vocauit nos, videtur melius quadrare, quod sequitur, vt sit sensus, deus Hebræorum vocauit nos veluti seruos suos, vt scilicet ei soluamus debitam seruitutem, immolando illi in deserto, ac si dicant. Non nostra sponte recedimus à te, sed à Deo nostro, cuius præcepta præterire non licet, vocati. Moueor sic interpretari, quia licet verbum charah, videatur proprie significare occurere, quod positum est capite. 3. chara tamen, quod hic ponitur, potius vocare significat, quàm occurrere. Si tamen occurrere legas, sensus est, (vt capite. 3. diximus.) Deus Hebræorum occurrit nobis, scilicet iratus aduersum nos, quod illi non seruiamus seruitute cultus: ideo ibimus viam trium dierum, ad soluendum illi debitum cultum. Est etiam coniectura ad priorem sensum, quia in litera, non dicitur nobis, id est, occurrit nobis, sed alienu, id est, super nos. cui magis quadret inuocatus est.

Ne fortè occurrat nobis in peste, vel in gladio.

Verbum Hebraicum paga, significat occurrere, qualitercunque, aut vt hostis, aut ad intercedendum, seu vt amicus, ad quæ duo dabimus exempla. Nam. 1. Samu. 10 habes. Vpagata, id est occurres cuneo prophetarum. Gen. 23. Vpigu, id est, occurrite mihi. Ephron, id est, pro me, apud Ephron intercedite, quod intercessores prius, quàm iniurij, occurrant offensis. Sic Isai. 47. Vltionem capiam, & non Ephga, id est, occurrentem hominem, scilicet suscipiam, id est, non suscipiã intercedẽtem hominem. Quod verò significet occurrere, vt hostis, ex multis locis constat. Et. 1. Hamos. 5. Cùm fugerit quispiam à facie leonis, vpegao. i. occurret ei vrsus. Item. 1. Samue. 22. Noluerunt serui regis mittere manum suã liphgoa. i. vt occurrerent, scilicet velut hostes, sacerdotibus domini, occidendo eos. Vertendum est ergo hic. Ne fortè occurrat nobis. f. vt hostis in peste, seu cum peste, vel cum gladio occidendo. f. nos. Dictionis etiam deber (quam pestẽ omnes vertunt) significatio propria, non plenè nota est. Radix. f. Dabar significat loqui. ad quod deber. i. pestis, nullã videtur habere allusionẽ, nisi dicamus significare desolationem, sicut midbar, desertum, quod est ab eadem radice. Putarem tamẽ Midbar significare desertum, quod vocem reddat loquentis, quam latini, echo vocant. De qua Ouidius. Hic coeamus ait, Coëamus dixerat echo. Quod si verum est: possemus hic vertere. Ne fortè occurrat nobis desolatione, aut gladio.

Quare Mosch, & Aharon, cessare facitis populum ab operibus suis?

Tam multas, & varias significationes Hebræi tribuunt verbo para, vt in hoc ipso cognoscas, eos propriã ignorare. Dicunt enim significare, deficere, rebellare, elongare, cessare, denudare, vlcisci, occultare, retrocedere. quo quid confusius esse potest? Cõstat enim ex hoc loco, quod in regulis admonuimus, eos, scilicet significationem verbis, & nominibus tribuere, prout eis apparet contextum exigere. Expensis tamen locis, quibus verbum ponitur, videtur proprie significare nudare, priuare, aut priuari, spoliari, discooperire, quæ omnia idem significare videntur. Quod verò significet nudare, constat. 1. Numer. 5. vbi dicitur. Vparahah est, & denudabit sacerdos caput mulieris, id est, capillos eius. Sic Leuit. 13. Et caput eius erit parsa, id est, denudatum. Idem capite. 21. eiusdem. Caput suũ non liphra, id est, denudabit. Et capit. 10. Capita vestra, non tiphran, id est, discooperiatis. Posset ergo hic verti. Quare Mosch, & Aharõ denudatis, id est, priuatis, seu spoliatis populum, ab operibus suis, aub denudare facitis, aut priuare facitis. Ac si dicat. Quare auferetis à populo opera sua? De huius verbi significatione, dicemus infra capite. 32. vbi est locus difficilis, in quo hoc verbum ponitur.

Cessare facitis eos à laboribus suis.

Verba hæc exactoribus, & prefectis dicuntur, vt statim sequitur.

Præcepit exactoribus populi, & præfectis eius.

Verbum naga, significare exigere, ex multis scripturæ locis constat, & noges exactorem, & hos fuisse Ægyptios credo: quoniam non videtur rex Ægypti exactoribus Hebræis, & isti virgas suas habebant, ad puniendum eos, qui pensum laterum non æquarent. Vnde Isaiæ. 9. habes. Virgam exactoris eius superasti. Quo loco, idem nomen ponitur. Soter verò præfectum significare videtur, qui populum dirigebat, & minora decidabat. Deuteronomij. 15. legis. Iudices ve Sotherim, id est, præfectos pones tibi: in omnibus portis tuis. Et Prouerbio. 6. de formicis, aut locustis loquens, dicit. Non est ei princeps, neque præfectus. Vbi ponitur nomen sother. Hic verò videtur præfectos etiam significare, quos reor ex filiis Israel fuisse, quoniam infra leguntur cæsi, quod rex Ægypti, fieri non fecisset, sed de his in sequentibus, & posset etiam dici fuisse ex filiis Israel.

Non adiicietis dare paleam populo.

Duplex est apud nos genus laterum: Aliqui sunt parui, quos vocant ladrilhos, id est, lateres, Itali verò quadrellos, quod quadrilateri sint. Alij verò magni qui vocantur adobes, & hoc interest inter eos, quod parui non habent commixtam paleam, & in furno decoquuntur: Magni verò commixtas habent, & excocantur ad solem. Et ex. 2. non fiunt ædificia alicuius momenti, sed benè ex prioribus: ideo credendum est illo in tempore, omnibus paleam admisceri: quoniam ex huiusmodi lateribus dicuntur vrbis mœnia ædificata cap. 1. huius libri.

Quoniam ociosi sunt. Non conuenit inter Hebræos de propria significatione raphah, id est, otiosum esse, vt plurimũ significat remissum esse, debilitari, vt patet Ierc. 38. Ecce ipse meraphe, id est, debilitans, seu debilitare faciens, manus, virorum belli. Aut vt nostri dicunt affloxar, *Faciunt in ea*, scilicet seruitute, aut faciant eam, id est, exerceant se in opere seruili.

Et non confidant in verbis mendacij.

Verbo saah, tam Hebræi, quàm nostri, varias tribuunt significationes, vt solent, scilicet aspicere, sperare, confidere, tenere, formidare, & desinere: cum verbum solum significet desinere, & quiescere. Iob. 14. Secch. i. desine ab illo, & Isa. 22. Seu. i. definite à me, quæ quidem significatio congruit omnibus aliis locis: quibus verbum ponitur. Vt Gen. 4. vbi nostri vertunt. Ad Cain

& ad munus eius non saah, id est, respexit. Tu melius vertas. in Cain, & munere eius non quieuit, seu requieuit. Sic Isaiæ. 31. vbi vertunt. Non sau, id est, respexerunt, ad sanctum Israel, tu posses vertere. Non quieuerunt in sancto Israelis. Sic Psal. 119. vbi mutantes significationem interpretantur. Veessah, id est, delectabor in statutis eius semper: interpretari potest. Et requiescam in mandatis tuis, seu acquiescam. Sic in aliis infinitis locis.

Vbi inueneritis. Hebraicè à quo inueneritis, scilicet dono, aut mutuo.

Ad colligendum stipulam, pro palea.

Dictio chas, quam omnes hic stipulam vertunt, est à verbo chassas, quod est colligere: vnde verti posset. Ad colligendum collectionem pro palea. Et per collectionem intellige congeriem stipularum: quas ventus colligere solet.

Et exactores vrgebant.

Varias, ac etiam contrarias significationes, tribuunt Hebræi verbo vts, scilicet festinare, differre, angustiis afficere, & elongare: quoniam propriam ignorant, & fere vbique congruit festinare, nisi Iosuah. 17. vbi habetur. Si ats, id est, angustus est tibi mõs Ephraim. Vbi si vertas festinus, non quadrat. Ieremiæ etiam. 17. vertit Sanctes. Ego non elongaui meipsum, vt essem pastor post te. Et in lexico vertit. Et ego non festinaui. Neque potui certam coniecturam inuenire: ad sciendum propriam significationem.

Rem diei in die suo. Hebraismus est: pro pensum solitum facere, vnoquoque die.

Et percussi sunt præfecti filiorum Israel.

Admonui supra, hos præfectos esse de numero filiorum Israel, non autem exactores.

Sicut heri, & nudiustertius, etiam heri, etiam hodie.

Transposita videntur verba, & legendum est.

Quare non perfecistis statutum vestrum, ad conficiendos lateres heri, et hodie, sicut heri, et nudiustertius, id est, sicut tempore præcedenti? Sic inferius statim.

Et lateres dicunt nobis facite, pro, Et dicunt nobis, facite lateres. Gaudet enim Hebraismus, huiusmodi, mutationibus.

Et peccatum, scilicet est in populum tuum, id est, culpa plagæ nostræ, est in populum tuum: qui nos immeritos cædit. Sumitur aliquando chatat, pro peccato, & nonnunquam pro peccati pœna. Vnde Sanctes noster, in secunda significatione nomen accipiens, vertit. Et punitur populus tuus. In priori etiam significatione, sic posset verti. Et peccatum, scilicet committit populus tuus: cædens nos, aut & peccatur in populum tuũ, id est, in nos, qui sumus populus tuus, & iste sensus mihi simplicior videtur.

Et ait, scilicet Parhoh. *Laxati estis, seu remissiores facti,* quod alij vertunt. Vacatis otio.

Et viderunt præfecti Israel eos in malum, isti videntur fuisse alij præfecti Ægyptij. Aliqui tamen putant, tam præfectos, quam exactores fuisse Ægyptios. Res incerta est. Et per videre in malum, intellige videre torue, aut ad puniendum.

Fetere fecistis odorem nostrum, id est, abominabiles nos fecistis in oculis Parhoh. Dixi in explicatione Hebraismorum: de sensu huius Hebraismi.

Quare malefecisti, id est, causa afflictionis fuisti populo tuo?

Quoniam in manu forti, id est, in potestate mea forti, quam exercebo contra eum: dimittet vos, & coget vos exire.

CAPITIS. V. AD NOSTRAM eruditionem.

Dimitte populũ meũ, vt festa celebret mihi in deserto. Non libenter dominus accipit ministeria tristia, sed hilarem ministrum diligit: hac de causa noluit populum suum, sibi festa in Ægypto celebrare: quoniam cùm esset captiuus, non posset in hilaritate seruire. Habes etiam hic Deum, non vocare semper suos ad sudores & labores, sed ad festa celebranda: talia sunt enim ministeria Dei, scilicet festos agere dies ita, vt ministri Dei otio vacare dicantur. Debet tamẽ populus, etiam in captiuitate: Deum suum laudare.

Quis est dominus, quod audiam vocem eius, ad dimittendum Israel? Orabat sapientissimus Salomõ Prouer. 30. Dominum. Diuitias (inquit) ne dederis mihi. Sed quare bone Rex sic à diuitiis abhorres? Ne fortè, inquit, satier, & negem, & dicam, Quis est dominus. Raro qui potentes sunt, Deum cognoscunt. Sed quare hoc? Cum enim hominum conditio sit, Deum & hominem cognoscere propter indigẽtiam, & vtilitatem: qui raro indigent, Deum non cognoscunt, neque præcantur. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia. Dixerũt quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsos? Et mirum valde est, quod Deus maximè reges & principes curet: ipsi verò ipsum negligant, & paruifaciant.

Non cognoui Dominum, & Israel non dimittam.

Docemur vnde obedientia, & inobedientia ad Deum procedant. Nempe ex hoc, quod quilibet cognoscere, vel non cognoscere vult Deum. Vnde qui Deo maximè obsequi voluerit, nitatur Deum, & multa de eo cognoscere.

Deus Hebræorum occurrit nobis.

Ostendit locus iste, qualiter qui Deum verum cognoscit, debeat eum colere, neque obliuioni tradere sacrificia eius, ne Deus suus sibi occurrat iratus. Admonui etiam superius, non esse immolandum Deo in quocunque loco, maximè, in medio nationis prauæ. Necessarium est ei, qui Deo vult sacrificare, à malis recedere, nisi ab eis se curet elongare via. 3. dierum. Discè etiam hic qualiter Deo tuo obedias. Non dicunt. Deus Hebræorum nobis hoc præcepit, sed tantum occurrit nobis, & statim quasi diuinantes voluntatem eius, volunt ire viam. 3. dierum. Gens, ait Psal. quam non cognoui, in auditu auris obediuit mihi.

Quare Mosch, & Aharon abstrahitis populum?

Seruis non est de libertate loquendum, ne à suis operibus impediantur, & arguendi sunt, qui opera seruorum impediunt. Quemadmodum sunt multi loquaces, qui non solum tempus suum terunt gnauiter, sed alios impedire non cessant. Ægrè ferunt etiam tyranni, esse aliquos qui libertatem suis suadeant, maximè diabolus, qui mirum in modum conatur, ne quis peccatori prædicet libertatem seruorum Dei. Qui enim de libertate non audiuit, seruitutem pro libertate amplectitur. Non causantur viæ longitudinem, neque deserti squalorem, sed omnes senes, & paruuli ire volunt viam trium dierum in desertum.

Non adiicietis dare paleam populo.

Quid hoc quæso est Domine, vt prædices libertatem, & augeas seruitutem, & laborem pro requie, dare tuis videaris? Docet nos in beneficiis paratos esse ad tentationes. Cùm enim spem alicui dat, statim desperatione tentat, & videtur spem quam dedit, velle auferre, aut incertam ostendere. Cùm enim Abrahæ polliceretur semen sicut arenam maris, non multò post ad occidendum filium impulit, vt eum cui pollicebatur sobolem innumeram, orbitate tentaret. Sic & hic, cùm populo promitteret libertatem, auxit seruitutem. Vrget sæpius grauiter bonos, dum tyrannidem diaboli, & peccati exuere volunt, metus priuationis adiutorij, quod à malis habent, & ita sæpius eos stringere videtur, vt sine eo viuere se posse desperent: quare malunt ei perpetuo subesse, quàm eius auxilio priuari. Quoties fœmina cupit concubinatum deserere, sed cogitans apud se, fame se cruciandam, aut necessaria sibi defutura, non audet iugum peccati reiicere, qui tunc illud magis stringit, cum videt miserum peccatorem fugam moliri. Sed cogitare debet peccator, omnia auxilia peccati paleas esse, quæ aliquid esse videntur, cùm nihil sint: & putare nihil sibi defuturum, si paleas diaboli abiiciat. Sunt qui mystice per opera luti, & lateris, opera crimino sa intelligunt: per paleas verò, peccatorum occasiones, quas dæmon subministrat peccato-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ribus, quamdiu recessum non adornant, aut non plene subiectos habet, cum verò habuerit, cogit quærere occasiones, quas ille antea subministrabat. Quoties sine vlla tentatione, & cum longè abest peccandi occasio, peccator eā maxima solicitudine quærit, & paleas quibus malum opus alteri cōiungat solicite inquirit.

Otio vacant. Otia videntur malis opera piorum, etiam si maximè laborent in operibus Dei, neque decipiuntur: quoniam omnia ministeria Dei, si ad opera peccatorum conferantur otia sunt.

Non do vobis paleas. Audis hic certè, ex quàm leui re, occasionem sæuiendi in pios, mali sumant, & ab eis quod impossibile est, prætare exigant. Similiter quanti faciant principes, etiam si quæ minima suis dederint. Dat iste paleas, & quanti faciat munus videt negando illas.

Exactores vrgebant eos dicentes.

Nullus ex his ministris, ausus est dicere regi, cur ita facis? aut piorum causam agere apud regem, vt omnia Deo deberent.

Otio torpetis. Quid sperandum est, cum ille qui aliorum errores corrigere debet, iniustitiæ autor est? Deus summus interpellandus est. Audis hic (ni fallor) qualibus prepediantur, qui deo seruire volunt, sed omnia sunt ferenda, & superanda.

Intuiti sint eos ad malum.

Commune hoc est, vt torue aspiciant serui eos, quos viderint à Dominis suis odio haberi. Vide quæ de hac re annotauimus Gen. 4. Nam odio habent, quos domini oderunt, etiam si cognoscant dominos irrationabiliter odisse. Transierunt enim in affectum eorum, vt eos solos diligant, aut odio habeant: quos oderunt, vel amant domini eorum.

Peccatur in populum tuum.

Non vult Dominus, malos ignorantiam in vllis posse prætendere, sed esse, qui peccata illis obiiciant.

Occurrerunt Mosi & Aaron.

Periculosum valde est, irato etiam si iustus sit, occurrere. Vbi similiter disce, quanta pati oporteat seruos dei, etiam à suis quorum crusam agunt.

Videat Dominus super vos & iudicet.

Omnes querelas suas iusti referunt ad iudicium Dei: quoniam norunt quàm iustus in iudiciis sit. Cognoui air Psal. quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.

Qui fetere fecistis odorem nostrum.

Non vult Dominus suos, malis in operibus suis, placere velle, sed solum sibi, & hac de causa odorem in se torrem vertit. Si hominibus placere vellem, Christi seruus non essem (ait Paulus.) Sed nonne Iudæi. nuntium acceptastis? & Deo pro redemptione, gratias egistis? Quid ergo nunc yociferamini? Non finit passio adflictos rectum iudicium habere.

Quare male fecisti populo huic?

Solent iusti, Deum facere autorem suorum malorum, vt ab eo, aut vindicentur, aut coronentur propter mala, quæ eius gratia tolerant. Et eum quasi verbis suis non stare arguunt: quod promiserit liberare eos, neq; tamen liberauerit.

Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni.

Sinit dominus suo occulto iudicio impios in impietatem crescere, vt durius puniat. Audis etiam hic, impios admonitionibus fieri deteriores.

CAPITIS. VI. AD LITERAM annotationes.

Visus sum ab Abraham, Isaac, Iacob, in Deum omnipotentem, & nomine meo Iehouah non innotui eis, aut non sum cognitus eis.

Difficilis valde est locus iste, qualiter, scilicet Deus patribus fuerit visus in deum omnipotentem, neq, tamen eis innotuerit sub nomine Iehouah. Cùm Gene. 4. dicatur, tempore Enos ceptam inuocationem huius nominis. Nisi dicamus. Nomen quidem tunc temporis notum, vim verò nominis non, sed nunc notificādum Israelitis. Quod autem locū difficilem reddit, est ignorantia significationis horum nominum, scilicet Sadai, & Iehouah. Et quidam nō curantes horum nominum significationem, dicunt deum nunquam ea familiaritate cum patribus vsum fuisse, vt eis diceret. Hoc est nomen meum, scilicet, Iehouah, licet ipsi eū, sub illo nomine inuocauerint, innotuisse tamen eis, sub nomine Dei omnipotentis: ostendendo illis signa, & magnalia sua, vt sit sensus. Visus sum patribus, Deus omnipotens, scilicet ostendendo illis mirabilia mea, sed nō eis visus sum familiaritate illa, vt indicarem eis Iehouah esse nomen meum, quod nunc vobis ostendā. Sed hæc expositio non multum arridet, quare ea omissa, examinanda est significatio vtriusq; nominis, scilicet Sadai, & Iehouah: Nam El, notū est, à fortitudine sumptum esse. Quidam autem voluerunt nomen Sadai, esse compositum ex (scin) litera seruili, & dai quod est copia, sufficiētia: vt idē sit Sadai, quod cui sufficit, aut cui sufficientia, & tunc sensus est. Ego sum Iehouah, Et visus sum patribus, in deum cui sufficit, seu in deū sufficientem, quia, scilicet nullo indiget: cōferendo illis bona, sed non indicaui illis nomē meum Iehouah, aut in se, aut secundum suā vim. Sed neq; ista interpretatio multum placet, licet possit tolerari. Si verò nomē Sadai sit simplex nomen, quærenda est eius radix, & significatio examinanda. Significat autem Sadad, à quo Sadai, fugere, & prædari, quod nihil aliud esse videatur prædari, quàm aliorū opes fugere. Vnde Sad. i. mamma, vbera, sic dictum quia fugitur. Threno. 4. Sed & serpētes eduxerunt sad. i. mammam. Iohe. 2. & fugentes sadabim, id est, vbera, etiam nomen Sod, quod idem significat, scilicet mammam Isaiæ. 60. Vesod, id est, & mamillam regum fuges. Potest ergo nomen sadai deriuari à sad, quod mammam significat, & asadad, quod significat prædari, expilare, & si à sad, significabit deum quatenus præbet vbertatem, seu bona sua in nos effundit: quemadmodum ab vbere, lac diffunditur. Si verò à sadad, quod est prædari, seu expilare: significat Deū, quatenus est fortis prædator. Secundo aduertendum est, nomen Iehouah (vt videtur) derinari à radice hauah, quæ significat esse, sed non solum. Nam ab eadem radice est houah, quod secundum Hebræos significat contritionem, accidens malum, siue malum euentum: vt patet Ezechiæ. 7. vbi dicitur houah al houah, id est, contritio super cōtritionem veniet. Sic Isa. 47. Cadet super te houah, id est, contritio, aut malus euentus. Videtur autem nomen Iehouah, potius deriuari ab houah, quàm ab hauah, quod est esse: Cùm maiorem conueniētiam habeat ad houah, quàm ad hauah. Vnde videtur Deum significare, quatenus conterit, & vastat, aut ab eo est malus euentus. Si ergo accipiamus sadai quatenus significat Deum, vt se diffundit in nos abunde, & Iehouah vt significat Deū, sub ratione conterentis, sensus erit. Ego sum Iehouah, id est, deus conterens, & visus sum patribus in Deum diffundentem se, seu in fortem diffundentem se, sed in nomine meo Iehouah, id est, sub ratione conterentis, non innotui eis, sicut modo faciam. Ac si dicat. Ego quidem sum Deus conterens, sed sub hac ratione, non fui notus patribus, quoniam magis curaui ostendere me illis benesicum, quàm conterem inimicos eorum. Vnde Gen. 35 postquam Dominus dixerat Iaacob. Ego sum el Saddai, statim addidit. Crescе, & multiplica te quasi ostendens vim nominis saddai, quod sit facere crescere, & multiplicare. Idem capite. 28. vbi Isaac benedicens Iacob dicit. Et el saddai benedicat tibi & crescere faciat te, cùm ergo benedicere Dei, sit benefacere, & ad benedicendum inuocetur Deus sub nomine sadai, videtur sadai importare deū vt beneficum. Quę sensum textus infra cap. 15. approbare videtur: vbi suffocatis hostibus, dicunt Israelitę, se cognouisse nomen dominī esse Iehouah. Sic enim textus dicit. Iehouah vir preli. Iehouah nomē eius: ac si dicant. Nesciebamus Iehouah esse virum bellatorem. Nesciebamus nomen eius esse Iehouah, id est, bellatorem, & destructorem, sed nunc experimento hoc didicimus. Si verò accipiatur sadai, vt

vt significat fugentem, seu prædantem aliena bona: nunc sensus erit. Ego sum Iehouah, id est, conterens, & debellans, & visus sum patribus in fortem expilatorem, accipiendo bona ab aliis, & tradendo eis quemadmodum ex bonis Laban ditauit Iaacob, vnde & vxores dicunt ipsi Iaacob Gene. 31. tulit Dominus opes patris nostri, & dedit nobis, & ex bonis Philistinorum Isaac, sed in nomine meo Iehouah, id est, sub conterentis ratione, non innotui eis: quoniam nolui propter eos populos, & gentes conterere, ostendendo me virum bellatorem: vt modo faciam. Colligendo ergo quæ diximus, habes huius loci tres expositiones: Prima non curat nominum interpretationem, & reddit hunc sensum. Ego sum Iehouah, ad est, vocor Iehouah, & ostendi me patribus omnipotentem, tribuendo illis bona, sed in nomine meo Iehouah, non sum cognitus eis, id est, nemini eorum indicaui, me vocari Iehouah, quemadmodum modo me ostendo. Vnde infra dicitur. Ego Iehouah. Secunda expositio, nomina interpretatur, scilicet Sadai, & Iehouah, modis supradictis, scilicet Sadai Deum vberem, seu qui vbertatem præbet: & Iehouah conterentem. Et sensus est. Ego quidem sum Iehouah, id est, conterens, sed sub hoc nomine, non apparui patribus, sed sub nomine conferentis vbertatē. Sed nunc ostendam me esse Iehouah, id est, conterentem. Vnde sequitur. Idcirco dic filiis Israel. Ego Iehouah, & educam vos ex oneribus Ægypti, & eruam vos à seruitute eorum, & redimam vos brachio extento, & iudiciis magnis, vbi videtur explicare nomen Iehouah. Tertia etiam, nomina interpretatur, & per nomen Sadai intelligit Deum sub ratione prædatoris, & Iehouah putat significare Deum quatenus conterit, quēadmodum secunda, & sensus est. Ego conterens, Et visus sum Abrahæ, Isaac, & Iaacob, in fortem prædatorem, auferendo bona Chenanæorum, & dando illis, præsertim terram quam illis promisi, sed non sum visus eis, sub nomine conterētis regna, & nationes propter eos, vt modo faciā propter vos. Et inter has. 3. 2. mihi germanior apparet. Hæc etiam tertia non longè est à litera. Videtur enim sequens litera, eam explicare. Dicit enim Deus se pactum statuisse cum patribus de danda terra, vbi videtur explicare quid sit dictu, in forte prædatorem: qui scilicet prædatus sim Chenanęis terram, & vobis tradiderim. Postea verò videtur explicare, quare dixerit se non innotuisse eis sub nomine conterētis, sed modo hoc sit facturus, cum sequitur.

Et audiui clamorem filiorum Israel, & educam ex oneribus Ægypti in brachio extento. Vnde ante hæc vltima verba dicit.

Idcirco dic filiis Israel. Ego Iehouah.

Quod si aliqua harum expositionum non satiat appetitum tuum, quære aliam meliorem, nos quod nobis videbatur diximus. Quod autem omnes ferè interpretantur Sadai, omnipotentem, non video quomodo quadrare possit, cùm non conueniat vllo pacto significationi radicis, quæcunque illa sit, vt iam diximus, & crediderim ego, quæ in radice hauah, significant esse, non pertinere ad hauah, sed ad haiah, quod est esse. Houah verò, id est, contritio, pertinere ad radicē hanc. Diximus autem multa de hoc nomine Gene. 1. vbi quædā de religione, & veneratione eius apud Iudæos, ex aliis recitauimus, si tamen communem expositionem sequi velis, scilicet quod patribus confuse innotuerit, & indicauerit nomen Iehouah, non tamen vim ipsius distincte, aut vt Caietanus sentit, non indicauit eis, quod nomen eius Iehouah importat. Ero qui ero, quemadmodum tibi & Israelitis modo, quæ expositio quadrat, si nomen Iehouah, ab esse ortum habeat, non prohibeo.

Accipiam vos mihi in populum.

Postquam ab Ægyptiis redemero, accipiam mihi. Modo estis alterius, sed ego liberatos, ad me assumam.

Qui eduxi vos de oneribus Ægypti.

Hebraicè significātius habetur. De sub oneribus Ægypti, quasi scilicet oppressos.

Ad terram pro qua leuauit manum meam, vt daret eam Abraham.

Admonuimus in Hebraismorum explicatione, leuare manū esse iurare; quod modus iurandi illius temporis fuerit: leuando manum ad cœlum, qui quidem iurandi modus à Deo ortum habuisse videtur: Nam Deut. 32. habes. Leuabo ad cœlum manum meam: & dicam viuo, ego in æternum.

Ego Dominus. Verba sunt confirmatiua promissionum, & cōminationum: frequētia in libris legalibus.

Propter angustiam spiritus.

Significat chaſor propriè stringere, arctare, angustiare, vnde chofer, id est, strictio, angustia. Stringebatur, & breuiabatur illis spiritus, propter onera aut propter angustiam, & propter duram seruitutem: In vtroque enim affligebantur, scilicet in spiritu, qui angustiabatur, & in corpore, quod dura seruitute præmebatur.

Ego incircumcisus labiis, id est, grossiora quàm decet labia habeo, quæ circumcisione egere videntur.

Mandauit eos ad filios Israel: vt scilicet iterum consolarentur eos, & pollicerentur libertatem.

Ista sunt capita domus patrum eorum.

Non constat ad quid modo supputentur huiusmodi generationes. Sed textus in fine ostendit: ad quid reputauerit huiusmodi progeniem, quod scilicet propter duces, vt sciremus qui sint isti duces Mosch, & Aaron: quibus Deus commisit negotium redemptionis Israel Et per capita intelligit præcipuos, seu priores in domibus. Vnde non recensentur filij Iaacob, nisi vsq; ad Leui, vt sciamus supputationem factam propter tribum Leui.

Accepit Amram Iochebet, amitam, sibi in vxorem.

Arbitratus est Paulus Burgensis hanc Iochebet fuisse auiam Amram, non sororem, Chaat patris Amram. Sed quod soror germana fuerit Chaat, constat Numeri. 26. Constat etiam ex hoc loco legi naturæ non aduersari, coniugium cum amita, id est, sorore patris, quoniam ante legem eo, populus Dei, vtebatur.

Et fuit in die, scilicet illa. *Locutus est Dominus ad Mosen.* Aut. *Et fuit in die* quo locutus est Dominus ad Mosen, in terra Ægypti. Et locutus est, scilicet quæ sequuntur. Vel. Et fuit in die, scilicet sequenti, post præcedentes allocutiones.

CAPITIS. VI. AD NOSTRAM eruditionem.

Conspectus sum Abraham, Isaac, & Iacob in Deo vberi, seu vbertatem præbenti.

Quod diuersis nominibus Deum, nunc quidem patrem, nūc magistrū, vocemus, (ait Beatus Bernardus) nō illius simplicissime, & omnino inuariabilis naturę, diuersitas vlla in causa est, sed affectionum nostrarum multiplex variatio, secundum diuersos profectus animæ, vel defectus. Videntur enim quædam animæ sub patre familias agere, quædam sub Domino, quædam sub magistro, quædam quoque sub patre, & nonnullæ sub sponso, vt cum proficientibus proficere, cum mutatis mutari videatur, & ipse qui (iuxta prophetam) mutat quidē creaturas, & mutabuntur, licet ipse idem sit, & anni eius non deficiant. Cum sancto (inquit) sanctus eris, & cum viro innocēte, innocens eris: cum electo electus eris, atque (vt magis miremur) & cum peruerso peruerteris. Sunt enim quidā, quibus Deus summa illa bonitas se vberem, ac benesicum exhibet, qualem se patribus prius exhibuit: quibus multa bona pollicitus est, & exhibuit. quos per maximas probauit tentationes in personis propriis. Alios verò probauit per ignē, & aquas: quos ex fornace ferrea eripuit, vt se nobis talē exhibeat, quales sunt erga ipsum affectiones nostræ. Aliis se vindicē ostendit, dum ipsis tacentibus pro eis aduersus aduersarios dimicat. Vbi simul docet quamdiu abscēdit iram, neq; exerit gladium, nisi cum quis cum animaduertere in se cogit.

Sermone de diuersis affectibus animæ.

Psal.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Audiui clamorem eorum, & recordatus sum pacti mei. O amice hominum dulcis, & stabilis, qui tunc recordaris tuorum, quando sunt in maximis angustiis, & pressuris. Nos cùm fœlices amicos videmus, eorum recordamur, in aduersis verò, obliuiscimur. Deus autem non sic, sed in nostra fœlicitate, nostri oblitus videtur, in aduersitate recordatur. Neque solum patrum recordatur: quos quasi prima poma in ficulnea vidit, sed filiorum, inter quos multi erant, qui eum suis malis operibus cotidie prouocabant. Sed quærendum esset cur Dominus eos, quos ad se volebat recipere, ex tantis eripuerit malis, vt ex seruis liberos fecerit, ex afflictis consolari voluerit? Et meo iudicio, voluit ostendere, quàm deuinctos nos sibi habere volebat. Filius enim, quoniam sui iuris est, facilè patrē deserit, quemadmodum prodigus ille (cuius Lucas meminit) qui portionem suam ex patre voluit: à quo statim in longinquam regionem discessit. Seruus verò, quia seruus est, & si ipse discedere velit, aut post fugam redire voluerit, quia nostrum argentum est retinemus, aut quærimus inuitum. Quantumcunq; enim Israel se ire perditum voluerit, iure tamen dominij, à Domino requisitus est. Secundo, vt beneficiorum memor, ab eo nunquàm discederet, & mandata eius seruaret.

Redimam vos in brachio extenso, & in iudicijs magnis. Singularia, & inassueta sunt, quæ Deus sanctis suis facit. Non est contentus redimere eos, nisi magna inimicorum clade, id fecerit. Et si eis parcere debet, aut eorum misereri, exaltat se ad hoc, & vires extendere videtur. Habes enim Isaiæ. 30. Expectat Dominus, vt misereatur vestri: & exaltabitur parcens vobis. Sic &
Luce. 1. apud Lucam. Et audierunt vicini, & cognati Zachariæ, quòd magnificasset Dominus misericordiā suam, cum illa. Potuit enim potentissimus Deus paruo negotio suos redimere, sed brachium extendere voluit, & magna iudicia in hostes exercere: vt magis obnoxios sibi faceret.

Accipiam vos in populum.

Attende quæso quales nos accipit Deus, & quales reddat. Nempe seruituti obnoxios, oneribus detritos, miseros, & miserabiles. Qualem ipse Synagogam elegit, pulchrè depingit apud Ezechie. cap. 16. Proiecta (inquit) eras super faciem agri, in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es, & quæ sequuntur.

Pro qua leuauí manum meam.

Psal. Admonui in Genesi. Deum velle suos spe, & re ipsa lætari. Lætatus (inquit) sum in his, quę dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Scietis quia ego Dominus, qui educo vos de oneribus Ægypti. Vult Dominus nos scire beneficia eius, &
Psal. hac pœna, punire solet ingratos, scilicet ignorantia beneficiorum suorum. Solet enim Dominus, (vt ait Moseh) nonnunquam dare alicui beneficia sua, sed negare oculos quibus ea cognoscat. Illuminet (ait puer Domini.) Dominus vultum suum super nos, & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Non audierint Moseh. Admonet locus iste, surdo canere, qui animo tristitia occupato, loquitur. Docentur etiam verbi Dei concionatores, non despondere animum, si non acceptent homines, quæ de Deo ipsi loquuntur, sed ad Deum recurrant: vt det audientibus aures ad audiendum.

Ecce filij Israel nō audiūt me: quomodo audiet me Parhoh?

Commune est, vt verbum Dei apud populares, magis fructificet, quàm apud reges, & magnates. & auidius audiatur. Audi Ieremiam capit. 5. Forsitan pauperes sunt, stulti facti sunt: ibo ad maiores alloquar eos. Ipsi enim cognouerunt viam Domini, sed ipsi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula.

Et ego incircumcisus labiis.

Aduerte hic summam optimi concionatoris humilitatem. Nam licet eos meu fauerit, q̄ eū non audiant, culpam tamen huius rei, in caput suum reiicit, dicēs se ex defectu suo non audiri, quod videlicet incircumcisus labiis sit. Recensetur hic progenies Leuitarum propter Moseh, & Aharon, vt sciant iustorū consanguinei, qua de causa notabiles, & noti fiant. Similiter quàm homines Deus ad negotia sua eligere consuerit.

Accepit Aharon Eli seba. Nisi sit pax inter Reges & sacerdotes, omnia corrunt: ideo solebant sacerdotes de tribu regia sibi vxores deligere. Voluit etiam Deus sacerdotes exaltare.

Hic erit Aharon. Prius futurum nominat sacerdotem quàm Ducem: vt sciant Duces se sacerdotibus esse subiectos.

CAPITIS. VII. AD LITERAM annotata.

Dedi te Deum Parhoh: & Aharon frater tuus erit Propheta tuus.

Id est, in tua potestate situm erit facere omnia quæ Deus illi facere posset, scilicet esse iratum, & flagellare, Similiter esse propitium auferendo plagas. Aharon verò dicitur Propheta eius, quoniam prædicebat: quæ ventura erant populo à Moseh. Aut explicatur statim quid sit dictu.

Erit Aharon Propheta tuus.

Quoniam tu loqueris, scilicet Aharon omnia quæ præcepi tibi: ipse verò loquetur illa ad Parhoh: quemadmodum Deus loquebatur Prophetis, & Prophetæ populo. Ponitur autem hic nomē elohim, quod Deum sub ratione iudicis, aut punientis significat. Et verū posset. Dedi te iudicem Parhoh. Sed quod sequitur, priorem sensum probare videtur: quia sequitur. Et Aharon erit Propheta tuus. Non enim dicebatur quis Propheta, nisi veri, aut falsi Dei.

Ego indurabo cor Parhoh.

Explicuimus superius, sensum horum verborum capite. 4. id est, faciam quod non cognoscat signa esse mea, vt sciat me potentiorem se: vnde sequitur duritia cordis eius. Dupliciter enim Deus potest cor alicuius indurare. Vno modo ponendo et aliquid in cordo quod sit causa duricie eius. Alio modo, occultando in se aliquid, quod est occasio, quod res non cedat tāgenti, vt patet in illis qui ibant in castellum Emaus: de quibus dicit Lucas, quod oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Non quod CHRISTVS aliquid imponeret in oculis eorum, sed quia in se occultabat id, quo eum agnoscere possent. Sic Deus non immittebat duritiam in cor Parhoh, sed occultabat signa, ne in eis agnosceret eum superiorem se, cùm scilicet videret magos suos similia facere. Et hic sensus infra probari videtur, vbi Dominus dicit.

Vice hac, ego mitto omnes plagas meas in cor tuum, & in seruos tuos, & in populum tuum, vt scias quod non sit similis mei in omni terra. Et sequitur. *Propter hoc stare feci te*, id est, non statim occidi, & cætera.

Aut ego fortificabo cor eius, id est, dabo vires cordi eius, vt mihi resistere possit. Non enim posset, si ei vtcunque vires non administrarem ad hoc. Sic Pilato dicit Christus. Non haberes in me vllam potestatem nisi datum tibi desuper esset. Ac si dicat. Mihi cederes, nisi tibi Dominus vires positiue administrasset. Neque hoc est cooperari ad peccatum alicuius, vt sic, sed ad id, quod positiuum est in eo, aut alia ratione qua non est peccatum, sed bonum. Nam damnatio Christi ad mortem, in quantum per eam voluit Pilatus populo satisfacere, flagitiosa erat, sed non vt Deus eam ordinabat ad nostram salutem, & vt sic, deus volebat eam, & voluit omnino fieri. Sic voluntas Parhoh, vt erat ad detinendum populum, erat mala, vt verò ordinabatur ad hoc, quod Deus ostenderet in eo gloriam suam, quemadmodum textus dicit, bona, & vt sic, Deus eam roborare dicitur.

Dabo manum meam in Ægyption, id est, punitionem meam. Sumitur enim sæpius manus, pro punitione.

Fuit Moseh, 80. annorum.

Constat ex hoc loco Aharon maiorem natu Moseh, & excessisse tribus annis.

Date

Date vobis portenta, id est, ad probandam vestram missionem, & potestatem aliquod signum. Solet enim potestas in signis, & portentis designari. Nota tamen ex hoc loco haberi, mophet non semper significare portētum quod futurum respicit, sed etiam præsens signum, sicut hic.

Erit in Draconem. Supetius. 4. cum Moseh, eam proiceret, dicitur versa in serpentem: hic verò in Draconem, quoniam voluit Dominus magis deterrere Ægyptios, quàm Moseh.

Sapientes, & maleficos. Non sunt plene nota horum nominum significata, Chacham, videtur significare sapientem, quacunque sapientia, chassaph verò (vt Hebræi dicunt) significat eum qui alsquid naturale mutat ad aspectum oculi. Ex hoc capite videtur significare maleficum, aut præstigiatorem. Michææ. 5. habes. Excidam chessaphim, id est, præstigia de manu tua. Chartumim verò, quod inferius ponitur, constat ex cap. 41. Gene. significare eum, qui coniectatur somnia: quoniam ad hoc vocantur capite citato à Pharaone, sed nomen communius esse videtur, quoniam hic ponitur pro malefico vel præstigiatore, & quos vocauit mechasephim modo vocat chartumim.

Incantationibus suis. Dictio habet, inflammare significat. Vnde lahat. i. flamma, & videntur isti aciebus gladiorum, aut ignis flāma vti, ad suas incantationes.

Non audisti adhuc hoc, scilicet quod misi dicere tibi, seu non obtemperasti. *Fetebit flumen.*

Verbum baas, significat fetere, & beos fetorem. Ex consequenti verò putrescere, quod fetere soleant putrida, infra. 16. Et non hibis. i. putruit, aut fetuit. Aqua enim in sanguinem versa putruit, & fetuit.

Et labor auertent Ægyptij. Incerta est significatio propria verbi laah, quod laborare vertimus eam tamen acceptamus, quoniam communior est. Tribuunt autem ei Hebræi alteram, scilicet ægrè ferre molestè accipere, vt patet Iob. 4. vbi dicitur. Nónne si tentauerit quispiam loqui ad te, tiled. i. ægrè feres, aut molestè accipies? De significatione huius verbi, nōnihil diximus Gen. 19. Ponitur etiam hic in passiua voce, vnde ad literam vertendum esset. Et labor fuit Ægyptiis bibere aquas fluminis, seu de flumine.

Super flumina eorum. Super riuos eorum, & super paludes eorum.

Colligunt Hebræi ex hoc loco, naharot significare flumina magna, Iehor verò riuum, agmon autem stagnum, aut paludem, sed vt aliàs diximus, inuenitur sepius Iehor significare flumen, & agmon, cum inuenia
Exod. 1. tur Iob. 41. significare rotundū, vbi dicitur. Num ponet agmon, id est, circulum in naso eius? crediderim potius significare puteos, & fontes muro circundatos quàm paludes, aut stagna: quia sequitur.

Et super omnem congregationem aquarum: qua sententia comprehendere videtur stagna, lacus, paludes, & id genus alia. Sed tu aduerte Hebræos, ignorare pro priā significationē verbi chauah: à quo michueh quod congregationē vertimus. Et de significatione verbi affatim disputauimus Gen. 1. vbi diximus, verbum in niphal significare cōgregare, aut extēdere. Sed quia chau, id est, linea, est ex hac radice, videtur chau, significare cursum, exitum aquarū, seu decursum ad modū lineæ. Est enim aquæ ductus longus ad modum lineæ. Et inuenio, quod in multis locis chau, significat cursum, seu filum aquæ, aut alterius rei, vt Psal. 19. In omnem terram exiuit chauā, id est, linea, seu cursus eorum ad modum lineæ. Et verbum Iere. 3. Ve nichnu, id est, congregabuntur ad eam omnes gētes: verti posset. Et current lineatim ad eam omnes gētes. Et illud Gen. 1. Dixit Deus Iichaau, id est, cōgregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, verti posset: currant lineatim aquæ quę sub cœlo sunt: ad locum vnum. Et verè puto verbum chauah, significare expectare, & lineatim currere. Rem tamen nondum diffinio. Vnde posset hic verti. Et super omnem cursum aquarum eorū, aut super exitum aquarum eorum.

Et erunt, scilicet omnes aquæ sanguis. Vocatur exi-

tus aquarum linea, quod ad modum fili, aquę nascantur, & egrediantur è fonte. *In ligneis & lapidibus.*

Quidā hoc intelligunt, de vasis ligneis, & lapideis, in quibus, scilicet erat aqua. Posset etiam verti. In canalibus ligneis, & lapideis. Aut interpretādo literam, vt sonat. Sanguis erat, non solum in aquis, sed etiam in lignis, & lāpidibus, quę omnia tincta sanguine erāt. Nam infra dicitur, fuisse sanguinem in tota terra Ægypti. Sed quærendum est, quas aquas malefici in sanguinem verterint, postquā iam omnes erant versæ à Moseh. Et dicendum simul maleficos cum Moseh: vertisse aquas in sanguinem. Sunt tamen qui dicunt eos eas vertisse, quas Ægyptij ad bibendum foderant.

Non posuit cor suum etiam ad hoc.

Hebraismus est, pro noluit aduertere ad hoc. Sumitur enim in sacris literis, sæpius cor pro intellectu, seu cogitatione, secundum illud Psal. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere, id est, intellectū, seu cogitationem.

Foderunt omnes Ægyptij per circuitum.

Verbum chaphar, videtur proprie significare fodere, & ex consequenti erubescere, quod erubescens, ex verecundia velit se infodere, seu sub terra abscondere. Psal. 17. Quia cluperu, id est, erubuerunt quęrentes animam meam, aut infodere voluerunt se sub terra.

CAPITIS. VII. AD MORVM correctionem.

Vide, dedi te pro Deo, ipsi Parhoh.

Expende quæso, quanta sit dignitas sancti Moseh: quem Deus sit euexit, vt Deum Parhoh constitueret. Et similiter quanta sit prudentia eius, & misericordia, vt non eum statim occiderit, sed patientia quasi Dei, tulerit, & admonuerit. Quis enim hominum habens Dei potestatē in inimicum suum, tam sæuum, ad momentum illum ferret? Sed Dominus simul cum potestate, dedit sancto viro longanimitatem: qua regem æquo animo ferret. Neque contentus est, hanc potestatem hominibus communicare, sed ferè omnia peculiaria sua: tradidit dilectis suis. Duo enim Deus, quasi propria habet, scilicet condonare peccata, & miracula facere: quæ tam abunde Apostolis, & sanctis viris communicare dignatus est, vbi etiam expendendum est verbum. Vide, vt cognoscamus quæ à Deo donata sunt vobis, vt non quasi cæci, dona Dei accipiamus.

Aharon frater tuus erit Propheta tuus.

Nunquid, non est Deus sine Prophetis? Non solet Dominus aliquem punire, nisi prius per Prophetam punitionis admoneat, & deterreat. Sic Prælati neminem ferire debent, nisi prius per se, & prędicatores suos ad mōnuerint.

Ego indurabo cor Parhoh, id est, signa fieri permittam per maleficos suos, vnde ipse sumat occasionem indurandi cor suum. Vbi simul disce, quàm sint opera Dei examinanda, vt ex eis cognoscas eum, neque indures te.

Scient Ægyptij, quod ego sum Dominus.

Habes hic, ad quid nobis dantur à Domino flagella: nempe vt deum cognoscamus iratum, quem nolumus cognoscere propitium.

Moseh erat octogenarius. Ad quid nos domine, eius ætatem scire vis? Vt nos doceas quales mittendi sint nuntij, ad ardua negotia, nempe senes, & qui multa experientia didicerint quæ agenda sunt.

Si locutus fuerit ad vos Parhoh, dando Date portētum.

Non debent sancti Dei, temerè signa facere, etiam si possint, sed rogati, aut inuitati: neque debent velle se ostentare: considera Christum seruatorem nostrum: quem nunquam inuenies ex curiositate, sed semper ne cessitate compulsum fecisse, miracula.

Vertetur in Draconem. A dracone incepit, vt regem deterret magis, & non esset opus alia signa adiungere.

Vocauit Parhoh sapientes, et maleficos, & fecerunt ficti & induratum est cor Parhoh.

Nihil magis impios detinet in peccatis suis quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

facere quædam opera similia sanctis. Nam si sancti ieiunant, idem hypocritę faciunt. Idem de oratione, elee mosyna, & aliis bonis operibus. Et quia talia faciunt, & iis peccata sua operiunt à peccatis suis nō retrahunt. Hoc est etiam iniquorum munus, obscurare opera sanctorum. Nihilque magis nocet sanctis operibus, quàm opera hypocritarum. Multi enim iniqui strictius iciunant quàm sancti, & prolixius orant, & id genus multa faciunt, non vt faciant, sed vt obscurent sanctorum opera, sed finis quem in suis operibus, iniqui præ tendunt, inter illos diuidit.

Sed deuorauit. Manent, & perseuerant opera sanctorum, hypocritarum verò veluti palęæ comburuntur, vt dicit Paulus.

Vade ad Parhoh mane. Ecce egredietur ad aquas. Admonentur hic prædicatores, & viri spirituales, non semel admonere peccatorē obduratū, sed sæpius. Vbi similiter discant reges, ad regni negotia mane surgere.

1. Cor. 3. *Vertentur in sanguinem.* Solet Dominus impiorum compedes aggrauare. Prius enim leuiora proponit, postmodum grauiora.

In oculis Parhoh. Mirum valde est, quod dederit Dominus impiis oculos, & in oculis eorum signa faciat, neque tamen sinat eos videre, vnde à malo retrahātur.

Non posuit cor suum, etiam ad hoc. Licet monita multiplices impiis, non curant, neque considerant. Dei enim magnum munus est, cognoscere flagella eius. Hoc interest inter pios, & impios, quòd pij mala, etiam quæ natura proueniunt, flagella Dei esse credunt: impij verò, flagella apertissima Dei, mala à natura venientia arbitrantur.

Fecerunt magi Ægypti sic, incantationibus suis. Possunt mali iuuare mala sua, neque tamen auferre, aut illis mederi.

Foderunt Ægyptij, per circuitson fluminis, aquas. Duo hic aduerte, Alterum Dei clementiam, qua peccatores castigando, non exterminat, sed viam relinquit, qua sibi mederi possint. Alterum, quantum valeat humana industria, quæ sibi inopinata remedia quærit, contra flagella Dei, & quod est diuinæ misericordiæ, tribuit industriæ suæ. Aduerte etiam quomodo per ea quæ quis peccat, torquetur. Peccauerant Ægyptij, aquis fluminis suffocando, & submergendo filios piorum, & ideo voluit Dominus, quod ab aquis punirentur, bibendo sanguinem pro aqua. Et similiter inde, scilicet ex aquis, ranę egressę sunt, quibus percussi sunt. Quia enim aquis, pus nocere voluerunt, ab eis maxima nocumenta passi sunt.

CAP. VIII. AD LITERAM annotationes.

Omnem terminum tuum ranis, id est, omnem terram, quæ sub terminis tuis concluditur.

Erumpere faciet in multitudine fluuius ranas. Non est certa, (vt capite. 1. huius libri diximus, & Gene. 1.) propria significatio verbi sarus, Rabbi Dauid dicit, significare producere in multitudine. Sed de significato abunde dictum est, locis citatis.

In cubiculo lecti tui, aut in cubiculo accubitus tui. In reliquias tuis. Per reliquias, intelligo reliquias ciborū. Aliqui per reliquias, seu residua, fermentum intelligunt, quod ex massa relinquitur. Neque explodo, quoniam solet asseruari, & vult litera dicere, quod quantumcunque asseruatum sit huiusmodi residuum, tamen ad ipsum ingredientur ranæ. Alij verò conspersiones. Nonnulli panaria. Mihi prima expositio magis probatur: quoniam Deut. 28. habetur Benedictum canistrum tuum, vmissare techa, id est, & residuum tuum: quoniam solent reliquiæ panis, canistro asseruari.

Et super paludes, aut super puteos. Quoniam (vt aliàs dixi) agmon, à rotunditate dicitur, ideo puteum significare videtur hac ratione.

Fecerunt sic magi sussurrationibus suis. Quidā hic vertunt, incantationibus suis, sed quia laat significat tegere, & operire, arbitror melius vertere susurrationibus suis, seu occultis sermonibus suis.

Orate Dominum, vt auferat ranas à me. Differimus multa, de significatione verbi atar, Gene. 25. quod potius significet multiplicare, quàm orare, ni si multiplicando preces. Vnde atar, nomē, est densitas, vel multiplicatio. Iezchelis. 8. Vaatar, id est, & densitas nubis suffimenti, ascendebat. Quare posset verti. Multiplicate ad Deum, scilicet preces.

Gloriare super me, quādo multiplicatio tibi, & seruis tuis. Non vsquequaque constat, quid proprie significet verbum paar. Visis tamen locis in quibus ponitur, videtur significare, decorare, siue quis decoretur corona, auro, vestibus, aut ramis, & etiam dedecorare, vt exempla monstrabunt. Isaiæ enim. 60. habes. Gloria Lebanon ad te veniet, Abies, & Buxus, & Pinus, simul Lepaher, id est, ad glorificādum locum sanctuarij mei. Vbi melius vertas. Ad decorandum. Nam signis huiusmodi pretiosis, decoratur locus: licet non omnino respuam, si vertas ad glorificandum. Vnde peer, id est, thiara sic dicta, quod ornet, & decoret eum, qui eam gestat. Ezechiæ. 24. & Isaiæ. 61. significat decorem. Vt darem eis peer, id est, decorem pro cinere, aut coronam, vt Hieronymus vertit: Quod verò etiam dedecorare significet, videtur haberi: ex eo, quod Deuteron. 24. habetur, vbi dicitur, Cùm excusseris oliuam tuam. Non tepaer, id est, non dedecorabis post te, aut non deramificabis post te. Solent enim baccæ decorare arborem, quemadmodum fructus. Sed nondum animus meus in hac significatione quieuit. Locus ergo præsens sic potest explicari. Gloriaberis super me, arbitrando te superiorem me, cum videris me totiens multiplicare preces, seu orare pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo. Alio modo sic. Gloriare super me, & dic, quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo. Sed fateor nondum mentem meam, in aliqua istarum expositionum quieuisse, propter ignorantiam propriæ significationis verbi paar. Secundus tamen sensus videtur simplicior, quem responsio Parhoh probare videtur.

Super causam ranarum. Hebraicè est. Super verbo ranarum. Sed verbum pro re, & causa, ab Hebræis accipitur frequenter.

De domibus, ex atriis, & ex agris. Aliqui pro atriis villas intelligunt, & interpretantur, in villis. Sed dictio chaser, videtur significare atrium, aut introitum, siue domus, siue ciuitatis siue villæ: & est terra inculta, quæ in exitu ciuitatis, relinquitur, ad alenda iumenta, quod nostri vocant ressio. Differt autem ab agro, quoniam ager est cultus, & non est exitus ciuitatis proprie, & communiter habet herbam. Vnde chasir, quod est ab eadē radice, significat viride, seu herbam viridem. Primo Reg. 18. Si fortè inueniamus chasir, id est, herba, aut viride. Et Isaiæ. 15. Aruit chasir. i. herba. Est ergo sensus, quòd mortuæ sunt ranæ, de domibus, & de atriis, aut domorū, aut vrbium, & oppidorum, & villarum, & de agris, scilicet cultis.

Congregauerunt eas aceruos, Aceruos, id est, in multos aceruos. Solet enim Hebraismus, germinatione eiusdem nominis, multitudinem significare: vt in Hebraismis admonuimus. Posset etiam verti.

Mensuras, mensuras: quoniam dictio chomer, certum mensuræ genus, scilicet chomer: significat: quod continet. 30. sata, vel modios. Chabachu, tamē. 3. aceruum significare videtur: vbi dicitur: Chomer, id est, in aceruo, vel cumulo aquarum multarum.

Quod esset respiratio, scilicet à malo ranarum.

Erit in pediculos. Aliqui ciniphes vertunt, Sed ex materia de qua facti sunt, scilicet de puluere terræ, quæ est eiusdem coloris cum pediculis, videtur melius pediculos vertere, & dictionis chinim, id est, pediculi nō inuenitur singulare in scripturis, sed bene apud Hebræos doctores, inuenitur chinah.

Digitis Dei iste, id est, potestas, quæ impedit ne pediculos possimus facere, aut manifesta est hic potentia Dei: Nam quæ digito solent ostendi manifestissima sunt.

sunt. Lucæ vndecimo, dicit Christus. Si in digito Dei id est, manifesta Dei potentia, eiicio dæmonia aut potestate. Nam licet dæmon, ex naturali sua virtute hoc posset, fuit tamen à Domino impeditus: vt Parhoh cognosceret Dei potentiam, & sentiret plagam.

Indurauit est cor Parhoh. Fortsitan arbitrabatur paruam plagam, cui possent sui occurrere.

Mixtionem. Verbum hebraicum arab, licet non sit plenè notum Hebræis, & nostris, & varia illi significata tribuant, ex locis tamen quibus ponitur, videtur significare miscere, aut cōiungere, seu ligare, obligare: de cuius significatione disseruimus. Gene. 44. vbi videre licebit. Vnde arab, hic significat multitudinem, seu coniunctionem diuersarum bestiarum, aut certam speciem commixtam ex diuersis coloribus. Nam Psalmo sexagesimoctauo habes. Exaltate equitantem baarabot, id est, mixtos, vbi videntur esse animalia, aut aues in quæ quis equitare potest. Inde oreb, id est, cornus, sic dictus, quod ex nigredine, & fuscedine videatur mixtus in colore. Sed iam admonui, Hebræos, non cognoscere significata nominum, significantium certum genus animalium.

Et separabo in die illa, id est, separatum faciam, aut rem insolitam, quam nullus, nisi ego, facere potest. Verbum enim pala, separare, & mirificare significat. Prouerb. 30. Tria sunt quæ nipheu, id est, separata sunt à me, aut mirabilia mihi.

Quoniam ego sum Deus in medio terræ, id est, totius terræ. Nam sicut Rex regni vnius, dicitur in medio regni sui esse, ita Deus Rex totius terræ, in medio est totius terræ.

Ponam redemptionem, id est, redimam populum meum ab hac plaga: quod non faciam Ægyptiis.

Corrupta est terra, à facie mixtionis. Non est certum, an ideò fuerit corrupta, quia mortua est huiusmodi mixtio, an quia corrupit ipsa terram comedendo omnia, & deuastando, prius videtur verius.

Sacrificate Domino Deo vestro, in terra: subaudi, hac. *Non est rectum facere sic.* Posset etiam verti. Nō est securum sic facere, quoniam poneremus nos in vitæ discrimine immolando Domino, ea quæ Ægyptij abominantur: Nam quemadmodum abominabantur ouium pastores, (vt dictum est Gene. 46.) ita & oues ipsas ad esum. Vel dicuntur abominatio, nō quòd eas abominarentur, sed quia abominabantur earum occisionem, etiam ad sacrificium. Aliqui ex Hebræis dicunt Moseh, vocare hic pecudes, quas Ægyptij colebant abominationem: quia erant Dij eorum, & Deus idola vocat abominationem. Neque displicet sensus. Est &. 4. scilicet quoniam abominatio est Ægyptiis sacrificiū domini Dei nostri, ac si dicat. Non æquo animo ferent Ægyptij, nos alteri Deo sacrificare in terra eorum, maximè in oculis ipsorum.

Et sacrificabimus abominationem Ægyptiorum in oculis eorum, Et non lapidabunt nos. Quasi dicat: sic.

Orate pro me, Aut multiplicate, scilicet preces, vsque ad me: ac si dicat. Extendite preces vestras, vsque ad me, neque solum oretis pro vobis, & vestris.

CAPITIS. VIII. AD MORVM informationem.

Ingredere ad Parhoh. Mirabilis valdè est Domine, patientia tua. Quis enim, ex potentatibus huius seculi, tanta toleraret regulo, quem flatu debellare posset, totiesque admoneret, & rogaret, neq; iam sęuiret? Arguit patientia Dei, impatientiam nostram.

Percutio omnem terminum tuum ranis. Capite superiori admonui, Ægyptios plagis ex aquis prodeuntibus afflictos, quoniam aquis afflixerunt populum Dei.

Orate ad Dominum. Præ se fert Parhoh iste, omne peccatorum genus, qui cùm puniūtur, emendationem promittunt: Ablata verò punitione, omnia quæ pollicebantur sunt, Deo mentiuntur.

Gloriare super me. Debemus gloriari super iustos, & sanctos, in quorum manu situm est, auferre à nobis mala, quæ infestant nos. Quod contra Lutheranos, attende, dicentes, sanctos non orare pro nobis.

Clamauit Moseh, ad Dominum. Docemur quā feruida debeat esse oratio nostra, etiam pro inimicis.

Vidit quod esset respiratio, & aggrauauit cor suum. Cùm enim mali timore, & plagis, potius quàm amore conuertantur, cùm primum mala cessauerint, ad mala sua redeunt.

Percute puluerem terræ. Premebant Ægyptij Iudæos, in operibus luti, & lateris: & ideò puluere in pediculos verso puniti sunt, vt his quibus torquebant alios, torquerentur. Sunt autem puniti, paruis bestiolis, quæ tamen infensissimæ, & molestissimæ sunt.

Fecerunt Magi, vt educerent. Admonui precedenti capite, malos aggrauare posse mala sua, sed non auferre.

Mitto in te, & seruos tuos mixtionem. Quemadmodum rebelliones impiorum crescunt contra Deum: ita crescere solent cruciatus Dei.

Separabo illa die terram Gosen. Licet enim boni, sæpius cum malis flagellentur, tamen Dominus, suos à malis impiorum eripere. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum, su Psal. per sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Psal. 124.

Vt sciat, quòd ego sum Dominus, in medio terræ. Metaphora sumpta est à Regibus, & Principibus, qui sedes suas ferè habent, in mediis prouinciis, vt melius, & facilius illis prospicere, easque regere, gubernare, tueri, & defendere, cùm opus fuerit, possint, ad similitudinem humani cordis: quod in medio corporis humani constitutū esse videtur: vt ex eo, veluti ex fonte, spiritus vitalis, quo totum viuificatur corpus, cōmodius, in omnia membra, diffundi possit. Hac de causa (inquiunt Hebræi) Deum, sedem suam habere Hierosolymis, voluisse, quæ in meditullio terræ Iudææ sita est: vt æquè, omnibus ad istum locum, vbi cultus Dei erat, & vbi Dominus illis propitius, præcesque eorum exaudire decreuerat, aditus pateret. Qua locutione, etiam Christus in Euangelio vsus est, dicens. Vbi fuerint duo, aut tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum: tanquā, scilicet Dominus, magister, & princeps, vt adsim eis, inuemq; eos, & defendam. Ex quibus, Reges & principes discant, quid piaculi sit, ad angulos regni, pro sua propria cōmoditate confugere: relinquentes loca, vbi commodius suis prospicere possent.

Venit omne genus ferarum genus, seu omnis mixtio, *in domum Parhoh*, Quemadmodum Parhoh fuit primus in culpa, aduersus filios Israel, ita erat prior in pœna, vt domus eius, prius impleretur insectis.

Sacrificate Deo vestro, in terra hac. Non est rectum facere sic. Non sunt audienda malorum consilia, etiam si prima fronte, bona esse videantur. Omnia etiam quæ in Domini sacrificio concurrunt, munda esse debent, & terra, & pecus, offerens, & sacerdos, & omnia alia.

Ite sacrificate Domino, in terra hac. Sinit Diabolus homines facere bona opera, imò ad ea instigat, sed cum aliqua cōditione, quæ bonum opus, malum faciat. Sinebat Parhoh Iudæos colere Deum suum, sed in terra Ægypti, quæ ob cultum idolorum, ei abominabilis erat. Volunt etiam impij pios docere benè operari, qui melius se sinerent à pijs doceri. Sed iusti non norunt sic Deum colere, neque facere bona opera, quæ docent impij.

Non abominationem Ægypti, sacrificabimus. Quæ mundus abominatur, eligit Deus ad sacrificium suum, quæ verò diligit, abominatur ipse, vt sciamus, quàm verè Paulus dixerit. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nonne lapidabunt nos? Prudentiam docet locus iste, etiam in cultu Dei, vt discas, non sacrificare, cum fratris scandalo.

Non elongando elongabitis nos. Etsi aliquando inimicus, sinat hominem peccatorem a se vtcunque discedere: non tamen elongari.

Ego egredior à populo tuo, & orabo pro te.
Facillimè placantur iusti, cùm primum Parhoh rogauit Mosen, statim acquieuit, & pro eo orauit. Vbi tu considera orationis iustorum vim, quę tam facilè iram Dei, in mansuetudinem vertit.

Cras. Nouerat vir Dei impios, opera Domini, beneficio dare naturæ, ideò tempus constituit, vt scirentur, quæ promiserat esse opera Dei.

Ne addat Parhoh, vt mentiatur.
Audiant hoc peccatores, qui quotidie suam conuersionem mentiuntur, quantum hoc Deo displiceat.

Aggrauauit cor vice hac. Fiunt communiter homines, Dei patientia deteriores, & ideò ab eo durius puniuntur, quod, scilicet abutantur patientia eius.

CAPITIS. IX. AD LITERAM annotata.

Adhuc tu retines eos? Magis propriè vertas, adhuc roboras te in eos, aut cum eis, vt scilicet, non dimittas eos, quoniam verbum hazach, roborare, & fortificare, propriè significat.

In pecudibus tuis. Duo sunt hic dubia, Alterum, ad quid Ægyptij pecudes habebant, si non sinebant eas mactare, aut sacrificare. Ad quod Hebræi dicunt, quòd ad lac & lanam, & ministeria alia. Secundum, qualiter habebant oues & pecudes, si pastores earum abominabantur, (vt dictum est Gene. 46.) non enim poterant oues habere, sine pastoribus. Et dicendum, quod non ita abominabantur, vt nullo modo habere vellent: sed vt non penes se, aut (quod verius credo) Aulici, & ciues, abominabantur pastores, non vt nollent habere, sed quia non apud se habere volebant, quemadmodum & nostri, etiam hodie, non libenter pastores vident, aut miscentur huic hominum generi.

Pestis grauis valdè. Admonui sæpius, ignotam esse propriam significationem nominis deber, quod nostri pestem interpretantur: radix eius dabar significat loqui.

Et separabit Dominus, id est, separatam, & mirabilem rem facit.

Posuit Dominus tempus Moed, non quodcunque tempus significat, sed certum, & constitutum. Vnde potius constitutum, & certum significat, quàm tempus: vt constat. 2. Samue. 24. vbi dicitur. Et dedit Dominus pestem in Israel, à mane, vsque ad. Et, moed, id est, ad tempus cõstitutum, vbi si per moed, etiam tempus vertas, inutilem repetitionem facies.

Cras faciet Dominus verbum hoc, aut rem hanc.
Hoc ideo dicit, ne putarent Ægyptij pestem casu euenisse.

Et mortuum est omne pecus Ægyptiorum, id est, pro maiori parte mortua sunt. Sed quod non omnia simpliciter, ex dicendis constat. Nam infra præcipit Dominus Parhoh, vt congreget omne pecus suũ, propter grandinem. Similiter primogenita, vltimò mortua sunt. Solemus enim dicere, cùm maior pars hominum vnius vrbis occiditur, omnes esse occisos, aut omnes segetes vastatas, si maior pars earum perierit.

Tollite vobis plenitudinem volarium vestrarum fauillæ fornacis.

Quemadmodum significatio verbi puah, propria, ignota est: ita & nominis piah, quod fauillam vertimus. Hebræi dicunt, significare, flare, spirare, & illaqueare, ad quod probandum, citant illud Cantico. 2. donec seiaphuah, id est, aspiret dies. Et Isaiæ. 42. Hapeah, id est, illaqueare, in foraminibus. Videtur tamen magis propriè significare flare, flatu pellere, quã illaqueare. Vnde piach, id est, fauilla, quod flatu seu vento pellatur, è fornace, aut quod flatu eleuetur.

Erit in nebulam super omnem terram Ægypti.
Nostri hic omnes, puluerem vertunt, Sed mirum est valdè, quod cinis, cùm sit puluis, in puluerem vertatur. Putarunt nostri, dictionem abach, puluerem significare: propter id quod dicitur Cant. 3. Præ omni abachat, id est, puluere vnguentarij, vbi non pulverem, sed fumum, aut exhalationem significat. Quod autem abach, significet potius nebulam, aut fumum, quàm puluerem: ex multis scripturæ locis probatur. 1. Deuterono. 28. vbi dicitur. Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ. Abach, id est, nebulam, quam nostri mangrãm vocant, quæ segetes vrere solet, & pulverem. Vbi si abach, significet puluerem (vt isti dicunt:) inutilis fiet eiusdem repetitio. Nam ibi habetur. Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ abach ve aphar, vbi aphar puluerem significat, sicut vbique. Vnde ibi quidam arenam, & puluerem vertunt, ad vitandam inutilem eiusdem significationis repetitionem. Alij verò puluerem & terram. Diximus sãtis, de significatione huius nominis, Gene. 32. vbi radix ponitur. Et quod nostri Isa. 5. vertunt. Et germen eorum, sicut puluis ascendet: tu melliis verte: sicut nebula, aut nubes ascendet, seu vt fumus. Sic. 29. Et erit sicut nubes tenuis, aut vt nebula tenuis, potius quàm vt puluis tenuis. Verte ergo hic. Et erit, vt nebula tenuis, seu vt fumus, *in omni terra Ægyptiorum.*

Erit in vlcus germinans inflationes.
Ponuntur hic in hebræo. 3. nomina, scilicet sechin, id est, vlcus, Poreach, id est, germinans, & Parach, id est, inflatio, obscuræ significationis, & prius, scilicet sechin, apud Hebræos, significat vlcus, ex caliditate prouenies. Poreach, verò significat pullulans, germinãs. Nos vocamus brotar, gemmas producere, seu tumẽs. Vnde ephreach, id est, pullus, sic dictus, quod pullulet, & crescat. 3. verò, scilicet aba abuot, significat bullas, seu ampullas, quas aqua ebulliens eleuare solet. Radix nominis (si tamen ea est,) scilicet baah, duo hebræis significat, scilicet inquitere, & bullire, seu fenuere. Et ad priorem significationem probandam, citant illud Isaiæ vigesimoprimo. Si ribaim, id est, querentis, querite. Ad secundam verò, aliud Isaiæ. 64. Aquas, tibeh, id est, ebullire faciet ignis: sed vt dixi, significatio ignota est. In hoc morbo, seu plaga erat vlcus, ex calore procedens, ab illa nebula eleuata productum, quod statim germinabat, & pullulabat in bullas, seu ampullas, quales aqua bulliens, emittere solet. Fuerunt enim vesicæ magnæ, tam in hominibus, quàm in iumentis.

Vice hac, ego mitto omnes plagas meas ad cor tuum, & in seruos tuos, & in populum tuum.
Sensus est. Hucusque, occidi plagis meis pecudes, & iumenta tua, sed iam, nunc dirigam plagas meas futuras, ad cor tuum, id est, tractabo de perdendo te, plagis meis, & seruos tuos, & populum tuum.

Vt cognoscas, quòd non est sicut ego, in omni terra.
Quia nemo te poterit liberare, à plagis meis, aut similes mittere.

Quoniam nunc, misi manum meam, & percussi te, & populum tuum cum peste, & succisus es de terra.

Est quidam Germanus, qui omnes interpretes, pudet, hoc loco hallucinatos: quod verba hæc, per futurum, hoc sensu reddunt, quasi Deus nouam plagam, sit immissurus, qua & Regem, & populum, esset deleturus. Ita enim transtulit vulgatus interpres, quem ferè omnes commentatore. sequuntur. Nunc enim extendens manum, percutiam te & populum tuum peste: peribitisque de terra, & cætera. Sed vbi quæso, inquit Rex Paroh, & populus eius, peste deletus est, cum omnes in mari fuerint suffocati? Satis audaciter ergo vir ille, ex recentioribus Scriptoribus gloriatur, sed diligentissimè hoc caput, in veteri translatione, ad veritatem hebraicam examinasse, & nihil emendatione dignum repperisse: cum certè iste locus, ex veritate hebraica, ita debeat intelligi, Non quod Deus hic comminetur pestem, qua Parhoh, & populum eius perdere, ac de terra delere velit, sicut nostri interpretes intelle-

xellexerunt: sed indicat nõ sibi defuisse potentiam delendi ipsum, cum vniuerso populo suo, si voluisset, pe ste videlicet illa, qua illorum pecora peremerat: sed eum reseruasse, maioribus rebus, vnde futurum sit, vt magis vniuerso orbi, potentia, ac virtus sua innotescat: quod factum est, quando cum omni exercitu suo, in mari suffocatus est, quare textum hunc, iuxta hebraicam veritatem sic legendum putat.

Quoniam nunc extenderam manum meam, vt percutere rem te. Aut si nunc extendissem manum meam, & percussissem te, & populum tuum peste illa, deletus esses de terra.

Quasi dicat, facillimè potuissem, te peste illa perdere, qua perdidi animantia: & iam actum esset de te, & de populo tuo, sed reseruaui te, & cætera. Hæc ille, Cuiusmodi expositionem, apud Rabbi Salomonem, paucioribus verbis inuenies: qui sic habet. Quoniam si voluissem, quando erat manus mea in pecore tuo, percutiendo ea cum peste, misissem quoq, eam, & percussissem te, & populum tuum, vnà cum iumentis: & iam deletus esses. Neque displicet expositio. Alij hunc sensum subesse credunt. Quia nunc, misi manum meam, id est, possem quidem, hoc ipso momento, extendere manum meam, & sæuam pestem, in te, & tuos mittere, vt statim omnes, de terra perires: sed, ideò seruaui te hucusque incolumem, vt ostendam in te fortitudinem meam, vt signa multiplicem, per quæ nomen meum, in terra celebre fiat. Tertio. Sensus est, Hucusque castigaui te, in pecoribus, peste, & aliis plagis, sine occisione tua, & tuorum: sed vice hac, id est, de cætero mitto, pro mittam, omnes plagas meas, id est, à me decretas: in cor tuum, id est, ad perdẽdum te: & loquitur more sagittarij, qui sagittas ad cor mittit, cùm hominem occidere intendit, seu in medio tui, & in seruos tuos, & in populum tuum: vt scias, quòd nõ sit sicut ego, in omni terra. Quia nunc misi manum meam, id est, mittere decreueram, aut mittere cepi, & percussi te, id est, percutere decreueram te, & populum tuum peste, aut mortalitate: & succisus es, id est, esses è terra: sed nolui, & profectò

Propter hoc stare feci te, id est, non delevi, vt videres fortitudinem meam: & enarrare faciam nomen meum, in vniuersa terra.

Similem loquendi modum habes Gene. 20. vbi Dominus dicit ad regem Abimelech. Ecce tu mortuus, id est, statim, aut iamiam moriturus, seu mortuum te reputa, propter mulierem, quã accepisti. Nondum erat mortuus, sed dignus morte. Sic nunc ad Parhoh dicitur. Et succisus es de terra, id est, decretus succidi. Aduerte tamẽ, quòd significatio verbi chachad, quod Sanctes succidere vertit, non est plenè nota Hebræis, qui dicunt significare, occultare, succidere, & remouere. Expensis tamen locis, quibus verbum ponitur: videtur significare propriè occultare, & ex consequenti submergi, aut curuari, quod abscondentes se, soleant se curuare, & de priori significatione, sunt multa exempla, scilicet Hosch. 5. vbi dicitur. Et Israel, non nichehad, id est, absconditus est à me. De. 2. verò Iob. 22. An non nichehad, id est, curuata est, erectio nostra, aut abscondita, vt, scilicet nemo eam cernat? Vbi nostri vertunt, succisa est. Et capite quarto eiusdem. Et vbi recti nichehadu, id est, curuati sunt, aut succisi. Posset etiam verti submergi, quod submersus occultetur, & huic loco, magis quadrare videtur. Aut, & occultatus es de terra, seu absconditus, id est, amplius non esses in terra visus.

Verè propter hoc stare feci te, id est, non succidi, aut deleci, per mortem: vt ostenderem tibi, aut in te, fortitudinem & vt narrare faciam nomen meum, in vniuersa terra.

Sensus est, Iam pridem te occidissem, cùm primum exercui manum meam contra te, sed nolui: & stare feci te, vt ostenderem tibi, fortitudinem meam, in plagis, quas à te nemo auferre poterit, aut te ab eis liberare, & vt notum facerem nomen meum, in omni terra. Nam apud omnes, manifestum est, me te plagis magnis affecisse.

Adhuc tu eleuas te, in populum meũ, vt nõ dimittas eos?

Dicunt tam nostri, quàm Hebræi, verbum salal, significare leuare, exaltare, quibus nullo pacto subscribam, quia video verbum, significare conculcare, conterere, assuescere, in via maximè, vt exemplis, ad oculum mõstrabo. Nam Ieremiæ. 50. habetur Sallahtuah chemo aremim, id est, Calcate eam, sicut aceruos manipulorum. Sic Prouerbiorum. 15. Remita tectorum, selulah, id est, trita, assueta, vt scilicet, nullus in ea possit errare, vbi ipsi vertunt, eleuata. Item Iere. 18. Et Isaiæ. 18. Via noñ sellulah, id est, trita, vt Hieronymus etiã vertit. Alij eleuata. Et Isaiæ. 57. Et dicet, scilicet preco, solu, solu. i. terite, terite, scilicet, viam. Alij eleuate, eleuate Et Prouerb. 4. Salseleah, id est, assuesce ei, & exaltabit te. Idem in aliis multis locis. Vnde hic vertẽdum puto. Adhuc tu teris, seu conteris populũ meum? aut conculcare facis populum meum? Et selelah, non baculum, sed vallum, aut aggerem significat, quod sit terra pedibus conculcata: cui significationi Thargum, astipulatur. Vnde illud Iere. 6. quod nostri vertunt, Succidite lignum, & effundite contra Ierusalem aggerem. Solent enim pugnatores, cùm vrbem expugnare volunt, afferre ligna, & in fossam, quæ mœnia cingit, mittere, & super illa ligna terram, vt obstruãt fossam, ne eis impedimento sit ad capiendam vrbem, & aggeres terræ ducere ante se, ad excipiendos globos, quos aduersarij ex mœniis mittere solent.

A die qua fundata est, aut firmata.
Psal. 2. Et principes, noscedu, id est, firmati sunt pariter, scilicet in consiliis suis aduersus Dominum.

Dominus dedit voces. Vocat hebraismus tonitrua voces Domini: iuxta illud Psal. Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grandinem, & carbones ignis, id est, tonitrua, grandinem, & fulgura. Et quod dicitur.

Et ambulabat ignis, per ignem discurrentem intelligit fulgura.

Fuit grando, & ignis receptus in medio grandinis, id est, fuerunt fulgura inter grandinem, vt solet fieri.

Multum fuerunt, tonitrua Domini, & grando, id est, diu duratunt, aut multa fuerunt tonitrua & grando.

Non addetis vt stetis, id est, non amplius manebitis.

Vt cognoscas, quoniam Domini est terra, vt scilicet faciat in ea, quod voluerit.

Quoniam nondum timeatis, à facie Domini Dei, hebraice habetur. Quoniam antequam timeatis à facie domini Dei, scilicet fient multa signa, & est concisa locutio: ad quam addendum est.

Peribitis. Ac si dicat. Ego noui te, & populum tuũ, quòd antequam timeatis Dominum, peribitis.

Linum & hordeum. Vocatur hordeũ hebraicè scheorah, à sraar; quod est horripilare, quod hordeum habeat quasi pilum, in fine seu extremitate grani.

Quia hordeum spica erat. Aliqui vertunt. Viride erat. Sed abib, potius spicam, quàm viriditatem significat: vt patet Leuit. 2. vbi dicitur. Abib chalui, id est, spicam tostam. Sic Exodi. 13. In mese abib, id est, spicæ. Quem Sanctes male Iulium vertit, quem potius Martium, aut Aprilem puto.

Et linum calamus, id est, in calamo, seu culmo. Dictio tamen gibol, non est plenè nota.

Triticum, & zea non sunt percussa.
Dictionis chesemet significatio, non est bene nota Hebræis. Aliqui zeam vertunt, Alij speltam, frumenti genus. Radix significat tondere. Vnde videtur significare genus frumenti, quod est quasi attonsum, fortè quod nostri vocant trigo mocho.

Quia serotina erant. Ægrè fero interpretes, mutare sine necessitate vocabulorum significationes. Nam dictio aphel, nullo pacto significat serotinum, sed caligi-nosum, obscurum: ideo vertendum est, quia obscura, aut caliginosa ipsa, id est, quia adhuc delitescebant, seu nondum produxerant spicam, aut sub terra adhuc grana occultabantur.

CAPITIS. IX. AD MORVM compositionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecce manus Domini est, in pecudibus tuis.
Procedit Dominus in flagellis amitioribus, quoniam non libenter grauia infligit: & prius pecudes quàm homines tetigit: vt videat si velit homo attendere, & disciplinam accipiat, in capite alieno. Multa huius capitis sunt superiori capite annotata.

De pecoribus filiorum Israel, non est mortuum, neque vnum.
Non solum curat Deus ipsos, sed & eorum pecora, & res alias. Custodit Dominus omnia ossa eorum:
Psal.33. vnum ex eis non conteretur.

Misit Pharaoh, & ecce non erat mortuum.
Vult Dominus impios cognoscere bona piorũ, vt inde magis inuidia torqueantur, & contabescant, & vt dupliciter gaudeant pij, semel de beneficiis collatis, & iterum de admiratione & inuidia impiorum.

Aggrauauit se cor Pharaoh.
Non solum malis fiunt impij deteriores, sed bonis piorum, quibus inuident.

Tollite plenas volas, ex fauilla fornacis.
Laborare fecerunt Ægyptij filios Israel, in decoquendis lateribus, ut fornace: Nunc verò fauilla fornacis disperguntur.

Non potuerunt magis stare coram Mose.
Solet Deus eos maximè punire, qui causa sunt, quod alij in peccatis permaneant.

Vice hac, ego mitto omnes plagas meas, in cor tuum.
Solet Dominus manum suam aggrauare, & multiplicare punitiones his qui sæpius flagellati, non resipiscunt, & qui prius prætendebat corrigere, iam nunc plagas suas ad cor dirigit vt perdat.

Vt scias, quòd non est sicut ego. Ostendit Dominus potentiam suam bonis, conferendo illis beneficia magna, malis verò, magnis punitionibus.

Propter hoc stare fecite. Omnia bona quæ Deus malis confert, vt plurimum sunt ad maius malum eorum. Neque flagellat à principio grauibus, vt seruet eos ad grauiora.

Et narrare faciam nomen meum.
Ecce ad quid mali in mundo, vt scilicet in eorum flagellis nomẽ Dei innotescat. Volens enim Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam: sustinuit in multa patientia vasa iræ, vt Paulus dicit, ad Romanos nono.

Nunc mitte, congrega pecus tuum.
O admiranda Dei pietas, antequam sæuiat, monet inimicos flagella sua vitare, & in media ira, misericordiæ memor est.

Qui timuit verbum Domini. Admonet locus iste non contemnere domini comminationes, quoniam
Esa.28. verissimę sunt. Neque tota die arabit arator, sed etiam seminabit. Neque semper minabitur Deus, sed sequetur pœna comminationes eius.

Extende manum tuam ad cœlum.
Voluit Dominus hoc indicare, quid valeat elevatio manus ad cœlum in oratione, quæ tam facilè flagella impetrat, & reuocat. Vbi etiam considera, quàm antiqua sit consuetudo orandi, manibus leuatis ad cœlũ. Psal. In nomine tuo leuabo manus meas. Etiam solebant quondam vtrunque genu orando flectere quemadmodum de Salomone constat. 3. Regum. 8. Voluit etiam dominus Moseh in huiusmodi mirabilibus virgam in manu habere Dei, quoniã iudicia eius in Ægyptios exercebat, vnde virga Dei vocata est.

Dominus dedit voces. Admonemur hìc, vt cùm tonitrua audierimus, sciamus Deum nos voce sua terribili velle admonere, & loqui vt à malo recedamus.

Dominus iustus est, ego & populus meus impij.
Hæc est peccatorum pœnitentia, vt ore se peccatores fateantur, corde verò nunquàm à peccatis recedant, neque eos pœniteat vitæ malè actæ, nisi cùm flagella imminent, sed in hoc maximè flagellantur, vt cognoscant Deum iustum, & se impios, neque tamen impietatem deserant.

Orate Dominum, vt nõ sint tonitrua, & dimittam vos.
Fingunt impij se ideò velle à malis liberari, vt benè agant, & cùm fuerint liberati, in suis impietatibus maneant. Multa etiam pollicentur mali, dum flagellãtur, sed si flagellum auferas, omnia mentiuntur.

Cùm egressus fuero ex vrbe, extendam volas meas.
Discant hìc viri sancti: qualiter debeant pro peccatoribus orare, etiam si sciant eos à peccato non cessaturos. Similiter audis, quàm facilè sanctus vir Moseh, pro scelesto rege Deum exorabat, à quo tot conuitia passus fuerat. Simillter expende Dei nostri clementiã, & quàm æquo animo sustineat simulatam regis pœnitentiam, ad tollendæ flagella. Qualiter enim conuertetur ad veram pœnitentiam, si ob falsãm & simulatãm, tam facilè plagas suas reuocat?

Vt scias quòd Domini est terra. Nitebatur sanctus vir, impium, & idololatram ad fidem vnius Dei conuertere, sed laterem, vt dicitur lauabat.

Triticum, & zea, non sunt percussa.
Cùm iratus fueris Domine, misericordiæ recordaberis. Semper post se, relinquere solet pius Dominus misericordiam, ne Ægyptij perirent, reliquit triticum, & quod minus nobile erat destruxit.

Non dimisit filios Israel, sicut locutus fuerat Dominus.
Ad quid quæso Dominus prædicebat duritiam Regis, Ead
& suorum Moysi? Apud Isaiam legis. Annuntiaui tibi ex eo tempore, antequam veniret, audire feci te: ne forte diceres Idolum meum fecit ea: & conflatile meum præcepit ea. Nunc creata sunt, & nõ ex eo tempore: & ante diem hunc, non audisti ea. Ne forte diceres, Ecce cognoui ea.

CAPITIS. X. AD LITERAM annotationes.

Ponam signa ista in medio eius, id est, in medio terræ eius, aut populi eius. Tradunt nonnulli, omnes has plagas: in Memphi ciuitate accidisse, eò quòd illo in tempore ea esset, in qua Ægypti reges, communiter residebant: quæ ciuitas à terra Gosen in qua morabantur filij Israel, sex miliaribus (interiecto Nilo) distabat.

Quæ feci in Ægypto. Multas, & varias significationes Hebræi, & nostri tribuunt verbo alal, quod hic in hebræo ponitur, scilicet facere, vindemiare, inuoluere, spernere, & alia: ad quæ omnia, exempla citant sua. Sed si quis rectè expendat, videtur verbum significare racemos extremos, seu derelictos à vindemiatoribus colligere, seu racemare (si sic liceret latinis auribus loqui) & ex consequenti spernere, quòd huiusmodi derelicta in vindemia, videantur spreta. Effertur nonnunquam per reuoluere, quod racemantes, soleant vtres reuoluere ad racemos inueniendos. Moueor autem ad hæc significata solum acceptanda, quia video ea, omnibus locis, quibus verbum ponitur conuenire. Nam quod nostri vertũt Threno. 1. Sicut dolor meus, qui olel, id est, factus est mihi. Posset verti, qui racemauit me. Neque certum est, dictionem machob, quæ ibi pro dolore ponitur, dolorem significare: quin potius videtur significare percussionem, & vertendum. Sicut percussio mea, quæ racemauit me. Sic eodem capite nostri vertunt. Fac eis quemadmodum fecisti mihi. Tam benè vertas. Racema eos, quemadmodum racemasti me. Illud verò Iob. 16. Ve ollalti, id est, reuoluisti puluere cornu meum, sic melius vertas: quoniam (vt dixi) racemare nihil aliud esse videtur quàm vitem reuoluere, ad scilicet si quid vuarum in ea relictum sit, aut spreui in puluere cornu, id est, gloriam meam, quæ per cornu significatur. Posset etiam verti. Deturpauisti, quòd verò significet racemare, constat Leuit. 19. Vineam tuam non theollel, id est, racemabis. Nos dicimus rabiscar, seu rebuscar, id est, iterum quærere. Idem Deute 24. Et explicatius Ier. 6. Ollel veolellu, id est, racemando, racemabunt, sicut vitem, reliduum Israel. Vnde meolel, id est, racemans, quod nostri vertunt, expolians, Isaiæ. 3. Populum meum exactores eius meollel, id est, racemant, seu vsque ad minuta expilant, sed si spoliant vertas non erraßi. Quod verò signi-

ficet spernere, aut id quod ex vindemia relinquitur: seu quod nos dicimus rabisco, aut rebusco: constat Nume. 22. vbi asinæ suæ dicit Billam. Quia hitalt, id est, spreuisti me, seu vt derelictum quid, reputasti. Idem. 1. Samue. 32. de Saule. Est ergo locus præsens sic reddendus.

Vt narres in auribus filij tui, & filij filij tui, seu neporis, *quod racemauerim Ægyptios,* scilicet in terræ nascentibus, iumentis & pecudibus, & vsq; ad nouissima destruxi, aut collegi quemadmodum racemans.

Induco cras locustam in terminos tuos.
Multi arbitrantur Aleph in nomine arbeh, id est, locusta esse radicale. Ego verò puto esse potius seruile, & radicem nominis esse rabah, quod multiplicare significat: vnde arbeh, id est, locusta, sic à multitudine nominata.

Operiet superficiem terræ. Hebraicè est. Oculum terræ. Sed in regulis admonui, hebraismum vsurpare sæpius potentiam pro obiecto potentiæ, vt oculum, pro re oculo visa.

Comedet residuum, quod euasit, aut *relictum est vobis, à grandine.*
Sic in hebræo est. Aut comedet residuum euasionis eius, quod relictum est vobis à grandine. Comedet omne lignum germinans, aut crescens, id est, nouas plantas agri. Et videtur zomeach, potius crescere, quã germinare, significare.

Vsquequo erit iste nobis in laqueum? vt scilicet, in eum impingamus, nolentes ei assentiri? Nam ab eo aliquando patimur hanc, aliquando aliam plagam.

Num adhuc ignoras quòd perit Ægyptus?
Hebraicè ad verbum est. Nunquid, antequam cognosces quoniam periit Ægyptus? Et sensus est. Nunquid antequam cognoscas quoniam periit Ægyptus, peribit, scilicet ipsa Ægyptus? ac si dicant. Prius peribit Ægyptus, quàm tu aduertas eius perditionem, dimitte do vnos abire: & iste mihi videtur planus literæ sensus, aut tu nondum aduertis, & Ægyptus iam periit, aut si malueris tene sensum vulgatæ æditionis qui bonus est.

Cum quibus ituri estis? Hebraicè. Qui, & qui, aut quis, & quis euntes, vt prima quæstio pertineat ad homines, secunda ad alia, quæ secum erant ducturi, ac si dicat. Qui, & cum quibus? aut fortè decreuerat eos ire, & non omnes, ideo inquirit qui, & qui ituri sunt?

Quoniam solemnitas Domini nobis, scilicet omnibus, & dixi de nomine chag, id est, solennitas, quod etiam tripudium, aut saltationem significet.

Erit sic Dominus vobiscum, quemadmodum dimittam vos, & paruulos vestros. Sic est in hebræo clausula. Duplex potest esse horum verborum sensus: prior affirmatiuus, iste scilicet. Sic sit Dominus vobiscum, quemadmodum dimittam vos, & paruulos vestros, id est, ita habeatis, seu tam facilè, Deum propitium vobis habeatis ad iter, quàm facilè vos, & paruulos vestros dimittam.

Sed considerate hoc esse vobis malum, id est, quod ante oculos habetis malum, per quod intelligit pericula itineris, quæ possent paruulis accidere, ac si dicat. Per me facilè licebit cum paruulis abire. Sic vos habeatis Deum propitium vobis: sed aduertite malum hoc vobis esse: si scilicet paruulos vestros vobiscum ducatis propter mala quæ vobis imminent in via. Secundus qui, scilicet sententiam negatiuè interpretatus est. Ita sit Dominus vobiscum, quemadmodum dimittã vos, & paruulos vestros, id est, neque Dominus erit vobiscum, neque relinquam vos. Quem loquendi modum nos etiam habemus dicentes: A si tu vias como eu farei isso. Sic tu vivas, vt aut, quomodo faciam hoc Non intendentes facere quod à nobis petitur, ac si dicamus. Non faciam hoc, neque vivas tu. Sed secundus sensus est amplectendus. Omitto quod alter affirmatiuas in negatiuas mutat locutiones.

Videte quoniam malum est ante conspectum vestrum, id est, considerate quod malum cogitetis. Quem sensum habet hic vulgatus interpres: qui vertit, Cui dubium est, quod pessimè cogitetis? Sed iste non videtur germanus sensus literæ: quoniam tunc Pharaoh non debuisset dicere. Videte quod malum est ante conspectum vestrum, sed quod malum in vobis lateat: quoniam cogitabat eos malitiosè loqui: secundum hunc sensum, & technas texere. Alter sensus est. Videte quod imminet vobis malum ex hoc.

Ite nunc viri. Hebraicè est.

Ite nunc fortes, tam viri, quàm fœminæ: sed imbelles paruulos relinquite.
Non enim ponitur hic dictio quæ viros solum significet, sed quæ robustiores: vnde videtur, quod permisserit ire eos tam viros quàm fœminas qui robustæ etatis erant: sed suadebat paruulos relinquere: quia nouerat eos certo reuersuros, si paruulos suos reliquissent ibi.

Extende manum tuam, scilicet cum virga, (vt sequentia explicant.)

Dominus curuare fecit ventum Orientalem.
Non plenè constat quid propriè significet verbum nahar, cui Hebræi duas tribuunt significationes, scilicet currere, & illuminare. Vnde Nahar, id est, fluuius sic à cursu, seu fluxu dictus. Possemus etiam dicere, quod significat vnguentis affluere, seu lætari. Nam huiusmodi vnguentis delibutum esse, nonnunquam in scripturis lætari significat. Vnde illud Isaiæ. 60. Tunc videbis, venahart, id est, illuminaberis (vt aliqui vertũt) verti posset, & vnguentis fluës, seu irrigaberis, quod vulgatus vertit, & affluës, id est eris lætus, ac si aquæ fluerẽt per te, quemadmodum per hortum irriguum, seu rigareris. Rem tamen non diffinio, quoniam coniecturis adducor.

Operuit faciem terræ, Hebraicè, oculum terræ. Sed sensus, reddendus est, id est, id quod de terra videbatur.

Leua quæso, aut nitre: peccatum meum, id est, æquo animo feras, non puniendo amplius. Aut leua peccatum, id est, non punias, sed auferas punitionem.

Et elongauit eam, ad mare termini.
Dicunt Hebræi verbum Iacha, significare suspendere in ligno, seu crucifigere, secundo recedere. Disputauimus de verbi significatione abundè Gene. 32. & videtur quòd significet extendere, elongare. Et vbi ipsi exponunt suspendere, etiam quadrat extendere. Nam qui suspenduntur, extenduntur in ligno, aut ex ligno. Quod autem sequitur. Ad mare termini. Multi vertunt ad mare Rubrum: Alij ad mare Caricosum: sed, vt iam supra probauimus, non videtur benè verti ad mare Rubrum: quoniam dictio suph, nunquam inuenitur significare rubrum, sed finem, & iuncetum quod sit finis, aut terminus fluminis, vel maris, aut terræ, aquæ adiacentis. Et magis propriè vertendum puto mare termini, quàm iuncosum vel algosum: quoniam videtur textus facere diferimen, inter Mediterraneum mare, seu Amphitrite, & Oceanum, quoniam Oceanus, non videtur habere terminum, quemadmodum Amphitrite, præsertim hoc, de quo hic est sermo: quod valdè strictum est, & terminos ex omni parte habet nõ longè à se inuicem distantes. Similiter non benè vertunt, qui interpretantur mare Cannæ: quoniam dictio non benè consentit, nisi per cannam intelligas marinam, seu quę ad fluminum ripas nasci solet. Sed magis propriè iuncum, quàm cannam significat. vt diximus, aut potius id quod aquas terminat, siue sint cannę marinæ, siue iunci.

Erit obscuritas super terram Ægypti: quæ palpari possit. Licet obscuritas vt est pura priuatio, palpari nequeat: putarem tamen huiusmodi obscuritatem fuisse spissam, ad modum fumi fornacis laterum, quę vtcunque palpari potest: quemadmodum fumus spissus, licet non propriè. Potest tamen includi.

Fuit obscuritas, & caligo, id est, caliginosa.

Non surrexit vir de sub se, id est, de sede, quę sub eo erat: seu super quam sedebat. Aliqui hoc intelligunt, quod nullus se mouerit lumine lucis cœlestis, benè tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

men luce lucernarum. Sed quomodo misit Pharaoh vocare Moseh, si nullus surrexit, seu mouit se de loco suo dicendum quod beneficio tenebrarum & lucernarum.

Pecudes vestræ, & armenta vestra manebunt. Hebraicè est. Quis vestra, & hos vester statutum est, vel locatum est, id est, statuetur, scilicet in loco suo. Hieronymus verbum iasag, semper interpretatur ponere: de cuius significatione diximus Gene. 43. Hoc dicebat Pharaoh, quoniam videbat non posse homines detinere, & volebat saltem detinere pecudes, & armenta.

Et faciemus Domino Deo nostro. Accipit frequentissimè hebraismus facere, pro offerre, vel sacrificare.

Non relinquetur vngula. Verbum paras, à quo parsah, id est, vngula significat propriè scindere, seu findere, & inde vngulam à fissione: inuenitur tamè nomen parsah, vngulam significare. Isaiæ. 5. Parsot, id est, vngulæ equorum eius, & Zacha. 11.

Quibus seruiturí sumus. Sumitur hic seruire, pro colere, seu sacrificare.

CAPITIS. X. AD MORVM compositionem annotata.

EGo indurare feci cor eius, vt ponam signa mea hæc in medio eius.

Vtitur Deus peccatis nostris in gloriam suam, & nonnunquam in bonum nostrum, cùm nos iustificat ab eis, sed quandoque ad malum, sicut vsus est hac indurationē Pharaoh, propter quam, ipse damnatus est: & Deus glorificatus. Similiter in bonum aliorum, scilicet Iudæorum, filiorum, & nepotum eorum, vt ex eis, eum esse Deum verum cognoscerent, & diligerent, vt statim subindicat.

Vt tu narres in auribus filij tui. Audis hic qualiter parentes teneantur, docere filios suos, ea quæ ad gloriam Dei pertinent: & ad fidem. Nam ex huius cognitione, homines in fide firmantur: & Deum beneficum diligunt.

Adhuc ego crastinam. Immittit Dominus in impios plagas, parue quidem quantitatis, si corporis molem spectes, sed insensissimas valdè, quemadmodum sunt ranæ, pediculi, locustæ, & id genus aliæ. Auferet etiam cibos, & alia necessaria: & tandem enecat, quoniam æquum est: vt victus subtrahatur malis seruis, & rebellibus.

Comedet residuum, quod euasit. Cauendum valdè est, ne plaga altera comedat, quod alteri superfuit, ita vt nihil in homine sit residuum. Quis (ait Ioel) scit si ignoscet Deus & relinquat post se benedictionem? Capite primo. Et Isaiæ sexto. Quemadmodum inuenitur mustum in botro, & dicet ne dissipes illud, quoniam benedictio est in illo: sic faciam propter seruos meos. Similiter aduerte Deum nihil impiis relinquere, nisi vt iterum subtrahat: iustis verò relinquit ad benedictionem. Sic apud Ioelem legis residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ, comedit bruchus, & residuum bruchi, comedit casil, alterum locustæ genus.

Dixerunt serui Pharaoh ad eum. Vsquequo erit iste nobis in laqueum?

Difficilè est, Reges à sua pertinacia amouere, neque aliquorum consilio persuadentur, sed etiam cum maximo regni dispendio, volunt obtemperare suis affectibus: quemadmodum constat in facto Dauidis, cùm populum (reclamāte Ioab) voluit numerare. Aduerte etiam iustos & sanctos, esse impiis laqueos, & scandalum, ad quæ impingunt. Sed tandem iste persuasus, recessum concessit, suis tamen conditionibus.

Cum senibus nostris. Non sunt senes relinquendi, licet laborare nequeant, sed curandi: quoniam consilio iuuare possunt: licet vires non habeant ad laborem.

Quia solemnitas Domini est nobis. Docet locus iste, omnia nostra debere, Deum suo modo colere: senes, paruulos, rationalia, & irrationalia.

Sit ita Dominus vobiscum, sicut dimittam vos, & parvulos vestros. Fingunt impij, se compassionem piorum habere, cùm omnia consilia sua, in suam vertant vtilitatem.

Festinauit Pharaoh. Non festinant mali, nisi cùm iam ferè nulla est spes salutis: tunc ad pœnitentiam, & ad Sacramenta currunt, quemadmodum virgines fatuæ ad oleum, postquam clausa erat ianua. Mat. 24. & cum actu flagellantur, & grauiter: vt Psalm. habet. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.

Peccaui Domino Deo vestro & vobis. Constat ex hoc loco peccatum non solum Deum, sed & proximum offendere. Similiter quàm fictè multi peccatores pœniteant. Solo enim verbo, non corde compunguntur: nam cùm flagellum recesserit, ad peccata reuertuntur.

Egressus à Pharaoh, orauit Dominum. Mirabilis est sanctorum patientia: quam à Domino didicerunt: vt quoties prouocantur, toties indulgeant, & pro inimicis orant, & nihil iniuriarum meminerunt.

Non remansit locusta vna, in terra Ægypti. Efficaces valdè sunt Sanctorum orationes.

Erant tenebræ. Hoc est quasi vltimum impiorum supplicium, cùm obscuratur insipiens cor eorum. Vbi aduerte (quod etiā beatus Chrysostomus annotauit) qualiter impiis dies vertatur in noctem, piis verò, contra, nox in diem.

Tantum pecudes vestræ, & boues vestri manebunt. Cùm impij nō possunt omnia bona iustorum rapere, laborant tamen, vt aliquid saltem apud se detineant. Nam quemadmodum charitas, & pietas, si non possunt omnia elargiri, largiuntur quod possunt. Si enim non possunt pallium, & tunicam: saltem pallium dant proximo indigenti: ita & impietas: si non potest vtrumque tollere, saltem altero spoliat. Iob. 24. Nudos dimittunt homines vestimenta tollentes, quibus non est alia vestis, in hyeme.

Etiam tu dabis holocausta. Hoc malum impios sequitur, quoniam nolunt dare parua, coguntur præstare magna.

Non remanebit vngula. Adumbrat locus iste, qualiter qui à peccato recedere vult, nihil apud peccatum relinquere debet. Neque se solum, sed omnia sua, ab eius potestate debet auferre. Si enim manus, oculos, pedes, & cætera membra, arma peccato tradidisti, vt omnibus his te superaret, cùm ab eo recedis, omnia tua tecum porta: ita vt neque vngulam apud eum relinquas. Volunt enim peccata, vt semper apud ea pignus relinquas, cuius semper recorderis. Sunt veluti vsurarij, quid quod pretiosum, & charum homini est, apud se retinent, vt sic, qui soluendo est, ligatum habeant suo pignore. Nónne aliquādo vidisti adulteram post adulteri recessum, apud se monile eius detinere, vt recedentem posset ad se reuocare?

Ex eo accipiemus ad seruiendum Domino. Considera quæso, quibus homo seruit, & colit Deum suum: & quibus nobis seruiat ipse. Tu seruis ei peccatis: ille verò tibi, Cœlo, Sole, Luna, Stellis, Terra, & omnibus quæ in eis sunt.

Nos nescimus quibus seruituri simus Domino. Non debemus seruire Domino, quo volumus nos, sed quibus voluerit ipse. Habemus nos cum Deo nostro, quemadmodum Dominus cum filio ancillæ, quem non contentatur, his quibus ipse contentari vult, sed quibus voluerit ipse Dominus. Si enim album panem petat, nigrum porrigit: quia illum non diligit. Filium verò suum plorantem, non sic. Non enim quæ ille respuit, aut quæ volumus nos, offerimus illi, sed quę desiderauerit ipse: & hoc quia amore illum prosequimur. Sic qui Deum suum diligunt, illa illi offerunt, quæ desiderat ipse, aut dari sibi præcipit. Impij verò, Non quæ ipse concupiscit, sed quæ illi volunt ei administrant.

Recede à me. Ecce præmium admonentis peccatores,

rem. Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus.

Rectum locutus es. Non videbo amplius faciem tuam. Solent nonnunquam mali, mala sua prophetare.

CAPITIS. XI. AD LITERAM annotata.

CVm dimiserit ipse perfectè, id est, perfecta dimissione: vt scilicet nihil vestrum ibi remaneat.

Expellendo expellet vos, id est, coget vos exire, propter malum imminens.

A socio suo, id est, amico. Sic de socia, & per vasa argenti & auri: intelligit omnia vtensilia ex auro, & argento.

Etiam vir eleuatus Moseh. Ab omnibus enim commendabatur, & exaltabatur. Et ponitur hoc iuxta gratiam populi, quoniam ex Dei gratia fuit hæc eleuatio Moseh. Et erat eleuatus, & magnus valdè, tum propter signa quæ faciebat, tum propter pietatem, quam eis ostendebat, orando pro eis. Non tamen in oculis Pharaoh quoniam oderat eum, & ideo nihil magnum in eo considerabat.

Secundum medietates noctis: ego egrediar in medio Ægyptiorum, id est, inter duas noctis medietates, quod nos dicimus, mediam noctem.

Ego egrediar, scilicet de loco meo, & intrabo medium Ægyptiorum. Loquitur Dominus de se humano more, quasi nobilis, qui se dicit è domo sua exiturum, & aliquo iturum. Aut egrediar à filiis Israel, cum quibus sum, & intrabo Ægyptum, ad primogenita occidenda.

Quæ est post molas. Arbitrantur Hebræi & nostri, Ruach, & raiah, esse duas radices: Ego vero puto vnā esse, aut si duæ sint, esse tamen eiusdem significationis. Dicuntur autem molæ rechaim, id est respirantes, arnach, quod est spirare, qitod farinam ex se spirare videantur, quemadmodum nares simum, aut exhalatio nem. Quam allusionem seruare memento.

Neque futurus est. Hebraicè est. Et sicut ipsum, non adiicietur, scilicet vt sit.

Et omnibus filiis Israel non mouebit canis linguam suā Viro, & vsque in iumento.

Difficilem reddit clausulam hanc, ignorantia propriæ significationis verbi charas, quod nostri hic vertunt, mouere. Hebræi verò dicunt, significare mouere, excidere, decernere, statuere, determinare, & iudicare: Sed expensis locis, quibus verbum ponitur, videtur propriè significare diuidere. Nam primo Regum. 20. habes sic. Iudicium tuum, subaudi erit. Tu charasta, id est, diuisisti litem, Sic Isaiæ. 10. Quia consumptionem, ve necherasah, id est, & diuisionem Dominus Deus exercituum facit. Inde charuts, id est, tribula, sic diuidēdo dicta seu discernēdo. Et locus iste sic reddendus est. Et in omnes filios Israel, seu inter filios Israel, non diuidet canis linguam suam, id est, non latrabit, neque aperiet os. Solent enim canes latrando os diuidere, & aperire. Et sumitur lingua pro ore: vt sæpius accidit. Et quod dicitur viro, dupliciter potest intelligi. Altero modo sic, ac si diceret, non latrabit viro. Sed melius altero modo, id est, neque vir, neque iumentum, seu à viro vsque ad iumentum, non diuidet, id est, aperiet os suum.

Omnis populus, qui est sub pedibus tuis. Hebraismus est, esse sub pedibus, pro esse subditum: iuxta illud Psalm. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Quod subditi soleāt sedere sub pedibus Domini, aut quia subdita pedibus calcētur. Aliqui sub pedibus tuis vertunt qui expectat pedis tui motionem ad recessum.

Exiuit à Pharaoh in ira furoris.

Hue vsque non legimus iratum Moseh, sed meritò nunc iratus est, propter electionem, & comminationem Regis.

CAPITIS. XI. AD MORVM compositionem.

CVm dimiserit ipse: perfectè expellendo, expellet vos. Commune est hoc proteruis, & duris, vt tandē rogent eos, à quibus antea rogabantur, & faciant inuiti, quod noluerunt facere sponte.

Loquere in auribus populi. Docet Dominus pios, qualiter impios deciplant. Hinc etiam perpende, Sanctorum prudentiam, qui à Domino edocti sunt.

Dabit Dominus gratiam. Etiam infima Sanctorum curat Dominus, & nouit soluere suos, quemadmodum soluit Iacob, cùm esset apud Laban, auferens quæ erant Laban, & dans ipsi Iacob. Vbi tu simul aduerte: quam necessaria sit gratia Dei, etiam ad minima hæc, nempe vt tibi mutuò aliquid detur.

Etiam Moseh vir magnus. Solet Dominus seruos suos eleuare apud omnes populos, præsertim apud inimicos, vt ipsi etiam eos reuereantur, vt donum Dei esse sciant, suam eleuationem. Vbi simul aduerte, Moseh magnum deferibi apud aulicos, & populum, non tamen apud Regem: quia Reges neminem magnum arbitrantur, nisi seipsos.

Moritur omne primogenitum. Gradatim ascendunt, & procedunt vltiones Dei. Hucusque plagis infectatus est homines, non tamen occidit, sed solum iumenta: nunc primogenita, & tandem parentes ipsos submersit, in medio maris. Et prædixit dominus hoc malum, antequam euenisset. si forte metu eius, Ægyptij & impius Rex resipiscerent, & Deum orarent. Similiter aduerte, quid piaculi sit, detinere primogenita Dei, quoniam propterea occidit primogenita Ægypti: sicut sit perius dixerat. Quare valdè cauendum est. Ne quæ dei sunt tāgas, maxime, primitiua, (quemadmodum aliās admonui ex Ieremia. 2. capite.) Sanctitas Domino Israel, primitiæ frugum eius. Omnes qui comedūt eum, delinquunt. Non occiderant illi primogenita Dei, sed solum detinebant: & tamen perdidit Dominus primogenita eorum vt scias quàm bene Dominus nouit vindicare iniurias suas.

Erit clamor magnus. Considera iustum Dei iudicium. Clamauerant prius filij Israel, propter onera Ægyptiorum: sed nunc clamant Ægyptij, propter mortem primogenitorum.

Et in filios Israel, non diuidet canis linguam suam. Nouit Dominus non solum saluare pios à pœnis impiorum, sed eorum iumenta, ne sentiant malum: vt videas ad fœlicitatem pertinere, esse iumentum iustorum, ne pereas.

Incurabuntur se mihi. Solet sic Dominus vertere vices iustorum, vt eos adorent, ij, quibus sese antea incuruabant ipsi.

Egressus est à Pharaoh, in ira furoris. Nullum peccatum est, si meritò irascaris, quemadmodum viri Sancti aliquando facere solent, sine peccato tamen.

Non audiet vos Pharaoh: licet multiplicem portenta mea. Qui à Domino execræantur, luce ipsa magis ęci fiunt, & deterioris animi.

CAPITIS. XII. AD LITERAM. annotata.

MEnsis iste vobis caput mensium. Primus erit in mensibus anni.

Potest secunda clausula, esse explicatio prioris, vt communiter fit, cùm aliquid subobscurè dicitur, vt esse primum in mensibus anni: explicet esse caput mensium. Potest etiam esse sensus. Iste mensis, scilicet nissan, erit vobis caput mensium, id est, præcipuus inter alios menses, & etiam erit primus inter anni menses. Est autem hic mensis, qui postea Chaldaico vocabulo dictus est nissan, & respondet plerunq; Martio nostro, non tamen semper, quoniam aliquando præcedit, aliquando sequitur æquinoctium vernale: & intrat Aprilem. Supputant autem Iudæi menses suos, per lunationes, & prima lunatio, incipit à prima oppositione Lunæ ad Solem, signum Arietis ingressum: ita quod prima oppositio Lunæ ad Solem in Ariete, est prima luna-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lunatio & prima dies primi mensis, apud Iudæos. Vnde Lyranus dicit, quòd regulariter primus mensis Hebræorum, semper incipit à principio propinquioris lunationis æquinoctio vernali, siue principium prædictæ lunationis, sit ante æquinoctium, siue post, siue in ipso. Est autem prædictum æquinoctium, propinquius principio Martij, quàm fini: & est. 12. die Martij secundum veritatem, licet aliter signetur in Calendariis nostris. Ex hoc autem textu videtur, quòd hucusq;, aliud habuerint Iudæi anni principium: & sunt qui dicunt eos, more gentilium, habuisse Ianuarium, quemadmodum erat apud Ægyptios: inter quos viuebant. Alij verò, quibus potius subscribam, arbitrantur, antea apud Iudæos, & multos gentilium, Septembrem fuisse primum, quòd eo mense, mundum creatum putarent, quorum sententiam Gen. primo probauimus: cùm arbores & herbas cum semine & fructu productas credamus. Vnde Iudæi, vsque hodie, duplex anni initium habent. In rebus enim prophanis, vt sunt contractus ciuiles & alia huiusmodi, annum inchoant, à propinquiori nouilunio, æquinoctio autumnali, pro sacris verò, auspicantur annum, ab incensione: quæ vicinior est æquinoctio vernali. Sunt autem nomina mensium hæc, Chaldaica, non Hebræa, Si à Septembri incipias. Thisri, qui est Septembr, Marcheshuan, id est, October, Chisleu, id est, Nouember, Thebet qui December, Schebat, qui Ianuarius, Adar, id est, Februarius, Nissan, id est, Martius, Iiar, qui Aprilis, Siuan id est, Maius, Tamum, id est, Iunius, Ab, qui Iulius, Elub, id est, Augustus. Est ergo sensus. Mensis iste scilicet Nissan (qui, vt diximus, pro maiori parte respondet Martio nostro) erit vobis caput, id est, præcipuus inter menses, & erit primus in mensibus anni, qui scilicet antea non fuerat primus, ob beneficium liberationis.

In decimo huius mensis, scilicet à nouilunio, in quo erat mensis initium.

Accipient vobis vir, pecus ad domum patrum, pecus ad domum.

Dictio hebraica Seh, non significat solùm agnum, sed etiam hœdum ex capite. 14. Deute. conuincitur. Vbi dicitur. Seh, id est, pecus ouium, seu agnus, & seh caprarum, id est, hœdus caprarum. Et per domum patrum, non intelligas progeniem, seu cognationem, pro qua sæpius apud Hebræos accipitur, sed pro patre domus, vt infra explicatur, seu pro domo, in qua erat paterfamilias, vt sit sensus. Pecus ad domum patrum, id est, ad domum in qua est pater familiæ, quod statim suo more explicat, dicens. Pecus ad domum.

Si minuerit domus ab esse, ab agno, id est, si domus fuerit minor, ad vescèdum, quàm sit agnus, id est, non sufficiat ad illum comedendum.

Accipiet habitatorem iuxta, propinquiorem domui suæ, id est, vicinum propinquiorem.

Secundum numerum animarum, id est, tot ex vicinis accipiet, quot sufficerint ad edendum agnum.

Vir secundum os comedere sui, supputabit in super pecus, id est, vnusquisque secundum quod potuerit comedere, aut prout habuerit ora comedentia, sic supputabit super agnum. Aut vnusquisque sicut habuerit ora comedentium, sic supputabitis, aut diuidetis super agnum. Vel tertio. Numerabitis viros super pecus, sicut fuerint ora comedentium.

Pecus perfectum erit, id est, cui nihil desit, ad integritatem. Neque prohibebantur à sacrificiis maculosi velleris: sed debebat esse integer, id est, cui nullũ membrum deesset, aut diminutum, vel superabundans esset. Neque debebat esse debile, aut infirmum, denique cui nihil deesset de his quæ pertinebant ad eius integritatem.

Masculum, filium anni, id est, vnius anni.

De agnis, vel de capris accipietur.

Ex hoc loco constat, quod superius diximus, scilicet Seh significare pecus, siue sit agnus, siue hœdus.

Erit vobis in custodia vsque ad. 14. diem.

Voluit Dominus eos de victima, ante festum diem prouidere sibi, ne in die festo causarentur se non potuisse inuenire, & vt exploraretur, an in eo esset aliqua macula.

Lapidabit illum omnis multitudo congregationis Israel inter vesperas, aut coniunctiones, seu duas mixtiones. Variè Hebræi, intelligũt huiusmodi vesperas: Kimhi putat primam vesperam incipere hora sexta diei, quando Sol incipit declinare versus Occidentem: Secundam verò, incipere post occasum Solis. Aben ezrah primam vocat tempus illud, quod mox sequitur occasum Solis: alteram verò, tempus illud, quo radij solares amplius non videntur. Sed isti non considerarunt vim nominis arbaiim, & verbi arab, quod (vt sæpius diximus) significat miscere, & arbaiim mixturas duas. Vnde tempus illud, quo dies nocti miscetur, quod est inter Solis occasum & noctem, quod latinè dicitur crepusculum, vocatur hic inter duas vesperas, aut inter duas mixturas, scilicet diei & noctis, quod hic expresse Gerundensis dicit. Duplex ergo est apud Iudæos vespera: quædam occasus ipse Solis, cùm scilicet sol non amplius in nostro hemisphærio cernitur. Altera verò nox ipsa, de qua Genesis. 1. dicitur: factum esse vespere & mane diem vnam, id est, ex nocte & die artificiali, diem vnam, scilicet naturalem: & tempus quod est inter Solis occasum & noctem, vocatur hic inter vesperas: quo mactari iubetur agnus vel pecus Paschale, vt hic dicitur. Erat ergo pecus immolandum inter duas mixturas, scilicet diei, & noctis, id est, inter Solis occasum, & noctem: & ab isto tempore incipiebant Iudæi sabbata sua, licet modo vna hora præcedant hoc tempus, ne ex rare contingat.

Super duos postes, Licet non plenè constet, de significatione mezuzah, communiter tamè dicitur postem significare, Chaldæus, limen aliquando vertit, vt primo Samuelis primo.

Et insuper liminari. Sachaph, vnde mascoph, id est, superliminare, significat aspicere, quare quidam dicũt significare paruam fenestram, quæ est in superiori parte ostij, à qua qui intus est aspicit, cùm nõ vult totum ostium aperire. Mihi verò videtur, significare duo illa ligna extrema, quibus ostium clauditur: quæ nostri vocant batentes, quod percutiant ostij medium, per quorum medium qui intus est videt, cùm non plenè claudit ostia. Legendum est ergo. Super duos postes, & super limen, aut super ligna illa, quæ claudũt ostium, vel super fenestellas illas. Sed quia vnicum, & singulare in textu ponitur nomen, forsitan est lignum trãsuersum, quod super ostium ponitur: quod nostri virgam vocant, & dicetur mascoph, quod visui peruium sit, seu quod primum, ingredienti sese offerat: & putarem mezimot, non postes, qui sunt iuxta parietem, sed qui simul coniunguntur, dum ostium clauditur significare, quoniam in eis melius posset sanguis videri, in medio scilicet ostij clausi, & in virga superiori.

Et infermentata, super amaritudines comedent eum.

Sensus est. Et infermentata, scilicet comedetis super amaritudinem, id est, simul cum herbis amaris, aut super amaritudines, scilicet cordis, seu animo amaro. Ac si dicat. Postquam amaro animo fueritis, tunc comedetis illum, scilicet agnum. Vnde textus videtur innuere, quòd deberent prius amaro animo esse: quo adumbrabant seruitutis amaritudinem, postmodum verò comedere infermentata, & agnum. Azymis significabant festinationem, qua Ægyptij vrgebant eos exire, agno verò, finem exitus, quod scilicet erat ad immolandum Domino. Aut, quod verius credo, Agno significabatur populus ipse. Et sicut comedebatur in eadem domo cum amaritudinibus: & os ex eo non frangebatur, & prius occidebatur: sic populus Dei amaritudine plenus erat prius, & tamen ossa eius non sunt contrita: & sicut agnus clausus prius erat, sic & populus captiuus, & tandem iugulandus cum primogenitis Ægyptiorum, nisi mors eius in victimam transferret Dominus. Vnde viso sanguine, quasi iam ibi esset mortuus, angelus transibat, & ille populus qui iam videbatur occisus: quasi reuiuiscẽs abiit in terra suam.

Neque

Neque me præterire putes, quid hic agnus, ad viuum & perfectum, ostendebat. Sed non inconuenit eadem figura, & vmbra, multa adumbrari. Iob. 9. habes, Saturauit me mamemorim, id est, amaritudinibus, aut si mauis, amaris herbis.

Non comedetis ex eo crudum.

Dictio na, significat quæso, aut nunc, & nusquam in scriptura inuenitur significare crudũ, nisi hic, ideò sem per mihi suspecta fuit significatio hęc. Et puto radicem nominis esse naua, quod est frangere, dissecare: vt sit sensus. Non comedatis ex eo fractum, seu dissectum, ita quod non erat in frusta diuidendus, ad coquẽdum in aqua, sed erat integer assandus, & sic comedendus. Iam enim Iudæi nouerant, non esse comedendam carnem crudam.

Caput eius super crura eius, & super intestinum eius, scilicet assabitur. Debebat enim caput in medio cum pedibus, & intestinis assari: ita quod omnia hæc, simul assanda erant in ventre: aut ventri cõiuncta ipsius. Aut caput eius super crura eius, id est, post comestionem cruriũm, & intestinorum caput comedetis

Lumbi vestri accincti. Omnia hæc significabant celerem recessum, & meo iudicio, vt diximus agnus præ se ferebat populum, qui cum Ægyptiis erat pœnas daturus, sed loco eius, Dominus agnum occidi volebat: vnde sanguis eius in postibus, erat signum, quod iam in ea domo esset occisus agnus loco primogeniti, & ideò angelus saltabat ad aliam domum. Voluit in qualibet domo mactari, vt in qualibet domo esset aliquid occisum, & non amplius occideretur primogenitus.

Pesach ipsum Domino. Significat pasach propriè saltare, potius quàm transire, & pesach saltum, quòd ea nocte Dominus saltaret domus Israelitarum. Cùm enim domus Iudæorum, essent sitæ inter domos Ægyptiorum, opus erat saltare ab vna domo Ægyptiorum, ad aliam, relinquendo in medio domos Iudæorum. Vnde pesach, id est, claudus, sic dictus, quòd quasi saltando incedat. Et sensus est. Victima hæc, seu sanguis eius, est pesach, id est, signum saltus Domini. Nam cùm Dominus videret sanguinem, statim in aliam domum saltabat. Vnde infra statim dicitur.

Erit sanguis ille vobis in signum, in domibus, & videns sanguinem, saltabo vos. In omnibus diis Ægyptiorum faciam iudicia.

Si per eloke, intelligas idola, crediderim Dominum, ea nocte idola deiecisse, & truncasse quemadmodum
1. Samue. 5. fecit postea Dagon, deo Philistinorum. Posset tamen per deos, nobiles intelligi, quorum primogenita occidit. Sed prior sensus simplicior est. Voluit autem Dominus idola diiudicare, vt cernerent Iudæi, non esse Deos, illique maximè displicere idolatriam.

Die primo cessare facietis fermentum, è domibus vestris.

Dicunt Iudæi, quòd à septima hora diei 14. primi mensis, qui dicitur nissan, cessare debet fermentum, in domibus eorum, neque solùm eius fermenti, sed & retinici repertum fuerit in gallina cocta, gallina non debet tunc comedi, sed differri vsq; post paschа: quoniam triticum, facillimè in aqua fermentatur. Dicunt etiam Rabbini, quòd propter, fermentum nemo reus sit, vt eliminetur, nisi qui illud comederit, secus si quis in mixtura quadam, comedit, vel bibit fermentum, vt est potus Medorum, talis enim solum vapulat.

Succidetur anima illa de Israel.

Non intelligas, quòd non vocabitur amplius talis Israelita, seu quod non amplius pertinebit ad cœtum Israel, sed quod talis erat occidendus. Sed an à Dominо, vel potius à magistratu non facilè dixerim. Quidam Hebræorum putant hanc exterminationem fieri cùm quis præmatura morte hoc est ante. 52. annum moritur. Alij verò, cùm quis moritur sine liberis: quem Hebræi omnino mortuum reputant, quemadmodum mortuum cum liberis dicunt viuum. Sunt autem duo præcepta affirmatiua, quibus hæc pœna adiuncta est, scilicet circuncisio & pascha. Quòd verò huiusmodi leges sint intelligendæ de morte reali, constat de lege simili circuncisionis, quam qui negligeret erat occidendus à Domino, cùm Dominus voluerit hac de causa occidere Moseh in diuersorio, quòd non circuncidisset filium suum, vt antea admonuimus, capite quarto.

In die prima vocatio sanctitatis. id est, proclamatio ad sanctitatem, seu ad locum sanctum. Et quia tũc erat conuocatio ad locum sanctum, ad audiendam legem, vacãdum erat ab operibus seruilibus. Vnde Leuit. 23. dicitur. Die septima sabbatum requiei Michrachodes, id est, conuocatio ad sanctitatem. Numeri etiam decimo, de tybis dicitur. Et erunt lemichrah, id est, ad conuocationem congregationis. Aliqui vertunt. Vocabitur sancta. Sed prior interpretatio præferenda est huic.

Custodietis azima, id est, obseruabitis hoc, quod est est comedere azima, *quoniam in robore diei huius*, id est, hac me die, aut dum adhuc dies hæc robur habebat: eduxit vos Dominus de Ægypto: cuius signũ erat azima. In primo, scilicet mense.

Decimaquarto die mensis in vespera, tunc enim, scilicet post Solis occasum incipiebat festum, & azima comedenda erant.

Non inuenientur in domibus vestris.

Nam vt diximus, non solum eius fermentati, sed habere fermẽtum domi Iudæis erat interdictum. Et similiter aduerte, quod à vespera, in vesperam durabat solẽnitas apud Iudæos.

Et indigena, seu orto terræ, id est, in terra nato. Nam dictio Zarah, oriri significat.

Trahite, & accipite vobis ouem.

Verbi massach significatio propria, & si non sit plenè nota Hebræis, ex multis tamen scripturæ locis constat significare trahere, vt pater Deutero. vigesimoprimo. Quæ non massechah, id est, traxit iugum. Vnde trahite, hic refertur ad tractionem agni à griege: à quo non sponte separabatur, sed trahebatur ad sacrificium.

Accipietis fasciculum Hyssopi.

Putarem, agudad, esse à radice gad, quod multitudinem, præsertim ordinatam, significat. Vnde gad, id est, exercitus, de quo abundè Gene. 49. diximus. Nomen verò Ezob, aspersorium, videtur significare, iuxta illud Psal. 51. Purificabis me: beezob, id est, cum Hyssopo, seu aspersorio, aut herba illa, Rabbi Dauid, origanum esse putat. Puto autẽ ezob esse à zub, quod est fluere, & significare fusorium, seu aspersorium, & posset verti. Accipietis colligationem fusorij, aut ad faciendum aspersorium.

Quod est in vase. Dicunt Hebræi saph, significare omne vas domesticum, siue sit magnum, siue paruum & etiam limen. Ego arbitror propriam eos ignorare significationem, & dictionem significare limẽ totum, id est, anteriorem partem portæ, tam superiorem, quàm inferiorem, id est, limen, & superliminare, & brachia, quæ nos humeros, seu ombreiras vocamus. Vnde illud Zachia. 12. quod nostri vertunt. Ecce pono Hierusalem Saph raal, id est, vas soporis, vertendum puto, limen, seu superliminare tremoris, omnibus populis. Solet enim ostium, quando est magnum tremere, & sonitum magnum ciere, cùm aperitur, vel claditur, & pollicetur ibi Dominus se positurum Hierusalem, vt sit omnibus vicinis, & populis timori, quem admodum sonitus reuolutionis hostij deterrere solet. Hic verò significat vas, in quod erat sanguis fundendus. Sunt tamen aliqui, qui dicunt significare vas propriè, & ex consequenti foramen, quod lignum, seu postis ingreditur, quod modum vasis habeat, aut locum ostiorum, quod sit quasi vas ostiorum. Res mihi adhuc incerta est.

Custodietis seruitutem hanc, id est, cultum hunc. Vsurpat enim hebraissimus sæpissimè seruire, pro colere, & seruitutem pro cultu, & sacrificio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid seruitus ista vobis? id est, quid cultus iste vobis adumbrat? Qui saltauit, aut transiliuit, super domos filiorum Israel, nolens eos disperdere.

Inclinauit se populus, & adorauerunt. Nam chadar, significat propriè verticem curuare: sechah verò, totum corpus inclinare, aut prosternere se.

Qui sedebat in domo putei, seu carceris.
Dictio bor, puteum significat: & tunc temporis carceres erant rotundi, ad modum putei, vt in Genesi probauimus.

Et benedicite mihi; id est, bona imprecemini super me, in discessu vestro.

Et roborauit se Ægyptus, id est, fortiter egerunt ad festinandum populum exire.

Tulit seu leuauit populus conspersionem suam, id est, farinam aqua mixtam, appositiuè Conspersiones suas. Aut reliquias suas, scilicet quæ superfuerant de conspersione. Confecerant enim azimos panes ex pasta, ad cœnam agni, & reliquum pastæ ligarunt, & posuerunt super humeros filiorum suorum. Possent etiam per reliquias, intelligi reliquiæ panum, qui superfuerunt vescentibus: sed primum germanius esse videtur. Est ergo locus sic reddendus. Et leuauit populus conspersionem suam, id est, pastam antequam fermentaretur: Nempè residua sua, aut reliquias suas, id est, reliquias pastæ quam commiscuerat, vel & reliquias panis quæ à cœna superfuerant, in vestimentis suis, ligata: super humeros suos. Nam ex pasta infermentata fecerant panes pro cœna agni, & residuum infermentatæ pastæ, ligarunt in vestimentis, & posuerunt super humeros filiorum.

Commodauerunt eis.
Verbum hebraicum, scaal, petere significat, potius quàm accommodare, ideò melius vertas. Et postulauerunt, scilicet filij Israel eos, scilicet Ægyptios, aut ea, scilicet vasa, & exuerunt Ægyptum, scilicet pretiosis suis.

Profectique sunt filij Israel de Rameſſes.
Sunt qui putant Rameſſes, esse vnam ex vrbibus, quas filij Israel ædificarunt Parhoh, filiosque Israel in ea mansisse inclusos, saltem pro magna sui parte. Aliquos verò ex eis moratos inter Ægyptios quod ex textu constat: verum videtur Rameſſes esse regionem, non longe ab vrbe Heliopoleos, in qua (vt autor est Augustinus,) vitulus pro Deo colebatur: cuius simulachrum Heliopolitæ iuxta sepulchrum Ioseph collocarunt.

In Succoth. Nomen est alterius loci, quem Caietanus, extra Ægyptum esse putat, inde argumentum sumens, quod infra dicitur, eadem die Israel de Ægypto egressum, intrasse Succoth.

Sexcenta milia peditum fortium.
In hebræo non est virorum, sed geharim, quod robustos significat, & possemus per robustos, non solùm homines, sed etiam fœminas intelligere, quia hic per fortes videtur scriptura intelligere prouectos, & robustæ ætatis: Neque textus excipit nisi pueros: excepisset autem fœminas, si eas cum viris non inclusisset. Potest tamen teneri, per fortes solos viros excipere: quia inferius sæpe numerantur sexcenta milia pugnatorum, quod ad fœminas non pertiner.

Et mistio multa, ascendit cum eis, scilicet ex aliis nationibus, aut qui habitabant simul cum filiis Israel, vel eis noti erant: & forsitan multi Ægyptij, ad fidem vnius Dei conuersi.

Placentulas infermentatas. Dictio vgah, subcineritium panem significat, sub cineribus coctum. Verbum verò vg, significat sub cineribus coquere, & nonnunquam absolutè coquere.

Quoniam non potuerunt tardare, scilicet propter Ægyptios impellentes.

Et etiam cibum non fecerunt sibi.
Videtur verbum sauad, propriè significare venari: vnde alid, id est, venatio. Sedah verò, extenditur ad significandam omnem esca, vt patet Genesis quadragesimo secundo. Vt daret eis sedah, id est, escá pro itinere: vbi videtur significare omnem escam, præter panem: quod nos conduto vocamus.

Et fuit mansio filiorum Israel, quas manserunt in Ægypto triginta anni, & quadringenti anni.
Difficilis valdè est locus iste, qualiter scilicet verum sit, filios Israel mansisse in Ægypto. 430. annis. Quod enim non manserint. 430. constat ex multis. Primum, quia Gene. 15. Vbi Dominus Abrahæ prædicit hanc captiuitatem, & peregrinationem seminis sui, solùm numerat. 400. Dicit enim textus sic. Gognoscendo cognosces, quod peregrinum erit semen tuum: in terra non sua, & seruire facient eos, & affligent eos quadringentis annis. Et post pauca. Generatione quarta reuertentur huc: quasi vnam generationem reputet, vnum annorum centenarium. Idem dicit beatus Stephanus, Actorum septimo. Male tractabunt eos annis. 400. licet latini codices habeant 430. Est etiam ad hoc, supputatio scripturæ aperta: ex qua constat, Chaat intrasse Ægyptum, cum Leui patre suo, vt patet Genesis. 46. Vixit autem Caath. 133. & Hanrram filius eius. 137. Exodi sexto. Moyses verò filius Hanrram erat. 80. quando primum stetit ante Pharaonem. Qui anni simul computati, ascendunt ad. 350. Neque vales dicere, Moseh, cùm primum sese Pharaoni obiecit, fuisse. 80. annorum: sed postea diu in Ægypto mansisse, quoniam signa non diu durarunt in Ægypto. Et adhuc à prædicto numero 350. annorum: excipiendi sunt anni, quibus vixit Chaath, antequam in Ægyptum descenderet, & anni quibus vixit, postquam genuit Hanrram, & quibus vixit Hanrram postquam genuit Moseh. Ex quibus constat, eos non mansisse in Ægypto, ad numerum annorum hic descriptorum. Sunt tertio ad hoc, duo Chronographi magnæ fidei apud Hebræos, scilicet, Rabbi Abraham Leuites qui in libro Chabale scripsit, Iudæos ad annos. 210. mansisse duntaxat in Ægypto. Et autor libri Sedar olam, qui ad idem tempus, eos ibi moratos duntaxat: constanter affirmat. Ex quibus videtur, hoc quod hic habetur, nullo modo posse stare. Soluunt autem omnes nostri, nodos istos, hoc modo, scilicet, sanctus Thomas super tertium caput epistolæ ad Galla. Lyra hic, & Gene. 15. Caietanus ibidem. Dicunt enim coniungendam esse simul peregrinationem, & afflictionem seminis Abrahæ, quòd videlicet, neque peregrinatio per se neque afflictio seorsum, duraverint ad 400. annos: sed vtrunque simul. Neque solùm in terra Ægypti hæc duo esse intelligenda, sed tam in Ægypto quã in terra Chenahan, in qua sancti Patres, etiam veluti peregrini mansérunt. Videtur enim textus loco Gene. citato tria de semine Abrahæ prædicere. Primum quod semen futurum sit peregrinum in terra non sua, Secundum quod seruiturum sit. Tertio quod affligendum annis. 400. Dicunt enim Isaac qui fuit semen verum Abrahæ, mansisse vt peregrinum in terra Chenahan, ad sexaginta annos, antequam genuisset Iaacob. Sexagenarius enim erat: cùm eum genuit, vt constat Genesis vigesimoquinto. Iaacob verò cùm Ægyptum ingressus est, erat. 130. annos natus, vt patet Genesis. 47. qui simul conficiunt. 190. Cùm ergo scriptura dicit Genesis. 15. eos mansuros in terra non sua, ad quadringentos annos, ad quos vltra istos. 190. exiguntur. 210. Sequitur Iudæos ad. 210. in Ægypto mansisse. Sanctus autem Thomas ad Galla. tertio. Extendit supputationem suam, & dicit Ioseph fuisse 30. annorum, quando adductus est coram Parhoh, Gene. 41. Postea transierunt. 7. anni fertilitatis, & duo famis, vsque ad ingressum Iaacob in Ægyptum Gene. 45. Vixit autem Ioseph. 110. Genesis vltimo. A quibus si subtrahantur. 39. Ioseph. & 9. fertilitatis. & famis: manent. 71. Fluxerunt ergo à natiuitate Isaac, vsq; ad mortem Ioseph. 261. Mansérunt autem filij Israel (vt Rabbanus dicit. Act. 7.) post mortem Ioseph in Ægypto. 144. annos. Ex quibus sequitur, quòd à natiuitate Isaac vsque ad exitum de Ægypto fluxere. 405. anni. Scriptura autem, non curat illos 5. annos. Aut potest dici, quòd quinto anno Isaac, expulsus fuit Ismael.

Et vi-

Et videtur quod hæc solutio explicet, qualiter vera sint, quæ de. 400. annis dicta sunt. Gene. 15. Non autem quæ hic de quadringentis. 30. dicitur. Ad quam dissoluendam dicunt, quod cùm dicitur, mansionem Israel in Ægypto, fuisse ad. 430. annos: debet intelligi, cùm ea qua manserunt Patres in terra Chenahan. Mansit autem Abraham in terra Chenahan, ad annos vigintiquinque. Nam Abraham quando egressus est de Aran, & facta est illi prima terræ promissio, erat 75. annos natus. Gene. 12. Fuit autem centenarius, quando natus est ei Isaac. Gene. 21. Vnde sequitur, quòd à prima terræ promissione vsque ad natiuitatem Isaac, fluxere anni. 25. Quare etiam huic supputationi desunt quinque anni, quos Lyra supplere vult ex inchoatis, quos scriptura non numerat. Est etiam ad hoc autoritas. 70. qui hic dicunt, & legunt habitationem filiorum Israel, qua habitauerunt ipsi & Patres eorũ in terra Ægypti, & in terra Chenahan fuisse, 430. annos.

Sed quod huiusmodi solutiones nõ plenè nodos dissoluant: & quòd illa supputatio. 400. annorum à natiuitate Isaac non sit vera: probatur sic. Quoniam Genesis. 15. capite, dicitur semen Abrahæ peregrinaturum in terra non sua, annis quadringentis: & reuertetur in terram Chenahan, post illum numerum annorum, quasi in patriam, ergo reputat illam, scilicet terram Chenahan patriam, à qua peregrinari debebãt, & non debent inter annos peregrinationis supputari, anni quibus ibi fuit Isaac. Vnde planus literæ sensus esse videtur. Sciendo scies, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, id est, extra istam terram, quadringentis annis, & generatione quarta iterum reuersurum huc, tanquam in patriam. Si enim de alia patria esset sermo, diceret cum reuersurum in patriam: & non reuersurum hut, id est, in terram Chenahan.

Confirmatur hoc, quoniam illa dicitur esse hominis patria, in qua ipse natus est. Cùm ergo Isaac natus fuerit in terra Chenahan, sequitur eam fore eius patriam, & per consequens non debere dici, in ea propriè peregrinus. Quod addo propter Paulum, qui ad Hebræos. 11. omnes Patres vocat peregrinos. Tum quia signanda est patria Isaac, & nõ Hur Chaldeorum neq; Charan, in quibus non est natus, neq; vixit in eis: ergo terra Chenahan. Vel saltem non est maior, imò minor est ratio, dare illi aliam patriam, quàm terram Chenahã. Sequitur ergo, extra eam debere supputari, annos peregrinationis seminis Abrahæ.

Secundo, quia Genesis. 15. dicitur semen Abrahæ quarta generatione reuersurum in terram Chenahan, sed supputando Isaac primam generationem, nõ sunt illuc quarta generatione reuersi: ergo non est ab eo supputandus numerus. 400. annorum. Probatur minor, quoniam maior ex scripturis constat. Nam isto modo prima generatio est Isaac, secunda Iaacob, tertia si per literam regalem supputes, Iudas quarta Phares: in cuius tempore non sunt terram Ægypti egressi, sed potius ingressi: Hezron, & Chamul: vt habetur Genesis. 46. qui fuerunt filij Phares. Ex Ægypto autem exiit tribus regia tempore Naason, vt patet Numeri primo: vbi supputatur dux tribus Iehudah. Fuit autem iste Naason filius Hamminadab, Hamminadab verò filius Ram: Iste verò Ram, fuit filius Chesron: vt habetur primo Paralipomenon secũdo. Qui Chesron Ægyptum ingressus est. Vnde supputando per regiam lineam non quarta generatione, sed potius. 8. egressum est semen Abrahæ ex Ægypto. Nam Abraham genuit Isaac, ille Iaacob, Iaacob Iudam, Iudas Phares, Phares Chesron, ille Ram, Ram Hamminadab, iste Naason principem tribus Iehudah, qui de Ægypto egressus est. Et licet Lyranus dicat has generationes, non esse incipiendas ab Isaac: oportuit eum dicere, quare non ab Isaac, postquam isti. 400. anni ab eo inirium sumũt. Nam textus ibidem, pro eodem reputare videtur, affligi. 400. annis, & quatuor generationibus. Neque etiam si numeres per sacerdotalem, quoniam ab Isaac inclusiuè, vsque ad exitum de Ægypto: enumerãtur sex, scilicet Isaac, Iaacob, Leui, Chaath, Hanrram, & Aaron siue Mosch. Et etiam si demas Isaac adhuc manent. 5. Neque valet quod Lyra dicit, quod secundum editionem. 70. enumerentur. 5. generationes. Vbi enim veritas hebraica Gene. 15. habet generatione quarta reuertentur huc? habent. 70. generatione quinta. Sed nos veritatis hebraicę expositionem quærimus, non. 70. qui fortè ad hoc vitandum, quintam ex suo addiderunt.

Quòd verò solutio Doctorum nostrorum non plenè soluat alterum nodum de. 430. annis, ex eo constare videtur, quod textus hic dicit, mansionem qua filij Israel in Ægypto mãserunt, fuisse ad. 430. annos. Ista verò solutio dicit eos mãsisse pro magna parte istorũ annorum, scilicet ad. 190. annos in terra Chenahan, in qua, vt diximus, non fuerunt propriè peregrini, saltem Isaac, & Iaacob. Tum quia textus hic videtur ostendere, Deum impleſſe promissum Abrahæ, quod post. 400. annos esset liberaturus semen eius de seruitute, qua seruituri erant licet addat annos. 30. Ideò alius soluendi modus excogitandus est: licet iste possit benè tolerari. Est ergo præmittendum, vt dicitur Genesis decimoquinto, semen Abrahæ, futurum peregrinum in terra non sua, & seruituti subiiciendum 400. annis, intelligendo per terram non suam, terram Ægypti, vel aliam à terra Chenahan: in qua semen ipse fuit, vt iam deduximus, non erat peregrinum: cùm inde esset oriundum, similiter illud reuersurum, ad terram promissionis, quarta generatione. Vnde, vt superius deduximus, idem est, semen Abrahæ reuersurum ad terram promissionis, expletis. 400. annis seruitutis, & reuersurum, quarta generatione. Sed videndum est, quid per quartam generationem, seu per generationem, scriptura intelligat. Et vt ex diuersis locis eius colligitur, intelligit filium, nepotem, & sic cõsequenter: vt vna generatio, sit idem quòd vnus genitus: vt patet Exodi vigesimo, vbi Dominus dicit, se visiturum iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem: licet hebraicè habeatur, in tertios & quartos: vbi per tertiam generationem intelligit tertium genitum. Significat etiam generatio homines eiusdem ætatis, seu temporis, vt patet Genesis sexto, vbi dicitur de Noah, fuisse virum iustum, in generationibus suis, id est, inter homines ætatis seu temporis sui. Sic Ecclesiastes primo, vbi dicitur. Generatio præterit, & generatio venit: terra autem in æternum stat, id est, ætas vna hominum recedit è terra per mortem, & alia venit, sine terræ cessatione. Qui duo modi in idem redeunt. Nam homines mei temporis, sunt vna ætas, hi verò qui tempore filij mei, alia, & similiter, alia generatio, quo modo qui tempore nepotis, & sic consequenter. Cùm ergo scriptura dicit Iudæos quarta generatione reuersuros in patriam, seu in terram Chenahan: idem est, ac si diceret quarta ætate, seu abnepotis tempore. Nam filius est prima generatio, nepos secunda, pronepos tertia, abnepos quarta. Sed discutiendum est, vnde seu à quo, debeant hæ generationes incipere. Et (vt iam deduximus) cùm textus Genesis decimoquinto dicat, semen futurum peregrinum, & seruiturum, & affligendum. 400. annis, & non fuerit peregrinus, neque seruierit, aut afflictum fuerit in terra Chenahan: sequitur huiusmodi peregrinationem, seruiturem, & afflictionem, esse intelligendam, extra terram Chenahan, & in Ægypto, quia sequitur. Et gentem cui sunt seruituri, iudico, id est, punio ego, quod Ægyptiis feciſſe constat. Est ergo hæc prima generatio incipienda, post ingressum in Ægyptum. Vnde cùm dicitur generatione quarta reuertẽtur huc: intelligendum est, ab ingressu, seu post ingressum in Ægyptum. Et si quæras, quænam sit prima generatio eorum qui in Ægyptum ingressi sunt: dico non esse Iaacob, cùm ætas ipsius esset iam in fine. Erat enim iam. 130. annos natus: vt habetur Gene. 47. Vnde incipienda est per lineam sacerdotalem à Leui, & in regia per Iudam, qui ingressus est cum patre. Quare prima ætas, seu generatio, fuit filiorum Iaacob. Nam vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

deduximus, vna generatio, est vna hominum ætas, seu homines eiusdem temporis, & ætatis. Sic ergo supputando Leui pro prima Caath, pro secunda Hanram, pro tertia Aharō, & Moseh pro quarta verificatur eos quarta ætate, seu generatione reuersos ad terram promissionis. Sed nunc verificandum est, & explicandum, qualiter istæ generationes, peregrinæ fuerunt in Ægypto. 400. annis, vt dicitur Genesis decimoquinto, aut 430. vt hic dicitur. Et arbitror huiusmodi generationes, non esse seorsum intelligendas, sed ita accipiendas, vt anni vnius, pro aliqua sui parte intrent, & intersecent, ætatem alterius. Volo dicere, quòd centenarius annorum vitæ Leui, non debet excludere annos, quibus eo superstite, vixit Caath filius eius: ita quòd supputandi sunt omnes anni Leui, quotquot fuerint per se, & anni Caath, licet aliqnot anni Caath, simul currant cum annis Leui, & sic de annis, Hanram, & Moseh. Sunt ergo anni omnium istarum generationum supputandi integre, & per se: licet alij alios intercessent. Ne autem me putes, hoc sine ratione dicere, & autoritate: expende verba scripturæ Genesis decimoquinto. Ibi enim dicitur, semen Abrahæ quarta generatione reuersurum, in terram promissionis: vbi si per generationem, filios & nepotes intelligas, impossibile est, generationem vnam, non includere aliquot annos alterius. Nam filius, vt plurimum, ad aliquot annos vitæ patris viuere consueuit: vnde vt plurimum, anni vnius generationis, includunt annos alterius. Homines etiam qui sunt ætatis filij mei, viuunt viuentibus hominibus ætatis meæ: vnde vna ætas, vel generatio, partem alterius, vt plurimum includit. Sed iam veniamus ad computum, vt videamus an quatuor istæ generationes, in Ægypto ascenderint ad quadringentos, aut. 430. annos. Supputando autem pro prima generatione filios Iaacob, per sacerdotalem lineam, legimus Leui vixisse annos. 137. Exodi sexto. Chaath verò. 133. vt ibidem dicitur. Hanram autem. 137. vt eodem capite scribitur: Moseh verò octogenarius describitur, cùm apud Pharaonem legatione pro Deo functus est Exodi septimo. Qui omnes simul computati, conficiunt. 487. A quibus si excipias annos quibus natus erat Leui, cùm ingressus est Ægyptum, qui fortè erant 37. (in media enim ætate, videtur Ægyptum ingressus, cùm iam genuisset Chaath) manent. 430. quibus hic dicitur Iudæos in Ægypto mansisse: & sic omnia consonare videntur. Quod autem dicitur Genesis decimoquinto, eos ad quadringentos annos seruituros, & affligendos, verū est. Manserunt enim filij Israel ad 30. annos in principio, quamdiu durauit ætas filiorum Iaacob, sine afflictione, vt habetur supra primo capite. Nam mortuo Ioseph, & cunctis fratribus eius, creuit populus, & afflictus est. Quadringentis verò fuerunt afflicti, & seruierunt. Vt ergo quæ diffuse diximus ad epilogum reducamus. Dicimus filios Israel ad 30. annos sine afflictione in Ægypto mansisse, afflictos verò fuisse annis. 400. tempusque mansionis incipiendum, ab ingressu in Ægyptum, primamque generationem supputandam fore Leui, & fratres eius. Secundam Chaath: Tertiam Hanram, quartam Moseh. Quæ quatuor generationes ad. 430. annos consurgūt si computetur tempus quo nō fuerunt afflicti: ad quadringentos verò, supputando solos annos afflictionis: modo accipiantur ætates seorsum, non curando intersecationes. Sed secundum hoc, non habetur certum tempus, quo Iudęi manserunt re vera in Ægypto, quoniam non constat, quantum tempus Caath vixit, viuente Leui patre suo, & similiter quanto vixit Hanram, viuente Chaath: & sic de Moyse. Vnde posset teneri opinio Hebræorum: quòd videlicet ad annos 210. manserint: scriptura autem dicit eos mansisse 430. supputando ætates, non curando, an alia, aliam ingrederetur. Coacti verò fuimus sic exponere ad saluandam literam Genesis & hanc: quòd videlicet populus Dei, ad annos quadringentos in Ægypto manserit: supputando eos per generationes, quemadmodum scriptura supputat loco Genesis citato.

Parce prudens Lector, si tibi nondum scopum attigisse videamur: quoniam in re tam obscura, difficilè est meram veritatem attingere: si quid autem melius habueris, in tuam facile ibo sententiam. Sed iam ad sequentia.

Nox obseruabilis Domino, id est, quam obseruare debent, ex mandato Domini filij Israel, vt scilicet singulis annis eam celebrent, qua scilicet à Domino fuerunt ex Ægypto redempti. Hebraicè ad verbum est. Nox custodiarum est Domino, id est, multis annis custodienda, aut multa custodia & diligentia obseruanda. Aliqui explicant. Nox custodiarū, id est, qua Deus filios Israel custodiuit: sed non placet expositio, vt statim sequitur.

Hoc statutum pasch, id est, agni paschalis, seu hoc est statutum eorum qui debent pasch comedere.

Omnis filius alienigenæ non comedet ex eo.
Loquitur de eo, qui non est ex semine Israel, sed de nouo venit habitare inter Israelitas, Dictio hebraica nachar, significat ignotum; cuius, scilicet patria, aut Patres ignorantur.

Omnis seruus viri pecunia possessus, aut vt hebraicè habetur. Possessio pecuniæ.

Circuncides illum, & comedet ex eo.
Ex hoc loco intelligi potest. Iudęum posse seruū suum pecunia emptum, ad circuncisionem cogere, quemadmodum diximus de successoribus Abrahæ Genesis decimoseptimo. Et quidam hic dicit hoc posse fieri, vt circuncisio erat signum distinguens Israelitas ab aliis: quemadmodum poterat imuitum, cute signati, in quacunque vellet corporis parte. Non tamen poterat inuitum circuncidere: vt circuncisio erat professio fidei. Hæc solutio est Caietani: & aduersus eam est, quòd iste videbatur circuncidi, quasi ad profitendum fidem Iudæorum, quoniam ad ritum & ceremoniam legis: quæ erat fidei professio fiebat. Profitebantur enim Iudæi hac ceremonia, se seruos Dei, ab eoque redemptos, & de cætero obseruaturos Dei mandata, quemadmodum serui, mandata Domini sui. Vnde nullum inconueniens arbitror dicere, in lege veteri posse homines cogi ad fidem suorum parentum, Patresque se posse pro filiis ad fidem vnius Dei obligare, quemadmodum Abraham pro se & semine suo, se astrinxit Deo. Quod teneo tanquam probabile: paratus in contrariam sententiam, si ecclesia contrarium diffinierit. Si quis tamen contrariam sententiam amplectatur non prohibeo, quoniam ideò fortè Dominus cum filiis Abrahæ pactum renouauit vigesimoquarto capite huius libri, quoniam poterant filij excipere patrem non potuisse eos in rebus fidei obligare, neque pro eis respondere.

Aduena & mercenarius. Significat tossab illum, qui diu habitauit in aliquo loco, quasi iam ibi sedem habens. Nam Iassab, à quo tossab, significat propriè sedere, & manere.

Omnis cœtus filiorum Israel faciet eum, scilicet, per quamlibet domum: vt dictum est. Non quòd omnis multitudo, vnum agnum immolaret.

Fuit in robore diei huius, id est, durante adhuc die, aut habente adhuc die robur suum, quod est dictu, antequam dies omnino ad noctem declinaret.

Supra exercitus eorum, id est, per exercitus: aut incumbens desuper super exercitus egredientium.

CAPITIS. XII. AD MORVM compositionem.

Mensis iste vobis caput mensium.
Merè totum caput hoc, commendat nobis memoriam diuinorum beneficiorum: vt scilicet non solùm beneficia ipsa in se, consideremus: sed tempus, & omnes alias eorum circunstantias. Arguitur hic etiam nostra ingratitudo: quæ tanta est: vt Deo opus sit, testes ad hæc vocare. Ad quid quæso, huiusmodi annualis obseruantia, nisi quia timuit pius pater, Iudæos, huius tanti beneficij, futuros immemores. Legimus enim, Dominum Deum, postquam filios Israel cœle-

stì pane in deserto pauerat, Moseh præcepisse, vt nam mannæ in arca, testamenti asseruare. Similiter Christum duodecim cophinos, qui superfuerant his qui manducauerant, discipulos suos custodire iussisse. Sed ad quid quæso, nisi vt beneficium, cuius homines immemores essent, ad longum tempus testarentur, & ad memoriam reuocarēt præsentissima beneficia summi Dei? Dan. 6.

In decimo die, accipient agnum.
Possumus dicere hunc agnum, populum Ægyptium adumbrare, quem Deus quasi occidit, ad Iudæorum libertatem. Sed est aliud, quod magis ad viuum locus iste docet: quanta, videlicet diligentia, examinanda sunt, quæ Deo sumus oblaturi. Ad hoc enim omnium iudicio, agnus iste. 14. Luna, domum inferebatur: vt impinguaretur, & nutriretur, & examinaretur, si quid haberet maculæ: quod illum à diuino conspectu arceret: vt nos hac doceremur ceremonia, quanta diligentia, & quandiu, oblationes nostras, expendere debeamus, antequā illas Deo præsentemus. Cuius rei aliud exemplum iam Gen. 1. posuimus, quo nos ibidem Dominus docuit qualiter, quæ ei offerimus examinanda essent quoūquam ipse quæ ad nostram condidit vtilitatem, sic expendere dignatur.

Agnum per familiam. Non sat est, communitatem totam commune referre beneficium: sed opus est, vnamquamque familiam pro eo gratias agere. Nam quemadmodum vnamquamque domum, à cæde primogeniti seruauerat, sic voluit vnamquamque, beneficium agni occisione referre.

Si minor fuerit familia. Quid aliud quæso docet locus iste, quàm quæ supersunt nobis proximis impartiri? Similiter docet charitatis ordinem: vt proximioribus prius subuenias.

Agnus integer. Disce hic qualia esse debent, quæ deo tuo offerre debeas: vt semper potiora Deo offeras.

Inter duas vesperas. Vt scilicet eadem hora, beneficium referas: qua & accepisti.

Tollent de sanguine. Expende hic: quātum valeat ipsum peccato occidere, ne te occidat Deus. Non enim Deus, illos vnquam punit: qui seipsos punierint.

Comedetis nocte: quoniam eo tempore liberati sunt, & voluit Dominus, vt omnes circunstantias beneficij, ceremonia adumbrarent: vt scilicet nocte comederēt: quoniam tunc primogenitos Ægyptiorum, eorum gratia interfecerat.

Cum amaritudinibus. Vt suam referrent ab Ægyptiis, amaritudinem.

Assium, cum baculis, & accincti. Vt festinationem, qua ab Ægyptiis vrgebantur: festinatione ostenderet.

Capita cum intestinis. Vt ostenderent nihil filiorum Israel in Ægypto relictum: neque maiores, neque infimos, neque paruulos neque aliquid substantiæ suæ. Voluit enim Dominus, eos hac ceremonia, omnia adumbrare, quæ in eorum redemptione acciderant.

In cinctu diis Ægypti, faciam iudicia.
Et si omnes iudicādi, & puniendi sint mali, maximè ti men hi, qui alios seducunt. Destruit sæpius Deus, quæ maximè diligimus, & colimus: vt nos reuocet ab amore creaturarum ad suum.

In die primo vocatio sancta. Audis hic, ad quid dies sanctificentur: nempè ad cōueniendum, & audiendum sacra, maximè legem Dei.

Verumtamen quod comedetur. Non violabantur sacri dies ciborum præparatione: sabbato excepto.

Exterminabitur anima illa de cœtu Israel. Timendum valdè est, præcepta Dei præterire, quæ sub pœna morgratitudo, quæ mortis pœna mulctatur. eis proponuntur nobis. Audis hic quale malum sit in-

Tam peregrini, quàm indigenæ. Debent peregrini, seruare leges patriæ, qua agunt: ne indigenis scandalo sint. *Vos non egredientur.* Periculosum valdè est, malis se immiscere, eo tempore quo Deus eorum delicta castigat. *Erit cum dixerint vobis filij.*
Tenentur parentes, filiis referre beneficia Dei: vt fidem, & dilectionem benefactoris habeant.

Fuit in media nocte. Vt hostes incautos inueniret: & magis deterreret.

Vsque ad primogenitum iumentorum.
Quid meruistis oues, quid vaccæ: vt primogenita vestra, simul cum primogenitis hominum perirent? Solet Dominus impios, in se & suis castigare, quemadmodum propter bonos, eorum filiis benefacere, & benedicere solet.

Omnes fumus mortui. Si impius es, time pęnes te pios habere, quoniam mala tunc magis coram Deo apparent. Exi a me, (ait Christo Petrus,) quia homo peccator sum. Et vidua Helię dicit. Ingressus es ad me: vt rememorentur peccata mea. Luc. 5. cap. 3. Reg. 17.

Etiam multa mixtio, ascendit cum eis.
Malum est tecum habere, qui tibi scandalo esse possint & malè cocunt homines diuersæ fidei.

Escam non fecerant sibiipsis. Tam celeriter Deo obediendum est, vt omnium immemor sis, & Deo fidas, quòd omnia necessaria suppeditabit tibi.

In corpore diei huius. In Genesi admonui, quod quemadmodum Abraham, ea die qua iussus est, circuncidit se, & suos: ita & dominus, eadem die qua pol licitus est, eos à seruitute redemit. Cap. 17.

Omnis filius alienigenæ, non comedet ex eo.
Non sunt sacra mysteria infidelibus tradenda: ne ea irrideant, quemadmodum Christus margaritas porcis dare prohibuit.

Omnem seruum argento emptum circumcides.
Ecce qualis cuta Dominis esse debet, vt seruos suos ad fidem, & cultum vnius Dei, adducant: vt eos negligentes admonendo ad fidem perducere.

Lex vna erit. Debet lex esse communis: vt non magis extraneum, quàm indigenam grauet.

CAPITIS. XIII. AD LITERAM.

Sanctifica mihi omne primogenitum.
Significat propriè verbum chadas, separare: & ex consequenti immundum esse, quòd immunda soleant esse separata. Iubebat enim Dominus, homines separari ab immunditiis: & hic præcipiebat primogenita separari ad cultum, seu partem Dei. Nihil enim aliud erat huiusmodi primogeniti sanctificatio, quàm separatio eius à prophanis vsibus: & applicatio ad vsus Dei. Vnde patet, nullum in primogenito ius habebat nisi eum redimeret, iuxta legis dispositionem Numeri octauo, & Leuitici. 12. Est autem sermo, de primogenito matris. Nam licet pater, alium primogenitum, ex alia vxore haberet, tenebatur nihilominus primogenitum secundæ Deo offerre, sicut & prioris: quia dicitur. Aperuit omnis vuluæ, ita quod, quodcunque primum vuluam matris aperuisset, Domini erat.

De domo seruorum, id est, seruitutis, in qua scilicet sedebatis. Aut de dōmo, in qua eratis, cum aliis seruis.

Immensæ spicæ viridis. Vertit hic Sanctes, in priori editione. In mense Iulij: quòd eo mense frumenta sint spicata: sed meritò à Munstero taxatur, & ipse postmodum correxit. Cùm enim mensis iste, apud Hebræos sit Nissan, qui Martio nostro, & aliquando pro parte Aprili respondet: impossibile est Iulium vertere. Vnde Rabbi Dauid dicit: abib significare spicam, cum culmo, id est, calamo, à radice vsque ad spicam. Erat autem tempus, quo blada spicam habere incipiebant. Et aduerte, quam oportuno tempore eos eduxerit: quando videlicet fructum terra emittere incipit: neq; viget æstus, neque frigus: quando tempus magis oportunum est ad iter faciendum. Quòd etiam abib, spicam significet, cōstat superiori capite nono vbi dictum est. Quia hordeum abib, id est, spica. Et Leuit. 2. Abib, id est, spicam tostam igni. Et meo iudicio abab, est eiusdem significationis cum abah, id est, desiderare: quare abib, spicam quod sit desiderata significat. Communiter enim desideramus nouos fructus. Vnde eb, & ibe, videntur significare fructum arboris, præsertim primum, seu primitiuum. Canticorum sexto. Ad hortum

Universidad de Deusto
Biblioteca

uocis descendi, vt viderem beibe, id est, poma, scilicet prima, seu primos fructus connallium: aut desiderata connallium.

Seruies seruitutem istam, id est, celebrabis cultum istum, celebrando diem festum, in isto mense.

In die. 7. festum Domino, id est, vltimo septem dierũ.

Non videbitur tibi, fermentatum, & non videbitur tibi fermentum. Vtrunque prohibitum erat, scilicet, fermentatus panis, & ipsum fermentum.

Propter hoc facit Dominus mihi, id est, præcepit mihi hoc, scilicet obseruantiam hanc, cùm exirem de terra Ægypti.

Erit tibi, scilicet dies hæc, aut festum hoc, *sicut signum in manu tua*: quod semper videtur, siue sit annulus, siue filum, siue macula: quod statim explicat.

Et ad memoriale inter oculos tuos, id est, ac si esset memoriale, quod ante oculos haberes.

Vt sit lex Domini in ore tuo, scilicet ad docendum filios & posteros tuos, aut vt semper de ea loquaris & tractes.

Custodies decretum hoc, ad statutum suum, id est, ad tempus suum, certum, & statutũ à me. Iam enim alias dixi nomen moed, significare statutum, siue sit tẽpus, siue locus. Et quod sequitur.

A diebus in dies: Hebraismus est, id est, omnibus diebus: seu perpetuo, ab his diebus, vsque ad futuros.

Transire facies, scilicet à te.

Psal. *Omne quod primum aperit vuluam Domino*, id est, separabis à te, dando illud Domino.

Et omnis apertio, vel emissio animalis quod erit tibi masculum, erit Domino, id est, quicquid primo aperit vulnam, & emittit animal, in masculis: erit Domino. Dicunt autem Hebræi, dictionem seger, quam vertimus emissionem, esse extraneam, & meo iudicio, propriam eius significationem ignorant. Deutte. 7. habes. Segar alaphecha, id est, primitiuum boum tuorum, vel emissum primo. Aliqui per emissum intelligunt immaturum fœtum, quod etiam dandum Domino putant. Posset etiam significare ventrem: sed res incerta & ignota est. Neque est coniecturæ locus: quoniam dictio rara est. Et aduerte quòd prima apertio, seu diuisio vuluæ, refertur ad homines. Secunda verò ad iumenta.

Primogenitum seu apertionem asini, redimes pecude, quam, scilicet immolare liceat. Et si non redemeris, decernicabis illud. Duo significat verbum araph, scilicet decernicare, siue ceruicem frangere, & fluere, seu facere descendere: quod ceruix fracta decidat. Deuterom. 21. Ve arephu, id est, decernicabunt ibi vitulam, seu ceruicem frangent. Deuterono. verò. 32. significat fluere, decidere, Iaaroph, id est, fluat seu descendat vt pluuia, doctrina mea. Abhorrebat autem Dominus ab asino, quod vile animal sit, & omnibus despectum.

Cum durum se redderet Parhoh.

Significat chassah, durum esse: aut graue. Vnde illud inferius. 25. Michasseh, quod nossi ductile vertunt, posset etiam verti, graue fiet candelabrum, ac si dicat. Hastile candelabri non erit intus vacuum: sed erit graue: Leue enim esset, si esset vacuum, prior tamen expositio communior est.

Omne aperiens vulvam masculorum, id est, in masculis: quoniam si fœmina vuluam primum aperuisset, non erat Domini. Vnde duo ad lege necessaria erant. Alterum quod esset masculus, alterum, quod vuluam aperiret. Et quod dicitur.

Omne primogenitum filiorum meorum redimo: non est intelligendum de Leuitis, qui non redimebantur.

Et ad monimentum inter oculos tuos.

Dicunt Hebræi, nomen totaph, quod monimentum hic vertunt, significare frontale, siue laminam, quæ in fronte ligabatur: quod Hebræi vocant tephilim, de quibus miranda dicunt. Sed si quis rectè expendat, deprehendet nomen significare ocularia, seu specilla, quæ solemus ponere super nasum inter oculos. Et volebat Dominus Iudæos, hoc beneficiũ semper habere præ oculis, seu è regione oculorum: ac si essent huiusmodi specilla, quæ super oculos ponuntur, si vitra species. Inter oculos verò, quantum ad ligamen, siue sit corium, siue cornu, argẽtum, vel aurum vel quodcunque aliud: quo colligantur ad inuicem. Occasionem ex hoc loco sumpserunt miseri Iudæi, fingendi sua tephilim, de quibus mira dicunt: & nos nonnihil dicemus, vt tibi ob oculos ponamus, quæ illi, super fundamento nihil statuerunt. Duplicia enim illi dicunt, esse huiusmodi thephilim seu signa, ad memoriam reuocantia præcepta Dei. Quædam capitis, alia verò manus, aut sinistri brachij. Ea parantur ex membranula, quæ de pelle animalis mundi sumitur. In illa scribũtur quatuor scripturæ tractatus, quos ipsi sua lingua parasehior nominãt, quæ postea diligentissimè corio includuntur. In lege vocantur totaphot, apud Rabbinos tephilim. Magna antem superstitione, illa omnia, & parantur, & scribuntur. Cùm enim Iudæus, vitulum, vitulamve membranam, pro conficiendis thephilim, accipere statuit, vult mactare, dicere tenetur. Hunc vitulum propterea macto, quòd ex eius pelle, membranã pro parãdis thephilim mihi desumere volo. Coriario cuiam eam patãdam præbet, similiter dicit. Hanc pelliculam mihi parato: Nam ex ea mihi thephilim fieri volo. Membranam scriptori, cùm suppeditat, identidem dicit. Hanc membranam, ideò tibi do, vt mihi in ea, tephilim describas. Quod si illarum rerum aliquid intermittitur, credit stulta gens Iudaica, hęc signa postea vsurpata, eò minus valere. Debet autem lamina hæc circumire, ab aure in aurem. Scribunt autem in huiusmodi thephilim, hanc lectionem ex Deutero. sexto. Audi Israel. Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Quod si illis non permittatur, vsus tephilim, vtendum tunc esse, filo coccineo, ad brachium: in memoriam sanguinis fœderis. Receptaculum corij, quo recipiuntur huiusmodi tephilim, necesse est etiam esse de iumento mundo. Necesse item est, vt dextera sua scribat, etiam si vtraque vti posset. Quod si sinister est, sinistra manus eius, loco dextræ est. Et qui non nouit rectas facere lineas, absque lineamento, bonum est vt lineas faciat: vt posset rectam facere scripturam. Sit quoque membrana integra, nullum habens foramen: vt non perfluat atramentum. Quod si deest aliquid in literis, ita tamen, vt puer non omnino sapiens, neque etiam fatuus ipsum legere possit, sufficiens est, & non vitiosa scriptura. Necesse est etiam, in superiori parte spatium relinquere, ad tectum literæ lameth. Pars verò inferior, spatium habere debet, iuxta mensuram longitudinis caph, & nun. Non debent etiam scribi tephilim: nisi in ea parte, vbi caro fuit. Debent quoque quatuor lineæ, duci in margine tephilim per circuitum. Non tamen hoc necesse est, inter lineam, & lineam, tephilim capitis, scribi debent in pelle meam branæ, qua parte candida est. Quatuor præterea capita, scribi debent, quatuor sectionibus, ita, vt linearum non sit alia longa, alia breuis: sed æquales. Non ambulet qui capitis tephilim, in capite habet, in loco sepulturæ, nisi absit spatio quatuor cubitorum. Prohibitum est præterea, vti re venerea, in domo, in quæ sunt tephilim, aut liber legis, donec ea extrahat, aut ponat sub vase aliquo: ita vt vas vase alio, recondat. Licet tamen ponere ea sub capite, in stramentis cerualis. Quæ hic adducere placuit, non vt Iudaicas necnias, & stultitias, alicui obtrudere velim: sed tantum, vt appareat cæcitas miseræ gentis Iudaicæ, quàm anxie superstitiosi sint, in rebus minutulis, & quæ nullius sunt momenti, omittentes quæ grauiora sunt legis. Sacræ verò lectiones, quas in tephilim inclusas habent, sunt hæ. Audi Israel, & cætera. Deutero. sexto vsque ad locum illum. Scribes ea super postes domus tuæ, & in portis tuis. Hucusque prima. Secunda habetur hoc capite. 13. incipiens. Locutus est Dominus ad Moseh dicens. Sanctifica mihi omne primogenitũ: vsque ad locum vbi dicitur. Custodies igitur statutum istud, tempore suo, à diebus in dies. Tertia ibidem consequenter habetur. Et futurum est, quod introduceet te Dominus, vsque ad illum locum, vbi dicitur.

Erit

Erit itaque in signum super manum tuam: vsque ad finem versus, Quarta incipit. Erit itaque, si audiendo audieritis præcepta mea: quæ desumpta est ex vndecimo capite Deutero. vsque ad illum locum vbi dicitur. Scribes quoque ea super postes: vsque ad finem huius versus. Audis certè, quæ comminiscuntur Iudæi, & quæ fabricarunt, super vocabulum, cuius significationem propriam ignorant. Cùm Dominus hic nihil aliud voluerit, quàm memoriam beneficij commẽdare, quemadmodum res quæ semper est ante oculos.

Quoniam propinqua ipsa, scilicet Ægypto, aut terræ promissionis: à qua solum distat ad. 10. dietas sed primum germanius. Ne, scilicet, videntes bellum, & se prope Ægyptum esse, redirent in Ægyptum.

Circumire fecit populum, viam deserti maris termini, potius quàm rubri: & sic vbique verte. Nam locus Remesses, vnde Iudei recedebant, ad leuam habet terram Philistiim: ad dextram mare siph, seu termini: & via versus leuam, ducit ad mare mediterraneum, & ad terram Philistiim, & est plana quacunque declines: recta verò, tendit ad desertum magnum.

Armati ascenderunt filij Israel. Verbum chamas, significat propriè quintam partem accipere, seu quintare (si latinus sermo permitteret) & meo iudicio, vertendum hic erat. Et quini ascenderunt filij Israel, id est, quinque & quinque. Nam textus, in fine præcedentis capitis dixit, filios Israel à domino eductos de Ægypto, per exercitus suos: ex quo constat eos exisse ordinatos, saltem viros, per modum exercitus. Solent autem homines, in exercitu incedere, quinq, & quinque: aut quatuor, & postea alij quatuor, & isto modo, Iudæos exisse arbitror. Neque via permittit plures incedere, alias agros calcarent, & vineas. Neque video, vnde Iudæi possent habere arma, ad sexcenta milia hominum cùm essent serui, neq, illos permitterent Ægyptij arma habere, qui eorum solam multitudinem formidabant. Neque Ægyptij sua illis armæ mutuassent, cùm postea armati sequuti sint eos. Septuaginta autem verterunt hic quinta generatione filij Israel ascenderunt de terra Ægypti, illud autem. 2. Samuelis. 2. quod nostri vertunt. Percussit eum Abner, cuspide lanceæ, super achomes, id est, quintã costam, posset etiam verti super quinquies, vel ad quinquies.

Visitando visitabit, aut melius: *Recordando recordabitur. Profecti de Sucot, manserunt in Ethan in fine deserti.*

Est Sucot, secunda mansio post Remesses, vltra fluuium Traianum. Ethan verò, tertia mansio: in fine deserti Sur, iuxta terminum maris Rubri.

Ad ambulandum die ac nocte. Poterant enim, non solùm in die, sed etiam noctu incedere propter columnam ignis. Dicitur autem ignis columna, quod scilicet speciem columnæ haberet flamma illa.

CAPITIS. XIII. AD MORVM compositionem.

Sanctifica mihi omne primogenitum.

Omnia quæ in hoc capite continentur, gratitudinem clamant. Similiter ea Domino offerenda prædicant, quæ meliora & amabiliora esse cognoueris. Nos verò quæ turpiora, quæve infirmiora sunt Deo damus. Vt enim aliàs admonui. Si filius gibbosus, lippus, hernioſus, claudus, & mancus est, hunc ad monasterium, ad Dei obsequium destinamus. Si quis verò aspectu pulcher, aut robustus est: hunc mundo, & nuptiis, ac eorum ministerio seruamus. Quis enim hodie hominum, filium primogenitum Dei obsequiis, ac ministerio seruare? Idem de iumentis: vt cogatur Dominus apud Malachiam dicere. Maledictus dolosus qui cùm in grege suo masculum & robustum habuerit, debile Domino, & claudum affert. Præsenta illud duci tuo: & videbis, an susciptat faciem tuam.

Memento diei huius, quo egressi estis ex Ægypto, è domo seruorum.

Celebris valdè nobis esse debet dies, qua ex seruis Diaboli, in Dei seruos asciscimur. Vnde antiqui solebant diem circuncisionis celebrare, quoniam eo à peccato originis, mundus puer, militiæ diuinæ, & populo Dei aggregabatur. Sic & angeli in cœlo, celebrare solent nostram conuersionem: vt gaudium in cœlo sit, super vno peccatore pœnitentiam agente.

Non comedetur fermentatum.

Quid quæso tibi Domine & fermento? Si ergo isti tanta ambitione celebrant libertatem à seruitute tyranni, quanto magis homo debet celebrare libertatem à laqueis Diaboli. Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tui. Eripiens inopem de manu fortiorum eius. Abhorruit semper Dominus, à mixturis. Præcepit enim, non arandum in asino & boue, non serendam terram, diuerso semine, non gestandam vestem, ex lana & lino textam. Voluit nos simplices esse: & simpliciter apud proximos conuersari. Psal. Deut. 22.

Infermentata comedent. Quemadmodum Dominus, omnes circunstantias ministerij, aut oblati sibi munetis oculatè conspicit, vt de sacrificio Abrahæ manifestauimus ibi, ita voluit nos, curiosè eius beneficia circunspicere. Istuc enim tendunt verba sequentia.

Erit tibi in signum super manum tuam.

Auser quæso Domine socordiam nostram, ad munera tua.

Omne primogenitum asini pecude redimes.

Arguit locus iste, esse quædam, quæ Dominus reiicit, neque libenter accipit, alioqui natura sua bona. Quid hoc est Domine, quòd sic asinum reiicis. Nonne creasti illum quemadmodum omnia alia? Et quidem: sed vult nos docere, vt quæ vilia reputamus, non offeramus illi.

Omne primogenitum hominis in filiis tuis redimes.

Non vult Dominus perdere aliquid sui iuris: quod adnectant, qui Deo debita suffurantur.

Cùm interrogauerit te filius tuus. Vult Dominus nos quærere rationem cæremoniarum, & eorum quæ ipse fieri præcepit, & maiores, horum rationem reddere minoribus, vt sciamus, quali religione instituta sunt. Deut. 22.

Erit in signum in manu tua: & speciilla inter oculos.

Vult Dominus munera sua, non solum esse ante oculos, vt videas ea: sed etiã in manibus, vt opere reddas, aut eleuatis manibus saltem gratias agas.

Non duxit eos Deus, per viam terræ Philistiim.

Considera hic Dei bonitatem: vt quasi cogat homines ad beneficia sua. Ne colatum munus Iudæi reiicerent reuertendo in Ægyptum, alio duxit eos. Non enim libenter reuocat beneficia sua. Vtitur dominus artibus, & astutiis suis: vt doceat non esse malum, si artibus ad bonum vtaris. Ostendit etiam hic, quantum curet, ne nos, eius beneficia amittamus: & quàm facilè nos ea amitteremus, si ipse non prohiberet.

Circumduxit populum per desertum. Voluit prius filios instituere, quàm daret eis hæreditatem, contrà parentes, qui filiis patrimonium parant, & non doctrinam.

Quinque, & quinque ascenderunt.

Ordinata vult Dominus omnia sua esse, & maximè confusionem reprobat.

Tulit Moseh ossa Ioseph. Non æquo animo ferebãt Sancti, inter impios requiescere, neque corpora, neque cadauera sua permittebant inter impios habere. Similiter docentur posteri, quàm benè seruare debeant iuramenta, & promissiones maiorum suorum.

Vt ambularent die ac nocte. Festinat Dominus Deus, dare nobis promissa: sed nos peccatis nostris obstitimus, & impedimenta obiicimus illi.

Non recedebat columna nubis. Magna est dignatio tua Domine erga tuos: vt quasi puer, tedas accensas ante eos deferas, & iter doceas. Quis audiuit vnquam talia, vt Dominus accensa facula, quasi minister suos præcederet? sed iam non mireris cùm eum dicentem audias. Præcinget se & faciet eos discumbere, & transiens ministrabit illis. Luc. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPITIS. XIIII. AD LITERAM annotata.

Reuertantur & castrametentur ante Pihachirot, inter Migdol, & inter mare, ante Baal sephon, contra ipsum castrametabimini, iuxta mare.

Erant Iudæi in deserto Ethan, & in extremitate maris Rubri, à quo loco versus Ægyptum, est desertum, quod vocatur Ethan. Iubet autem nunc Dominus, eos reuerti versus Ægyptum, ad locum deserti Ethan, & præcipit castrametari ante Pihachirot, quod erat in fine deserti Ethan, versus Ægyptum: & vult eos gyrare desertum Ethan, vt venirent ad mare, vbi mare vtcunque latius erat, quàm in fine vnde recesserant: vt scilicet Parhoh videns eos, ex altera parte conclusos deserto Ethan, & ex alia mari, vires resumeret ad eos persequendos. Secundo quia volebat eos in desertum ducere, & difficilè erat, illud transire, ex illa parte, qua mare finitur: in fine scilicet deserti Sin: ideò voluit, eos circumire desertum Ethan: vt traiecto mare, intrarent desertum Sin: ea parte, qua facilior erat transitus. Baal sephon verò locus est iuxta mare: quo castrametati sunt filij Israel, antequam mare traiicerent. Sunt autem qui putant, eos non transisse ab alio, in aliud littus maris, sed ab eadem in eandem partem, versus finem maris: vt egrederentur mare eo loco, vbi nunc est Suetium, quod nostri vocant Suez ciuitas Ægypti, quæ nunc est sub ditione Imperatoris Thurcarum.

Verdum verò chanah, quod hic, & vbique nostri castrametari vertunt, significat propriè figere tentoria. Isaiæ vigesimonono. Ve ariel, ariel ciuitas chanah, id est, in cuius circuitu, tentoria fixit Dauid. Aduerte etiam quod in hebræo, distinctè ponitur pi, & Hachirot, in nomine pi Hachirot, vnde verti posset, in os Hachirot, & fortè sic vocatur locus: quia sunt ibi duo deserta, scilicet Ethan, & aliud ad dextram, euntibus ex Ægypto ad mare: & forsitan ingressus iste inter duo deserta, vocatur hic os Hachirot: quia est ingressus ad mare, quod est inter illa duo deserta. De Migdol nihil certi habemus, ideò nihil dicimus. Textus videtur præ se ferre, quod os Hachirot, seu Pihachirot, erat inter Migdol & mare, & non in fine deserti Ethan, vt ex quodam Geographo didicimus. Vnde sequitur in textu. Rectè ad ipsum, aut è regione ipsius castrametabuntur, seu figent tentoria super mare.

Confusi sunt, clausit super eos desertum.

Ignorant, meo iudicio, tam nostri quàm Hebræi, propriam significationem verbi buch, à quo nebuchim, id est, confusi sunt. Dicunt tamen, significare confundi. Hieronymus vertit: coarctati sunt. Verbum ponitur Ioelis primo, vbi dicitur: Nabocu, id est, confusi sunt greges, aut melius suspensi sunt. Expensis tamen aliis locis, quibus verbum ponitur, videtur significare, corpore aut animo concludi, cùm quis nescit quo se vertat. Hester tertio dicitur. Et ciuitas Susan nabochah, id est, suspensa est, seu conclusa animo. Sic Isaiæ vigesimosecundo ponitur nomen nebuchah, id est, suspensio. Quia dies à nebuchah, id est, suspensionis, aut conclusionis. Idem Michææ septimo. Nunc erit nebuchatam, id est, suspensio, aut conclusio eorum. Vnde hic vertendum puto. Concluſi ipsi in terra, & quasi explicans quod dixerat, sequitur: clausit eos desertum. Nam cùm vidit eos à recta via, quæ erat versus Philisteam, diuertisse, & versus mare contendere, & claudi inter duo deserta, si Geographis credimus, inter quæ erat Pihachirot, arbitratus est eos conclusos. Habebant enim desertum Ethan, aut partem eius, ex altero latere, alterum verò desertum ex altero latere, mare è regione, Ægyptum à tergo: ideò arbitratus est eos esse conclusos, neque posse euadere, aut fugere. Posset etiam esse sensus. Concluſi sunt ipsi in terra, id est, non est amplius ante eos terra versus quam contendant, sed mare, cluasit eos desertum, ex latere vtroque: & mihi videtur sensus hic germanior priori.

Cognoscent Ægyptij, quoniam ego Dominus.

Nam in ista submersione euidèter cognouerunt, Deũ Israelitarum defendere eos contra se, vnde dixerunt. Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et quod dicitur.

Gloriabor in Parhoh, hunc habent sensum. Nominabor, & laudabor, & cognoscar quòd sim tam fortis & potens, quòd eum deleuerim & populum eius, aut ex hoc omnes me glorificabunt: quòd eum cum populo suo contriuerim, vt meos liberarem. Et loquitur humano more, ac si esset miles strenuus, qui ex præclare gestis, famam sibi acquireret, & gloriosum nomen apud omnes.

Quoniam fugisset populus. Quoniam viderunt eum, à via deserti, versus quod contendebant, deflectere, arbitrati sunt eos fugam meditari. Sed dubitari meritò potest, qualiter Rex Ægypti, poterat cogitare eos fugam adornare, si videbat eos vndequaque conclusos. Ad hoc duplex est solutio. Altera quod verbum barach, quod hic fugere omnes vertunt, significat magis propriè transire: vt patet infra trigesimosexto, vbi dicitur. Fecit vectem medium, libroach, id est, vt transiret per medium tabularum. Hinc beriach, id est, vectis, sic à transeundo dictus. Et secundum hoc vertendum hic esset. Et nuntiatum est Parhoh, quòd transiret populus. Solent enim homines, in narrandis rumoribus, multa adiicere, iuxta illud Virgilianum. Aliquid nouus adiicit Autor. Prius enim putabat eos à parte anteriori mari concludi: postmodum verò audiuit eos velle mare traiicere, factis forte ad hoc instrumentis, ad transfretandum. Cùm enim viderent eos reuerti, & non in Ægyptum, sed contendere versus mare: putauerunt velle transire, & facere cimbas ad hoc, & isto modo, licet putarent eos conclusos, cogitarunt tamen velle fabricatis nauibus transire. Altera solutio est: quòd licet videret eos vndequaque conclusos, putauit tamen eos ibi tempus opportunum expectare: & tunc iterum iter arrepturos, & ideò decreuit eos persequi.

Et vertam est cor Parhoh ad populum, id est, ad subiiciendum iterum populum, quem iam abiecisse videbatur.

Et duces super omnes ipsos. Dictio hebraica salis, à salos quod est tres ortum habet. Inuenitur tamen ducem significare. 2. Regum. 7. Et respondit hasalis, id est dux, super cuius manum innitebatur Rex. Putarem tamen, non quemcunque ducem significare, sed triarũquem aliquem arbitrãtur à Rege. 3. sed melius videtur eum esse qui curabat tertiam partem populi, seu exercitus. Caietanus vertit. Et terni super omnem eum, scilicet currum, quasi quisq; curruum, portaret tres, aut & duces super omnem ipsum, qui scilicet gubernarent currum: & videtur simplicior sensus.

In manu excelsa, ad quam nullus posset attingere. Metaphora esse videtur, sumpta ab eo qui aliquid manu eleuata portat, ad quam nemo potest attingere, vt ab ea quod tenet auferat, quemadmodũ in Psal. legis. Quoniam tu es domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum. Et quia altissimum posuisti. Non accedet ad te malum. Aut in manu excelsa, id est, eleuata ad percutiendum aduersarios: sed primus sensus germanior esse videtur. Vnde infra. 19. dicit eis. Vos vidistis, qualiter vos portauerim, super alas aquilarum: quod hic dicit in manu excelsa.

Super pi Hachirot ante Baal sephon, aut super os Hachirot. Vnde videtur, quod prius esset Baal sephon, postea os Hichirot, id est, ingressus ad Hachirot.

Nunquid, non erant sepulchra in Ægypto?

In hebræo ponuntur duę negationes. Nunquid à non, Non erant sepulchra in Ægypto? Sed sensus redditus est. Posset etiam esse sensus, Nunquid à non, id est, ex defectu sepulchrorum, & quia non erant in Ægypto sepulchra, eduxisti, scilicet nos, vt in deserto occideremur, & sepeliremur.

Cessa à nobis, scilicet solicitandis.

Dominus pugnauit pro vobis. Significat verbum fechã comedere: & ex consequenti pugnare, quod pugnæ homines comedere soleat. Vnde acies gladij, dicitur os gladij, quod quasi ea deuoret gladius, & comedat homines scindendo eos veluti dentes panem. Et verti posset. Dominus deuorabit vobis, id est, pro vobis.

Quid clamas ad me? Cùm enim vir sanctus, vidit hostes ex altera parte, ex altera verò Israelem arguentem se, multiplicauit preces ad Dominum.

Et glorificabor, scilicet ratione victoriæ, *in Parhoh.* Et proficiscens Angelus Domini, qui aliquando dicitur Dominus, *ambulauit post eos,* vt metum Israelitis auferret, prohibendo accessum Parhoh ad populum.

Stetit post eos. Ex hoc loco videtur, vnicam fuisse columnam, quæ erat nubes in die & flamma ignis in nocte, sed melius dicitur fuisse duas.

Et fuit nubes, & obscuritas: & illuminauit noctem, id est, illa nubes quæ antea erat nubes obscura, *in flammam* ignis versa, illuminauit noctem. Aut columna illa fuit nubes, & tenebræ Ægyptiis, filiis verò Israel, noctem illuminauit. Vel, fuit nubes & obscuritas, sed nubes illuminauit obscuritatem noctis.

Et non appropinquauit iste, scilicet Ægyptius, *ad illum* scilicet Hebræum, aut exercitum Hebræorum. Diuidebat enim nubes inter vtrumque exercitum.

In vento orientali forti.

Licet Deus, (vt diximus Gen. 1.) possit aquas suo imperio exsiccare, vtitur tamen sæpius, naturali medio: vt fecit in diluuio, & in mundi creatione. Et hic apparet, per spiritum Gene. 1. qui flabat super aquas, ventum elementarem esse intelligendum: quo Dominus vtitur quotiens aquas exsiccare vult. Et aduerte quod hic per medium maris, intelligitur, nò verè & realiter medium, sed idem est, quod intra mare, quemadmodum Ouidius dixit. Mediis sitiemus in vndis. i. existentes intra aquas, sitiemus. Et quod dicitur eos mare ingressos, intellige loca vbi prius mare fuerat.

In vigilia matutina, Erant vigiles in vtroq; exercitu Vocatur autem vigilia matutina, quę mane finit excubias suas: insipiens à gallicantu, iuxta illud Psal. A custodia matutina, vsq; ad noctem. i. à mane vsq; ad noctem. Vnde sensus est. Et fuit in tempore, quo vigilia, seu custodia matutina vigilat, vel custodit. Ambulauerat enim vterq; exercitus tota nocte, licet non appropinquasset alter alteri, quia dominus voluit Ægyptios intra mare ad longum spatium procedere, vt omnes in aquis suffocaret.

De columna ignis, & nubis,

Explicare videtur hic locus, quod suprà dictum est. Et fuit nubes & obscuritas: quod videlicet sit intelligendum, quod fuerit nubes, id est, columna nubis igneæ illuminans Hebræos, obscuritas verò obscurans Ægyptios. Similiter, quod fuerit vnica columna, ignis & nubis, aut quia coniuncta erat altera alteri.

Et contriuit castra Ægyptiorum.

Non plene constat, significatio verbi hamam, & hamah. Primum Hebræi, & nostri vertunt, conterere, & frangere. Isai. 28. vertunt vexare, & Exod. 23. occidam. Secundum verò verbum significare dicunt, sonare, regnificationis, & quod significant conterere cum sonitu, seu perstrepere conterendo. Vnde hic vertendum puto. Et sonando contriuit castra Ægyptiorum. Frangebat enim rotas curruum: quod cum strepitu & sonitu fieri solet. Vnde sequitur.

Et recedere fecit rotam pro rotas *curruum.*

Posset etiam verti. Et tumultum fecit, in castris Ægyptiorum. Et videtur quod Dominus remouerit rotas ab axibus, & currus deiecerit: cum eis, qui super eos vehebantur.

Et duxit eum cum grauitate,

Aut currum, aut Ægyptium. Et aduerte significationẽ verbi nahag, non esse bene notam Hebræis. Hiero. alij quando vertit minari. Est ergo sensus. Et duxit eum, scilicet currum, aut Ægyptium, cum grauitate, seu impetu, id est, eo modo quo grauia duci solẽt, in profundum. Alij vertũt. In grauitate, id est, in locum grauiũ. Sed prior sensus germanior est. Et aduerte quod prius Dominus Ægyptios deiecit, remouendo rotas ab axibus in via, in qua tunc non erant aquæ: Ne forte aquis superuenientibus, currus ligneĩ natare possent & saluari: aquæ verò super deiectos venerunt, & suffocarũt eos. Et tunc dixerunt.

Fugiamus à facie Israel. Si enim iam aquæ ad eos accederent, non dixissent. Fugiamus à facie Israel.

Reuertantur aquæ super Ægyptios.

Insinuat litera hæc, aquas incepisse redire, à ripa versus Ægyptum, ad aliam ripam, ad quam contendebant filij Israel. Dicit enim Dominus. Et reuertantur aquæ super Ægyptios. Vnde prius aquæ prioris ripæ venerunt versus Ægyptios, quam illæ quæ erant Iudęis pro muro deiicerentur super eos.

Cum respiceret mane, id est, cum appareret mane, aut lucem præberet oculis, quibus videre possent.

Reuersion est mare, ad fortitudinem suam.

Dicunt tam Hebræi quàm nostri, Ethan quod hic ponitur, significare forte, durum, asperum, ad quod probandum, citant illud Numeri. 24. Ethan, id est, robustum est habitaculum tuum. Deuter. verò. 21. vertunt. Ad vallem Ethan, id est, asperam. Sed meo iudicio, Ethan, non est per se radix, sed est à radice atah, quod est currere, & velociter venire. Vnde mea sententia, Ethan, significat cursum, transitumq; velocẽ. Hamos. 5. Iustitia sicut torrẽs Ethan. i. fortis aut velociter currens, seu impetuosus. Illud etiam Iere. 5. Gens Ethan. id est, robusta est, posset verti: gens velox est. Prouerbio. 13. etiam habes. Via contentorum Ethan, id est, dura videtur: melius verte lubrica, & fluens, seu fluxa. Item Psalm. 74. Tu fecisti fluuios Ethan, id est, fortitudinis, aut si mauis veloces, seu fluentes cum impetu. Quod verò ex Numeris citatum est, verti posset. Mobile, seu velox est habitaculum tuum. Etiam si posueris in petra nidum tuum. Et quod ex Deutero. citatum est, posset verti. Ad vallem fluentem, id est, decliuem, aut per quam aqua fluat. Rem tamẽ nondum diffinio, quia comecturis agor, admittẽs significationem communem. Diximus de ea Gen. 49. Super illud. Sedit in forti arcus eius: quod verti potest. In veloci. Et hic verti posset, ad cursum suum.

Et Ægyptij fugientes in occursum eius.

Ex hoc videtur quod mare veniebat currẽs à ripa Ægypti, versus ripam in qua erant Iudæi.

Excussit Dominus Ægyptios, scilicet à curribus: si qui erant super eos. Significatio verbi naar, nondum est plene nota. Nam quod Nehemiæ. 5. nostri vertunt excutere. Ieremiæ. 15. vertunt rugire. Sed magis proprie videtur significare excutere. Vnde Neoret, id est, stupa sit dicta, quòd sit à lino excussa, & naar puer, non quicunque, sed à lacte excussus, aut à matris sinu. Excussit ergo Dominus Ægyptios, aut à sinu curruũ, vt diximus, aut ab equis, in profundum maris. Et videtur ex hac litera, simul Deum currus deiecisse subuertendo rotas, & mare venisse contra eos.

Super ripam maris. Hebraicè, *super* labium maris, sed vocat Hebraismus extremitatem cuiuscunque rei labium ipsius. Disputant hic aliqui, an Israel traiecerit mare, ab vno in aliud littus, vel potius ad idem littus redierit, quam quidem quæstionem iam vtcunq; tetigimus. Qui putant eum ad idem reuertisse littus, ad superiorem, scilicet partem versus finem maris, mouentur his rationibus. Primo, quia mare proiecit mortuos Ægyptios ad littus propinquius, cum autem littus propinquius esset quo Ægyptij ingressi sunt. mare, scilicet versus Ægyptũ, ergo ad illud littus iecti sunt. Et cum textus dicat hic. Israel vidisse cadauera Ægyptiorum, proiectorum à mari, & non poterat ea videre, in alio littore: sequitur eos rediisse ad illud littus. Ad quod dicitur, quod communiter verum est, mare cadauera eiicere ad propinquius littus, nisi aliud impediat: dicit autem textus, mare in fortitudine venisse à littore quo Ægyptij sunt ingressi, vnde videtur, quòd suo impetu cadauera impulerit ad aliud littus contrarium, Secundum quod magis vrgere videtur est: quia textus. Numeri. 33. dicit Iudæos tertia mansione

Universidad de Deusto
Biblioteca

mansisse in Ethan, in fine scilicet illius deserti. Postea verò cum traiecissent, venisse eos dicit iterū via trium dierum per desertum Ethan vsque marah. Vnde sequitur eos venisse ad eundem locum, seu littus, scilicet deserti Ethan. Ad quod dicitur desertum Ethan portensum valde esse, cuius finis, aut initium euntibus ab Ægypto, est in extremitate, seu fine maris rubri. Nam vbi finit desertum Sur, scilicet in extremitate maris rubri, ibi incipit desertum Ethan, & extenditur ad extensionem maris rubri: non quidem ad littus Ægypti, sed alterius partis oppositæ: ita quod à fine maris, vbi etiā incipit desertum Ethan, potest quis venire versus littus maris rubri, ex parte Ægypti, vbi erat pi Hachirot, & ire versus oppositum littus per desertum Ethan, & sic omnia consonant. Sunt qui putant desertum Ethan, facere semicirculē cum maris rubri fine: ex parte Ægypti. Ex alio verò littore portendi, ad longum littoris maris.

Vidit Israel manum excelsam, id est, punitionem magnā: & est Hebraismus. Solet enim manus tanto grauius percutere, quanto magis eleuatur.

CAPITIS. XIIII. AD NOSTRAM eruditionem annotata.

NAm dicet Parhoh. Multa & varia sunt offendicula, & muscipulæ, quæ Deus ponit impiis: vt irretiātur, & cadant: vt verissimum sit, illud quod in Psal. de eo scriptum est: quod cum peruersis peruertatur. Sic Parhoh exigentibus demeritis, Deus permisit Iudæos redire, & quasi deserto & mari cōcludi: vt animus impij Regis excitaretur, ad eos persequendos, & corrueret, tam ipse quàm populus. Vbi simul erudimur, non posse pios, vnquam concludi, licet malis hoc videatur: sed semper eis aditum, quo mala exire possint patere.

Pro.11. Iustus (ait Sapiens) de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.

Glorificabor in Parhoh.

Ad duo nobis mala, Deus infligit, scilicet ad emendationem, & ad gloriam suam. Quos enim pœnitet malorum, eos illa emendant, qui verò eis non emendantur, instrumenta fiunt diuinæ gloriæ. Neque hic peccauit, neque parentes eius (ait Christus:) sed vt manifestentur opera Dei in illo. Et de Lazaro Ioānis. 11.

Ioan.8. Infirmitas hæc (inquit) non est ad mortem, sed pro gloria Dei: vt glorificetur filius Dei per illam.

Scientque Ægyptij, quod ego sum Dominus.

Non solum ad gloriā suam, deus ordinat mala nostra, sed ad bonum nostrum: vt per ea, eum cognoscamus.

Reuersus est cor Regis, ad populum.

Cauendum valde est, mala desideria, aut opera refricare, aut aliena quæ restituisti, repetere. Vbi simul aduerte, grauiora esse peccata repetita, grauiusque punienda. Cauenda etiam valde est, memoria indigentiæ rei alienæ, quam possidebas.

Iunxit currum suum, & populum tulit secum.

Sequitur populus Regem, non solum in bonis, sed etiam in peccatis.

Quid hoc facimus. Maximum malum est, pœnitere boni quod fecetis.

Egredientia in manu excelsa.

Nemo potest attingere iustos & pios, quos Deus manu sua tenet, quæ omnibus excelsior est, & fortior.

Timuerunt valde filij Israel.

Mirum valde est, quod sexcenta hominum milia, sic aduersarios timerent, neque auderent eis resistere, & respondet Aben Ezrah, eos non fuisse assuetos rebus bellicis, & præterea fuisse à iuuētute tyrannide oppressos, ac sub metu regis enutritos, quæ illis omnem virilem animum ademerant. Ego aurem potius credo Deum, eos tales elegisse, vt non sibiipsis, sed ei soli fiderent: quales vult omnes seruos suos, qui nihil sui animi habeant, sed Dei.

Nunquid non erant sepulchra in Ægypto?

Nulli inuito facienda sunt bona: quoniam facilè ea reprobat, aut gratias non persoluit. Vbi simul discę, qualiter ingrati, beneficia in maleficia conuertant. Cùm

AD MORES.

Dominus, eos ęduxisset ad libertatem, ipsi arbitrantur eduxisse ad mortē. Malum est malis assuescere, quoniā postmodum, bona arbitratur mala, qui in malis enutritus est. Similiter docemur hic, qualiter qui Deo seruire volunt, statim ab eo tententur malis.

Melius est nobis seruire Ægyptiis.

Hæc est prima tentatio, quæ sequi solet conuersos ad Deum, arbitrari, se abundare sub vicijs, & indigere sub virtute. Audi quosdam apud Malachiam dicentes. Malach.3
Vanum est colere Deum, & quid emolumenti, quod custodierimus custodiam eius, & quod ambulauerimus humiliter, à facie Domini exercituum? Et nunc beatificamus superbos, etiam ædificati sunt, facientes impietatem, etiam probauerunt Deum, & euaserunt.

State & videte salutem Domini.

Solet Deus, suos præbere spectatores otiosos virtutū: quas propter eorum salutem, operatur. Non sint eos præliāri, quoniam nouit eorum imbecillitatem, sed admirari, eorum, quæ ipse propter eos operatur.

Loquere ad filios Israel, vt proficiscantur.

Hoc solum curæ esse debet piis, vt proficiscantur, & properent ad virtutes, & non curent prælia, quæ aduersus eos excitat Sathanas, mundus, aut caro, quoniam habent, qui pro eis hostes conterat, & debellare studeat.

Scient Ægyptij, quod ego Dominus.

Hoc interest inter bonos & malos, quod mali cognoscunt Deum in malis, boni in bonis & malis. Illi, cū illis malefacit: isti cum sibi benefacit. Deus in domibus Psal.77
eius cognoscetur (ait Psal.) cum susceperit eam, scilicet Psal.86
Sion. De reprobis verò. Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur & pereant. Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus: tu solus altissimus in omni terra.

Et profectus est Angelus, qui ibat ante castra Israel.

Petirent iusti, nisi Dominus se medium inter eos & hostes suos poneret. Vbi expēde qualiter Deus, iustos Genes.
diligat, quod sese primum: propter eos hostibus obiecit: quapropter Abrahæ dicebat. Ego scutum tuum, & merces tua magna nimis.

Abire fecit Dominus mare, vento orientali forti.

Debēt principes, sinere suos ministros, munia sua perficere, neque omnia facere per seipsos: licet possint, vt iam admonuimus Gen. 1.

Aquæ eis erant murus.

Hoc bonum habēt, qui Deo ministrāt, quod ab inimicis ministerium sumunt, & quæ eos impugnare solebant, defendunt eos. Non satis æstimat Dominus, vt pacificos eis hostes reddat, nisi etiam ministros faciat, Psal.9
& subiiciat. Percutiam (ait Dominus) cum eis fœdus, Osee.2
in die illa, cum bestiis agri, & cum volucribus cœli, & reptilibus terræ. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Sequuti sunt Ægyptij eos, vsque in medium mari.

Non debent inimici Domini, credere bonis successibus, neque sequi suas cōcupiscentias: quoniam sæpius ad malum suum trahuntur, vt seuerius puniantur.

Remouit rotas curruum.

Mirum est valde, quod eos non deiiciat, nisi prius rotas curruum subuerterit. Solet Dominus, sic à principio inimicos suos punire, subtrahendo illis ea, quibus innituntur, sed taliter, vt arbitrentur sibi naturali modo subtrahi, ne conuertantur, & sanet eos. Ysa.9

Fugiamus Israelem. Dum mali, aliud periculum fugere volunt, in aliud grauius incidunt, & ob hoc euadunt minora, vt maiora incurrant.

Filij Israel ambulauerunt per siccum.

Vbi mali suffocantur, ibi serui Dei securi sunt.

Vidit Israel manum magnam.

Ostendere solet Dominus Deus beneficia sua suis, & mala à quibus eos liberauit, vt cognoscant ea, & grati sint. Hac etiam de causa, eis ostendit mortuos Ægyptios, vt viderent, à quibus eos liberauerit periculis. Solent matres, cùm puellis suis metum incutere volunt: laruas ostendere, quos si viderint plus iusto timere phantasma esse ostēdunt facta sua, & ea coram illis laniant.

laniant. Sic Dominus deus mala aspectu terribilia offert, sed postquā viderit timore percussos, mortua esse ostendit, neque mala esse, sed malorum figuras.

Timuerunt Dominum. Qui gaudere debuissent de suffocatis hostibus, timere dicūtur, & qui propter nos inimicos destruit, nos etiam suffocabit, si ex amicis inimici fiamus.

CAPITIS. XV. AD LITERAM annotata.

TVnc cecinit Moseh. Dicunt Hebræi, verbum Sur, quod hic ponitur significare cantare, & aspicere. Sed quę aspicere significant, videntur potius à ratione iassar. Et crediderim Moseh & mares omnes, canticum incepisse, fœminas verò respondisse: ita quod Moseh, aut solus, aut simul cum maribus, canticum prosequebatur: fœminæ verò respondebant, seu repetebant. Cantemus Domino. Quod constat ex fine cantici: vbi initium cantici, à Miriam repetitur. Quod solebat in aliis canticis fieri: vt patet Psal. 135. vbi vnus aut duo dicebant. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius. Postea alli duo. Confitemini deo deorum. Cœtus verò repetebat. Quoniā in sæculum misericordia eius. Et sic consequenter. Quod etiam deprehendes. 1. Samue. 18. Solebant enim prophetæ, choros ducere, dum laudes Domini celebrarent. Et cum hic dicitur. Cantabo Domino, sensus est, in laudem domini, aut laudes domini.

Quoniam eleuando eleuauit se.

Significat gaah, eleuare se aut eleuari, quocunque modo id fiat, siue superbiendo, siue ad bonum aliquod. Ezech. 47. Quoniam gau, id est, eleuauerunt se, seu intumuerunt aquæ. Et Iob. 8. Nūquid geeh, id est, eleuabit se iuncus, absq; luto? Itē Isai. 2. Dies domini, super omnem geeh, id est, eleuatum, aut superbum. Quod verò hic dicitur. Quoniā eleuando eleuauit se, metaphoricus est sermo, quasi Deus ad deiiciendos aduersarios, se super eos leuauerit humano more: vt esset eis superior. Aut quoniam eleuando eleuauit se, id est, eleuando se? misericordiam tribuit: ac si dicat. Rē præclaram gessit, quæ causa fuit, quod eleuando eleuaretur à nobis. Sed prior sensus germanior est.

Equum & sessorem: seu equitem proiecit in mare.

Dicunt Hebræi, verbum ramah, significare proiicere, & fraudare. Psal. 78. Filij Ephraim, armati, romæ, id est, proficientes arcu. Et Psal. 52. Sicut nouacula acuta, faciens remiiah, id est, dolum, aut dolose. Significationes tamen, non sunt vsquequaque certæ: licet verbum sit frequens in scripturis. Posset tamen dici verbū significare dolose, quid agere, scilicet mittēdo sagittas, aut deiiciendo dolore tamen. Et dicitur Dominus hic dolose deiecisse: quoniā latenter abstulit rotas curruū: quasi dolose faceret Ægyptios cadere: accipiendo dolum, non vt malum sonat, sed vt sit idem quod latēter agere, aut arte. Nam vt in iure habetur, etiam est dolus bonus sicut dolus malus: est enim dictio amphibologica, quemadmodum astutia, & cautela, scientia, & conscientia, ars bona, & ars mala.

Fortitudo mea, & laus Dominus.

Sensus est, Ego in prælio aduersus Ægyptios, nihil fortitudinis meæ ostendi, aut ego ex me nullam præter Deum fortitudinem habeo. Et ista est causa, quare populus iste, licet fuerit numerosus, fuit tamen imbellis, & ineptus ad arma, quia Dominus voluit esse fortitudo eius. Et quod sequitur. Et laus mea. Verbū zamar, à quo zimrat, id est, laus significat Hebræis psallere & putare, & de secunda significatione exemplum est Leuitii. 25. Sex annis tizmor, id est, putabis vineā tuam. Sed meo iudicio, potius significat cum fragore vocis psallere, vel cantare. Vnde zomirat inuenitur significare sonitum, qui cum fragore fit. Hamos. 5. Zimrat, id est, cantum seu sonitum nablorum tuorum non audiam. Cōstat autem sonitum nablorum, cum fragore fieri, & ex consequenti scindere, & putare: vt à cantare scissa voce deriuetur secunda significatio, scilicet scindere: Aut vice versa proprie significabit frangere, & putare seu scindere, & ex consequenti cantare scissa voce. Hinc zemorah, quod Ezechi. 8. significat crepitū ventris, vbi dicitur. Ecce ipsi mittūt hazemorah, id est, crepitum ventris seu pedorem ad nasum suum. Res non est plene certa. Quod verò sequitur. Dominus. Ponitur hic. Primum nomen Dei Iah, quod esse dicunt Iehouah abbreuiatum. Asserit enim Petrus galatinus. 2. lib. cap. 18. veteres Hebræorum, ex nomine Dei ineffabili Iehouah: tria conflasse nomina, scilicet Iah, Hu, Vehu, quorum primū ex prima & secunda litera, constat nominis Iehouah, secundum verò, ex secunda & tertia. Tertium verò, ex tertia, & quarta. Et si verum est, esse partem nominis ineffabilis, idem cum eo significabit, pro parte saltem. Et quod sequitur.

Erat mihi in salutem. idem est quod saluauit me, scilicet ab inimicis. *Iste Deus meus, tabernaculū faciā ei.*

Verbum nauah, id est, tabernaculum faciam: incertæ significationis est, apud Hebræos: vnde aliqui hic vertunt. Decorabo eum. Ex coniecturis tamen, videtur significare tabernaculare (si sic permitteret latinus sermo loqui) aut tabernaculum facere, non quodcunq;, sed quale est pastorū, seu tugurii. Vnde naueh. i. tugurii pastorū Ezec. 34. Ibi cubabūt, benaueh. i. in tugurio bono aut in caula. Significat etiā caulā ouium, vel pecudū, & meo iudicio vult dicere populus, se facturum Domino tabernaculū, quo protegatur, ad modum tugurij pastorum: quemadmodum postea fecit. Videbat enim populus, dominum habitare in columna illa nubis & ignis, & indignum sibi videbatur, ei, qui illi tot beneficia fecerat, nō facere aliquod habitaculū: quemadmodum postea Dauidi indignum videbatur, se habitare in domo cedrina arcam verò Dei sui, sub pellibus. Et magis ad literam vertas, tugurium faciam ei, 1. Samue. 7.
quod est tabernaculum cōueniens ei, qui per desertum incedit, neque habet stabilem mansionem.

Deus patris mei. Cognoscit, non solum esse deum suum sed etiam patrum suorum: vt ostendat, cum implesse, quæ patribus promiserat.

Exaltabo eum, scilicet laudibus extollendo.

Dominus vir belli, Dominus nomen eius.

Admonui supra ca. 6. nomen Dei ineffabile Iehouah, Deum non indicasse patribus, quantum ad rem significatam, significare verò conterentem, ab houah, quod est contritio: licet enim prisci patres, Deum cognoscerent beneficum, & sufficientem, non tamen præliatorem, seu conterentem inimicos, veluti vir belli, quemadmodum nunc. Vnde dicunt. Dominus est vir belli, ac si dicerent. Ignorabamus Deum esse virum bellatorem, seu per se pugnare, cùm tamē ipse talis sit. Similiter ignorabamus eum meritò vocari Iehouah, id est, conterentem: quod tamen modo scimus. Quare meo iudicio, locus iste, explicat obscuritatē alterius, qui. 6. cap. habetur: & hoc est nomen, quod se indicaturum Iudæis pollicetur, quod patribus non indicauit. Idem ergo esse videtur, cognoscere Deum virum prælij, & cognoscere Iehouah esse nomen eius.

Electi principes eius, submersi sunt in mari termini.

Verbum taba, significat proprie mergere, & etiam figere, non quod re vera semper significet mergere, sed facere descendere rem aliquam, quasi ad ima, licet nō de mergatur. Similiter suph, vt sæpius admonui significat finem, aut terminum, & iuncetum, quod sit terminus terræ, iuxta aquas. Et hic vertendum est in mari termini, seu finito. Dicitur autē mare rubrum finitum, quoniam non ita portenditur, vt oceanus.

Abisi operuerunt eos.

Diximus Gene. 1. de significatione nominis tehom quod aquā significet profundam, aut locum vbi aqua profunda fuit.

Descenderunt in profunda, quasi lapis.

Aut in obscura, seu vmbrosa. Arbitror enim sul, & salal, esse eiusdem significationis. Solet enim aqua, in profundo esse obscura, & quasi vmbrosa, quoniā non penetrant illuc radij solares.

Dextera tua Domine roborata est in fortitudine, id est, roborae

Universidad de Deusto
Biblioteca

roborauit se. Verbum adar, quod, hic ponitur, videtur proprie significare roborare: licet Hebræi addãt etiam significare magnificare, sed sine causa: quoniam vbi ipsi vertunt magnificare, tam bene quadrat roborare. Hinc est Adir, id est, robustus, & eder, id est, pallium pilosum, sic à fortitudine dictum, aut pallium forte robustũ. Diximus de significatione huius verbi Gene. 25. Dicit autem dexteram domini, roboratam in fortitudine, quia fortissimam sese ostendit, in tam ingenti clade inimicorum.

Confregit inimicum. Verbum raas, non est vsquequaque notum, quoniam rarum est in scripturis, hic, scilicet & Iudi. 10. ideo transeundum est cum significatione, quam nobis Hebræi subministrant.

In multitudine eleuationis tuæ, id est, in multa eleuatione tua.. *destrues insurgentes in te*, id est, eleuando te multum: vt sis inimicis tuis superior, destruxisti eos qui insurgebant in te.

Mittes iram tuam, veluti, scilicet ignem & comedet, scilicet ira tua eos, sicut stipulam, id est, sicut ignis stipulam.

In spiritu furoris tui: inuolutæ sunt aquæ.
Solet enim ventus vehemens, aquas reuoluere in mari. Hebræi sine vlla causa, tribuunt varias significationes verbo aram, scilicet callidum esse, seu astutum, coarctare, & nudare, cum re vera, significet inuoluere, seu inuolutum esse, & ex consequenti callidum esse, quod callidus videatur inuolutus, vt nemo possit, cor eius cognoscere. Et eadem ratione. Erom significat nudum, quod soleat se inuoluere, ne nudus appareat. Vnde etiam aremah, id est, aceruus, sic dictus, quòd inuoluta sint, quæ in eo congregantur.

Steterunt, sicut commotio fluenta.
Alij vertunt. Sicut aceruus, & si radix est naad, media aleph, quod est vter, optimè vertunt, qui reddunt, sicut aceruus, quoniam naad vtrem, & ned, aceruum significat, quoniam vter modũ habet acerui, & magis quadrat hic sicut aceruus, quoniam dixerat Steterunt, quę autem mouentur, non stãt. Si verò radix sit nud, quod significat commoueri & moueri, vertendum est. Steterunt sicut commotio fluenta, id est, fuerunt commota. Sed primum germanius.

Condensatæ sunt voragines, in corde maris, id est, interiori parte seu medio maris. Verbum chapa, dicitur significare, coagulare, condensare: vt patet Iob. 10. Sicut caseum, tachpieni, id est, coagulasti me. Sophoniæ. 1. Visitabo super viros hachophũm, id est, congelatos in fecibus suis.

Partiar spolium, pro spolia.
Aduerte quòd verbum salal, à quo salal nomen, id est, spolium, significare videtur contraria, scilicet spoliare & spoliũ dimittere, seu spoliari, & vocat Hebraismus spolium, dimissionem, quod dimittatur, vel relinquatur ab hostibus. Et de priori significatione: funt multa exempla, scilicet Ezechiæ. 29. Salal selalah, id est, spoliabit spolium. Et. 39. Ve salelu & solelehem, id est, spoliabunt, spoliatores suos. De. 2. significatione habes exemplum. Ruth. 2. Et etiam tassolulali, id est, dimittendo dimittetis ei de manipulis, aut dimittetis spolia de manipulis.

Implebitur eo, id est, in eo aut spolio eius, anima mea, id est, satiabitur appetitus meus, eorum occisione, aut eorum bonis.

Hæreditate accipiet eos manus mea.
Alij vertunt. Possidebit eos, sed verbum Iaras, videtur significare hæreditare, & exhæredare, siue hæreditate pellere, aut priuare. Sperabant enim Ægyptij, se futuros hæredes, tam ipsius populi, quàm bonorum eius: ideo dicebant. Hæreditate accipiet eos, manus mea.

Sufflasti spiritu tuo, id est, ventro tuo seu à te emisso: & nesseph, est nebula seu flatus nebulosus, & obscurus Isaiæ. 40. Et etiam nassaph, id est, sufflauit eos, & aruerunt.

Absorpti sunt sicut plumbum, in aquis fortibus.
Verbum salal, significat proprie obumbrare, vnde silsal, id est, inumbrans, & verti posset hic. Adumbrare se cisti eos, aut obscurari, sicut plumbum in aquis fortibus. Est enim plumbum obscurum, & dum mergitur obscuratur si absconditur sub aquis. Non audeo cum cæteris vertere absorpti sunt, aut demersi, quoniã nusquam in sacris literis inuenio verbum, in hac significatione, & licet magis conuenire videatur, non tamen propterea mutanda est propria verbi significatio. Et illud Habacuc, 3. Ad vocem salalu, id est, tinnierunt labia mea, vt nostri vertunt, vertendum puto adumbrata sunt labia mea, pro territa sunt. Nos dicimus. Danoz, soron meus beicos asombrados, & vtimur obumbrare pro terrore, eo quòd vmbra, soleat homines terrere. Et si quis verteret, operti sunt quasi plumbum, quoniam alluſionem aliquam habet operire ad obumbrare, quoniam vmbra operire nos solet, non inepte verteret. Inuenio tamen sul significare profundum esse, quod si verũ est, bene vertitur. Profundi facti sunt, quasi plumbum quod videlicet ima quærit. Et etiam si opheret cœnũ profundi significaret, ab aphar quod significat puluerem: tunc optimè verteretur. Obumbrati sunt quasi cœnum in aquis vehementibus, seu fortibus. Sunt enim tam variæ significationes vocabulorum Hebraicorum, vt homo nesciat quo se vertat.

Quis sicut tu in diis, aut fortibus Domine quis sicut tu roboratus in sanctitate.
Dicitur Deus roboratus sanctitate, quoniam robur eius, seu separatũ est ab aliis diis, seu à robore eorum. Aut magnificus seu eleuatus sanctitate, id est, cuius sanctitas eleuata est, ab aliis diis, illis sanctior existens, sed prior expositio germanior est, vel cuius fortitudo sancta est. Aliorum enim robur, vt plurimum est ad mala perpetranda, sed robur domini est sanctum, id est, separatum ab iniuria, & oppressione aliorum, & hunc sensum clausula præcedens explicare videtur.

Terribilis laudibus, faciens separata.
Explicant hunc locum nostri. Terribilis, etiam dum laudaris: cũ te nemo possit satis laudare. Posset etiam verti. Timendus eleuatione, id est, dum eleuaris seu dum eleuas te.

Faciens separata, id est, quæ ab aliis diis fieri non queunt.

Absorbuit eos terra. Explicat hic textus, quod antea non explicauerat, fuisse videlicet Ægyptios, à terra absorptos.

Duxisti in fortitudine tua.
Verbum nahal, videtur proprie significare sustentare: vnde vertendum puto. Sustentasti eos, ne scilicet caderent: in fortitudine tua. *Vsque ad habitaculũ sanctitatis tuæ*: licet possit bene tolerari altera significatio. Sunt tamen aliquot loci, vbi magis quadrat sustentare: vt Gen. 47. Vaienaltalem, id est, & sustentauit eos, pro pane, vbi non tam bene vertas duxit, ac si dicat ipsi quidem imbecilles erant ex se, sed à fortitudine tua sustentati sunt: vsque ad habitaculũ sanctum tuum. Similiter Psal. 31. Propter nomen tuum duces me, vt nenachalem, id est, & sustentabis me, aut & enutries. Dubitatur hic de quo tabernaculo dicatur, hic sustentasti eos, vsque ad habitaculum sanctitatis tuæ, sed re vera videtur de templo loqui, id est, ad locum in quo sanctitatem tuam habitare disposuisti.

Audierunt populi, commoti sunt.
Significat ragam, commouere, præsertim cum sonitu. Aliqui vertunt, tremuerunt, & est sermo, de his qui incolebant terram promissam.

Tunc territi sunt principes Edom.
Verbum bahal, etiam festinare significat, & si verbum actiue accipiatur, quadraret significatio vertendo. Tunc festinarunt principes Edom, id est, fugerunt, sed primum germanius.

Cadet super eos terror, & pauor.
Non bene constat, quid intersit, inter emathah, id est, terror, & pacad, id est, tremor, seu pauor.

In magnitudine, id est, propter magnitudinem, aut eleuationem qua brachium ad percutiendum fortiter eleuas: brachij tui, id est, audientes punitionem, quam castigasti Ægyptios, inuadat eos timor, quo te timeãt, ut

in transitu, aut ingressu nostro.

Quem possedisti. Non est in Hebræo quem. Sed tantum. Possedisti, scilicet terram aut nos, *Et plantabis*, vt non facile euellatur.

In monte hæreditatis tuæ, id est, in monte Mori iah qui situs est in terra hæreditatis tuæ, aut in terra montuosa, qualis est promissionis quã tuam hæreditatem esse voluisti. Elegerat Dominus terram illam, quasi portionem suæ hæreditatis.

Loco habitationis tuæ, id est, in loco, in quo tibi habitaculum delegisti.

Operatus es Domine, scilicet habitaculum illud peculiariter, ad cultum tuum.

Dominus regnauit in sæculum, & vsque, id est, in perpetuum, & vsque, scilicet in sæculum, videlicet in terra promissionis, vbi habitaculum elegit.

Assumpsit Miriam prophetissa.
Vocatur prophetissa, quoniam Dominus illam allocutus est, vt constat ex verbis eius Numeri. 12. & videtur quod antehac habuerit reuelationes Dei, aut dicitur prophetissa à canendis diuinis laudibus quales erant filij prophetarum, in lege veteri, & lectores in nouo, vt Paulus habet primæ ad Corinthi. 14. Soror verò Aharon, potius quàm Moseh dicitur, quia prius fuit soror eius, quàm Moseh, aut quia illi magis familiaris, vt ex murmure vtriusque aduersum Moseh constat loco citato.

In tympanis & choris. Significat mecholah, chorum, seu multitudinem ordinatam ad modum exercitus: quam nostri chachota vocant.

Et respondit eis, scilicet viris Miriam. Ex quo cõstat, quòd in principio capitis diximus: quod videlicet vnus prosequebatur canticum, & alij respondebant. Nam Miriam hic vitis respondisse perhibetur, scilicet cum fœminis.

Cantemus Domino. Ecce qualiter fœminæ repetebant initium cantici, quod Moseh inceperat. Potuit etiam Miriam respondisse fœminis, & poni lachem masculini generis pro lahen fœminini. Sed primũ germanius est: quod scilicet fœminæ cum Miriam respon derent viris, prosequentibus canticum.

Ad desertum Sur. Aliqui putant idem esse desertum Sur, & desertũ Etham. Sed si descriptioni chartæ, credimus: desertum Sur incipit à fine maris rubri, versus Philisteam, & mare mediterraneũ: desertum verò Etham duas partes habet, quarum altera portenditur, a fine maris rubri, versus ripam eius, ad quam venerũt Iudæi traiecto mare, pars altera etiam in fine maris incipit. & portenditur versus Ægyptum. Venerunt ergo filij Israel, ad desertum Sur, id est, ad finem deserti Sur, vbi etiam incipit desertum Etham, versus alteram contrariam partem maris rubri.

Venerunt in marah. Est marah locus in deserto Etham: non longè distans à mari terminato, seu rubro. Et locus non sic antea vocabatur, sed ab euentu: quoniam ibi filij Israel aquas amaras inuenerunt. Marah enim, & marar, Hebræis amarum est: quod textus expresse dicit.

Et murmurauit populus, contra Moseh.
Vatui refert, quod in Hebræo habetur. Murmurauerunt populus. Et verbum lon, significat proprie manere, & meo iudicio persistere, potius quam murmurare, & quadrat significatio, locis vbi vertunt Hebræi murmurare, & maiorem conuenientiam cum propria significatione habet persistere, quàm murmurare, & est idem quod ex aduerso stare. Vnde posset verti.

Et persteterunt contra Moseh. Docuit eum Dominus lignum, aut ostendendo, aut reuelando, sed quod illud sit ignoratur. Verbum Iarah, etiam descendere significat, sicut docere, quod doctrina, à magistro, in discipulum descendat.

Ibi posuit, scilicet Dominus illi, videlicet populo. *Statutum & iudicium, & ibi tentauit eum*, scilicet Deus populum, vt statim explicatur. Dubitant nonnulli, quod præceptum, seu statutum, & quod iudicium hic posuerit eis Deus: & aliqui putant, tunc explicatam sabbati obligationem, quoniam sequenti capite, admonentur obseruantiæ eius, & iudicialia aliquot, quibus populus in Ægypto gubernabatur, & colligitur ex hoc loco Indæos habuisse præcepta Dei, tam ceremonialia quàm iudicialia apud se: de quibus Dominus hic loquitur, ante legis promulgationem. Posset etiam dici præceptum (quod hic potuisse perhibetur) esse id quod sequitur de audiendo Domino, & de obedientia, ad statuta eius, scilicet futura, aut de non murmurando aduersus eum. Postquam enim dixerat ibi, posuit illi statutum, & iudicium, sequitur, & dixit.

Si audiendo audieris.
Vnde videtur statutum, iudicium esse, de eo audiendo. Quod autem sequitur.

Et ibi tentauit eum, Potest ad Deum, & ad populum referri. Nam Deus ibi tentauit populum aquæ penuria, vt exploraret eius in eum fiduciam. Ipse etiam populus Deum tentauit, vtrum potens esset: illi præstare aquam ad bibendum. Prior tamen sensus germanior esse videtur.

CAPITIS. XV. AD MORES componendos annotata.

TVnc cecinerunt Moseh, & filij Israel, canticum Domino.
Solebant olim sancti, & populus Domini, quotiescunque Deus, sibi beneficium aliquod præstitisset, dictare sibi nouum canticum, quo non solum beneficij substantiam, sed circunstantias omnes complectebantur, & decantabant. Neque solum cùm magna, sed etiam cùm parua præstabat: quemadmodum sanctissima illa Anna, mater Samuelis, pro impetrata à Domino prole, præclarum illud canticum ædidit, quod ibidem ponitur. Domine Deus quot nobis & populo nostro, beneficia præclara contulisti, & non solum tibi noua cantica non edidimus, sed neque vetera decãtauimus? A quot malis nos quotidie liberas, & socordes, ad agẽdas gratias tibi reperimur? Cecinit deborah, ob partã ab inimicis victoriam. Cantauit Zacharias, quoniam filius Ioannes in prophetã electus est. Et Dauid quot Psalmos ædidit pro paruis beneficiis, ita vt vix munus acceperat, & iam Psal. ad decantandum Domino parabat. Nonne multo plura vobis quotidie Deus nostet consert, & maiora, neque cantamus laudes ei? Discamus ergo fratres à patribus Israel, ad noua & insperata beneficia, nouas laudes, & cantica reddere. 1. Samue. 2.

Equum & ascensorem deiecit in mare.
Audis hic quàm minute, & ad numerum, circunstantias beneficii referat.

Fortitudo mea Dominus.
Non præsumunt de se sancti, aut de sua fortitudine, licet fortes sint, sed se nihil posse arbitrantur, omnia verò per Deum. Audi Dauidem. Quomam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo, transgrediar murum.

Laus mea Dominus. Quemadmodum ipse est fortitudo nostra, ita ipse esse debet, quem solum laudare debemus. Quid ergo mortales, & terrenos laudas, quã laudibus statim veluti fumus euanescunt. Sic ergo ipse laus tua, vt neminem præter eum laudes.

Ille Deus meus: tugurium ei faciam.
Non sat est laudibus Deum extollere, nisi etiam templum facias, aut ornes. Volo dicere, nisi etiam externis ei seruias. Ornanda sunt altaria, templum construendum, & omnia quæ ad eius cultum pertinent multiplicanda, & decoranda: quæ si præstare nequeas, bonus deus, tuum animum faciendi libenter acceptat. Vis de hac re mirabile exemplum, ex scripturis audire? Cogitabat semel rex Dauid de construẽdo tẽplo Deo suo, tractans cum Nathan prophera, quàm indignum esset se in domo cedrina habitare, arcam verò Dei sui, sub pellibus esse: volúitque ei domum construere, quem Dominus per Nathan prophetã admonuit, dicens. Non ædificabis mihi domum. Laudauit Dominus serui sui Dauidis animũ, quo ædificare ei domum dispo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Paralip. 29. disposuisset (vt filius Salomon de eo refert,) Fuit (inquit) in corde patris mei Dauid, ædificare domum nomini Dei Israel, sed dixit Dominus ad eum. Pro eo quod fuit in corde tuo ędificare domum nomini meo, benefeciſti, quia fuit in corde tuo. Vbi vides, quanti fiat Dominus voluntatem ædificandi domum in Dauide, prò qua, domum illi ædificauit stabilem, scilicet regni Israel.

Deus patris mei & exaltabo eum.
Quemadmodum homo, sequitur in moribus parentes suos, & eos referre conatur: ita & in religione, & cultu vnius Dei. Vnde Dominus de Iudæis conqueritur in Deut. quod eos sequuti sunt Deos, quos non coluerunt patres eorum. Deut. 32.

Dominus vir belli. Mira sunt quæ Deus pro suis facit, & quæ propter eos nomina sortitur, vt fiat vir bellator, ad eos tuendos.

Currus Pharaonis. Omnia hæc pertinent ad gratitudinem, qua docente, enumerant, omnia peculiaria, in beneficio præstita. Vbi simul expende, qualiter beneficij Domini admirantur, quòd etiam ad gratitudinem pertinet.

Dixit inimicus persequar.
Multa sibi promittunt mali, aduersus bonos, quæ non succedunt ad nota: quin potius in malum eorum vertuntur.

Terribilis laudibus. Expendant hoc iusti, & sancti, & sciant se non satis Deum laudare, etiam si multum laudauerint, & quod maior omni sit laude. neque laudare sufficiamus.

Audierunt populi, irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.
Audis, quales Deus reddat inimicos iustorum. Similitet disce, nihil iustis esse malis terribilius.

Introduces & plantabis.
Parum est si te Deus ducat ad bona, nisi te in eis plantauerit, vt non facilè euellaris.

Redire fecit Dominus super eos aquas maris: & filij Israel ambulauerunt per siccum.
Vbi mali suffocantur, ibi saluantur boni.

Tulit Miriam tympanum.
Ab omnibus vult laudari, & omnibus instrumentis. A viris, à fœminis, in tympano & choro, in chordis, & organo.

Perrexerunt tribus diebus per desertum.
Ostendit locus iste, vt quàm primum à Domino, donum, aut beneficium aliquod acceperis, pares animam tuam ad tentationem.

Murmuraverunt. Detestanda est murmuratio, maximè aduersus Deum, & seruos eius. Et expende malitiam. Cupiebant aduersus Dominum murmurare, sed non audebant: ideo murmura, in seruum conuertunt.

Docuit eì lignum. Licet Deus murmurantibus nonnunquam concedat quæ volunt, seruat tamen flagella eis.

Ibi posuit eis statutum.
Mirum valde est: quòd inobedientia sit causa, quare statuta & iudicia nobis imponantur, & multiplicentur: iuxta illud Pauli. Iustis non est lex posita. Vbi etiam aduerte peccata esse causam infirmitatum, quæ patimur.

CAPITIS. XVI. IVXTA LITERAM annotata.

ET *venerunt in Elim.*
Hebraicè, Elimah. Nomen est loci: vbi fuit. 6. mansio Iudæorum, egredientium ex Ægypto. Et. 70. palmæ. Vocat Hebraismus palmas, temarim: quo nomine, nos fructum nostro idiomate appellamus. Vocamus enim palmarum fructus, tamaras: quos alij dactilos appellant. Manserunt autem hic ad quindecim dies, vt Hebræi dicunt. Qui etiam dicunt, fontes ibi fuisse dulces: quod videlicet palmę, non nisi iuxta dulces aquas, crescere soleant.

Ad desertum Sin. Est Sin (si credimus cosmographis) omnis illa solitudo, à mari Erithreo, ad Sinai desertum. Est etiam aliud Sin, quo Miriam soror Aaron occubuit: de quo in suo dicemus loco. Et aduerte hic, Sinai esse nomẽ deserti, potius q̃ montis. Nã mõs, in quo dominus Mosch loquebatur, vocatur Chorebe licet aliquando dicatur Sinai, quoniam erat mons huius deserti: & mense integro cum dimidio, illud iter ab Ægypto vsque ad Sinai, confecerunt. Et per secundum mensem intellige Iiar, qui immediate sequitur Nissan, qui est primus.

Et murmuraverunt omnis cœtus filiorum Israel.
Verbum lon, Hebræis duo significat, scilicet pernoctare, & murmurare, seu conqueri. Sed (vt aliàs probauimus) potius significat permanere, persistere, præsertim pertinaciter, quam alia duo Gene. 32. Et ipse, scilicet Iacob lan, id est, mansit, nocte ipsa in castris. Numeri. 14. Quid halinotem, id est, persistitis, aduersum me? Vbi alij vertunt: Murmurastis. Posset ergo hic verti. Et perstiterunt, omnis cœtus filiorum Israel, contra Moseh, & Aharon: opponentes, scilicet se eis: & causa oppositionis fuit: quoniam tunc cessauerat pasta, & farina, quam ex Ægypto detulerant, videntes se in deserto, sine pane, & sine alio cibo.

Quando sedebamus super, aut iuxta ollam carnis.
Dicunt Hebræi, nomen sir, significare ollam, siue ahenum, & secundo spinam. Sed aduerte, quòd non solum spinam significat, sed etiam ligna, aut ferra, quibus carnes suspendãtur, quòd modum spinarum haberent, & forte hac ratione significat ollam, quòd olę soleant suspendi in huiusmodi lignis, seu ferris: vt constat apud rusticos, qui pinum, aut arborem aliam multis acutis cuspidibus, ad modum spinarum, fixum in terra habent, quo ollas, cacabos, & id genus alia, suspendunt, secundo Regum quarto habes. Et concidit el sir, id est, super ollam coctionis. Hic verò melius videtur quadrare olla, quàm spina, licet verti posset. Quando sedebamus iuxta vncinos, seu spinam carnis, id est, iuxta lignum, quo carnes suspendi solent, aut iuxta verua carnis. Habet enim veru, spinæ modum: sed primus sensus, melior videtur.

Pluere faciet vobis panem de cœlo.
Dicitur manna panis, Hebraico more, qui omnem cibum, panem vocat. Dicitur verò de cœlo, quoniam ex nubibus descendebat.

Rem diei in die suo. Hebraismus est, id est, mensuram diei in suo die, seu vnoquoque die, ac si dicat. Singulo quoque die colligent, quod sufficiet ad illã diem.

Vt tentem eos. Voluit Dominus, eorum obedientiam, ad dandam legem, probare, in præcepto manne.

Parabunt quod afferent.
Quoniam non licebat, sabbato parare cibum, ideo præcipit, die sexto parare. Erit duplum, ad quod colligunt die, & die, id est singulo quoq; die.

Vespere cognoscetis. Melius. Vespera erit & cognoscetis, *quoniã Dominus duxit vos de terra Ægypti.*
Obiectabant Hebræi in Moseh, & Aharon, suam eductionem ex Ægypto. Moseh verò, non eos, sed Deum eduxisse eos ostendit: in miraculo quod ipsi facere nequibant, ac si dicant in miraculo fiendo à Domino: cognoscetis deum vos ex Ægypto eduxisse, quoniam educti estis in magnis miraculis, quæ nos non possumus nostra potestate facere. Admonui iam Genesi primo, & supra capit. decimotertio: quid proprie significet. Ereb, id est, vespera, & bocher, id est, mane. Erant autem cogniturí in miraculo carnis, quam vespere erat daturus, & panis, quem mane præstare eis disposuerat, eum esse Deum suum, qui eos eduxerat, quemadmodum pater potens, & diligens filios, quos cibis nutrit delicatissimis. Et quod dicitur.

Videbitis gloriam eius, per gloriam intelligitur, illa maiestas nubis, seu fulgor, qui erat inditium præsentiæ Domini. Verbum chabad, significat onerare, & diuitem esse, & ex consequenti glorificari, seu honorari, quòd diuites, & onusti bonis, soleant esse gloriosi.

Et nos quid, scilicet sumus? Cùm non auderent contra Dominum murmurare, timentes punitionem: in seruos Dei, murmura conuertunt, libentius aduersus Dominum, linguas extensuri, si auderent.

Appropinquate coram Domino.
Voluit Moseh eis ostendere, quod non contra eos, sed contra Deum murmurassent.

Respexerunt ad desertum.
Melius verterunt se, ad desertum, vnde gloria Domini veniebat.

Et ecce gloria Domini, visa est in nube.
Per gloriam Domini, vt diximus, intelligit claritatem; & lucem, quæ Dei venientis præsentiam indicabat, & est sermo de nube qua Dominus ante Iudæos occultabatur: dirigens iter eorum.

Inter vesperas, id est, inter occasum solis & noctem. Nam duplex (vt capite. 12. diximus) est vespera apud Hebræos, altera ab occasu solis vsque ad noctem, aut occasus ipse solis, altera est nox ipsa. Spacium ergo, quod erat inter occasum solis, & noctem: dicitur hic inter vesperas. Dictio verò ereb, vt aliàs dixi, coniunctionem, seu mixtionem significat.

Ascendit coturnix. Crediderim, tunc castra Hebræorum, esse in loco aliquo eminenti: ad quem coturnices ascenderunt, aut ascendit, id est, venit.

Iacuit ros, per circuitum castrorum.
Coturnices mansserunt super castra, vt libere possent, eas capere Iudæi. Man verò, per circuitum castrorum: Dicunt autem Hebræi, talal significare tegere, & tal rotem, quod tegat terram, & putarem tal, non significare qualemcunque rorem, sed qui rotondæ figuræ, super herbarum folia, cadere solet. Nam tala, cum aleph, in fine, significat pũctatum, vnde tal significat rorem, quasi minuta grana cadentem. Tota hæc clausula, sic est in Hebræo. Et mane fuit iacentia roris per circuitum castrorum, & ascendit iacentia roris, & ecce in superficie deserti, tenue rotũdum, tenue, sicut pruina super terram. Sensus est quod mane fasto, descendebat ros de cœlo, per circuitum castrorum, & sole veniente liquefiebat ros, & in nebulam ascendebat sursum, & manebant grana, quę cum rore descenderant: quę quidem grana, erant tenuia sicut pruina. Vide Numeri. 11. Sed aduerte dictionem chuspas, quam rotundum vertimus, sequentes Hebræos: ignotæ significationis esse: neque alibi quam hic, in sacris literis inuenitur. Chaldæus vertit, decorticatum. Hiero. quasi pillo contusum. Infra hoc eodem capite dicitur fuisse quasi semen coriandri albi coloris. Posset etiam verti. Tenue multiplicatum super terram, aut extensum sicut pruina. Non quod esset extensum, ad modum pruinæ, sed sic multiplicatum. Volo dicere, quod non erat sicut lamina extensa, qualis pruina videtur, sed rotundũ, multiplicatũ sicut pruina. Et nota q̃ dictio chepor, quam omnes pruinam vertunt, est à chapar: quod est linire, operire, expiare: significat autem chepor, pruinam, à tegendo, seu operiendo, quod, scilicet terram operiat. Iob. 38. Vchepor, id est. & pruinam cœli, quis genuit? Psal. etiam. 147. chepor. i. pruinã sicut cinerẽ sparget.

Man hu, id est, man ipsum quoniam non cognouerunt quid ipsum.
Non comenit inter Rabbinos, à qua radice sit dictio man: neque quid significet. Videtur tamen manah esse radix, nominis man. Significat autem manah, numerare & parare: inde maneh, id est, mina, seu mna, vel libra: genus ponderis, & manah, id est, pars, donum portio. Et man, quod manah vocamus. Et hinc est, quod aliqui dicunt significare paratum: quod paratum, ad comedendum, de cœlo descenderet. Potuit enim, crudum comedi, sine alia præparatione. Alij verò dicunt, significare donum, quod scilicet dono Dei, daretur populo. Sed retinendo propriam verbi significationem, videtur proprie significare numerosum quid: quoniam descendebant grana, in magno numero, super rorem. Videntes autem Iudæi, illud in magna copia descendisse, & ignorantes quid in specie esset: vocarunt Man hu, id est, numerosum ipsum, quoniam nesciebant quid in specie esset. Neque video quo modo verti possit. Quid est hoc? quoniam non dicitur in textu, mah, id est, quid, sed man hu, id est man ipsum, & credíderim vulgatum interpretem pro man legisse mah, id est, quid, aut (quod verisimilius est) quia sequitur. Ignorabant quid hoc esset, putauit id quod præcesserat, esse interrogationem qua quęrebant. Quid est hoc. Quærere enim solemus de aliquo quid sit: cùm illud ignoramus. Neque multum probo quod hic Iudęi dicunt: habuisse, scilicet man, rorem infra se, & supra, cum textus hoc non dicat, sed solum habuit supra se, qui calescẽte sole, in nebulam abibat. Sapor verò eius. (vt Nume. 11. dicitur) erat sicut sapor pastæ oleatæ: licet textus dicat, sicut sapor recentis olei. Aben Ezra, de manna loquens dicit, man esse nomen Arabicum: asseritque se vidisse, in regno Arabiæ quãdam speciem rei, conformem mannæ: sed quæ solum in mense Nissan, & Iiar, descendit, & soli exposita non desluit, neque per noctem reseruata putrescit, neq; est tam dura, vt in mortario conteratur, & super linguam posita, liquescit: cuius vsus, magis est ad medicinam, quàm esum.

Vir ad os comedere sui. Hebraismus est, id est, vnusquisque, sicut potuerit comedere.

Homer, iuxta summam numeri, animarum vestrarum.
Hebraice est Homer iuxta caput, numeri animarũ vestrarum, id est, secundum numerum capitum. Erat autem Homer decima pars ephah, id est, modij.

Vir secundum quod est tabernaculum suum accipietis.
Explicatio est præcedentis sententiæ: quòd vnusquisq; sicut habuerit domi personas comedentes, sic colligat.

Qui multum, & qui parum. i. quidam multum, quidam parum. Collegerant enim, secundum familiam.

Et non superabundauit qui multiplicauit, & qui minus rauit non defecit. Vir iuxta comedere suum collegit.
Sensus est, quod licet quidam, plusquam opus esset colligerent, quidam minus, nihilominus quilibet inuenit tot mensuras, quot erant personæ in domo eius. Sed si quisque collegit Homer, pro quolibet capite domus suæ, quid mirum si tantundem domi inuenit? Ob hoc putarem eos, nõ ad mensuram collegisse in agro, sed sicut illis videbatur, & eum domi mensurarent, cum Homer, quisque tot mensuras, quot personas habebat domi, inuenit.

Et fœtuit vermibus. Verbum Raman, à quo Rimah, id est, vermis significat eleuare, exaltare, & videtur quod rimah, vermẽ significet ab eleuatione, seu quia facile, aut multum eleuetur. Hiero. aliquando vertit tineam, vt Isaiæ. 14. nonnunquam, vt Iob. 7. putredinem. Induta est caro mea putredine.

Collegerunt illud, scilicet man, *mane & mane,* id est, *singulo mane, vir secundum os comedere sui,* id est, quisque, prout comedere poterat, aut vt comestores domi habebat. *Duo homer singulis.*

Parui refert, quod Hebraicè habetur Duo homer vni.

Requies sabbati sancti Domino cras.
Constat ex hoc loco, ante datam legem fuisse apud Iudæos, sabbati obseruantiam, quare videtur à principio mundi fuisse traditum.

Quod assandum est, assate: quod coquendum est, coquite.
Ista duo verba, scilicet apah, & bassal: idem significare videtur. f. coquere. Hoc tamen interest, quod apah, significat coquere sub cineribus: bassal verò absolute coquere. Est ergo sensus: quod coquendũ est. f. sub cineribus coquite, & quod aliàs coquere voluerítis, coquite.

Non fœtuit vermibus, & vermis non fuit in eo.
Ex hoc loco coniectura nonnulla sumitur, quod baas, non significet vermiculare seu vermibus scatere, sed putrescere.

Dominus dedit vobis sabbatum.
Non constat quando dedit, putarem, statim à mundi exordio, vt iam dixi.

Non egrediatur vir de loco suo, in die septimo, scilicet ad colligendum.

Vocauerunt domus Israel, nomẽ eius man, id est, numerosum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tosum, vt diximus, aut vt alij dicunt, donum, vel partem.

Ipsum sicut semen coriandri album.
Figura erat coriandri, sed color, albus erat sicut color abdolach: quod est coloris humani vnguis. Vide Numeri. 11. Et aduerte, quod gad, id est, coriandrum, deriuatur à gadad, quod est exercitum facere, quod grana coriandri, nascantur in magna copia, & sic ordinata, vt homines in exercitu. Vide quæ de hoc scripsimus Gene. 30.

Sicut lagani cum melle. Significat sapichit Hebræis, laganum, frixum cum oleo & melle. Itali vocant fritela mellata, nos filhoos, oubeiloos.

Tolle phialam vnam. Nomen Hebraicum sinsenet, quod omnes ferè vertunt phialam, & putant esse per se radicem, mihi videtur, quod sit à radice sanan, quod vmbellam, seu scutum significat, & forte erat vas, modum vmbellæ habens, quod nos vocamus scutellam.

Ante testimonium, id est, arcam testimonij, seu in qua postea fuit lex, quæ erat testis pacti, inter Deum & Israelitas, vnde videtur quòd arca aliqua iam erat facta, aut quia nondum erat lex data: iubetur poni in arca postmodum fabricanda, in qua tabulæ reponendæ erant.

Ad finem terræ Chenahan, id est, ad confines. Et per confines terræ Chenahan, intelligit confines vltra Iordanem: quoniam terra quæ erat citra illum, non dicebatur Chenahan. Quod dico, quia Iosuah. 5. legitur, eos comedisse man, etiam transito Iordane.

Homer. 10. ephah est, Rabbi Selomoh, ita computat. Ephah continet. 3. sata: satum autem sex cabos, cabus. 4. sextarios, sextarius sex ova: Vnde. 10. pars ephah continet. 43. ova.

CAPITIS. XVI. ANNOTATIONES ad morum compositionem.

Murmurauerunt omnis congregatio.
Mira valde est hominis impatientia, neque ferre ad horam potest rerum temporalium defectum. Si enim non fuerint saturati murmurabunt, libentius contra Deum murmuraturi, si non timerent punitionem: quam quia metuebant, ad seruos conuertuntur. Solent enim irati, & male affecti homines, mala sua, referre, etiam in eos, qui nihil culpæ habent. *Psal.*

Vtinam mortui essemus, per manum Domini, quando sedebamus super ollas carnium.
Grauissimum est homini, fame discrutiari, & maximè cupit impletus mori. Quare Ieremias Threno. 4. præferabat gladio occisos, fame interfectis. Melius (inquit) fuit occisis gladio, quàm interfectis fame. Ingrati animi etiam est, beneficio gratias non reddere, nisi cuncta quæ desiderat, concesseris. Neque contentantur his, quibus viuere possint, nisi satientur. Neque libertatem nactam æstimãt, imò pluris ea faciunt, saturitatem.

Egredietur populus, & colliget de die in diem. *Aduerte hæc.*
Dignum inquisitione est, cur Domine, non dedisti eis panem ad mensem, aut quem ad ebdomadam saltem, seruare possent, sed ad singulos dies? Vult Dominus, nos semper ab eius prouidentia pendere: quoniam nouit, nos non adituros eum, nisi indigeamus. Quo in re, melior est pauperum, quàm diuitum conditio. Sunt enim singulis diebus pauperum oculi ad Deum, vt eorum misereatur, & necessaria saltem ad illum tribuat diem. Vt etiam nullus transeat dies: quo Dei circa se non sentiant beneficia: & ob id saltem, sunt semper memores Dei. Et voluit (meo iudicio) nos docere, vt etiam si frumentum, & alia ad vitam necessaria penes nos recondita habeamus, ita tamen grati simus, ac si singulis diebus, ea ab eo recipissemus. Qua de causa, Hebræi arbitrantur, deũ voluisse terrã, septimo quoque anno quiescere: vt illã anxietatẽ, quolibet septenio diuites paterentur, quam pauperes, singulis diebus, & *Leui. 25.*

annis patiũtur. In quem sensum arbitror Christum in dominica oratione docuisse. Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie. Ac si diceret. Panem, quem quotidie à te expectamus, da nobis hodie illum. *Matth.*

Vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea.
Solet Dominus, in minoribus probare nos, ad maiora: quoniam qui minima nõ seruat, quomodo maiora seruabit? Et hinc discamus, quanto studio, minima etiam præcepta Dei, seruanda nobis sint.

Vesperi scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti. Technas impiorum, detegere Dominus vult: vt cognoscãt se non contra seruos, sed cõtra eum murmurare. *In die. 6. parabunt.* Audis hic, quanti fecerit dominus sabbati obseruantiam: vt noluerit Iudæos ea die cibum quærere, neq; parare. Vbi simul discе, non tibi defuturum cibum, ob festorum obseruantiam: quoniam nouit Dominus dare duplum, ad dies festos, si modo ea eius imperio colas.

Nos quid sumus? Qui (inquit) vos audit, me audit: & qui vos spernit me spernit, & qui in seruos peccat, in Dominum peccare conuincitur.

Locutus est Dominus ad Mosen dicendo.
Seruat Dominus grauitatem suam: vt populo, locuturus non ad eum, sed ad Mosen sermonem dirigat.

Inter vesperas comedetis carnes. Et scietis quod sim Dominus Deus vester.
Munus Domini est, suis necessaria prouidere. Considera quæso in quo se Dominum suum ostendat: non in bonis auferendis, sed dandis: non in exigendo minis terio, sed in donis exhibendis.

Ascenderunt coturnices, & operuerunt castra.
Non est parcus Dominus, in suos, sed abunde prouidet illis, panes & carnem. Vbi simul expende, quam pretiosa sunt dona Dei, vt noluerit pane terrestri suos satiare, sed cœlesti, in tanta copia tribuerit.

Ignorabant quid esset. Sed Mosen dixit.

Iste est panis. Hoc interest inter pios, & impios: quod impij ignorant dona Dei sibi concessa, pij verò optimè norunt, quę à Deo donata sunt, non solum sibi, sed aliis. *Exposi.*

Colligite ex eo singuli, quantum ad vescendum sufficit.
Non vult Dominus, vt dona eius prodigas, sed sumere solum, quod tibi necesse est. Quid facitis, qui necessaria, aut potius superflua, in immẽsum multiplicatis? Sumite ad mensuram necessitatis vestræ, dona & munera altissimi. Vbi etiam docemur, quàm mala sit superfluitas. Non est parcus Dominus, sed quia nouit quę mala abundantia pariat, voluit, nos ad mensuram suis vti bonis. Neque tamen ad mensuram, panem de cœlo descendere fecit, sed in maxima copia: voluit tamen, ex copia nos solum quæ necessaria sunt sumere, vt discamus etiam in rerum affluentia, seruare modestiam, & parcitatem.

Non plus habuit qui plus collegit.
Non est ex nobis, nostra satietas, vel pœnuria, sed ex Deo, qui dat vnicuique, prout ei opus est. Est enim, (vt ait Salomon) pauper sibi sufficiẽs, & est diues, qui non potest vnquam satiari.

Reliquerunt ex eo vsque mane, & vermicalauit.
Maxima est hominis erga Deum diffidentia, vt semper putet necessaria sibi defutura, & ideo asseruare velit, quod sibi putat defuturum. Fide, quod qui hodie dedit, dabit & cras.

Incaluit sol, & liquefactum est.
Munus boni rectoris est, occasiones malorum, suis auferre. Vbi simul discе, quid valeat obedientia, & quantum inobedientia obsit.

Die septimo egressi sunt. Magna est hominis contumacia, & quæ sine vlla causa, & necessitate, Deum tentat, & offendit.

Non egrediatur quisquam è loco suo.
Sicut subiectio, & obedientia, solet esse subiectis causa libertatis, sic rebellio, & inobediẽtia, causa maioris subiectionis.

Imple homer ex eo, ad custodiam, vt videant cibum, quem comedere feci vos. Mira

Mira est hominis ingratitudo, vt iam superius admonuimus, vt opus Deo sit, testes suorum beneficiorum adhibere. Quoniam sciebat, eos statim beneficij fore immemores, phialam seruatam, hoc attestari voluit. In hunc finem arbitror Christum. 12. cophinos panis asseruare præcepisse, cùm turbas pauit in deserto, ne postea ingrati, beneficij immemores, miraculũ inficias irent. Vbi simul discе, quàm conuenienti cibo, quasi paruulos aluerit Dominus. Hæc enim, vt patet Ezechiæ. 16. reputatur infantia populi Dei: quando, scilicet ex Ægypto egressi sunt.

Filij Israel comederunt man quadraginta annis.
Ostendit locus iste, non esse quærendam à Domino prouisionem, cùm nobis possimus prouidere quemadmodum Deus Iudæis non prouidit, postquam terram habitabilem sunt ingressi.

CAPITIS. XVII. AD LITERAM annotata.

ET *profectus est omnis cœtus filiorum Israel.*
Significat verbum nasa, proficisci, transire, ab vno in alium locum Gene. 33 Et Iacob nasa, id est, profectus est in Succoth. Isaiæ. 38. Generatio mea, vel habitatio mea, nisa, id est, recessit, seu abiit Item Eccle siastes. 10. Masia, id est qui trãsire facit lapides, scilicet hinc inde, dolore afficietur ab eis.

Per profectiones suas. Dicit per profectiones suas, quoniam non statim venerunt ex deserto Sin, in Rephidim, sed vt dicitur Numeri. 33. ex Sin venerunt in Daphkah, inde in Elusch, & ex Elusch in Rephidim. Est autem Rephidim. 11. mansio, iuxta montem Dei Choreb, ad occasum.

Iuxta os Domini, id est, præceptum, siue illud fuerit columnæ motio, siue ore prolatum.

Et castrametati sunt in Rephidim.
Significat verbum chanah, quod nostri castrametari vertunt, tentorium, aut castra figere per circuitum vrbis, ad eam capiendam. Isaiæ. 29 Veh ariel, ariel, ciuitas chanah, id est, circa quam castra fixit Dauid, seu castrametatus est. Et. 1. Samue. 26. Venit ad locum, in quo chanah, id est, castra fixerat Saul, seu castrametatus erat. Aliqui dicunt significare manere, sed prior significatio germanior esse videtur, iuxta illud Psal. 34. Choneh, id est, castrametatur, seu castra figit, Angelus Domini, in circuitu timentium eum.

Et non erant aquæ, vt biberet populus.
Ex Hebræis, aliqui putant, temeritate potius quadam, quàm labore sitis, aquas desiderasse: quod videlicet man, simul escam, & potum suppleret. Descendebat enim, ad modum pluuiæ, vnde non potuit esse, sine magno humore Mihi tamen, magis placet aliorum sententia, quod videlicet populus, simul & immenta, quæ non edebant man, siti laborauerint Licet enim man, humidum esset, non tamen tantæ erat humiditatis, vt sitim posset omnino extinguere.

Cur litigatis mecum & tentatis Dominum? id est, cur experiri vultis Deum, an possit vel non possit, vobis aquam præstare, quod est eum tentare? Sic in Psal. 77. habes. Percussit petram, & fluxerunt aquæ. Nunquid & panem poterit dare, aut parare carnem populo suo? Verbum enim nasah, significat proprie experiri, & periculum facere: vt patet primo Samuelis. 17. Quia non nisah, id est, periculum fecerat, seu experitus fuerat, cum armis incedere. Inferius, hoc eodem capite explicatur ista tentatio: quod videlicet dixerint. Est ne Deus, in nobis, seu in medio nostri, scilicet potens, ad dandum aquas, & præbendum necessaria vitæ?

Et murmurauit populus.
Posset etiam verti. Et restitit: quoniam verbum vtrumque significat.

Quare ascendere fecisti nos?
Hebraicè est. Quare hoc? quod alij vertunt. Quare sic. Sed litera potest legi, vt habet, scilicet sic. Quare hoc, scilicet fecisti? Postea sequitur.

Ascendere fecisti nos, ex Ægypto, vt occideres me, & filios meos, & pecora mea siti? Allucinamini me, & lapidabunt me, id est, post parum, seu parum absunt, à lapidando me.

Transi ante populum, aut coram populo.
Dupliciter potest locus iste intelligi. Vno modo sic. Ne timeas populum volẽtem te lapidare, sed securus, transi coram eo, me protegente, secundo quoniã Mosen erat in posteriori parte castrorum, iubetur ea antecedere, cum senioribus, vt irent ad petram, quæ datura erat aquas: qui sensus mihi videtur simpliciõr. Iubetur autem senes secum ducere: tum quia isti sunt magis idonei testes, faciendo miracula, secundo quia de cætero, possent compescere murmura vulgi, vtpote maioris autoritatis.

Ecce ego sto ante te ibi, id est, priusquam tu illuc accedas. Aut melius. Ecce ego stans coram te ibi, id est, assistam tibi iuxta petram, aut supra petram. Est autem sur, id est, petra, à verbo sur, quod significat stringere, & artare: vt patet Deut. 14. vbi dicitur. Vesarta acheseph, id est, stringes, seu artabis argẽtum in manu tua, aut ligabis. Vnde sur significat lapidem, quoniam strictus est, aut quia ligatus: vt non possit se mouere. Hinc sir, id est, legatus, seu cursor, sic dictus, quod soleat vestes stringere dum incedit, aut quia ligat eas: ne sibi in via impedimento esse possint. Prouer. 26. Sicut scutum niuis, in die messis: sic sir, id est, cursor fidelis: his qui mittunt illum.

Venit Hamalech, & pugnauit cum Israel.
Fuit Hamalech nepos Esau, vt patet Gene. 36. A quo Hamalechitæ originem traxerunt. Admonui etiam sæpius, verbum lacham significare proprie comedere, & ex consequenti præliari: quod prælium soleat homines deuorare ore gladij, quemadmodum homo panem. Si quæras huius belli causam, nescitem aliam assignare, quàm timorem occupandæ terræ. Timebant enim, quod Israel vellet, eis debellatis, eorum sedes occupare.

Super verticem, aut caput collis. Significat geba eleuationem, & exinde collem, quod sit eleuatus. Hinc migbaot, id est, mitræ seu thiarę: sic dictę, quod sint eleuatæ. Inde etiam gabia, id est, cyphus, non qualiscunque, sed eleuatus.

Cum leuaret Mosen manum suam: præualuit Israel.
Crediderim Mosen eleuasse vtranque manum, tenens virgam Domini inter eas, licet textus vnius manus meminerit: quoniam infra explicat eum, vtranque manum habuisse eleuatam. Et licet gabar significet fortificare, & vincere: magis proprie tamen videtur significare prævalere.

Quando quiescere faciebat manum suam, pro manus suas, id est, *cum eas demittebat, superabat Hamalech.*
Constat autem ex hoc loco, antiquos solitos orare, stando potius quàm sedendo, vt ex Euangelio Lucæ constat qui. 18. capite Pharisęum stantem orasse commemorat. Voluit autẽ dominus Mosen, dum miracula faceret, virgã suam, manu habere: ne putaret se propria potestate miracula, & tam stupenda signa facere.

Aharon verò, & Chur, sustentauerunt manus eius.
Fuit iste Chur, si Iosepho fidem adhibeas, maritus Miriam sororis Mosen. Verbum autem Hebraicum tamach, significat potius apprehendere, quàm sustentare, vt patet Prouer. 31. vbi dicitur: Digiti eius tamechu, id est, apprehenderunt colum. Sic Hamos. 1. Vethomech, id est, apprehẽdent sceptrum de Ascalon. Quare hic vertendum puto. Apprehenderunt manus eius, vt scilicet eas manibus suis sustentarent.

Fuit manus eius firma, seu stabilis.
Aliqui fidelem vertunt, sed verbũ aman, significat proprie stabilire, & firmare, ex consequẽti verò fidelẽ esse, & veracem, quod tales in verbis & factis, stabiles sint. Posset etiam verti. Et fuit in manibus eius stabilitas, seu firmitas: non fuit amplius remissa.

Contriuit Iehosuah Hamalech.
Verbum chalas, duhiæ est significationis. Quidam putant significare infirmare, aut infirmari. Aliis significat

Universidad de Deusto
Biblioteca

fortem proiicere: colatis tamen scripturæ locis, quibus verbum ponitur: videtur significare succidere aliquid, ne pullulet, aut crescat: vt Iob cap. 14. vbi dicitur. Vir moritur, valuit helas, id est, & succiditur, quantū ad radices & ramos. Et mortuus est homo, & vbi est. Et præcedunt verba hæc. Est arbori spes. Si præcisa fuerit, adhuc pullulabit, & tener ramus eius non desinet, quasi dicat. Arbor succisa, & quasi mortua, spem habet pullulandi, & permanendi: non autem homo, postquam semel mortuus est? Isaiæ etiam. 14. habes. Proiectus es in terram, qui choles, id est, succidebas gentes, scilicet è terra. Quare hic verti potest. Et succidit Iehosuah Hamalech, significatio tamen, nondum omnino est certa. Iohelis. 3. ponitur nomen chalas: vbi dicitur. Chalas, id est, debilis dicat, fortis sum. Ex quo loco quidam argumentum sumunt, quod significet debilitare, sed ibi verti posset. Succisus membris, aut mancus, dicat fortis sum. Non tamen prohibeo, si vertas debilis, & hic. Et debilitauit Iehosuah Hamalech.

Scribe hoc memoriale, id est, pro memoria, vt scilicet Iehosuah, & posteri, memorētur vindictę sumendæ de Hamalech, id est, scribe hoc in libro, ad memoriam, & pone in auribus Iehosuah, id est, inculca hoc auribus eius, ne, scilicet oblitione deleri queat. Et tacite designat hic, eum futurum ducem: vbi duo præcipere videtur, scilicet quod scribat hoc in libro, & quod inculcet, aut scriptura, aut verbis, in auribus Iehosuah vindictam futuram Hamalechitarum: quam postea fecit Saul: vt habetur. 1. Regum. 15.

Quoniam delendo deiebo.

Significat machah, eradere, tergere, & delere. Addunt etiam Hebræi perdere, & disperdere, sed est locus Numeri. 24. vbi nulla harum significationū conuenire videtur: quo loco dicitur. Vmachah alcheteph, id est, & peruenier, ad latus maris chinneret. Quare videtur significare tergere fortiter, faciēdo lineas, seu virgulas, vt fieri solet, cùm vasa defricantur ad munditiem, siue stagnea, siue ænea: vnde ex consequenti, videtur significare, lineam, seu limitem facere, qualis fieri solet, ad terminādum aliquid, quare posset locus Numerorum citatus verti. Et terminabit, ad latus maris chinneret. Dicunt etiam Hebræi, & nostri, adhuc significare plaudere manu, propter illud Ezech. 25. Macha acha lad, id est, propter plaudere tuum, manu. Sed te vera, ibi etiā tergere, seu fricare manus, significat: sicut faciunt, qui plaudunt manibus. De huius verbi significatione abunde diximus Gen. 6.

Vocauit nomen eius Dominus eleuatio mea.

Propter incertitudinem radicis nominis nes, incerta est eius significatio. Nostri & Hebræi dicunt, significare vexillum. Quod verò eleuationem significet, ex hoc loco constat, & ex. 21. cap. Numerorum, vbi dicitur. Fecit Moseh serpentem æneum, & posuit super hanes, id est, eleuationem, seu perticam eleuatam, aut locum eleuatum: vbi non tā bene vexillum vertas. Vndeverbum nasas, à quo nes, ortum habere videtur, significat Isaiæ. 59. eleuari: vbi dicitur. Spiritus Domini, nosasah bo, id est, eleuauit me. Vnde illud Isaiæ. 10. Erit chimsos nosses, id est, sicut cum dissoluit vexillifer (vt nostri vertunt) vertendum puto, sicut cum dissoluitur eleuatio s. fumi, aut nebulæ. Nam ante hæc verba habetur Erit lux Israel in igne, & sanctus eius in flamma, & ardebit, & deuorabit spinam eius, & veprē eius, in die vna, & gloriam syluæ eius, & Charmeli eius: ab anima vsque ad carnem consumet, & erit sicut cum dissoluitur eleuatio, scilicet nebulæ, aut fumi, vt dictum est, ac si dicat. Et erit, sicut eleuatio alicuius rei dissolutæ. Potest tamen significare vexillum, ratione eleuationis. & si vertas vexillum, optimè quadrat. Nam sensus est. Dominus dux meus in prœliis, quemadmodum solet esse vexillifer, eis qui illum sequuntur. Si autem eleuationē vertas, erit sensus: Dominus est, qui me eleuat super inimicos meos: faciendo me eis superiorem.

Et ait, scilicet Moseh, Et supplenda est litera.

Ideo delendo delebitur Hamalech de sub cœlo. Quoniam manus, scilicet Domini *super solium Dei*, id est, quia dominus iurauit, per solium suum, ponendo, scilicet manus super illud, *Quod prœlium Domini cum Hamalec à generatione in generationē*, id est, perpetuo: vsquequo, scilicet deleat illum. Si causam plenam quæras, huius tam seueræ vltionis, habes eam Deute. 25. vbi Moseh dicit. Memento quæ fecerit tibi Hamalech in via, quando egrediebaris ex Ægypto: qui occurrit tibi in via, & caudam abscidit in te omnium debilium, qui erant post te, & eras lassus, & fatigatus, & non timuit Deum. Hamos. 8. iurat Dominus per celsitudinem suam, non am in Iaacob. Iurat autem per solium suum, ob firmitatem. Habet Dominus, vt ex sacris literis constat, & nos iam Gen. 14. indicauimus, multiplicem iurandi modum. Aliquando enim iurat per seipsum: vt Gen. 22. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus. Aliquando per thronum suum, vt hic. Nonnunquam per celsitudinem suam: vt Hamos. 8. Quartò per vitam suam: vt Ezechielis. 18. Viuo ego, dicit Dominus. Nolo mortem peccatoris. Iurandi verò modus eius est: leuando manum suam ad cœlum, iuxta illud Deut. 32 Leuabo manum meam ad cœlum, & dicam: viuo ego in æternum, id est, & iurabo per æternam vitam meam. Ex quo exoleuit, modus ille iurādi sanctorum, & Iudæorum. Viuit Dominus, id est, per vitam Dei. Aduerte etiam hic, aquam hanc, de qua hic est sermo, non esse illam, cuius scriptura meminit Numeri. 20. quæ contradictionis vocatur, in qua duces Moseh, scilicet & Aharon, domino peccauerunt. Quomiā hæc fuit in Rephidim. 11. mansione, illa verò in Chades, mansione. 33. in deserto Sin: Ista antequam populus peruenirent ad montem Sinai, illa post, perfectum tabernaculum, vt constat ex Numerorum, citato capite. Potes tamen dicere eandem.

CAPITIS. XVII. DA MORES.

Profecti sunt ad sermonem Domini: et nō erant aquæ.

Sunt multi iusti, & sancti, ambulantes in via Domini, qui scandalum patiuntur, cùm aliquid sinistri, eis acciderit, arbitrantes cuncta sibi ad vota ventura, postquam præcepta Domini sequi cœperint: quod non semper ita accidere, locus iste demonstrat: cum isti, ad sermonem Domini, profecti sint, & nihilo secius aduersa multa, in via passi sunt. Sic in lib. Iudicum ostenditur. 11. tribus, ex imperio domini, aduersus Biniaminitas bellum suscepisse, cosq; bis aut ter hostibus succubisse: vt cùm Domino famulari cœperit, pares animam tuam ad tentationem.

Iurgatus est populus contra Moseh.

Ecce quid lucri, sancti habeant, qui indomitam plebem gubernant, causasque illorum apud Deum promouent: qui cùm in Dominum sæuire non possint, neque audeant, quoniam vltorem timent: in duces conuertuntur.

Vt quid ascendere fecisti me ex Ægypto?

Ingrati animi est, si non cuncta quæ postulauerit concedas, in maleficia vertere, accepta beneficia. Nam libertatem, quam pluris facere deberent, in autorem, quasi magnum dispendium obiectant.

Clamauit Moseh ad Dominum.

Prodest nonnunquam, sanctos vrgere, & quasi cogere, quoniam tunc feruentius orant, & facilius impetrant. Memento quàm pie. Sunamitis illa, cuius historiæ liber regum meminit, sanctum Helisæum, ad filij suscitationem attauerit, neque dimiserit quousque mortuum filium, prophetę precibus recuperauerit. Sic & sanctus Iaacob, Angelum ad se benedicendū astrinxit, neque dimisit, ante benedictionem. Et sponsa in canticis, se dilectum non dimissuram profitetur, nisi prius in cubiculum genitricis eum includat. Et quemadmodum sancti a nobis vrgentur, sic & ipsi quasi vrgere Dominum videntur: vt eum non dimittant, nisi prius postulata concedat. Neque te putes minus religiosum, si pie Domino, aut sanctis eius, vim facias. Non

Nō enim de irreligiositate taxatur Chananæa illa, quæ filiæ salutem à Domino extorsisse videtur, aut Emoroissa, quæ salutem à profluuio sanguinis suffuratur: imò te tanto religiosiorem crede, quanto maiorem ei vim feceris, non quidem impie, sed plorando. Neque puto sanctum Moseh, tanti suam propter se lapidationem fecisse, sed eam domino obiectasse: vt quod postulabat, facilius impetraret: vt si visa populi iniquitate negaret, considerato periculo, quod sibi à populo imminebat, concederet. Proni etiam erant ad lapides Iudæi: quoniam lapidei cordis erant: de quibus Bernar. tractans eorum in Christum sæuitiam dicit. O Iudæi lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem, qui pro vindicta, misericordiā vobis postulat. Isti in Moseh lapides parant, ille verò, vt mitis, & manuetus, preces pro eis fundit ad Deum. Isti lapidibus cum impetere volūt, ille orationibus præcatur Deum, vt eis indulgeat. Sic & Christus dum illi clamarent, tolle crucifige, clamabat, pater ignosce.

Transi coram populo. Debent Domini, ministros iustitiæ suæ, securos, ab impiorum manibus reddere: vt audeant, munera sua administrare. Vbi etiam discimus, malos quantumcunque ad malum paratos: non posse bonos lædere, nisi sibi à Domino potestas tradatur. Non haberes (ait Pilato Christus) potestatem, aduersum me vllam, nisi tibi datum desuper fuisset. Parati isti erant, ad duces lapidandos: nemo tamen ex eis audet, facinus inchoare, quoniam non permittebat Deus: Obiectatque eum illis dominus, neque audent, in eum lapides mittere. Ioan. 19.

Tolle tecum è senioribus Israel.

Admonui frequenter, deum ob nostram summam ingratitudinem, & obliuionem beneficiorum in nos collatorum: suorum munerum, testes adhibuisse. Hinc etiam arbitror prophetas nonnunquam cœlos, & terram, in testimonium vocare: vt si ingrati: admonitiones negarent, hæc inanimata sibi factas attestarentur: quæ etsi muta nobis perpetuo sint, Deo tamen: aduersus nos expedite loquuntur, cum examinantur. Audi quid Iosue. 24. scriptum est. Ecce inquit, lapis iste, erit nobis in testimoniū: quia ipse audiuit omnia eloquia Domini: qui locutus est vobiscum, & erit contra vos in testimonium: ne forte negetis.

Ecce ego sto coram te ibi.

Ne seruus sibi miraculum adscriberet, adest dominus. Est enim mirabilis hominis vanitas: qui facilè sibi ascribit, quod Dei virtute operatur.

Vocauit nomen loci tentationem, & litem.

Oportet nos locorum, in quibus Deum offendimus meminisse: vt quoties nobis locus ille occurrerit, toties ingemiscamus. Quemadmodum enim sancti, loca quibus à Deo beneficia acceperunt, notare solent, vt quoties viderint ea, in gratiarum actiones prorumpant: ita & peccatores locorum quibus Deum offenderunt meminisse oportet, vt toties eos perpetrati magi pœniteat. Hac de causa sanctus Iaacob, locum quo Deum scalæ innixum viderat, & Angelos ascendentes & descendentes, vocauit Bethel, id est, domum Dei: & locum quo Deum auxiliatorem aduersus fratrem fuerat expertus, vocauit Mechanaim, id est, castra: vt quoties huiusmodi loca vidisset, beneficiorum ibidem receptorum memor, gratias ageret, non solum ipse sed posteri, quibus res innotuisset.

Num est Deus in medio nostrie

Damnat locus iste illos, qui cum beneficia desunt, dubitant de præsentia collatoris: vt scias Deum adesse, non solum cùm bona largitur, sed etiam cùm subtrahit: imò aliquando, euidentius signum præsentiæ eius est, beneficiorum subtractio: quàm exhibitio.

Et venit Hamalech. Cauendum valde est, ne dubites de præsentia, & protectione dei: quoniam statim hostis adest ei, qui se præsentia Dei arbitratur destitutum. Similiter aduerte, qualiter sequitur pœna peccatum. Quamprimum enim populus peccauit, hostis affuit, peccati vltor.

Pugna cum Hamalech. Ego stabo in vertice collis.

Ecce quid vires sine Deo valeant. Clamant milites. Quid inquiunt, religiosi in claustris faciunt? Cur nobiscū ad bellū nō veniunt? Nescientes, quod plus vno momento militat oratio iusti: quam vna die, imo multis infinitus exercitus. Nisi enim multum faceret ad hoc, iustorum oratio, non prohiberet Dominus Ieremiam, ne oraret pro populo. Discimus etiam, bella non solis orationibus, sed etiam viribus agēda. Quod nostrum est, faciendum est, sed magis precibus quàm viribus fidendum est: quemadmodum sanctus Iaacob, postquam acies suas disposuerat, munera miserat, nuntios, humilibus verbis instruxerat, ad orationis confugium, se tota illa nocte dedit: vt quod prudentiæ humanæ deesset, oratio suppleret. Sic nunc sanctus Moseh, prius de bello agendo ducem instruit, bellatores deligit, ipse verò montem, Deum precaturus conscendit. Ieremi. 7. Gen. 32.

Cras stabo super verticem montis.

Fuerunt semper altiora loca, precibus & sacrificiis aptiora. quod videlicet, cœlo, quo sedere Deum arbitramur, proximiora sint. Vbi simul considera: ab antiquis nos patribus didicisse: eleuatis ad cœlū manibus, orare: quemadmodum Dauidem fecisse legimus: qui in Psalmis ait. In nomine tuo, leuabo manus meas. Quod si inquiras, quid præ se ferat huiusmodi manuum eleuatio: putarem, nos malis immersos: manus Deo extendere, vt ipse suas porrigat auxiliatrices. Quemadmodum homo, cœno aquæ, immersus: manus auxiliatori extendit: vt ab eo auxiliū accipiat. Aut ponentes nos in manibus nostris, deo nos offerimus.

Moseh eleuante manum: prœualebat Israel.

Audis quid valeat oratio iusti assidua. *Aharon, & Hur, sustentabant manibus suis, manus Moseh.*

Adumbrat pulchre locus iste, viros spirituales sustentandos esse, à sæcularibus & à plebe: ne cogantur preces dimittere, & ab oratione cessare. Secundo discce non esse statim ab oratione recedendum, sed cùm opus est, continuandæ sunt preces: quare cùm oras, non statim recedas, si manus, vel pes doleat, sed persiste, quoniam etiam dolor, orationem iuuare solet: modo æquo animo feras illum. Tertio collige sedendum esse, si stare nequeas in oratione, quoniam qui orat de nullo alio quàm de Deo quem orat, & pro quo orat, debet esse sollicitus. Vnde sic orandum est, ne cogaris membra indisposita, aut dolentia curare. *Omnia hæc notatu digna sunt.*

Scribe hoc memoriale in libro.

Expende hic, qualiter pius pater, se præ se ferat in nostra punitione obliuiosum: vt libro, & scriptura sit opus ad memorandum, vt nobis ostendat quàm inuitus puniat, & quàm lento gradu: ita tamen aliquando castigat, vt progeniē omnino deleat. Timendū etiam se prębet: qui licet ad multum tempus vindictam dissimulet, tandem punit & delet.

Ædificauit Moseh altare.

Docet nos sanctus vir: gratos esse diuinis beneficiis, neque tardare in gratiarum actionibus referendis. Istuc pertinet, altaris nomen, quod vocauit Dominus eleuatio mea: vt enim fugis effet beneficij accepti memoria, locum à beneficio nominauit.

Manus super thronum Domini.

Ad quid enim Domine, iuramētum vt punias? Tuum est, iuramentum pollicitationibus bonorū adhibere: quemadmodum Abrahę iurasti, per temetipsum, quod possideret semen eius portas inimicorum suorum. Sic Dauidi iurauit, neque mentietur, quod de fructu ventris eius poneret super sedem eius. Omnia hæc pietatem & misericordiam sonant. Nam (vt iam admonui) tam non sua sponte punit, vt non sumat vindictam nisi iuret, facileque sententiam punitionis mutet, & paret: cogit tamen eum impiorum nimia improbitas iurare, quod non mutabit vindictæ decretum.

CAPITIS. XVIII. AD LITERAM.

Audiuit Iethro sacerdos Midian, socer Moseh.

Differuimus Gen. 14. & 41. de significatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominis cohen, quod non solum sacerdotem, sed & principem significaret: & hic magis quadrare videtur princeps quam sacerdos. Sequens verò dictio, scilicet choten, quam nostri socerum interpretantur, videtur potius significare, coniunctum, seu affinem: quemadmodum chatan, coniungi, affinitatem contrahere significat, vt patet Iehosuah. 23. Vehit chatâten bahem, id est, affinitatem contrahite, aut coniunctionem facite, nobiscum. Idem primo Samue. 18. Ponitur autem aliquando pro genero, vt Gen. 19. vbi dicitur. Adhuc est aliquis tibi hic chatan, id est, gener? Nonnunquam verò, vt hic, pro socero. Disputant etiam hic, tam Iehudæi, quàm nostri, an sit idem Rehuel, qui & Iithro, & Chobah. Et quidam arbitrantur, eundem fuisse Iithro & Chobah, quem putant patrem Sephoræ, & socerum Moseh. Rehuel verò dicunt, patrē huius Iithro, qui & Cobah, auumq; ipsius Sephoræ, vocarique patrem Sephoræ, supra ca. 2. huius libri, Hebraico more, quo aui & proaui, patres dicuntur nepotum, & pronepotum. Probant autem hoc, ex verbis scripturæ Numeri. 10. vbi dicitur. Dixit autem Moseh ad Chobah filium Rehuel Midianitem socerum Mosch. Sed ipsi decipiuntur, putantes choten, vt diximus solum significare socerum: cum vt admonuimus, generum & coniunctum significet, vnde. Sic vertendus est textus ille. Dixit autē Moseh ad Chobah filium Rehuelis cognatum Moseh. Aut germanius, si socerū vertas. Ad Chobah filium Rehuelis, soceri Moseh. Secundo hoc probant ex 14. cap. lib. Iudicum, vbi dicitur Cheber Cheneum, diuisum esse è Chaim, de filiis Chobah, soceri Moseh, sed tu pro soceri, lege cognati Moseh, & omnia dissoluuntur obiecta. Quod verò idē sit Rehuel & Iithro, cōstat Exo. 2. vbi dicitur, quod venerūt puellę ad Rehuel patrē suum: ex quo cōstat, fuisse Rehuel patrē Sephorę, & ex cōsequēti socerū Moseh. Quod verò sit idē, quod Iithro patet ibidē ca. 3. quo dicitur, quod pascebat Moseh pecora Iithro soceri sui, principis Midiā. Vnde videtur eundem fuisse, Rehuelē & Iithro. Quod verò Chobah sit filius Rehuel, scriptura Nume. 10. expresse testatur, & verba citata sunt supra. Probatur etiā eundē fuisse Rehuelē, & Iithro: quia eadē epitheta cōiunguntur vtriq;, in scriptura. s. princeps, aut sacerdos Midian, vt patet hic, Nume. 10. & supra. 2. & 3. ca. Videtur etiam hoc probari, ex magna reuerentia, quam illi fecit Moseh, & quàm facilē eius consiliis paruerit, & propter senium reuerti voluit ad suos, dimisso apud Iehudęos Chobah filio suo, fratres Sephoræ. Et credibile est, filium s. Chobah, cum patre venisse, & cum sorore, & cognato, māsisse. Et cū textus dicat hic expresse Iithro reuersum in terram suam, Chobah verò, cum Iudæis mansisse constet Nume. 10. manifeste ebuincitur, alium fuisse Iithro, & alium Chobah.

Postquam dimiserat eum.

Ex hoc loco constat Moseh, vxorem remisisse, cum in Ægyptum iret: eamque in domum patris reuersam, & nunc illi restitutā, quod ibi, 4. cap. textus non expresserat. Nā quod ibi dicitur in vulgata editione. Et dimisit eam Hebraice habetur, & dimisit. s. angelus, cum, vide licet Moseh, quem volebat occidere, cum verbum sit masculini generis, vt ibidem explicuimus.

Peregrinus fui in terra aliena.

Dicunt Hebræi, verbum gur, à quo ger. i. peregrinus, significare peregrinari, & timere, sed meo iudicio, quę timere significant, sunt à radice iagar, & non à gur. Similiter aduerte, nomen nochritah, id est, aliena, dubiæ esse radicis, & significationis. Si enim sit à nachar, quod est occultare, & claudere, significabit alienum, quod videlicet sit ignotus, si verò à chur quod est peregrinatio, occultatio, vt patet Ezech. 39. Super terram mechuratam, id est, peregrinationis eorum: tunc significabit peregrinam. Vocat autem Hebraismus peregrinum, occultum, propter causam datā, quod videlicet, eius progeniex ignoretur. Sonat autem gersson, peregrinum, ibi, Elihezer verò Deum meum adiutorē, aut Dei mei adiutorium, vel Dei auxilium.

Et eruit me, de gladio Pharo.

Significat verbum Hebraicum nazal, spoliare & spoliari, & etiam eripere. Iere. 7. Et dixistis nissalnu. i. spoliati sumus, seu exuti. Supra tertio capit. Venisséltem, id est, spoliabitis, seu exuetis Ægyptum.

Ad montem Dei, id est, quo Deus apparuerat Moseh: per quē intelligit Choreb, aut Sinai, sed meo iudicio, desertum vocabatur Sinai, mons verò Choreb, licet nonnunquam etiam montis dicatur Sinai.

Et egressus est Moseh, in occursum soceri sui.

Antiqua valde consuetudo est, ire obuiam nobilibus, cùm ad nos veniunt: quam etiam Abraham seruasse legimus, cum angeli ad eum venissent: quemadmodum exire eum eis paululum, cùm à nobis recedūt: quod & ipse Abraham angelis describitur fecisse Gen. 18.

Et osculatus est eum. Significatio verbi nassach, non vnica est. Significat enim osculari, aut verius coniungi, & sese tangere, & ex consequenti osculari, quod nihil sit aliud, quàm cōiungi, & se tāgere. Addūt autē Hebræi armare, citantes illud Psal. 78. Filij Ephraim nosecche. i. armāti, iacientes arcu, sed ibi melius vertas, coniungentes se, iacientes arcu. Disputaui de verbi significatione abunde Gen. 41. vide ibi.

Interrogauit vir fratrem suum de integritate, id est, an cuncta integra essent, ita vt nihil deesset. Consulto non vertimus de pace: quoniam sallam significat potius, integrum, quàm pacificum esse, & sallon integritatem, potius quàm pacem.

Propter Israel. Dicunt tam Hebræi quàm nostri, has duas dictiones, scilicet al & odot, significare propter, & de priori dictione, scilicet al non est dubium, sed alterius significatio, dubia est: quoniam ignoratur, cuius radicis sit: Vd enim quod videtur radix eius, significat torrem. Hamos. 4. & Zacha. 3. & plurale. s. vdim, ponitur Isa. 7. Videtur tamen odot alterius radicis, quoniam plurale odah, est odot, plurale verò vd, vdim. Vide quę de ea scripsimus Gen. 21. Posset tamen dici significare causam: & tunc vertendum esset. Quod fecit Ægyptiis, propter causam, aut super causam Israelis. Nam quēadmodum nos Lusitani otiose vtimur sæpius amoris nomine, ita & Hebræi nomine odot. Dicimus enim: Por amor de ti me feriram à mim, ac si diceres, propter amorem tui: percussus sum ego, vbi nomen amoris otiosè ponitur.

Et lætat⁹ est Iithro, super omne bonū quod fecit Dominus.

Dubia est significatio verbi chadah, id est, lætari, & dicunt Hebræi significare acuere, & lætari, sed dicerem potius significare lucere, aut lucidum esse, politum, & tersum, & ex consequenti lætari, quod lætus, videatur lucidam, & tersam habere faciem, præsertim Hebræi qui in die lætitiæ suæ, solebant vnguentis, nitidam & lucidam reddere faciem: iuxta illud Psal. Lucere fac faciem tuam super nos, id est, hilarem ostende. Vnde illud Chabach, id est, Iechadu, id est, acutiores erunt lupis vespertinis, vertendum melius puto. Lucidiores erunt, lupis, id est, lucidioris, & perspicatioris visus. Sic Ezec. 21. Gladius, gladius, huchadah, id est, clarius politus: vbi alij vertunt acutus: quod nō prohibeo. Iob, 41. Sub eo, scilicet animali feroci, aut equo, chadude chares, id est, tersiones artificis. i. spicula aut arma tersa & polita, sicut cum domum egrediuntur artifices. Sic Prouer. 27. Ferrum ferro iachad. i. politur, & vir terget i. exhilarabit, faciem amici sui: vbi apparet idem esse tergere, quod exhilarare.

Nunc cognoui quod magnus Dominus, aut melius quod excelsior prę omnibus diis, id est, quod omnibus diis gentium, sit superior, & excelsior.

Et quod superbe egerunt contra eos.

In Hebræo sic habetur. Nunc cognoui quod excelsus Dominus, præ omnibus diis: quoniam in verbo quo superbe egerunt, contra eos, aut super eos. Et videtur hic esse sensus. In hoc cognoui Deum Israel, esse omnibus diis superiorem: quoniam nō sustinuit rem, quam Ægyptij, superbe contra eos, s. Israelitas, egerunt.

Obtulit holocaustum & sacrificia Deo.

Hebraice habetur. Et accepit holocaustum. s. ad immolandum. Et aduerte quod nomē holah, i. holocaustum non

non sonat totum incensum vt ferè omnes antiqui putarunt, sed sonat ascendens, id est, sacrificium quod totum in fumum ascendit ad Deum. Nam alah, à quo olah, id est, holocaustum, significat ascendere, non incendere. Et quod sequitur.

Et sacrificia, putarem per sacrificia, intelligenda pacifica, seu integritatis, id est, quæ pro domus integritate, & incolumitate solebat offerri: quoniam infra dicitur, Moseh & Aharon, & seniores Israel, inuitatos ad hoc sacrificium. Non licebat autem sæcularibus, de alio quàm de pacifico sacrificio edere. Si autem quæras, per quem sacerdotem, obtulit, cum nondum esset constitutus sacerdos. Caietanus dicit, Iithro per se ipsum obtulisse: quia textus habet eum accepisse holocaustum, sed non puto Deum permisisse gentilem idololatram, ei obtulisse, sed per Moseh hoc factum fuisse, aut quod verius credo, eum post sacerdotum institutionē venisse, licet res ante referatur. Nam in fine capitis decimnoni sequentis, dicit Dominus Moseh. Ascende tu & Aharon tecum, & sacerdotes: nisi dicas sacerdotes pro principibus poni, quoniam dictio chohen, vt sæpe admonui, nō solum sacerdotē, sed & principem significat. Et quod sequitur.

Coram Deo, arguit tabernaculum iam constitutum: aut si mauis, coram Deo, id est, coram columna nubis & ignis, in qua erat Deus

Stabat populus super Moseh.

Notat hic textus, populi importunitatem, qui quasi aues, stabant super eum, postulantes iudicium. Quia in re aduerte, quanto plura vident in rebus, qui eas ab extra contemplantur, quàm qui administrant.

Ad quærendum Deum, id est, ad consulendum per me. *Ostendit statuta Dei & eius leges.*

Ad duo videtur populus conuenisse ad Moseh: alterum ad iudicium, alterum ad legis explicationem, & promulgationē. Aut dicit, se eis ostendere statuta Dei in iudiciis, discernendo inter eos.

Cadendo cades, id est, deficies. *Grauior præ te res*, id est, grauior quàm vt eam solus possis sustinere, & quæ te facilè opprimat, vt statim explicat.

Consulam tibi & erit Dominus tecum, scilicet si meo acquiescas consilio.

Esto tu populo coram Deo.

Non plene constat quid significet nomen mul. Verbum mul, significat circuncidere, scindere, seu diuidere: quoniam scindens, dinidit id quod scindit: vt Psal. 118. In nomine domini, quia amilim, id est, diuidam, aut scindam, in eis seu eos. Vnde locus iste, posset sic reddi. Esto tu populo, diuisio ad Deum: ac si dicat. Sis intermedius inter populum & Deum, aut, vt diximus. Sis diuisio inter Deum & populum. Si tamē vertas coram, non prohibeo: quoniam infra. 26. 28. 34. & 23. ponitur pro eregione, coram. Et si (mul) esset à radice mulel, quod est loqui, optimè quadraret, sed cum non consentiant Hebræi grammatici, tenenda est sententia præcedens. Posset non male sensus sic reddi. Esto tu populo, præcise ad Deum. Sed meo iudicio, sensus iste germanus est. Esto tu diuisio populi ad eum, id est, sis medius inter populum & Deum: quem sensum sequentia probant.

Et venire faciesverba vel causam eorum ad Deum. Monebis eos statuta & leges.

Significatio hæc verbi zahar, scilicet monere, videtur vbique congruere, verbum tamen, potius videtur significare annuntiare, maximè explicando, & declarare: vt patet Dan. 12 Qui intelligere fecerint alios, iazhiru, id est, splendescent, sicut splendor firmamenti, aut clarescent. Vnde nomen zohar splēdorem significat. Potest ergo esse sensus.

Et annuntiabis populo statuta, & leges, aut declarabis eos. *Et docebis eos viam, qua ambulent*, aut. Et docebis eos, & ambulabunt in ea.

Tu videbis ex omni populo, viros fortitudinis.

Significat verbum chazah, videre, vt patet Isai 1 Visio Isaiæ, quam chazah, id est vidit, super Iehudah & Iesusalem, sed turbat hanc significationem, id quod dicitur Iob. 8. vbi nostri vertunt. Iuxta domum lapidum techezeh, id est, complicabitur. Sed, vt sæpius admonui, nolunt expendere, an propria significatio conueniat, ideo eam tam facilè mutant. Inuenies verò nusquam melius, quàm hic cōuenire, si vertas. Domus lapidum videbitur. Quod autem sic interpretandum sit, ex verborum connexione cōstat. Nam ante hæc verba, dicit Bildad. Iuxta fontes radices eius complicabuntur & sequitur. Domus lapidea videbitur. Loquitur autem ibi, de impio, qui spectantibus, videtur firma radice teneri, sed statim eradicatur. Dicit ergo. Iuxta fontes, radices eius complicabuntur, ne scilicet facilè eradicetur: & tamen firmius videtur, his qūi eum consiederant, vt videatur domus lapidum, id est, lapidea, quæ non facilè euerti potest, & ille proculdubio, est illius literæ germanus sensus.

Viros fortitudinis. Significat chaiil, proprie exercitum, & ex consequenti fortem. quòd tales soleant ad exercitum venire, i. per viros exercitus, possumus nō solum sortes sed ordinatos, seu qui optimè ordinare sciunt, quales sunt viri exercitus, intelligere. Illi enim optimè norunt, alios gubernare. Si tamen fortes interpreteris, non male vertas: qui scilicet sint fortes, tam corpore ad laborem sustinendum, quàm ad repellendum eos qui alios perturbant: quam animo qui scilicet non timeant alios, neque facilè flectantur in alteram partem: qui licet non debeant homines timere vt eorum timore à recto declinēt, debent tamē Deum metuere superiorem, qui eorum gesta iudicaturus est: iuxta illud Psal. Deus stetit in Synagoga deorum: in medio autem Deos, id est, iudices diiudicat.

Viros veritatis, id est. qui veritatem loquantur, & faciant. Aut viros stabiles: quoniam amant, à quo emet, id est, veritas non solum verificare, sed stabilire significat: ac si dicat. Non solum sint fortes, vt neminem timeant mortalium, sed stabiles in sententiis suis, non mutabiles, non varij: quod maximè in iudice expetendum est.

Odientes auaritiam.

Verbum basa, varia Hebræis significat, scilicet concupiscere, calummiari, vel opprimere, vim facere, perficere, in frusta concidere. Sed si quis penitus, loca quibus verbum ponitur, expendat, videbit, solum significare complere, & satiari. Chabachu. 2. Veh bosea besa, id est, implenti se, impletione, id est, qui vult implere se, diuitus male partis: quod Hieronymus vertit. Veh qui congregat auaritiam malam Ioelis. 2. Super gladios deficient se, non libsau, id est, non complebunt, scilicet se, seu non finient dies suos, aut non implebunt occisionem suam, ac si dicat. licet se vulnerent, non tamen occident, seu complebūt se. Quod verò complere, seu implere significet, constat Threno. 2. bisa, id est, compleuit Dominus sermonem suum. Et Isaiæ. 10. Et erit cum Iebazā, id est, compleuerit Dominus, omne opus suum. Item Iob. 6. Solnat manum suam, & base eni, id est, compleat me, seu finiat me. Et clarius Zacha. 4. Manus Zerubabel fundauerunt domum hanc, & manus eius tebasanah, id est, complebunt, seu perficient. Vnde nomen besa, quod hic ponitur, significat proptie completionē, seu impletionem, aut satietatem, & locus sic vertendus est. Odientes impletionem, id est, qui nolint, sese diuitiis, & bonis impleri, sed contenti sint necessariis. Nam qui impleri nolunt, nunquam satiantur. Quod idem est, quod non esse auarum: quoniam auarus nunquam satiatur. Significantius tamen dixit. Odientes impletionem. Vbi aduerte sex conditiones, quas prudens senex, in iudice requirit, scilicet quod sint præuisi ex populo, id est, electi consideratione præuia. Secunda viri, non fœminæ: quoniam ineptæ sunt fœminæ ad iudicandum. Tertia fortes: vt scilicet nullum hominum timeant, iuxta illud Eccle. 7. Noli velle fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere in iniquitates. Quarta timentes Dominum, scientes se illi rationem reddituros, de administratione iustitiæ. Quinta viri veritatis, quoniam qui mendaces castigare debet, longè esse debet à mendacio. Sexta

Universidad de Deusto
Biblioteca

odientes impletionem, id est, qui sint necessariis contenti, aliàs nihil rectè iudicabunt. Quod si in. 5. interpreteris stabiles, qui scilicet non varient huc illuc iudicium, optimè intelliges. Ex quibus tres præcipuæ sunt, scilicet quod sint fortes, nemiaem nisi Deum timentes, quæ est secunda. Quod sint stabiles, & quod iniectionem odiant.

Pones super eos tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos.

Patui refert quod Hebraicè habetur, principes millium, principes centum, principes. 50. & principes. 10.

Si verbum hoc feceris, & præceperit tibi Dominus, & poteris stare.

Obscurè ponitur hæc clausula in Hebræo, & tripliciter potest intelligi. Primo sic. Si feceris rem hanc, poteris audire præcepta dei, seu vacabit, vt audias quę præceperit Dominus, & poteris stare. Nam duo dixerat illi, scilicet quod cadendo caderet, & quod esset populo coram Deo: vt scilicet venire faceret causas eius ad Deum, & annuntiaret illis statuta, & leges Dei, & hæc duo replicat modo, præpostero ordine. Si feceris quod consulo, poteris audire quæ Dominus præcipiet tibi, id est, præcepta quæ dederit tibi ad populum, & non cadendo cades, id est poteris stare, & laborem ferre: ac si dicat. Modo ob multitudinem causarum, vix potes audire præcepta, & leges Dei, ac docere eas populo, & simul stare, sed si mihi credas, vt scilicet omnes iudicandi distribuas, vt maiora tantum iudices, habebis tempus, ad audienda, & explicanda, seu annuntianda præcepta eius populo, & non cadendo cades. Et iste, meo iudicio, est sensus germanus huius loci. Secundus est. Si rem hanc, quam consulo feceris, facies quæ præcepit Deus, & poteris stare. Et iste est sensus vulgatæ editionis: Tertius est, si hoc feceris, præcipiet tibi Deus. i. gratum habebit. Sed neuter istorum placet.

Verbum grave adduxerunt ad Mosen, id est, alicuius momenti rem, seu causam adduxerunt ad Moseh. Diximus Gen. 35. de significatione verbi chassali, id est, graue, aut durum esse: ibi vide.

CAPITIS. XVIII. AD MORVM elegantiam.

Vxit Iethro Sipporah, vxorem Moseh.

Ostendit locus iste, quam molestum sit patri, filiam coniugatam penes se habere, maxime cum filiis, vt cogatur senex, eam verò restituere. Vbi simul docemur, non esse permittẽdam vxorem sine viro suo esse: sicut neque virum sine vxore sua, Tertio longè esse debere à concubitu, etiam vxorum: qui Deo, & spiritualibus vacant. Nusquam enim legimus Moseh, vxorem aut filios quęsiuisse, sed neque illorum meminisse, quod fortius est. Didicerunt enim viri Dei, propter Deum, vxorem, filios, patrem, & matrem, ac fratres dimittere: quẽadmodũ carnales propter filios, vxorem, patrẽ, & matrem, Deum ipsum relinquere solet.

Post dimissionem. Quàm onerosum matrimonium sit: hic ostenditur: quoniam sanctus Moseh postquam vxorem semel à se ablegauerat, repetere non curauit.

Quia dixit peregrinus fui in terra aliena.

Solebant sancti patres, nominibus filiorũ suorum, statum vitæ suæ referre: & diuinorum beneficiorum meminisse.

Alterum elhezer, id est, Deus patris mei adiutor meus.

Laudabilis valde consuetudo, filios, à beneficiis Dei nominare, vt quoties eos videris, dei beneficiorum memores: quam cõsuetudinem, vtinam nunc omnes haberent.

Egressus est Moseh in occursum eius: et adorauit, osculatusque est eum.

Præter gratitudinem, & humilitatem, docet sanctus Moseh eos, qui ex humili progenie, ad magna euehuntur officia, suos humiles non spernere, sed summe honorare, & taxat eos, qui cùm in sublimi loco sunt, humilitatis suæ & suorum, non amplius recordãtur, imò

neque parentes, fratres, aut alios consanguineos: in sua sublimitate cognoscunt. Præpositus erat à Domino, sanctus vir, innumerabili multitudini, & nihilominus, socerum Æthiopem honorat, audit, & quod summæ est humilitatis, adorat. Vt hinc discas, seruorum Dei hanc esse cõsuetudinem, vt tanto sint humiliores, quanto Deo propinquiores, & quanto magis à Deo euehuntur. Quoniam ipse humilitatem, disciplinam, & scientiam, suos continue docet.

Narrauit Moseh socero, omnia quæ fecerat Dominus Pharaoni.

Narranda & prædicanda omnibus sunt, beneficia Domini, non solum quæ in nos, sed etiam quæ in proximos collocauit: præsertim præclara gesta, quæ pertinent ad eius gloriam, & honorem. Sic & labores populi narrat, & qualiter dominus eos, ab eis, eripuerit. Tã mala, quàm bona, ad gloriã Dei narrãda sunt. Amicis, bona, & mala, narrãda sunt. & potius mala, quã bona, vt cõdoleãt, inimicis verò potius bona, vt inuidia torqueãtur. Mala verò minime, ne eis lętẽtur. Nolite (inquit Dauid cũ certum nuntium de morte Saulis audisset) annuntiare hæc, in Get (quæ vrbs erat Philistinorum) ne forte lætentur, filiæ incircunciforum. 2. Reg. 1.

Lætatus est Iethro. Non solum de bonis aliorum lætatus est, sed in gratiarum actiones prorupit, dicens, Benedictus dominus, qui eruit vos, de manu Ægyptiorum. Bonus proximus, qui non solũ cum populo gaudet de bono eorum, sed pro eis, & eorum beneficiis gratias agit Deo. Vtinam fratres mei, de beneficiis nobis exhibitis, grati essemus: tantum abest, vt de aliorum beneficiis Deo gratias reddamus. Nos nostra vix cognoscimus, iste, aliena in Deum refert, & gratias rependit.

Eo quod superbe egerunt contra eos.

Dignus est, serum amittere, qui eius superbe dominatur, qui natura, par Domino suo est. Quam ob rem Dominus postmodum Iudæis præcipit, ne seruis suis superbe dominentur.

Obtulit holocaustum & sacrificia.

Non satis fuit bone senex, lætari de bonis proximi, aut pro eis, domino gratias agere, sed (quod omnium summum esse videtur) sacrificia offert, pro illorum libertate. Quibus omnibus, quid aliud agit, quàm nostram ingratitudinem taxare?

Venit Aharon, & omnes seniores Israel, ad comedendum panem coram Domino cum Iethro.

Honorandi sunt hospites extranei nobiles, à nobilibus, etiam si apud alios, recipiantur hospitio. Vbi simul Dei dignationem mirare, qui suos libenter videt coram se comedentes & bibentes, quasi bonus & pius Dominus, qui summa auiditate, videt suos epulari, & bibere quo taxat auaros dominos, qui velint suos continuo ieiunare, & vix dant eis, quę sibi necessaria sunt: vt discas, quid valeat Domino seruire.

Stetit populus iuxta Moseh, à mane vsq; ad vesperam.

Audiant hęc delitiosi iudices nostri, qui vix ad horam, ferunt litigantium importunitatem. Omitto principes, quibus maximum piaculum est, causas audire: cum hoc eorum præcipuum munus sit. Vbi simul expende, quod dicitur, eos stetisse, iuxta, aut super Moseh: nostros verò, nemo audet tangere. Aduersus quos Dominus apud Isaiam. Principes (inquit) tui, infideles, socij furum, pupillo non iudicant, & causa viduæ, non ingredietur ad eos. Isaiæ

Et vidit socer Moseh. Docet senex iste, & si barbarus natione, nos cùm aliorum regna, & terras ingredimur, mores tam bonos, quàm malos explorare, & si possumus, malos corrigere. Et conuincit locus iste, eos qui sese curiosos spectatores exhibent, oculatius, cuncta rimari & videre, quàm videant ipsi, qui munus administrant. Quare non ægreferant artifices, si ab aliis taxentur in operibus suis. Considerauit enim, & deprehendit senex iste, in officio ducis, & iudicis, emendãda, quę ipse Moseh cum esset à Domino edoctus, vix considerabat. Similiter onera ducis esse distribuenda, ad alleuiãdum eũ: vt possit sese melioribus exercere: tum etiam

etiã, vt populus, facilius à negotiis expediatur. Ex quo loco discãt principes, qui omnia scire, & per se tractare volũt, cũ vix ad pauca sufficiant, causas per alios: ideoneos tamen administrare. Nam si per se cuncta expedire velint, & cadent ipsi, & populus, in suis operibus, maximum patietur dispendium. Annotauit B. Greg. in. 2. p. cap. 9. Pasto. in gestis huius gentilis, qualiter in firmi in fide, aut qui scientes videri volunt, a viris spiritualibus tractandi sunt, vt scilicet quamuis eis sapientiores sint, fingant se tamen, eorum consiliis indigere: vt saltem sic, eos Domino lucrẽtur. Sic & Paulus, cum Romanos videret, de sua potestate & scientia presume re, & diceret: Cupio venire ad vos, vt aliquid impartiar vobis, spiritualis gratiæ, statim, eorum arrogantiæ non immemor, sententiam corrigere videtur dicens, id est, simul cõsolari in vobis. Nam quia cogitauerat eos, cum legissent dicturos. Quis tu, vt doceas nos: doctrinam in consolationem vertit. Rom. 1.

Iudico inter vtrumque, & notifico statuta Dei.

Hæc duo, sunt principum munera, scilicet leges explicare: & ius suum, cuique tribuere, seu ius dicere.

Audi vocem meam, & consulam tibi.

Tenemur, etiam non petentibus, consilia præstare, cum nobis, egere videntur.

Considera ex omni populo viros fortes.

Præcipuum opus principum est, ad examen hominum ad iudicandum, oculos super omnẽ populum habere, vt ex eo rectores deligant. Ad viuũ etiam depingit prudens senex, & gẽtilis, quales debeãt esse iudices: cuius gnomon, vtinã nostri principes, manu tenerẽt, cum iudices in republica constituunt. Et mirũ valde est, quod inter iudicis cõditiones, scitiæ non meminerit, quod scilicet essent viri sciẽtes: vt doceret, quod non tã exigitur in iudice scientia: quàm fortitudo, & stabilitas, & vt auaritiæ sit expers. Magis enim in iudice, expetẽdus est rectus affectus, quàm perspicax intellectus. Notauit etiam hic quidam, a iudice, non solum exigi, vt expres auaritiæ sit, sed quod maius est, odio eam habeat: vt discat, quàm longè ab ea, esse debeat. Nulla enim passio humana, ita infectari iudices videtur sicut auaritia: ideo, eam maximè fugere docet.

Pone super eos tribunos.

Considera, quàm examinatas voluerit senex prudens, iustitię causas, vt prius decanorum iudicium subirent, postea quinquagenorum: tertio centurionum, & vltimo tribunorum. Vbi simul aduerte, qualiter secundum causarum difficultatem & multitudinem, iudices multiplicauerit, vt ad supremas mille, ad inferiores cẽtum, ad alias infimas quinquagenarios & decanos: vt nos doceat, pluribus oculis opus esse, ad difficiliores, quàm ad alias causas.

Iudicabunt populum omni tempore.

Admonentur hic iudices, paratos semper esse ad iudicandum: ne populus remoretur in expectando iudice, aut iudicio.

Paruit Moseh voci soceri sui.

Mirabilis humilitas sancti Moysi: qui cùm esset sapientissimus: patitur se à gentili doceri, & omnia quæ consulit, facit: qua in re docentur sapientes, aliorum audire consilia, etsi visum fuerit, acceptare, & se pati, in aliquibus quæ non considerant: ab aliis edoceri.

CAPITIS. XIX. IVXTA LITERAM annotationes.

In die ipsa, qua scilicet completi sunt tres menses ab egressu de Ægypto.

Venerunt in desertum Sinai.

Et videtur ex hoc loco, desertum vocari Sinai, potius quàm montem: licet aliquando sic vocetur mons: vt hoc eodem capite monstratur: qui à sinu Arabico, 600. fere miliaribus Italicis distare dicitur.

Et Moseh ascendit ad Deum.

Crediderim, ex Domini præcepto conscendisse.

Sic dices domui Iacob: & annuntiabis filiis Israel.

Non immerito quæras, cur Iehudæi, dicantur domus Iacob, & filij Israel, potius quàm domus Abrahæ, & Isaac, ac eorũ filij. Et putarem hoc ideo fieri, quòd neq; Abraham, neq; Isaac, habuerint tot proles, quę merito domum constituerẽt: cùm tam Abraham, quàm Isaac, binã duntaxat habuerint prolẽ, aut si mauis vnicam: quoniã altera non reputabatur in semen: Iacob verò 12. habuit filios, qui omnes, ad sanctum semẽ pertinebant. Vocat autem (vt sæpius diximus) Hebraismus domum, posteritatem & prolem, præsertim copiosam. Vocantur autem filij Israel: quoniã diuisus erat populus per tribus: quarum capita fuerunt filij Israel.

Vos vidistis quæ feci Ægyptiis, id est, quę illis mala ob vestram liberationem intuli.

Et portaui vos, super alas aquilarum.

Significat nassa, proprie portare, præsertim supra se, & eleuare: vt supra. 10. capite annotauimus. Et quod dicitur super alas, dictio chanaph, significat proprie alam, & ex consequenti fimbriam, quod modum alæ habeat, & sic extẽdatur, & colligatur. Neser verò aquilam significare dicitur, licet non plene constet, eam significare: quoniam, vt iam in regulis admonuimus, ignorant Iudæi, significationes nominum, significantium certum auium, ac iumentorum genus. Quod ex sacris literis colligitur, est significare auem, velociter volantẽ, vt patet. 2. Samue. 1. vbi dicitur Minesarim. i. aquilis velociores, aut auibus illis. Idẽ Threno. 4. Est autem sensus. Vos vidistis mala, quę vestri causa Ægyptiis intuli. Et portaui, vel leuaui vos, super alas aquilarum, id est, tam securè, ac si super alas aquilarum portaremini. Volat enim aquila, alte valde: quam aliquis non potest, iaculo aut missili petere. In quem sensum arbitror, Dauidem dixisse, Tu es Domine, spes mea, altissimum posuisti refugium tuum, quod scilicet nemo attingere potest. Vnde sequitur. Non accedet ad te malum, & flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo. Posset etiam esse sensus. Vos vidistis quę Ægyptiis fecerim, amore vestri, & portaui vos super alas aquilarum, id est, tali, ac tanto amore, sicut aquila, cum mutat nidum suum, aut pullos: ab vno, in alium locum. Erant enim Iudæi in Ægypto quasi pulli, sed afflicti, occisi, male tractati: Dominus verò, quasi aquila, quæ ex malo loco, pullos suos, in bonum transfert, ab Ægypto, vbi tam male vexabantur, transtulit in terram bonam, & opulentam, vbi neminem timerent. In quẽ sensum puto, Dauidẽ dixisse. Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti gentes & plantasti eã. Quod enim Dauid vineã vocat, hic nidum aquilarũ, dici puto. Et quod sequitur scilicet & adduxi vos ad me, huic sensui concordare videtur. Et tunc cõgruit, id quod de aquila Hebręi dicũt quod videlicet, super alas nidũ portet, cùm illum mutat. Confirmatur hic sensus, ex eo, quod Deut. 32. habetur: vbi sic dicit Moseh. Custodiuit eũ, scilicet Israel, vt pupillam oculi sui. Vt aquila, quæ excitauit nidum suum, super pullos suos, cubauit. Expandit alas suas, accepit eum: portauit eum super alam suam, vbi pulchre describit, quomodo Dominus, populum quem aquilæ nidum vocat: ex Ægypto, in terrã sanctam portauerit, sub similitudine aquilę quę cum nidum suum, seu pullos ex vno in alium locum transferre vult, duo in itinere facit. Nam aliquando alis suis, pullos tegit, cubans super eos ne multum eleuentur, quãdoq; cum eos fessos viderit, alas extẽdit sub eis: vt sic eos teneat, ne decidere contingat. Prius ergo excitat nidum nolentem egredi, postmodum in via quamdiu vires ad volandum habet tegit: quos si fessos viderit, alis extensis sustentat.

Eritis mihi thesaurus dilectus.

Vnica est in Hebræo dictio, scilicet segulah, cuius sig-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nificatio non plene nota est Hebræis: videtur tamen significare pretiosum, aut charum, seu peculiare quid. Eccle. 2. dicitur. Coaceruaui mihi argentum, & aurū, vt segulah. i. & pretiosum, aut peculiare. Psal. etiam 134. habes. Quoniā Iacob elegit sibi dominus: Israelis segulato. i. in pretiosum, aut peculiare sibi. Malach. 3. Erūt mihi, dicit dominus, in die, qua facio segulah. i. singulare, aut separatum. Sic. 1. Paralipo. 29. dicit Dauid. Et adhuc propter voluntatē meam, in domo Dei mei, est mihi segulah, id est, peculiare, aut pretiosum, aurum & argentum. Hic videtur etiam pretiosum, seu peculiare significare quia sequitur.

Præ omnibus populis. Vnde inter hæc significata, pretiosum videtur magis conuenire.

Vos eritis mihi regnum sacerdotum, & gens sancta, id est, eritis mihi regnum tam mūdum, tamque impollutum, ac si omnes essetis sacerdotes: quos mundissimos esse volo. Quē sensum sequens clausula explicare videtur, vt mos est sacræ scripturę, vt patet infra cum dicit. Sanctifica mihi populum, hodie & cras: & in quo huiusmodi sanctificatio cōsistat, statim explicat. Et lauet inquit vestimenta sua. Nam sequitur.

Et gens sancta, id est, separata à pollutionibus. Hebræis enim, idem est sanctum, quod ab immundiciis separatum. Alio modo potest sic locus explicari. Eritis mihi regnum sacerdotum, id est, per sacerdotes administratum, non per prophanum regem. Voluit enim Dominus, vt constat ex primo lib. Samuelis, regnum Israel, per sacerdotes vicarios suos administrare, & arguit eos Samuel, quòd præter Deum, & summum sacerdotem, alium regem voluerint sibi designari. Potest & tertia interpretatio addi, hæc, scilicet. Eritis mihi regnum sacerdotale, id est, cultu diuino applicatum, sed prior sensus aliis præferendus videtur: quod si chohanim principes interpreteris, sensus erit. Vos eritis mihi regnum principum, ita quod omnes eritis quasi principes, nemini nisi mihi subiectos sicut contigit cum non erat Rex in Israel, & vnusquisque, quod volebat faciebat Iudicium. 18.

Venio ad te in densitate nubis.
Aut in multa nebula. Nolebat enim Dominus videri à Moseh: neque à populo, ideo in nube multa, seu densa: se venturum prædicit, scilicet ad loquendum cum eo.

Et credant tibi in sæculum.
Cùm enim viderint, me tecum loqui de nube: cognoscent, te vera sibi ex parte mea loqui.

Sanctifica eos hodie & cras.
Id est, præcipe ab immundiciis separari: vt, scilicet non tangant rem pollutam, & lauent corpora, & vestes: vbi explicat, quid sit sanctificare, scilicet mundare se, & vestes.

Sint parati in diem tertium.
Verbū chum, significat etiā firmare: vnde verti posset: sint certi, & firmi in diem tertium: vt scilicet non extendant, aut minuant dies, sed prior interpretatio verior est. *Iaculando iaculabitur*, aut iaciendo iacietur, id est, iaculis confodietur. Aut si deiiciendo deiicietur legas, sensus erit, quod ab alto loco præcipitabitur: sed prior interpretatio magis placet: quoniam videtur vel le Dominus, eum iaculis peti loco lapidum: qui ad montem accederet.

Cum protraxerit buccina.
Verbum iabal, Hebræis significat ducere, sed verius videtur significare extendere, protrahere. Inde fructus arboris, dicitur iebul, ab extensione, seu suspēsione, qua ab arbore suspēditur, maximè botrus seu racemus, iuxta illud Chabbacuh. 3. Et nō erit iebul. i. racemus, seu suspēsum, in vineis: vbi alij fructū vertunt. Inde etiam est Iobel. i. iubileus, & ex cōsequēti buccina ex cornu, maximè arietino, quod ea, anno iubilei, fieret sonitus. Clangebatur enim buccina, in principio anni Iobel: vt omnes, se liberos esse scirēt. Et videtur quòd buccina dicatur Iobel, iuxta verbi, à quo deducitur significationē, ab extensione seu productione. Et forte annus iubileus, sic dictus est, quod extenderetur à. 50. in. 50 annos, & videretur productus valde, præsertim his, qui in seruitute erant. Et est sensus, quòd cum buccina sonum protraheret, liceret ascendere in montem.

Sanctificauit populum. Non aliam sanctificationem hic intelligo, quàm separationem ab immunditiis, vt scilicet non esset inter eos aliquis, qui aliquod tetigisset immundum, aut sanguine, vel semine, esset fœdatus, qui corpus non lauaret & vestes. Et ad vitandā seminis immunditiam, præcepit eos non appropinquare vxoribus suis: ita vt tam corpora, quàm vestes mundas haberent.

Fuerunt tonitrua. Hebraice est. Fuerunt voces. Vocat enim Hebraismus tonittua, voces Dei: iuxta illud Psal. Altissimus dedit vocem suam, grandinem & carbones ignis. *Psalm.*

Nubes gratuis, id est, densa & spissa valde.

Commotus est omnis populus.
Hebræi, & nostri, vertunt. Expauit omnis populus, sed verbū charad, videtur potius significare moueri, commoueri, & si terreri aut timere, ideo est, quia timentes & territi, corde commoti sunt, & nonnunquàm corpore, tremētes quandoque ex metu.

Egredi fecit Moseh populum in occursum Domini.
Dominus enim veniebat ad eos, vt eis videbatur: quoniam voces, & fulgura, & nubes densa, in qua erat Dominus, indies ad eos appropinquabat.

Steterunt in inferiori parte montis.
Hebraice. *Sub monte*, id est, ad rādices montis, citra terminos præfixos.

Et mons Sinai fumabat, totus ipse à facie. scilicet Domini, id est, ante Dominum, quòd scilicet descendisset Dominus super ipsum, in igne: id est intra speciē ignis, quæ apparebat.

Et tremuit omnis populus valde.
Hic vt superius, verti posset. Et commotus est.

Et fuit vox buccinæ iens, id est, protensa, seu crebra & fortis valde. Neque intelligendum est, extensiue vocem buccinæ creuisse: quoniam vt dictum est, hoc erat signum recessus Domini, à monte, sed intensiue: nisi dicamus eam extendi, quoniam appropinquabat ad populum.

Respondebat ei, voce scilicet humana. *Ne forte destruant*, scilicet terminos præfixos.

Ad Dominum vt videant illum, scilicet curiositate quadam ducti.

Et etiam sacerdotes, appropinquantes ad Dominum sanctificabuntur se, scilicet separando se ab immunditiis. Sed cum nōdum essent sacerdotes instituti à Domino, dubium est qui sint isti sacerdotes. Et Hebræi dicunt fuisse primogenitos filiorum Israel, qui tunc sacerdotio fungebantur. Dictio Hebraica cohen, nō solum sacerdotem significat: sed etiam principem vt sæpius admonuimus, & posset verti, & principes, sed quia additur, qui appropinquant Domino, videtur quòd de sacerdotibus sit sermo. Legimus autem cap. 24. sequēti, pueros principum filiorum Israel, obtulisse Domino holocausta, & sacrificia pacifica. Vnde videtur accepiendum, filios primogenitos principum, ante sacerdotio functos: licet hoc mihi nō plene satisfaciat, ideo crediderim sacerdotes iā institutos, licet scriptura hoc postmodum narret. Manifeste enim conuincitur, scripturam sæpius, non seruare ordinem rerum gestarum: vt cap. 24. sequenti manifestauimus. Admonet autem sacerdotes peculiariter: quoniam forte videretur sibi licere, ad Dominū accedere, propter munus sacerdotij, ob quod in sacrificiis accedebant ad Dominum.

Ne forte diuisionem faciat in eis Dominus.
Multas & varias significationes, Hebræi tribuūt verbo paras. scilicet diuidere, diruere, cogere, multiplicare, transire terminum. Sed si quis restè loca quibus ponitur, expendat, deprehendet solum significare diuidere, seu scindere, & multiplicare, quòd id quod diuiditur, multiplicetur in partes, & de priori significatione exemplum habes. 2. Samue. 5. vbi dicitur. Paras, id est, diuisit seu extendit Dominus inimicos meos, sicut diuiduntur, seu extenduntur aquę. De. 2. verò Gen. 28.

Vparasta,

Vparasta, id est, extendes te, seu creses ad occidentem quo in loco, abundè de significatione verbi, disseruimus. Vnde locus iste posset sic reddi. Ne forte scindat eos, seu diuidat eos comminuendo.

Termina montem, id est, pone terminos, quos non liceat populum præterire.

Et sanctifica eum, scilicet, montem, id est, sanctum declara, vt nemo audeat eum tāgere, quemadmodum non licebat tangere rem sanctam, seu cultui diuino applicatam.

Sacerdotes & populus non destruant, scilicet, terminos præfixos. Inuitat locus iste, acceptare quod supra diximus: dictionem, scilicet, cohen, non significare hic sacerdotes sed principes. vnde verti posset. Principes & populus non destruant terminos. Et quod diximus sacerdotes accessisse ad Dominum, etiam potest de Principibus verificari, qui etiam appropinquabant ad deū: vt constat capite. 24. sequenti: & multis aliis locis. Sed si sacerdotes vertas, non damno.

CAPITIS. XIX. AD MORVM elegantiam.

Cæstrametati sunt in deserto, è regione montis.
Exigit doctrina, secessum, & à mundanis curis expeditum hominem, ideò Dominus: Iudæos in desertum locum induxit: vbi expeditiores ab omnibus facti, cœlestis doctrinæ essent capaciores. Apud Hosęam legis. 2. cap. Ecce duco eam in solitudinem: & loquar ad cor eius. Et quod additur.

E regione montis. insinuat Deum aptissimum ad docendum, selegisse locum, vt veluti Doctor, ex eminentiori loco, monte, scilicet, posset diuinam, ac cœlestem doctrinam, in suos effundere.

Vos vidistis quæ feci Ægyptiis.
Non tam gratum est homini, vt eius gratia, amicos illius diligas, aut eis benefacias, quàm vt inimicos eius odias, & malefacias eis: & quoniam Dominus nouerat, hoc summè placere Iudæis, hoc illis primum, inter collata beneficia proponit. Sic & Malachiæ primo, eis dicit. Dilexi vos, & quærunt in quo? id est, Quæ sunt signa dilectionis, quæ ostenditi nobis? Nonne (inquit) frater erat Esau Iacob, & Iacob dilexi. Esau verò odio prosequutus sum, & posui montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius, in draconces deserti? Conquerebatur etiam sæpius Saul, quòd nemo esset, qui eius gratia oderet Dauid. Audite (inquit) filij gemini. Etiam omnibus vobis, dabit filius Isai agros, & vineas: omnes vos ponet tribunos, & centuriones, quia coniuratis aduersum me, & non est qui ex vobis, aperiat aurem meā, cùm fœdus inierit filius meus cum filio Isai, & non est, qui doleat super me. *Hieron. 22*

Tuli vos super alas aquilarum.
Securi valdè sunt serui Dei, vt alas aquilæ, oporteat eum prius percutere, qui eos lædere nititur. Qui vos (inquit) tangit, lædit pupillam oculi mei. Non dicit, qui vos persequitur, aut occidit, neque qui nos vulnerat, sed qui lædit. Neque dicit, tangit corpus meum, pedem, aut brachium, vel saltem oculum: sed pupillam oculi: cuius dolor intensissimus est, & acutus valdè. Et Ierem. 2. Sanctitas Domino Israel, primitiæ frugum eius: omnes deuorantes eum delinquent: malum veniet super eos. Isthuc pertinet quod sequitur. *Zach. 2.*

Eritis mihi peculiare aut pretiosum quid.
Quemadmodum Deus, te vt rem pretiosam protegit, custodit, & recondit: ita vult te eum habere vt quid pretiosum, & desiderabile, quemadmodum Dauid habebat, qui in Psal. ait, iuxta veritatem hebraicam. Dixi Domino, Deus meus es tu, bonum meum non est supra te, id est, aliud à te, aut quod plus diligam. Nam quemadmodum auarus plus in pecunia, quàm in corpore, cor suū habere videtur, ita Deus apud eos quos peculiariter diligit. Quem amorem erga se petebat in Canti. sponsa dicens. Pone (inquit) me, sicut signaculum super cor tuum. *Psal. 15.*

Eritis mihi regnum sacerdotale.

Beatus populus, cuius Dominus rex eius. Audis hic, quales esse oporteat eos, qui regnum Dei esse debent, nempè mūdos & ab omni labe separatos, quales sunt sacerdotes Dei: vt in eorum munditia, & puritate appareat, cuius sint serui. Si enim Reges mortales, caro & fenum, tales petunt seruos, vt dicat Dauid, eum sibi administraturum, qui ambularet in via immaculata, cur non potius Deus?

Vocauit seniores populi. Constat ex hoc loco, seniores & priores in populo, ipsius populi vices gerere. Mittitur enim Moseh ad domum Iacob, & respondetibus senioribus, totus populus respondisse perhibetur. Vbi simul aduerte, apud seniores situm fuisse, vt pro toto populo deligerent sibi Deum. Beatus ille populus, in quo senes eligunt, quæ toti populo conueniunt, non iuuenes, qui potius appetitum, quàm rationem sequuntur.

Omne quod locutus est Dominus, faciemus.
Facilè est legem, & præceptorum ac votorum obseruantiam polliceri, sed difficilè præstare. Mirum valdè est, quàm facilè homines, innumerabilia, etiam difficillima promittimus, & quàm difficilè implemus. Et isti ignari, an lex foret facilis, an difficilis, quia non intendebant implere, cuncta facilè pollicentur. Debebāt prius scire legē, vires metiri, numerare præcepta: sed clausis ferè oculis, cuncta promittunt, aut potius mentiuntur. Docent tamen nos, hanc mentem erga Deum habere: vt putemus eum, non impossibilia nobis præcepturum, ideò facilè promittere possumus, quæ ipse præceperit.

Ecce venio ad te in densitate nubis, vt audiat populus me loquentem tecum: & credat tibi.
Docet pulchrè locus iste, qualiter principes, debeant ministros suos maximè publicos honorare: ne quis de populo, audeat eos parūpendere. Si enim populus viderit ministros, minoris fieri apud Dominos: non curat eos, neque eorum verba. Sic fecisse Parhoh legimus, cùm Ioseph Ægypto prefecisset. Ego (inquit) sum Parhoh. Absque imperio tuo, non mouebit se quisquam, in Ægypto.

Sanctifica eos, hodie & cras. Vides quali munditia opus sit, ad colloquium cum Deo miscendum: & adhuc maiori, ad eum familiarius tractandum.

Pones terminum, per circuitum montis. Expende quæso locum istum. Sunt multi nostris temporibus Prælati, qui cuncta tuta esse arbitrantur, cùm leges posuerint, præcepta, & anathemata multiplicauerint, quo facto, securi in vtranq; dormiunt aurem, nihil laboris aut vigiliarum apponentes ad gregis sui custodiam. Non sic autem Dominus, sed postquam, semel atque iterum populum contestatur: sepem apponit, admonet sæpius, non transgredi. *Aduerte hoc.*

Cauete, ne ascendatis, neque tangatis.
Etiam hic, pulchram habent admonitionem Prælati: vt cùm velint præcepta sua à subditis seruari, prohibeant initia transgressionum. Ob hanc causam, fortè Dominus Euæ prohibuit (ea teste) arboris interdictæ contactum, ne contingeret eam venire ad esum. Sic & Christus Mat. 5. & 6. peccatorum initia tam seuerè interdicit, ne contingat in grauiora ruere. Quare & hic Dominus, non solùm prohibet montis ascensum, sed contactum. Ideò enim prohibet tangi, ne contingeret ascēdere. Optimum est, si quid præcepto prohibes, sepem aut murum addere: quoniā, vt apud Prouerbium est, in arca aperta, etiam iustus peccat. Vbi simul disce, quàm sit cauendum, peccati terminos accedere, si vis non peccare.

Non tanget eum manus. Execrabilis valdè res peccator, præsertim sacrilegus: vt manibus attrectari prohibeatur.

Tam animal, quàm vir. Voluit Dominus, suis legibus, in bruta etiam animaduertere: vt homines à peccatis deterreret: & scirent se propter peccata, meritas pœnas daturos: postquam viderent, animalibus brutis, & sine ratione, non parci.

Ne appropinquetis vxoribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sunt multi his temporibus, (vtinam non solum nomine) sancti coniugati: qui raro, aut nunquam, ab vxorum amplexibus, & thoro abstinent: & nihilominus frequentissime communicant, frequentius colloquia cum Deo miscere præsumunt, nihil coniugalem congressum, sanctitati obesse credentes: quibus frequenter, locus iste obiiciendus esset, vt sanctissima reuerentius tractare discerent, scirentque etiam corporalem immunditiam, puritati diuinæ officere: cognoscerentque, non solum cor, sed corpus, & vestes, & cuncta mundanda esse, cum ad Deum accedendum sit.

Ex quo loco ortum puto, apud Iudæos, quemadmodum. 24. cap. Gene. diximus, manus & vestes lauare, cum ad orationem accedendum esset. Nullus enim Iudæorum, orare præsumit: nisi prius manus quas Deo debet extendere, lauerit. Et licet Dominus in noua lege magis interiorem quàm externam munditiem diligat: non tamen corporalem omnino negligit.

Fuerunt voces, & fulgura: ac terræ motus.

Ad quid hæc domine Deus? Arbitratus est Dominus, quòd quoties lex eius, homini fragenda occurreret, tonitrua, ac micantia fulgura, quæ in eius promulgatione contigerant, ad memoriam reuocara, eum à peccato faciendo, deterreret, & ad memoriam reuocaret Deum, cuius leges frãgit, horum Dominum, tonitruo aut fulgure interficere, imò comminuere posse, sed humana malitia, diuinæ formidinis expers: Deum offendere: eiusque leges quotidie infringere non vereretur.

Educit Moseh populum, in occursum Dei.

Docentur pastores, diuini gregis: populum mundum: deoque acceptabilem ei offerre.

Commotus est mons valde. Ostendere voluit Dominus peccatoribus ac legum suarum violatoribus, quàm terribilem & potentem criminum suorum vindicem haberent: qui mouere terram potest: ac terræ hiatibus homines deglutire.

Contestare populum. Audis quanta sit diuina elementia, quæ toties admonet, ne transgressores punire contingat. Similiter quàm dura ceruix humana, vt non solum duplici admonitione, sed sepe ac vallo, opus sit, ad eam retinendam.

Ascendat ad Dominum, vt videat.

Effrenis valde est humana curiositas, & quæ vix compesci potest, ne videat, quæ Dominus voluit eam ignorare. Non Deum scrutari, sed amare oportet.

Etiam sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificent se.

Illi maximè admonendi sunt, vt aliquid faciant, qui se putant admonitione non indigere, aut sibiipsis fidunt: quemadmodum, admonendi sunt de munditia, apud Deum, qui se mundos, in cõspectu eius esse præsumunt. Illi de iustitia, qui suæ iustitiæ fidunt. Illi de fœditate, qui suam iactant pulchritudinem. Admonentur etiam Prælati, eos admonere, quos viderint negligentiores, in his quæ sibi necessaria sunt.

Non paterit populus ascendere.

Notanda admonitio. Non debet Prælatus, facile subditis fidere, sed ad custodiam, semper debet eos habere suspectos, & terminos, ac contestationes, & admonitiones multiplicare. Mosch enim tanquam nouitius Prælatus, facilè subditis fidit: ac vnica admonitione, videtur esse contentus: Dominus autem, qui nouit quid in homine mali lateat, admonitiones multiplicari, terminosque præfigere præcipit.

CAPITIS. XX. IVXTA LITERAM. annotationes.

EGo Dominus, *Deus tuus*, id est, quem teneris ex pacto patrum, vt Deum tuũ colere: sed vltra hoc, teneris me deum tuum habere, quoniam seruus meus es, quem eduxi de terra Ægypti, & de domo seruorum id est, in qua eras seruus: ac si dicat. Duplici iure mihi deuinctus es, scilicet, pacti & libertatis. Quoniam leges debent subditis tradi: ostendit prius, eos esse subditos suos, & seruos, vt sciãt se astrictos ad leges suas. Addit autem de domo seruorum, ne Iudæi causerentur, se eductos ex bona terra, in qua erant domini, aut saltem liberi. Malunt enim homines, in mala terra esse liberi, & dominari, quàm in bona seruituti addictos esse. Et est sensus.

De domo seruorum, id est, in qua eras seruus, & tractabaris veluti seruus: aut de domo seruorum, id est, de domo, in qua cum seruis, non cum liberis manebas. Solent enim homines nobiles, in domibus suis, mansiones habere diuersas, quasdam sibi, aut liberis, qui apud eos manent, alias verò viliores, ac deteriores veluti carceres, ad seruos, ex quibus, Dominus dicit se eduxisse illos: ac si dicat. Ex vilissimis domibus, in quibus manere solent serui, vos eduxi.

Exire feci te. Non dicit. Vi compuli te, vt exires: sed feci, vt tu ipse exires, & quòd nemo te prohiberet, sed potius te terram suam exire Ægyptij cogerent. Sic Ioannis primo habes. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Non dixit. Fecit filios Dei, licet verum sit, sed dedit eis potestatem, vt ipsi facerent se, si vellent, filios Dei.

Non erunt tibi Dij alij, super faciẽm meam.

Sic in hebræo est, quod alij vertunt, ante me, aut coram me. Dictio hebraica acher, significat alterum, alium, & alienum, sed frequentius & verius, alium, quam alienum, vt patet Iob. 31. vbi dicitur. Molat leacher, id est, alij vxor mea, & super eam incuruentur acharim, id est, alij. Idem Ieremiæ sexto. & Danielis. 11. Si ergo legas alium, sensus erit. Non erit, pro non erunt tibi, dij alij, super faciem meam, id est, nullum præter me Deum habebis, in præsentia mea, seu mecum. Et quia ipse, vbiq; erat præsens, nullibi licebat Iudæo, idolum habere. Si verò placeat alienum legere sensus est. Non erunt tibi dij alieni, id est, quos alieni, à te, quales sunt omnes gentiles habent, vel colunt: in præsentia mea, vel me vidente. Chaldæus vertit, præter me, quem sensum, litera, infra hoc eodem capite, explicare videtur, dicens. Non facietis mecum, Deos argenti, vel auri. Et aduerte, quod significantius dixit, coram me, aut super faciem meam, quàm præter me. Nam dicendo. Non erunt tibi dij alij, sufficienter alios præter se exclusit, sed dicendo coram me, ostendit eis, se vbique præsertim, ne putarent in abscondito, idola habere posse. Posset etiam in singulari verti. Non erit tibi Deus alius coram me, vel iuxta faciem meam, id est, mecum, seu in templo meo. Sunt etiam qui putant, primum præceptũ decalogi esse. Ego sum Dominus deus tuus. Secundum verò. Non erit tibi alius Deus, præter me. Mihi verò videtur hoc, secundũ esse primum præceptum, in quo illa duo includuntur, scilicet non habere alium Deum, & habere me pro Deo.

Non facies tibi sculptile. Significat verbum Pasal, dolare, à quo pesel, id est, dolatum vel sculptum: siue sit lapis, lignum, siue cuprum, siue æs, aut quodcunq; aliud, & est sermo de dolato, quod non est alicuius rei similitudo. Solebant enim gentiles, nonnunquam dolatos lapides, aut ligna, etiam si nullius rei imagines essent, pro diis venerari. Potest etiam hoc præcepto prohiberi sculptile quod sit alicuius rei imago, & quod sequitur, scilicet. Et omnem similitudinem esse explicationem huius. Ac tertio posset exponi. Non facias tibi sculptile, id est, imaginem alicuius rei, neque omnem similitudinem, qualiscunque illa sit, siue imago, siue similitudo imperfecta. Et aliqui dicũt hoc esse secundum decalogi præceptum.

Et omnem similitudinem. Hoc enim significat nomen temunah, & autoribus Hebræis, dicitur tam de rebus corporalibus, quàm spiritualibus, tam de his quæ sensu percipiuntur, quàm de illis, quæ per imaginationem fabricantur, quibus non subscribo, quia puto hic de rebus corporeis textum loqui. Deute. 4 dicitur. Quia non vidistis omnem themunah, id id, similitudinem. Idem cap. 5. eiusdem.

Eorum quæ in cœlis desuper, scilicet sunt: vt Solis Lunæ, aut stellarum, aut cuiuscunque rei cœlestis.

Et quæ, scilicet, *sunt in terra deorsum*: vt talparum, lumbricorum, & id genus similium.

Et quæ in aquis de sub terra, id est, quæ sunt sub terra, aut in aquis, quæ aquæ sunt sub terra.

Non incuruabis te eis, & non seruies eis.

Non videtur hoc nouum præceptum, sed ad secundum pertinet: vt scilicet non fiat sculptile, aut imago, seu similitudo, scilicet, ad cultum. Nam Dominus præcepit fieri Cherubim, super propitiatorium. Et per incuruationem, intelligit cultum, qui corpore, aut membris corporis fieri solet: per seruitutem verò, omnem cultum, què seruus Domino præstare solet. Nam prius verbum, scilicet, sachah, quod vertimus incuruare, significat propriè humiliari, secũdum verò, scilicet abad, significat seruire: à quo ebed, id est, seruus.

Quoniam ego Dominus Deus tuus, fortis æmulator: aut sum fortis æmulator seu zelotes: habens scilicet zelum qui non patitur consortium. Et si fortem legas, sensus est. Sum fortis æmulator: quia, scilicet pò tens sum, iniuriam illatam propulsare, & punire eum qui iniurius mihi fuerit.

Visitans iniquitatem Patrum, super filios, super tertios & super quartos, odientibus me.

Verbum pachad, vt sæpius admonuimus, non solum visitare. sed potius recordari, & memorari significat: & similiter sequens dictio aon, frequentissime in sacris literis, accipitur pro pœna iniquitatis, vt abundè in regulis monstrauimus: & quarto capite huius libri: & primo Samuelis. 15. ostenditur, vbi textus habet. Pachadri, id est, recordatus sum, eorum quæ fecit Hamalech Israeli: vbi nullo modo quadrat, Visitaui. Quamobrem, hic optimè vertas: Recordans punitionem Patrum, in filios, id est, memor punire filios ob Patrum iniquitates: in tertios & quartos, id est, in tertiam & quartam progeniem. Videtur enim Dominus obliuio sus, cùm iniquum peccantem non statim punit in se: ipse tamen. vt hic explicatur, punitionem eius aliquando seruat in. 3. & 4. progeniem: modo persecueret in eis odium Dei. Dicit autẽ hoc dominus, ne eum, quis iniustum putet, cùm nõ punit peccatorem, in propria persona: sed sciant eum, sibi pœnam in tertios & quartos seruaturum. Per id autẽ quod dicitur. Odientibus me, soluitur obiectum, quod est apud Ezech. cap. 18. vbi Dominus dicit. Filium, non portaturum iniquitatem, id est, pœnam iniquitatis patris: & vterq; textus seipsum explicat. Nam hic non dicitur, memorans pœnam patris, in tertios & quartos absolutè, sed additur. Odientibus me, id est, in tertios & quartos perseuerantes in odio mei. Textus etiam apud Ezech. citatus, habet. Si genuerit vir filium, & viderit omnia peccata patris, quæ fecit, & timuerit, & nõ fecerit similia, ipse non morietur propter iniquitatem patris sui: ita quod non erit hæres pœnæ patris, nisi fuerit hæres culpæ. *Diligentibus me, & custodientibus præcepta mea.*

Ioan. 4. Hoc additum est, ne quis seducens se, dicat. Diligo Deum, & non custodiat mandata eius, qui mendax à beato Ioanne iudicatur. Et videtur explicare, quis sit ille qui eum diligit, nempè qui mandata eius custodit. Sic & Christus Ioan. 14. Si quis (inquit) diligit me, sermonem meum seruabit.

Non sumes nomen Domini Dei tui, in vanum.

Verbum nassa, quod hic ponitur, significat propriè portare, eleuare, leuare. Vnde ad literam vertendum erat. Non leuabis nomen Dei tui in vanum. Dicit autem non leuabis, quoniam iuramentum fieri solebat, apud Iudæos: leuando manum ad cœlum, vt patet Genesis decimoquarto. Leuo (inquit Abraham) manum meam ad Deum, & cætera. Variè hoc præceptum, à nostris, & Hebræis explicatur: sed inter omnes explicationes huius præcepti: istæ videntur celebriores, quarum prior est. Non assumes nomen, Domini Dei tui, in vanum, id est, pro re nihili, seu nullius momenti. Iniurius enim Deo est, qui nomen eius, pro re fugermanior esse videtur, est. Non leuabis, id est, non iurabis, per nomen Domini, in vanum, id est, rem, quam non intendis implere iuxta quem modum, Dominus in Psal. dicit. Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita: ac si dicat: iurando non mentiar. *Psal. 88.*

Semel iuraui in sancto meo si Dauidi mentiar. Et ad literam vertendum erat. Non assumes nomen Dei tui, mendaciter, seu ad mendacium, aut mẽtiendo, quæ dixeris, quoniã dictio saue, propriè mendacium ac fictionem significat, vt patet infra. 23. Non assumes, auditionem saue, id est, mẽdacij. Et sic Thargum vertit. Idem Deutero. 5. Non testificaberis contra socium, testimonium saueh, id est, mendacij, seu mendax. Alij (teste Sancte) vertunt. Non assumes, nomen Dei tui gratis, seu frustra, id est, non iures, in eius nomine, nisi ob necessitatem, quoniam veritas nõ est iuranda, nisi ob necessitatem, sed secunda expositio, cæteris præferenda est. Subditur causa præcepti.

Quoniam non innocentem reputabit Dominus eum, qui leuauerit, seu portauerit, *nomen suum, ad mendacium*: ac si dicat: Puniet eum, hac de causa.

Recordare diei Sabbati, ad sanctificandum illum.

Hoc est quartum præceptum. Dicit autem recordare, quoniam homo, sex diebus, suis ministeriis impeditus, vix seruabit diem Sabbati, nisi eius, ante recordetur. Aut quia homo lucri cupidus, vix curabit seruare Sabbatum. ideò præcipit eius recordari, vt sanctificet, id est, separet ab aliis diebus, aut cultui diuino applicet. Duo enim (vt Gene. 1. cap. admonuimus) importat chadas, quod est sanctificare, scilicet cultui diuino applicari, & separari, à rebus prophanis, aut immũdis. Idem ergo est dictu. Sanctificabis diem Sabbati, quòd separabis illũ, ab aliis prophanis diebus, aut te in eo, ab operibus seruilibus. Vel secundum alteram significationem. Memento, vt illum cultui diuino applices. Et subiuncta ratio, videtur approbare priorem expositionem: vt sit sensus. Memento, vt diem Sabbati sanctifices, id est, separes illum, ab aliis diebus, abstinẽdo in eo, ab operibus seruilibus, quoniam sic fecit Dominus. Nam sex diebus cuncta creauit, septimo die ab operibus abstinuit.

Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum.

Hebraicè est. Sex diebus seruies, & significantius, vt comprehendat seruos & liberos. Et prima sententia, scilicet sex diebus seruies, videtur ad seruos pertinere, quibus præcepit, vt sex diebus seruiant Dominis suis. Ad liberos verò pertinet, quod sequitur, scilicet facies omne opus tuum, quoniam hoc interest, inter Dominum & seruum, quòd dominus facit opus suũ, seruus verò nõ suum, sed domini sui, & ab vtroq; die sabbati vacare præcipit. Sonat autẽ sabba septem. Et idem est, requiesces die sabbati, quòd requiesces septima die.

Et peregrinus tuus, qui est intra portas tuas.

Loquitur hic Dominus de peregrino, non converso ad Iudaismum, qui quandiu moraretur inter Iudæos, tenebatur sabbato requiescere, quemadmodum Iudæus. Et esse intra portas, est hebraismus, pro morari in ciuitate, aut inter aliquos. Et aduerte quod hebraicè non dicitur. Qui est intra portas, sed in portis, & significantius: quoniam peregrini, vt plurimum, habitant potius in portis, & suburbiis ciuitatum, quàm intra vrbem.

Idcirco benedixit Dominus diei sabbati.

Admonui Gene. 1. cap. benedicere Dei, esse benefacere aut bona precari. Benedixit ergo Deus, diei sabbati, id est, beneficit ei, quoniam, voluit illum esse ab aliis diebus separatum, ad cultum suum: & vt aliis operaremur, non autem in eo, & vt laborans præstolaretur illum, non autem alios, & multa alia, quæ loco citato enumerauimus bona, quæ Deus contulit diei. 7.

Et sanctificauit illum, separando eum, vt diximus, ab aliis diebus, & applicando illum cultui suo.

Honora patrem tuum, & matrem tuam.

Verbum chabad, propriè significat onerare, & grauare: & ex consequenti honorare: & significantius interpretaberis onera patrem, quã honora, quoniam prius verbum, non solum ostendit honorãdum: sed onerandum donis & muneribus: vt sciat filius, non solum se teneri

Universidad de Deusto
Biblioteca

teneri ad honorem præstandum patri: sed etiam omnia alia necessaria. Potest tamen communis interpretatio teneri, quoniam eos quos volumus honorare muneribus oneramus, & bonis, vt pater Numeri. 22. vbi Balach narratur, misisse nuntios ad Bilham, qui diuerent. Honorādo, honorabo te, valdè. Et Bilham intelligens, quisnam esset hic honor, quod videlicet esset conferre sibi munera, respondit. Si daret mihi Balach domum suam plenam argento, & auro, non possum transgredi sermonem Domini.

Vt prolongent se dies tui. Aliqui legunt. Vt prolongent, scilicet parētes, suis orationibus & precibus dies tuos. Neque litera ab hac abhorret expositione. Aben Ezrah legit, vt prolongent, scilicet, præcepta Dei, dies tuos. Sunt qui hanc promissionem, referant in obseruatores legis totius, iuxta illud Leuitici. 18. Quæ faciens homo viuet in eis. Sed melius ad parentum honoratores referas, quoniā parentes, pro talibus orant, illis benedicunt frequenter: quæ causa sunt longioris
22.q. vitæ. Sanctus Thomas aliam affert causam. Nam quia munus vitæ, post Deum à parentibus habemus, dignū est, vt ei qui gratus est, beneficio vitæ, quod à parentibus accepit: conseruetur vita. Quemadmodum enim ingratis, beneficium aufertur: ita & gratis continuatur.

Non adulterabis. Sunt qui hic vertunt. Non fornicaberis, autorem interpretationis habentes Christum, qui Matth. 6. præceptum hoc interpretatur, vt idem sit adulterari, quod fornicari. Audistis (inquit) quod dictum est antiquis. Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam: ac si dicat. Ego explico, omnem concupiscentem fœminam, mœchum esse. Hoc idem dicit hic expresse Aben Ezrah, qui asserit omnem concubitum, qui non est viri cum vxore sua, hic esse interdictum. Et videtur ex lege probari. Nam lex prohibet meretricem, & scortatorem de filiabus & filiis Israel, ergo prohibet omnem vagum congressum, & per consequens simplicem fornicationem. Sed his non obstantibus, potest dici te-
Deut. 23. xtum solum adulterium hic prohiberi: quoniam verbum naaph, propriè significat adulterari, vt patet Prouerbiorum sexto, Noeph, id est, adulterans, cum muliere deficit corde. Et Ezechie. 16. Mulier hamenaphet id est, adulterans sub viro suo. Item Ierc. 29. Ienaaphu id est, adulterium commiserunt, cum vxoribus amicorum suorum. Et ad Christi interpretationē dico Christum non fecisse ex simplici fornicatione adulterium, quæ ab eo longè distat; sed addidisse concupiscentiam fœminæ coniugatæ, esse adulterium: quod illi fortè ignorabant. Aut adulterium pro fornicatione accipit, & fornicationem prohibet, nos verò hic disputamus in his verbis fuerit Iudæis prohibita, quòd enim sit prohibita Christianis, manifestum est ex verbis Pauli primæ ad Corinthios decimo, primæ ad Corinthios quinto, & ad Ephesios quinto, ad Hebræos, 12. & Apocalip. 21. An verò alibi in lege veteri sit prohibita simplex fornicatio in vniuersum: crediderim, quòd sic, & de filia sacerdotis constat Deuterono. 22. quæ præcipitur Vulcano tradi, si fornicaretur. Numeri etiam. 25. taxatur populus, qui fornicatus est cum filiabus Moab Et Hosch. 4. Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ. Videtur etiam quòd fuerit lege naturali prohibita, quoniam Iudas damnabat nurum suam Thamar ad mortem ob fornicatio nem. Ad Aben Ezrah, & ad aliud, quod ex lege obiicitur, dicimus verum esse, omnem vagum concubitum lege prohiberi. Non tamen sequitur omnem simplicem fornicationem, fuisse Iudæis prohibitam, quoniam ad solutam, quæ virum nō haberet, posset quis accedere, modò non esset alteri, aut omnibus exposita. Neque sequitur Fornicatio simplex non prohibetur hic, ergo non est peccatum: quia Sanctus Thomas, & multi alij efficaciter probant fornicationem simplicem, naturæ legibus aduersari, ideo indubiè tenendum est, eam esse mortale peccatum legique naturæ aduersari. Et dolendum valdè est, quàm facile Christiani hoc præceptum transgrediantur: quod tam Iudæi quàm Gentiles, tanta ambitione obseruant.

Non respondebis in socium tuum testimonium mendax. Verbum anah, duo Hebræis significare dicitur, scilicet respondere, & humiliare: sed cùm secūda significatio, non videatur conuenire, acceptanda est prior. Et videtur esse sensus. Si in fratris negotio, fueris interrogatus à iudice, de veritate, non respondebis in eum falsum testimonium. Alio modo posset exponi. Quantumcunque fueris odio habitus à fratre, non respondebis odio illius, falso testimonio in eum. Sed primus sensus est germanior, Quia etiam Hebræis respōdere, est audire, vt patet. 1. Regum. 18. Aneni, id est, exaudi me Domine, exaudi me. Et Psal. 143. Velociter anēni, id est, exaudi me, vbi idem verbum ponitur: posset addi tertius sensus. Non audies in socium tuum, id est, contra socium tuum falsum testimonium. Aut non loqueris, vt ponatur respondere, pro loqui.

Non desiderabis vxorem. Non est distinctum præceptum hoc, à sequentibus, vt scilicet desiderium vxoris proximi, constituat vnum præceptum, & desiderare eius bouem, vel asinum, aliud: sed omnia hæc ad idem præceptum pertinent: & videtur: eo omne malum desiderium aut auaritiam prohibere, scilicet desiderare vxorem, & alia bona eius. Et aliqui ex Iudæis, hoc intelligunt cum effectu: vt scilicet velis ab eo vxorem, bouem, vel asinum habere: neque prohiberi hic, simplicem concupiscentiam: sed rectius & sanius intelligunt, qui hic concupiscentiam, etiam nudam, prohiberi autumant. Est ergo præceptum non malè concupiscere rem aliquam proximi, quæcunque illa sit.

Omnis populus videntes, id est, audientes voces, id est, tonitrua, quæ vt in capitis initio dixi, vocantur voces Dei.

Et lampades, melius faces, vt patet Iudicum. 15. Et posuit lapid, id est, facem vnam, hic verò fulgura significat, quæ simul cum tonitruis videbantur.

Quoniam vt tentaret vos venit Dominus, id est, vt experiretur, an timeretis ipsum.

Et non peccaretis, ac si dicat. Ad hoc venit Dominus, tam terribilis, legem suam dare, vt postea, cum peccatum contra legem faciendum occurreret, memores essetis illius terroris, quem habuistis, cùm lex primum daretur.

Mactabis super illud, holocausta tua, id est, sacrificia quorum carnes omnino cremabantur: & in fumum ad Deum ascendebant.

Et pacifica tua. Melius integra tua. Quoniam huiusmodi sacrificia fiebant, pro domus & rerum integritate, & verbum salam, integrum, & perfectum esse, significat, vt sæpius admonuimus.

In omni loco quo memoriam faciam nominis mei, id est, in omni loco, denominato à nomine meo, seu qui vocatus fuerit domus Dei. Dicitur autem domus Dei, memoria nominis Dei, quia in ea homines Deū recordantur: & ibi inuocant nomine suo eum. Aut in quo faciam homines, recordari nominis mei: qui locus erat à Domino decretus: ut fuit Silo, & postea templum.

Veniam ad te, & benedicam tibi, id est, veniam ad benedicendum tibi. Aut visitabo te, vt benefaciam tibi.

Non ædificabis, id est, dolabis, scilicet, lapides attonsione. i. non facies eos excisos vt solet fieri. Solebant enim idolorum altaria, fieri ex politis lapidibus.

Si altrum leuaueris super illud, pollues illud. Multas & varias significationes, tribuunt Hebræi, verbo nuph, quod hic vertimus leuare, scilicet, effundere, stillare, aspergere, suffire, leuare, etibrare, & concutere, sed re vera, verbum solum significat leuare, eleuare, & suffire, quod sit quædam sumi eleuatio, quoniam hæ significationes, vbique congruunt. Est autem huius loci sensus. Si ad immolandam victimas, cultrum leuaueris super illud, scilicet, altare, pollues illud, scilicet, sanguine iugulatæ victimæ, quoniam altare ex politis lapidibus cùm sit mundum facilè fœdatur, & maculas

culas sanguinis victimæ immolatæ contrahit, ideò voluit altare esse terreum, aut ex impolitis lapidibus in quibus maculæ sanguinis non apparerent.

Non ascendes per gradus ad altare meum, ne nudetur turpitudo tua, seu reueletur, scilicet, his qui inferius sunt. Aut ne te cadere contingat, & sic nuditas tua reueletur. Sed lubet hic paululum fusius, de præceptorum horum distinctione, ac numero, disputare.

Et aduerte, quod ex capite trigesimoquarto huius libri, & ex capite Deuteronom. quarto cōstat, hæc præcepta esse decem: sed qualiter enumeranda & distinguenda sint, non ita. Nostri communiter diuidunt præceptum, non concupiscendi, in duo quod, scilicet, non sit concupiscenda vxor proximi, quod ad adulterium pertinet, & de non concupiscendis aliis rebus, quod ad auaritiam conuenire videtur. Sed si hæc diuisio vera est, tunc bis poneretur præceptum, de non adulterando, scilicet, dicendo. Non adulterabis, & non concupisces vxorem: Nam ad idem genus moris pertinet actus interior, & exterior, in eadem materia: sicut fur est, non solùm qui rem alienam occultè aufert, sed etiam qui eam, Domino inuito cupit auferre. Alij verò pro horum dictione afferunt, quòd alia sit ratio appetendi res mobiles, & alia immobiles: & quòd vbi est specialis ratio appetendi, sit aliud speciale præceptum. Sed cum in qualibet re, possit fingi, & esse specialis ratio appetendi, tot deberent multiplicari præcepta, quot sunt appetibilia specialia: tum quia plus differt, in ratione appetibilis, vxor ab equo, vel asino: quàm mobile ab immobili, quia illa ad concubitum, equus ad ministerium: & sic potius distingueri da esset, concupiscentia alienæ vxoris, à concupiscentia equi vel bouis, quàm rei mobilis ab immobili.

Vnde meo iudicio, non est diuidendum præceptum, de concupiscentia in duo, cùm vnicum sit, scilicet, non concupisces res alienas, quæcunque sint, siue vxor, siue bos, siue asinus: sed in primo præcepto, quærenda & explicanda est diuisio hæc. Et vt diximus, quidam sentiunt primum præceptum esse quòd ipse sit Deus, secundum verò quòd non sit alius Deus præter ipsum, tertium, non facies tibi sculptile, & non incuruabis te ei, & non seruies, quartum, sanctificatio Sabbati, quintum, honorare parentes, sextum, non occidere, septimum, non mœchari, octauum, non furari, nonum, non loqui aduersus proximum falsum testimonium, decimum, non concupiscere rem alienam. Mihi verò melius videtur, vt etiam iam admonui illud. Ego sum Dominus Deus tuus, præambulum esse ad præcepta, vt intelligerent se subditos, quibus posset ipse præcipere. Primum verò præceptum esse, non erit tibi alius Deus, coram me, id est, mecum, seu in præsentia mea, & ideò non faciendum esse sculptile postquam non debet tibi esse alius Deus, secundum verò. Non adorabis ea. Aliam verò numerationem sequentem accepimus, modo pro tertio acceptes. Non adorabis ea.

CAPITIS. XX. IVXTA MORES annotata.

Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te, de terra Ægypti. Quorsum hæc Domine Deus? Vide legislatoris prudentiam. Solent collata beneficia, hominem retinere, ne benefactorem offendat, & libertas ad memoriam reuocata, seruum quasi cogere ad obedientiā ideò Dominus hæc duo præmittit, ante legem: vt Iudæos inuitaret, ad suarum legum obseruantiam.

Non erit tibi Deus alius, coram me, seu mecum. Nouit prudens legislator, seruorum malorum technas, & subterfugia: ideò omnia, quæ facere etiam latenter poterant, hoc præcepto prohibet: & primum aliquem colere Deum sine vlla imagine, aut similitudine: qualiter se coli præcipiebat, secundum, quodcunque sculptum, tertium, imaginem, & similitudinē, cuiuscunque rei, quartum, cultum, in quo etiam pulchre sapientia diuina relucet. *Visitans iniquitatem patrum in filios: super tertios & quartos.* Vt non miraretur homo, cùm se sine propria culpa multum videret, admonuit, vt quàm primum reputaret se innocentem & flagellatum à Deo, iniquitatum patrum suorum recordaretur. Cùm semel Christi discipuli (vt Ioannis nono habetur) viderent hominem, à natiuitate cæcum: inquirunt à Christo, quisnam peccauerit, ipse, an parentes eius. Optima consideratio, vt quàm primum videris pœnam, culpæ reminiscaris. Quoniam licet non semper, culpa sit pœnæ causa: optimum tamen est, te cogitare pro culpis propriis, aut progenitorum flagellari à Deo, vt aliquid in te emendes. Est & aliud, quod hic parentes aduertere debeant: quantum videlicet, abstinere à peccatis debeant: non solùm, ne propter ea, puniantur ipsi, sed ne peccatorum suorum flagella, in filios transfundant. Audi quid sanctus Isaias dicat, de stirpe Regis Assyriorum. Præparate (inquit) filios eius occisioni, *Isa. 14.* propter iniquitatem patrum eorum. Et consurgam contra eos (ait Dominus) & perdam Babel nomen, propinquum, filium, & nepotem, dicit Dominus. Annotauit etiam hic quidam, in eo quod dicitur in tertios & quartos, & faciens misericordiam in millibus, quàm pronior sit Dominus ad miserendum, quàm ad vindictam fumendam, vt iniquitatem visitet in tertios & quartos, misericordiam verò extendat, ad mille. Vbi nos docet, iræ non recordari, aut vindictæ in æternum: dilectionis verò in perpetuo memorari. Additur.

Diligentibus me, & custodientibus mandata mea. Quibus verbis docet, qui sint, qui custodiant mandata eius: nempè eos qui diligūt eum. Sic & Christus apud Ioannem. Si quis (inquit) diligit me, sermonem meum seruabit: & qui non diligit me sermones meos non seruat. Aduerte etiam hic quantum noceat iniquitas, & quid valeat dilectio: vt iniquitas non solum nōceat facienti, & dilectio non solùm prosit ipsi diligenti. *Ioan. 14.*

Non assumes nomen Dei tui, in vanum. Expende hic, quanti faciendum sit nomen Domini, vt nihil, eo interposito pollicearis, quod non intendas implere. Si enim filium aut nepotem, aut rem aliquam prætiosam, verborum tuorum obsidem dedisses, nonne labotares implere, vt obsidem redimeres? Omnino. Si ergo nomen ineffabile Dei, cur quod promisisti nō impleS? Sed proh dolor. Quis nunc, quod iurauit, aut vouit, implere vult? Vbique periuria, vbique irrita vota, vbique etiam mentita fides.

Memento vt diem sabbati sanctifices. Quæ enim implere cupimus, eorum ante recordamur. Sic voluit Dominus Deus, nos sanctę diei memorari, ne eam diebus aliis similem reputaremus, & sine debito honore, præteriremus. Et bene nota, Deum nō dicere, quod eius recorderis, vt in eo gaudeas, tripudies, aut tibi vaces, sed vt sanctifices. Multi enim sunt, qui dierum festorum memorantur antequam veniant non vt sanctificent, aut Deo vacent, sed vt ludant, comedant, & bibant, cæteris diebus licentiosius: & quod deterius est, tunc vitiis indulgeant, ita vt peccata ac flagitia seruasse, in diem sanctum videamur: ac si bona opera essent: cùm Dominus nos, eius ad hoc memores esse voluerit: vt tunc maximè eum colamus, & beneficiorum, creationis videlicet cunctarum rerum ei gratias agamus. *Aduerte quæ hic dicuntur.*

Tu & filius tuus, & seruus tuus, & hos. Considera hic quæso benevolentiam, & charitatem, summi Dei, vt secum voluerit omnia quiescere, neque tamen secum iubeat omnia laborare. Solus ipse creat cuncta, & si fas est dicere, sex diebus laborat nobis, septimo verò die, omnia secum ad quietē inuitat. Sic solus CHRISTVS passus est, & torcular calcauit solus ipse, ita *Isa. 63.* vt de gentibus non sit cum eo vir: in die tamen resurrectionis, omnes sua beata præsentia lætificat. Omnes enim vult secum resurgere, sed nō omnes secum pati. Vbi etiam nos, gratitudinem docet, postquā ipse tam gratus est, totque bona contulit diei septimæ à quo nihil ministerij, in condendis rebus accepit.

Honora

Universidad de Deusto
Biblioteca

Honora patrem tuum & matrem, vt prolongent dies tuos: aut vt prolõgentur super terram. Vides hic, qualiter bona alicui collata, cum ad precandum inuitent: similiter quid valeant, parentum benedictiones, & precationes, quæ tibi longam possent vitam, à Domino impetrare: similiter quanto pluris faciat Deus, parentum honorem, quàm suum, vt quasi voluerit, te potius parentes, quàm se honorare quemadmodum eos alere potius, quàm sibi sacrificia offerre. Et annotauit hic quidam Rabbinus, scilicet, Rabi Simeon, scripturam pluris fecisse, parentum honorem quàm Dei, vt voluerit nos Deum honorare, ex substantia nostra, iuxta il-
Prou. 4. lud Salomonis. Honora Deum de tua substantia, parētes verò voluit, filios subuenire, ex labore manuum suarum: & si non habeant, teneantur in pistrino laborare, vt parentibus victum quærant. Similiter honorantes se, voluerit honorare, iuxta illud primo Samuelis primo. Quicunque honorificauerit me, honorabo eum, longæuam verò vitam concesserit eis, qui honorauerint parentes. Constat autem, pluris vitam fieri, quàm honorem.

Loquetur nobis, Docet locus iste, Doctorem talem esse debere, ad quem facilis populi sit accessus, neque debet esse nimium formidabilis.

Vos vidistis, quòd de cœlo loquatus sum vobis.
Etiam verba hæc ad timorem pertinent, ac si dicat. Considerate, me vobis loco superiorem esse, vnde vos si rebelles fitis, facilè punire possum, ideò timete.

Altare terreũ facietis mihi, neque ex lapidibus excisis.
Arguit pulchrè locus iste, hominum vanitates, etiam in templis Dei, & ædificiorum, ac sepulchrorum. Vult Dominus altare terreum, nos autem marmoreum cõstruimus, & si lapideum ex lapidibus impolitis, nũc verò cuncta polita ne polluta dicam sunt: ita vt opus, materiam superet. Arbitramur enim Deum, nostris vanitatibus delectari. Et si in veteri lege, quando Deus magna pompa, & apparatu delectari videbatur hæc tantur, quid in nona fieri debet, quæ præ cæteris virtutibus humilitatem prædicat, & extollit, damnatque ambitionem, & superbiam?

Non ascendes per gradus, ad altare meum.
Summam in sacris honestatem commendare videtur locus iste, quam discere debent, qui altari ministrant, maximè in ascensu & descensu altaris.

CAPITIS. XXI. ANNOTATA iuxta literam.

HÆc sunt iudicia, id est, leges, quibus, seu per quas ius dicetur inter Israelitas.

Si emeris seruum hebræum, sex annis seruiet tibi.
Significat chanah propriè, possidere, & emere, vt patet Gene. 25. Agro, quem chanah, id est emit, Abrahã. Et Prouerbiorum octauo. Dominus chanani, id est, possedit me, aut emit, initium viarum suarum. Inde michne, pecus minutum: quòd omnis possessio antiquis, in pecudibus esset. Dicit autem seruum Hebræũ, quoniam seruos aliarum nationum, licebat in perpetuum habere.

In septimo egredietur liber.
Significat nomen hebraicum chopsi, non solum liberum: sed sollitarium, vt patet secundo Regum. 15. vbi dicitur. Et mansit in domo hachophsit, id est, solitaria seu sola. Et aduerte allusionem. Quia enim liberi, solent manere in domo seorsum, & per se, serui verò nõ, sed in domibus Dominorum, vocatur domus in qua quis solus manet, domus libera, domus verò, in qua cum aliis morãtur, vocatur non libera. Hebræi dicunt, domum liberam dici, cùm non coniungitur aliis domibus: sed prior allusio videtur verior, vt scilicet, dicatur quis, manere in domo libera, id est, quæ liberorum esse soler, in qua liber solus manet. Additur autem.

Et gratis: quoniam non oportebat seruum, anno septimo aliquid pro sua libertate donare, sed sine vllo alio pretio, aut re: liber egrediebatur.

Si cum corpore suo venerit, cum corpore suo egredietur.
Hebraissmus est, quem sequens sententia suo more explicat, id est, si solus venerit, ad Dominum suum, scilicet, sine vxore & liberis, & sine substantia. Quare venire in corpore suo. Hebræis est venire solùm: vnde sequitur.

Si Dominus dederit ei vxorem.
Dicitur autem in corpore suo venire, cùm nõ secum alia corpora adduxit, scilicet, vxoris aut filiorum.

Si maritus vxoris ipse. Significat baal (quod maritum sumus interpretati) supergredi, superiorem esse, quemadmodum vir vxori præst. Et videtur verbum compositum, ex ba quod est in, & al super, quasi insuper seu superius. Aduerte etiam nomen hebraicum gaph, communiter corpus significare. Est tamen locus Prouerb. 6. qui hanc suspectam reddit significationem vbi dicitur. Misit puellas suas, clamauit al gape, id est, super summitatem ciuitatis: vbi significare videtur summitatem. Posset tamen verti, Clamauit super corpus ciuitatis, id est, super totam ciuitatem, quæ vnum corpus esse videtur.

Vxor & filij eius, erunt Domini sui.
Hinc ortum habuit lex illa, quòd partus sequatur ventrem, vt cuius fuerit vẽter, eius sit & partus. Est etiam hic notandum, in lege veteri, non ita fuisse indissolubile matrimonij vinculum, quemadmodum in noua: quia hic matrimonium dissoluebatur expleto septennio, & vxor manebat cum liberis, in domo Domini sui: vir autem abibat quo vellet.

Adducet illum Dominus, ad Iudices: hebraicè ad elohim, quod est dij. Vocãtur autem iudices dij, quòd debent esse ita constantes, & inflexibiles in ius dicẽdo sicut est Deus, quibus præcipit, pauperum in iudicio non misereri.

Applicabit illum, ad ostium, vel ad postem.
Dictionem delet, certum est, ostium ligneum, quod mouetur, significare, sed mezuzah, aliqui postem, Chaldæus limen, significare dicit. Ex scriptura, videtur significare potius postes, quàm limen, quoniam significat ligna aut lapides, quibus posset scribi lex illa. Audi Israel. Dominus Deus noster, Deus vnus est. Dicitur enim Deutero. 6. Scribes eam, super mezuzot id est, postes domus tuæ. Diximus de significatione nominis, supra capite, 12. Et sunt ligna recta, ad latera ostij, quibus lignum superius transuersè positum, sustentatur.

Perforabit Dominus aurem eius, subula. A rasa quod est perforare, est arsea, id est, subula sic à perforando dicta.

Et erit ei seruus, aut seruiet ei in seculum, id est. perpetuo: quod aliqui interpretantur, vsque ad annum Iobel: quando omnes ad libertatem asciscebantur. Sed iam sæpius admonui, verbum alam significare abscondere, latere, occultare. Quòd enim occultare significet, seu latere: sunt multa in scriptura exempla, scilicet primo Regum decimo, vbi dicitur. Non fuit verbum neelam, id est, absconditum ab Rege. Et Eccle. 12. super omne elam, id est, occulto. Sic Leuitici quarto, veneelam, id est, & cælatum erit verbum. Et Numer. 5. veneelam, id est, occultum fuerit ab oculis viri sui, & meo iudicio, olam, significat tempus absconditum, cuius non est memoria. Ieremiæ. 2. Meollam, id est, à seculo, confregi iugum tuum, id est, à multo tempore: cuius non est memoria. Disputauimus abundè de significatione nominis, Geneſis vigesimoquarto. Dicit autem Rabbi Abraham, significare tempus præcisum, & determinatum: sed melius vt diximus occultum. Fiebat autem huiusmodi fixio, vt seruus sciret, se addictum illi domui in seculum. Vnde aurem alicui defigere Hebræis, est esse addictum perpetuæ seruituti. Quare in Psal. 39. dicitur. Sacrificium & oblationem noluisti, aurem autem perfodisti aut perforasti mihi. i. me tibi in seruum perpetuum addixisti, & sunt verba Christi iuxta Pauli ad Hebræos interpretationem.

Cùm vendiderit vir, filiam suam in ancillam: non egredietur, sicut egrediuntur serui.

Nam

Nam serui egrediebantur cum corpore suo, id est, soli, si soli egressi essent: non sic autem ancilla hebræa, quoniam non solum ad ministerium, sed ad matrimonium, saltem secundarium, quale erat ancillarum, trahebatur. Et loquitur de ancilla hebræa, cognita à Domino suo, quæ vel non desponsatur Domino, aut filio eius: sed post coitum displicebat Domino, neque desponsauit eam sibi, vel filio suo.

Si displicet in oculis Domini sui, post cognitionem & ante desponsationem: *redimere faciet eam*, id est, facultatem illi faciat redimendi se, subtrahẽdo à pretio, anei fiebat, præter alios seruos, qui omnes, isto modo poterant se redimere: videtur potius lex mandare, vt dominus eam redimat, dimittendo liberam, ac si redimeret. Non tamen improbo priorem sensum, quoniam sequitur. Non poterit eam populo alieno vendere, quasi possit suo.

Populo alieno facultatem, seu dominium *non habebit vendendi eam.*

Per populum alienum, aliqui intelligunt populum alterius loci, in Israel: sed meo iudicio, quia populus alterius vrbis, non videtur alius populus ab Israel: ideò melius intelligitur, per populum alienum, populum gentium.

Quoniam sprevit eam, seu dum sprevit eam, scilicet coeundo cum ea. Verbum bagat, quod hic spernere vertimus, Hebræis significat præuaricari, transgredi, fallere, fi audare, decipere, fraudibus aut dolo vti. Et verè dolosè, talis egit cum ancilla, quoniam vir cõgrediens cum fœmina, præ se ferat maritum. Cùm autem iste nollet esse maritus, videtur ancillam decepisse. Sed meo iudicio, verbum bagad, significat operte, seu dolosè agere, aut tegere. Vnde beged, id est, vestis, quòdea, quia tegatur & operiatur. Verti ergo posset hic. Quoniam operuit eam, id est, quasi maritum egit. Solebat enim vir alicuius fœminæ, in Israel, quam primum vellet eam ducere, extendere pallium suum, & operire eam: vt patet Ruth tertio.

Si autem filio suo desponsauerit eam, secundum iudicium filiarum faciet ei, id est, dotabit eam, quod est ius filiarum, vt scilicet à patre donentur. Aduerte verbum iaad, quod hic vertimus desponsare, significare multa Hebræis. Omnia, scilicet hæc. Conuenire, congregare, tempus constituere, parare, & desponsare, sed meo iudicio, solùm significat congregare, maximè ad certum tempus, & tempus certum constituere, & quia desponsationes fiebant in iuuenibus & puellis, iuxta certum tempus, inde etiam significat desponsare. Vnde verti posset. Si filio suo constituerit eam, id est, tempus desponsandi certum dederit, faciet illi, secundum iudicium puellarum.

Si alteram sibi, aut illi, *acceperit, scilicet simul cum ea: re seduum eius, operimentum eius, habitaculum eius, non diminuet.*

Miror cur nostri, hic verterunt pro residuo, victum, cùm dictio, non victum, sed residuum, seu reliquum significet vt patet. 1. Samue. 16. Adhuc scaar, id est, residuus est, seu remansit minor: sed quia communiter, concubinis dabatur, quod residuum erat, à principalibus vxoribus, quemadmodum filiis earum, quod residuum erat à principalioribus filiis, vt patet Gen. 25. de Abraham, qui dedit omnia quæ possidebat Isaac, filiis aut concubinarum munera, seu quod residuum erat: ideò dicitur hic virũ non debere negare ancillę in vxorem ductæ: residuum. i. id quod à principali vxore relictum erat: siue esset cibus, siue tempus congressus. Nam quemadmodum residuum cibi, dabatur concubinis, ita tempore quod relinquebatur à principalibus vxoribus, viri vacabant congressibus ancillarum, aut concubinarum: vt patet de Agar, & aliis ancillis, ad quas maritus, de licẽtia principalis vxoris, ingrediebatur: videtur tamen hic, pro residuo victus poni, quia sequitur, tegumẽtum eius, ac si dicat. Non negabit victum residuum principaliori vxori, neq; vestitum, seu tegumentum. De tertia etiam dictione. Conah, quam tempus determinatum seu statutum vertunt, dubium est, quoniam nusquã, in hac significatione, in tota scriptura inuenitur: sed maon, quod ex hac est radice, significat habitaculum, vt ex infinitis scripturę constat locis, quæ causa breuitatis omittimus. Psal. 26. Domine dilexi meon. i. habitaculum domus tuæ. Hinc etiam dicitur, esse onen, id est, præstigiatorem, seu qui oculos tenet, vel claudit, ne res videatur vt est in se: & si iuxta hanc significantiam, locum reddamus, vertendum esset. Et habitaculum non diminuet, id est, locum ad habitandum dabit. Aut nõ diminuet cohabitationem. i. tenebitur cum ea, ad aliquod tempus habitare, ad concubitum. Est ergo integer, huius legis sensus, iste. Si quis vir, vendiderit alteri filiam suam, in ancillam, (& est sermo de Hebræis) vel ille coiuit cum eo, aut non: si coiuit cum ea, aut displicet postea illi, aut placet, si displicet, tenetur eam redimere, id est, dimittere, ac si redemisset eam: in pretium ablatæ pudicitiæ: aut permittere, quòd redimatur, ablatis à pretio redemptionis ministerij annis. Si verò placet, aut accipit sibi, aut filio suo in vxorem. Si filio, tenetur eam dotare: si sibi, faciat illi, vt vxori. Si alteram sibi acceperit, non diminuet victum, vestitum, & cohabitationem: & si hæc tria non feciſſet, tenebatur eam gratis dimittere, sine argento. Et ex hac vltima clausula videtur, quòd cùm dit textus supra. Redimere faciet eam, debeat intelligi, vt diximus, id est, dimittat eam gratis, ac si redemisset eam. Sed quid iuris, si eam non cognosceret? Tunc poterat eam habere in ministerium, vsque ad annum Iobel: & poterat permittere, vt sese redimeret. Communiter tamen, in Israel, homines vendebant filias in ancillas, vt ab eis, quibus vendebantur, in vxores, aut saltem concubinas, acceptarentur. Et concubina erat, quę ad concubitum asciscebatur solum, non ad hæreditatem: & erant, aut ancillæ, aut minus principales vxores.

Percutiens virum, & mortuus fuerit, moriendo moriatur. Ponitur lex in communi, vt omnis percutiens, siue intendat occidere, siue nõ: & percussus fuerit mortuus: talis morte erat plectendus. sed statim ponuntur exceptiones, ab hac lege.

Et qui non est illi insidiatus, sed Deus occurrere fecit, scilicet eum, ad manum eius.
Videtur hæc lex loqui, de occidente, cui occurrens, antea fortè fuerat iniurius. & Dominus occulto iudicio, aut potius, vt illatæ iniuriæ pœnas daret, tradidit eum, in manus eius, cui iniuriam intulerat: tali inquam occisori, non infligebatur mortis pœna, sed fugiebat, ad aliquam ciuitatem refugij.

Et cùm superbè egerit vir, contra proximum suum, vt occidat eum in dolo, ab altari meo accipies eum, ad mortem seu ad moriendum.
Verbum zud, quod vertimus superbè agere, non est Hebræis plenè notum: videtur tamen, significare intumescere, aut eleuari, vt ex Psalm. 124. colligi videtur. vbi dicitur: Aquæ azedonim, id est, intumescentes aut superbæ. Sequens verò dictio, scilicet, ormah, ab arum, quod est inuolutum esse, ortum habet: & significat astutiam, malitiam, seu calliditatem, maximè ad malum. Attribuuntur autem, huiusmodi occursus deo quoniam nihil potest, subterfugere eius prouidẽtiam. Dicitur autem trãdere aliquem, in manus alterius ad occidendum, quoniam eius est, omnibus ius dicere, & vindictam dare, quam non dant Iudices, aut quia nolunt, aut quia occulta eis sunt.

Furans virum, & vendens ipsum, & inuentus est in manu eius: moriendo moriatur.
Sed si vẽdidit alteri, quomodo potest, in manu eius inueniri? Dupliciter potest hæc lex intelligi. Altero modo, vt furans virum, & vendens ipsum. i. vt ipsum vendat, & inuenitur adhuc, in manu eius quia nõdum eum tradidit ei, cui vẽdiderat: morietur. Alter verò qui (meo iudicio) est germanior literæ, est. Furans virum, & vendens ipsum, & inuenitur in manu eius, scilicet, emptoris, morte moriatur. Sed quid iuris, si non esset iam inuentus, in manibus illius, sed alteri traditus?

Credi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Crediderim tunc maximè occidendum venditorem: quoniam magis elongatur à restitutione, & legem sic intelligendam puto. Furans hominem, & vendens, morte moriatur: etiam si homo, furto ablatus, inueniatur in manu eius, aut emptoris.

Qui maledixerit patri suo, aut matri suæ, moriendo moriatur.

Verbum chalal, non propriè significat maledicere, sed alleuiare, leuem reputare, & velocem esse: vt Genesis. 8. multis autoritatibus, probauimus: hic verò videtur significare despicere, quod est leuem reputare. Quod si legas maledicere, sensus est. Mala imprecans patri suo, aut matri suæ, moriatur.

Cum lapide, vel cum pugno. Non est certa significatio egroph, quod pugnum vertimus, quoniam inueniatur significare glebam. Nam verbum garaph, à quo egroph, significat reuoluere, vt patet Iudicū quinto, vbi dicitur. Torrens chison, gerapham, id est, reuoluit, seu deuoluit eos. Inde megrephah, id est, gleba sic dicta, vt puto, quòd in aratione reuoluatur. Vnde etiam hic verti posset Percutiens socium suum, lapide vel gleba. Non tamen damno, si pugno vertas, licet mihi nullus occurrat, in scriptura locus, vbi dictio egroph, significet pugnum: posset tamen illum significare, ob reuolutionem, quoniam facilè digiti reuoluuntur, ad faciendum pugnum: aut quia nihil aliud est pugnus, quàm digitorum reuolutio.

Tantum requiem, seu cessationem, id est, dies, in quibus cessauit, seu lucri defectum, soluet, & medēdo medebitur, id est, soluet medicinas & Medicum: aut suis impensis, sanabit percussum. Vbi aduerte, Deum voluisse, hominem socio suo, iniuriam gratis cōdonare, modo exolueret, quod vacando amiserat, & quod medendo sibi exposuerat.

Vindicando vindicabitur, scilicet, seruus vel ancilla occisi, de domino suo, scilicet, secundum Iudicis arbitrium. Vnde verbum nachan, non solùm vindicare, sed & iudicare significat, quoniam Iudicum erat, mala illata vindicare. Sed si per diem aut dies, stetisset, id est, non moreretur statim, nullas dabat Dominus pœnas, & rationem lex subdit. Quoniam pecunia eius est. Et fuit hæc lex tam mitis, quoniam raro, quis seruum suum, sponte occidit.

Cum eleuati fuerint viri, scilicet, in inuicem.

Discessimus hic ab omnibus Interpretibus, qui hic vertunt. Cùm rixati fuerint viri. Quoniam verbum nasah, potius eleuari aut eleuare se, significat, quàm rixari: & in chal. Hebræi concedunt, significare volare, aut eleuari, vt constat Thren. 4. vbi dicitur. Quia nassu, id est, eleuauerunt se. Et Ierem. 48. Date (inquit) alas Moab, quoniam nasō nese, id est, eleuando eleuauit se. Inde nosah, id est, ala sic dicta, quòd eleuet aues, aut ea, volare soleant. Hinc etiam nes, id est, accipiter: sic ab eleuatione dictus. In omnibus autem locis, vbi Hebræi vertunt, etiam in niphal rixari, tam bene quadrat, si eleuare vertas. quemadmodum secundo capite huius libri diximus: vbi habetur. Ecce duo viri hebræi, nisin, id est, insurgentes, scilicet, in se inuicem, potius quam rixantes. Et non distrahes verbum, à sua propria significatione.

Et non fuerit mors scilicet, mulieris, condemnando eum damnabitus, sicut posuerit super illos, maritus mulieris, & dabit, vt statuerint iudices.

Quoniam visus fuerat constituere patrem iudicem, maritum videlicet mulieris, addidit quod sequitur: quòd, scilicet, solus ipse non arbitrabitur quod soluendum est, pro abortino: sed cum iudicibus. Aliqui intelligunt, quòd viri isti, essent soluturi pecuniam, pro arbitrio mariti, sed pœna, corpori infligenda, manebat in arbitrio iudicum: sed prior sensus, mihi magis placet. Sed si moreretur mulier, occidendi erant ipsi. Caietanus noster, hanc legem, etiam ad pueros extendit: quòd, scilicet, si illi effusi morerentur, etiam percutientes matrem, essent morti obnoxii, sed mihi eius sententia non probatur, quoniam non videtur æquum, vt tāta pœna imponatur ei, qui embrionem occiderit, sicut illi, qui perfectum iam virum. Nam supra, de seruo occiso à domino, noluit lex, eum puniri pœna mortis, quoniam pecunia eius esset. Et licet talis sit vera homicida, si fœtus animatus erat, non tamen, pœnam consummati homicidæ subibat.

Dabit animam, pro anima. Hebraismus est, pro dabis vitam, pro vita ablata.

Oculum, scilicet, sanum, vel auferentis eum: *pro oculo,* scilicet, ablato.

Vulnus pro vulnere, seu percussionem pro percussione. Dicunt Hebræi, verbum pasa, significare percutere, vsque ad sanguinis effusionem: suspectam tamen reddit, hanc significationem, id quod dicitur Deut. 23. vbi dicitur. Non ingredietur pesua, id est, attritus attritione, aut fractus: quare aliqui dicunt, verbum significare frangere, potius quàm vulnerare. Et posset hic verti, fractionem pro fractione, liuorem pro liuore. Verbum chabar, à quo chaburah, id est, liuor, significat coniungere, sociare, colligere. Vnde chaburah, id est, liuor, quòd in eo sanguis coniungatur.

Si cornu petierit bos. Explicat lex hæc, obscurum locum, qui ponitur Genesis nono, vbi Dominus dicit, se requisiturum hominis sanguinem, de manu omnis bestiæ, neque tamen posuerat requirendi modum, quem hic manifestat. Requirit enim Dominus, id est, punit hic bestiam, bouem cornupetam, scilicet, & puniendo, requirit hominis sanguinem, de manu eius, cùm mandat bouem lapidari, & prohibet, carnes eius in cibum sumere.

Si expiatio imposita fuerit super eum, & dederit redemptionem animæ suæ, secundum omne, quod impositum fuerit super eum, subaudi, liberabitur à morte. Aduerte hic verbum chapar, id est, redimere, ignotæ significationis esse, apud Hebræos. Dicunt enim, significare bituminare, expiare, placare, parcere, remouere, & redimere: sed (meo iudicio) verbum significat, linire, & operire: & quia postquā peccatum opertum est, non videtur ad punitionem, significat parcere, & expiare, seu non punire: propria tamen significatio, vsq; hodie ignota est. Disputauimus abundè, de ea Gen. 6. vbi dicitur. Vechaparta, id est, & picabis, seu pice linies, eam, videlicet arcam.

Si filium cornu petierit, aut filiam, secundum iudicium hoc fiet ei, id est, si contingat, bouem cornupetam, filium, aut filiam, scilicet, domini illius bouis, cornupetere. si non erat ab heri & nudiustertius cornupeta, lapidabitur bos, sed dominus, erit innocens: sed si erat, scilicet, cornupeta, dominus interficietur. Posset etiam esse sermo, de filio aut filia, cuiuscunque hominis, non solum de filiis aut filiabus domini bouis cornupetæ: & hunc sensum, sequens sententia, probat dicens.

Quòd si cornu petierit seruum, videlicet alicuius hominis, vel ancillam, dabit domino illius serui, argenti. 30. siclos, & bos lapidabitur.

Cum aperuerit vir puteum, vel foueam.

Rabbi Dauid dicit, in libro radicum, hoc interesse, inter bor, id est, cisternam, & beer, id est, puteum, quòd bor, id est, cisterna, non est sine ædificio, sed bene beer. Dicit tamen bor, esse cisternam, cuius aquæ colliguntur, sed non scaturiunt: sed (meo iudicio) bor significat foueam, siue sit puteus siue cisterna, siue carcer, aut etiam sepulchrum. Et potest esse, huius legis duplex sensus. Prior, vt loquatur prima pars, de puteo iam facto, cùm quis. s. os eius aperit, & secundus sensus est, vt loquatur, de puteo & de cisterna, vt bor, vno loco puteum, altero verò cisternam, significet. Est ergo sensus: Cùm quis aperuerit puteum, aut cisternam, scilicet iam factam, sed clausam, & aperuerit os eius, aut cùm foderit eam, scilicet, de nouo. Et iste (meo iudicio) est literæ sensus: & decretum est clarum.

Dominus cisternæ, reddet argentum.

Hebraicè ad verbum est: integrabit argentum, & restituet domino eius, scilicet, bouis, vel asini. Et quod dicitur integrabit argentum, debet intelligi, quod integrum, ad bonis valorem, restituet: seu æquabit argentum boui, & restituet domino: sed hæc lex, vt ex sequenti

quenti constat, intelligitur, quando dominus, ignorat bouem esse cornupetam, ab heri & nudiustertius, quòniam si sciret, locum habet lex sequens, quòd, scilicet, redditurus esset bouem viuum, pro occiso à cornupeta suo, & cadauer erat illius. Aduerte etiam hic, verbum chasaph, a quo chesceph, id est, argentum, significare amare, & chesceph, argentum seu pecunia, quod ab omnibus fere diligatur, & ametur. Similiter, vbi omnes hic in fine vertunt. Reddet bouem, pro boue, potest reddi, integrabit, bouem pro boue.

CAPITIS. XXI. AD MORVM compositionem, annotata.

Si emeris seruum hebræum, sex annis seruiet tibi.

Admonet lex hæc, alio affectu, prosequendos esse seruos, ex gente tua, atq; alio extraneos: vt tuos, non sinas perpetuo seruire, licet possis extraneos, ad hoc cogere. Et in priori capitis sententia, aduerte: principem, non solùm leges debere cōdere, quæ ad cultum pertineant, & ad se, sed etiam, quæ ad pacificum pertineāt, reipublicæ conuictum: vnde dicit, hæc sunt iudicia, quæ pones coram eis. Et simul aduerte, quali affectu, diem septimum prosequatur Deus: vt non solum voluerit, in eo cūcta quiescere, sed etiam ab eo expectare libertatem, & propter. 7. diem, sanctificasse. 7. annum, & etiā. 50. Et simul disce, qualiter voluerit, te seruum tuum tractare, quem septimo anno, nosti fore liberum Constat etiam ex hoc loco, hominem fidelem, posse in seruum, homini fideli vendi.

Si maritus mulieris erat. Nouit Dominus, mariti erga coniugem, affectum, ideò noluit, facilè separari. Vbi similiter docet, non detinere alicui, eo inuito, quod maximè diligit.

Dilexi vxorem meam. Quas angustias, vir subeat ob coniugis, & filiorum amorem: pulchrè subindicat locus ille: vt scilicet seruituti perpetuæ, carceri, & multis aliis malis, se aditi patiatur, propter eos. Mauult enim homo, propter eos, perpetuò seruus esse, quàm ad horam sine illis libertate frui.

Sed si Dominus dederit ei vxorem.

Quid illi faciunt, qui non sinunt seruos suos, vti libertate coniugij? Deberes seruo tuo vxorem dare, si non habeat, & tu prohibes eum, habere voleutem, vnde serui, in vagos concubitus, & peccaminosos, frequentissimè ruunt, quorum, tu causam esse dignosceris, qui coniugium prohibes.

Vxor & filij, erunt Domini.

Quoniam, omne quod nascitur in fundo meo, meum est. Similiter disce, cum operas & oleum perdere, qui in alieno operatur.

Perforabit aurem eius subula.

Quanti facienda sit libertas: optimè docet locus iste: & quas pœnas subire debeat, qui ea non vtitur, cùm possit. Similiter admonet, fiō tanti faciendum esse coniugis & liberorum amorem, vt maxima & extrema mala, propter eos subire velis. Docet etiam, eos punendos, qui dedecus seruitutis non sentiunt, neque curant, vt sentiant.

Si vendiderit vir filiam suam. Potest pater angustia aut paupertate pressus, filiam vendere, aut filium: & pulchrè docet locus iste, non dehonestare, conciuium nostrorum filias: sed ex ancillis coniuges facere. Similiter docet, dotem: pudicitiæ puellarum pretium esse. Similiter puellam concitis tui, vt filiam esse tradant, andam.

Populo alieno non poterit eam vendere.

Periculo idololatriæ, obuiam ire voluit dominus, quoniam nouerat, quàm facilè, fœminæ sequantur mores, imò & fidem coniugum, & populi apud quem moran
t. Semine. tur. Maledicti illi (ait Dauid ad Saul) qui me, hæreditate domini pellunt, dicentes. Vade serui diis alienis. Quod verò dicitur. *Si displicuerit in oculis Domini,* ostendit, quàm magnum malum sit, displicentia viri, erga vxorem, vt maluerit, inter eos facere diuortium: quàm in perpetua inimicitia viuere.

Secundum morem filiarum faciet ei.

Qualiter tractandæ sint nurus, ostendit locus iste: vt licet vili conditione, vtpote ancillæ sint, si tamen contingat filio coniungi, tractandas esse, vt filias. Subiit etiam vxor, licet vilis, viri cōditionem & nobilitatem.

Alimentum eius, vestimentum eius, & cohabitationem eius non diminuet.

* Hæc tria sunt, quæ vir debet vxori suæ: victum, scilicet, vestitum, & cohabitationem: saltem ad tempus. Non est enim propter inanem viri appetitum, vxori auferendum, quod sibi iure debetur.

Egredietur gratis, absque argento.

Pluris faciēda est libertas, quàm omnia hæc: vbi etiam disce, Deum omnino voluisse, puellam aliquam suæ pudicitiæ habere recompensationem, vt si contingat eam iniustè auferre scias te ad eam teneri.

Si ei non fuerit insidiatus. Displicuit semper, & summè Deo, malitia, & studiosa vindicta, & parcit illi, qui iusto dolore prouocatus, inimicum occurrentem occidit. Quo in loco, simul expende, nullum malum, homini casu euenire, sed iusto Dei iudicio, licet nobis occulto, vnumquemque, suorum peccatorum pœnas dare, & aliquando, cùm maxime secutus esse videtur.

Si voluntate, ab altari meo, auelles eum.

Audis hic profectò, qualiter Dominus, voluerit homicidas voluntariam, punire cædem, vt nihil ei immunitatis: sacer præstaret locus. Nunc verò sacra loca, homicidarum, & id genus peccatorum, spelunceæ factæ sunt. Quid enim nunc vtilitatis, ecclesiæ minores ordines afferunt? Dicito mihi, quis lectorum acoluthorum, ianitorum, exorcistarum, suum impleat munus? Ad id venit res, vt nunc sacri ordines, in priuilegia facinorosorum hominum, versi sint. Quare (meo iudicio) ecclesiæ consultum esset, quoniam hac de causa cædes in immensum multiplicari videmus, si minores ordines, non nisi simul cum sacris traderentur.

Qui maledixerit patrem aut matrē, moriendo moriatur.

Vt scires quanti facienda sit patris, aut matris percussio, hæc lex sancita est, quæ non solum occisorem aut percussorem eorum occidi mandat, sed maledicentem. Et si qui solū mala parentibus precatur, tales dat pœnas, quales dabit qui percusserit, vel occiderit.

Si percusserit quis proximum suum, & non fuerit mortuus.

Non præcipit lex hæc ob iniuriam, aliquid soluere, quoniam hæc gratis condonanda esset: sed operarum cessationem, & in medicos expensas. Quam ob rem non sint præcipientes confessores: vt præter hæc semper iniuriam exolui iubeant, licet possint, sed quoad possunt, suadeant læsum: gratis iniuriam condonare. Vbi etiam aduerte, solum illum legem hanc damnare ad mortem, qui mortis sufficientē causam præbuit.

Si quis percusserit seruum, vel ancillam.

Vilis est seruorum conditio, vt non sit reus mortis, qui seruum suum occiderit. Vbi simul aduerte, vt plurimum, non esse magnam pœnam infligendam his vitiis, ad quæ homines proni non sunt. Nam quia rari sunt, qui seruos suos occidant, tam mitis fuit in domi nos, seruos occidentes lex.

Argentum eius est. Ex hoc loco collige hominem posse pretio æstimari, & tanti fieri, quanti constitit.

Et egressi fuerint nati eius. Non tanti fieri debet abortus, seu occisio puerorum, in matris vtero existentium, quanti aliorum puerorum & hominum: qui aut iam nati, vel iam prouectæ ætatis sunt. Similiter quàm sit cauenda percussio pregnantis.

Dabit, sicut imposuerit ei maritus mulieris,

Non esse relinquendam peccati pœnam, in partis arbitrio, demonstrat lex hæc, quoniam cæcus est homo, in æstimatione causæ suæ. Et posset lex hæc intelligi, vt corporis pœna, esset in arbitrio iudicis, taxatio verò peculiæ, in æstimatione mariti.

Oculum pro oculo. Æquissima lex, quæ pœnas culpis æquat.

Liberum dimittet eum, pro oculo eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Magna auaro mulcta est, seruum perdere, si membrum aliquod mutilaret aut perderet, serui sui : & vt abstinerent ab huiusmodi percussionibus, voluit seruos perdere, qui membra abscinderent.

Lapidando lapidabitur bos cornupeta.

Ex hoc loco habes, eum teneri restituere, qui causam damno dare contigerit. Similiter quã sit custodienda res tua, quæ proximis nocumento esse potest.

Lapidando lapidabitur bos. Audis hic (quemadmodum aliis scripturæ locis) quanti Deus homicidium facit, quod etiam in brutis vindicat, & quàm parui homines illud faciunt, qui pro re nihili, hominem occidunt.

Contestatio facta fuerit Domino. Cùm proximus : se aut rebus suis proximis nocet, admonendus est, qui si non custodiat, reus damni est, eoq́ue ad restitutionem teneri, qui aliquid tenẽtur custodire & nõ custodiunt.

Si redemptio imposita fuerit ei.

Habent hic leges prudentes, mortem quam quis non omnino mœretur, posse pecunia æstumari ac redimi, quemadmodũ mors serui occisi à domino suo, & puerorum, in matris vtero existentium, quæ compensari pecunia possunt. Æstimatur autem hic à lege. 30. siclis serui mors.

Si quis aperuerit cisternam. Cautos docet esse homines, in huiusmodi, &. 2. teneri ad restitutionem, qui damni causam alicui dat.

Si percusserit bos alicuius, bouem alterius.

Æquissimæ hæ leges sunt, à quibus sapientes gẽtium, mutuasse videntur suas.

CAPITIS. XXII. AD LITERAM annotationes.

SI furatus fuerit vir bouem vel pecus.

Præcedenti capite egit lex de furto hominis, hic statuit de furtis boum, aut pecorum aliorum : & mandat vt qui furatum bouem mactauerit, vel vendiderit restituat quinque pro vno boue, & quatuor pecudes pro vna pecude : & ratio legis est, quoniam tales elongant se, à restitutione. Si enim non vendidisset, neque mactasset, sat erat duplum restituere, vt inferius dicitur. Et aduerte quòd dictio seh, quam pecus vertimus, significat pecus in communi, & extenditur ad agnum, & hœdum, vt patet Deuterono. 14. vbi dicitur seh, id est, agnus ouium, & seh, id est, hœdus caprarum, seu pecus ouium, & pecus caprarum. Idem supra cap. 12. Tollent sibi vnusquisque seh, id est, pecus : postea sequitur. De ouibus, & de capris, accipietis. Si autem quæras, cur pro boue quinque restituere præcipiat, quatuor verò oues seu pecudes, pro vna. Dicunt Hebræi quintum addi bouem, pro ministerio bouis, quo interim priuatur dominus : non sic autem homo vtitur oue, aut pecude.

Si cum perfossorio aut in perfosione, inuentus fuerit fur & percussus fuerit, & mortuus fuerit, non illi sanguines. Si ortus fuerit Sol super ipsum, sanguines illi, restituendo restituet. si non illi, vendetur pro furto suo.

Iste est hebraismus : cuius sensus, vtcunque obscurus est. Potest autem esse duplex, secundum quòd verba illa, sanguines ei, possunt ad percussorem referri, & ad furem percussum. Et si ad percussorem referantur, sensus est. Si in effossione, scilicet, domus, inuentus fuerit fur, scilicet, de nocte, & fuerit percussus, scilicet, à Domino domus, & fuerit mortuus ex percussionibus : non illi, scilicet, percussori sanguines, scilicet, furis percussi vel occisi, imputabuntur, id est, non proinde motietur. Si verò orto Sole super furem : dominus percuteret eum, sanguines illi, scilicet, domino imputabuntur furis. Sed fur tenebitur furtum reddere, & si non haberet vnde, vendendus erat pro furto. Qui sensus probari videtur, ex his, quæ de occidente cum qui vrbem refugii egressus, à redemptore sanguinis occisi, occideretur, de quo textus Nume. 35. dicit. Si inuenerit propinquus sanguinis homicidam, extra terminum vrbis cuasionis suæ, & occiderit, non illi sanguines, scilicet, imputabuntur. Si autem quæras qualiter fur potet restituere, aut pro furto vendi, si fuisset occisus. Dicendum, legem loqui, de fure percusso non mortuo. Si verò ad furem referas, sensus erit. Si in perfossione, noctu, scilicet, inuentus fuerit fur, & percussus fuerit, & mortuus, non illi, scilicet, furi sanguines, scilicet occidentis daburntur, aut non vindicabitur eius sanguis, sed si orto Sole, percussus vel occisus fuerit : illi sanguines vindicabuntur, id est, vltio ab occidẽte, aut à percutiente sumetur : ipse tamen fur, reddendo reddet scilicet furtum, aut si non habuerit vendetur pro furto. Ex his duobus eligat quem maluerit lector. Aduerte hic verbum chatar, à quo macteret, id est perfossio, aut perfossorium, significare fodere, vt ex multis locis scripturæ constat Iob. 24. chatar, id est, perfodit in tenebris domos. Et Ezech. 12. chatarti, id est, perfodi mihi in pariete. Est tamen locus Ioneh, id est, qui hanc turbare significationem videtur, vbi dicitur. Vaiach terũ, id est, Et proiecerunt anchoras viri, vt reducerent, scilicet, nauem ad aridam : sed tu melius seruata propria significatione, vertas. Et foderunt, scilicet remis, aut remigarunt. Nam remiges, remis fodere videntur aquas crebris percussionibus. Ex quo loco disce, non facilè propriam verbi significationem esse mutandam sed conuenientiam inueniendam, vt sæpius admonuimus.

Si inueniendo inuenietur in manu eius furtum, ab oue vsque ad asinum, & vsque ad pecus, viuentia, duo restituet.

Hæc lex exceptio est legis positæ, in initio capitis, ibi enim statutum est, furem, qui furto ablatum bouem vendidisset, aut pecus, vel mactasset, quinque boues, & quatuor pecudes, pro vna debere restituere : sed si suffuratus esset, & nõ mactasset, aut vendidisset, non erat statutum qua esset pœna mulctandus, quæ hic explicatur. Et aduertes ex hoc loco, in sacris literis sæpissimè sententias non semper suo ordine annecti, sed quandoque alienam inseri inter duas, quæ connectendæ ad inuicem essent, quemadmodum in regulis admonuimus ex Prouerbiorum primo, vbi dicitur. Si dixerint tibi impij, Insidiemur sanguini abscondamus nos contra innocentem gratis : citi sententiæ statim adiungenda esset illa, quæ reddit rationem quare velit occultè insidiari sanguini innocenti, & non palam illi nocere, quæ sequitur, scilicet. Frustra enim spargitur rete, ante oculos omnis auis. Ac si apertius dicat : Idcò admoneo, insidiari occultè iusto sanguini, quoniam frustra, apertè aduersus eum ageremus, quemadmodum frustra spargitur rete, ante auium oculos : sed agendum est insidiosè cum eo, & tamen inter has duas sententias, quæ connexæ omnino sunt, aliæ multæ inseruntur, scilicet Deglutiamus eum. Omnem substantiam pretiosam repericmus. Sortem proiice in medio nostri. Fili mi ne ambules cum eis. Pedes enim eorum ad malum currunt, & tandem sequitur. Frustra spargitur rete, quę locãda immediatè erat post illam, cuius causam reddit. Et expende hic quanta pro temporum & locorum differentia, sit legum varietas, vt apud Iudæos fur non esset reus mortis, pro simplici furto, nisi esset hominis. Nunc verò propter furum copiam, ferè vbique damnantur ad mortem, seu suspendium. Videtur tamen, quòd hominis pretiosa & suauis vita, non deberet pro bonorum temporalium expilatione tam facilè tradi, sed quia fures in immensum creuerunt, non mirum si leges in homines seueriùs aduertant.

Cùm pasci fecerit quispiam agrum vel vineam.

Et explicans qualiter hoc fiat, addit.

Et miserit iumentum suum, vt depascatur agrũ alterius, de bono agri sui, & de bono vineæ suæ, restituet, aut integrabit.

Loquitur lex hæc de eo, qui sua sponte iumentum sunm mittit, vt pascatur agrum, vel vineam, alterius, non de eo cuius iumentum, eo inscio & inuito, agrum vel vineam alterius comedit. Et statuit talem, damnum alteri integrare, de optimo agri sui, vel vineæ suæ : atque sentit meo iudicio, quòd licet fœnum, aut bladum depasti agri, aut fructus vineæ depastæ, non sint tam bona, sicut frumentum, aut fructus domini mittentis pecus in agrum, vel vineam alterius, tenea-

tur tamen, de optimis frugibus suis, damnum restituere, quoniam malitiosè iumentum suum misit in alterius agrum, vel vineam. Grammatici hic dicunt, mem in dictione metab, non esse præpositionem, sed literam hemanticam, & sensum esse. Bonum agri sui & vineæ suæ restituet : sed parui refert, siue de bono, siue bonum legas. Aliqui legunt bonum agri eius & vineę eius, scilicet, qui læsus est : restituet, id est, qui iumentum miserit in agrum, vel vineam alterius, ad ea depascenda, restituet bonum agri eius & vineæ eius, scilicet, qui læsus est. Prior tamen sensus, mihi magis arridet. Est & tertius sensus, scilicet bonum agri sui, id est bonum agrum suum, & bonã vineam suam, restituet : ita quòd non solum fructus, pro depastis fructibus, restituere teneretur, sed agrum ipsum, sed nõ placet sensus. Verbum baar, significat propriè pascere, vt patet primo Regum. 16. Ecce ego mabir. i. depascam, posteriora bahasa. Etiam significat comburere, quòd ignis comburens, videatur depascere & comedere ea quæ comburit, quemadmodum iumentum herbas. Iohelis 1. habes. Deuorauit ignis spetiosa deserti. Et abaar, quod (vt diximus) est pascere, oritur beir, quod est iumentum, sic dictum, quòd herbas depascat.

Cùm egressus fuerit ignis, & inuenerit spinas, & comestus fuerit acervus, vel seges, vel ager, restituendo restituet comburens combustionem.

Non distinguit lex hæc, inter eum, qui sponte ignem misit, & qui non sua sponte : crediderim tamen legem loqui, etiam de eo, qui non aduertit, & debuit aduertere & impedire. Et huius legis, potest esse duplex sensus, quorum alter est. Si contingat egressum ignem ab eo, qui ad aliquid illum succendit, inuenire spinas, scilicet, siccas, quibus incipiat enutriri, & post spinas comedat acervum, scilicet manipulorum, vel fasciculorum, id est, segetem demessam, aut stantem, aut agrum id est, agri fœnum, aut fructum, comburens, id est, ignem succendens, qui combussit hæc, restituet, seu integrabit damnum, à se factum. Alter verò sensus est. Si egressus fuerit ignis, & inuenerit spinas, quibus acervus manipulorum circundari solet. Solent enim agricolæ, fasces manipulorum iuxta aream congregatorũ, sepe spinarum circundare, ne à iumentis depascantur, similiter & agros in quibus sunt fructus. Et post consumptionẽ harum spinarum, comestus fuerit acervus, vel seges, vel ager, qui ignem succendit, integrare damnum factum tenebitur. Quia tamen textus dicit.

Si egressus ignis inuenerit spinas, videtur prior sensus amplectendus. Et tamen non parua coniectura est, quòd secundus sensus verus sit, quoniam chos, id est, spina, quod hic ponitur : non qualemcunque spinam significat, sed quæ circundat & suffocat, sicut verbum chus, à quo descendit, quod significat æstuari & præ æstu quasi suffocari. Et per spinas videtur eas significare, quas nostri siluas vocant, quę spiculis quibusdam plenę sunt, quibus agri, apud nos custodiuntur. Et aduerte quòd verbum baar, quod in præcedenti lege, ponebatur pro pasci, hic in secunda ponitur significatione, scilicet, pro comburere.

Si quis dederit, seu ciun dederit vir, socio suo.

Loquitur lex hæc, de deposita pecunia, aut vasis apud alium : & lex clara est. Et nomen cheli, id est, vas, achalah, quod est implere deriuatur : vnde cheli, id est, vas sic dictum, quod impleatur aliqua re, aut quia completum & perfectum est. Sensus legis est, quòd cùm vir dederit, id est, deposuerit : apud socium suum : argentum, scilicet in numismate, aut vasa, ad custodiam, & fuerint furto ablata : si fur fuerit inuentus reddet duplum, sin minus, facient appropinquare dominum domus, ad Iudices (qui hic vocantur heloim) si non miserit manum suam, ad substantiam proximi sui, id est examinabunt eum, vtrum manum miserit in substantiam proximi sui. Quod autem dicitur. Ad substãtiam socij sui, aduerte, malachah, quod hic substantiam vertimus, significare propriè opus, vt patet Leuitici. 11. Omne vas, in quo fit melachah, id est, opus. Et capite decimosexto eiusdem. Omne melachah, id est, opus non facietis. Ex consequenti verò, significat omne acquisitum. Vocant autem Hebræi acquisitum, factum, iuxta illud Geneseos. 14. cap. Et animas, quas fecerant in aram, id est, & substantiam quam acquisierant. Inde etiam meo iudicio, angelus seu nuntius, vocatur malah, id est, operator, quòd per ipsum Dominus, operetur opera sua.

Super omnem rem prævaricationis, seu infidelitatis, scilicet, super bouem, super asinum, super pecus, super vestimentum, & super omne perditum, quod dixerit, quoniam ipse hoc, scilicet, amisit : ad Iudices veniet causa amborum, quem impium fecerint Iudices, seu prævaricatorem, restituet duplum proximo suo. Tractat lex hæc de prævaricationi bus, factis in rebus, quæ alicui in custodiam tradũtur, & statuit, quòd cùm contenderint depositarius, & is apud quem rem quamcunq; deposuit, & conquæritur dominus rei, de prævaricatione, seu infidelitate depositarij, causa ad Iudices adducetur, & quem prævaricatorem iudicauerint, reddet socio suo duplum. Et aduerte Hebræos dicere, verbum passa, quod hic vertimus prævaricari, significare rebellare, deficere, & prævaricari, & vt dicit Chimmi, est exire à voluntate domini, seu præcepto, ex superbia. Et pessa nomen, rebellionem & prævaricationem. Sed meo iudicio, verbum significat infideliter agere, & pessa infidelitatem : quod ad oculum ostẽdam. Nam Threno. tertio dicitur. Nos passanu, id est prævaricati sumus, & rebellauimus. Vbi si passa significaret rebellare, non adderetur. Et rebellauimus. Quòd verò significet infideliter agere, patet Isa. 48. Vpassea. i. & infidelis, seu infideliter agens ab vtero vocaris tu. Vbi loquitur de Iaacob, qui in vtero matris, in fratrem prævaricatus est, & infideliter egit cum eo : vnde posset hic verti. Super omnem rem infidelitatis, id est, qua quis infideliter agit, contra proximum suum, & inferius etiam vertendum est. Quem infidelem, seu infideliter agere iudicauerint Iudices, restituet duplum proximo suo. Si etiam vettas prævaricari, non damno interpretationem.

Cùm dederit vir socio suo asinum, vel bouem, aut pecus, & omne iumentum in custodiam, & mortuum fuerit, vel confractum, vel captum, scilicet ab inimicis irruentibus *& non fuerit videns,* scilicet alius à custode qui possit testificari, *quod viderit eum qui occiderit, aut fregerit, aut ceperit, iuramentum Domini, erit inter duos, si non misit, aut quòd non miserit manum suam, in substantiam proximi sui, & accipiet Dominus ipsius, scilicet, bouis, asini, pecudis, aut cuiuscunque iumenti, cadauer iumenti mortui, aut iumenti confractum, & non restituet,* scilicet custos.

Aut suscipiet dominus ipsius iumenti, iuramẽtum, eo, scilicet, iuramento contentus.

Si autem furando furatum fuerit ab eo, restituet domino ipsius. Et ratio est, quia tenebatur illud custodire.

Si discerpendo discerptum fuerit, scilicet, à bestia, adducet ipse, scilicet, custos testem, & discerptum non restituet. Cùm petierit vir à socio suo, scilicet, mutuo, & confractum fuerit vel mortuum, & dominus ipsius non est cum eo, id est, cum re mutuo tradita, aut cum mutuatario, restituendo restituet, scilicet, qui rem mutuo accepit, qui ad suam, & non domini vtilitatem acceperat mutuum. Secus in depositato, aut custode, qui ad vtilitatem domini, rem eius periculo domini custodit. Dicitur si dominus eius non fuetit cum eo, quoniam domino præsente, constat, casu fuisse mortuum vel confractum, non dolo aut culpa mutuatarij. Reddit lex rationem, quare sic statuerit.

Cùm mercenarium sit, & venerit pro mercede sua.

Hæc dixerim, sequendo communem expositionem. Mihi tamen videtur, propter additam causam, legem loqui de rebus conductis : non de mutuo traditis, & sensus est. Cùm postulauerit vir à socio suo, scilicet cõductitie, seu conducendo, scilicet, iumentum & confractum fuerit, vel mortuum : domino eius non existente cum eo, id est, conducente nõ existente cum re sua, restituendo restituet. f. conductor : si verò fuerit presens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non restituet, quoniam mercenarium est, scilicet, iumentum, & venit pro mercede sua. Explicatio est præcedentis sententiæ. Præsumit autem lex conducentem, non posse malè animali vti, domino præsente: ideò præcipit non restitui, cùm dominus adest.

Si declinare fecerit quis virginem, quæ non est desponsata, & coierit cum ea: dotando dotabit eam, sibi in vxorē.

Ponuntur in hac sententia duo verba, obscuræ significationis apud Hebræos, scilicet, patah, quod declinare vertimus, & mahar, quod dotare: & prius dicunt Hebræi, significare inclinare, declinare cor, ad ea quæ sunt præter rationem, & veritatem, irasci, persuadere: denique variant eius significationem, prout vident, loco quo verbum ponitur, congruere: quod ideò est, quia propriā ignorant significationē. Expensis tamen locis, quibus verbum in scriptura reperitur, videtur propriè significare, declinare à recto, aut ab aliqua parte inclinando se ad alteram: vnde significatio eius videtur varia, quia significat, simul ab vno declinare, & ad alterum inclinari, ac si contraria significaret. Hoseah septimo. Fuit Ephraim, sicut columba, potah id est, declinans, cui non est cor, scilicet, ad se dirigendum. Item Deutero. 11. Cauete vobis ne fortè lipteh, id est, declinet cor vestrum. Illud verò Iudicum. 14. de Sinsone, vertendum sic puto. Pati, id est, declinare fac virum tuum, scilicet, à sua duritia, aut inclinare fac. Quod alij vertunt. Persuadet: qui etiam hic, persuaserit vertunt. Mihi verò magis probatur, altera interpretatio, scilicet, Si declinare fecerit vir virginem, scilicet, à proposito suo. Aliud verò verbum, scilicet, mahar, dicunt significare accelerare, dotare, insanire, & stultum esse. Significatio tamen, qua festinare significat, mihi propria videtur, & quæ ferè omnibus locis, quibus verbum ponitur, quadrare possit, vt primo Samuelis quarto. Et vir mihar, id est, festinauit: Isaiæ. 51. Mihar, id est, festinauit vinctus: vt solueretur. Vnde hic (meo iudicio) vertendum est, pro dotando dotabit, festinando festinabit, sibi eam in vxorem, scilicet, accipere. Et aduerte quòd non loquitur textus de sola seductione quæ per mendacia fit, quoniam vt diximus, verbum significat facere declinare, quocunque modo id fiat, quo quis virginem à proposito seruandæ castitatis, declinare facit, siue blandiciis, siue mendaciis hoc faciat, tenetur festinando, eam in vxorem accipere, aut saltem pretium pudicitiæ restituere. Si de blanditiis dubites, lege Caietanum. 22. scilicet. t. qui obnoxiam restitutioni, meretricem asserit, quæ blāditiis pecunias ab aliquo extorsit. Et hoc expendant Theologi qui dicunt, virum ad nihil teneri, si virginem declinare faciat à proposito castitatis blanditiis, modo nuptias non promittat. Si enim meretrix tenetur restituere, id quod blanditiis, fictisque verbis, ab aliquo vltra consuetam mercedem extorsit, cur non erit restitutioni obnoxius, qui pudicitiam virginis, blanditiis & fictis verbis, ab ea abstulit?

Si nolendo noluerit pater eius, dare eam illi.

Constat ex hoc loco, non semper sufficisse in veteri lege, consensum vtriusque partis ad matrimonium contrahendum, imò aliquando requiri, vt hic, consensum patris, sine quo non poterat esse, inter istos coniugium. Quod non paruum argumentum est, ad credendum libertatem hanc, non esse naturalis iuris, cuius oppositum Theologi multi dicunt. Si enim libertas ad coniugium naturalis esset iuris, non posset pater filiæ coniugium impedire, cuius oppositum hic statuitur.

Pecuniam, seu vt hebraicè habetur, *argentum appendet, secundum dotem virginum.*

Ponitur hic mohar, & videtur dotem significare, ex quo constare videtur, mahar, significare etiam dotare. Posset tamen verti, sustinendo propriam verbi significationem, argentum appendet secundum festinationem virginum, id est, tam festinanter, quàm festinæ virgines solent ad coniugium peruenire.

Maleficam non viuificabis, id est, occides.

Dicunt doctores legem hanc statim insertam, post legem de non seducenda virgine, quoniam vt plurimum, illæ maleficę, solent virgines decipere, & ad concubitum trahere. Dicit autem maleficam, non maleficum, quòd huiusmodi artes & superstitiones à fœminis, potius quàm à viris soleant exerceri. Est etiam aduertendum verbum chassaph, à quo mechassaph, id est maleficā, & mechassepheh, id est, maleficus, significare (autoribus Hebræis) oculos tenere, & præstigiari. Mechassepheh verò, eum, qui leues manus habet, quos nos vocamus treieitadores, & eos, qui tenent oculos. Itali vocant bagatellarios. Disputaui satis, de significatione huius dictionis, supra cap. 7. quem locum consulere licebit: Rabbi Abraham, in commentariis loci citati, dicit significare, mutuantem aliquid naturale ad aspectum oculi: significatio tamen dictionis non plenè nota est.

Coiens cum iumento. Hebraicè est. Iacens cum iumento. Vocat autem hebraismus congressum, iacentiam, quòd iacentibus mare & fœmina, fieri soleat.

Immolans diis succidatur, præterquàm domino soli ipsi.

Verbi charam, quod succidere vertimus significatio, non plenè nota est. Hebræi dicunt, significare occidere, & corrupetere, cherem verò sagenam, charum simum, nasum: inter quæ, & verbi significationem, nulla est conuenientia: ideò significatio mihi adhuc suspecta est, coniectura mihi tamen non parua est, ex locis aliis, quibus verbum ponitur, significare succidere, seu scindere, aut diuidere, quod ex verbis Esaiæ. 11. coniector: vbi dicitur. Veheechetim, id est, præcidet aut præcidere faciet dominus linguam matis Ægypti, id est, extremam partem maris Rubri. quod in fine, atuciem, ad modum linguæ habet, sed Leuit. 27. fusius de verbi significatione differemus.

Peregrinum non opprimes.

Diuinando dicunt Hebræi. verbum ianah significare opprimere, cùm propriam ignorent significationem, neque ego ex scripturæ locis, quibus verbum ponitur, potui propriam significationem inuenire. Dicunt autem significare aliorum substantiam capere, ignoranter aut scienter, vi ac violentia, siue emendo, siue vendēdo, rapiendo, populandoque, vim inferre, & opprimere, quod euidentissimū signum est, eos ignorare verbi proprium significatum postquam sic ea multiplicant. Nullum tamen ex his videtur esse communius, quàm (vt diximus) opprimere, ideò vertendum puto.

Peregrinum non opprimes. Et non coarctabis eum.

Etiam significatio verbi lachas, dubia est, quod Hebræi vertunt opprimere, vim inferre, & coartare: sed hęc vltima, magis verbo conuenire videtur, vt patet secundo Regum sexto. Claudite ostium. Vlechastem, id est, & opprimite seu comprimite eum, scilicet, inter ostia. Sic Nume. 22. Vatilchas, id est, & arrauit asina, pedem Bilham, ad parietem. Vnde nomē lachas, id est, arctus 1. Regum. 22. Comedere faciete eum panem lachas, id est, arctationis, seu artum. i. qualem qui arrati sunt, comedere solent. Et Isa. 30. Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem. Aut melius. Restituet vobis Dominus panem, quem artati comedistis. Ideò melius hic vertendum puto. Non arrabis, quàm non opprimes, aut non expilabis, vt vertit Munsterus.

Omnem viduam & pupillum non humiliabis.

Significat latom, pupillum vel orphanum, vt patet Thren. 5. vbi dicitur. Iethomim, id est, orphani fuimus ac si non esset nobis pater. Et hic sequitur.

Et filij vestri, iithomim, id est, pupilli seu orphani erunt.

Verbo anah, quod humiliare vertimus, Hebræi multas & varias tribuunt significationes, cùm verbum solum significet respondere, & humiliare, vt patet Psal. 88. Omnes fluctus tuos, inita. i. humiliasti. Et Deute. 21. Eo quòd inatah, id est, humiliasti eam. Vocat enim hebraismus congressum humiliationem, eò quòd fœminam humiliando, & deiiciendo, fieri soleat. Quod verò significet respondere, ex multis scripturæ locis notum est, scilicet, Ierem. 23. Quid anah, id est, respondit Dominus? Item Isaię. 13. Vt anah. i. & respondebunt vlulæ in ædibus eius. Vbi alij vertunt. Et cantabunt.

Vsurpant etiam frequentissimè Hebræi, respondere, pro exaudire, vt Psal. 145. velociter anenī, id est, respōde mihi, pro exaudi me, vt vulgatus interpretatur.

Viduam & pupillum non humiliabitis, scilicet, opprimendo eos. Alij vertunt non affligetis: sed prior interpretatio melior est. Verbum alam, à quo almanah, id est, vidua, significat propriè ligare, vt patet Gen. 37. vbi dicit Ioseph. Ecce nos leanim, id est, ligātes seu manipulantes (si sic loquendum esset latinis auribus) manipulos in agro. Vnde alumah, id est, manipulus, sic à ligando dictus: & elem, id est, colligatio hominum impiorum, ad malum: vt Psal. 58. Nun vere elem, id est, colligatio, iustitiam loquimini? Significat etiam in niphal, obmutescere, eò quod mutus, sit quasi ligatus, vt loqui nequeat. Isa. 53. Sicut ouis coram tondente se, ne clamah, id est, obmutescet, aut ligabitur. Inde etiam vidua dicitur almanah, id est, ligata seu muta, quòd nihil facere aut loqui audeat.

Si humiliando humiliaueris eam, clamando clamabit ad me.

Consulto non verti. Si affligēdo afflixeris, quoniam vt prædiximus, verbum anah potius humiliare, quàm affligere significat.

Si argentum aut pecuniam (hebraicè tamen argentum ponitur) *mutuaueris populo meo humili, aut pauperi, qui est tecum, non eris sicut vsurarius, non ponetis ei super eum, vsuram.*

Verbum lauah, quod mutuare interpretati sumus, significat mutuo dare, non solum pecuniam, sed omnem rem, etiam seipsum. Addunt etiam Hebræi aliam significationem, scilicet, adhærere, sed in omnibus ferè locis, quibus adhærere vertunt, videtur quadrare prior significatio: sicut Ecclesiast. 8. vbi ait Salomon. Et hoc liluenu, id est adhærebit sibi, de labore suo (vt nostri vertunt) vbi tam benè vertas. Et hoc mutuo habebit de labore suo. Nam diuitiæ, & alia bona temporalia, pro quibus tam anxie laboramus, nobis non quidem dari, sed mutuari à Deo videntur. Hoc ergo homo, de bonis in quibus laborauit: mutuo accipiet, vt, scilicet lætetur in eis. Psalm. etiam. 83. vbi nostri vertunt. Assur niluach. i. sociatus est eis, tam benè vertas mutuauit se eis, scilicet pro mercede sua, aut pacto iuuandi eum, cùm opus esset. Solent enim Reges, alios vicinos hoc pacto in bellis iuuare: quod eis, cùm opus fuerit, auxilio sint. Idem Isaiæ. 14. Niluah, id est, coniungitur aduena ad eos (vt vulgatus vertit) vbi tam benè interpretetis. Mutuo tradet se eis, id est, locabit se illis. Vnde sequitur. Et possidebunt eos, in seruos, & ancillas. Nō alio modo Gen. 29. dicitur Ilaueh, id est, copulabitur mihi maritus meus, vt omnes ferè vertunt: vbi vertere licebit, mutuabit se mihi, quasi pro mercede. Nam Rachel, habebat maritum Leah, quasi proprium, Leah verò mutuatum, quemadmodum ipsa dicit capite. 30. Ingrediendo ingredieris ad me, quia mercando mercata sunt te, pro mandragoris filij mei. Potest tamen secundo significare coniungere, quòd inter mutuantem, & mutuo accipientem, sit quædam societas, & coniunctio contractus. Posset etiam dici, verbum propriè significare, coniungere, & coniungi, & ex consequenti mutuare seu contrahere, quòd sit quædam societas. Vnde Leuiatham, id est, serpens marinus, sic dictus, eò quòd multis inuolutionibus cōiungatur quasi coniunctus.

Non eris illi, sicut exactor. Non plenè constat, quid propriè significet verbum nassah, id est, exigere neque sunt certæ coniecturæ, ad venandam eius propriam & genuinam significationem. Nam. 2. Parali. 6. videtur significare exigere. Threno. verò tertio obliuiscī, nonnunquam deficere, vt Iere. 51. Communior tamen significatio est contrahere, & fœnerari. Et quod sequitur.

Non pones super eum vsuram.

Verbum nassah, a quo nessech, id est, vsura, significat propriè mordere, & nessech morsum. Nam Nume. 21. habes Nassach, anachas, id est, mordeat serpens virū. Tandiu enim vsura, bona mutuo accipientis mordet: quousque consumat. Et sententia statim explicatur in textu, secundum morem scripturæ. Postquam enim dixerat. Si pecuniam mutuo tradideris populo meo pauperi, aut humili, qui est tecum: non eris illi sicut fœnerator. statim explicando addit. Non pones super eum vsuram, seu morsum.

Si obligando obligaueris, aut si in pignus accipiendo, in pignus acceperis, vestimentum socij tui, intellige non habentis aliud quo se operiat: *vsque ad occasum Solis, restitues illud illi. Quoniam hoc operimentum eius, solum ipsum, ipsum vestimentum eius: nuditati eius, in quo iacebit.*

Tot ac tam varias, tribuunt Hebræi significationes, verbo chabal, quod in pignus accipere vertimus, vt vix propriam possit homo significationem inuenire. Significat enim eis pignorare, mutuare, corrumpere, gubernare nauem, & dissipare. Mihi verò, ex aliquot coniecturis apparet, significare ligare, disligare, & obligare, quòd homo obligando se liget. Quarum coniecturarum prior est, quia nomen chebel, quod ab eo deriuatur, significat funem, ligamen, & làqueum, vt patet Iosuah. 2. Ascendere fecit eos bachebel. i. per funem. Idem Iob. 40. Vbechebel i. & fune ligabis linguā eius? Quo nomine, vocatur etiam, collectio Prophetarum primo Samue. 10. vbi Sauli dicit Samuel. Occurres chebel. i. collectioni Prophetarum. Vocat autem collectionem Prophetarum, quoniam cùm hymnos Deo canebant, erant ad inuicem manibus colligati in choreis, quemadmodum qui chorizant, seu choros ducunt, facere solent. Secunda, quia hę significationes, omnibus ferè locis, quibus verbum ponitur, conueniunt: vt Ezechiæ. 18. vbi dicitur. Chabol, Iochabal. i. pignus non pignorauerit (vt nostri vertunt) vbi tam benè vertas. Obligando non obligauerit. Sic Deute. 24. Quia animam suam ipse chobal, id est, pignorat. Tam benè vertas obligat seu ligat. Vnde illud Ionæ 1. Accessit ad eum rabbachobel. i. magister nauis (vt nostri vertunt) vertendum puto. Accessit ad eum multitudo colligantium seu obligantium: per quos intelligit mercatores, qui homines suis contractibus ligare solent. Est ad hāc significationem tertia coniectura, quę & eam omnino conuincit, & quendam scripturę locum, luculenter explicat. Nam Zachariæ. 11. nostri malè vertūt. Alteram vocaui chobelim. i. corrumpentes: vbi interpretādum est, colligationes. Nam sequitur. Et præcidi virgam meam chobelim. i. colligationes, vt disligarem fraternitatem inter Iehudah & Israel. Quo in loco vides, quam melius quadret, colligationes quàm dissipantes, vt nostri vertunt. Vnde Rabbi Dauid, veritate contextus coactus, vertit funiculos. Voluit enim Dominus, colligationem inter Iehudah & Israel dissipare, quoniam ad malum tunc temporis ligati erant. Est ergo textus hic reddendus, sicuti diximus, & non aliter. Sed durissimum valdè videtur, quòd Dominus permitteret pauperem, in die nudū incedere, nisi dicamus hoc permississe, ne esset oblitus solutionis debiti: præcepit verò restitui, ante Solis occasum, vt pauper haberet quo operiretur in frigore noctis. Sed melius dici puto, legem non præcipere, vt creditor omni die posset vestem pauperis auferre, & omni sero restituere, quem sensum ferè omnes sequuntur: sed statuere, quòd si contingat creditorem vestem quam solam pauper habet ab eo semel auferre, restituat eam illi, ante Solis occasum, nunquam eam amplius accepturus, quoniam ea pauper pro indumento & lecto vtitur. Nam crudele alias videtur vestem interdiu pauperi auferre, qui vnicam habet: cùm etiam in die frigus pauperem premat nudum, sicut in nocte, Rabbi Selomoh aliter hunc textum legit, scilicet, sic:

Cùm abstuleris vestimentum proximi tui in pignus, restitues illud ipsi vsque ad occasum Solis, vt, scilicet possit interdiu indutus eo apparere, præsertim cùm aliud non habeat, quo interdiu cutem tegat, sero verò licebat vsque mane auferre, si nocte illa opus non habuerit, si verò nocte quoque loco tegumenti vtatur, nunquam licebit auferre. Sed quia in fine textus sequitur. Tantum illud est pelli suæ, in quo iaceat seu dormiat: prior sensus videtur textui propinquior.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudices non contemnes. Omnes hic vertunt.

Non maledices Iudicibus. Sed iam Genesis octano, multis exemplis ostendimus, verbum chalal significare velocem & leuem esse, & ex consequenti contemnere, quod quæ leuia reputamus, contemnere simus soliti, significat etiam maledicere, quòd qui maledicit, cõtemnere videtur eum cui maledicit. Sic enim Paulus in actis hunc locum intellexisse videtur, cùm illum Iudæi arguerent, quod summo sacerdoti maledixisset, ignorare se respõdit summum fuisse sacerdotem, probeque nosse, non esse maledicendum.

Et principem in populo tuo non maledices.

Aliud est verbum quod hic vertimus maledicere, & aliud cùm dictum est in præcedenti sententia, Iudicibus non maledices, quoniam prius est chalal, hoc verò arar: & ideò meo iudicio, alia est significatio præcedentis, scilicet, despicere & contemnere, alia huius, scilicet, maledicere, ideò vertendum puto.

Iudices non contemnes, & Principem seu eleuatum in populo non maledices.

Parui tamen refert vtrouis modo legas. Poterat enim aliquis Iudices contemnere, quoniam nonnunquam sunt ex infimo populo, aut media de plebe, ideò præcipit non contemnere eos. Quòd si maledicere legas, ratio legis seu prohibitionis est, ideò non esse maledicendos quoniam rei solent Iudicibus male precari cùm viderint se ab eis damnari suppliciis.

Plenitudinem tuam, & lachrymam tuam, non tardabis. Non satis constat, quid hic textus per plenitudinem intelligat. Quidam primitias dici putant, sed quare plenitudo dicantur ignorant. Noster verò Sanctes longa paraphrasi vsus est, & vertit.

Primitias sementis tuæ, cùm fuerint maturæ, & primitias vini tui, instar lachrymæ condescendentis è torcularis; non tardabis.

Sed hebraicè est vt nos vertimus. Et de significatione nominum, non est dubium, primum, scilicet milet significare plenitudinem. 2. verò scilicet, dimah, constat significare lachrymam. Ieremi. 13. vbi dicitur. Descendere faciet oculus meus dimah, id est, lachrymam. Et meo iudicio sensus est. Plenitudinem tuam, id est, decimas & primitias aridorum, quæ in magna copia colliguntur, & nascuntur, & lachrymam tuam, id est, decimas & primitias fluidorum, quæ veluti lachrymæ fluunt, non tardabis, scilicet offerre. Hebræi longè aliter interpretantur, sic videlicet. Primitias musti tui, & primitias olei tui, primo quoque tempore offeres. Mustum enim hebraicè meleah, id est, plenitudinem dici sentiunt, quòd magna copia è torcularibus fluere soleat, oleum verò lachrymam, quòd guttatim defluat, cùm fit in lacu. Rabbi Dauid in suis radicibus, sic locum interpretatur. Cùm impletæ fuerint fruges tuæ, siue cùm ad maturitatem peruenerint, dabis primitias. Et deinde cùm collectæ fuerint intra domum, dabis quoq; lachrymã, hoc est vinum & oleum in vindemia, quæ messem sequitur. Vnde secundum ipsum, plenitudo siue primitiæ, ad fruges spectant, lachryma verò ad liquamina, vinum scilicet & oleum. 70 verterunt. Primitias areæ tuæ & torcularis tui.

Septem diebus erit cum matre sua.

Constat ex hoc loco, quoto die esset tam homo quàm animal, redimendum, aut offerendum Domino, si essent primogenita. Est tamen non parua coniectura, quòd fieret filij primogeniti redemptio, in die purificationis, ex verbis Lucæ secundo capite, vbi dicitur Christum in die purificationis esse oblatum. Postquam enim impleti sunt dies purgationis eius, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. & darent hostiam pro eo. Potuit tamen esse, vt primogenitum animalis offerretur octauo die à sua natiuitate, homo verò. 40. in die, scilicet, purificationis matris: licet hoc mihi non multum probetur.

Viri sancti eritis mihi, id est, ab immunditiis separati, & statim explicat qualiter, vt scilicet non comedãt aliquid immundum, qualis est caro animalis in agro à fera discerpti.

Si fœratus fuerit quispiam bouem. Æquissima lex, vt qui in substantia peccat proximi: in substantia puniatur. Nisi enim frequens apud aliquos furtum sit, vtcunque immitè videtur, vt vita quis compenset proximi substãtiam. Sed quemadmodum lex statuit, adulterium quoniam frequentissimum apud Iudæos erat, morte plecti, ita nunc apud multos furtum, furis vita compensatur.

Quinque boues pro vno bone.

Discant ex hoc loco, qui confessiones audiunt, tanto aliquem, qui rem alterius contrectauit eo inuito, ad plura teneri, quanto res quam abstulit Domino suo vtilior est. Nam quia bos ad plura vtilis est quàm ouis aut aliud pecus, pro boue restituendi sunt quinque, pro pecude quatuor. Bos enim, præter hoc quòd carnes nobis ad alimentum, corium ad calceamenta, cornua in varios præstat vsus, terram arat, vehiculum trahit, stercus ad terræ fœcunditatem, & multa alia bona præstat, quæ pecora alia præstare nequeunt. Est & aliud quod hic aduertas. Aliter, scilicet punirl, qui bouem aut pecus iugulauerit, vel vendiderit, & aliter qui hæc adhuc apud se retinere deprehensus fuerit, vt scias quod malum sit, abiicere à te facultatem restituendi.

Si in perfossione inuentus fuerit vir.

Ostendit lex hæc grauiori pœna mulctandum, qui in delicto deprehenditur, quàm qui de eo conuincitur. Docet insuper licere vnumquemque sua tueri, etiam occidendo inuasorem.

Vendetur propter furtum. Licere putat lex hæc, libertatem, licet superioris ordinis bonum sit, bonis temporalibus compensari. Cur non etiam fama, & omnia alia? Constat enim ex hoc loco substantiam, libertate compensari, quam si principes instituerent legem, non essent homines tam faciles ad furta. Pluris enim multi faciunt libertatem, quàm vitam.

Si pasci fecerit quispiam agrum vel vineam.

Abhorret Dominus ab his, qui sponte mala operãtur, & nocent proximis suis: secus qui casu iniurij sunt. Et cõsidera hic summam Dei æquitatem. Voluit enim vt plurimum, vnumquemque in ea re puniri, in qua proximum læsit: vt qui in agro læserit, bonum agri sui reddat, qui in oculo, oculum, & qui in dente, dentem dare cogatur.

Si egressus fuerit ignis. Clamat lex hæc, vt qui causam damni dat, damnum reddat. Vnde ortùm habuit practica Theologorum, qui eum obnoxium restitutioni dicunt, qui causa est iniustæ acceptionis, etiam si inde nihil habeat lucri & emolumenti.

Si dederit quispiam argentum. Exigit lex hæc, in depositariis fidelitatem, in dominis verò non malè præsumere de custodibus, & quia custos, ad domini vtilitatem negotium gessit: voluit causam ad eius iuramentum remittere. Ex quo loco iuris prudentiæ Doctores, suas leges mutuati sunt.

Si furto fuerit ablatum reddet. Suo periculo custos tenetur rem sibi creditam custodire, ne furto auferatur. Secus si casu sibi esset ablata, aut moreretur.

Domino eius non existente secum.

Constat ex hoc loco, Iudicem sæpius debere præsumptionibus moueri, modò verisimiles habeat coniecturas ad veritatem cognoscendam.

Si seduxerit quis virginem. Colligo ex hoc loco, persuasiones, causam malis dare, eosque malorum actores esse, qui sola persuasione egerunt ad damnum proximorum, vbi similiter disce, pudicitiam pecunia æstimari posse.

Si renuendo renuerit pater eius.

Considera quanti faciendi sint parentes, sine quorum consensu noluit Dominus, firmũ in hoc casu fore matrimonium Estq; hic non paruum argumentũ ad probandum, libertatem ad coniugium, non omnino naturæ lege filio conuenire, sicut neq; ad religionis ingressum: hominemq; non semper esse sui iuris ad matrimonium

monium contrahendum. Lege tamen pontificia, post legitimam, & lege statutam ætatem, hoc liberum esse constat.

Argentum appendat iuxta dotem virginum.

Constat ex hoc loco, dotem iuxta virginis conditionem, æquum esse pudicitiæ pretium.

Maleficam non pates viuere. Non dicit textus maleficum: sed maleficam, quoniam huiusmodi maleficia, potius fœminæ quàm viri exercere solent, cuius causa est earum imperentia & vehemẽs affectus. Cùm enim natura sint imbecilli, carminibus se iuuare posse arbitrantur. Coniunxit autem, vt diximus, maleficarum legem virginum seductioni, quoniam ab his puellæ maximè seducuntur.

Coiens cum animali moriatur. Indignus vita mœrito reputatur, qui naturæ iniurius est.

Immolans diis occidetur. Cauendum summè est, ne eodem honore, digna arbitreris idola, quo & Deum. Similiter disce, dæmones diuinis laudibus maximè delectari.

Peregrino non inferes vim. Omnes istæ leges pietatem docent.

Quoniam peregrini fuistis. Optima pietatis magistra, experta indigẽtia: vnde cùm te ad misericordiam prouocare volueris, cogita an simile aliquãdo malum his passus, aut te passurum timeas.

Si clamando clamauerint ad me. Pluris faciendi sunt viduarum & pauperum clamores, quorum se vindicẽ, Dominus exhibiturum prædicit.

Expende hæc quia bona sunt.

Si pecuniam mutuauerit populo meo pauperi. Non dicit tuo sed meo, vt consideres cùm ab eo vsuram exegeris, te potius à deo eam exigere, quàm à paupere: & considera Deum tibi cuncta bona sua sine vsura dedisse. Quid enim ex te petit, pro vsu Solis & Lunæ? Quid pro stellarum splendore? Quid pro cunctis aliis bonis? Pudeat ergo te ab eo vsuram expetere, qui tibi cuncta gratis & sine vsura largitur.

Manũ cum alio mittes re quid.

Si in pignus acceperis vestimentum à proximo tuo, cùm Sol occubuerit id restitues illi.

Mirabilis prudentia legislatoris qui neque voluit debitorem negligentem esse in soluendis debitis, neque creditorem immitem. Vbi simul disce, non esse ea in pignus accipienda, sine quibus proximus tuus vti uere nequit.

Si clamauerint ad me. Timendi sunt valdè, pauperum clamores, ad quos Deus se tam apertas aures habere prædicit.

Iudicibus & Principi non maledices.

Quoniam Iudicum & Principum munera talia sunt, vt multi de eis conquerantur omnes, scilicet, illi aduersus quos ius dicit, prouidit pius legislator huiusmodi maledictionibus.

Primitias non tardabis. Admonui superius Dominum initiis peccatorum occurrere voluisse, ne peccare grauius contingeret. Ne ergo populus, in sua necessitate primitias Deo debitas ederet, voluit statim offerri. Idem de primogenitis statuit tam hominum quàm animalium, quo discimus apud nos non detinere, quæ sumus Deo daturi, ne forte illis ita afficiamur, vt nobis Deo inuito retineamus.

CAPITIS. XXIII. IVXTA LITERAM ANNOTATIONES.

Non feres auditionem falsitatis, neque pones manum tuam cum impio, vt sis testis conculcationis, aut falsitatis. Varie locus iste ab interpretibus redditur, propter varias significationes terminorum. Nam priori verbo scilicet næssa, Hebræi. 14. tribuunt significationes, scilicet ferre, sustinere, portare, leuare, eleuare, exaltare, attollere, accipere, auferre, parcere, dimittere, donare, vaticinari, & comburere, cùm re vera significet propriè leuare, & portare maximè leuando, cætera verò, vt quandam ad hæc conuenientiã & allusionem habet, vt iam in regulis admonuimus. Hoc enim significat supra cap. 10. Ventus orientalis nassa. i. leuauit seu eleuauit locustam. Et. 2. Samuelis. 20. Nassa iado, id est, leuauit seu eleuauit manum suam contra Regẽ. Sic in aliis mille scripturæ locis, quos breuitati studentes, citare nolumus, quę quidem significatio etiam hic conuenire videtur, & sensus est.

Non feres seu sustinebis auditionem mendacij, id est, non sustinebis audire eum, qui ad te mendacium contra proximum adfert.

Neque pones manum tuam, id est, auxilium præstabis *impio,* vt scilicet cum eo sis testis conculcationis: proximi scilicet. Et meo iudicio, duo hic prohibentur. Alterum: ne feras alium mendacem testem, audiendo eum contra proximum. Alterum, ne tu sis falsus testis aduersus proximum, ad nocendum illi: non solùm inquam solus non sis testis falsitatis, sed neque ad hoc impium iuues. Posset secundo esse sensus. Non eleuabis, scilicet extollendo & laudando mendacium alicuius, neque tu etis testis mendax, in proximum. Tertiò posset sic locus reddi. Non portabis hinc inde mendacij auditionem, id est, mendacium quod audieris, ac si dicat. Non multiplicabis audituri mendacium, narrando scilicet illud aliis, neque adiuuabis impium ad falsum testimonium. Et iste posterior sensus aliis præferendus est. De significatione nominis chamas, id est, conculcatio, aut destructio, abundè Genesis sexto disputauimus. Chaldæus vertit. Non accipias famam falsam, aut ne falsum rumõrem admiseris, & memento hebraismum esse, mittere manum cum aliquo, id est, iuuare illum. Sumitur enim sæpius manus pro adiutore, quòd ea auxilium præstare oppresso soleamus. Neque minus peccare Hebræi dicunt eum, qui falso aliquem defert, quàm qui auscultat delatorem, asseruntque omnem qui malignè aliquem traducit, & qui delatorem recipit, omnemq; qui falsum testimonium contra proximum dicit, dignum esse qui canibus proiiciatur. Sunt qui dicunt hic Iudices tantum instrui, ne temerè alicui credant.

Non eris post multos ad mala, & non respondebis in causa, vt declines post multos, ad declinationem.

Iste est hebraismus. Potest textus iste Iudices tantum instruere, & potest omnes admonere, & si ad Iudices referatur, sensus est. Si contingat te Iudicem cum aliis esse, & videris alios ad mala conuenire, non sequeris eos: aut non eris post eos ad mala, scilicet, facienda. Similiter si fueris Iudex, aut consiliarius cum aliis, in iudicio alicuius rei: & fueris interrogatus: quid sentias de ea re, non respondebis in causa declinando post multos, id est, sequendo multos declinantes, seu quos videris declinare, vt declinent, id est quos studiosè videris declinare. Secus cum declinant, ignorantes se declinare. Posset etiam esse sensus. Non eris post multos, id est non sequeris multos, ad mala facienda: neque etiam sequeris eos, ad malè iudicandum respondendo iuxta illorum responsionem: & idem ferè est sensus, si instruat multitudinem. Posset etiam prior pars legis omnes instruere: & secunda Iudices tantum.

Pauperem non honorabis in lite sua.

Significat nomen dal, attenuatum potius quàm pauperem, siue quis sit pecunia, siue carne, siue quacunque alia re attenuatus, quemadmodum verbum dalal, attenuari: vt patet Isaiæ decimonono. Dalalu, id est, attenuati, seu exsiccati sunt riui. Hinc ægroti, quia tenues carne sunt, vocantur delim, id est, attenuati, secundo Samuelis decimotertio. Cur tu sic dal, id est, attenuatus seu macilentus, fili Regis? Significatio verbi hadar, quod honorare vertimus, dubia est & incerta Hebræis: ex locis tamen quibus in scriptura ponitur, videtur significare decorare, honorare: & hadar nomen honorem, aut decorem, vt patet Leuitici vigesimotertio. Capietis vobis die prima, fructum arboris, hadar, id est, decoræ seu pulchræ, aut honorabilis. Quod enim pulchrum & decorum est, honorare solemus. Et Leuitici decimonono. Non thedar, id est, honorabis faciem magni. Est ergo sensus, quòd Iudex non honoret pauperem in lite sua, vt à iusto diuertat

ob illius paupertatem. Aut non ornabis scilicet phaleratis verbis, pauperem in lite sua: vt fieri solet. Cùm enim quis pauperi palmam in iudicio vult tribuere, ornat causam eius dicens. Pauper est, & miserabilis: & cui ob miseriam succurrendum est.

Quòn videris asinum odientis te iacentem sub onere suo, desines? derelinques illi? relinquendo relinques cum eo? Sic hebraismus habet. Obscurum reddit sensum huius loci ignorantia significationis propriæ verborum, chadal & azab, quæ videntur esse eiusdem significantiæ: communis tamen significatio azab, est relinquere, chadal verò, desinere & cessare significat. Et de chadal exemplum habes Gene. 18. Chadal, id est cessauit aut quieuit, Saræ fieri consuetudo. Et 41. Caldal. i. cessauit numerare. Secundi verò verbi significationis exempla, in scripturis passim sunt obuia, quorum tibi nliquot citabimus. Nam Ezechielis octauo habes. Azab, id est dereliquit Dominus terram. Et Isaiæ quinquagesimo secundo. Et iudicium Dei sui non azab, id est dereliquit. Est tamen locus Nechemiæ tertio qui hanc communem significationem turbare videtur, vbi dicitur. Iuxta lotum eius instaurauit Chananiah filius Harachachim: & Iaazbu, id est & erexerunt aut instaurauerunt Ierusalem, vsque ad murum latum. Sed etiam hic conuenire potest: communis significatio, si vertas. Et reliquerunt aut perfecerunt Ierusalem vsque ad murum latum: instaurantes, scilicet vsq; ad illum locũ, muri scilicet lati, quo opus intermiserunt. Si ergo teneas vtriusque verbi vnicam & propriam significationem, sensus est. Cum videris asinum odientis te, iacentem sub onere suo: desines scilicet auxilio illi esse, relinquẽdo illi scilicet proximo, onus subleuandi? Et quasi explicans sequitur interrogatiue. Relinquendo relinques scilicet eum solum, cum eo scilicet asino? Ac si dicat. Relinquendo relinques ei, onus subleuandi? Aut relinquendo relinques scilicet proximũ? Minime: sed cum eo, scilicet subleuabis. Et licet multoties literam hanc reuoluerim, nullus mihi sensus isto germanior occurrit, non distrahendo verba à suis significationibus, & secundum magis probare videtur scriptura Deuteronomij vigesimosecundo, vbi ferè eandem sententiam ponit dicens. Non videbis asinum fratris tui vel bouem cadentes in via, & abscondes te ab eis. Erigendo eriges eum eo. Qui verò varias verbi azab acceptant significationes, scilicet, relinquere & auxiliari, hunc sensum subesse credunt. Si videris asinum odientis te, iacẽtem sub onere suo, desines auxiliari ei? Auxiliando auxilia beris secum. Etiam nonnihil difficultatis loco attulit, quòd Hebræi carent apicibus & virgulis indicantibus interrogationes, quod non solum hic, sed in multis aliis locis negotium nobis fecit.

Non declinare facies iudicium mendici tui in lite eius. Præceperat non esse honorandũ pauperem in lite suã: nunc per oppositum præcipit: non esse peruertendum iudiciũ cõtra eum. Nam quemadmodum ob eius paupertatem non est pro eo ius dicendum: ita neq; ob eandem est sua iustitia priuandus. Et aduerte quòd ab ahah, quod est velle & concupiscere, est ebion, id est, mendicus, qui cùm omnibus careat, omnia cõcupiscit. A quo verbo (meo iudicio) est ab, id est, pater, sic dictus, aut quòd filios vt plurimum desideret, aut bona temporalia illius.

A verbo mendacij elongabit te. Si ad Iudices sit sermo, sensus est, quòd non credant verbis mendacibus: quoniam hoc Iudicibus summè nocere solet. Posset etiam hoc ad priuatos referri, vt scilicet à mendaciis dicendis fugiant.

Quoniam non iustifico impium. id est, quoniam quemadmodum non iustifico impium: proferendo scilicet eum innocentẽ in iudicio, ita nec occido innocentem.

Quoniam munus excæcabit videntes.
Verbum hebraicum vt propriè significat suscitare, & eruere. Nam qui aliquid eruit, vel eruerit, videtur illud eleuare & suscitare à loco à quo ipsum eruit: vnde non tam propriè excæcare: quàm eruere significat, & hic significantius vertas. Quoniam munus, euertit seu eruit scilicet oculos videntis. Ac si apertius dicat. Necdum excæcat videntes, sed etiam oculos illi eruit. Quòd autem verbum significet eruere, patet Ieremiæ quinquagesimosecundo. Sed & oculos Sidchiiahu seu Sedechiæ luer, id est eruit, vt Hieronymus vertit. Posset etiam tolerari propria significatio, scilicet euigilare, & sic verti. Quoniam munus euigilare facit sapientes, scilicet ad causam, ob quam munus accipiunt, quærentes mille vias ad eam euincendam. Aut eleuat sapientes, vt scilicet non considerent merita causæ, sed munus tantum. Sunt duo verba, scilicet arah, & arar, quasi eiusdem significationis. Significatio tamen propria, nondum mihi plenè nota est. Aduerte etiam in eo quod sequitur, scilicet videntes, quòd verbum pachah, à quo picheah, id est videns, significat aperire: vt patet Iob vigesimoseptimo. Oculos suos pachah, id est, aperuit. Et capite decimoquarto. Pachahtar, id est, aperuisti oculos tuos. Vocat autem hebraismus videntes apertos, eò quòd apertos oculos habere videãtur: similiter videre, aperire vocat: vt patet Psalmo. 146. Dominus pocheah, id est, aperiens cæcos seu videre faciens eos.

Et peruertet verba iustorum. Solent iusti recta verba dicere, pronuntiantes iustum, qui verè iustus est, & impium qui reuera impius est: sed postquam muneribus corrupti sunt iam videbis eos alia habere verba, scilicet iustificantia impium, & damnantia pium: ita vt quis facilè diiudicet, corruptum muneribus Iudicem. Verbum etiam salaph, quod hic peruertere vertimus: posset etiam significare diuertere, & aliò vertere. Nam vbi Prouerbiorum vigesimoprimo, nostri vertunt. Mesalaph, id est peruertit, scilicet Dominus impios, ad malum ipsorum, Thargum interpretatur demigrare facit. Hieronymus hic vertit. Et mutat verba iustorum. Aliqui non verba, sed res & causas interpretantur. Quoniam munus inquiunt peruertit causas rectas.

Peregrinum non coarctabis, vt scilicet non possit viuere apud te. Aliqui vertunt. Non angustiis afficies. Munsterus, Non molestabis. Significatio tamen prior germana esse videtur, vt abundè probauimus supra capite. 3. & patet secundo Regum. 6. vbi dicitur. Claudite ostium, vlechaștem. i. comprimetis seu arctabitis illum. Sic Nume. 22. Et vidit asina angelum Domini. Vetilaches. i. arctauit seu coarctauit se ad parietẽ. Hinc est nomen Iachas, quod compressionem significat. 1. Regum. 22. Vesci facite eum panem lachas. i. strictionis vel compressionis. i. in mensura stricta: quali vesci solent, qui arctati sunt, aut obsessi.

Vos enim nouistis animam peregrini, quàm sit arcta & compressa. Non enim audet loqui, aut quicquam facere.

Et colliges prouentum eius. Significat verbum asaph, colligere, & congregare, sicut hic. Vtitur tamẽ hebraismus eo pro retrahere: quoniam id quod colligitur aut congregatur, videtur contrahi & retrahi, ne possit vagare hinc inde. Nam Gene. 30. dicit Rachel. Asaph. i. collegit Deus, seu contraxit opprobrium meum, ne scilicet vltra cresceret, aut iret. Et Isaiæ. 4. Esoph. i. collige opprobrium nostrum, pro contrahe, resiste opprobrio nostro, ne vltra procedat. Dictio etiam tebuatah, id est, prouentus ortum habet à ba, quod est venire, & propriè significat id quod ex agro venit, aut quod illo anno à Domino venit.

Vt septimo dimittes eam, & liberam relinquet. Prius verbum, scilicet, shamat significat dimittere, & demittere, seu à se proiicere: vt patet Ieremi. 17. Veshamatah. i. Et dimittetur seu remissio erit in te, ab hæreditate tua. Quòd verò demittere significet, constat, secundo Samuelis sexto. Quoniam shanatu, id est, demittebant eam, scilicet, aream boues, id est, deorsum proiiciebant, aut inclinate faciebant. Sic secundo Regum nono. Et dixit, scilicet Iehu. Sim tuau, id est, demittite eam, seu deorsum eam proiicite. Secundum autem verbum, scilicet, natas significat relinquere, derelinquere, vt patet primo Samuelis. 10. vbi dicitur. Natas, id est, dereliquit pater tuus res asinarum.

Die septimo cessabis, scilicet ab opere. Non vertimus requiesces, quoniam verbum sabbat significat potius cessare, quam quiescere. vt probauimus Gen. 2.

In omnibus quæ dixi ad vos custoditi eritis, id est, omnia quæ vobis dixi, custodietis. Aut cauebitis: ne omittatis quæ vobis præcepi.

Nomen aliorũm deorum, scilicet à me *non recordabimini.* s. ad vocandum illos: vt statim explicat dicens.

Non audietur super os tuum, aut per os tuum.
Posset etiam intelligi non audietur per os tuum, scilicet iurando per eos.

Tribus vicibus festum ages mihi in anno.
Præcipit hic tria festa præcipua, scilicet Pascha quam vocant festum infermentatorum Messem primitiuorum, quando data est lex. Et solennitatem collectionis, per quam intelligit festum taberuaculorum, quod venit in mense Septembri vel circa: quando fructus colligi solent, ideo vocatur festum collectionis. Vocatur autem Pascha, vt textus indicat, festum infermentatorum: quòd tunc sola infermentata comedenda erant. Secundum verò vocatur festum messis primitiuorum: quia tunc primitiæ messis, Domino offerebantur: vel quia tunc messes incipiebant colligi. Aduerte autem hic, quòd dictio regalim, quam omnes hic vertunt vicibus, significat proprie pedes: neque vices significare inuenitur nisi hic, & Numeri. 22. vbi eadem omnino sententia ponitur: quare mihi vtcunque suspecta est significatio, & putarem potius hic significare ambulationem quàm vices: vt sit sensus. Tribus ambulationibus festum ages mihi in anno. Nam vt statim explicat, loquitur de festis quibus ascendendum erat ad templum Domini: ideo dicit. Tribus ambulationibus festum ages, ac si dicat: ter mouendo pedes, festum mihi celebrabis. Verbum etiam chagag, quod festũ agere vertimus, incertæ est significationis. Dicunt autem Hebræi, significare saltare, tripudiare, dicin festum agere. Inde chag, id est, solennitas, festus dies, quòd in eo letitiæ gratia Iudæi saltarent. Mihi verò videtur significare saltare, moueri, seu commoueri, siue letitiæ siue timoris gratia, aut quacunq; ex causa, vt patet Psal. 107. vbi sic habetur. Iachogu. i. saltabũt, & mouebunt se sicut ebrius. Et Isa. 19. videtur nomen chag, significare commotionem animi & corporis: vbi dicitur. Et erit terra Iehudah, Ægypto lechoga. i. in timorem seu cõmotionem ob timorẽ: vbi Hiero. etiam vertit. In pauorem. Nam sequitur. Omnis qui recordatus fuerit illius, sibi timebit à facie consilij Domini. Quo in loco Hiero. sic habet. Melius reor etiã propriũ errorẽ reprehendere, quàm dum erubesco imperitiam confiteri, in errorem persistere in eo quod transtuli, in pauorẽ, in Hebraico legitur Iacoga, quod interpretari potest, in festiuitatem, & in pauorem: quod Aquila significantius transtulit, in trepidationem, cum aliquis pauidus & tremens, eiecũsert oculos, & aduenientem formidat. Quę verba Hieronymi, in eum finem tetulimus: vt videas Hieronymũ in interpretatione scripturæ hominem non prophetam egisse: & errare potuisse. Posset etiam verti. Tribus ambulationibus mouebitis aut saltabitis mihi in anno, recedendo à domibus vestris, & veniendo ad domum meam.

Quemadmodum præcepi tibi in tempore messis spicæ.
Transtulit hic sanctes noster, in sua priori editione. In mense Iulij, sed male, cũ dictio abib, significet proprie spicam in culmo existentem, & adhuc viridem, ac si dicat: in mense quo blada spicas facere incipiunt: quod non est in mense Iulij, sed potius in fine Martij aut initio Aprilis. Nam hic idem reputatur mensis spicæ, & mensis quo egressi sunt ex Ægypto, vt textus habet. Cùm ergo Iudæi non in Iulio, sed in. 15. Luna mensis Nissan qui vt prædiximus Martio aut Aprili nostro respondet, egressi sint de Ægypto: sequitur hic nullo pacto posse Iulium verti. Quare Sanctes ipse, sententiam aliis edictionibus posterioribus correxit.

Et solennitatem messis primitiuorum operum tuorum,
scilicet celebrabis. Per hanc, vt iam diximus, intelligit festum Penthecostes, quando lex lata est & celebrabatur quinquagesimo die post Pascha, seu post festũ infermentatorum. Vocat autẽ illud festum messis primitiuorum, quia tunc primũ, priores messes incipiebant meti, & primitiæ earũ Domino offerebantur. Additur operum tuorum, quia illi erant primi fructus, quos homines ex suo labore legebant. Prius enim blada quàm alij fructus matureſcunt: vnde sequitur.

Quæ seminaueris in agro.
Verbum chasar, à quo chasir, id est, messis, significat proprie arctare & stringere, & ex consequenti metere, quòd nihil aliud videatur esse, quàm messem stringere, aut quòd tunc messes à messoribus stringantur: vnde messis dicitur chasir à stringendo, quòd videlicet à messoribus stringantur manipuli. Vocat autem Hebraismus messem, nõ solum blada quæ metuntur, sed etiam palmites, quos viris emittere solet: vt patet Psal. octogesimo, vbi dicitur. Mitter chesireah, id est, messẽ seu palmitem vsq; ad mare, quòd scilicet more messis palmites scindantur & colligantur, & in fasciculos redigantur.

Et solennitatem collectionis, in reuersione anni.
Hoc fuit, vt iam diximus, festum tabernaculorũ, quod in septimo mense, scilicet Thisri, qui prò maiori parte respondet Septembri nostro, & vocatur hoc festum collectionis, quia tunc omnes ferè fructus colligũtur. Sequitur autem.

In reuersione anni, quoniã tũc annus redibat ad principium. Ex quo loco manifeste cõstat, quod Hebręi duplex anni initium habuerunt, quorum alterum incipiebat in Martio, seu Nissan. Aliud verò in Thisri seu Septembri. Et vt Exod. 12. annotauimus, ante egressum Israel de Ægypto, à mundi initio, annus in Septembri, quando mundus productus creditur, auspicabatur. qui modus auspicandi postea mansit. Post egressum verò ex Ægypto, in mense Nissan, ex Domini mandato, annus cœpit, & Hebræi vsque hodie, ad festa celebranda, à Nissan annum auspicantur: in contractibus verò à Thisri. Caietanus interpretatur, in exitu anni quoad fructus, non quòd tunc annus finiretur, aut exiret in se, sed quoad fructus illius anni, quorũ collectio tunc fiebatur.

Non macłabis super fermentatũ sanguinẽ victimæ meæ.
Ferè omnes sequentes hic Chaldęum paraphrastem, intelligunt hoc, de paschali victima, & putant Dominum præcipere, omne fermentum abiiciendum, cum paschalis victima esset immolanda. Ego autem arbitro Deum de omni victima loqui, quòd scilicet non inguletur simul eum pane fermentato. Solebant enim sacerdotes, ex præcepto Domini simul cum victima, panem, vinum, & sal Domino offerre: quoniam sacrificia veteris legis, nihil aliud esse videbantur, quàm prandia & cœnæ Domini: quod ex tribus coniector. Primum quod Dominus vocat sacrificia panem suum & cibum suum. Secundo quia omnia quæ ad mensam necessaria sunt, ibi concurrebant, scilicet panis, carnes vinum, & sal. Tertio quia bis in die fiebant, quẽadmodum prandium & cœna. Nolebat autem Dominus panem sibi offerri fermentatum, sed azimum: ideo præcipit victimam suam nõ immolari simul cum pane fermentato. Propter ea tamen quæ sequuntur, videtur textus de victima paschali interpretandus secundum communem interpretationem.

Non pernoctabit adeps victimæ meæ.
Verbum lon, vt sæpius admonuimus, & probauimus, non pernoctare, sed manere & permanere significat: vnde vertendum est. Non permanebit adeps. Debebat enim illa nocte comburi, qua offerebatur, quoniã carnes cùm in alteram seruantur diem coctæ vel assę, insipidæ sunt & despectæ, neq; tanti fiunt, quãti cùm primum decoquuntur vel assantur. Similiter ne sacerdotes, quæ ignis consumere debebat, seruarent sibi in alteram diem, & comederent quod Dei erat.

Principium primitiarum terræ tuæ adduces in domum Domini Dei tui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Per principium primitiarum intelligit primos terræ fructus qui Domino offerendi erant.

Non coques hœdum in lacte matris suæ.

Varie tam nostri, quàm Hebræi hunc locum interpretantur. Aliqui sic. Nõ coques hœdum dum à matre lactatur, simul cum matre sua, ac si dicat. Non coquas hœdum dum lactatur à matre, simul cum matre. Nam hoc ad crudelitatem pertinere videtur, quemadmodum pullos auium simul cum matre accipere. Sed interpretatio hæc dura vtcunque videtur, quoniam lac in simul vertit, vt idem dictu sit, non coques in lacte, ac non coques simul cum matre sua. Alij quòd non sit hœdus coquendus, id est, immolandus Deo, quamdiu lacte matris vtitur, sed hũc sensum exibilat illud quod habetur primo Samuelis. 7. Accepit Samuel agnum lactis seu lac sugentem, & obtulit illum holocaustum totum Domino. Vnde est tertius sensus simplicior & germanior cæteris. Ne scilicet reuera coquatur agnus in lacte matris, ne videlicet illud hœdo aut agno ad supplicium sit, quod erat ad delicias & delectationem: lac scilicet. Crudele enim videtur, vt lac quo nutriebatur & delectabatur, illi vertatur in supplicium.

¶ *Ecce ego mitto angelum coram te, vt custodiat te in via.*

Intelligit Caietanus noster per hũc angelum ipsum Mosen, sed meo iudicio irrationabiliter. Primo quia de hoc angelo textus dicit, quòd non parcet iniquitatibus eorum, & quòd cauerent à facie eius. Non cauebant autem à facie Moseh, & constat Mosen sæpius iniquitatibus eorum pepercisse, ac pro eis Dominũ orasse postmodum: vt patet capite trigesimo secundo, & trigesimo tertio. Secundo quia angelus ille, erat populum introducturus in terram promissionis: quod non fecit Moseh, licet Caietanus dicat, Moseh peccatum hoc impedisse. Tertio quia dominus dicit nomen suum esse in medio angeli, id est, angelum Deum nominari. Non constat autem in toto itinere residuo Moseh Deum vocari. Vnde sequitur.

Si audieris vocem eius, & feceris quæ loquor, quasi per os angeli loqueretur. Tum quia Moseh non custodiebat Israelitas sed angelus, quod in textu de angelo dicitur.

¶ *Quoniam non parcet, melius non feret, non portabit iniquitates vestras.*

Hebraice ad literam est Non leuabit.

¶ *Inimicus ero inimicus tuis, & stringentes te, seu angustiis afficiam stringentes aut angustia afficientes te.*

Nam verbum Hebraicũ sur, significat proprie stringere, coarctare, angustiari.

Et succidam eum. Verbum chachad: duo Hebræis significat, scilicet occultare & succidere. addunt etiam remouere, & priori significatio propria est, aliæ verò mihi suspectæ sunt: nisi dicamus significare ita succidere, vt nihil illius rei quæ succiditur appareat, & sit quasi obruere seu subuertere, iuxta illud Iob vigesimo secundo. An non nichad, id est, subuersa est erectio nostra, aut ita succisa, vt amplius non appareat. Sic ergo pollicetur Dominus, se ita deleturum gentes illas: vt nullum earum vestigium amplius appareret. Vnde Hieronymus Iob vigesimo secundo delere vertit, & significatio allusionem ad propriam verbi significationem habet. Quod enim deletur, absconditur, vt amplius non videatur, & hic verrere potes. Et delebo illum. Et licet Chenanei ad aliquod tempus superfuerint, tandem tamen deleti sunt.

¶ *Non incuruabis te dijs eorum: & non seruies eis.*

Hoc meo iudicio, interest inter sachah, & abad, quòd sachah significat humiliari, incuruari, abad verò seruitute, seruitute vt plurimum corporali: vnde hic duo prohibet idolis fieri, scilicet incuruationes seu humiliationes corporum, aut membrorum. Secundo alia corporis ministeria sicut sacrificia offerre, & donaria, & alia quæcunque.

Non faciet secundum opera eorum.

Non solum ad idololatriam hoc pertinet, sed ad alia opera, naturæ aduersantia quæ illi faciebant, qualia erant masculorum cum masculis concubitus, & cum iumentis, cum consanguineis & aliis. Aut per opera intelligit altaria, imagines, & alia quæ gentes faciebãt ad idolorum cultum: quoniam sequitur. Diruendo dirues eos, & confringendo confringes: statuas eorum. Posset etiam verti. Euertendo euertes. Et est sensus. Euertendo euertes, scilicet à fundamentis, eorum statuas, & postea confringendo confringes, ne scilicet integra maneant postquam fuerint euersa.

Benedicit pani tuo, & aquis tuis.

Per panem omnem cibum intelligit, per aquas omne potabile, & per benedicere multiplicare.

Remouebo languorem seu debilitatem.

Verbum chalah significat languere, debilitari, & machalah languorem, debilitatem.

Non erit abortiens, & sterilis in terra tua.

Verbum sachal, significat potius orbare seu orbari, & priuari, quàm abortiri, vt probauimus Gen. quadragesimo tertio, vbi dicitur. Et ego quemadmodum sachol ti sachalti, id est, orbatus sum orbatus sum. Et vigesimo septimo dicit Ribcah. Vt quid escal, id est, orbabor seu priuabor ambobus? Et quia aborsus orbat parentes, vt scilicet priuentur filiis, significat secundo abortiri: vt patet Hosæ 9. vbi dicit propheta. Da eis vulua maschil, id est, aborsum facientem, qua parentes orbentur, aut orbare facientem. Secundum autem verbum, scilicet achar, significat eradicare, vt patet Ecclesia. 2. vbi dicitur. Tempus plantandi, & tẽpus laachor, id est, euellendi, quod plantatum est. Et magis ad literam verti posset. Non erit orbare faciens, neque eradicata seu sterilis in terra tua. Vbi duo dicit. Alterum, quòd non erit qui filios conceptos & natos perdat, secundo, quòd non erit steriles quæ non gignere possit filios. Vocat enim Hebraismus (vt in Genesi annotauimus) sterilis eradicatos, quoniam filij videntur parentum radices. Nam quemadmodum succisa arbore, radices manent quæ iterum gignunt, in quibus arbor manere videtur, ita quamdiu manent filij, videntur parentes manere. Et per orbare facientem intelligit omne, quod filios seu proles necare potest, siue sit vulua abortiuum faciens, siue hostis, siue pestis, siue quodcunque aliud. Magis autem loco quadrat, & significantius est orbare quàm abortiri, quoniam abortiri, vnicum modum priuandi liberis significat neque tantum pollicetur qui promittit tibi quòd non priuaberis filiis per aborsum vxoris: sicut qui pollicetur quòd nullo modo priuaberis prole, seu orbaberis.

Numerum dierum tuorum implebo, id est, faciam peruenias ad annos & ætatem, ad quam senes tui temporis attingunt, aut ad annos quibus viuere solent. Sic Isaiæ. 65. iussis pollicetur Dominus, quòd non egredietur inde, scilicet ex terra Israel aut ex vrbe Hierusalem ad sepulchrum infans dierum, & senex qui non impleuerit dies suos. Quia puer cẽtenarius morietur, & peccator centenarius maledicetur.

Terrorem meum mittam ante te, et perdam omnem populum ad quem ingredieris. id est, faciam vt populi omnes, audientes aduentum vestrum, terreantur, non quidem propter vos, sed propter me, scientes, scilicet me metuendum & terribilem vobiscum esse. Et quod sequitur.

Perdam omnem populum ad quem ingredieris.

Sunt qui vertant tumultuari faciam, sed verbum hamam quod hic ponitur, significat proprie frangere, præsertim cum sonitu: vt patet Isaiæ. 28. vbi dicitur. Quoniam non in sæculum triturando triturabitur. Vehamam galgal, id est, & frãget rotam plaustri eius. Sic Ieremiæ. 51. Ahamna manu, id est confregit me Nebuchadresar rex Babel. Posset ergo hic verti confringam omnem populum, ad quem ingredieris, id est, faciam vt fracto animo nõ audeat vobis resistere. Tunc enim conturbati sunt principes Edon, robustos Moab obtinuit tremor, & obriguerũt habitatores Philistiim. Munsterus autem vertit. Tumultuari faciã, quoniam hamah & hamam videntur eiusdem significantiæ. & cum hamah significet tumultuari, videtur quod etiam hamam

hamam possit secundum eandem significationem verti. Et possemus dicere, hamam significare sonare, quẽadmodum hamah. & quia sonitus aut fragor deterrere solet ex consequenti significare deterrere, sed prior sententia mihi verior apparet.

Deus ceruis quid Hebræis significat.

Dabo omnium inimicorum ad te ceruicem.

Hebraismus est, cuius est sensus. Faciam omnes inimicos tuos, fugere te. Solent enim hi qui aliquem fugiunt, vertere illi ceruicem. Sic & latini pro fugit, dicunt: dedit terga, quoniam fugientes, terga vertere solent ad eos quos fugiunt. Verbũ araph, à quo oreph, id est, ceruix proprie significat ceruicem frangere decet uicare, (licet mihi exprimẽdi gratia sic latinis loqui) & quia ceruix fracta, decidere solet, ex consequenti significat decidere, & prioris significantiæ exempla habes Deutero. 21. Vearpho, id est, deceruicabunt ibi vitulam, in torrente. Idem supra. 13. Si non redemeris naaraphto, id est, deceruicabis illud. Secundæ verò Deutero. 32. Iaaroph, id est, descendat vt pluuia doctrina mea. Vbi alij vertunt, fluat vt pluuia doctrina mea. Neque reiicio hanc significationem, quoniam allusionem habet ad nomen, ceruicem, scilicet. Nam quia à ceruice sanguis fluere solet, cum animal aut auis iugulatur, potest ex consequenti significare fluere. Quod malueris elige.

Mittam crabronem. A verbo Hebraico sara, quod leprosum esse significat, deriuatur, sarua, id est, leprosus, & sireah quod nostri, alij crabronem, ralij vespam interpretantur, & Hebraico more aliqua conuenientia debet musca hic significata habere ad lepram, aut in colore, aut in fœtore, vel quòd sit leprosis infesta. Sunt autem quædam muscæ magnæ, longi corporis, deserta colentes, quæ varios colores habent similes leprosis, & varietatibus leprosorum assimilantur, & iumentis sunt maximè infestę, nostri moscardos vocant, quas hic credo, per nomen asireah significari. Misisse autem dominum huiusmodi muscas seu crabrones, ante filios Israel: constat Iosue. 24. vbi textus habet. Et misit ante vos crabronem, & expulit eos à facie vestra. Deutero. septimo iterum pollicetur Dominus, se crabronem ante eos missurum. Rabbi Dauid dicit, nomẽ significare reptile alarum oculos percutiens, & venenum infundens & occidens: Thargum vespam interpretatur. Dicunt autem Hebræi huiusmodi crabrones pugnantibus Chananeis occurrisse, ac oculos eorum ne pugnare possent percussisse, & sic venientibus Hebræis succubuisse. Gereundesis arbitratur, reptile api haud dissimile.

Ne forte sit terra desolatio, seu desertum.

Verbum semamam, significat desolari, desertum esse, & ex consequenti stupescere, quòd stupidus videatur viribus destitus.

Vsque quo fructificet, & possideas terram.

Consulto non vertimus crescas, quoniam vt Genesis primo probauimus, verbum parah non crescere, sed fructificare significat, & per fructificare intelligit prolem producere, bene tamen hic per multiplicare & crescere effertur.

Ponam terminum tuum mare Suph.

Est mare Suph, rubrum mare, & supra capite secundo diximus quare vocetur Suph, id est, terminatum, ad diffriminandum illud ab Oceano, qui videtur quasi in immensum extendi, neque terminari. Nam verbum suph, à quo nomen suph ortum habet, significat proprie terminare, finire. Significat etiam suph, iuncetum, aut iuncum: qui sic dicitur, quia terminare solet flumina. Est enim medium inter aquam & terram, quare posset dici mare rubrum, caricosum seu iuncosum propter iunceta quibus terminatur ad modum fluminis. Per mare vero Philistiim intelligit mare mediterraneum, quod à parte occidentali terminat seu finit Palestinam. Et isti termini finiunt terram promissionis à parte orientali, vsque ad occidentalem. Non tamen mare Suph seu terminatum est plene ad orientem terræ sanctæ, sed vtcunque versus meridiem: porrenditur tamen versus orientem ex parte qua finitur.

Et à deserto vsque ad flumen.

Per desertum intelligunt nostri desertũ Ægypti, quod à parte australi terminus est terræ promissæ, per flumen verò, intelligunt Euphratem, qui ab aquilone terræ sanctæ finem imponit. Sæpius in scripturis præfiguratur termini terræ promissæ, & vtcunque varij, sed tandem in idem redeunt, nisi quod aliquando magis aut minus extendũtur. Nã Gen. 15. pollicetur Dominus Abrahæ terram, à flumine Ægypti, vsque ad flumen magnum Perath, quòd nostri dicunt esse Euphratem, & videtur quòd ibi non mare rubrum, seu finitum, vocet flumen, sed loquatur de fluuio, quem nostri riuocorulam vocant, qui finem imponit terræ promissæ, à parte australi. Iosue verò. 1. alios videtur terminos præfigere, vbi dicit. A deserto & Libano isto, vsque ad flumen magnum, flumen Perath, vsque ad mare magnum ab occasu solis, erit terminus vester. Quo loco videtur ponere Euphratem terminum à parte orientali, sicut re vera est: porrenditur tamen vtcunque versus aquilonem. Ezechielis. 47. alij limites describuntur terræ, vbi dicitur. Hic autem est terminus terræ, ad plagam aquilonarem, à mari magno via cherhlon, ad veniendum in sedad Chamath, vbi videtur terminus aquilonaris portendi à mari mediterraneo, iuxta quod erat Libanus mons, vsq; ad chamath. Plaga verò orientalis erat à Chauran & Damesech, & per Iordanem portendebatur vsque ad mare orientale. quod reuera videtur esse mortuum. Plaga verò meridiana, à Thamar per aquas contradictionis Cades vsq; ad mare magnum, scilicet mediterraneum: quod vocatur magnum, respectiue ad rubrum & mortuum. Terminus verò occidentalis erat à mari magno quod erat eregione Cades, vsq; ad mare quod erat eregione Chamath. Terminos verò hic præfixos, non possederunt Iudæi, vsque ad tempora Salomonis.

Non percuties eis, & diis eorum fœdus.

Significat verbum charat, proprie percutere & ex consequenti fœdus inire: quòd, scilicet victimas ferirent, cùm fœdus inibant quondam: vt patet de Abraham Genesis. 15. cui Dominus præcepit victimas iugulare, antequàm cum eo fœdus iniret, vt iam in Hebraismis explicuimus. Quod autem verbum charat significet præcidere, & percutere, patet secundo Regum. 18 vbi dicitur. Charat, id est, & præcidit lucum. Et Isaæ. 18. Vecharat, id est, & præcidit lucum. Pactum autem, quod cum hominibus pangebatur, erat de pace & concordia seruanda, quod verò cum idolis: erat fidelitatis, quòd scilicet non haberent alios Deos, quòd scilicet illis cultum, & diuinos honores exhiberent, quale fuit pactum Abrahæ cum Deo Genesis decimoseptimo quòd videlicet ille nullum alium Deum haberet, illi obedirer, eumque honore diuino coleret: ipse verò pollicebatur se ei & semini eius terram Chananæorum daturum.

Ne forte peccare faciant te mihi.

Habet verbum chata (vt admonuimus in regulis) contrarias significationes. In prima enim coniugatione, significat peccare, vt patet infra. 32. chataah, id est, peccauit populus iste, in secunda verò, mundare aut mundari, à peccato, vt patet Leuit. 14. vbi dicitur. Vechite, id est, & mundabit domum.

Erit tibi in offendiculum.

Significat iachas, à quo moches, id est, laqueus, irretiri, illaqueari, aut laqueos seu rete extendere. Videtur enim non proprie laqueum significare, quoniam aliquando, dictioni additur laqueus, vt patet Hosæ nono, vbi dicitur. Prophetam esse laqueum iachos, id est, ruinæ (vt Hieronymus vertit) super omnes vias eius. Posset tamen tenendo priorem significationem interpretari, laqueum illaqueantem, super omnes vias eius.

CAPITIS. XXIII. DA NOSTRAM ERUDITIONEM.

Nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non suscipias auditionem mendacem.

Nihil in iudiciis, mendaciis pernitiosius. Ideò maximè cauendum ab eis docet, dum iudices instruit. Sed hoc tempore nihil mendacio licentiosius. Expende quæso temporum nostrorum malitiam, quàdo tam nuide mendacia audiuntur & veritas cunctis tam exosa est, & omnibus fastidio, maximè magnatibus. Sæpe sæpius consideraui, cur sancti prophetæ parabolis vterentur & similitudinibus præsertim cùm regibus & principibus loquebantur. Cur Christus tam frequẽter
Mat.13. turbis in parabolis loqueretur, quod ferè (vt ait Matthæus) nihil sine eis turbis prædicaret, cuius hæc meo iudicio, causa est. Considerabant sancti quàm ægre ferrent homines veritatem audire, quàm torto vultu, & hirsuto naso, eam aspicerent, & quàm hilari facie mendacia amplexarentur, & considerantes quàm necessarium hominibus foret veritatem audire, veritatem parabolis & similitudinibus inuoluebant, & velabant, vt qui veritatem nudam fastidiebant, & ad mendacia arrectas habebant aures, veritatem saltem fictis vestibus tectam audirent. Sic prudentissimus ille Propheta
2.Sam.12. Natan, cùm sciret regem Dauidem apertam veritatem dicenti non auditurum, ouis similitudine rem velauit, & eum proprio mucrone confodit. Docet ergo hic Dominus non ferendos esse mendaces, quoniam nouerat quàm libenter audirentur ab omnibus.

Neque ponas manum tuam cum impio, vt sis testis mendax.

Etsi mendacium vbique malum sit, pessimum tamen est in iudiciis. Et qui alicuius causam, suo falso testimonio iuuat, eo pernitiosior esse deprehenditur, quoniam illi magis quàm parti, in iudicio fidit iudex. Vnde restitutioni magis obnoxius est.

Non eris post multos ad mala.

Admiranda legislatoris prudentia. Arbitrantur multi iudices & consiliarij se à peccato immunes esse, cùm viderint alios sese in malo præcessisse dicentes. Postquàm res concluſa est, vota priora sunt sufficientia, quid in ea odium quæro? Quod extremæ dementiæ est. Quid scis, an alij postquam te audierint, sententiam in melius mutabunt. Quam si non mutent, tuo suffra-
Aduertenda doctrina. gio mendacium & iniuitia roborantur. Cuius rei si practicam cernere cupis, Pilatum considera, qui clamoribus turbarum & principum permotus reliquit (vt Leo inquit) iudicium proprium, & in crimen transiuit alienum, vt non auderet iudex absoluere, quem omnes cupiebant damnare.

Pauperem non decorabis in causa sua

Grauissima & pernitiosissima sunt mala, quæ prætextu pietatis fiunt, & qui ex suo pauperi obulum non dat, facile iniquam ferendo sententiam tribuunt alienum, & cuius non miseretur, vt eleemosynam porrigat, eius miseretur in iniqua sententia.

Si occurrerit boui inimici tui reducendo reduces.

Modici animi conditio est, tunc maximè inimicitiæ memorari, cùm proximum viderit suo auxilio indigere. Expende quã belle te Dominus docuit, vindictam ab inimico accipere. Prouerbiorum. 25. Si esurierit (inquit) inimicus tuus, ciba illum, si sitit potum da illi quoniam si hoc feceris, viuis eum carbonibus incendes. Nihil enim inimicus inæquiori animo ferre solet, quàm cùm se viderit tuo auxilio indigere. Ad hæc. Quid tibi quæso gloriæ aut triumphi est, si inermem viceris? Cùm enim tuo eget auxilio te inferior est. Quid ergo tibi honoris accreſcit, si inferiorem te viceris?

Non declinabis iudicium mendici tui.

Vbique sanctus legislator, latentibus ac secretis malis, obuiam ire cupit. Putant enim iudices omnem illum iniquam fouere causam, qui premitur aduersa fortuna. Et quia non potest iniquam vindicare sententiam aduersum se latam, neque recompensare: neque habet opes quibus iustam tueatur causam: libere aduersus eum iniquam proferunt sententiam. Quam ob rem iudex iustam eius causam facilè inuerter. nisi oculos in hanc coniecerit æquissimam Dei legem.

Munus non accipies, quia munus excæcat videntes.

Solent qui munera accipiunt, non suis, sed munerum oculis respicere, & prius munera offerentis videre, quàm causam, & muneris affectu excæcati, ad iudicandũ pergũt: vnde nõ possunt recte merita causæ speculari, cùm specillis mali affectus causam intueantur. Et expendendum valde est, quòd non dixit equissimus legislator. Munus non accipies, ad inique iudicandum: sed munerum acceptionem in vniuersum prohibuit: quoniam nouerat nullum esse munus, quod saltem accipientis animum non inclinet aut debiliter, licet non omnem inuertat.

Peruertit verba iustorum.

Habent iusti, & iniusti, sua peculiaria verba Iustorum verba quoniam veritati subnectuntur, semper eadem sunt: iniquorum autem varia & inconstantia videbis: cum verò munus verba iustorum respergit, ita immutat, vt ex veris falsa, ex constantibus varia & inconstantia teddat: ita vt non difficile sit, sed omnino facilè, iudicis corrupti animum deprehendere. Nam qui antea æqua verba neque declinantia ad alteram partem proferebat, munere corruptus: alterius partis causam iam ornare incipit: & aliis iudicibus iustam esse persuadere, ne solus videatur excæcatus. Nemo vestrum ergo fratres, sibi fidat, & perspicacis visus se esse præsumat. Nullus dicat, constantis animi sum, non mutabor munere: quoniam teste Deo, munus excæcat oculos videntium, & peruertit verba iustorum. Quare voluit Dominus Deutero. decimoseptimo ostendere eos causarum ineptos iudices, causamque ad superiores deferri, qui verba in causis cœperint variare. Si inquit, latuerit te aliquid in iudicio, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, plagam & plagam, & intra portas tuas, videris verba iudicum variari, (vt vulgatus vertit) ascendes ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus.

Peregrinum non angustiis afficies. Vos nostis animam peregrini.

Consulit vulgus non petere ab eo, qui aliquando mendicauit, non seruire ei, qui ante seruiuit, & prouerbium vulgare apud nos est Non peças à quem pediste, nem siruas à quem seruio: quoniam qui aliquando eguit, non facilè donat, & qui aliquando seruiuit, raro alterius ministerio contentatur. Dominus verò docet liberalem debere esse in pauperem, qui aliquando paupertate pressus fuit, & ex malis quæ passus quis fuit, discere alienis succurrere. Hoc est quod apud poetam regina dicit, se mãli non ignaram miseris succurrere didicisse. Hoc est quod sancti patres tam crebro consuluerunt: vt scilicet cùm videris pauperem, te pauperem fuisse, aut esse posse memoreris. Sic de peregrino & infirmo sentiunt.

Septimo anno relinques eam.

Iustis pauperum querelis voluit pius pater occurrere, quibus incessanter conqueruntur. Cur inquiũt isti abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Non est me iustior, neq; sanctior, & tamen melius cũ eo quàm mecum agitur. Ideò cuncta quoque septimo anno communia esse voluit, vt illo anno dicere posset pauper. Mea sunt omnia diuitum bona. Et vt (quemadmodum alias annotauimus) diuites septimo anno in ea essent anxietate, qua omni tempore pauperes sunt, dicentes. Quid manducabimus, aut quid bibemus? Et quoniam bestia agri, opus etiam eius est, eumque suo modo laudat, illius curam pius pater gerit. Sicut enim homines & iumenta saluat: sic homines & iumenta curat & nutrit. Qui inquit dat escam omni carni. Psal.

Vt requiescat bos tuus.

Considera quæso legislatoris summam pietatem. Solet homo cùm laborat, quasi inuidus: cuncta sua secum ad laborem vocare, & omnibus veluti instrumentis vti: ideo voluit eum septimo die quiescere, ne laborando ministros cogeret secum laborare. Quando enim homo pateretur sua, se laborante quiescere? Non debet (inquit) seruus esse maior, aut otiosior Domino suo.

no suo. Discę ô homo auare, à Deo tuo, vt quẽadmodum, eo quiescente voluit cũcta quiescere, quæ tamen noluit secum laborare, velis tu tecum quiescere: quæ secum cogis laborare. Si enim te laborante laborant, cur te quiescente non requiescent?

Nomen aliorum deorum non memorabimini?

2.Cor.15. Corrumpunt, nec dum bonos mores, sed fidem colloquia praua. Fornicatio (ait Apostolus) aut immun-
Ephe.5. ditia, neque nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Nam quemadmodum diuina colloquia colloquentes inflammant, ita & mundana mundanum, & diabolica diabolicum reddunt hominem. Audi quid illi
Luc.24. dicebant, qui cum Christo colloquia apud Emaus miscebant. Nonne (inquiunt) cor nostrum ardens
Cant.5. erat in nobis dum loqueretur nobis in via & aperiret nobis scripturas? Et sponsa. Anima (inquit) mea
Psal. liquefacta est vt dilectus loquutus est. Et Propheta. Quàm dulcis faucibus meis eloquia tua. Vbi similiter disce, a te abiicere, omnem peccatorum occasionem. Voluit Dominus idolum non nominari, ne contingeret colere.

Non conspicientur coram me vacui.

Iniustus esse videris: si Dominus Deus tuus te suis donis & muneribus impleat, tu verò coram eo vacuus & ingratus appareas. Sed quid tibi & muneribus nostris Domine deus, qui bonis nostris non eges? Non vt comedat ipse: vult te vacuum non apparere, sed vt te comedentem coram se videat, & gaudeat. Non sic principes sæculi suos ministros tractare solẽt. Vidisti aliquando Dominum quantumcunque pium in suos, qui eos coram se velit comedere, aut eos comedentes videre gaudeat de bonis suis? Nullum. Iste verò suos non solum conspicere, sed comedere coram
Matt.22. se summa auiditate videt. In Euangelio legis, intrasse regem, vt videret discumbentes. Sed quales quæso? Exi cito (inquit piissimus rex) in plateas & vicos ciuitatis, & debiles & claudos compelle intrare, vt impleatur domus mea. Tales sunt quos rex iste ad aulam inuitat, ad tauros, altilia, & pretiosa fercula compellit. Non purpurati, non diuites, non nobiles. Tales vult coram se comedere, tales coram se libenter videt. Neque semel in anno eos coram se videre contentatur, sed ter. Vtinam Domini temporales, in vita semel videre velint suos. Talis inter eos reperitur, qui omnibus diebus vitæ suæ, seruum suis oculis non dignatur intueri.

Solemnitatem messis primitiarum.

Gratitudinem ex nobis quærit Deus noster, vt quàm primum ceperis beneficiũ obtinere, incipias ei gratias agere, & similiter in fine cùm beneficiũ fuerit cõsummatum. Putãt homines se satis Deo gratos esse, si post acceptum beneficium gratias egerint, sed nõ sic docet
Deut.16. tur à Deo suo hic, imò gratitudinem ostendere cum primum cœperint spicæ ad maturitatem pertingere, & cùm omnes fructus domi incluserint.

Non coques hœdum in lacte matris.

Quid aliud quàm pietatem, prædicat lex ista? Non solum in homines, sed in pecudes & volucres, te pium esse voluit Deus tuus. Sed qualiter in bruta pius esse potest, qui sic in homines sæuit? Videbis enim quosdã in proximos, omnibus feris crudeliores esse: qui ita sanguinem humanum sitire videntur, vt omnibus lupis sint sæuiores.

Ecce ego mitto angelum meum ante te, vt custodiat te, & introducat in locum quem parauí.

Duo in nos angelorum ministeria docet textus iste. Alterum vt nos custodiant in via. Alterum vt perdu-
Psal.90. cant in patriam. Et expende quòd non dicit, ad locum quem tibi parauit angelus ductor, sed quem ipse parauit tibi. Tantæ enim nobilitatis est locus qui tibi à Do-
Isai.64. mino promissus est, vt ab alio quàm ab eo parari nequeat. Oculus (ait Isaias) non vidit, quæ præparauit
1.Cor.2. Deus diligentibus se. Est enim ciuitas illa, cuius (vt ait Paulus) artifex & conditor Deus.

Cave à facie eius: & audi vocem eius.

Admonemur hic, quales erga tectores: nos exhibere debeamus. Nempe vt eos reuereamur & timeamus, & etiam præceptis eorum pareamus. Hoc est quod Paulus ad Hebræos. 13. admonet. Obedite (inquit) præpositis vestris.

Quia non parcet præuaricationi vestræ.

Melior (inquiunt sancti) est Deus iratus, quàm homo propitius. Ego autẽ adderem, quàm etiã angelus. Tu autẽ domine deus meus, cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis. Non sic autẽ angelus, qui nomen Psal.
tuum habet, qui potestatem habet vt puniat, non autẽ vt parcat. Ideo meritò sanctus Moseh, sic suspectũ habet angelorum ducatum: vt dicat Domino.

Nisi tu ipse præcesseris, non educas nos de loco isto, quia nomen meum in medio eius.

Considera hic, quàm largus sit iste Dominus in seruos, vt non solum dona sua illis communicet, sed & nomen: vt Dij etiam vocentur. Neque solum angelis hoc communicare dignatur sed hominibus, quemadmodum fecit Moysi, quem Deum Pharaonis constituit, & omnibus hominibus, quos Deos dicere nõ dedignatur. Ego dixi Dij estis. Non sic principes huius Psal.
mundi facere solent. Quis enim regũ seruis suis quantumcũq; dilectis, regiũ nomen cõmunicare dignatur? Ego (inquit Pharao ipsi Ioseph) quem Ægypti Domi- Gene.
num constituebat, solio te præcedam.

Odio habebo odientes te.

Reddidi aliàs rationem, cur Dominus Iudæis polliceretur se inimicum futurum eorum, qui eis inimicarentur, quoniã nouit nos pluris facere si amicus propter nos inimicos nostros odiat, quàm si nostros amicos propter nos diligat. Malumus enim amicos nostros propter nos peccare, quàm bona facere.

Non inibis amicitias cum diis eorum.

Naxi. num malum est, mala habere exẽplaria operum, & vix potest quis terram aliquam incolere, quin mores eius sequatur, siue sint boni siue mali. Ideò quæ ad malum te possunt incitare, destruenda sunt, ita vt nihil vestigij eorum remaneat, & quoniam nihil prodest non colere falsos deos, nisi verum honores, cõsequenter præcipit, se adorandum.

Benedicet pani tuo, & aquis tuis.

Multa sunt, quæ obseruatoribus diuinarum legũ promittuntur, sed cuncta tẽporalia & corporalia esse videntur: quales illi erãt quibus promittebãtur, & maximè quæ homines appetere solẽt, qualia sunt necessaria vitę: vt cibus, potus, copia filiorum, & longitudo dierũ sine langore. Ex quibus didicimus, peccata in leges dei: causam fore penuriæ omnium istarum rerum.

Mittam crabronem ante te.

Vide & expende quibus copiis, quo militum apparatu, quàm inermi exercitu Dominus militet aduersus insensatos, & inimicos fortissimos. Nempe muscis & crabronibus. Nunquid ingressus es thesauros niuis, ait Dominus Iob. 38. & thesauros grandinis vidisti? Quos retinui ad tempus angustiæ, ad tempus belli & prælij? Solet Dominus, quæ infirmiora esse videntur eligere, vt fortia destruat.

Non eiiciam à facie tua vno anno.

Arbitrantur iusti sibi beneficia negari, cùm differuntur, aut paulatim conferuntur: quod non ita esse ostendit locus iste, sed propter bonum nostrum: non nobis integra statim conferuntur. Et ob duas causas solet Dominus, nobis inimicos relinquere. Altera vt in eis nos exerceat, altera, ne fortiores & deteriores patiamur. Reliquit enim Iudęis Chenaneos, ne beluas & feras paterẽtur infestiores. Quo in loco discę acceptare, quæ tibi pius pater mala immittit, ne maiorã & deteriora patiaris. Audi huius rei ex ipsius scripturę fonte, exemplũ mirabile. Cũ enim Achaz rex Iudah, egre ferret duos reges, qui aduersus se dimicabãt Rasin. f. regẽ Siriæ, & filiũ Romelię: audiuit à domino, per Isaiam. Isa.8.
Pro eo q̃ abiecit populus hic aquas Siloach, quæ vadunt quiete, quod statim explicat: gaudium, scilicet Resin & filij Romeliæ, ascendere faciet Dominus super eos, aquas fluminis fortes & multas, regẽ videlicet Assur, & omnem gloriã eius, & ascendet super omnes torren-

Universidad de Deusto
Biblioteca

torrentes eius, & ibit super omnes ripas eius. Et transibit Iehudah & inundabit, vsque ad collum pertinget, & erit extensio alarum eius plenitudo terræ tuæ ô Immanuel, & vult dicere. Quoniam abiicitis malum præsens, quod cum gaudio sustinere debuissetis, manus eueniet vobis. Et aduerte quòd vocat minora mala gaudium, scilicet respectu maiorum.

Ponam terminum tuum à mare Suph, vsque ad mare Philistiim.

Non dilatat multum Dominus terminos suorum, sed arctos & quasi conclusos eos habere vult. Impinguatus est Israel, & calcitrauit: impinguatus, & dilatatus. Et dereliquit Deum factorem suum. *Deut. 33.*

Non percuties cum eis fœdus, & cum diis eorum.

Non solum non debemus amicitiam cum malis & peccatis habere, sed neque fœdus inire: quoniam semper malum machinantur aduersus nos. Ad hoc enim inimici solent ad inuicem fœdus inire: vt sint ad bella futura fortiores, reparando vires tempore fœderis. Sic & peccata, vt fortiora in nos insurgant, nobiscum aliquando dissimulant.

Non habitabunt in terra tua.

Non minus malum est inter impios habitare: quàm eos tecum habitare permittere: ideo vtrunque fugiendum est. De qua re, sæpe sæpius admonet nos scriptura sacra.

Erunt tibi in laqueum.

Solent esse peccata, retia punitionum & pœnarum, ita vt qui cupit pœnam fugere & mortem, peccata fugiat necesse est.

CAPITIS. XXIIII. AD LITERAM annotationes.

Septuaginta ex senioribus Israel.

Sunt qui dicunt præceptum quo Dominus Moseh præcepit ascendere in montem cum senioribus, ante datas leges fuisse. Cùm enim Dominus leges promulgaret, populus erat inferius prope montem, seniores in monte, sed procul à Domino. Moseh verò in caligine. Quia sequitur immediate post hæc verba.

Et venit Moseh, & narrauit populo omnia verba Domini.

Et reuera credo hæc verba, scilicet & venit Moseh, debere immediate sequi finem præcedentis capitis, & ponenda in principio huius. Quoniam vt in regulis admonuimus, frequentissimum est in sacris literis, sententias transponi, & rei gestæ ordinem negligi. Nam post datas leges descendit Moseh de monte, vbi cùm Domino fuerat, legitque coram populo leges ipsas, petiitque populi consensum, quo dato, immolauit iuuencos, legem & populum sanguine respersit, quæ omnia non in monte facta fuisse, constat ex textu. Dicit enim textus, Deum præcepisse, populum non conscendere, sed solum seniores septuaginta cum Moseh & Aharon, Nadab, & Abiu. Similiter constat, populum ex sanguine respersum: neque est credibile quòd ex sanguine vitulorum in monte immolatorum, populus respergeretur, qui tunc erat in planitie, & senes in monte: cum textus dicat, altare sub monte non supra montem constructum. Est etiam alia ad hoc coniectura, quia textus dicit, statim post initum fœdus inter deum & populum: seniores cum Moseh conscendisse. Postquam enim Moseh populo dixerat. Ecce sanguis fœderis, sequitur. Et ascendit Moseh & Aharō, & ita proculdubio tenendū est: Moseh, scilicet post colloquium cum Deo, quod in monte habuerat descendisse ad populum, legesque diuinas populo proposuisse, consensumque expetiisse: quo oblato: fœdus cum populo iniisse, ad cuius firmitatem vitulos iugulauit, & eorum sanguine librum legis, & populum aspersit: tandem ex mandato domini cum fratre, nepotibus, & senioribus montem conscendit. Ex quibus disces, non esse semper sequendum ordinem, quem litera prima fronte ostendit. Causa quare in pactis victimæ iugulabantur, & offerebantur Deo, fuit (vt aliàs diximus) quòd paciscentes Deum precarentur, vt non stantes pacto iugularet, ad modum victimarum immolatarum. Aut dignum esse qui immolaretur & iugularetur, qui pactum initum frangeret. Vel tertio vt ostenderent peccatorum occisione, pactum tamdiu duraturum quamdiu mors illorum, & quemadmodum perpetua erat mors victimarum, ita & fœdus initum. Sanguis autem quo & libet & populus aspergebatur, adumbrabat pœnas sanguinis daturum: qui fœdus initum violaret. Immo labantur ergo victimæ Deo, quoniam testis pacti erat, à quo sperabant vindictam & punitionem infligēdam illis, qui pactum infringerent: & adumbrabant, vt diximus, sanguine & iugulatione pœnas quas daturus erat qui pacto non staret. Voluit autem Dominus senes montem conscendere: quoniam rectores populi erant, & populum ad seruandam legem inducere debebant.

Narrauit populo omnia verba Domini.

Verbum Hebraicum sapar, significat proprie numerare, & quia narrans, vnum post aliud dicit ac si numerasset, extenditur ad significandum narrare, quo sensu nos Lusitani & omnes Hispani vtimur, qui pro narra mihi hoc, dicimus conta me isso, id est, enumera mihi hæc.

Scripsit Moseh omnia verba Domini.

Mirum valde fuit, quòd Moseh omnia verba Domini mente retineret, & postea in libro scriberet, quemadmodum dicitur hic.

Et surrexit mane. Opinio Hebræorum est, verbum sacham significare mane surgere, seu manicare, quo verbo vsus est Hieronymus Lucæ. 21. vbi vertit. Omnem populum ad Ioannem in deserto manicasse. Quod verò mane surgere, non sit eius propria significatio, constat: quia verbo sæpius adiungitur nomen bocher, id est mane, quod non fieret, si verbum significaret mane surgere. Quod verò hoc ei addatur, constat Isaiæ quinto vbi dicitur. Ve machime babocher, id est, ve surgentibus in mane. Idem supra octauo & etiam hoc loco, quo dicitur. Vaiaschem babocher, id est, surrexit mane. Vnde videtur verbum potius significare maturare ad surgendum, quàm mane surgere. Non enim significat surgere, eadem ratione, quoniam Psal. 127. ei additur surgere, & dicitur. Vnum est vobis maschime chum, id est, maturantibus surgere (vt Sanctes noster vertit.) Est tamen non parua coniectura quòd significet leuare se, quoniam ab hac radice est schem, id est, humerus, sic ab eleuatione dictus: quare posset sic textus efferri. Et leuauit se Moseh mane.

Ædificauit altare sub monte.

Ex hoc loco constat, sacrificium & fœdus Dei cum populo non fuisse in monte, sed in planitie, vt diximus, & post fœdus Moseh conscendisse cum senioribus montem.

Et duodecim statuas. Non putes fuisse idola, aut hominum effigies, sed erant duodecim lapides erecti. Nam iassāb significat proprie erigere, seu stare facere. Si quæras quare Dominus voluerit huiusmodi adesse statuas, cum populus astaret: dico quòd ad ostendendam pacti perpetuitatem, quam lapides ad multum tempus duraturi ostēdebant: & quod non solum cum præsentibus fœdus iniret, sed etiam cum posteris in perpetuum.

Iuxta duodecim tribus Israel.

Hebraice habetur. Iuxta duodecim virgas Israel. Vocat Hebraismus virgas filios, quòd veluti virgæ seu rami à trunco progrediantur filij.

Et misit pueros filiorum Israel.

Quidam ex hoc loco euincere voluerunt, primogenitos olim fuisse sacerdotes, sed nisi hoc aliunde probent, non video qualiter ex hoc loco, hoc habere possint. Non enim textus dicit, Moseh misisse primogenitos, sed pueros filiorum Israel: per quos possumus tam famulos filiorum Israel, quàm filios eorum intelligere, & per eos, meo iudicio, intelligit iuuenes expeditos, qui ei liberius ministrare, in sacrificio possent. Et licet dicatur hic quòd ascendere fecerunt holocausta & mactauerunt victimas, quòd munus sacerdotum erat, quasi robur cęli, id est, cœlum robustum & forte, cùm mundum est.

Et ad separatos filiorum Israel non misit manum.

Significat verbum asal, à quo asil separare, vt patet Gen. 27. Nonne asalta, id est, separasti seu reseruasti mihi benedictionem? Sic Numeri 11. Ve asāti, id est. separabo, de spiritu qui est super te. Asil verò separatum proprie significat, & quia magni & nobiles, ab aliis separati sunt: significat quoque magnum & nobilem. Posset etiam nomen asil, deduci ab esel, quod est apud, iuxta: vt patet Nehemiæ secundo, vbi dicitur. Et coniunx seu regina sedebat esso, id est, apud eum. Et Gen. 41. Et steterunt esel, id est, iuxta vaccas, & sic asil significaret propinquum seu proximum, qui videtur esse iuxta, & sic sensus esset. Et ad propinquos filiorū Israel nō misit manum: ac si dicat. Et ad eos qui erant iuxta illum, licet illi appropinquarent, non misit manum. Est autem Hebraicum schema, mittere manum, pro percutere: quòd percussio soleat extensa manu fieri: vt in Hebraismis diximus. Dicit autem hoc, quoniam solebat Dominus non se alicui ostendere, citra vitæ discrimen. Sic miratur Iaacob Gene. 32. quòd viderit Deum facie ad faciem citra vitæ ablationem. Et quantum ex hoc loco colligi datur, id quod infra capit. 33. dicit Dominus. Non videbit me homo & viuet, intelligendum est facie ad faciem: licebat enim citra periculum vitæ partem aliquam dei videre. quemadmodum isti pedes viderunt, & Moseh posteriora. Neque mihi obiicias illud Genesis citatum. Vidi Dominum facie ad faciem: & quod etiam infra dicitur Numeri. 11. Facie ad faciem loquor ei. Quoniam vt iam aliàs admonui: stat quòd aliquis loquatur alicui, facie ad faciem, & tamen non videat faciem eius: vt patet de duobus loquentibus simul in loco obscuro quo se mutuo non vident: & tamen loquuntur facie ad faciem, & isto modo loquutus est Dominus Moseh, cum quo amictus nube, aut nebula loquebatur, & sic etiam luctabatur cum Iaacob noctu: licet de Iaacob non sit opus hoc dicere, quia textus expresse dicit fuisse angelum, licet idem iudicium esset apud Hebræos de visione Dei & angeli, vt patet Iudicum. 13. de Manoach, qui postquam angelum Domini nouit, cum qui ei & vxori loquebatur, ait. Moriendo moriemur: quia vidimus Dominum. Probat autem textus, non fuisse mortuos seniores Israel, quoniam post illam visionem, comederunt & biberunt.

Dabo tibi tabulas & legem.

Potest nomen torah, id est, lex deduci à iarah, quod est docere, & descendere, quòd videlicet doctrina à doctore in audientem, descendat, iuxta illud Deutero. Descendat vt pluuia doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum. Deriuari etiam potest à thur, quod est explorare, scrutari: quòd iugiter sit exploranda & meditāda, quemadmodum Dauid de viro iusto dicit, quod in lege Domini meditetur die ac nocte: quod magis probo. Vide illud secundo Samuelis septimo, quod nostri vertunt. Hæc est lex Adam Domine Deus, posset verti. Hæc est meditatio seu cogitatio hominis, Domine Deus: ac si dicat. Hoc est quòd ego possem cogitare, & desiderare pro vtilitate domus meæ, quod mihi tu tua sponte polliceris. Vnde sequitur. Quid addet vltra Dauid, vt loquatur ad te, cùm tu omnia quæ ego desiderare poteram prædixisti? Quod verò sequitur. Dabo tibi tabulas lapideas, & legem & præcepta, quæ scripsi. Dubium est, an deus solum scripserit præcepta, quæ erant in tabulis: an omnia quæ Moseh ab ore eius hausit, & crederim, solum decem in tabulis scripsisse verba. Quia tamen dicitur. legem & præcepta quæ scripsi, vt doceas, potest teneri Deum cuncta scripsisse: vt filij Israel habentes scripturam Dei, pactum de ea seruanda inirent. *Cap. 32.*

Bonus sensus verborū Dauidis.

Ascende in montem Dei, id est, in quo est deus, aut quo loquebatur deus cum eo, id est, in Choreb qui dicitur mons dei, quoniam in eo loquebatur Moseh.

Manete hic. Hebraice est. Manete nobis hic, & est sensus.

Positat in crateribus. Significat dictio Hebraica agan, vas magnum speciē ventris habens, & vtcunq; rotundum, vt patet Canti. 7. vbi dicitur. Vmbilicus aut venter tuus agan, id est, crater tornatibilis: id est, rotūdus. Nostri Isaiæ. 22. vertunt phialas.

Accepit librum pacti. i. in quo pactum scriptū erat. Aut super quo paciscebātur, & hoc videtur verius

Et legit in auribus populi.

Verbum chara non significat proprie legere, sed vocare, & clamare, & hic significat, alte seu magna voce legere: neq; potuit aliter esse, quoniam oportebat populum totum, aut saltem partem magnam illius audire. Non enim sine miraculo poterat simul à toto populo audiri, sed crediderim eum sæpius in diuersis locis, aut eadem diuersis auditoribus legisse.

Ecce sanguis pacti, quod percussit Dominus vobiscum.

Vocatur sanguis animaliū immolatorū sanguis pacti, quia eo pactum inter eos & Dominum firmabatur.

Et ascendit Moseh in montem, scilicet post sacrificium & firmatum fœdus.

Et viderunt Deum Israel, id est, quandam eius similitudinem. Neque crediderim eos totam illam effigiem humanam qua sese Deus illis ostēdebat vidisse, quam noluit Dominus Moseh, qui sibi gratissimus & familiaris valde fuit ostendere, sed vidisse solum pedes, & ea quæ sub pedibus eius erant. Nam sequitur.

Et sub pedibus eius quasi opus lateris saphirini, et quasi robur cœli in munditia.

Significatur quòd sub pedibus Dei erat, non quidem lapis, sed later: aut lapis formam lateris habens, saphirini coloris. Est autem lapis saphirus, vt dicitur, coloris cœlici, aut cerulei, & aureis punctis collucere solet. Dicunt autem Hebræi. Deum laterem eis sub pedibus ostendisse: vt scirent quòd ex populo seruili, populus diuinus & liber facti essent ita vt lutum illud in quo in Ægypto operati fuerant, in pretiosissimum lapidem mutatum esset. Quod autem vertimus. Quasi robur cœli, verti potest. Quasi corpus cœli in munditia, id est, cum mundum sine vlla nube apparet. Aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

sensus. Expectate nos hic, id est, me & famulum, scilicet Iosuah. Est etiam phrasis linguæ. Manere nobis. Neque est sensus. Ad vtilitatem nostram: quemadmodum Rabbi Selomoh exponit infra illud quod Dominus Moysi dicit. Præcide tibi duas alias tabulas, quod Rabbinus ille interpretatur. Præcide ad tuam vtilitatem. Sic Gen. 22. Vade tibi. Et in Canticis. Iob mihi.

Vide quæ scripsimus Gen. 11.

Et Chur vobiscum. Dicunt Hebræi, hunc fuisse maritum Mariæ seu Mirian sororis Mosch, sed textus hoc non explicat.

Quisquis habuerit causas.
Hebraice est. Quis Dominus verborum, seu quis superior verborum, & sensus est. Qui fuerit in lite actor, qui videtur esse superior ad reū, seu ad eum aduersus quem litigat, veniat ad istos quos iudices ad lites dirimendas constituo.

Habitauit gloria Domini in monte Sinai, & operuit eum nebula sex diebus.
Admonui supra: nihil aliud per gloriam Domini esse intelligendum quàm nebulam illam, in qua erat Dominus: & dicitur gloria Domini, quia illum quasi gloriosum vestimentum tegebat. Quemadmodum de lumine dicitur Psal. 103. Qui operit te lumine sicut vestimento. Etiam annotaui sæpius dictionem anan, significare non solum nubem, sed nebulam, & magis proprie, & videtur textus explicare, quid per gloriam Domini intelligat, cum sequitur. Et operuit eum nebula, ac si idem dictu sit, gloriam Domini montem operuisse, & nebula tegi. Dicitur autem ibidem habitasse, quia diu ibi permansit, scilicet ad quadraginta dies.

Clamauit ad Mosen die septima de medio nebulæ.
Voluit Dominus ostendere grauitatem suam, vt non loqueretur Mosch statim, sed fecerit eum expectare ad septimum diem.

Visa est gloria Domini, sicut ignis comedens seu ardens, in capite montis.
Ecce hic iterum ostenditur, qualis fuerit gloria Domini, quòd scilicet sicut ignis ardēs in cacumine montis. Est ergo gloria Domini id quo tegitur ipse, siue sit nebula aut nubes, siue ignis, in quo ipse est, quæ præ se ferebant præsentiam Dei.

Ingressus est Mosen medium nebulæ.
Vocat Hebraismus esse intra aliquid, esse in medio eius, vt in Euangelio habes. Erat nauis in medio maris, id est, intrà mare, & in Psal. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, id est, intra noctem seu nocte durante. Sic Iosuah tertio dicitur, quòd cū sacerdotes venissent vsque ad Iarden, & pedes portantium arcam intincti essent in extremo aquarum inundantium, steterunt aquæ. Postea sequitur, Stabant autem sacerdotes portantes arcam fœderis Domini. in sicco, in medio Iarden, id est, intra Iarden, cum solos pedes intinctos haberent. Cùm ergo textus dicit Mosen medium nubis, aut nebulæ ingressum: sensus est, eū ingressum intra nubem. Non enim credibile est, eum ingressum reuera medium, quoniam ibi erat Deus: vt textus dicit.

CAPITIS. XXIIII. AD MORES annotata.

Venit Mosch, & narrauit populo omnia verba Domini.
Non fuit Dominus contentus, pacisci cum Abraham & Iacob: qui poterant se, & posteros suos obligare & obligarūt Gen. 15. 17. & 28. sed etiā cum filiis, fœdus inire voluit. Et videtur Deum hoc dixisse Abrahæ supra Gen. 17. Statuam inquit pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te: in generationes eorum, in pactum perpetuum, vt sim tibi in Deum, & semini tuo post te. Et dabo tibi, & semini tuo post te, terram peregrinationum tuarum: terram Chenaham in possessionem perpetuam. Quo in re docet nostram instabilitatem, & inobedientiam, & quàm raro filij stare soleant, contractibus parentum suorum. Vbi simul discē Dei dignationem, vt velit nobiscum pacisci super his quæ facere tenemur inuiti. Nonne tu Domine Deus es, qui nos creasti, & compegisti? Manus Domini (ait Iob) fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu. Ipse (inquit Dauid) fecit nos, & non ipsi nos, scilicet fecimus. Ad quid ergo nobiscum pactum, & promissio tam larga, si pacto steterimus tuo? Tua dignatio, & nostra rebellio, te ad hoc quodammodo cogunt. Expende hic quæso, quàm mali solutores debitorum simus. Solent creditores aliquid ex suo dare debitori, aut ex debito relinquere, vt quæ eis debentur recuperent. Dominus autem considerans rebellionem & socordiam nostram in soluendis his quæ illi debemus, non solum infinita dimittit nobis debita, sed plura & potiora bona, quàm sint debita pollicetur, vt pauca soluamus. Quot scelera & peccata quotidie relaxat, & gratis nobis dimittit, neque hoc contentus cœlestia & æterna bona promittit, & confert, si pauca quæ iubet & ad quæ nos sine huiusmodi pollicitationibus teneamur, faciamus.

Aduerte.

Omnia verba quæ locutus est Dominus, faciemus.
Quàm faciles sunt homines in pollicendo, & quàm difficile præstant quæ pollicētur, pulchre locus hic edocet, cum tota scriptura.

Scripsit Mosch omnia verba Domini.
Quid præ se ferat huiusmodi scriptura, nosti ô homo, si oculos non amisisti. Seruatur enim, vt per eam, in die examinis extremi interrogeris. Audi quid de ea re, sanctus Dauid dicat, Psal. 49. Congregate (inquit Dominus) mihi sanctos meos, qui pepigerunt pactum mecum super sacrificia. Facto enim vitulorum sacrificio pactum initum est inter Deum & sanctos. Et sequitur Psal. Nuntiauerunt cœli iustitiam meam, quoniam Deus iudex est. Audi populus mi, & loquar Israel, & testificari faciam contra te. Deus Deus tuus ego sum. Et si apertius rem hanc scire desideras, audi Ezechi. vigesimo capite. Educam vos de populis, & adducam vos in desertum populorum, & iudicabo me vobiscum ibi facie ad faciem: sicut iudicaui me cum patribus vestris in deserto terræ Ægypti. Et transire faciam vos sub virga, & adducam vos in vinculum fœderis, id est, conferam vos legi, & fœderi, quod mecum pepigistis. Et eligam ex vobis rebelles, & præuaricantes in me: è terra incolatus eorum educam eos, & ad terram Israel non venient, & scietis quòd sum Dominus.

Iosue. 24. Psal.

Legit in auribus populi.
Colligo ex hoc loco, hominem pacisciētem, debere cognoscere ea ad quæ se obligat, & pacta esse legenda, antequàm firmentur. Et considera quòd non sufficit Domino, narrasse Mosch verbo, omnia verba sua, sed voluit postea legi, in auribus populi, vt nemo illorum postea causaretur, se ignorare ea, ad quæ se obligabat. Est autem sanguis, testis fœderis: quoniam non facilè deleri potest. Sed quid prodest Domine, corpora sanguine respergi, ac librum, nisi simul cordibus legem tuam inscribas, quemadmodum apud Ieremiam polliceris?

Ascendit Mosch, & Aaron, & seniores Israel: & vi Capiderunt Deum.
Si eos qui solum legem se facturos promittunt, sic Dominus Deus exaltat: vt dignos sua faciat visione, quid cum facturum putas eis, qui quæ promiserunt opere compleuerunt? Et disce ex hoc loco prudens lector, non vanam esse bonorum faciēdorum promissionem, quæ tanto premio digna est.

Sub pedibus eius sicut opus lateris saphiri. *Exod. 1.*
Premebantur (inquit scriptura) serui Dei, filij scilicet Israel in Ægypto, operibus duris, luti, & lateris. Nunc verò laterem quo anxie premebantur pretiosum vident splendere sub pedibus Dei, vt discas quid valeant labores, sudores, & quæcunque mala, propter Deum perpessa, lutosa & latericia, ac immunda tibi videbuntur, & his qui terrena sapiunt, sed apud Deum pretiosi lapides sunt, quibus sedes eius decoratur. Expende ergo quanti Deus faciat hæc. Visi sunt oculis insipientium mori, & insensati, vitam eorū æstimāt insaniam, sed

sed illi in pace sunt, & lutum laboris illorum, in saphi eum versum est, & margaritam. Cuncta opera humilitatis, & abiectionis, vilia & inutilia, & pene nullius momenti esse videntur, sed nihil apud Deum æstimabilius, & pretiosius. Excelsus Dominus (ait rex humillimus) sed humilia respicit, eaque miratur; alta verò aut negligit, aut à longè cognoscit. *Psal.*

Et sicut corpus cœli in munditia.
Quid quæso luto immūdius & latere, quid verò mundius aut pulchrius cœlo? Non fuit fuit Domino, lateres terrenos, in cœlestem saphirum mutasse: nisi etiā in cœlum Iutū mutet. Neque in qualecunque cœlum, sed in mundissimum. O beata vilitas, humiliantis se, propter Deum, quæ in cœlestem munditiam tam facilè commutatur.

Ad principes Israel non misit manum.
Propitius est Deus his qui faciunt voluntatem eius, ita vt etiam impunè eum videant, qui autē curiosus scrutator est maiestatis, à gloria Domini opprimi solet. In harenā descendit Iacob cum Domino, sed quia humiliter præmebat eum, & vrgebat: licet Deum facie ad faciem viderit: salua tamen facta est anima eius.

Dabo tibi tabellas lapideas & legem.
Ne suspectā legem postea haberent manibus delatam Mosch prædicit: Dominus se eam illi daturum:

Ecce Aharon & Chur vobiscum.
Docentur hic reges & gubernatores, non relinquere suos sine duce, & iudice: ne seditio in populo oriri possit. Similiter duces tales relinquendos esse, qui autoritatem iam habeant in populo: & quibus populus facilè obediat.

Ascendit Mosch in montem, & operuit nubes montem.
Sapienter valde nosuit Dominus, populum cognoscere, quid familiaritatis seruus apud se haberet, ne alios inuidia permotos in eum prouocaret. Et vide qualiter prudentissimus artifex, cuncta temperauerit. Noluit populum videre, quàm familiaris illi seruus esset, ne inuidia torqueretur, & voluit seruum, ad septem dies eum in monte expectare: ne ex familiaritate superbiret. Vbi simul disce, Domini maiestatem & grauitatem, qui seruum tam diu expectare permisit, etiam si illi dilectus valde esset. Ne temerè te aut in Deum, aut in ea quæ Dei sunt iniicias. Sic & Abrahæ dilectissimo suo fecit, ad quem, & si aliquando descendere dignatus est, nunquàm tamen domum eius ingredi voluit. Solet enim homo etiam iustus, ex diuinis fauoribus insolescere. ideo ad mensuram sibi cuncta ostendenda sunt & præstanda.

CAPITIS. XXV. AD LITERAM annotationes.

Et locutus est Dominus ad Mosen dicens.
Præcipit hic Dominus, colligere ea, quæ ad tabernaculum faciendum erant necessaria: quoniam disponebat cum eis familiarius cōuersari, & volebat domum apud eos habere, mobilem tamen: quoniam casum eorum sæpissime mouenda erāt: quo in loco eum ad omnia quæ inquirere vellent, ad manum haberent, & ex quo cuncta, tanquā gubernator eorum dirigeret.

Accipiant mihi oblationem.
Sunt in hoc capite vocabula multa Hebraica, quorum significationes ignorant Hebræi: vt infra constabit. Dictio autem terumah, quam vertimus oblationem, est à radice rum, quod est leuare, eleuare, & proprie elevationem significat ex consequenti oblationem & donum, aut quia cum Domino offerebatur eleuabatur sursum, aut quod magis probo, quia ab aliis offerentis bonis leuabatur, & separabatur, & ex. 48. capite Ezechielis videtur significare, quod eleuabatur ex bonis tanquam primitiæ. Dicitur enim ibidē. Et erit sacerdotio de eleuatione seu oblatione terræ: sanctitas sanctiorum, iuxta terminum Leuitarum. Quorum verbotum sensus est, quòd portio quæ in diuisione terræ dabitur sacerdotibus, erit sicut eleuatio primitiarum, ita quod non poterunt eam vendere, aut commutare, vel trāsferre, quoniā primitiæ sunt terræ, vt statim ibidem explicatur. Dicit autem. Accipient mihi, quoniam ipsi apud se, debebant separare, & eleuare ab aliis bonis suis, quæ Deo offerenda erant, & nullus ab eis debebat ea exigere. *Exod. 48.*

Ab omni viro, cuius sponte offeret cor eius.
Vnicum est in Hebræo verbum, scilicet lidebenu, quod significat sponte aliquid elargiri, aut donare: vt patet infra. 35. Omnis vir & mulier, quorum nadab, id est, sponte obtulit cor eorum ea.

Hyacinthum, purpurā, coccum, bistinctum & byssum, & pilos caprarum.
Nihil certi habent de his rebus Hebræi. Vnde constat, quàm parum in huiusmodi eis fidendum sit. Dicunt enim hyacinthum lanam esse blauam aut blauei coloris, nos vocamus cardeo, seu ceruleum. Si techelet. id est, hyacinthum sit integra dictio, vt scilicet tau sit radicalis litera, ignota est significatio eius, videtur tamen ex coniecturis significare lanam aut fila serica aut lanea subtilia valde, ex quibus velum fieri potest: quoniam ex huiusmodi techelet, dicitur velum tabernaculi factum sequenti capite. Ex capite. 35. sequenti videntur significare tā hyacinthum quàm purpura lanam & sericum potius quàm filaī quoniam ibi dicitur mulieres attulisse netum thechelet, & argaman, id est, hyacinthum & purpuram. Erant ergo hæc, res quæ filari seu neri poterant à fœminis: ex quo constat fuisse lanam aut sericum, vt iam diximus, & etiam fila quæ ex huiusmodi lana aut serico filabant fœminæ. Si verò techelet non sit à tachal, sed à chalah vel achalal, quod est perficere, & finire seu complere, tunc significaret fila, ex quibus fiunt extremitates pannorum, quas nos vocamus ourelas, Res incerta est: & considera quàm oculatos duces habeamus in sactis literis, qui omnia istorum nominum proprias significationes ignorant, & necessarium est eis fidere, aut potius cum eis cæcutire. Sequens verò dictio, scilicet argaman, tam obscuræ est significationis, sicut præcedens. Rabbi Dauid in libro radicum dicit significare rubeum colorem, quā vocatur chatmen, id est, carmesinus. Sed Rabbi Saadiah dicit sequentes duas dictiones, scilicet tholaat, šani, significare carmesinum: quod si verum est, tunc argaman significabit alium colorem, quem Rabbi Dauid dicit vocari lacha, qui in Arabico vocatur argauā. Si radix nominis sit ragam à quo regem, quod Hebræi dicunt principem significare, tunc per argaman significaretur purpura, quòd scilicet regū & principum indumentum sit. Si verò à rag, quod est fusus, tunc significabit fila, quæ fuso innoluuntur. Vnde probabile valde est, quòd significet aut purpuram ipsam, aut (quod verius credo) fila ex quibus fit: quoniam Deus nolebat factos pannos, sed potius ea ex quibus texerentur & fierent, quoniam facti aut non conuenirent, aut viles essent: vtpote humanis vsibus contrectati. Tertia dictio, scilicet tholaat, significat vermē. Isa. 14. Et operimenta tua toleah, id est, vermis. Et Psal. 22. Et ego tholaat, id est, vermis, & non vir. Quod verò significet vermem rubri coloris, ex verbis Isa. 1. capite constat: vbi dicitur. Si fuerint rubra. s. peccata tua chatalas, id est, tanquam vermiculus: velut lana alba erunt. Item Threno. 4. Qui alebantur super thola, id est, vermiculo: amplexati sunt stercora. Ex quibus cōstat pannum, aut fila potius rubei coloris per tholeah significari. Et quod sequitur, Scamni, si sit à radice scanah quod est duplicare, iterare, significabit duplicitatem: vt sit sensus. Et accipies vermiculum, id est, fila rubra duplicitatis, seu duplicata. Sunt enim huiusmodi fila aliquādo simplicia, nonnunquam duplicata. Quantum nomen scilicet sches, byssum, quod est album candidissimum, significare dicitur, vt patet Gen. 41. vbi dicitur, Pharaonem induere fecisse Iosephū vestibus sches, id est, byssi seu byssinis. Idem prouer. 31. Sches, id est, byssus, & purpura, indumentum eius.

Et pilos caprarum. Nulla in Hebræis pilorum fit mentio, sed dicitur byssum & capras, sed optimè subaudiuntur pili, ex quibus factum est, vnum è tegu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentis tabernaculi. Fuit autem ex caprarum filis pannus prętiosi qui apud nos, simbalot vel chamalotes dicuntur.

Et pelles arietum. Deriuatur nomen orat, id est, pelles, ab arah, quod est nudare: quòd scilicet ab animali extrahantur, dum denudatur. Apud nos non est vsus, harum pellium rubricarum. Dum superioribus annis agerem in Flandria eas vidi, & pulcherrimæ sunt, & videntur carmesi: de quibus in canticis habes. Sicut pelles Salomonis. Et quod sequitur.

Arietum. Dictio elim, abaial, quod est fortitudo deriuatur, & fortè non arietem, sed aliud animal fortè, significat, & si arietem, non qualemcunque, sed qui iam annum transierit significabit, vt Hebræi etiam dicunt.

Pelles thechasim. Incertum est quæ sint animalia quæ hic vocantur thechassim. Hebræi dicunt esse animalia munda, varij coloris, sed meo iudicio diuinant. Nam quid proprie nomen significet ignorant, sicut & nos. Idem sentit Chaldæus paraphrastes. Duo de huiusmodi pellibus ex scripturis venatus sum. Alterum est esse grossas ac duras, & quæ vim imbrium facilè propulsare possint. Alterum verò esse tales, ex quibus calcei fieri possint. Et primum constat ex trigesimonono capite sequenti huius libri, vbi dicitur. Facies operimentum pellium hathecassim, id est, taxorum, & loquitur de supremo operimẽto tabernaculi, quod imbrium & aliarum aëris intemperierum iniuriam propulsabat. Secundum verò constat ex capite decimosexto Ezechielis, vbi Dominus enumerãs delitias quibus Israel à sua infantia enutriuit, dicit se eum calciasse thachas, id est tasso seu pelle taxorũ: nisi dicamus eum per tassum non pellem ipsam sed varios ipsius colores significare voluisse: vt idem dictu sit, calciaui te taxo: ac si diceret calciaui te discoloribus, vt multi locum interpretantur. Sunt apud nos in desertis locis animalia quædam, quæ vulgo dicuntur texugos: quæ fortè per nomen Hebraicum significantur, sed eorum pelles licet durissimæ sint, nullus tamen est, qui eis ad aliquid vtatur, & nomen cogruere videtur. Hieronymus Numeri quarto, hyacinthinas interpretatur pelles, & ferè in omnibus scripturæ locis, idem sentit. Rabbi Selemoh dicit, animal notum illis diebus significari, vt videas quàm probe Iehudæi nouerunt hæc. Quod mihi de hac re certius videtur est, esse pelles quorundam animalium quæ nostri amtas vocant: ex quibus fiunt apud nos magna scuta coreacea, quæ nostri adargas appellant: quibus in congressu cum Sarracenis vtũtur, quoniã leuiora sunt aliis scutis ligneis, & ferè totum hominem tegunt, & sunt alba ex quibus etiam calcei albi fieri possunt.

Et ligna sittim. Non minus varij sunt Hebræi in huiusmodi lignis sittim cognoscendis, quàm fuerint in cognoscendis significationibus præcedentium vocabulorum. Si radix nominis est sut, quod est circuire aut potius extendere, significantur ligna extensa: neque crediderim cedros, aut pinus: quoniam Isaiæ trigesimotertio. Et Ezechielis vigesimoseptimo, video saut, & massot, remum nauis significare. Vnde videtur significare ligna, ex quibus remi fieri solent in nauibus: quæ sunt ligna fortia, & quæ non facilè sub aquis computrescunt: cedrus autem & pinus parum sub aquis durant: ideo crediderim esse ligna quædam, quæ nostri voeant bordos, aut fayas: ex quibus asses librorum fieri solent. Huiusmodi enim ligna pulchra sunt & fortissima: ex quibus tecta domorum nobilium tegere solent, & in pretio apud nos sunt: quibus abundat Germania & inde ad nos deuehuntur in maxima copia. Quod si verum est, non mirum si prope Sinai sylua huiusmodi lignorum esset. Inquirit hic Rabbi Selemoh. Vnde erant eis in deserto, ligna sittim. Respondet fuisse sententiam Rabbi Tanchuma. Iaacob patrem eorum cognouisse per spiritum, scilicet quod filij Israel essent in deserto, tabernaculum Dei constructuri, quare attulit in Ægyptum cedros, ac plantauit: iussitque filiis suis vt ea secum deferrent, quando ex Ægypto essent egressuri, in quibus Rabbinus delirare videtur. Quid enim hoc mendosius dici potest. Rabbi verò Abraham in eandem sententiam declinat. Sunt inquit, ex antiquis nostris dicentes, Iaacob patrem nostrum plantasse illas cedros: & Israel eduxisse illas imperio Mosen ex Ægypto: ad quod probandum citat illud quod Exodi trigesimoquinto dicitur. Omnis cum quo inuenta sunt ligna sittim. Et si ita (inquit) dicamus, mirum est, cur huiusmodi adduxerint ligna, cùm non opus haberent. Sed omissis Hebræorum mendaciis, alterum è duobus puto. Aut quòd prope Sinai fuerit huiusmodi lignorum sylua: aut quod Iudæi ad tabernacula propria componenda ea secum adduxerint ex Ægypto. Et verba citata, ex capite trigesimoquinto huius libri, prę se ferunt, Iudæos secum huiusmodi ligna detulisse. Quod autem Rabbinus ille quærit, quid scilicet responderent Ægyptiis quærentibus Iudæi ad quid sibi vellent huiusmodi ligna: facilis est responsio, quòd ad tabernacula construenda. Radix tamen nominis, non videtur esse sut, sed citat ex geminatis.

Et pro suffimento aromatum. Dicunt Hebræi nomen sam, significare aroma in communi: quod probant ex eo quod capite trigesimo sequenti dicitur. Cape tibi samim, id est, aromata. Et statim explicat qualia. Nam sequitur. Stacten, & onicham. Posset tamen dici, esse propriam speciem aromaticam, ex qua fiebat suffitus ad suffiendum coram Domino. Vnde verti posset. Et suffitum asamim, id est, illius speciei aromaticę videlicet accipe. Aut pro suffitu asamim, id est, illius speciei aromaticæ accipe oleum, vt videlicet cum illo misceas. Et sic esset accipiendum oleum ad tria, scilicet ad lucendum in luminaribus, ad oleum vnctionis quo vngebantur sacerdotes, tabernaculum, & omnia vtensilia eius, & ad suffitum. Meo tamen iudicio, significatio nominis sam aut samam ignota est Hebræis & nobis.

Lapis soham. Dicunt tam Hebræi quàm nostri soham, significare lapidem vniche, qui colorem vnguis humani habet, res tamen incerta est.

Lapides plenitudinis. Vocari possunt lapides plenitudinis, aut quia integri erant, nõ cauati, aut (quod verius credo) quia implebant sacerdotis pectorales. Vnde statim sequitur.

Ad ephod & ad pectorale.
Si radix ephod, est aphad, quod est stringere aut cingere, tunc ephod significabit cingulũ, aut ornamentum, quo quis cingitur. Sumitur etiam pro veste stricta, qua minister accingebat, & stringebatur se: dum expedite aliquid facere volebat, & possemus rectius dicere verbum aphad, significat stringere, & ex consequenti cingere, quod cingens stringat se, & similiter ephod strictam vestem quà quis stringebat se, seu quodcunque aliud, & ex consequenti cingulum, quòd eo soleamus nos stringere. Nam. 1. Samuelis secundo habes de Samuele. Puer accinctus ephod, id est, stricta tunica linea. De Dauide etiã primo Samuelis sexto, Dauid inquit accinctus ephod, id est, stricto lino, aut accinctus stricta tunica linea. Quod autem sequitur. Et ad pectorale, etiã dictio chossen incertę significationis est apud Hebræos: neque est coniectura ad cognoscendam eius propriam significationem. Dictio ponitur ter, infra capite vigesimooctauo, vbi est sermo de pectorali iudicij. Quare autem dicatur pectorale iudicij, ibidem dicemus. Erat autem ornamentum pectoris, quod scilicet super pectus quibusdam cathenis suspendebatur: quod plenum erat lapidibus prętiosis.

Facietis mihi sanctuarium, id est, locum sanctum, seu separatum vtcunque à vobis. Et quod sequitur.

Habitabo in medio vestri, idem dictu est, quòd habitabo inter vos.

Secundum quod ego videre facio te ædificium. Consulto non vertimus secundum similitudinẽ, quemadmodum omnes nostri verterunt: dicentes tabnit significare similitudinem, cum re vera significet fabricationem, & ædificium. Nam vbicunq; istã dictionem tabnit

tabnit similitudinẽ vertunt, tã bene vertas ædificium, seu fabricam: vt Deutero. 4. vbi nostri cum Hebręis vertunt. Similitudinem masculi, & fœminæ, tam bene vertas: ædificium seu fabricam masculi & fœminæ. Sic Psalm. 100. Mutauerunt gloriam suam betabnit, id est, in similitudinem bouis, tam bene vertas, in ædificiũ bouis. Omitto quòd banah quod est radix tabnit, non assimilari, sed ædificare significat: vt ipsimet dicunt. Et Rabbi Dauid ab ipsa veritate coactus, Ezechielis quadragesimo capite mibneh, quod est huius radicis, ædificium vertit: quo loco habetur. Super secundum ædificium ciuitatis: vbi nostri interpretantur: secundum similitudinem ciuitatis. Et licet illud quod in monte monstrabatur, esset similitudo eorum, quæ à Moseh erant facienda, erat nihilominus id quod videbatur fabrica seu ædificium: aut saltem fabrica videbatur. Potest etiam alia ratione exẽplar dici ædificium, quòd ad eius imitationem ædificium fiat: quemadmodum similitudines, eorum quorum sunt similitudines, nomina sortiuntur.

Faciet arcam lignorum sittim.
Nomen aron, significat arcam, à quo etiã oren, quod arborem significat Isaiæ. 44. Et meo iudicio, non quãcunque, sed ex qua arcę communiter fiebant: vt aliqua allusio sit inter nomina: vt mos est nominum Hebraicorum. Vnde Rabbi Dauid dicit, oren significare arborem ad opus bonum: cuius meminerunt doctores didentes. Et nomen arborum cedri aranim. Est & proprium viri nomen, vt habes. 1. Para. 2.

Duo cubiti & dimidij erit longitudo eius.
Ponitur hic nomen amathiim, quod Hebræi ab em quod est mater deriuant, non intelligentes pulchram allusionem nominis, ad suam radicem. Nam ab em, quod est mater, deriuatur à methaim, quod est duo cubiti, seu duæ mensuræ paruæ: quæ ab aliqua veluti matre filię deriuãtur. Continet enim mensura magna, alias paruas, veluti mater filias, quẽadmodum via biuium aut triuium, & quatriuium, vocat Hebraismus matrem viarum: à qua scilicet multæ semiæ oriũtur: vt habes Ezech. 21. vbi sic dicitur. Stetit rex Babel in em, id est, matre viarum. Quod Hieron. vertit, in biuio, id est, in via, à qua vt matre aliæ veluti filię oriuntur. Ciuitatem etiam, quæ sub se multa oppida aut villas habet, matrem Hebraismus appellat: vt patet, secundo Samuelis vigesimo capite, quo in loco habetur. Ve em, id est, & matrem in Israel, scilicet tu delere vis: vbi vrbem mãtrem vocat, ea de causa, quòd scilicet parua oppida aut villas (vt diximus) veluti mater sub se contineat. Aduerte etiam dictionem orech, quam longitudinem sumus interpretati, Hebræis etiam significare sanitatem, mutato, holem in vau, scilicet aruchah: ad quod persuadendum citant illud Ieremiæ. 30. Curabo aruchah, id est, sanitatem tibi. Sed in hoc meo iudicio, non bene dicunt, cum vnica sit nominis significatio. Et aruchah significat non sanitatem sed percussionem oblongam, seu scissionem, quæ solet esse oblonga: & dicitur de re tam animata quam inanimata, vt exempla monstrabunt. Nam capite trigesimo tertio ipsius Ieremiæ habes. Ecce ego curo ei aruchah, id est, scissuram seu percussionem oblongam. Et capite octauo. Cur non est curata aruchah, id est, fissura seu scissio tua, aut vulnus oblongum, filiæ populi mei? De re inanimata exemplum habes Nechemiæ quarto, vbi habetur. Cùm audissent, quòd curata esset aruchah, id est, fissura seu rima in muro Ierusalem. Dicit enim Hebraismus murum curatum cùm reparãtur in eo rimę & fissuræ. Neq; te terreat illud Isaię quinquagesimo octauo. Sanitas tua, cito germinabit (vt nostri vertunt) vbi non videtur quadrare scissura, quæ non erat germinatura, sed sananda, quoniam verbum samaech, quod noster Sanctes germinare vertit, significat proprie (eo etiam autore) crescere, & sensus est. Et fissura seu partes vulneris oblongi tui, cito crescent, id est, cito ad inuicem coniungentur, vt scilicet sanentur. Imò tenendo priorem significationem optime vertas. Percussio tua cito germinabit, id est, coniungent se partes eius, veluti rami germinantes, & extendent se vt sanetur vulnus. Omitto quòd ex contextu constat: sententiam illam Ieremiæ, priori loco citatam, non posse interpretari eo modo, quo ipsi interpretantur: quoniã sanitas nõ curatur sed infirmitas seu plaga. Vnde improprie vertas. Curabo sanitatem tibi, sed recte. Curabo plagam tuam, aut vulnus. Et hinc aduertes quàm parum soliciti sint Iudæi in quærendis & inuestigandis, propriis vocabulorum significationibus.

Et teges eam auro. Significat verbum sapah, proprie tegere & operire, & ex consequẽti speculari, quòd speculantes, soleant se tegere & operire ne videantur. Inde sopeh, id est, speculator eadem ratione: quam allusionem seruare memento.

Intus & extra. Hebraice ad literam est. Ex domo seu à domo: & extra seu ab extra, sed est Hebraismus: bene per præcedentia verba explicatus. Vsurpat enim Hebraismus esse in domo pro esse intra: quòd ea quæ domi sunt, intra esse videantur. Et idem Hebræis est, esse domi & extra, quòd esse intus & extra. Quem Hebraismum seruabis cum sua explicatione, quoniam frequens est in sactis literis. Vnde hoc eodem capite habes. Erunt annuli, lebatim leuadim, id est, intra vectes: Hebraice, in domibus vectium. Vocat autem annulos domos vectium, quòd vectes intra illos essent, veluti in domibus suis: quemadmodum nidos appellat domos auium. Psal. 84. Passer (inquit) inuenit sibi bait, id est, domum: quòd ibi veluti in domibus includantur, & quiescãt. Quo etiam schemate nos Lusitani frequentissime vtimur. Inquirentes enim an aliquis sit domi vel foris dicimus. Estaa em casa ou fora, ac si esse domi, sit esse intus.

Faciet super eam coronam auream in circuitu.
Verbum Hebraicum zarah, à quo zer, id est, corona, significat proprie ventilare. Sed cùm nullam ad suum verbum habeat allusionem, arbitror zer esse potius à radice nazar, quod est separare aut elongare, aut à zur (quod idem significat) quàm à zarah: quod est ventilare, vnde anazar, quod vt diximus, est elongare, oritur, nezer, id est, corona: & meo iudicio, zer quod idẽ significat, coronam scilicet eam significat, aut quòd à capite separari queat, aut quia lamina coronæ oblonga sit, & in circulum redigatur. Erat autem hęc corona parua lamina aurea: quæ circuibat, seu ambiebat totam aream per circuitum.

Funde illi quatuor annulos aureos.
Radix tabaat, id est, annulus est taba, quod proprie est figere, vel figi, seu submergi, vt patet Psalmo sexagesimo nono, vbi habetur. Thabati, id est fixus sum, seu infixi me: in limo profundi. Inde thabaat, id est, annulus, sic dictus: quòd intra eum digitus figatur, vt non possit ab eo exire nisi remouteatur, quemadmodum homo aut res, in luto defixa.

Dabit super quatuor angulis eius.
Omnes nostri hic angulos vertunt, quemadmodum primo Regum septimo. Sed dictio paã videtur pedem potius significare, sicut paam cum chamets: & meo iudicio, area inferius habebat quatuor pedes quibus sustentabatur, & quibus annuli vectium infigebantur. Verbum paam, significat proprie frequentatis ictibus conculcare, aut malleare. Inde paam, id est pes, quòd frequentatis percussionibus terram cõculcet, aut eam malleare videatur. Ex quo etiam paamen, id est tintinabulum, quòd multiplicatis percussionibus collidatur seu malleetur. Vnde illud Iudicum 13. quod de Samsone scriptura loquitur. Cœpit spiritus Domini conterere eum, vertendum est. Cœpit spiritus domini lepaamo, id est, frequentare eum, seu crebro super eum vestire, aut malleare, & conterere eum, vt nostri vertunt, sed prior expositio est melior.

In latere eius vno. Duo significat nomen sela, scilicet costam, & latus, & prius latus: costam verò quòd ad latus sit animalis: significat etiam trabem quæ domus tectum sustinere videtur: & quandoque eas quas nos asinas vocamus, quæ sunt in domo veluti costę in

Universidad de Deusto
Biblioteca

humano corpore. Addunt Hebræi, significare etiam claudicationem, vertentes illud Psal. 38. Ego in flagella paratus sum. Ego lesala, id est, ad claudicationem paratus sum. Sed male sic interpretantur, & optimè vulgatus interpres, retenta enim propria significatione, qua latus aut costam significat, optimè vertendum est. Et ego ad costam seu ad costas aut latus paratus sum. Solent enim homines qui ad verbera parantur, costas seu latera nudare, vt verberentur. Vnde idem dictu est. Ego ad costas seu latera paratus sum, ac si diceatur. Ego ad flagella paratus sum: vt optimè vertit vulgatus interpres.

Facies vectes. Nescio quid de nomine bat, id est, vectis dicam, cùm videã tam Hebræos quàm nostros, nihil certi dicere de significatione eius. Offendes enim apud Sanctem omnia hæc significare, scilicet linum, mendacem, fortem, filium, vectem, ramum, membra & diuinũ, seu magum, quo quid incertius esse possit, ignoro, cùm nihil conuenientiæ aut allusionis sit inter hæc omnia. Ignoratur etiam, an bad sit per se radix vel potius deriuetur ab adad. Sed significatio vtriusq; nominis tam varia est, & tam diuersa altera ab altera, vt non videatur ad eandem radicem pertinere. Videtur tamen bad, significare subtile, gracile, & ex consequenti linum à subtilitate, similiter propaginem, gracilem, & subtilem intelligentia hominem. Diuinum verò, quoniam induti erant vestibus lineis. Res mihi tamen nondum plene certa est, neque ex coniecturis potui, propriam significationem inuenire. Eadem ratione potest significare vectem, aut quia subtilis est, aut quia longus seu extensus.

Dabis in arca testimonium.

Vocat Dominus legem testimonium, quia testificabatur pactum: inter se & populum. Erat enim veluti publica scriptura, vel publicum instrumentum: quam volebat Dominus sibi asseruari, ne postmodum Iudæi pactum mentirentur.

Facies propitiatorium.

Quid propitiatorium.

Secundum diuersas significationes verbi chappar, diuersa est interpretatio nominis chaporet, id est, propitiatorium. Quia enim verbum significat propitiari, inde nomen propitiatorium significat. Sed si quis loca, quibus verbum ponitur expendat, deprehendet, significare linire, operire, tegere: vt patet Gen. 6. Chaparta, id est, bituminabis, aut picabis seu pice linies eam, videlicet arcam. Ex consequẽti significat expiari, seu condonare peccata: quod huiusmodi expiatio seu condonatio nihil aliud esse videatur, quàm tectio vel linitio, iuxta illud Psal. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Inde chaporet potius tegmen quàm propitiatorium significare puto. Vocatur autem tegmen, quoniam tegebat arcam, vel quia tegebatur alis cherubim, quemadmodum is, qui sedebat super illud. Diximus abunde de significatione verbi, Geneſis trigesimo secundo. Erat autem hoc tegmen, tabula quædam sustentata super manus cherubinorum: eiusdem mensuræ cum arca, ab ea tamen distincta, & eleuata, & erat veluti sedes sedentis, qui habebat super arcam pedes: quæ quidem arca erat velut scabellum pedum Dei.

Facies duo cherubim. Cherub (inquit Aben Ezrah) genus est, & vniuersale nomen ad omnem figuram: nisi quod ea quæ sunt in lege, humanam habebant effigiem, quo pacto modo depinguntur: quæ verò sunt in Ezechiele, quatuor animalium ibidem descriptorum figuram habebant. Putarunt etiam Rabbini (teste Rabbi Dauid) chaph in nomine cherubim esse seruile non radicale, & radicem esse rabiah, quod puerum significat: ac si dicatur. Sicut pueri, quòd puerorum haberent effigiem. Si tamen radix esset rabbab quod est multiplicare: tunc cherubim significaret pueros seu angelos: quod in magna sunt copia, & idem esset cherubim quòd sicut multi, seu sicut multitudo. Dictio tamen mihi integra videtur, & significationem eius à rabbinis & nostris ignotam. Neque longè sum, vt putem huiusmodi cherubinos figuram animalium apud Ezechielem descriptorum potius habuisse, quàm puerorum. Quoniam nusquàm inuenitur, eos faciem seu figuram puellorum habuisse, quemadmodum apud Ezechielem legimus, habuisse diuersorum animalium. Est ad hoc alia coniectura. Nam si hominum facies, & membra humana haberẽt, non possent recte alas extendere ad partem anteriorem, impedientibus vtcunque brachiis. Si verò alia essent animalia: melius alas extendere possent ad tegendum sedentem super propitiatorium. Est & tertia, quòd vt habetur apud Ezechielem decimo capite, facies cherub condiuiditur faciei hominis. Dicitur enim ibidem. Facies vnius, facies hacherob: & facies secunda facies hominis. Caietanus tamen noster oppositum sentit, & putat facies fuisse humanas: quia infra dicitur. Et facies eorum viri ad fratrem suum. Sed eius argumentum parum vrget, quia infra de cortinis dicitur. Mulieris ad sororem suam: & de brutis ingressis in arcam dicitur. Vir & vxor eius, Geneſis sexto. Non deest tamen coniectura alia ad probãdum, quòd haberent hominis faciem, ex verbis tertij capitis Gene. Vbi scribitur Deum posuisse cherubim & flammeum gladium, ad custodiendam viam ligni vitarum, vbi videntur fuisse horti custodes. Sed locus non multum vrget. Posset enim dici Deum huiusmodi animalia ibidem statuisse ad huiusmodi custodiam: & præterea flammeum gladium.

Duro aut graui facies illa.

Sensus est graui auro facies illa, scilicet duo cherubim. Omnes nostri verterunt. Ductili auro. Sed dictio Hebraica michsſah significat durum & graue esse: hic verò significat aurum non vacuum intus, sed plenum. Nos significantius vocamus moçiço, quod nihil vacuitatis intus habet. Potest tamen ductili tolerari: quoniam dictio ex consequenti ductile & extensum significat.

A tegmine facietis cherubim, super duas extremitates eius. Posset etiam verti.

De propitiatorio, id est, *ex materia tecti, aut propitiatorij facietis cherubim.*

Aut de tegmine seu propitiatorio facietis cherubim, id est, vt procedant à propitiatorio. Et prior interpretatio videtur melior. Quod autẽ dicitur. Super duas extremitates eius. Melius vertas. Iuxta duas extremitates eius.

Cherubim extendent alas suas, superne, tegentes alis suis propitiatorium.

Dubium & incertum est, an huiusmodi cherubim essent locata supra propitiatorium secundum totum corpus vel potius à medietate: ita quòd à cinctura, & infra essent sub propitiatorio tenentes propitiatorium super manus suas: à medio verò corpore & supra super tegmen ipsum: & mihi magis placet, quòd medietas corporis esset supra propitiatorium. Altera verò sub eo & super arcam: quoniam statim subditur.

Loquar tibi de medio cherubim, qui sunt super arcam testimonij.

Quia tamen locus vtcunque difficilis est, ponam totum textum, vt in Hebræo est, postmodum quid sentio dicam. Est autem iste Hebraismus.

Facies duos cherubim aureos, grauã aut ductili facies illos à duabus extremitatibus tegminis seu propitiatorij. Cherubim vnum facies ab extremitate hinc seu ista, & cherub alterum, ab extremitate altera. De propitiatorio facies cherubim supra vel iuxta duas extremitates eius. Et erunt cherubim expandentes alas suas superne, tegentes alis suis propitiatorium. Et facies eorum erit, alterius ad alterum. Ad propitiatorium erunt facies cherubim.

Sunt

Sunt autem hic certa hæc, scilicet quòd materia cherubinorum debebat esse aurum. Non quidem vacuum sed plenum intus, quod nos (vt iam dixi) vocamus moçiço, aut extensum seu ductile. Pro cõperto etiam habeo, non fuisse humanæ figuræ, vt ex capit. 10. Ezechiel. citato conuincitur, vbi vt diximus facies cherub contra faciem hominis diuiditur, sed cuius essent speciei huiusmodi cherubim, me ignorare fateor: constat tamẽ ex eodem Ezeec. capite, non esse leonis, neq; aquilæ, quæ etiam illi condiuiduntur quemadmodum facies hominis: certum etiam est, alterum ex his cherubinis esse à dextris, alterum verò à sinistris propitiatorij. Non est etiam ignorum quod versis vultibus sese respicerent, & versi essent ad propitiatorium. Dubia verò sunt hæc, videlicet an huiusmodi figuræ sustentarent super capita sua propitiatoriũ, vel potius saltem pro sui medietate, excederent illud. Puto enim, quòd quemadmodum in prophetis, & aliis scripturæ locis scribitur, Deum sedere super huiusmodi cherubinos, ita eos a principio fuisse dispositos. Legimus autem Ezechielis decimo, huiusmodi imagines, seu animalia super capita sua, sustentasse sedem Dei. Ibi enim dicitur. Et vidi, & ecce super firmamẽtum quod erat super caput cherubim, tanquam lapis saphiri. Est ad hoc, quòd multis scripturæ locis dicitur Deus sedens super cherubim. Præbet etiam litera hic non parum coniecturam ad hoc, dicens cherubinos debere alas suas eleuare ad tegendum propitiatorium. quod non tegerent, si super ipsum pro medietate existentes alas suas super ne eleuarent. Si verò super capita propitiatorium sustentarent, possent superne alas eleuare, ad ipsum tegendum. Arbitror enim cherubinorum alas propitiatorium clausisse: vt nullo modo videretur sedens super illud, neque hoc ex meo fingo cerebro, sed ex verbis scripturæ apertis habeo. Vbi enim noster vertit primo Samuelis quarto & secundo, capite sexto. Sedens super cherubim, Hebraica veritas habet, habitans cherubim, quòd videlicet (vt diximus) cherubini alis suis propitiatorium claudentes, Deo domunculam constituerent. Est & aliud dubium: videlicet, id quod in textu dicitur.

A propitiatorio, vel de propitiatorio facietis cherubim, à duabus extremitatibus eius.

Et potest esse sensus. A propitiatorio, id est, ab initio propitiatorij, seu in initio ipsius ex vtraque parte facietis cherubim. Quem sensum more suo statim explicat dicens. A duabus extremitatibus eius. Volo autem per hæc omnia sentire, cherubinos constitutos in extremitatibus propitiatorij: ita quòd super illorum capita tegmen sustentaretur: ex quo loco superne extendebant alas suas, quibus propitiatorium tegebãt, respicientes sese, & propitiatorium quod erat in medio, veluti sedes Dei. Et sic verificatur, Deum sedere super cherubim, seu super capita eorum: vt ex Ezechi. citatum est. Si tamen sequendo communem opinionem arbitreris, cherubinos pueros gestire, & propitiatorium suis manibus sustentasse: alasque ad propitiatorium tegendum superne expandisse, non prohibeo, præsertim si manibus eleuatis tegmen sustentarint. Possemus tertio imaginari, cherubinos ad latera fuisse propitiatorij superiores eo, imaginantes propitiatorium esse locatum immediate super arcam, non eleuatum super eam, & sic etiam cuncta consonant: quoniam tunc cherubini inuicem se respiciunt, & versus propitiatorium, quod isto modo sub faciebus suis haberent, respicerent. Et secundum hanc imaginationem non erat sub pedibus Dei, sed prior interpretatio omnino vera est & amplexanda.

Conueniam tecum ibi.

Significat multa Hebræis verbum iaad, id est conuenire: ideo varie ab interpretibus redditur. Aliqui vertunt testificabor tibi inde: noster tamen Sanctes rectius conuenire ad tempus constitutum & certum, quàm quæcunque alia. Posset etiam bene verti, constituam tibi ibi, & loquar tecum, & per constituere intelligo cõstitutiones ædere, sed prior expositio germanior est. Significatio verbi non plene nota est.

Facies mensam de ligno sittim.

Describit nunc textus fabricam mensæ propositionis, in qua panis, omni sabbato ponebatur. Vocatur Hebraice sulchan, à salach quod proprie mittere, & ex consequenti extendere, quòd mensa extendatur seu extensa sit: vel quia super eam mantilia extendantur.

Facies ei clausturam paruæ mensuræ seu mensæ.

Ignota est propria significatio verbi tapach, à quo topach, quod vertimus mensuram. Dicit autem Rabbi Dauid in libro radicum, significare mẽsuram quatuor digitorum ad inuicem iunctorum: quæ parua est Verbum & nomen multis locis scripturæ ponuntur, sed vix sciri potest ex coniectura loci, propria significatio. Isaiæ. 48. habes. Dextera mea tipechah, id est, mensurauit paruis, scilicet mensuris cœlum, aut mensa est. Et cap. 40. Et cœlos palmo mensus est, inde tepach, id est, mensura parua, de qua Psal. 79. Ecce tepachot .i. mensuratos posuisti dies meos. Sic Threno. 2. Paruulos quos, tipahti .i. mensuraui, inimicus meus cõsumpsit. Dicit autem mensuraui: quoniam solent fœminæ matres, paruulos suos dum crescunt, frequenter mensurare, saltem palmo. Idem capit. eodem vbi dicitur. Nunquid comedent mulieres fructũ suum, paruulos tipuchim .i. mensurarũ, seu quos frequenter metiri solent, aut paruulos paruæ mensuræ? Ruth verò. 3. Mitpachat videtur significare linteum strictum, quo fœminæ Italę, & orientales, vti solent super alias vestes, & idem significat Isa. 3. Est ergo sensus. Facies. s. mensæ clausuram, mensuræ. s. paruæ, forte quatuor digitorum, vt Hebræi dicunt. Et mensa hæc habebat coronam in extremitate per circuitum: & præter coronam quæ eam per circuitum ambiebat, erat huiusmodi clausura quatuor digitorum pro labio seu extremitate ipsius mensæ: intra priorem coronam, quæ quidem clausura etiam corona bat eam in superiori parte. Vocatur autem clausura, quoniam claudebat arcam mensæ ne quod in ea erat posset decidere.

Contra clausturam erunt annuli.

Omnes nostri hic vertunt. Contra vel eregione, sed meo iudicio, non recte. Nam radix leumat quod hic vertunt contra vel eregione: est à mit, quod dicunt significare socium citantes ad hoc illud Leuitici sexto. Vel oppresserit & amito, id est, socium suum. Et eodem capite. Et negauerit baamito, id est, socio suo. Vnde leumat, putarem potius significare societatem. Nam vbicunq; isti eregione vel contra vertunt, tam bene quadrat societas vel coniunctio, vt patet Eccles. 4. vbi nostri vertunt. Quemadmodum venit sic ibit: melius vertas. Omnis societas, scilicet hominum, quæ venit, scilicet in mundum, ibit scilicet à mundo recedendo per mortem. Similiter illud secundi Samuelis decimosexto, quod nostri interpretantur. Et Simmhi ambulabat in latere montis, leumato, id est, cõtra ipsum: tam bene vertas. Ad coniunctionem ipsius, seu iuxta ipsum. s. montem. Sic & hic pro contra clausurã erunt annuli, vertendum puto, iuxta clausuram, aut coniuncti ad clausuram. Est autẽ sensus, quòd annuli vectium debebant esse fixi in grossicie mensæ iuxta clausuram, quam crediderim pro sui parte fuisse à parte inferiori ipsius mensæ: quo modo annuli in grossicie fixi erant iuxta eam, aut eregione ipsius, si communem teneas interpretationem. Nam ex ipsa litera, hoc loco videtur conuinci, clausuram illam ligneam vel auream, non totam fuisse supra mensam, sed pro sui parte sub ea, vt solet fieri, ne videantur pedes mensæ in parte superiori. Si verò clausuram teneas, superiori mensæ parti solum fuisse affixam, tũc dicendũ erit, annulos fuisse infra tabulam affixos, eregione clausuræ quæ erat in superiori parte.

Facies scutellas eius, & cochlearia eius, & medios cathamos, & cyathos eius ex auro.

* Dubia & incerta est significatio nominis chearah: quã Hebræi, & ex nostris aliqui, scutulã vel scutellam vertunt: Hieronymus acetabulum, quod heminam di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt. Neque est coniectura certa, ad inueniendam pro-
priam significationem. Quod autem sequitur. Et co-
chlearia. Dictio capaph significat proprie curuare: in-
de chippaph, id est, ramus sic à curuitate dictus. Et
caph, id est, vola manus aut planta pedis, eadem ratio-
ne Sic & cochlear, quòd curuum sit ad modum volæ
manus: vnde & cappot, id est, palma, quod modum
manus seu volæ habeat. Nomen etiam sequens, scili-
cet chessot, id est, medij calami, ignotæ significationis
est apud Hebræos. licet Rabbi Selomoh scribat hic, es-
se medios calamos scissos per longitudinem, in quo
sunt similitudinem fiebant aurei, qui manebant super
dorsum panum, & diuidebant inter panem & panem,
vt inter illos aër ingrederetur, ne mucidi fierent. Di-
cunt etiam Hebræi, sic vocari in Arabico, sed reuera si-
gnificationem propriam omnino ignorant. Hieron.
aliquando vertit crateras, nonnunquam thuribula, sed
videtur quòd citius panis mucidus fieret ex contactu
metalli, auri scilicet, quàm si calami essent arundinei.
Quod additur.

Et cyathos eius. Verbum nachah, à quo menachiio,
quod nostri vertunt cyathos, significat mundare: vnde
menachiiot proprie mundatoria significat, quæcunq;
illa sint. Hebræi varij sunt. Quidam furculas esse dixe-
runt instar pallorum aureas, quę stabant in terra & su-
pra mensam eleuabantur, ad sustentandum calamos,
ne pondere panum frangerentur. Aliis videtur chesso
tau fuisse prædictas furculas, Menachiiot verò cala-
mos, sic vocatos, quòd panem mundarent, ne muci-
dus fieret. Et quia sequitur.

Quibus tegetur, scilicet panis. Videtur fuisse in-
strumentum, quo panis tegebatur. Neque erant man-
tilia, quoniam præcipit Dominus ex auro puro fieri.
Possent etiam esse diuisoria quędam, aut quę inter pa-
nes diuiderent, vt de calamis diximus, aut cultri ad pa
nes scindendos: quoniam verbum sachah tegere, & di
uidere significat. Sanctes vertit cyathos, quibus libaba
tur. Mihi nihil vero similius videtur, quam esse mantis
lia quædam, quibus panis, & alia vasa operiebantur.
Et quod sequitur. Ex auro mundo facies, referri ad
alia vasa, non ad mantilia.

Dabis super mensam panem facierum coram me semper.
Non constat, quare iste panis, dicatur panis facierum,
sed quia sequitur. Ad facies meas iugiter, videtur dici
facierum, quòd coram Domino, seu ante eius faciem
semper esset. vnde. 70. verterunt. Panes præsentes, & ex
positos. Nonnulli Hebræorum dixerunt, panem facie-
rum appellatū, quòd quatuor angulis esset expressus,
ac si esset later, quos illi facies vocant.

Facies candelabrum ex auro mundo.
Anir quod est lucerna, deriuatur menorah, id est, can-
delabrum, seu locus quo lucerna ponitur, & secun-
dum Hebræos, nir, nō solum lucernam, sed arationem
significat: quod ex decimotertio cap. Prouer. colligi
putant: vbi dicitur Multus cibus, nir, id est, in aratione
magnatum, seu principum. Et si verbum nur, signifi-
cat arare, vt videtur haberi, Ieremię quato, & Hosę de-
cimo: non mirum quòd nir significet arationem, sed
locus ex Prouerbiis citatus, posset verti. Multus cibus
in lucerna magnatum, id est, multum olei, quod est
cibus lucernæ.

Graue aut ductile fiet candelabrum.
Consulto non vertimus cum aliis ductile, quoniam vt
iam hoc eodem capite admonuimus. verbum chassah
significat durū & graue esse, & significatur, quòd non
sit intus vacuum, sed plenū, quod nostri (vt diximus)
mocico appellant, vt scilicet solidius & fortius esset,
diximus tamen posse etiam ductile verti.

Hastile eius, et calamus eius, cyphi eius, et sphærulæ eius, & flores eius.
Multa significat Hebræis dictio iarech, scilicet fœmur,
latus, pedem, hastile, & stipitem. Sed si quis recte ex-
pendat, deprehendet proprie significare stipitem, & ex
consequenti omnia illa quæ formam stipitis habent,
sicut fœmur, hastile, limes, quem nostri vulgo marco
vocant. Gene 24. habes. Pone manum tuam sub ie-
rech, id est, fœmore meo. Et. 49. Veiarchato, id est,
limes, seu terminus eius iuxta Sidon: vbi nostri ver-
tunt. Plaga eius. Hic verò hastile, seu stipitem signi-
ficat, quod erat veluti truncus arboris, à quo rami
egrediuntur. Sequens verò dictio, Kilicet chanah, id
est, calamus, significat calamum, siue sit mensorius, si-
ue non, & dictio consonat significatæ rei: hic verò si-
gnificat ramos illos, quoniam egrediebantur à stipite
veluti à corpore brachia, & cannæ speciem habebant,
hoc excepto, quòd intus plena erant. Dictio Hebraica
quæ sequitur, scilicet gabiah, à gaba deriuatur: vnde ge
ba, id est, collis eleuatio, & meo iudicio, significat cy-
phos, ad modū collis, seu amigdalarum factos. Vnde
gabia, id est cyphus, non qualisecunq;, sed qui modum
collis, vel amigdalæ habet: vt patet Gen. 44. Inuentus
est hagabiah, id est, cyphus in sacco Biniamin: quare
hic vertendū est, cyphi eius modo prędicto. Quod ve
rò talis fuerint figuræ, constat ex his quæ infra dicun-
tur: vbi vocantur cyphi amigdalarum. i. modum amig
dalarum præ se ferentes. Dictio quarto loco posita, sci
licet chapetorcah. i sphærulę eius Iudæis significat po
mum, aut vas ad speciem pomi: ideo nostri hic sphæ-
rulā sunt interpretati, sed posset verti. Poma eius. Di-
cunt etiam Hebræi dictionē significare superliminare.
Hamos. 9. Et Capedociam, Hamos. 1. & Gen. decimo.
Quinta verò dictio, scilicet perach, quam omnes hic
flores vertunt, ortū habet à verbo parach, quod signi-
ficat germinare, pullulare, & florere: inde perach, id
est flos, aut gemma. Et huiusmodi flores aut gemmæ
erant in extremitate brachiorum candelabri, & fortè
intus erant lucernæ. Et hæc quinque debebant esse ex
substantia candelabri, non inserta.

Et in candelabro, erunt quatuor cyphi, id est, in trun-
co seu stipite medio: erunt quatuor cyphi, ad modum
prędictum: quemadmodum scilicet in brachiis seu can
nis lateralibus. Habebat autem quęlibet canna tres cy
phos, sphærulam, & florem. stipes verò quatuor, quia
vnus cyphus erat inter cānas seu brachia & pedē cum
sua sphærula & flore. Alij verò tres cyphi, inter tres ra-
mos seu brachia, quæ à stipite egrediebantur, locati
erant cum suis sphærulis & floribus. Et est ex hoc loco
coniectura huiusmodi flores, non fuisse in extremita-
tibus calamorū. sed prope. quia dicitur. Et flores eius,
quod videlicet stipes haberet flores, qui in fine non es-
sent plures, sed vnicus: licet de calamis sustineri posset,
fuisse vnicum florem in fine cuiuslibet.

Sphærulæ sub duobus calamis: ex ipso.
Erant, vt dictum est quatuor sphærulę, scilicet tres sub
sex calamis. Nam ex eadem sphærula procedebant duo
calami, alter ad vnam partē, alter ad alteram, & quat-
tuor vt diximus, erat sub omnibus calamis, inter radi-
cem & ramos: quæ quidem sphęrulę erant ex ipso stipi
te, illi videlicet continuæ.

Omne ipsum vnum aurum mundum.
Significatur, non fuisse in candelabro diuersas partes,
sed totum vnum, quod nostri efferunt. Non aula de
ser de peças.

Facies lucernas eius septem.
Ex his verbis constat, lucernas fuisse distinctas à cande
labro, & videntur fuisse lampades aureæ: quæ super ex
tremitates brachiorum & hastilis ponebantur.

*Et ascendere facies lucernas eius & lucere contra fa-
cien eius.*
Sensus est. Fac vt lucernæ eleuentur, scilicet super
extremitates cādelabri. Et quod sequitur. Et lucere fac
contra aut super faciem eius: posset verti. Super transi
tum faciei eius. Videntur lucernæ rostra habuisse, quæ
hic vocat facies: quæ rostra versa erant ad medium lo-
cum: per quem erat transitus in sancta sanctorū. Nam
ex altero latere erat candelabrum: ex altero mensa, in
qua erāt panes: in medio verò, erat transitus eregione
arcæ in qua erat sedes domini, & fortè in medio transi
tus sacerdotes orabant ante propitiatorium. Quod
enim nomen eber, quod hic ponitur significet transi-
tum, constat ex. 4. capite Deutero. vbi dicitur. Et om-
nem solitudinem eber, id est, transitus Iordanis, seu
trans

trans Iarden. Si tamen eregione vertas, non damno.

Forcipes ipsius. Significat verbum lachah à quo melchachaiim, id est, forcipes, accipere: vnde verti pos-
set, acceptabula, sed quia etiam forcipibus carbones & alia accipiuntur, significat forcipes. Hic verò emun-
ctoria, quibus emungebatur lichinum lucernarum. Quod autem forcipes, significet, constat Isa. 6. vbi di-
citur. Et volauit ad me vnus de seraphim, & in manu eius carbo, quem bemelchachiim, id est, forcipibus
tulerat de altari: & dictio est pluralis numeri propter duo brachia seu fauces forcipis.

Et receptacula eius. Dictio machtah Hebræis si-
gnificat vas, quo prunæ ex camino accipiuntur, & se-
cundo omne vas quo aliquid ignitum accipitur, quem
admodum superfluitates lucernarum. Aliqui thuribu-
lum aut accerram, non tam bene verterunt: quoniam
dictio nō proprie eam significat, sed vt diximus instru-
mentum quo prunę à foco extrahūtur. Leuitici tamen
decimo pro thuribulo poni videtur.

Ex talento auri mundi faciet illud, & omnia vasa eius.
Nullam video rationem quare hic talētum vertamus,
cum dictio chichar, partem seu portionē aut frustum
significet: vt patet Prouerbiorum sexto vbi dicitur.
Vsque ad chichar, id est, frustum panis mendicabit ho-
mo, propter mulierem meretricem. Et Ieremiæ. 37.
habes. Dedit illi chichar lechem, id est, frustum panis.
Diximus abunde de significatione nominis Gen. 13.
Hic etiam optimè quadrat portio seu frustum: vt sit
sensus. Ex frusto seu portione auri mundi facies illud,
scilicet candelabrum: subaudi artifex.

Vide, & fac: secundum similitudinem.
Hebraice ad verbum est. Secundum ædificationem eo-
rum.

CAPITIS. XXV. AD MORVM compositionem annotata.

Loquere ad filios Israel accipient mihi eleuationem.
Expendant ex hoc loco principes, tam ecclesiæ
quàm sæculi, quales exactores esse debeant, in populos
sibi commissos. Nunquid quod à populo vos exigitis,
vos dedistis ei, quemadmodum Dominus qui suis con
cessit expoliare Ægyptum? Non mittit ministrum, qui
domos subditorū ingrediatur, & tollat quod sibi pla-
cuerit, sed vult vnumquemque apud se deligere, quid
Domino sit oblaturus.

Ab omni viro, cuius cor sponte offert.
1. Cor. 9. Hilarem datorem diligit Deus (ait Apostolus) & licet
sacerdotes cogere possint populum ad ea quæ perti-
nent ad cultum Dei: melius tamen est, hæc in eorum
arbitrio relinquere: quoniam vt ex hoc loco constat,
plus offert populus Deo sponte, quàm exactus. Simi-
liter considera, qualiter omnia quæ deus à nobis exi-
git, in nostram conuertit vtilitatem. Omnia enim hæc
postulat: vt ei domus qua inter eos habitare posset cō-
struatur. Vnde sequitur.

Facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.
Sæpissime aduersus Iudæos ira permotus sum, qui
Deum volentem nobiscum habitare, è terra suis fa-
cinoribus expulerunt. Quid enim hominibus vtilius
esse poterat, quàm Deum secum morantem habere,
quem in suis necessitatibus interpellarent? Et mirum
valde est quòd nullus hominum, quādiu in terris egit,
ipsum pro suis peccatis delendis accessit, sed ferè om-
nes temporalia & caduca ab eo exigebant. Quis nunc
mihi daret domine deus meus, te sic ad manum & in-
terrogantē & respondentē habere, vt libertatem quam
mihi ad mala dedisti, tibi restituerem, & peterem vo-
luntatem in bono confirmari, aut continuum adiuto-
rium quo possem te non offendere: quod si quandoq;
contingeret: veniam precarer: neque à te discederem,
nisi prius audirem quod peccatrix illa audiuit. Dimit-
tuntur tibi peccata.

Secundum omnia quæ ego videre facio te.
Quàm eleuata sunt à nostris, opera tua Domine: vt
nihil in terris inueniatur, ad cuius imitationem fiant,
quæ pertinent ad cultum tuum, sed opus sit exem-
plari cœlesti, cui quæ ad tuum ministerium perti-
nent, assimilentur. Et hinc perpēdes, quid nostra quan-
tumcunque pulchra ac subtilia videantur valeant ad
eius obsequium, nisi sua infinita bonitate vellet ea ac-
ceptare.

Facies arcam. Nouit Dominus mendacia nostra,
& quàm facilè pacta rescindimus: ideo voluit arcam
fieri, qua pactum quod cum Iudæis pepigerat asserua-
retur. Et considera quàm bene nouit, quæ ad domum
necessaria sunt requirere, quæ sunt quinque, scilicet
domus ipsa, arca, mensa, candelabrum, & sedes: sine
quibus domus constare nequit. Similiter expende,
quàm bene domum suam in tres partes diuiserit, scili-
cet in atrium, vbi serui manent, in domum vbi alij ser-
ui magis familiares, & cubiculum quo Dominus ma-
net & requiescit: tertio quàm bene domui prouiserit,
vt in ea panis semper sit ad alendam familiam. Audi Cap. 3.
quid de hac re dicat apud Melachiam. Afferte om-
nem decimam in domum thesauri, & sit quod rapitis
in domo mea.

In annulis arcæ erunt vectes.
Præferre nouit Dominus vtilitatem pulchritudini, ve-
luti prudens: vt licet indecens videretur, huiusmodi
vectes affixos esse arcæ: ne tamen contingeret tempo-
re opportuno deesse, voluit non separari.

Pones in arca testimonium quod dabo tibi.
Audis hic, quàm curiosè seruentur scripturæ & testi-
monia, quæ aduersus nos sunt: ne putes aliquo tempo
re, corrumpi aut vitiari posse.

Facies propiciatorium. Nusquā legimus Deum in-
stituisse in hoc mundo domum iustitiæ, qua reos pu-
niret, aut saltem iudicaret: sed cùm sit clemens, do-
mum qua peccatis nostris propiciaretur instituit, non
vnicam sed pene infinitas. Quot enim sunt ecclesiæ, tot
sunt domus propitiationis, sed non ideo putes te im-
pune peccaturum: quoniam tanto sæuiorem in alio
mundo construxit, quanto in hac vita constituit beni-
gniorem. Raro etiam in hac vita domum illam dam-
natorum, qua dæmones & peccatores diseruciantur
ostendit, raro saltem aliquem damnatorum, quemad-
modum ostendit gloriā beatorum in sua glorioſa tā
figuratione, ne nos cogeret ad virtutem, & inuiti face-
remus, quæ nos voluit nostra sponte peragere.

Facies duos cherubim. Sunt cherubini, vt ex scri-
pturis cōstat animalia velocissima, cursum ad omnem
plagam paratum habentia, super quibus Dominus se- Ezech. 10.
dere dicitur: vt adumbret nobis, quàm velox veniat in
adiutorium nostrum. Equitauit (ait puer Domini) su- Psal. 17.
per cherubim, & volauit, volauit super pennas ventō-
rum. Sed ad quid Domine, tam præceps volas? Eruet
(inquit) me de inimico forti: ab odio habentibus me,
quoniam fuerunt robustiores me.

*Cherubim extendent alas suas, tegentes propitiato-
rium.*
Considera quæso, quid te hic admoneat Deus.
Summus benefactor est, & nihilominus tectus: vt te
doceat benefacere & nolle videri.

Facies eorum altera ad alteram, ad propitiatorium.
Docent nos suis aspectibus sancti angeli qualiter sem-
per intenti esse debeamus ad voluntatem Dei, & ad
Deum ipsum. Defecerunt (ait quidam) oculi mei, su- Isa. 38.
spicientes in excelsum.

Pones propitiatorium super arcam.
Optima rerum coniunctio est hæc: arcæ seu legis quæ
in ea delitescebat cum propitiatorio: vt si contingeret
in lege peccare, ad manum esset propitiatorium.
Quod si te seueritas legis deterreat, consoletur propi-
tiatorium: quod ad legis rigorem flectendum fa-
ctum est.

Pones super mensam panem facierum.
Quid tibi & panibus Domine? Nunquid manduca-
bis carnes taurorum, aut panibus facierum vescēris?
Considera qualiter ministros suos ciber Dominus.
Voluit etiam semper coram se panem habere: vt con
tinue nostræ indigentiæ memor esset, quemadmo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum pia mater panis frusta ante se ponit, vt paruulis frequenter egentibus subueniat. Sed ad quid Domine, in domo tua, vis candelabrum cum lucernis septem habere? Ne putares homo in domo eius posse male conuersari, & occultari. Siue enim in die, siue noctu impie egeris, ab eo videris. Dixi (ait homo secundū cor Dei) forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Isa.38.

CAP. XXVI. IVXTA LITERAM annotationes.

Facies habitaculum. Locum in quo Dominus erat responsa daturus, & moraturus habitaculum vocat, quòd ibidem quasi homo in domo esset habitaturus.

Decem cortinarum, aut ex decem cortinis.
Nomen ieriah, id est, cortina putant Hebræi & nostri, esse à radice iara, quod est malum esse aut frangere. Sed cum nihil allusionis sit inter huiusmodi significationes, videlicet cortinæ ad malum esse, videtur potius à iara vt significat frangere: ob sonitum quem cortinæ faciunt dum colligūtur, qui fractioni assimilatur: aut à scissione, qua altera ab altera diuisa est deriuari. Vnde Prouer. 22. dicitur. Ne titra, id est, vocifereris cùm homine irato. Aut ne coniungas seu societatem habeas cum homine irato.

E bysso retorta. Putant Hebræi Ses, id est, bissus esse per se radicem: ego verò arbitror esse à radice sasah, quod est sextam partem accipere, aut sextare (liceat mihi sic latinis loqui) & putarem significare pannum ex sex filis contextum, aut sex fila: vnde sequitur, retorta, id est, duplicata, quasi illa sex fila essent duplicata, id est, tria simul in tortura vna, & tria in altera, aut quòd essent diuisa in tres partes, & in qualibet coniungerentur duo. Hebræi dicunt ses, significare linum candidissimum. forte quod nostri ollandilham vocant. Dictio verò mosar, quod tortum vertimus, Hebræis est duplex, aut duplicatū. Et possemus hic vertere. E sex fillis tortis, aut duplicatis. Debebant enim cortinæ esse fortes, ideo fiebant ex huiusmodi duplicatis filis seu tortis.

Hyacintho, & purpura, vermiculo, cocco.
De significatione harum quatuor dictionum, capite præcedenti disseruimus, & incertæ apud Hebræos significationis esse ostendimus: vbi videre licebit.

Cherubim opere excogitato facies illas, aut in eis.
Dictio hoseb, quod nostri vertunt excogitatum, est à radice chasab, quod significat putare, computare, & cogitare, & per opus cogitatum intelligit illud quod artifex cogitando & fantasiando (liceat mihi sic nunc explicandi gratia loqui) facit. Itali vocant rechamado, nos broslado sen acu pictum, quod ex multa cogitatione fieri solet. De cherubim iam diximus præcedenti capite. Potest autem huius loci esse duplex sensus. Alter est. Facies illas cortinas, ad modum cherubinorum, id est, tegentes domum, quemadmodum cherubini alis suis propitiatorium tegunt. Alter qui simplicior esse videtur, est. Cherubim, id est, figuras cherubinorum opere excogitato, id est, multa cogitatione elaborato facies in eis videlicet cortinis. Sunt qui interpretantur. Opere putato, id est, reputato, seu magnæ reputationis & momenti. Aut excogitato opere, id est quod ex sola cogitatione, & sine exemplari fit.

Octo & viginti cubitorum.
Dictio scamoneh, quam nostri octo vertunt, si est à radice seemen quod est oleum vel vnguentum, nullam ad significatum radicis conuenientiam habere videtur. De amah, quod est cubitus, præcedenti capite diximus.

Altera ad alteram. Hebraice est, mulier ad sororem suam, sed optimè vertitur, per altera ad alteram. Erant enim quinque cortinæ coniunctæ ex vno latere, & quinque ex altero.

Facies laqueolos hyacinthinos super oram cortinæ vnius, ab extremo in coniunctione.

Non plene constat quid proprie significet nomen lulaot, quod nostri laqueolos vertunt: constat tamen esse veluti fœminas, quibus alia veluti masculi coniungebantur. Rabbini dicunt nomen lul à quo lulaot, significare chocleas seu scalam circularem, per quam est ascensus ad superiora loca. nos vocamus caracol. Vnde primo Regum sexto, dicitur. Vbelulim, id est, vt per chocleas ascendent ad medium. Quod si verum est significabit lulaot ansas seu fœminas rotundas, aut vt alij dicunt laqueolos, qui sunt in extremitatibus cortinarum, vt inuicem coniungantur. Fiebant autem ex hyacintho, id est, filis laneis aut sericis blauei coloris, vt Hebrei dicūt. Et verti posset. Facies ansas. Est autem sensus integer huius clausulę iste. Facies laqueolos seu ansas (vt iam diximus) ex hyacintho, id est, filis blauei coloris: super oram. Aut vt Hebraice habetur, super labium. Vocat enim Hebraismus extremitatem cuiusecunque rei labium. Cortinæ vnius ab extremo, id est, in extremitate eius, in coniunctione, id est, in eo loco quo coniungi debet. Aut ad coniungendū, seu vt coniungantur ad inuicem cortinæ.

Quinquaginta laqueolos seu ansas *facies in cortina vna, & quinquaginta laqueolos facies in extremo cortinæ quæ est in coniunctione secunda. Oppositi erunt laqueoli alter ad alterum.*

Obscura vtcunque est litera hæc: quoniam præ se fert prima fronte huiusmodi laqueolos esse cōiunctos ad inuicem, vt masculus cum fœmina sua: quod non videtur verum, cùm statim ponat vncinos qui erāt veluti masculi in coniunctione. Est ergo sensus. Quinquaginta ansas facies in cortina vna, id est, in extremitate eius, & quinquaginta ansas in extremitate cortinæ, quæ est in coniunctione secundæ, id est, quæ secundæ debet coniungi. Et quod sequitur. Oppositi erunt laqueoli alter ad alterum, melius veritas. Recipientes erunt mulier & soror sua, quoniam dictio chabal, à qua machbilot, id est, oppositi, vt nostri vertunt, Hester. 4. significat recipere: vbi dicitur. Et non chebel, id est, recepit Mardochæus, scilicet vestem. Et vt diximus, iftæ ansæ non recipiebant se mutuo, cùm omnes meo iudicio essent fœminæ, sed mulier & soror eius recipiebant vncinos, de quibus statim fit mentio. Potuit etiam esse, & melius meo iudicio, vt huiusmodi cortinæ coniunctæ, quinque & quinque coniungerentur, quinque ex vna parte, & quinque ex altera, & vncinus ingrederetur ansas duas, vnam ex altera parte, alteram ex alia, & istæ cortinæ coniungerentur in medio tecti tabernaculi, aut si tectum erat, ex aliis cortinis in medio sancti sanctorum, & tunc bene quadrat quod dicitur. Oppositi erunt laqueoli, seu ansæ altera ad alteram: quoniam tunc ansa erat eregione alterius ansæ, & vncinus aureus medius capiebat ambas ansas, & coniungebat cortinas.

Facies quinque vncinos auri. Hebraice est. Facies quinque curuos aut curuatos aureos. Nam verbum charas, incurvare aut iacere significat.

Facies cortinas è pilis caprarum.
Hebraice est ex capris, sed sensus redditus est. Nec, putes vile hoc fuisse operimentum: quoniam pretiosius pannus fit ex huiusmodi pilis: quem nostri vocant simbalotū, vulgo chamalote: quo nobiles in æstate vtuntur ob frigiditatem.

Tabernaculo super habitaculum.
Aliqui vertunt. Ad tegendum super habitaculum. Posset etiam verti. Ad tabernaculum super habitaculum, id est, ad faciendum tabernaculum super habitaculum. Vocat enim inferius tabernaculum habitaculum, superius verò tabernaculum. Nam ohel, licet aliquando pro habitaculo ponatur: vt plurimum tamen significat tabernaculum, quale est pastorum: & videtur, quòd vtcunque haberent huiusmodi cortinæ tuguri) seu tabernaculi figuram: quoniam sic aptiores erant ad imbrium iniuriam propulsandam. Differunt autem huiusmodi cortinæ à prioribus in multis

Primo in numero: quia aliæ decem, istæ verò undecim. Secundo in materia, quia istæ ex pilis caprarum, priores ex byssо, hyacintho, purpura, & vermiculo, cocco. Tertio quia priores erant viginti octo cubitorum, istæ triginta. Quarto quia priores iungebantur vncinis aureis, istæ verò æneis. Quinto istæ segregatæ seu diuisæ in quinque & sex, aliæ verò in quinque & quinque. Sexto quia priores omnes, erant omnino extensæ, istę verò non, sed vna illarum ex parte ingressus tabernaculi, erat reflexa in seipsam in dimidio sui, vt magis obstaret contrariis: in anteriori parte tabernaculi. Et hoc est quod in textu dicitur. Duplicabis cortinam sextam contra faciem tabernaculi, id est, ante introitum tabernaculi. Nā vt inferius dicitur, sexta cortina pro sui medietate cubitis, scilicet duobus pendebat à parte anteriori, & aliis duobus à posteriori. Erant enim quatuor cubitorum latitudinis, quemadmodum & aliæ. Dicitur autem à parte anteriori duplicari, quia pro sui medietate eleuabatur super tectū, vt per ostium lux ingrederetur. Superabat etiam corpus huius cortinę alteram, in longitudine duobus cubitis, vt in litera dicitur: vt versus terram excederet ex vtroque latere priorem. Nam prior non descendebat vsque ad terram ex parte laterum, sed deerat cubitus, ex parte vnius & alterius lateris. Superior verò vsque ad terram descendebat, omnia operiens, quoniam extensior erat priori, duobus cubitis.

Vndecim cortinas facies. Significat verbum asat, à quo aste, id est, vnus propriè nitescere, ad quod vnus nullam videtur allusionem habere, sed quia etiam significat cogitare: dicunt Hebrei nomen sic appellari, ob cogitationem finis & principij illius, quod post decem cogitamus numerare. Nam este, id est decem, finis est numeri: dicuntq; aste, id est vnum, allusionem habere ad estonah, quod est cogitatio, vt patet Psal. 146. In die illa peribunt omnes estonatau, id est cogitationes eius. Sed meo iudicio, ignorant allusionem.

Facies quinquaginta laqueolos.
Omnia hæc, sunt iam hoc eodem capite exposita. Et aduerte attentè, quod supra diximus de huiusmodi laqueolis seu ansis, quòd videlicet erant ex vna & altera parte, & vncini eas ex vtraque parte ingrediebantur: quoniam hoc mihi negotium fecit. Emendare oportet etiam Sanctis versionem hic, qui hic sæpius pro tabernaculo vertit tectum, quod mihi textum intelligibilem reddidit.

Facies operimentum tabernaculi è pellibus arietum rubricatis.
Hoc fuit tertium operimentum tabernaculi. Et inferius, sub quo erat Dominus, vocatur habitaculum: quoniam sub eo immediate habitabat Dominus. Secundum verò vocabatur ohel, id est, tabernaculum: quod operiebat habitaculum. Tertio loco erat tegmen ex pellibus arietum rubricatis, & hoc tegebat tabernaculum. Vidi vt iam aliàs dixi, huiusmodi pelles rubricatas in Flandria, quæ pulcherrimæ sunt. Quarto verò loco erat tegmen pellium taxorum, de quibus iam diximus capite præcedenti. Iam etiam diximus de dictione elim, quod significet animalia fortia, & si aries, non nisi qui iam annum transierit, testibus Hebræis. Constat autem ex hoc loco, vt precedenti capite admonuimus, huiusmodi taxorum pelles durissimas fuisse, quoniam erant vltimum tabernaculi tegmen, quod omnibus aëris iniuriis expositum erat.

Facies tabulas tabernaculo, lignorum fittim.
Ait nunc de tabulis seu asseribus, quibus sustentabantur cortinæ, quæ tabernaculum constituebant. Et de dictione fittim, diximus præcedenti capite: vt autem sub breuibus dicamus, quæ de tabulis in textu dicuntur, aduerte eas fuisse quadraginta octo, de lignis fittim, viginti ad latus meridianum, & viginti ad aquilonare, octo verò retro versus occidentem. Quælibet autem tabula erat longitudinis decē cubitorum, & vnius & semissem, latitudinis: habebat autem quælibet duas manus, quibus alteram tabulam ingrediebatur: bases verò erant argenteæ duæ pro qualibet tabula: & sic erant. 96. bases. Difficultas est in duabus tabulis angulorum, qualiter videlicet essent dispositæ. Nam si illæ duæ tabulæ tegerent alias angulares, vt angulus esset fortior, deberent esse quatuor, & non duæ, vt scilicet, altera tegeret vltimam tabulam lateris occidentalis, altera verò vltimam lateris aquilonaris, & sic ex alia parte: in textu verò ponuntur tantum duæ, quare putarem illas duas diuisas in quatuor medietates, & quamlibet medietatem operire medietatem vltimæ tabulæ angularis. Potuit etiam fieri vt huiusmodi binæ tabulæ, locarentur post illas sex lateris occidentalis: ne scilicet tabulæ aliorum duorum laterum quæ spissę erant multum occuparent de tabulis lateris occidentalis: ideò voluit hoc latus duabus tabulis augeri. Res tamen nondum mihi perspicua est. Difficilis locus.

Duæ manus tabulæ vni coniunctæ, mulierę ad sororem suam.
Habebat vnaquæque harum tabularum duas manus, id est, duo frusta, quibus altera alteram ingrediebatur ab vtraque parte. Verbum autem salab, cuius participium mesulabot, id est, coniunctæ hic ponitur, ignotæ significationis est apud Hebræos: vnde quidam hic vertunt. Duæ incastraturæ erunt tabulæ vni, dispositæ vt gradus scalæ altera ad alteram, aut mulier ad sororem suam, vt in textu habetur. Hieronymus vertit. Quibus tabula alteri tabulæ connectatur. Nomen selabim huius radicis, ponitur primo Regum septimo, quod Hieronymus vertit iuncturas. Rabbi verò Selomoh gradus, res incerta est. Sunt qui arbitrantur huiusmodi manus ingredi bases: sed quia dicitur mulier ad sororem suam, verius intelligitur, quòd ingrediebantur altera alteram, illis manibus.

Ad latus meridianum. Ad austrum.
Quod additur ad Austrum: explicatio est præcedentium verborum hebraico more, vt in regulis admonuimus.

Quadraginta bases earum argenteæ.
Abadon, quod est dominus, dicitur eden, id est, basis, ratione grauitatis, aut dominij, vel sustentationis. Nam sicut Domino populus innititur & sustentatur, sic domus basibus, aut quia sicut dominus sedere solet in solio, sic basis in terra seu fundamento domus. Et sub qualibet tabula erant duæ bases, quibus iungebantur manus inferiores tabularum basibus suis: vnde quælibet tabula habebat quatuor manus, scilicet duas ad latus quibus alteri coniungebatur, & duas inferius quibus coniunctæ erant basibus.

Duas tabulas facies in angulis tabernaculi, in lateribus.
Locum hunc difficilem reddit ignorantia propriæ significationis verbi chasa, à quo michsoa, id est angulus. Dicunt autem Hebrei verbum significare abradere seu decorticare, corticem, vel lituram remouere, propter illud Leuiti. 14. Et domum iachsia, id est abradere faciet. Est tamen nonnulla coniectura, quòd significet angulari (liceat mihi sic explicandi gratia loqui) seu per angulos circuire, ad quod ex duobus moueor. Altero quòd michsea significare angulum dicitur, & chesiah casiam, quæ curua est iuxta caput & angulum facere videtur. Altero quòd michsuot significat (meo iudicio) instrumentum fabrorum, quod ad modum anguli dispositum est, & eo ferreo vtuntur ad regulandum, & habet duo brachia, cuius scriptura meminit Isaiæ. 44. vbi dicitur. Faber lignarius extendit lineam, formabit illud filo pheniceo, faciet illud bamachsuot id est, regulis suis, scilicet ad modum anguli. Quod autem ex Leuitico citatum est, verti potest. Et domum angulabit, id est per angulos discurret, & mundabit illam. Potest autem esse sensus huius loci. Duas tabulas facies in angulis tabernaculi, in lateribus, id est vt latera sint fortiora. Volebat enim tabulas angulares duplicari vt angulus esset fortior aut vt coniungant, & angulos constituant: & videntur huiusmodi tabulæ à parte interiori ad constituendum angulos positæ: ita quod dimidij cubiti angulum constituerent, & alterius semicubiti ex alio latere: residuum verò regebat vltimas duas tabulas duorū laterum, aut partes illarū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Moueor ad hoc, quia latus occidentale videtur habuisse decem cubitos longitudinis, sex autem tabulæ constituebant parietem nouem cubitorum, quoniam quælibet habebat cubitum & dimidium latitudinis, & videtur vnus solus cubitus deesse, quem duæ tabulæ angulares constituisse videntur. Residuum verò, id est, cubitus ex vtraque parte opetiebat, vt diximus, tabularum vtriusque lateris partes, medium cubitum ab vno latere, & medium ab alio.

Et erunt geminatæ inferne, & pariter ipsæ erunt geminatæ super caput eius ad annulum vnum.

Difficilis intellectu est litera, vt iam diximus, & duplicem verborum sensum expressimus. Est & alius, quòd videlicet istæ angulares tabulæ supra & infra haberent partes alterius tabulæ assutas, vt huiusmodi frusta essent quasi capita & bases angulorum, ideò dicitur in litera. Et erunt geminatæ inferne & super caput. Et quod sequitur. Ad annulum vnum, significat frustum superius locandum immediatè sub vecte summo, & frustum inferius locandum immediatè super vectem infimum. Quidam intelligit duas istas tabulas esse in ordine aliarum sex, quæ erant in latere occidentali, quod constitutum erat ex octo tabulis, sed duas extremas quæ erant in angulis fuisse geminatas superne & inferne ratione assutarum, neque sensus à litera alienus est. Alij putant eas fuisse geminas ad annulum vnum, quia infra basibus sustentabantur, & superius vno annulo ligabantur vectibus. Posset vltimo intelligi. Et duas tabulas facies in angulis, id est, in quolibet angulo tabernaculi, quod statim explicàs dicit, quæ tabulæ erunt geminæ, non solum inferne sed superne, id est totæ erunt duplicatæ. Quæ quidem tabulæ erant aliis assutæ, ita quòd nõ habebant inferius bases, sed aliis quibus coniunctæ erant innitebantur. Si autem quæras quare huiusmodi tabulæ additæ sunt aliis angularibus, dico quod vt anguli essent crassiores & obstrusiores, ne quis per eos cernere quicquã posset, & coniungebantur istæ duæ tabulæ in quolibet latere ad annulum vnum, quoniam annulus vnus vtranque transibat, vt vno vecte cum aliis ligarentur. Fortè etiam anguli non erant acuti omnino, sed tabulæ hæ constituebant angulos ex vtraque parte non omnino acutos, & hoc est quod in textu dicitur.

Cajetanus.

In lateribus, id est, ad latera constituenda. Erant geminatæ inferius & superius, propter assutas partes, vt dictum est, aut quia erant spissiores inferius & superius quàm in medio, vt anguli essent fortiores. Et ad annulum vnum, quoniam vt diximus vnico annulo coniungebantur asseres cum suis assutis. Eligat prudens lector quàm maluerit ex his interpretationibus. Et fortè vectis medius ligabat istas angulares tabulas, sursum & deorsum.

Facies vectes. Ortum habet beriach, id est vectis, à barach quod est fugere & transire, quòd vectis videatur dum ostium aperitur fugere, & dum clauditur accedere, aut melius à transeundo. Quod autem barach fugere significet: constat Gene. 31. vbi dicitur. Nuntiatum fuisse Laban die tertio quòd barach, id est, fugisset Iaacob. Quòd verò transire, constat ex his quæ statim hic sequuntur. Nam de vecte medio dicitur. Maberiach, id est, transiens ab extremo ad extremum.

Facies velum. Fuit hoc velum, quasi medius paries, diuidens sanctum à sancto sanctorum: & erat ex eadem materia qua priores cortinæ, quæ in textu dicuntur habitaculum: & eædem dictiones ponuntur hic, quæ ibidem, scilicet thechelet, id est hiacyntus, argaman, id est, purpura, tholaat quod vermiculum significat, sani, id est coccus, & sches quod byssus, moscar, id est duplicatum seu tortum, de quibus diximus præcedenti capite, ibi videre licebit. De dictione verò parochet, quæ velum significare dicitur, aduerte, quòd parach à quo parochet, Hebræis significat duritiam aut superbiam, vt patet Exodi primo vbi habetur Ægyptios seruire fecisse filios Israel beparech, id est, in duritia, aut superbia. Idem Leuitici. 25. & Ezechie. 34. Vnde parochet videtur velum non quodcunq; significare, sed durum & forte: erat ex panno quem nos vocamus Damascum, aut cetinum seu velutum. Vel dicitur cheporet, ab eleuatione, sed primum germanius. Erat autem huiusmodi velum ex spisso serico, ne quæ in sancta sanctorum erant, videri possent. Et quod sequitur.

Quid velum.

Opere excogitato, iam expositum est præcedenti capite. Vocat autem opus excogitatum, quod magna cogitatione eget vt fiat, quod Itali vocant recharnato, nos brosslado.

Dabit illud super quatuor columnas.

Dicuntur columnæ hebraicè amude, ab amad, quod est stare, quòd scilicet sint stantes & erectæ.

Vncini earum aurei. Ponitur hic in hebræo dictio vauim, quam quidam ex nostris capita vertunt. Alij verò vncinos. Et meo iudicio, ignorant propriam significationem. Dictio est rara in scripturis, ponitur tamẽ hic & sequenti capite, neque est mihi coniectura bona, ad venandam propriam significationem. Est tamen aliqua, quod non significet capita, sed potius vncinos, ex verbis sequentis capitis, quibus dicitur. Columnas eius quinque vauchem, id est, & vncinos earum.

Et texit capita earum, scilicet columnarum, quo in loco ponitur raschem proprium nomen capitis, vbi si vauchem capita significaret, vertendum erat. Columnas eius quinque, capita earum, & texit capita earum: & esset eiusdem inutilis repetitio. Est etiam eadem pro alia parte coniectura quæ magis vrgere videtur, quoniam hic ponitur dictio charas, quæ propriè videtur vncinum significare à curuitate, & sequenti capite magis quadrat si capita vertas, quàm si vncinos.

Dabis velum sub vncinis. Erant huiusmodi vncini in capitibus columnarum, à quibus velum suspendebatur.

Introduces illuc intra velum. Patui refert, quod pro intra velum, hebraicè habetur, de domo veli, seu in domum veli, quoniam vt sæpius admonui, vtuntur Hebræi domo pro intra.

Diuidet velum vobis, inter sanctitatem & sanctitatem sanctitatum.

Vocatur locus extra velum sanctitas, intra verò, sanctitas sanctitatum, id est, locus sanctior alio exteriori, intra velum verò erat arca, & ibi Dominus manebat & loquebatur, in sancta verò quotidie sacerdos ingrediebatur ad componendas lucernas, & ad alia ministeria incensi.

Dabis propiciatorium super arcam.

Ex hoc loco colligi potest, huiusmodi propiciatorium seu tegmen fuisse tabulam ab arcæ opertorio distinctam, & eo superiorem quasi sedem sedentis.

Candelabrum contra mensam, aut è regione mensæ.

Facies auleum, id est, operimentum, quoniam sachach, à quo masach, id est auleum seu tegmen, significat propriè tegere & operire: vt patet Threno. 3. Sachata, id est operuisti nube, ne transeat oratio.

Opere acu pictoris. Dictionis racham propria significatio non plenè nota est Hebræis: nostri cum eis dicunt significare intexere, varia, seu diuersorum colorum fila, quod Itali vocãt rechamar, nos verò brosslaar Et quia teste Plinio, ars hæc in Phrygia inuentaest: vocauerunt huiusmodi vestes acupitas, phrygionicas. Hieronymus plumario opere vertit, seu acupictum aliquando opus polimitarium appellauit, id est, diuersorum filorum seu litiorum. Ponitur dictio Iudicum quinto, vbi fœminæ seu anus matri Sisaræ dicunt. Spolium discolorium Sisare, spolium discolorium riemah, id est discolor aut acu pictum. Riemathaiim, id est duo acu picta, mihi verò videtur esse pannum sericum diuersorum colorum, ex quo velum nauis festiuum fieri potest, vt patet Ezech. 27. vbi dicitur. Ebisso beriemah, id est in varietate colorum texta, seu ex Ægypto fuit cortina seu velum tuum. Et quod sequitur.

Fundes illis quinque bases æneas: potest verti. Extendes, quoniam tasach fundere & extendere significat, sed prior expositio melior est.

CA-

CAPITIS. XXVI. AD MORVM compositionem, annotata.

Facies tabernaculum. Nouit Dominus hominum curiositatem, & quàm facilè in contemptum veniant, quæ nobis sunt familiaria, ideò licet delicias dederit, esse cum filiis hominum, voluit tamen ab eis multis operculis occultari.

Cherubim opere phrygionico facies.

Videtur Dominus Cherubinorum figuris, quæ sunt maximæ velocitatis delectari, vt ostendat nobis quantum delectetur in his, qui summa diligentia faciunt verbum eius. Vbi simul expende, Deum pãnos & metalla pretiosa non aspernari, imò voluisse homines talibus ei seruire. Et similiter aduerte, quàm ordinata & quàm benè disposita sint, quæ Deus ad ministerium suum fieri præcipit, vt nihil inordinatum aut indecens in eis appareat.

Facies vectes. Noluit Dominus onera tabernaculi, bobus aut iumentis portari, sed humeris sacerdotum & Leuitarum: vt nobis ostendat, neminem se ante eum debere alicuius momenti aut dignitatis reputare: sed maiores & digniores inter homines, viliora munia ante eum exercere debere, quemadmodum rex Dauid fecit, qui ante arcam Domini: vilibus indutus saltauit. 1. Reg. 6. & 1. Paralip. 15.

Fundes eis quinque bases æreas.

Mirum valdè est, quòd Dominus iubeat omnes tabularum bases argenteas fieri: bases verò portæ seu ingressus in sancta, æreas. Separata sunt à nostris opera tua Domine. Consueuerũt filij Adæ, quicquid pretiosum aut pulchrum habent, in ingressu domus suæ locare, vt qui personam ignorant, cognoscant eius vanitatem. Non sic autem Deus tuus, sed pretiosa ponit in occulto, vilia in ingressu. Discè ergo à Deo tuo, pretiosa tua abscondere, & viliora ostendere.

CAPITIS. XXVII. IVXTA LITEram annotata.

Facies altare lignorum setim.

Postquam docuit fabricam ipsius domus, nunc docet qualia esse debeant, quæ extra domum in atrio scilicet, locanda erant, & primum de altari holocaustorum quod erat in atrio sub dio agit. Aduerte autem quòd à zabach quod est sacrificare & mactare, denuatur mizbeach, id est altare, quod scilicet in eo victimæ Domino mactarẽtur, & sacrificarentur. Significat etiam offerre, vt ex Psalm. 50. conuincitur, vbi habetur. Zebach, id est offer Deo sacrificium laudis. Quo in loco non tam benè quadrat, macta Deo. Et aduerte aliquos putare, hoc altare fuisse intus plenum terra vsque ad summum, aut ferè, circumdatum lignis setim opertis ære, & habuisse rete æneum, quod circundabat altare à parte exteriori, à medio vsque ad imum: ne scilicet terra appareret, & hic dicendi modus firmatur ex primo capite Leuitici, vbi præcipit Dominus ignem strui super altare, vbi etiam sanguis spargi mandatur super altare. Mihi verò hæc sententia probabilissima apparet, licet alium dicendi modum sequar.

Quadratum erit altare. Significat rabba quatuor seu quadratum, vt etiam patet Ezechie. 45. vbi dicitur. Merruba. i. quadratum in circuitu. Extendunt etiam verbum ad coire, ad quod probandum aliquòt loca ex sacris literis citant, & primum illud Leuitici. 20. Mulierem quæ accesserit ad quodlibet animal leribat, id est vt coeat cum eo, occides. Et capite decimooctauo eiusdem. Mulier non stabit ante animal leribat, id est, vt coeat cum illo. Et eodem libro cap. decimooctauo. Animal tuum non tarbita, id est coire facias eum alio genere, seu animali alterius generis. Sed meo iudicio, sine vlla causa mutarunt verbi significationem. Debuissent saltem: allusionem pulchram ostendere. Vocat enim hebraismus congressum fœminæ cum bruto quadrare, quod ad huiusmodi congressum, fœmina se disponat veluti quadrupes, aut quadrupedem agat. Vnde citata loca sic vertenda puto. Nam illud Leuitici secundo, sic redde. Occides mulierem quæ accesserit ad quodlibet animal, vt quadret se illi, id est, vt quadrupedem agat ad illud. Illud verò capitis decimooctaui, sic. Mulier non stabit ante animal, vt quadret se illi, id est, ad modum quadrupedis se illi exponat. Et eodem modo, quod ex decimonono citatum est.

Facies quatuor cornua super quatuor angulos eius.

Erant meo iudicio, huiusmodi cornua in quatuor angulis altaris posita ad sustinendum rete seu cribrum æneum, quod erat in vacuo altaris intrinsecus: super quod ponebantur cremandæ carnes. Vnde Dominus præcepit, reti annulos fieri, quibus videlicet ad huiusmodi cornua suspendi posset.

Ex ipso erunt cornua eius. Non debebant huiusmodi cornua esse assita altari, seu partes adinnectæ, sed illi continua, ac simul fusa.

Operies illud ære. Non est sensus, quod intensa altaris sit ære operienda, quoniam altare intus vacuum erat, cùm super rete quod in medio eius erat, cremandæ carnes ponerentur: sed est sermo de parietibus eius per circuitum, qui æreæ esse debebant. Et miraculo dandum est, quòd ligna sittim quæ intra æs erant, non combutentur ab igne, qui sacrificia cremabat.

Facies lebetes eius ad decinerandum illud, seu ad cineres remouendos: & scopas eius, & crateras eius, & fuscinulas eius, & receptacula eius.

Sunt significata dictionum quæ hic ponuntur vtcunq; obscura: & prior, scilicet sir, significat cacabum vel ollam, maximè æneam. Secundo verò significat spinam, hic verò significat vas quo cineres colliguntur, & extrahuntur: sequens verò dictio, scilicet dessen propriè significat pinguedinem, & ex consequenti cinerem, non quemcunque, sed vt plurimum pinguedine respersum, qualis erat qui ab altari holocaustorum remouebatur, licet nonnunquam etiam communem significet. Inde fit verbum in piel, scilicet dissen, quod est cinerem remouere seu decinerare (si sic loqui Latini permitterent) vt patet hic. Possemus etiam dicere verbum dissen, propriè significare cinerem remouere, à quo dessen, id est cinis, & ex consequenti pinguedinem, quod super cineres aspergatur.

Scopas eius. Dictio taau, quam Sanctes vertit scopas eius, incertæ est significationis. Hebræi dicunt radicem eius, scilicet iaah, significare remouere, ad quod probandum citant illud Isaiæ vigesimooctauo. Veiaah, id est, remouebit grando spem mendacij, quam ob rem hic aliqui vertunt palas, id est, instrumenta ad remouendos cineres. Hieronymus forcipes, noster Sanctes scopas. In hoc omnes conueniunt, quòd significat instrumentum quo cineres remouebantur. Sunt qui dicunt significare fuscinulas, quibus carnes ab olla vel cacabo extrahuntur. Sed quia infra ponitur dictio significans fuscinulas, arbitror non accepiendam hanc significationem. Sequens verò dictio, scilicet mizrechotau, quam Sanctes vertit crateram: est à radice zarach, quod significat spargere, fundere: vnde nomen mizrach, id est, aspersorium, quare duo potest hic significare, scilicet aspersorium, quo spargebatur sanguis victimarum: aut vas quo sanguis aspergendus includebatur. Et ideò Sanctes hic crateras vertit, id est, vasa quibus sanguis fundendus continebatur, quod Munsterus pelues vertit.

Fuscinulas eius aut tridentes eius.

Nomen zalag, significat instrumentum quo carnes ex olla extrahuntur: vt patet primo Samuelis secundo, vbi dicitur. Puerum sacerdotis venisse, & accepisse quicquid faciebat ascendere hamamleg, id est, fuscinula, aut tridenti, nos vocamus gadanhos, siue vngues.

Receptacula eius. Rex nominis machtah, id est receptaculum est chatah, quod est capere, & accipere. Isa. 30. Iachtot, id est ad capiendum ignem de incendio.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et Prouerbiorum sexto. Haiachteh, id est, Num capiet vir ignem in sinu suo, & vestes eius nõ comburentur? Significat ergo machrah instrumentum quo prunæ ex igne capiuntur, quod aliqui thuribulum, aliqui acertum interpretantur. Aliqui quibus potius subscribendum puto, pateras vertunt.

Facies illa, scilicet, *altari cribum opus retis ænei.*
Verbum hebraicum chabbar, à quo michbbar, id est, cribrum, significat propriè multiplicare seu multum esse, à quo chabbir, id est multũ, vt patet Iob octauo, vbi dicitur. Spiritus seu ventus chabbir, id est, multus, eloquia oris tui. Item capite decimoquinto eiusdem dicitur. Etiam eanus, etiam decrepitus, inter nos est chabbir, id est multiplicior, diebus quàm patres tui, id est senior patribus tuis. Inde michbbar, id est cribrum sic à multitudine foraminum, aut iuncorum, vel pilorum ex quibus fit, dictum. Vnde Hamos nono dicitur. Quemadmodum mouebitur bachebbarah, id est in cribro, subaudi triticum, aut grana quæ in cribro mundantur. Sic, 1. Samuelis decimonono. Ve & chebbir haizim, id est cribrum (aut verius) pellis caprarum, sic à multitudine seu extensione pilorum dicta. Idem secundo Regum octauo. Tulit hamachbber, id est pannum ex multis setis seu pilis aut pellem ipsam, & intinxit in aquam, & expandit super faciem eius: vbi est sermo de Asaele & Benadab rege Syriæ. Disputauimus abundè de nominis significatione, Gen. 35. super illud. Adhuc chibrat, id est multum terræ, quod alij miliare vertunt. Et quod sequitur.

Opus retis, Aliqui vertunt opere reticulato, id est, ad modum retis facto. Erat autem huiusmodi cribrum ad modum retis factum, extensum intra vacuum altaris, quatuor annulis suspensum, ad cornua altaris super quod ponebãtur comburenda, sub quo erat ignis, qui reti supraposita comburebat. Arbitror autem annulos retis, cornibus altaris innixos, hoc cribrum seu rete sustentasse, licet aliqui dicant suspensum fuisse clatris intra altare affixis.

Dabis illud, scilicet rete *subter circuitum altaris.*
Dictio charchab quam circuitum vertimus, aut ambitum, non plenè nota est Hebræis, quia tamen, Chaldæus paraphrastes circuitum vertit, omnes ferè Hebræi, eum sequuntur. Vnde Rabbi Selomoh in commentariis dicit. Omne quod circuit quippiam in girum in rotundum, vocatur charchob: & secundum doctores hebræos (vt inquit Rabbi Selomoh in cõmentariis, & Rabbi Dauid in libro radicum) erat duplex circuitus. Prior qui ambiebat altare, & alter quo ambulabant sacerdotes ministrantes, ne illorum pedes nutarent. Ex quo constat Hebræos putare, huiusmodi rete æneum fuisse positum ad custodiam altaris, quasi sepes seu limes ne cuiquam esset accessus ad altare, nisi solis ministris. Mihi tamen propter annulos, & quia textus dicit, dabis illud sub circuitu seu ambitu altaris, verius videtur, fuisse intra altare ad munus prædictum. Hieronymus arulam vertit.

Et erit rete vsque ad medium altaris, id est descendet à partibus superioribus altaris vsque ad medium, quoniam vt diximus, à cornibus suspẽdebatur, & descendebat intus vsque ad medium, & manebat cubitus & dimidium carnibus superponendis à parte superiori, & tantundem ad ignem supponendum à parte inferiori, si verò teneas rete fuisse extra altare, dicito rete ascendisse seu esse eleuatum vsque ad medium altaris. Erat enim altare trium cubitorum altitudinis.

Cum vacuo inter tabulas facies illud.
Sensus est, quòd inter parietes altaris, debebat esse spacium vacuum à parte interiori, quoniam vt diximus, ibi ponebantur carnes superius, & ignis inferius. Posset etiam esse sensus quòd nõ haberet tabulas quasi parietes, sed solùm transuersa ligna superiora cum pedibus. Tu tamen aduerte Hebræos ignorare radicem dictionis nebub, quam hic vacuum vertunt, quidam deducunt ab ib, cuius propriam significationem ignorant, putant tamen vacuum significare propter illud Iob. 11. Et vir nabub, id est vacuus, excors erit, aut pos-

sidebit cor. Et Ierem. 52. Et grossitudo eius quatuor digitorum nabub, id est vacua.

Facies atrium tabernaculi. Erat huiusmodi atrium spacium ambiens tabernaculum cortinarum, quasi campus sub diuo cum herbis, & erat longitudinis centum cubitorum, latitudinis verò tam ad Orientem quàm ad Occidentem quinquaginta. In litera non explicatur, quantum distabant parietes atrij seu columnæ à tabernaculo ipso. Portendebatur autem ab Oriente in Occidentem secundum longitudinem, & ab Aquilone ad Meridiem, secundum latitudinem. Et aduerte, quòd dictio casar, quam vertimus atrium, significat propriè cãpum viridem, seu pratum, vnde casir, quod aut pratum, aut viride significat, vt patet Isa. 34. Erit vmbraculum serpentum, casir, id est, pratum seu viride, filiabus structionis. Et. 35. Casir, id est pratum calamo & iunco, aut pratum calami & iunci. Item primo Regum decimooctauo dicitur. Si fortè inueniatur casir, id est, pratum: vbi alij vertunt, herba. Et clarius Isaiæ decimoquinto. Aruit casir, id est herba viridis, aut pratum.

Ad angulum australem ad meridiem. Secunda dictio, scilicet ad meridiem est explicatiua prioris, scilicet ad angulum australem, more hebraico.

Cortinæ erunt atrio è bisso retorta.
Difficile valdè est cognoscere allusionem chelaiim, id est cortinæ ad proprium significatũ verbi chala, quod est funda iacere, à quo chelaiim, quod hic cortinas vertimus, vnde quidam Hebræorum dicunt cortinas sic vocatas, quòd fundarum imagines depictas haberent. Quod enim verbum chala significet funda proiicere, ex multis scripturæ locis constat. Primo Iudicum. 20. vbi dicitur. Omnes isti cholea, id est funda iacientes lapidem ad capillum, & nõ peccare facient, id est non errabunt. Sic Ieremiæ decimo. Ecce ego cholea, id est, funda proiicio omnes habitatores terræ. Item primo Samuelis decimoseptimo. Tulit inde lapidem, vaiechala, id est, funda iecit illum. Idem capite vigesimoquinto eiusdem, & secundo Regum tertio. Possemus etiam dicere cortinas factas ad modum fundæ non picturas eius imaginibus: vt scilicet manerent in eis foramina quædam, quibus qui erant extra atrium, possent videre quod intus erat & fiebat, præsertim fœminæ, quibus non licebat ingredi atria. Quem sensum valdè iuuat vox chaldaica *farada*, id est rete quasi huiusmodi cortinæ: formam retis haberent. Addunt etiam Hebræi verbum significare sculpere: propter illud quod primo Regum habetur. Vechala, id est & sculpet Cherubim.

Vncini columnarum, & fila eas cingentia, argentea.
Ponitur hic dictio illa vaue, de qua superiori capite disputauimus, & ex hoc loco videtur, potius capita columnarum significare quàm vncinos. Iubentur ergo hic fieri huiusmodi capita columnarum argentea. Et quod sequitur. Fila eas cingentia, in hebræo vnica est dictio, scilicet chasuch dubiæ significationis, quæ quantum ex coniecturis cognosci permittitur, significat circulum columnam cingentem, qualibus vinaria dolia, cingi apud nos solent. Verbum chasach quod est radix nominis chasuch, videtur propriè significare complecti, vt patet Deutero. 7. vbi dicit Moseh: chasach, id est, coniunxit se Dominus vobis, aut complexus est vos. Vnde circulus dicitur chasuch, à complectendo, dictionis tamen propria significatio non plenè nota est.

Latitudo atrij ad latus orientale, ad orientem, quinquaginta cubitorum.
De cortinis atrij est sermo, potius quàm de spacio atrij, & sensus est, quòd cortinæ ad latus orientale, erunt quinquaginta cubitorum secundum latitudinẽ: quemadmodum dixit de cortinis plagæ occidentalis versũ præcedenti.

Et quindecim cubitorum erunt cortinæ lateri vni.
Omnes nostri vertunt hic lateri vni, sed dictio chetepha non solùm latus sed etiam humerum significare constat Isaiæ. 11. vbi dicitur. Et volabunt bechateph, id est in humerum Philisthiim, aut in latus, rectè tamen interpretes latus vertunt, quòd huiusmodi postes, latera videantur ostiorum, & meo iudicio est sermo de ostio atrij ad latus aquilonare & ad meridiem: in quolibet enim latere, erat ostiũ quindecim cubitorum. Ostium verò ad orientem vt statim sequitur, erat viginti, ita quòd ex viginti columnis quæ erant ad latus aquilonare, tres erant ante ostium, & totidem ex viginti quæ erant ad latus meridianum, & quatuor ex his quę erãt ad orientem ad ostium orientale.

Et portæ atrij erit aulæum viginti cubitorum.
A verbo sachach quod est tegere & operire, est masaech quod est tegmen seu aulæum. Est autem aulæum velum picturarum, aut pannus picturatus: vulgò panno de raso. Hieronymus in his locis omnibus vertit tentotium.

Latitudo quinquaginta in quinquaginta.
Replicat quod iam dixerat, spacium, scilicet atrij secundum lõgitudinem, fuisse centum cubitorum. Et quod sequitur, latitudo quinquaginta in quinquaginta, significat latitudinem tam in parte occidentali quã orientali fuisse quinquaginta cubitorum, sicut antea de cortinis dixerat.

Ad ascendere faciendum lucernam semper.
Nonnulla cõiectura ex hoc loco est, huiusmodi lucernas deponi, & postea sacerdotum ministerio eleuari; quia nõ dicitur in textu ad accendendum lucernas, sed ad ascendere faciendum, nisi dicamus lumẽ ascendere dum lucerna accenditur. Aut ad sursum ferendum lucernas iugiter. Quod verò sequitur iugiter, quidam ex hoc loco acceperunt lucernas die & nocte fuisse accensas, sed textus sequens explicat solum noctu, sicut & in Leuitico explicatur capite vigesimoquarto.

In tabernaculo testimonij extra velum, quod est supra testimonium, ordinabit eam, scilicet, lucernam Aharon.
Aliqui vertunt hic. In tabernaculo ecclesiæ, sed si intelligatur ad quod conueniebat ecclesia, vt scilicet in eo ingrederetur, falsum est, nisi dicamus ecclesiam ad illud conuenisse, id est, ad atria quę erãt iuxta illud. Si verò testimonium vertas, sensus est. Ad tabernaculum aut in tabernaculo testimonii, id est, in quo erat testimonium seu testificatio inter Deum & populum, quod erat sex ipsa. Vocabatur autem totum tabernaculum testimonium, à principaliori contento: pacto, scilicet, inter Deum & Israel. Non tamen reiicio alteram expositionem, scilicet, in tabernaculo ecclesiæ vel conuentus, quoniam dictio moed est à iaad, quod magis significat conuenire ad certum tempus quam testificari, licet etiam hoc significet. Et quod sequitur. Quod est supra testimonium, explicandum est, quòd est iuxta testimonium, id est, iuxta arcam in qua est testimonium, aut supra illud, quoniam pendebat ante arcam testimonij. Vel ponitur supra pro ante. Et quod dicitur. Ordinabit eam Aharon, verbum arach significat ordinare, & æquare, & hebraicè non habetur: ordinabit illam, scilicet, lucernam, sed illud videlicet candelabrum.

Statutum sempiternum generationibus eorum à filiis Israel, id est, date oleum pro lucernis, & ordinare lucernas, erit statutum perpetuum in generationibus eorum, inter filios Israel, includendo inter eos sacerdotes & seculares. Oleum enim administrare, erat opus sęcularium & populi, lucernas verò accendere & emungere, munus fuit sacerdotum. Aut statutum perpetuum erit Aharon & filiis eius, ordinare & accendere lucernas in generationibus eorum, à filiis Israel, id est, inter filios Israel. Aut quod statutum seruare facient filij Israel.

CAPITIS. XXVII. AD MORES annotata.

Facies altare. Magna Dei dignatio fuit, velle vt victimis & holocaustis posset gens illa apud eum carnis immunditias delere, & mortem quam commeruerat, pecorum occisione compensare.

Facies atrium tabernaculi. Nihil in ecclesia confusum esse debet, sed cuncta suo ordine dispositа, in qua statuendus est locus pro sacerdotibus, sęcularibus, & fœminis, quemadmodum in templo erat sanctum à sancto sanctorum diuisum. Nunc cuncta in ecclesia confusa sunt, viri inter religiosos, fœminæ quoq; passim inter viros. Aduerte etiam atrium habuisse tres portas, vt facilis esset omnibus ingressus & egressus: ne homines timentes comprimi in ingressu ab ecclesia recederent, aut abstinerent. Vbi similiter disce, sancta vallis multis & sepibus esse custodienda, ne homines passim, & sine vlla reuerentia se diuinis & sacris ingerant.

Afferent ad te oleum olivæ purum.
Omnia quibus Deo sumus ministraturi, puta & selectiora esse oportet, aduersus eos qui vilia Deo offerunt, neque curant. Et aduerte quod præcipit ad sacerdotem deferri, antequam offeratur Domino: vt sacerdos illud examinaret & videret an dignum esset quod offeretur Domino. Similiter aduerte inter cætera oleum olivæ præstare, non solum ad esum, sed etiam ad lucernas.

Disponet eam Aharon. Munus sacerdotum erat, lucernas emungere & componere: vt discamus maiores, quæ viliora esse videntur in domo Dei administrare debere, iuxta illud Psal. Elegi abiectus esse in domo dei mei, magis quã habitare in tabernaculis peccatorum. Nunc verò etiam inferiores, suprema ecclesiæ munia abiicere non verentur. Neque solum lucernas emungere, munus est sacerdotum, sed etiam altare à cineribus mundare, & victimas occidere & excoriare, quę in eum finem adnotauerim, ne noue legis sacerdotes, vereantur quæ vilia sunt in ecclesia ministeria efficere.

CAPITIS. XXVIII. IVXTA LITERAM annotationes.

Et tu appropinquare fac ad te Aharon.
Postquam domum sanctam instituerat, de ministris, & ministrorum vestibus agit. Verbum autem hebraicum charab, significat propriè appropinquare, & nonnunquam rem cum fœmina habere: vt patet Gene. 20. vbi dicitur. Abimelech non charab, id est, appropinquauerat ad eam.

Facies Vestes sanctitatis, id est, quibus sacerdos in loco sancto ministret Domino, aut applicatas cultui diuino, vel separatas ab aliis prophanis indumentis. Admonui enim sæpius chadas, à quo chodes, id est, sanctitas, significare separare à prophanis, & cultui diuino applicari.

Ad gloriam & decorem. De his duabus dictionibus scilicet chobed, id est, gloria, & tipheret, id est, decor, sæpius disserui, quarum prior significat grauitatem, sicut chabad grauare, onerare, diuitem esse quòd diuites sint onusti & grauati diuitiis. Hic autem videtur nomen chebod significare grauitatem quandam & maiestatem, secunda verò dictio decorẽ & pulchritudinem significat. Et vestium gloria seu maiestas maiestatem & gloriam ostendebant Dei, quemadmodum earum pulchritudo pulchritudinem ipsius Dei.

Loquere ad omnes sapientes corde.
Licet dictio chacham, omnem sapientem communiter significet, præcipuè tamen significat prudentem in agibilibus. Dicit autem eos spiritum sapientiæ impleße, quoniam sapientes videntur intra se spiritum habere à quo ea quæ exterius agunt procedunt, qui si à Deo sit, dicuntur impleti spiritu Dei. Vocat autem eos sapientes corde, quia sunt quidam qui tantum ore sapientes sunt, aut potius dicuntur, corde verò sapientes, quia eorum sapientia non videtur, cùm intus eam habeant, nec eam operibus sapientiæ prodant. Dubium tamen hic est: an isti sapientes corde, haberent antea aliquid artis, humano more adeptæ, & Deus eos impleuerit, vt sapientiores essent, & vt scirent facere quæ Dominus disposuerat, vel potius eis à primis principiis artem totam infuderit. Et licet litera coniecturam nobis aliquam præbeat, eos videlicet habuisse aliquid artis humano more adeptæ, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia dicit loquere ad sapientes corde, mihi tamen verius videtur, Deum eis plenè artes multas infudisse fabriles, quia in textu sequitur, quos impleui spiritu sapientiæ, quasi antea repleti non fuerint: cum hoc tamen arbitror, eos in adiutorium alios artifices habuisse: vt capite. 31. sequenti dicitur.

Ad sanctificandum ipsum, id est, ad applicandum ad sanctitatem seu cultum Dei.

Hæ sunt vestes quas facient. Pectorale, & superhumerale, & pallium, & tunicam opere phrygionico oculis contextam, tiaram, & baltheum.

Ponuntur hic sex ornamenta Pontificis, & in fine capitis adduntur adhuc tria, scilicet lamina aurea, in qua scriptum erat, sanctitas Domino, mitra byssina ad tegendum caput, & tertium fœmoralia linea. Quid autem significent nomina hebraica, quæ huiusmodi vestium genera significant, tam nostri quàm Hebræi ignorant. Nos autem vocabulorum radicibus inspectis, conabimur, proprias eorum venari significationes, licet non ad plenum assequi eas speremus, quoniam aliquot sunt, ad quę cognoscēda nulla est coniectura, aut leuis valdè. Et prior, scilicet, choschen, id est, pectorale, incertæ est significationis. Quale autem fuerit huiusmodi pectorale, textus infra explicabit. Prius enim describit superhumerale, quàm pectorale, quoniam pectorale ponebatur super superhumerali.

Facient superhumerale ex auro.

Quid ephod. Vocatur superhumerale hebraicè ephod, quod deriuatur ab aphad, quod est cingere: vt patet capite sequenti, vbi dicitur. Ve aphadta, id est, cinges illum balteo ephod. Erat autem indumentum ad modum thoracis, & super humeros habebat duos magnos lapides prætiosos, in quibus sculpta erāt nomina filiorum Israel, cuius materia erat aurum, hyacinthum, purpura, coccum bis tinctum, & byssus retorta: opere excogitato. Coniungebantur autem duæ partes huius superhumeralis, altera quæ erat ante, & altera quæ retro, in duobus humeris, vt textus dicit. Duæ inquit oræ iunctæ erunt ei, ad duas extremitates eius, & coniunctæ erunt, scilicet, in humeris.

Excogitatum baltheī eius, quod est super illud, sicut opus ipsius. Ex eo erit.

De cingulo quo cingebatur huiusmodi superhumerale sermo est, quod erat ex eadem materia qua & illud: & erat strícta fascia, quæ cingebat superhumerale. Et quod dicitur.

Ex ipso erit, hunc habet sensum, quòd huiusmodi cingulum erat ex materia ipsius superhumeralis, quod statim explicat dicens.

Ex auro & hyacintho. Dicitur autem huiusmodi superhumerale ephod, id est, cingulum aut indumentum strictum, quia cingebat hominem. Posset etiam dici ephod duo significare, scilicet strictam vestem ad modum camisiæ, & cingulum quo huiusmodi vestis

Quid ephod apud Rabbi Selomoh. stringebatur. Dicit autem Rabbi Dauid loquens de ephod, quòd erat vestis linea, qua accingebantur colentes Dominum, aut seruientes ei, qui differebant ab aliis hominibus, & tam Sacerdos quàm Leuita, quàm Israel accingebant se illo, sicut de sacerdote scriptum est primo Samuelis vigesimosecundo. Et mortui sunt illa die octogintaquinque viri portantes ephod lini. Et de Samuele qui erat Leuita, dicitur primo Samuelis secundo. Puer accinctus ephod lini. De Dauide verò secundo Samuelis sexto. Et Dauid accinctus ephod lini, seu lineo. Et meo iudicio, hoc superhumerale non descendebat ad terram, sed parum post cinctura finiebatur.

Accipies duos lapides onychinos. Hebraicè habetur. Duos lapides soham. Disputàuimus abundè de hoc genere lapidis, Genesis 2. & supra vigesimoquinto. Et dicunt Hebræi, esse coloris vnguis humani: ideò onychinum vocant: sed re vera ignorant qualis sit. Neque est aliqua bona coniectura ad venandam nominis propriam significationem.

Et sculpes super eos nomina filiorum Israel.

Hebraicè est. Et aperies super eos, quòd sculptura nihil aliud sit quàm apertura eius in quo sit, siue sit lapis siue metallum. Et quod sequitur.

Secundum generationes eorum, sensum hunc habet, id est, secundum ordinem natiuitatis eorum: vt scilicet prius sculperetur nomen illius qui prius genitus fuerat.

Opere fabricatoris aperturæ sigilli, aperies ambos lapides. Iubentur literæ sculpi, quemadmodum in sigillis aperiuntur.

Circundatos incluſoriis auri: facies eos.

Noster Sanctes vertit, circundatos palis aureis. Munsterus, Curabis vt circundentur atq; includantur auro. Alij vertūt, circundatos oculis aureis. Verbum sabats, vt hebræi dicunt, significat propriè facere aliquid oculatè, seu opere phrygionico, vulgo italico rechamare aochi, sicut cùm vestis est plena oculis intextis: & secundum rabbi Saliadiah si latine dici fas esset, oculare aut ocellare, seu oculeare, oculis circundare. Inuenitur enim apud latinos ocellatus, id est qui habet ocellos, & oculeus, id est qui habet oculos. Suetonius in Augusto ocellatas nuces dixit, pro multis foraminibus distinctas. Plautus in Anularia. Quos si Argus seruet, qui totus oculeus fuit, id est plenus oculis. Inuenitur & oculo. as. i. oculus fieri puto, apud Tertulianum in Apologetico. In agnitionem veritatis ocularet. Rabbi vero Selomoh deducit verbum à misbesot, id est à palis annuli. Pala enim est pars annuli plana & latior, in qua gemma inscritur, etiam sine lapide, sic dicta quòd sit palam. Cicero libro tertio officiorum. Ibi cum palam, eius annuli, ad palmam conuerterat, à nullo videbatur. Rabbi Selomoh appellat huiusmodi palas, sedes annuli. Alij capsellas. Sed si quis verbum & nomina ab eo deriuata expendat, deprehendet significare includere seu stringere, præsertim ad modum palę quæ gemmā includit: moueor primum ex Chaldæo paraphraste, qui hoc eodem capite vertit. Et ordo quartus tharsis mesubbasim, id est incluſi auro, erunt in plenitudinibus suis. Sic etiam Hieronymus. Secundo, quia nomen sabats significat angustiam incluſionem, vt patet secundo Samuelis primo, vbi dicit Saul. Sta quæso super me, & interfice me: quia tenuit me hasabbas, id est angustia aut incluſio, seu coarctatio. Ideo melius vertendum puto, circundatos incluſoriis auri, vt diximus, aut palis: intelligendo per palas huiusmodi incluſoria.

Super humeros aut latera ephod,

Id est super extremitates laterum ephod aut super extremitates quæ humeros tegunt.

Lapides memoriæ. Vocantur lapides memoriæ, quoniam ad memoriam sacerdotis reducebant tribus Israel, vt pro eis oraret, quando ingrediebatur ad ministrandum Domino.

Facies palar, aut melius, incluſoria aurea.

Sermo est de illis palis seu incluſoriis, quibus illi duo lapides humerales includendi erant.

Et duas catenas auri mundi, terminos facies illas opere plectili, & dabis catenas plectiles super incluſoria.

Non plenè cōstat, an dictio sarsar, significet catenā, hoc certum est significare id, quod ad extremitatem operis poni solet, ad decorem. Quod ex duobus locis capitis tertij, libri secundi Paralipo. colligi potest: in quorum priori dicitur. Ascendere fecit super eam (domum videlicet Dei) palmas & catenas, aut flores, vel aliquid simile. Idem inferius eodem capite vbi habetur. Fecit catenas in oraculo, & posuit super caput eorum. Ex quibus cōstat, fuisse limbum pulchrum aut aliquod pulchrum artificium, quod in extremitate operis poni solet: & quia sæpissimè in huiusmodi extremitatibus, cateuæ poni solent, non ineptè nostri vertunt catenas, quas Hebræi dicunt dictionem significate, præsertim quia sequitur. Opere plectili, vbi complexionem catenarum explicare voluit seu catenas, quæ non erant ad suspendendum pectorale, sed potius ad superhumeralis decōrem, & hoc est quod in textu dicitur, terminos facies illas. Erant enim iusta incluſoria aurea, in quibus erant gemmæ quasi termini extremitatis superhumeralis.

Facies pectorale iudicij, opere excogitato.

Pectorale quare dicatur iudicij. Incerta est significatio nominis choschen, si per se radix sit, coniectura tamen ex hoc loco est, quòd significet ornamentum pectoris. Quare autem dicatur iudicij, adhuc incertius est. Rabbi Dauid putat ideò vocari iudicij, quod super illud essent vrim & thumim, quæ indicabant iudicium hominum per illa interrogantium: sed mihi non multum probatur hæc ratio, quoniam iste cum aliis Hebræis putat in tiumim, vidisse summum sacerdotem iudicia Dei, quod falsum esse infra vrim & thumim explicantes ostendemus. Alij putant ideò iudicij pectorale vocari, quòd sacerdos, nunquam ius esset in re graui dicturus, nisi cùm hoc pectorale supra suum pectus habebat. Tertij quòd continetet iudicium Dei. Ad quod citant illud Numeri vigesimoseptimo. Stabit ante Elhazar sacerdotem, qui consulet pro eo iudicium vrim coram Domino. Ex quo videtur sacerdotem in vrim vidisse iudicium Dei de re quam à Deo quærebat, & pro qua eum consulebat. Sed litera inferius videtur nodum hunc explicare. Infra enim hoc eodem capite dicitur. Et portabit Aharon iudicium filiorum Israel super cor suum coram Domino semper. Vbi videtur reddere rationem, quare voluerit eum portare pectorale illud iudicij, cùm thumim & vrim, vt scilicet portaret super cor suum iudicium filiorum Israel coram Domino semper, vbi per iudicium nihil aliud quàm memoriam filiorum Israel intelligere videtur: ac si diceret. Et portabit Aharon iudicium, id est, memoriam filiorum Israel super cor suum coram Domino semper. Neque putes vocem hebraicam mispat, solum significare iudicium, vt importat virtutis iustitiæ actum, quoniam significat etiam regulam, morem, consuetudinem, dispositionem, mensuram, & formam ac punitionem. Sed quia hæc expositio vtcunque vrget nominis iudicij significationem, quod non videtur alicubi memoriam significare, ideò dicitur, pectorale vocari iudicij, quod opus erat illud sacerdotem assumere quoties consulebat Dominum super iudiciis filiorum Israel. Expende omnes expositiones & nullam offendes hac germaniorem. Posset etiam exponi. Portabit Aharon indicium, id est, iudicia filiorum Israel seu causas eorum super cor suum, id est, tanquam rem quæ sibi maximè cordi est, iugiter coram Domino. Portabat enim summus sacerdos populi causas coram Domino, à quo expectabat responsum & sententiam. sed prior expositio magis arridet. Vocatur autem pectorale, quia ornamentum pectoris erat, eiusdem longitudinis & latitudinis, videlicet palmi. Erat autem eiusdem panni seu materiæ qua erat superhumerale seu ephod, erat tamen duplicati panni. Aduerte tamen, quod dicitur fuisse palmaris longitudinis & latitudinis, quoniam Hebræis autoribus dicto zeret, non solùm palmarem mensuram sed semicubitum significat, & ex hoc textu conuinci videtur, quoniam mensura vnius palmi non poterat operire cor & pectus, saltem totum.

Implebis in eo impletionem lapidis, id est, implebis illud, scilicet pectorale lapidibus, aut implebis incluſoria lapidibus.

Ordo sardius, topazius, smaragdus, ordo vnus seu primus.

Admoniti in regulis, Hebræos ignorare significationes nominum lapidum, animalium, & arium, imò periisse dicunt apud eos, ideo nihil fidendum significationibus quas nobis tribuunt. Ex radicum tamen significationibus videbimus, an aliquid veritatis eruere possimus.

Sardius. Dictio hebræa odem quæ hic ponitur, est ab adam quod est rubescere, quare significat lapidem rubei coloris, quicunque ille sit, dicunt tamen fore sardium, quoniam rubei coloris est. Ponitur dictio hic, & infra. 39. Et Ezech. 28.

Topazius. Hebraicè Pitdah. Aliqui Hebræorum smaragdum arbitrantur, quòd in lingua arabica vocetur zamerad, id est, smaragdus, asseruntque esse coloris viridis.

Smaragdus. Dictio hebræa barechet à baraeh quod est fulgurare, seu fulgorem emitttere ortum habet, & mea sententia, significat lapidem fulgurantem, seu radios ad modum fulguris emittentem, quem Sanctes in lexico dicit esse crisolitum, qui colorem habet aureum, & ardentes instar fulguris scintillas emittit. Quòd verò barach significet fulgurare, cōstat primum Psalm. 144. vbi dicitur, Beroch barach, id est, fulgura fulgur. Et Ezechielis. 1. De igne egrediebatur barach, id est, fulgur seu splendor. Accipitur nonnunquam pro splendore seu acie splendida, politi & tersi ferri: vt Deutero. 32. vbi dicitur. Si acuero berach, id est, aciem gladij mei, seu splendorem aut fulgur gladij mei. Et quod dicitur. Ordo vnus, idem est quod ordo primus, sicut vna sabbati, id est, prima.

Carbunculus. Hebraica dictio nopech, ignoræ est significationis apud Hebræos, plures ex eis in carbunculo consentiunt. Sanctes tamen sequens Rabbi Dauid in libro radicum, dicit in lexico, esse lapidem nigri coloris. Dictio ponitur infra capite trigesimonono, & Ezechielis. 27. & 28. Thargum smaragdum vertit hic. Et iste est primus secundi ordinis. Erant enim in quolibet ordine tres.

Saphyrus. De hoc non est dubium, quoniam hebraicè dicitur sappir: nostri caphiram vulgo vocant. Radix, scilicet, sappar numerare significat, & fortè à copia sic dicetur, quod sint in magna abundantia. Ego magis arbitror esse Iaspidem, qui multitudinem diuersorum lapidum & diuersorum colorum in se continet: & per sequentem, intelligerem potius adamantem, quam Iaspidem.

Et adamas. Nostri hic communiter Iaspidem vertunt. Si radix nominis Hebræi tahalom quod hic ponitur, est halam, vt Hebræi sentiunt, quod est frangere, conterere, vt patet Iudicum quinto. Tunc hallenu, id est, contritæ sunt vngulæ equorum: tunc tahalom significabit lapidem durissimum qui alios frangit, & cùm talis sit adamas, & sit prætiosissimus, fortè significabitur hic dictione hebræa. Quam sententiam (teste Rabbi Abraham) sequitur quidam magnus Rabbinus Hispanus.

Et ordo tertius ligurius. Dicitur iste lapis prætiosus hebraicè lesem, quem diuus Hieronymus ligurium vocat sequens Iosephum, quem Plinius lib. 37. ca. 4. non ligurium sed lingurium appellat, dicitq; esse gemmam è lincis vrina coactam, de qua Sanctes dicit, se hic copiosè scripsisse, cuius scriptura nondum ad nos peruenit. Significatio nominis meo iudicio ignota est, neque est coniectura, ad venandam propriam significationem, quoniam rara est in scriptura dictio.

Achates. Hebraicè appellatur lapis iste sebo, & si radix nominis est sabah quod est captiuum ducere, inde petenda est significatio aut saltem allusio, & fortè à strictione sic dicetur. Septuaginta etiam achates vertunt. Thargum tharcheia, valdè ignota est significatio. Rabbi Dauid scribit eius colorem declinare ad hyacinthum, id est, aereum siue ceruleum.

Amethistus. Dictio hebræa aehlamah, à chalam quod est somniare ortum habere videtur: vnde dicunt Hebræi significare lapidem, quem qui in digito gestat: semper videbit somnia: sed timeo hoc esse Hebræorum fictionē: harabicè appellatur alchalmah, vel ahalamah. Sequentes Chaldæum, dicunt esse lapidem, qui oculi vitulini similitudinem præ se ferat. Certum est, incertam esse nominis significationem.

Ordo quartus Tharsis, Onychinus, & Berillus.

De Tharsis nulla est ambiguitas, quoniam nomen in hebræo ponitur. Quidam pro Tharsis vertunt chrysolitum sequentes Septuaginta interpretes, Rabbi Dauid Chimmi dicit esse cerulei coloris: & videtur à matri: vnde proneuit, nomen suum esse sortitum. Sanctes in lexico dicit, eius colorē declinare ad colorē hyacinthi, ad quod citat Rabbi Dauid pag. 24. 29. Hiero. & Aquila, chrysolitū, Symmacus hyacinthū, septuaginta

Ezechie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ezechielis decimo, nomen tharsis, carbunculum vertunt. Radix nominis, scilicet rasas, aut rus significat pauperare, depauperare. Danielis. 10. habes. Et corpus eius sicut corpus tharsis. Et Ezechielis decimo. Aspectus rotarum sicut color lapidis tharsis. Dictio etiam soham, quam omnes hic ferè onychinum vertunt, ignotæ significationis est, vt sæpius diximus, communiter tamen dicitur esse coloris vnguis humani. Tertius, scilicet Iaspis notus lapis est, & communis, & in hebræo dictio ponitur, scilicet, Iospeh. Septuaginta berillum vertunt.

Inclusi auro erunt, in plenitudinibus suis.

Vocat plenitudines lapidum, loca seu palas quibus includebantur, quæ inclusoria erant aurea: ac si dicat. In suis inclusoriis aureis inclusi erunt lapides, aut in plenitudinibus suis, id est, in locis quæ implere debēt.

Lapides erant iuxta nomina filiorum Israel, id est tot erunt lapides, quot sunt nomina filiorum Israel, quoniam in quolibet lapide erat suum nomen.

Apertionibus sigilli erit, vir iuxta nomen suum, duodecim tribus, id est, cuiuslibet viri nomen erit sculptum in lapide, sculptura sigilli, sic vt sint duodecim tribus.

Facies in pectorali catenas termini, opere perplexo.

Admonui hoc eodem capite, huiusmodi catenas fuisse veluti lymbum pectoralis, quæ terminabant ipsum, quemadmodum in extremitatibus operis, seu artificiati solent poni, aut flores aut aliquid simile, quod nostri vocant cercadura, quod per circuitum artificiati ponatur. Et quod sequitur

Opere perplexo, significat catenas huiusmodi fuisse innicem ligatas, & perplexas.

Facies in pectorali duos annulos aureos.

Debebat pectorale, in angulis superioribus habere duos annulos aureos, quibus suspendebatur ad alios annulos, qui erāt in ephod. Et in his duobus annulis, ponendi erant duo funiculi aurei, quibus ligabatur pectorale, cum superhumerali seu ephod. Et in extremitatibus superhumeralis, id est super humeros eius: ponendæ erant duæ funium extremitates, quæ extremitates ligandæ erant cum funiculis pectoralis, & similiter ad inclusoria lapidum, quæ erant super humeros ephod. Et quod dicitur, contra faciem eius, scilicet superhumeralis, significat huiusmodi funiculorum extremitates ponendas à parte superiori ipsius superhumeralis: non ab inferiori. Posset etiam intelligi huiusmodi extremitates funiculorum qui erant in pectorali non esse diuisas ad inuicem, sed sermonem hic esse de extremitatibus funiculorum, qui erant super annulos pectoralis, quę extremitates erant ligandæ ad inclusoria superhumeralis. Et per inclusoria possemus intelligere palas lapidum onychinorum, qui erant super humeros ephod, & posset esse iste verborum sensus.

Duas extremitates, duorum funiculorum, scilicet pectoralis, seu qui ligati sunt ad annulos pectoralis, pones in duobus inclusoriis superhumeralis, contra faciem eius scilicet superhumeralis.

Difficilis locus. *Et facies duos annulos aureos, & pones eos, in duabus extremitatibus pectoralis, in labio ipsius (seu in ore ipsius) in latere superhumeralis intrinsecus.*

Loquitur modo de aliis duobus annulis, in angulis inferioribus pectoralis, aut in lateribus sub brachiis existentes, qui annuli cum suis funiculis ligabantur ad annulos ephod. In latere, id est, versus latus superhumeralis. Et quod sequitur, intrinsecus idem est quòd à parte interiori ipsius superhumeralis, aut in latere superhumeralis intrinsecus, id est, interioris. Erat enim duplex ephod, scilicet superius & inferius. Habebat enim pectorale quatuor annulos in quatuor angulis seu lateribus suis cum suis funiculis, quorum duo ligabantur in parte superiori superhumeralis, alij verò duo ad latera ipsius superhumeralis, seu ephod. Quod mihi hac in re scrupulum ingerit, est, an isti annuli essent in angulis pectoralis inferioribus, vel potius inter angulos, propè eos tamen, quoniam textus nihil de angulis loquitur, sed de extremitatibus.

Facies duos annulos aureos, & pones eos in duobus lateribus superhumeralis inferne, è regione faciei eius contra coniunctionem eius super excogitatum superhumeralis.

De duobus annulis superhumeralis nunc loquitur, ad quos funes seu vitæ, quæ erant in annulis lateris pectoralis ligandę erant, & quia huiusmodi annuli erant in latere superhumeralis, infra humeros, ad quos ligabatur pectorale à parte superiori, ideò in litera dicitur inferne. Placet tamen hic exprimere totum hebraicum textum, vt iacet in hebræo: vt ex eo eruere possit prudens lector: genuinum eius sensum. Est autem hic hebraismus.

Facies super pectorale duos circulos auri, & dabis duos circulos super duas extremitates pectoralis. Et dabis duos fines auri, super duos annulos ad extremitates pectoralis. Et duas extremitates duorum funiculorum, dabis super inclusoria, & dabis super humeros aut latera ephod, seu superhumeralis, ad eregionem seu præcisionem faciei eius. Et dabis duos annulos, scilicet alios *auri, & pones illos super duas extremitates pectoralis super labia ipsius, quæ sunt ad transitum, aut è regione ephod intrinsece seu ad intrinseco. Et dabis duos annulos auri, & dabis illos super duos humeros aut latera ephod inferius è regione faciei eius ad coniunctionē ipsius desuper ad ingeniosum ephod, & stringent pectorale ab annulis eius, ad annulos ephod vitta hyacinthina, vt sit supra excogitatum ephod, & non separetur pectorale à superhumerali seu ab ephod.*

Et sensus, meo iudicio, germanior est, quòd fecturus esset duos annulos ponendos super duas extremitates pectoralis, videlicet super angulos, & super extremitates lateris superiores, in quibus annulis funiculi aurei ligati erant, quorum funiculorum extremitates ligabantur ad inclusoria seu palas, scilicet, lapidum superhumeralis ad latera ephod seu superhumeralis, è regione facici eius, quàm scilicet, respiciebat pectorale. Erant alij duo annuli super alias duas extremitates, scilicet pectoralis è regione ephod, scilicet ad cingulum. Erant & alij duo annuli in superhumerali super latera ephod inferius, ad quos ligabatur pectorale ad cingulum seu ad latera ephod. Duo sunt quæ locum difficilem reddunt. Alterum quia dicitur in textu, ad duas extremitates, per quas duos angulos aliqui interpretantur, & forte non significantur anguli. Secundum quia dictio cheteph quam humerum sumus interpretati, dubiæ significationis est apud Hebræos, dicentes significare humerum, latus, & angulum: & quod horum propriè significet ignorant, humerus tamen hic magis conuenire videtur. Et quod dicitur.

Iungent pectorale, aduerte verbum hebraicum rachas non esse ple notum Hebręis, & licet communiter dicant significare iungere, inuenitur tamen significare eleuare, quam significationem etiam noster Sanctes illi tribuit in lexico, & nomen ruchas quod ab eo derivatur, superbiam seu eleuationem significat. Psal. 31. vbi habetur. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ: meruchse, id est à superbiis viri. Sic Isaiæ. 40. Erunt torta in rectitudinem, & harechasim, id est excelsa in planiciem. Vnde verti hic posset. Et eleuabunt pectorale, ex annulis ipsius ad annulos superhumeralis.

Filo hyacinthino. Variant valdè Hebræi, de significatione verbi patal, à quo petil, quod filum hic Sanctes vertit. De cuius significatione, abundè disputauimus Geneſis trigesimo, & vt ibi probauimus, significat verbum, tortum esse, & inuolutum, & similiter nomen, tortum & inuolutum, & exinde filum tortum vnde benè vertitur. Filo hyacinthino, & verti posset, torto hyacinthino.

Dabis in pectorali iudicij: haurim & thumim.

Ignorant omnino tam nostri quàm Hebræi, quid istæ dictiones, scilicet vrim & thumim significent, de quibus sic dicit Chimi in libro radicum. Non est (inquit) manifestum apud nos, quid ista significent. Videntur enim aliud esse, quàm lapides pectoralis. Rabbi Selomoh dicit, fuisse scripturam nominis expositi, id est Iehouah, quam ponebant inter plicas pectoralis, per quam lucere faciebat & perficiebat verba sua Deus.

Sed

Sed veritatem (inquit) ignoramus. Hieronymus vbique vertit doctrinam & veritatem, qua in re Septuaginta interpretes sequitur, qui interpretantur, declarationem & veritatem. Alij verò dicunt fuisse opus, non artificum sed Dei & Moseh, in quo summus sacerdos percipiebat, quid Dominus super vnamquamque tribum iudicaret. Ad quod eitant quod habetur Numeri vigesimoseptimo. Et stabit ante Eliazar sacerdotem, qui consulet pro eo iudicium vrim coram Domino. Fingunt etiam hic Hebræi modum & dispositionem, cùm sacerdotis, tum etiam hominis per eum inquirentis. Si huiusmodi delectaris, lege Iosephum libro tertio antiquitatum capite duodecimo, & Suidam. Dicam & ego quid sentiam, præmittendo duorum nomium significationes, ex radicibus suis. Et primum scilicet vrim, est plurale, vr, quod ignem significat aut flammam seu lucem: vt patet Isaiæ trigesimoprimo vbi dicit. Dixit Dominus, cui vr, id est, flamma, seu lux aut ignis est in Sion. Et capite quinquagesimo eiusdem. Venite beur, id est in flamma aut luce ignis vestri. Item Geneſis decimoquinto. Ego Dominus, qui eduxi te de vr, id est igne, aut flamma Chaldæorum. Vnde meurah, id est, senestra seu foramen, per quod lux domum ingreditur. Isaię vndecimo. Et super meurah, id est, foramen teguli. Et verbum or, à quo omnia hæc nomina oriuntur, significat lucere, & in secunda & tertia coniugationibus, illuminare, vt patet primo Samuelis decimoquarto, vbi dicit Ionathas. Quod oru, id est illuminati sunt oculi mei. Et Isaiæ sexto. Surge ori, id est illuminare Ierusalem. Significat ergo vrim, si non est dictio quadrata sed plurale vr, luces vel flammas seu illuminationes. Erit ergo hic vertendum. Dabis in pectorali iudicij, id est memoriæ vrim, id est, luces seu splendores, per quos nihil aliud intelligo quàm prætiosos lapides fulgentes & rutilantes, qui erant super pectorale. Sequens verò dictio, scilicet, thumim, à thamam, quod est perficere & complere, ot tum habet, vnde thumim perfectiones & completiones significat. Quod verò thamam significet perficere patet Geneſis quadragesimoseptimo. Si tam, id est, perfectum aut completum est animal, id est si amplius animalia non habetis. Sic Threnorum quarto. Tam, id est, perfecta est iniquitas tua. Nomen verò thumim quod hic ponitur, inuenitur Esdræ secundo, vbi dicitur. Donec stet sacerdos leurim vlethumim, id est, habens splendores & perfectiones, scilicet lapidum. Sic Nechemiæ septimo & Deuteronom. trigesimotertio, quo in loco dicitur. Ad Leui dixit. Tu mecha veurecha, id est perfectiones tuæ, & splendores tui. Per thumim ergo nihil aliud intelligo quàm completum lapidum numerum, seu loca impleta lapidibus, & est sensus clausulæ. Dabis ad pectorale iudicij seu admonitionis haurim, id est splendores seu lucentes aut flammantes, scilicet lapides: perfectiones seu completiones, scilicet lapidum, aut completos & perfectos lapides: & iste (meo iudicio) est planus & suauis literæ sensus. Est ad hoc, quod capite vigesimoquinto huius libri, huiusmodi lapides vocantur lapides plenitudinum, seu completionis, quòd scilicet complerēt & implerent totum pectorale. Omitto quod alij afferunt, nullam videlicet fieri mentionem de fabrica vrim & thumim, sicut de aliis etiam minutissimis, quod non fieret si res tanti momenti esset, & ab aliis distincta. Ad id verò quod ex Numeris citatum est, vbi videtur innui fuisse rem per quam sacerdos iudicabat, dicendum quòd cùm dicitur, consulet pro eo in iudicio haurim, sensus est, cum pectorali iudicij in quo sunt splendores, scilicet lapidum, seu cum splendoribus qui sunt in pectorali iudicij. Sic quod hic inferius dicitur. Et portabit Aharon, iudicium filiorum Israel, id est pectorale iudicij, aut memoriale. Fingunt hic Hebræi mirabilia mendacia, qualiter lapides eleuarētur secundum diuersitatem iudiciorum, quæ si vacat, & huiusmodi delectaris, vide Fagium super hunc locum.

Facies pallium totum hyacinthinum.

Dictio hebraica meil, dicitur ab Hebræis deriuari à maal, quod est præuaricari, mentiri pactum, iuramentum aut promissum. Iehosuach vigesimosecundo. Nonne Hachan filius Zerach maal maal, id est præuaricatus est præuaricationem, id est, non stetit decreto meo de anathemate? Sed meil, nihil ad hanc significationem habet communicationis, & forte est potius ab alah, quod est ascendere, quàm à maal. Dicunt autem Hebræi, nomen meil significare pallium ornatum, aut gloriosum: sed (vt mea fert sententia) potius significat tunicam vtcunque strictam, clausam totam, cui significationi argumēto est, quòd dicitur primo Samuelis secundo, vbi habetur. Vmeil chaton, id est, & tunicam paruam faciebat ei mater eius. Pallia enim non erant tam apta ministris, quàm tunicæ vtcunq; strictę. Videtur autem fuisse clausa, ob id quod dicitur Iob. 1. Et scidit & meilo, id est tunicam suam, quæ si à parte anteriori scissa esset, nō scinderetur. Et erat vestis, quā non solum sacerdotes, sed etiam seculares vtebantur: vt patet Iob primo, & primo Samuelis. 15. de Saule, & secundo, capite. 13. de filiabus Regis. Hic significat tunicam, quæ erat sub ephod seu superhumerali. Si tamen pallium vettas non reiicio interpretationem, præsertim quia statim textus tunicæ meminit. Quod autem sequitur, totum hyacinthinum, dictio chelil significat integrum perfectum & impletum, vt patet Threnorum secundo. Hæc est ciuitas, de qua dicēt chelelat, id est perfecta decore. Inde chalah, id est, sponsa, quòd in die desponsationis suæ sit perfecta, & impleta, ita vt nihil illi deesse videatur.

Erit os capitij ipsius in medio eius.

Vocatur os capitis huius tunicæ foramen, per quod caput ingrediebatur, dum sacerdos induetet. Et quod sequitur.

Labium erit ad os eius, id est, limbus erit circundans os ipsius, ne scilicet facilè rumperetur: vt textus indicat.

Opere texentis. Non debebat huiusmodi limbus, seu labium oris, ex assutis fieri pannis, sed opere ipsius texentis: vt fortius esset. Vbi aduerte Hebræos dicere, *diction* ereg significare rādium texentis, propter illud Iob. 7. Dies mei, velociores fuerunt mini areg. id est præ radio textoris, sed meo iudicio, significat omne id quo aliquid inuoluitur, sicut est fusus, & lignum quo texens inuoluit textum pannum. Nam de Samsone habes Iudicum. 16. Profectus est cum clauo aereg, id est, inuolutorij, id est quo crines erant inuoluti.

Sicut os loricæ. Dicunt Hebræi tachara significare loricam, sed meo iudicio, propriam significationem ignorant, neque est certa coniectura ad eam inueniendam.

Facies super fimbriis eius mala punica.

Dubium est, an huiusmodi mala punica fuerint acupicta in huiusmodi tunica, vel potius separata, quemadmodum tintinabula, & ad eam suspensa, & textus innuit fuisse potius acupicta, & est sermo de inferioribus fimbriis. Quod autem sequitur. Et mala punica. Dictio rimon significat propriè malum punicū, quod nos Lusitani vsque hodie etiam vocamus romam, ab Hebræis forte mutuati nomen.

Tintinnabulum aureum, & malum punicum.

Dictio paamon, id est tintinnabulum à paam, quod est frequentatis ictibus aliquid contundere, ortum habet, vnde paamon, id est tintinnabulum, quod frequentatis ictibus pulsetur.

Super fimbriis vestis per circuitum.

Quia textus dicit huiusmodi malogranatā, & tintinnabula fuisse super fimbriis vestis, dubium est an essent tintinnabula assita, vel potius suspensa, neque magni intelligas sed parua. Si quæras quare Dominus volebat sacerdotem ante ingressum audiri. Dico, hoc ad Dei grauitatem pertinere. Nam quemadmodum nemo audet intrare domum alicuius magni domini furtiuè, sed ante ingressum pulsat, sic nolebat Dominus quempiam eius domum intrare, nisi pulsaret & audiretur primum.

Facies laminam auri mundi. Tam varias tribuunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hebræi significationes verbo saias, à quo sis, id est lamina: vt hoc indicio se propriâ vocem ignorare ostendant. Dicunt enim significare florere, aspicere, ostendere, splendere, seu scintillare. Nomen verò sis, significare putãt florem, laminam, alam, sisit verò fimbriam vestimenti, cincinnum capitis, & ita varia est nominis significatio, vt nescias quæ tibi sit in hoc loco deligenda. Pensatis tamen locis quibus nomen ponitur, videtur significare id quod in panno de textura remanet, villos inquam, quos nos vocamus cadillos: cum extremitatibus à quibus pendent, & secũdo huiusmodi extremitates, & ex consequenti pennas alæ, aut alam ipsam, quasi ex multis subtilibus pennis contextam, & vt vnico verbo dicam, significat aliquid subtile veluti subtegmen, in quo sunt multa filã veluti capilli, nõ tamen texta sed in marginibus alligata. Hinc etiam sisit, id est cincinni seu capilli capitis, qui sunt veluti subtegmen vt patet Ezechielis. 8. Accepit me besisit, id est in cincino capitis mei. Videtur etiã laminam significare, quia erat quasi extremitas seu limbus mitræ sacerdotalis. Significat autem florem, quoniam flores solent poni in extremitatibus & marginibus pannorum, quoniam vt diximus, dictio sis, significat proprie limbum, marginem, seu terminum cuiuscunque rei, & ex consequenti illa quæ in terminis seu marginibus poni solent, vt flores, Isaiæ. 40. habes. Concidit ses, id est flos, de significatione verbi magis dubito, videtur tamen significare egredi vt flos, prominere, & extendere se, quemadmodum se extendit aut prominet virga, cùm ab arboris trunco egreditur, aut folia cùm extendunt se. Nam Ezechielis, 7. habes. Sas, id est extendit se virga, scilicet iam ad percutiendum, vbi nostri vertunt. Floruit virga, prior tamen expositio cõtextui magis quadrare videtur. Præcedit enim. Ecce dies, scilicet punitionis, ecce venit, egressa est sententia, extendit se virga, germinauit superbia aut eleuatio, punitio surrexit in virgam perentientem impietatem Item Cantico 2. En ipse stans post parietatem nostrum prospiciens è fenestris, messis, id est prominens è cancellis, aut ex inuolucris. Significatio tamen propria non omnino mihi certa est, quam cùm certiores coniecturas nactus fuero, indicabo. Potes ergo hic laminam vertere, aut si malueris florem. Infra vocatur nezer, quod hic dicitur lamina seu sis, significat autem nazar separare. Erat autem huiusmodi lamina filo hyacinthino aut fune suspensa à superiori (vt reor) parte mitræ, seu cidaris sacerdotis, pendebatq; super frontem ipsius, in qua sculptum erat literis sigilli. Sanctitas Domino. Et quod dicitur.

Eregione mitræ erit : hunc habet sensum, quòd huiusmodi lamina locanda esset, super exteriorem partem thiaræ, quæ facies eius dicitur. Scriptura verò laminæ, hunc sensum habere videtur.

Sanctitas Domino : i. sit Dominus sanctus seu mundus, & separatus ab omni immunditia. Aut munditia tribuatur Domino, qui solus mundus est. Aut tertio lamina hæc sit Domino applicata: sed prior expositio germanior videtur. Vel quarto, meminerit sacerdos vt sit Domino sanctus, id est separatus ad omni immunditia, & hunc sensum sequẽs clausula probat qua dicitur. Erit super frontem Aharon vt portet iniquitatem, id est, pœnam iniquitatis quæ committitur in sanctificationibus filiorum Israel, ac si dicat. Erit summus sacerdos sanctus Domino, quoniam si talis non fuerit, portabit pœnam iniquitatis.

Erit supra mitram . Dictio misnephet, id est, mitra aut cidaris, significat ornamentum quod capiti inuoluebatur: sed cuiusmodi fuerit ignoratur. Quod verò capiti inuolueretur cõstat ex eo quod Nume. 16. dicitur. Vbenisnepher, id est, Et cidari linea inuoluet se. neque eius vsus erat solummodo sacerdotum, sed etiam fœminarum, vt dicitur Isaiæ. 3. Et syndones vehaseniphod, id est, & cidares: vbi de muliebri cultu sermo est.

Et erit super frontem Aharon. Nomen hebraicum metsach, Hebræis significat frontem, & oream ærea.

Et prioris significationis sunt multa exempla fere. 5. Vmetsach, id est, frons mulieris meretricis fuit tibi
Secundæ verò illud quod Samue. 17. Vmiscat, id est & ocrea æris in pedibus eius, scilicet gigantis.

Erit supra frontem Aharon, vt portet (sed leuet) iniquitatem sanctificationum, quas sanctificabunt filij Israel in omnibus donis sanctificationum eorum.

Difficilis vtcunque est sensus horum verborum, videtur tamen esse iste. Cùm Dominus debeat esse sanctus seu impollutus, & nihil immundum debeat illi offerri, quidquid immunditiæ fuerit in sacrificiis vel oblationibus Domini, vitio Aharoni dabitur, cuius muneris est hęc dispicere, qui prò ea re dabit pœnas, & videtur accipi in textu iniquitas pro pœna iniquitatis, ita quòd portare iniquitatem sanctificationum est portare pœnam immunditiæ vel defectus, si quis esset in rebus Domino sanctificatis. Non enim in rebus Domino sanctificatas saltem in animatis poterat esse immunditia culpæ, ideò melius pœnam vertas.

Et erit supra frontem eius iugiter, ad beneplacitum eorum coram Domino, id est, vt ipse aut munera ipsa, benè Domino placeant. Non enim munera peccatorum placent, neque Aharonis placebant, nisi esset sanctus Domino, quod præ se ferebat lamina illa, quam super frontem gestabat.

Stringes tiaram byssinam & facies mitram byssinam. Verbum sabats quod stringere vertit Sanctes: significat (vt hoc capite iam diximus) includere maximè stringendo quemadmodum prætiosi lapides in annulis includuntur. Multi ex Hebræis vertunt, ocelabis, id est ad modum oculorum includes. Includuntur autem lapides in auro, veluti oculi in foraminibus suis. Et tunica hæc descendebat ad talos, & erat sub ephod summi sacerdotis.

Et cingulum facies, opere acupicto.
Significat dictio abner, cingulum quod cingit seu stringit femoralia, hic verò significat vittam acupictam qua cingebatur tunica.

Cingulus & pileos facies eis, scilicet *filiis Aharon.* Non est eadem dictio, quæ significat mitras, & huiusmodi pileos. Nam migbaot, id est pilei ab eleuando ortum habent. Est enim geba collis, & ita significat aliquid eleuatum. Non sic misnephet, quod significat inuolucrum capitis, vt diximus. Vnde misnephet videtur significare capitergium non eleuatum: migbaot verò pileos seu mitras eleuatas.

Ad gloriam & decorem. Diximus hoc eodem capite de significatione duarum dictionum hic positarum, & vertimus. Ad grauitatem & pulchritudinem.

Implebis manus eorum. Nihil aliud erat huiusmodi manuum impletio sacerdotum, quàm implere manus eorum sacrificiis Domini. Cùm enim sacerdotes initiabantur, oportebat eos manibus suis portare Domino munera, qui eos ab omni alio populo segregatos sibi ministros delegerat. Sunt qui putant huiusmodi manuum impletionem, vnctionem qua manus eorum vngebantur fuisse. Sed quia vnctio præcedit, non videtur per impletionem manus, intelligenda vnctio. Dicit enim textus. Et vnges eos, & implebis manus eorum, nisi intelligas, implebis manus eorum, scilicet vnguento. Sanctes noster vertit. Et consecrabis manus eorum.

Fac eis fœminalia lintea. Dictio canas, colligere significat, vnde michene sagim, id est fœminalia quasi colecta, quòd colligantur dum stringuntur. Aut quia duę eorum alę, ad inuicem congregentur, vt dicit Rabbi Selomoh.

Ad operiendam carnem turpitudinis suæ.
Hebraicè. nuditatis eius. Vocant enim Hebræi pudenda: nuditatem. Leuit. 18. Non reuelabis nuditatem patris tui, id est pudenda vxoris eius, seu matris tuæ.

Et non ferent iniquitatem, id est, pœnam iniquitatis, quod statim explicat dicens. Et morientur. Quasi pro eodem reputet ferre iniquitatem & mori.

Statutum perpetuum ipsi, scilicet induere se prædicto modo, & facere cuncta quæ illi præcipiuntur hic.

CA-

CAPITIS. XXVIII. AD MORVM compositionem.

Appropinquare fac ad te Aharon fratrem tuum.
Ad quid Domine Deus, ducis fratrem, sacerdotem constituis? Turbari solet ecclesia maximè & respublica Christiana, cùm inter principes & sacerdotes nõ conuenit. Et vice versa, videmus concordiam in populo summam, cùm inter Reges & sacerdotes fuerit pax, qua de causa voluit Dominus ex Germanis, alterum Ducem, alterum verò summum facere Sacerdotum.

4. Reg. 12. Omni enim tempore quo rex Ioas sequutus est consilia Ioiadæ summi sacerdotis, optimè præfuit, cùm verò ab eo recessit, defecit, & regnum eius maximè turbatum est. Vbi simul disce, quondam principem instituisse sacerdotes, sed ex imperio Domini, neque putarem Moseh veluti principem fratrem & nepotes constituisse sacerdotes: sed vt sacerdotem, de quo in Psalmo habes. Moseh & Aharon in sacerdotibus eius.

E medio filiorum Israel.
Duo hic aduertere licebit. Alterum non fuisse quondam sacerdotes intrusos, neque eos qui se ad hoc munus ingerebant admissos: sed à deo electos, & vocatos ex nomine. Magnam enim in ecclesiæ gloria, maculam dedit, sine delectu sacerdotes admittere. Alterum non fuisse admissos ex aliena gente seu populo. Debet enim, qui pro aliquo orare debet, eum diligere, vt ferventius oret. Nosti qualiter Sunnamitis illa Helisęum sanctum pro filij salute & vita interpellauerit, quot clamorss etiam euangelica illa Chananæa pro liberanda à Domino filia apud Christum emiserit, neque nisi obtenta filiæ sanitate ab eo recessit. Tertio aduertes, quid sancti consanguineis valeant. Videns Cap. 11. enim Iesus (vt Ioannes narrat) flentem Martham & Mariam sororem eius, manum ad Lazari fratris suscitationem admouit. Non ingredietur (ait Dominus de 4. Reg. 19. Rege Assyriorum) huc, scilicet in Ierusalem, neque iaciet in illam sagittam, sed protegam eam, propter me & propter Dauid seruũ meum. Sic & propter eum, dedit Dominus tribui Iehudah lucernam in Ierusalem. 3. Reg. 11. Apud Isaiam etiam habes orantem Prophetam. Ecce inquit iratus es postquam peccauimus, propter ipsos instos, in seculum salui fuimus. Quemadmodũ enim nihil est consanguineis & patriæ perniciosius iniquis: ita nihil eis est iustis vtilius. Audi quid sanctus Isaias de iniquis dicat, sub typo regis Assur. Non vnies (inquit) te cum eis: videlicet Patribus tuis in sepultura. Cap. 14. Sed quare? Quia terram tuam disperdidisti, populum tuum occidisti, non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate (inquit) filios eius occisioni, propter iniquitatẽ Patrum eorum. Et vt vnico verbo duo hæc concludam, aduerte qualiter Dominus pollicitus sit. Sic & hic se visitaturum mala parentum in tertiam & quartam progeniem, & misericordiam se facturum in mille generationes, eorum qui diligunt eum. Sic & hic credendum, sanctum Domini Aharon, in sacerdotem ob fratris sanctitatem electum.

Facies vestes sanctas Aharon. Non vult Dominus nos videre, nec, sacerdotes suos, vestimentis propriis sed sanctis indutos, neque contentatur videre sacerdotem, vnica veste sed pluribus tectum. Immunda & prophana sunt omnia nostra coram Domino: ideò si illi placere volumus, eius indumentis vestiri necesse est. Audi quid Paulus dicat ad Galatas. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non inquam masculus aut fœmina. Tolle Christum veste, & iam Iudæos à Gentibus discriminatos prospicies: sed si eos consideres Christum indutos, iam non erit quo Barbarum à Iudæo seu Græco distinguas. Induit Gen. 27. Rebecca Iacob filium suum vestibus bonis Esau, & patrem cæcutientem vestibus fratris indutus, decepit Iacob. Si ergo hominibus vti debet Deus, eos primũ inunctos oleo suo esse oportet, vt nõ odorẽ nostrum, sed suum Dominus in eis odoretur. Est & aliud quod aduertere debeas, non solum patrem sed filios in sacerdotes adiungi, vt doceat à pueris in sacerdotes institui debere. Mirum valdè est, quòd sartorem, calcificem, & alias machanicas artes à puero discas, sacerdotem autem & Episcopum vir & nonnunquam senio confectus agere non verearis.

Loquere ad omnes sapientes corde.
Sapientia nostra ait Paulus, stultitia est apud Deum: ideò opus est, vt ipse sapientes faciat, quos diuina ope rari disposuit. Sed quemadmodum (vt diximus) tabernaculi exemplar è cœlo est, ita & sapientes qui instrumenta ministrorum sunt facturi è cœlo edoctos esse oportet. 1. Cor. 3.

Facies vestes Aharon ad sanctificandum eum.
Solet homo vestes sanctificare, si sanctus sit, hic verò vice versa, vestes sacerdotes sanctificant, & admonentur hic sacerdotes, vt cùm se sanctis vestibus indutos viderint, reminiscantur se ad Dei potius quam hominum familiam pertinere.

Accipies duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel.
Quid sibi, bone Deus, volunt omnia hæc? Ad quid filiorum Israel nomina in prætiosis lapidibus sculpta, & deportata in humeris sacerdotis tui? Audiant hoc pontifices, audiant sacerdotes, quali animo ferre oues suas debeant, & super humeros suos infirmas portare. Audiant quid pastor ille euangelicus, perditæ ex grege fecerit oui. Super humeros (inquit) suos imposuit Luc. 15. gaudens, amicos & vicinos conuocauit ad gaudium inuentæ pecudis. Sic & idem apud Isaiam habes. Sicut (inquit propheta) pastor gregem suum pascet, Isa. 40. brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Sed quid nunc dicam, de sacerdotum & pastorum sæuitia. Pro eo (ait Dominus) quòd Ezech. 34. in latus & in humerum impulistis, & cornibus vestris cornupetebatis omnes infirmas, donec dispergeretis eas foras: seruabo pecudes meas. Expende quæso pastorem & pastores. Ille super humeros portat, isti humero eas impellunt, ille sinu suo fouet, isti latere suo excutiunt, ille fœtas ducit, isti cornibus ventillant: ille congregat, isti dispergunt. Et aduerte sacerdotem veteris legis solum nomina super humeros & pectus portasse: nouæ verò legis pastor, re ipsa nostram ouem super humeros portat, vt scias vmbram præcessisse veritatem. Vbi etiam aduerte, non atramento, sed stilo ferreo, nomina filiorum Israel super lapides inscribi, vt nouerit diuinus sacerdos, nullam oblitionem debere delere memoriam ouium suarum apud Deum. Sed quia fortè ad latera nomina earum habens, dissimularet: voluit ea etiam super pectus habere, vt quocunque se verteret, semper ea ob oculos haberet. Vbi sunt qui rixosis, & cõtentiosis disputationibus antistitem à suis ouibus auferte conãtur, & ouibus suis perpetuo abesse posse affirmant? Aduerte etiam sacerdotem in summa, nomina earum super humeros portasse, in pectore verò seorsum: vt discat sacerdos non sufficere summatim pro omnibus ouibus preces effundere, sed quasi pro vnaquaque nominatim orare debere. In lapidibus autẽ prætiosis adumbratum cerne, quàm prætiosa debeant esse nomina ouium apud antistitem. In ordine verò nominum, ordinatas debere esse pontificis preces deprehendes.

Accipiet Aharon iudicium filiorum Israel coram Domino. Causas populi coram Domino agere debet sacerdos, & illorum iudicium super se portare, vt cognoscat se pœnas daturum pro delictis populi.

Facies tintinnabula aurea in fimbriis.
Ad quid Domine vis, sacerdotem tintinnabulorum strepitu intrare & exire domum tuam? Vt audiret populus eius ingressum & egressum & pro eo oraret, aut vt Dominus eius recordaretur in ingressu & egressu, & non occideret eum quasi furem latenter ingredientem aut egredientem.

Facies laminam in qua scriptum sit. Sanctitas domino.
Talis debet esse sacerdos Domini, vt videntes eum in eius fronte sanctum Domini esse cognoscant, vt ipse

Universidad de Deusto
Biblioteca

se sanctum Dei cognoscat, id est impollutum & ab immunditiis segregaret se.

Fac eis fœmintalia lintea. Quàm honesti debeant esse ministri Dei, locus iste ostendit, vt nihil turpitudinis eorum appareat, sed omnia tecta sint, maxime coram Domino.

CAPITIS. XXIX. IVXTA LITERAM ANNOTATIONES.

Hoc est verbum quod facies, id est, hoc est præceptum quod opere adimplebis. Aut hęc est res quã facies. Incipit hic Dominus tractare sacrificia, quibus initiandi sacerdotes erant.

Accipe iuuencum filium bouis. Putat Rabbi Dauid nomen par, id est iuuencus, non solùm iuuencum, sed etiam senem bouem significare, cuius sentimentum locus iste probare videtur, quoniam addidit filium bouis, ad designandum iuuenem bouem seu iuuencum. Alij arbitrantur phrasim esse hebraicæ linguæ, sicut hircus caprarum, id est filius caprarum, seu vnius ex capris. Hieronymus vertit, tolle vitulum de armento, seu filium armenti aut bouem, id est, vnius ex bobus armenti, quemadmodum diceretur. Tolle agnum de gregę. Mihi verò illorum sententia magis probatur, qui linguæ idiotismum esse putant, quemadmodum Numeri septimo sæpius repetitur, filius caprarum, & alio in loco filius columbę. Non tamen illorum reicio sententiam, qui putant discriminis causa additum esse, filium bouis, quoniam paruum bouem seu vitulum, Hebræi vocant egel.

Et arietes duos. Admonui non semel, dictionem hebræam elim, non qualescunque arietes, sed solum fortes significare, seu (vt dicit Rabbi Dauid) qui iam annum transierint, quoniam dictio el, a qua elim, significat propriè fortitudinem, seu fortem. Quod autem sequitur.

Immaculatos. Dictio hebraica temimim, significat propriè completum & perfectum, quare melius vertas, perfectos seu completos, quibus scilicet nihil desit. Non sint manci, neque debiles, aut infirmi, neque reputabatur macula velleris.

Placentas infermentatas mixtas oleo.

Significat chalot propriè, id quod primum ex pasta desumitur, quod alij libum vocant, iuxta illud Pauli. Quòd si delibatio sancta, & massa. Videntur autem huiusmodi placentæ oleo mixtæ fuisse, quas vocamus vulgariter bollos dazeite, nõ qualescunq;, sed qui ante fermentationem ex pasta fieri solent.

Lagana infermentata vncta oleo.

A verbo rachach quod est attenuare, aut tenue esse, derivatur nomen rachich, quod significat quid tenue vel subtile. Vnde Genesis quadragesimoprimo habes. Rachot bassar, id est, tenues carne. Inde etiam roch, id est execratio vel sputum, sic à tenuitate dictum, & putarem crustulas, quoniam textus non dicit mixta, sed vncta oleo. Aut potius panes frixos, quos Itali fritellas vocant, nos verò filhoos, quorum pasta antequam in frixorio decoquatur, oleo perungitur, & subtilissima est.

Ex simila triticea facies ea.

Significat nomen hebraicum solet, Hebræis farinæ purgatissimæ flotem, de qua apud Martialem. Nec poteris similæ dotes numerare, nec vsus. Et Genesis decimooctauo, dicit Saræ Abraam. Accelera tria sata, farinæ solet, id est similæ seu purgatissimæ. Omnia enim quæ Deo erant offerenda, oportebat esse mundissima.

Dabis illa super sportam aut canistrum vnum, & appropinquare facies ea in sporta, & iuuencum, & duos arietes.

Verbum salal, à quo nomen sal, id est sporta, significat propriè terere, & tritum esse, quemadmodum via per quam multi incedunt & frequens, dettita esse solet. Hebræi dicunt sed non rectè (meo iudicio) significare eleuare. Nam vbicunque ipsi eleuare vertunt, multo melius quadrat conculcare, seu calcare, assuescere, quod multis exemplis probauimus. Nam Prouerbiorum decimoquinto habes. Semita rectorum seluiah, id est assueta, detrita, in qua nullus errare potest, quod Hieronymus vertit, Absque offendiculo. Et clarius Ieremiæ decimooctauo. Impingere fecerunt eos Prophetæ eorum: vt relinquant semitas longi temporis: vt ambulent per semitas viæ non selulah, id est calcatæ seu assuetæ, quo in loco Hieronymus vertit. Itinere non trito. Vnde illud Isaiæ quinquagesimoseptimo, Solu solu, quod nostri vertũt. Eleuate eleuate: germanius vertas: Terite terite, viam scilicet, seu assuetam facite, aut calcate, vt scilicet in ea nemo errare possit. Hieronymus, Viam facite, prębete iter. Idem capite 62. vbi habetur, Solu solu hamesilah. Quod nostri interpretantur, Eleuate eleuate semitam. Melius vertendum arbitror. Calcate calcate semitã, seu facite assuetam. Rabbi Dauid. Tollite lapides, & offendiculo de via. Prouerb. 4. etiam Hebræi & nostri vertunt. Salseleah, id est lauda eam, & exaltabit te. Vbi tu germanius vertas. Assuesce ei, scilicet sapientiæ, & exaltabit te. Citabo adhuc locum vnum apud Ieremiã, quo tem omnino concludam, capite quinquagesimo. Salauah chemo aremim, quod nostri ab ipsa veritate coacti vertunt. Calcate eam sicut aceruos, quemadmodum triturantes, aceruos conculcare solent manipulorum. Disputauimus satis de verbi huius significatione capite nono huius libri, tractantes illud. Adhuc tu misstolel, id est, conculeas aut teris populum meum?

Dicitur autem canistrum sal, à conculeatione, quòd cùm fit, conculcetur ab artifice. Solent enim canistrorum artifices, dum ea conficiunt, vimina calcare pedibus suis. Aut ab assuetudine, quòd scilicet soleat manibus contrectari, maximè si sit sporta, qua panes includuntur. Et quod dicitur. Appropinquare facies, intelige ad Deum aut ad altare, vt scilicet, deo offerrentur huiusmodi panes simul cum vitulis & duobus arietibus.

Accipies vestes, & induere facies Aharon tunicam.

De his vestibus omnibus, præcedenti capite diximus quod nobis videbatur. Constat autem ex hoc loco, septem fuisse pontificis ornamenta præter femoralia linea, scilicet tunicam inferiorem lineam, pallium quod eam tegebat, ephod quod erat ad modum thoracis, pectorale, baltheum, seu cingulum latum, mitram quæ erat capitis ornamẽtum, & diadema sanctitatis, in qua scriptum erat nomen Domini ineffabile.

Ponet diadema sanctitatis super mitram.

Ponitur hic dictio nezer. i. diadema à verbo nazar, cuius propria significatio non bene nota est Hebræis. In multis locis vertunt diuidere & separare, & meo iudicio, aut separare aut elongare significat, vt patet Zacchariæ. 7. Nunquid flebo & hinazer, id est separabo aut elongabo me, scilicet à cibis? Inde nazir, id est nazareus sic dictus à longa cesarie quam gestabat, aut à separatione qua erat separatus à multis ciborum generibus. Et nezer, id est cesaries longa seu longi capilli. Ex quo etiam nezer, id est corona quæ ad modum cæsariei caput circundat. Et mezarot, id est longi extensi. Nahum tertio. Minezaratich, id est longi vel extensi aut maiores tui, sicut locusta. De hoc diademate iam præcedenti diximus capite.

Cinges eos baltheo. Non erat hic baltheus ephod, sed videtur fuisse cingulum lineum, quo fœminalia ligabantur. Nam Leuitici. 16. dicitur. Et fœminalia linea erunt super carnem eius: vbeabnet, id est eum baltheo seu cingulo lineo cincta. Potest tamen omne cingulum significari.

Et ligabis eis mitras. Ex quo constat huiusmodi mitras fuisse ornamenta quæ capiti alligabantur.

Implebis manum Aharon. Sunt qui hic pro implebis, vertunt consecrabis, sed verbum (male) implere significat, & per impletione manuum donaria & sacrificia, quæ manibus eorum imponebantur ad offerendũ Domino veniunt intelligenda. 1. Reg. 13. habes, quòd tempore Iarobham qui volebat implebat manum suam donis & muneribus Regi aut diis offerendis, & fiebat sacerdos excelsorum.

Coram

Coram tabernaculo ecclesiæ. Admonui sæpius nomen moed, id est ecclesia, à duobus verbis posse deriuari, scilicet à iaad, quod significat congregari maximè ad certum tempus seu locum, secundo ab auad, quod est testificari, & sic significat testimonium, vnde aliqui vertunt. Coram tabernaculo adunationis seu ecclesiæ. Alij verò coram tabernaculo testimonij. Dicebatur autem tabernaculum ecclesiæ seu adunationis, quoniam ibi conuenisebat Israel ad orandum, & legem audiendam, testimonij verò, quod in eo asseruaretur lex, quæ pactum testificabatur, inter Deum & Israel.

Conuoquent manus suas super caput vituli.

Varias significationes tribuunt Hebræi verbo samach, scilicet, iungere, imponere, appropinquare, circuire, stabilire, & confirmare. Sed (mea sententia) solũ significat coniungere & sustentare, quòd ille qui se alicui coniungit, eum sustentare videatur. De verbi significatione disseruimus Genesis. 27. vbi videre licebit. Ratio autẽ, quare immolans cõiungebat manum suam, victimæ suæ (vt iam alias admonui) est: vt protestaretur se dignum qui immolaretur cum hostia sua, & Dei clementia se seruatum. Aut quod se simul cum victima sua offerret.

Quare offerens coniungebat manum suam hostiæ suæ.

Dabis super cornua altaris. Ex victimæ sanguine tinguenda erant cornua altaris holocaustorum.

Omnem sanguinem fundes ad fundamentum altaris.

Aduerte Hebræos dicere, verbum iasad à quo iesod, id est, fundamentum, significare non solùm fundare, sed & consiliari, citantes ad hoc illud secundi Psalmi. Principes nosedu iachad, id est consiliati sunt pariter: quod germanus vertas iuxta priorem significationem, fundari sunt pariter seu mutuis auxiliis, quoniam alius alium fulciebat consilio & adiutorio, quare statim sequitur. Disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Conabantur enim mutuis copiis, legem Dei infringere. Et per fundamentum altaris intellige inferiorem partem parietum ipsius, seu parietum radices à parte interiori, vt sanguis ab igne consumeretur: indecens enim videbatur quòd sanguis esset ad radices parietum altaris à parte anteriori, quoniam tanta sanguinis copia, sacerdotum ministeria impediret & horrorem videntibus faceret, nisi ibi esset fossa aliqua quæ illum reciperet circumcirca.

Fibram, scilicet, *capies, eum epate.*

Prior dictio, scilicet, interet quod fibram vertimus, à satar quod est residuum esse seu remanere ortum habet. Altera verò, scilicet chabed grauitatem significat, vnde locus sic reddendus est. Accipies residuum quod est super graue, per quod graue, meo iudicio, intelligit aut epar, aut illa quæ animal grauare solent. Et per residuum intelligit aut residuum adipis, aut epar, splen, & alia quæ videntur vtcunque separata ab animali, quemadmodum viscera. Est ergo sensus. Accipies omnem adipem operientem intestinum, seu intrinsecum, scilicet ipsius animalis, quod nostri fressuram vocant, & residuum, scilicet adipis quod est super epar.

Et duos renes. A chalach quod est implere, descendit chelaiot, id est renes, sic dicti quòd sint impleti. Hebręi tamen quia putant chalach significare desiderare, arbitrãtur chelaiot significare renes quòd in eis sit cõtus appetitus, seu desiderium, sed primum melius.

Ad quid ceremonias fuisse in lege.

Suffire facies in altari. Si quæras quid sibi velit huiusmodi adipum fumus, paucis hoc accipe. Fœtent valdè vitia nostra Deo nostro, quare quàm primum nares eius huiusmodi fœtor tangebat, excitabatur fulor eius ad delendos nos, quemadmodum nobilis si fœtorem domi olfaciat, clamat, conqueritur, cui bonis & odoriferis fussitibus occurritur, & ab ira quiescit. Sic Domino peccatorum nostrorum malo odore concitato, huiusmodi fussimigationibus occurrebatur, ne in peccatorem fæuiret: vnde sæpius huiusmodi fussitus, vocatur odor quietis, quòd humano more Deum ab ira quiescere faceret, quem odorem, non tam rectè vulgarus interpres vertit, odorem suauitatis.

Bellum odor quietis, quomodo faceret.

Et fimum eius combures igni extra castra.

Ortum habet nomen peres, id est fimus à paras, quod est diuidere, separare. Leuitici. 24. Posuerunt eum in carcere, scilicet colligentem in sabbato ligna, lipros, id est, vt diuideret seu discerneret eis, scilicet Moseh iuxta os Domini, aut vt explicaret. Et Ezechielis. 34. Cùm fuerit ipse, in medio ouium suarum dispassor, id est diuisarum, seu dispersarum. Dicitur ergo fimus peres, quod separari soleat à ciuitatibus, & in locum immundum proiici, aut quia ab animali soleat separari cùm paratur ad cibum.

Peccatum ipsum, id est hostia pro peccato, ideò debet cõburi extra castra, cuius rei mysterium tibi ostendemus, cum moralia huius capitis tractauerimus. Dicit autem rationem combustionis assignãs. Peccatum ipsum ac si diceret. Ideo hoc illi facere præcipio, quia peccatum adumbrat, quod vsque ad feces consumi desiderio.

Holocaustum ipsum Domino. Diximus aliàs, olah id est holocaustum non sic dictum, quia totum incendebatur Domino, sed quia totum in fumum, sursum ad Dominum ascendebat. Non enim alah à quo olah, id est, holocaustum significat incendere, sed ascendere.

Holocausti ipsum quid & quale dicatur holali.

Status quietis. Diximus paulò superius, quare huiusmodi fumus odoriferus, vocaretur quietis, quòd vt deliceat Deum ab ira furoris sui, humano more loquendo quiescere faciebat, & etiam quia eo delectabatur, non propter se, sed propter offerẽtium deuotam mentem. Neque vertas tam significantius suauitatis, quàm quietis, vt diximus, quoniam noach à quo nichoach, id est, quies, quiescere significat potius quam suaue esse.

Adipem & caudam. Dubium est, an dictio aliah. i. cauda, sit ab alah, quod est execrari, quasi sit pars execrabilis propter podicem quem operit, quia tamẽ Deo offerebatur, nõ ausim hãc probare interpretationem: ideò putarem potius ab el, quod est fortitudo, ortum habere, quòd sit pars fortis, propter spinam, cuius ossa sunt perplexa. Quod autem sequitur.

Adipem operimenti, id est, quod operit intestina, interpretare vt supra hoc eodem capite.

Et armum dextrum. Non plenè constat, quid propriè significat verbum such, à quo soch, id est armus. Hebræi dicunt significare concupiscere, desiderare. Sed si quis rectè expendat loco, quibus verbum in scriptura ponitur, deprehendet significare potius fluere aut currere, & ex consequenti desiderare, quod hominum desiderium hinc inde discurrat. Moueor ad hoc, quoniam Naum secundo dicitur. Iisiach sechun, id est current per plateas. Et Iohelis secundo. Vehesichu, id est currere facient torcularia vinum. Dicunt autem Hebræi, soch non solum armum significare, sed plateam, propter illud Prouerbiorum septimo. Transiens bissoch, id est per plateam. Et Canticorum tertio. Et circuibo ciuitatem basseuachim, id est, per plateas. Sed in his locis videtur potius significare vias, aut decursus, & si plateas non nisi quòd ibi sit hominum maximus concursus. Armum verò meo iudicio, non significat, sed eius à cursu, quare hic potius vertendum putarem. Et eius dextrum. Sic Iudicum decimoquinto. Percussit eos soch al iarech, id est crure super coxam. Ex quo constat non significare coxam, quoniam inutiliter repeteretur, coxa super coxam. Secundo ducor, quia sachach quod videtur esse eiusdem significantiæ, significat eis autoribus ingiter ambulare & discurrere, rem tamen nõ plenè diffinio, quoniam coniecturis ducor.

Quoniam aries implationum ipse, id est, quo sacerdotum manus implentur. Aut vt nostri vertunt. Quoniam aries consecrationis ipse, vel aries sacrificij consecrationis, sacerdotum ipse. Sed quia infra statim dicitur. Et pones omnia super volas Aharon, videtur per implationem intelligere impletionem qua illorum manus huiusmodi sacrificiis implebantur. Pro torta verò panis, frustum verte, licet quasi idem sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iam etiam explicauimus quid significet placẽta & laganum, hoc eodem capite. Nam primum significat libum, seu illud quod ex pasta ante fermentationem aufertur & decoquitur: secundũ verò subtiles panes oleo liti & fritos. Diximus iam hic de dictione sal, id est, camistrum, & videtur quòd semper fuerit coram Domino cum panibus, quoniam volebat Dominus, vt dicitur Malach. 1. panem semper fore in domo sua.

Ponet omnia hæc super manus Aharon.

Ecce quare huiusmodi sacrificia impletiones vocantur, vt diximus.

Eleuabis ea eleuationem coram Domino.

Quare vetus legis sacrificia eleuabantur antequam Domino consecrarentur.

Fiebat huiusmodi eleuatio ad præsentandum huiusmodi sacrificia & oblationes Domino, qui in cœlo est, quemadmodum solent homines, qui munus alicui domino deferunt, ea eleuare & exaltare, vt quid magnum videatur, verbum autem nuph, non plenè notum est Hebræis, à quo tenuphah, id est, eleuatio, dicunt tamẽ significare, effundere, stillare, aspergere, suffire, eleuare, orbare, & concutere. Distrahunt autem verbum in tot significationes, quia propriam (vt in regulis admonuimus) ignorant, & verrunt quemadmodum vident contextum exigere, sed si rectè consideres, inuenies verbum solum significare leuare, & suffire, quòd suffitus nihil sit aliud quam eleuatio fumi, seu fumus eleuatus. Prouerb. 7. dicitur. Naphti, id est, suffiui cubile meum mirrha, quod vulgatus vertit aspersi. Infra. 35. Omnis vir qui heniph, id est, eleuauit eleuationem auri Domino.

Et suffire facies altare super holocaustum, id est, post holocaustum, facies suffire intestina, & alia minuta, scilicet pedes, manus, &cæt. Aut suffire facies omnia hæc super altare, in holocaustum. Ordo autem seu dispositio holocaustorum erat, quòd prius concidebatur animal in frusta, & huiusmodi portiones ordinabantur, super quas ponebantur crura, caput, & intestinum cum adipibus suis.

Dispositio eorum quæ Domino offerebantur.

Oblatio hoc Domino, aut oblatio est Domino. Ad literam vertendum est. Ignitum hoc Domino, seu oblatio ignita, hoc est, Domino. Nam isseh, nõ qualemcunque significat oblationem, sed ignitam, quoniam radix isseh est es, quod ignem significat.

Accipies pectus eleuationis, id est, quod eleuatum est sursum ad præsentandum Domino, vt diximus, aut quod separatum est ab animali vt Domino offeratur. Verbũ chazah a quo chazeh, Hebræis significat videre. Videtur autem pectus dici chazeh a videndo, quòd Aruspices in eo viderent diuinationes suas. Aut quòd sit id quod primum in animali, cùm nobis occurrit, videmus.

De ariete plenitudinis, id est, quo manus Aharon & filiorum eius implesti. Aut de ariete consecrationis, id est qui oblatus est in consecratione eorum.

Erit tibi in partem. Erat pectus animalis sacerdotis offerentis portio, & quia Moseh sacerdotem tunc agebat, præcipitur accipere sacerdotis partem. Et aduerte, quòd manah à quo manah nomen, id est, pars, significat numerare, & manah pastem numeri seu multorum. Vnde man sic dicebatur à numerositate, quòd in magno numero huiusmodi grana de cœlo caderent.

Et sanctificabis pectusculum, id est, separabis illud Domino, vt scilicet sit sacerdotis iure perpetuo.

Quia eleuatio est, & eleuatio est à filiis Israel.

Subindicat hic textus, huiusmodi eleuationem, esse separationem, qua quæ Domino offerebantur, ab animali aut à Domino victimæ separabantur. Cùm enim dicitur. Quia eleuatio est à filiis Israel, videtur esse sensus. Quia separatio est, qua filij Israel separare debent huiusmodi partes animalium oblatorum asæ, & dare illas sacerdotibus. Si tamen eleuationem priori modo intelligas, & propriè, dicito. Quia eleuatio est, quam eleuare seu eleuando præsentare debent filij Israel Domino per sacerdotes. Dicunt autem Hebræi, quod duplex erat in sacrificiis eleuatio. Altera qua sursum & deorsum mouebatur, quæ hebraicè dicebatur thrumah ab exaltando. Altera antrorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum, hoc est, ab Oriente in Occidentem, deinde ab Aquilone in Meridiem agitabatur, & mouebatur, qua agitatione, Deum totius terræ esse Dominum significabant, quæ hebraicè dicitur tenuphah, id est mouenda, & de hac hic agitur. Autumant etiam hac agitatione in quatuor partes significari, vt quiuis homines, ex quibuslibet climatibus mundi Hierosolymam venirent, saluos & incolumes eos futuros, optimaque aura quæ ibi temperatissima est fruituros, ad quod probandum citant illud Isaiæ trigesimo tertio. Non dicet habitator ægrotaui, sed populus qui habitat in ea, dimissus est ab iniquitate. Item illud Psalmi quadragesimi octaui. Pulcher locus, & gaudium vniuersæ terræ, est mons Sion. latera aquilonis, ciuitas Regis magni.

Diuersi sacrificiorum eleuatio.

Ad vngendum eum eis, & implendum eum eis manus eorum.

Sensus est, filius sacerdotis debebat esse hæres vestiũ sacerdotalium patris, quibus indutus debebat vngi & offerre sacrificia, de quibus manus implere debebat in die consecrationis suæ, quando primo initiabatur.

Septem diebus induet eas sacerdos loco ipsius de filiis eius.

Debebat sacerdos cùm initiabatur, induere huiusmodi vestes septem diebus, & eis indutus inungi. Et quod dicitur. Ad implendum eum eis manus eorum, aliqui vertunt. Ad consecrandum, sed si priori modo vertas, sensus est. Ad implendum, id est quando sacrificiis Domini, manus eius impletę fuerint in sua consecratione seu institutione.

Comedent ea, scilicet sacrificia *quibus propitiatus est est, ad consecrandum manus eorum, ad sanctificandũ eos.*

Verbum caphar, quod propitiari vertimus, significat propriè linire, operire, & ex consequenti propitiari, vt diximus Gene. 6. quoniam tunc Dominus erat peccatori propitius, cùm peccata eius nolebat videre ad punitionem, iuxta illud Psal. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et quod sequitur.

Quid sanctificatum significet.

Ad consecrandum manus eorum.

Hebraicè est ad implendum manus eorum, scilicet, huiusmodi sacrificiis, vel vnguento. Ad sanctificãdum eos, id est, ad applicandum diuino ministerio, aut ad separandum eos, vt Domino præ cæteris ministrent.

Alienigena non comedet, quia sanctificatio sunt.

Significat zur, aut nazar, à quo zar. i. alienigena, elongare, & separare, & inde zar, id est elongatus, scilicet, à patria sua, aut separatus ab ea. Sumitur autem hic pro alieno seu elongato aut separato à genere sacerdotali, qui non poterat huiusmodi sanctificata comedere.

Non comedetur, quia sanctitas est, id est, quia separata Domino sunt hæc, aut quia diuino cultui applicata.

Et inuencum pro peccato facies, id est, pro peccati expiatione.

In die, id est singulis diebus septenarij.

Super propitiationibus, aut initionibus: quia verbum vt iam diximus linire significat.

Mundabis altare. Verbum chata & peccare, & à peccato mundare significat, vt sæpius admonuimus.

In propitiatione tua super ipsum, id est quando reconciliaueris illud Domino, aut quando linieris ad applicandum illud Domino.

Septem diebus expiabis altare, & sanctificabis illud, & erit altare sanctitas sanctitatum, id est septem diebus mũdabis altare, & separabis illud diuino cultui, & erit altare sanctitas sanctitatum. i sanctissimus. Aut erit sanctitas sanctitatum, id est nõ solum erit sanctum ipsum, sed virtutem sanctificandi habebit. Quem sensum sequentia probant, scilicet, Omnis qui tetigerit illud sanctificabitur, id est sanctus reputabitur, vt oporteat eum Domino satisfacere, aut à sanctificatione mundabitur vt scilicet reconciliatione indigeat.

Quid sanctificatum significet.

Hoc est quod facies super altare, id est hoc est sacrificium quod offeres singulis diebus super altare, & etiã his septem diebus, ad applicandum altare cultui meo, aut ad separandum illud à prophanitate.

Agnos

Agnos agniculos duos in die. Hebraicè est, agnos filios anni, id est vnius anni, & est hebraïsmus. Et quod dicitur. In die, idem est quod singulis diebus. Loquitur textus hic de sacrificio iugi, quod exigebat duos agnos singulo quoque die, alterum mane & alterum vesperi, vt habetur Nume. 28.

Vespera quid sit Iudæis.

Inter vesperas. Genesis primo disputaui abundè, de hoc nomine vespera, & admonui duplicem esse vesperam Hebræis. Alterum, quæ est ab occasu Solis vsq; ad noctem, quę propriè dicitur vespera. & hebraicè vocatur ereb. i. mixtio, quia mixta est ex luce & obscuritate. Alteram verò, quæ est nox ipsa, de qua Gene. 1. dicitur, quòd factum est vespere, & mane: dies vnus, id est, ex nocte seu obscuritate & luce diurna dies vna, quam naturalem vocant. Erat ergo secundus agnus offerendus inter vesperas, id est inter occasum Solis & noctem, & hoc memoriæ commenda, quia re vera mihi negotium fecit.

Secundum libamen eius facies ei.

Sacrificia Domini carnosa.

Admonui supra, sacrificia Domini, esse quasi conuiuia eius, quemadmodum prandium & cœna, quæ sacerdotes Domino parabant, & ideò omnia quæ in prandio & cœna homines habere solent, sacerdotes Domino ministrabant, scilicet panem, carnes, vinum, oleum & sal. Et sensus verborum est. Offeres huiusmodi agnos seu iuge sacrificium, cum libaminibus suis, id est, cum sua mensura olei, & vini. Mensura autem panis erat decimum similæ, olei quarta pars Hin, & eadem erat mensura vini offerendi. Est autem Hin Hebręis mensura liquidorum, quemadmodum Ephah aridorum. Dicunt autem Hebræi Hin continere duodecim Login, Log verò sex continere oua. Sic enim Hebræi pro more suo mensuræ genera per qua explicant, vt constat ex Rabbi Dauid in suis radicibus. Homer autem continet tres Ephi, hoc est mille ducenta nonaginta oua. Ephi seu Ephah continet tria sata, id est sex modios: decima verò pars Ephi continet mensuram quadraginta trium ouorum. Aduerte etiam dictionem nesiech, quod libamen vertimus, esse à nassach quod significat propriè fundere, & extendere, cuius significationem tam Hebræi quàm nostri æquiuocam valdè faciunt, dicentes significare abscondere, fundere, conflare, magnificare, principem constituere. Si quis tamen locos, in quibus huiusmodi mutant significationes expendat, deprehendet propriam in omnibus optimè conuenire, vt patet Isaiæ vigesimosexto, vbi nostri vertunt. Nassach, id est, operuit super vos Dominus. Quo in loco melius vertas. Effudit super vos Dominus spiritum soporis. Et capite vigesimooctauo, ve aneassechah, quod nostri vertunt. Operimentum angustum, potest tam benè verti. Extensio angusta. Sic Psal. 2. Et ego nassachti, id est, regnare feci Regem meum, vt nostri interpretantur. germanius vertas. Et ego fundere feci, scilicet, oleum super Regem meum, id est, vnxi. Aut extendere feci Regem meum, id est dominium regis mei. Regnum enim Messiæ quod initio humile & angustum fuerat, Dominus amplissimè dilatare & extendere fecit. Vnde hic pro libamine posset verti fusum, sed sensus redditus est.

Quantũ cõtinebat Hin mensura liquidorum quod Hebræis, similiter de Ephah mensura aridorum.

Holocaustum iuge, ad generationes vestras, id est, erit hæc oblatio quasi continuum holocaustum, quàm diu generationes vestræ duraverint. Dictio dor, id est, generatio aut congregatio à dur ortum habet, quod est generare, congregare, vt patet Psal. 84. Elegi potius in limine esse in domo dei mei, ni dur, id est præ generatione seu congregatione impietatis, seu potius quàm misceri generationi impietatis.

In quo conueniam vobiscum illic, id est morabor aut congregabor, quemadmodũ dux moratur inter suos, & ad eos congregatur, & quod sequitur. Et loquar ad te ibi, vult significare quòd licet esset simul cum eis moraturus, non tamen erat cum omnibus locuturus, sed cum solo Moseh.

Et conueniam ibi cum filiis Israel, id est, manebo aut morabor, vt dictum est.

Et sanctificabitur in gloria mea, id est, licet conueniam & maneam vobiscum ibi, sanctificabitur tamen domus mea, id est, separabitur veluti sanctum à prophano, cum gloria mea, id est, per præsentiam meam, aut propter nebulam in qua loquebatur, quam sæpius vocat gloriam suam. Aut clarius. Et congregabor ibi cum filiis Israel veluti vicinus cum vicinis suis, & sanctificabitur, scilicet, habitaculum meum, id est, in reuerentia habebitur veluti res sancta, cum gloria mea, id est, cum præsentia mea, aut cum nebula quæ est signum præsentiæ meæ.

Et sanctificabo tabernaculum ecclesiæ, id est, separabo ab aliis veluti res sanctas à prophanis, aut applicabo cultui meo.

CAPITIS. XXIX. AD MORVM compositionem.

Hoc est quod faciet ad sanctificandum eos.

Mirum valdè est, quanta ambitione voluerit Dominus sacerdotes ministros suos parare, antequam illi præstarent munus obsequij, quo nos voluit admonere, paratos esse & circunspectos, cùm ad Dei obsequium vocamur, aut nostra sponte accedimus.

Tolle inuencum vnum filium bouis. A sacrificio pro sacerdotis peccato, incipit præparatio sacerdotis, quoniam prima sacerdotis consideratio cùm ad ministrandum Deo primum accedit, debet esse cogitare se peccatorem, & sacrificio atque oblatione indigere. Voluit etiam dominus sacerdotes admonere, vt cogitarent se dei cõiuias esse. 3. quàm delicatè enutrire voluit ministros suos: vt non nisi similæ panes comederent, qualibus ipse si ab eis pascendus esset vesceretur.

Lauabis eos aqua. Non arbitreris Deum sola interiori munditia contentari: amat etiam externam: vnde graviter illum offendere putarem, qui rem sacram illotis (vt aiunt) manibus aut conspurcatis contrectare præsumeret.

Accipies oleum vnctionis, & fundes super caput eius, & vnges eum.

Disce sacerdos domini esse misericors, quoniam ad hoc iuberis inungi, imò erubesce esse crudelis minister & seruus, cuius dominus tãta misericordiaa abundat. Est & aliud q̃ locus iste admonere videtur, quã bonæ famæ debeant esse sacerdotes: vt bonus odor eorum nares Domini pertingat, antequam ipsi in conspectu eius appareant. Ad hoc enim vnguntur, vt non suum, sed Domini odorem ad nares eius præmittant. *Erit eis sacerdotium in statutum perpetuum.*

Non voluit Dominus nouitios sacerdotes ad eius ministerium venire, sed qui hoc munus à pueris didicissent: vt hinc discas, quàm assiduus debeas ad eius accedere ministerium.

Offerre facies iuuencum. Etiam ex munere discimus quàm grauia sint peccata sacerdotum, quanto enim peccata essent graviora, tanto pretiosiori victima expiabantur.

Iungent Aharon & filij eius manus super caput iuuenci.

Profitebantur hac ceremonia (vt sæpius diximus) offerentes, se dignos qui iugularentur propter peccata sua, Domini verò misericordia eorum necem victimæ oblatæ morte compensari.

Carnem iuuenci, & pellem eius, & fimum eius combures igni, extra castra. Sacrificium pro peccato est.

Apertissimè locus iste ostendit, quã abhorreat deus à peccatis nostris, quòd non solùm feces & fimum sacrificij pro eo, relegare iubeat, sed & carnes extra castra, in locum immundum proiici, nihil reliquiarum remanere permittens: vt ex hoc loco discamus, non solùm peccata longè à nobis ablegare, sed nihil reliquiarum eius in nobis permittere, nẽ Deus reliquiis offensus, oculos à nobis auertat cùm viderit.

Arietem in frusta concides. Discant hinc sacerdotes, quàm ordinata debeant esse Domini sacrificia. Nam vt hic docemur, dissecanda erat victima, crura lauãda, caput super frusta ponendum, & super caput crura lota comburenda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caples de sanguine eius, & ponet super fibram auris Aharon & filiorum eius dextræ, & super pollicem manus eorum dextræ, & super pollicem pedis eorum dextri.

Quid sibi volunt Domine Deus, huiusmodi linitiones auris, & pollicis, pedis, & dexteræ manus? Voluit (meo iudicio) hac ceremonia dominus sacerdotes admonere, daturos se pœnas sanguinis, si negligentiores in audiendis mandatis eius, aut in suis ministeriis se exhiberent. Istuc pertinet, quod de aspersione eorum & vestium, textus qui sequitur, ostendit. Nihil enim aliud huiusmodi sanguinis respersione adumbrari video, quàm sacerdotum punitionem si ministeria sua non curarent, aut agerēt negligenter. Vnguntur etiam oleo & sanguine, vt scirent olei misericordiam, cum ei gore sanguinis temperare.

Tolles ab ariete adipem, & caudam.

Annotant hoc in loco Hebræorum doctores, Dominum pro sacrificio suo exigere animalia illæ & membra, quæ concupiscentiæ subseruiunt. Non enim vult animal infirmum habere, aut quod testiculis priuatus sit, requirit renes, qui concupiscentiæ prima sunt officina: vult habere epar, quod roborat libidinem, & adipes qui effrenem faciunt concupiscentiam, iuxta illud Deutero. 32. Impinguatus est Israel & recalcitrauit, quæ omnia Dominus in suo vult sacrificio, non quòd illum renes delectent, sed quòd hæc significent mortificanda esse membra nostra quæ sunt super terram, vt Paulus admonet. *Ad Col. 3.*

Eleuabis ea eleuationem coram Domino.

Non tanti faciebat Dominus sacrificium, quanti huiusmodi protestationem quæ hac eleuatione fiebat, qua eum vniuersi mundi dominum protestabantur, ac cœlum pro sede sua habere. Quo in re etiam disce Domini liberalitatem, qui nihil ex præsentatis sibi muneribus præter presentationem ipsam volebat, omnia statim sacerdotium vsibus relinquens.

Et vestes sanctæ, quæ sunt ipsi Aharon, erunt filiis eius post eum. Quemadmodum filius est hæres dignitatis parentum suorum, ita & vestium sacerdotalium. Vnde mos inoleuit quòd pluris faciamus vestes & alia ornamenta, quæ à parentibus & proauis iure hereditario habemus.

Coques carnes in loco sancto. Ttia hic aduerte, primum voluisse dominum sacerdotes carnes coquere in loco sancto. Secundo debere eas in loco sanctificato comedere. Tertio prohibuisse alienigenis qui nō erant de semine sacerdotali earum esum, vt discas, quàm egrè ferat Dominus, sancta prophanis misceri, meliusque esse talia comburere, quàm prophanis vsibus appheari, quemadmodum statim statuit, vt si quid carnium vsque mane residuum fuerit, igni comburatur. Aduertes etiam hic, quàm frequenter hoc cap. accipiatur facere pro sacrificare: vnde cùm dicitur

Iuuencum pro peccato facies, idem est ac si diceretur, sacrificabis.

Quicquid tetigerit altare, sanctificabitur.

Quidam sancta tangunt ad malum suum, & coinquinantur. Alij verò ad sanctitatem. Quo in loco etiam recole, quā bonum sit sanctis coniungi, non solum hominibus sed etiam inanimatis, ex quorum contactu tangentes sanctificantur.

Agnum vnum facies mane & alterum vesperi.

Audis hic summi Dei dignationē, volentis apud nos prandere & cœnare vehti vnus ex nobis, similiter pauceis contentari cibariis in prandio & cœna.

Conueniam ibi cum filiis Israel. Magna & ineffabilis fuit huiusmodi populi dignitas, apud quos ille quem cœli, & cœli cœlorum capere nequeunt, domicilium elegit, quo quasi vicinus cum vicino loquebatur, & communicabat. Neque possum Iudæos non arguere, qui suis facinorosis gestis Deum tam familiariter conuersantem abire compulerunt. Quis mihi daret, Deus mi, nunc te tam facile loquentem & respondērem inuenire posse quàm facilè te illius temporis homines inueniebant: vt accederem te & apud te onera peccatorum meorum quibus iram tuam prouocaui deponerem, & scire ex te possem vtrum odio vel amore tuo dignus essem.

Ero eis in Deum. Ecce ad quid voluit inter eos nos rari, vt pro Deo haberetur & coleretur. Veh mihi, Deus mi, qui te neglecto diuitias ac delitias veluti ido la mea continuè colo.

Eduxi eos de terra Ægypti, vt habitarem in medio eorum. Sed nunquid Domine non poteras cum eis in Ægypto habitare? Quamdiu inter immundos versantur pij, licet cum eis Deus sit, non tamen moratur inter eos, quoniam à sordibus abhorret. Si ergo volumus Deum habitare nobiscum, à fecibus & immunditiis recedendum est nobis.

CAPITIS. XXX. IVXTA LITEram annotationes.

Aharuth miniatur quid.

Facies altare suffimenti. Explicat nunc, quale esse debeat altare, quo adolendum erat thimiama, quod locandum erat ex altero latere tabernaculi, è regione candelabri.

Ex ipso cornua eius. Quemadmodum altare holocaustorum habebat cornua sua, quæ sanguine victimarum inungebantur: ita in hoc altari thimiamatis, ad eundem effectum iubentur fieri ex eadem materia huiusmodi cornua. Et altare non erat sola mensa, sed habebat parietes suos circumquaque. Et de lignis sittim diximus cap. 25. huius libri, Hebræos sentire esse optimæ cedri genus. Radix scilicet sut, circuire significare dicitur, vnde videtur arborem quæ quasi circulum ramis suis facit significare, non tamen certum est, quam speciem arboris significet.

Tectum eius, & parietes eius.

Hebraica dictio gag, quæ hic ponitur, significat partem superiorem domus, quę in terra promissionis erat sub diuo, & solarium dicitur. Nostri vocant eirado, hic verò significat partem superiorem altaris, seu mensam, & per parietes intellige tabularum ædificium, quod à mensa altaris, descendebat ex omni parte vsque ad terram.

Facies illi coronam auream. Corona hæc erat lymbus ambiens mensam à parte superiori. Dictio hebraica zarah à qua zer, id est, corona significat ventilare, & dispergere, sed quia nihil allusionis habet verbum ad nomen, putarem potius esse à zur, quod est comprimere & contrahere, vnde corona, id est, contracta, quòd, scilicet non sit extensa, quemadmodum inferiores parietes, sed quodammodo contracta. Erat autem huiusmodi mensa, ad modum domus, & pars superior præ se ferebat solarium. Nam quemadmodum solarium est planum, & in circuitu habet paruos parietes, pinnas, ac flores pulchros, ita & tabula mensæ superior erat quidem plana, sed circumquaque habebat lymbum ad modum coronæ.

Pones illud, scilicet altare, *ante velum quod est super arcam testimonij.*

Non erat velum propriè super arcam, sed iuxta eam à parte anteriori, & sic verti posset, dicitur tamē fuisse super arcam, quia super eam pendebat à parte anteriori. *Coram propiciatorio.* Diximus propiciatorium esse tegmen arcæ, seu tabulam quandam, quæ arcæ imminebat: vnde sequitur.

Quod est super arcam testimonij. Dicitur autem arca testimonij, quia continebat legem, quæ testabatur pactum inter Deum & Israel.

In quo conueniam tecum. Posset etiam verti, quo testificabor. Sed prior lectio magis placet.

Suffire faciet super illud Aharon, suffimentum aromatum. Incertum est Hebraīs, an dictio sam, id est, aroma, significet aromata in genere, vel potius certā aromatum speciem: ex his tamē quę dicuntur infra ca. 35. coniectura est, significare aroma in genere, vbi dicitur. Cape tibi aromata, & stratim explicat quæ, scilicet Stactem, & Onycham, & Galbanum.

Suffire faciet illud Aharon singulo mane.

Parum refert, quòd hebraicè est, mane, mane, quoniam, vt in

vt in Hebraismis admonuimus, solet Hebraismus, eiusdem nominis geminatione multitudinem significare: sicut congregauerunt eas, scilicet ranas aceruos aceruos. Et vallis fiddum putei, putei, id est, multitudo putei. *Supra ca. 8. Gene. 14.*

Quando aptabit lucernas. Habraice ad literam est.

Quando bonificabit lucernas, seu pulchras fecerit.

Hoc enim significat verbum tob: quare potius vertendum puro. Cùm mundauerit lucernas, quod est eas pulchras facere. Et tempus mundandi lucernas erat mane. Nam vesperi accendebantur, & tota nocte domum illuminabant: mane verò mundabantur, & iterum vesperi accendebantur. Erat autem thimiama apponendum mane, & vesperi, vt hic dicitur.

Non ascendere facietis super illud incensum alienum.

Quidam ex nostris hic vertunt. Non offeretis: Alij. Non adducetis, sed non sunt facilè mutandæ significationes verborū. Et si zarah, id est, alienus est à radice zur, quod vt diximus est constringere, contrahere, dicitur alienus zar, quòd sit contractus vt non audeat loqui aut extendere se. Si verò à zarah quod est dispergere & ventilare: dicetur alienus zarah, quoniam dispersus & ventilatus est hinc inde. Significatur & præcipitur hic sacerdotibus, ne aliud seu adulterinum thimiama coram eo adoleant, aut ex aliis speciebus aromatum. Præcepit etiam, vt super hoc altare, nullum sacrificij aut libaminis genus offerent: quod licebat facere super altare holocaustorum.

Expiabit Aharon super cornua eius: semel in anno. Scilicet in die expiationis: & vt diximus verbum chapar, quod hic ponitur significat linire: vnde verti posset. Liniet Aharon super cornua eius.

Sanctitas sanctitatum est Domino. i. res sanctissima.

Cum leuaueris capita filiorum Israel secundum numerum eorum, dabunt vnusquisque redemptionem animæ suæ Domino.

Vocat Hebraismus numerare, leuare capita, quòd numeratio fieret eleuantibus numeratis capita sua, aut quia solemus per capita numerare: vnde & pallores dicunt, habeo tot capita boum, id est, tot boues. Si quæras quare propter numerationem contingeret plaga in Israel nisi soluerent quod hic solui præcipitur, lege cap. 27. prioris Paralipome. vbi describitur percussio grauis populi propter huiusmodi numerationem, & videbis quod quia promiserat Dominus Abrahæ Gen. 15. multiplicaturum se semen eius sicut stellas cœli & arenam quæ ad littus maris est absque numero, noluit supputari: quod sine numero promiserat se multiplicaturum: ideo tam graue ferebat supputationem Israelitarum, vt in eos sæuiret quoties numerabantur, quare voluit eos soluere pro redemptione sua peruniam taxatam.

Dimidium sicli non iuxta siclum sanctuarij.

Duplex erat apud Hebræos siclus, scilicet vulgaris qui secundum Rabbi Selomonem habebat. 4. aureos. Alter sanctuarij, qui duplus erat ad vsualē: cuius medietatem tenebatur quisque numeratus soluere, quasi vitæ suæ redemptionem: quoniam ob numerationē dignus morte erat, quia vt diximus voluntati & verbo Domini resistere videbatur numerando, quod Dominus voluit innumerabile esse. Alij dicunt siechel sanctuarij: habuisse quatuor dragmas: quarum quælibet continebat quinq; obolos: quare eueniebat vt siclus tēpli viginti haberet obolos. Idem dicunt euenisse in templi talentorū capiebat enim centum. 20. libras: prophanum verò 60. vnde siclus sanctuarij valebat mediam partem aurei renaui, vulgaris verò. 4. partem. Hebræorum quidā dicunt obulum continere. 16. ordeacea grana. Siechel autem dicitur à sachal quod est appendere, quasi appensum, quòd quondam omnis pecunia ponderaretur & pondere reciperetur. Quod vtinam modo fieret.

Omnis transiens ad numeros.

Dicit omnis transiens ad numeros, quoniam vt statim explicatur, non omnes numerabantur, sed à. 20. annis & supra, exceptis leuitis qui à mense numerabātur, & ideo peccasse Dauid æstimo, quia voluit omnes numerare, neq; tamen potuit ob dictam causam.

Viginti obulos habet siechel.

Non plene nota est significatio nominis gerah, id est, obulus, & videtur ortum habere à garah, quod est Hebræis miscere litent: vnde videtur fuisse mixtum, vt fieri solet, vbi non est numismatum copia: significatio tamen propria incerta adhuc est.

Elevatio Domino, id est munus quòd quisque ex substantia sua leuabit domino, aut præsentabit eleuando.

Ad expiandum super animas vestras.

Aut ad liniendum super vitas, ne scilicet ad vindictam videamini à Domino.

Dabis illud pro opere tabernaculi ecclesiæ.

Hebraice est pro seruiturē, quod idem est, & duplicem habet sensum. Alter quòd daret eam pecuniam ministris tabernaculi. Alter verò pro expensis quæ in tabernaculo fierent.

Erit filiis Israel memoriale coram Domino, ad propitiandum super animas vestras, id est, erit hæc pecunia quasi memorare faciens Dominum, vt, scilicet propitietur vitæ vestræ, ne scilicet vos occidat. Aut sic. Et recordabuntur filij Israel dare huiusmodi pecuniam, ad expiandum vel liniendum super animas suas, seu vitas: ne, scilicet à Domino occidantur.

Facies conchan æneam, & basim eius æneam.

Dicto chitor, id est, concha, duo Hebrēis significat, scilicet vas ad modum conchæ factū, quo sacerdotes ante templi ingressum lauabantur. Secundo clibanum paruum, quem nostri vocant fornalha, quod vtcunq; conchæ assimilatur. Nam Leuit. 11. habes. Clibanus & chiratim, id est, paruus clibanus destruentur. Quo in loco alij vertunt, chitropodes, sed quàm bene, vide rint ipsi. Rabbi Dauid dicit esse locum in quo duo lebetes, seu aheni collocantur: ideoque more dualium venire nomen. Et quòd sequitur.

Et basim eius. Si nominis chanah, radix sit chanah, quod est tegere & occultare, basis dicetur chanah, quoniam pars eius sub terra absconditur & occultatur: si verò (quod verius credo) sit chun quod significat firmare, dicetur basis chanah, quòd sit firma seu firmam esse oporteat, vt ædificium sustentare possit.

Dabis eam inter tabernaculum ecclesiæ, & inter altare scilicet holocaustorum.

Et tu cape tibi aromata prima, myrrham libere fluentem.

Aut vt Hebraïce habetur capitis, id est, præcipuam. Diximus hoc eodem cap. incertum esse, an nomē basam significaret certam speciem aromatis, vel potius esset commune nomen, & ex hoc loco coniecturam esse diximus, esse commune: quoniam statim specificantur aromatum species, scilicet myrrha. Nomen verò mor, id est, myrrha deducitur à marar quod est amarescere, quemadmodum mar, id est, lachryma, quod Hebræi, guttam significare dicunt, sed nō bene. Nam illud Isa. 40. Ecce gētes chemar. i. sicut gutta de situla, quod citant ad significationem probandam, tam bene vertas. Sicut lachryma de situla. Fluit enim aqua ex situla, velut ex oculo lachryma, & à mar quòd est amarescere (vt diximus) descendit mar quod est lachryma, sic dicta quòd ab oculis eorum qui amaro animo sunt fluere soleat. Quare meo iudicio, hic vertendum est. Accipe tibi aromata prima, lachrymam libertatis. i. libere fluentem: per quam myrrhæ guttam intelligit, licet mihi hoc incertum sit. Et posset per huiusmodi guttam balsamum significari, quoniam gutta est libere fluens. Hoc certum est, significare. s. lachrymā libere fluētem, sed an myrrha sit vel balsamū incertum est. Vnde Rabbi Dauid ab ipsa veritate coactus dicit, mar seu mor significare siccum arboris optimi odoris. Detor verò quod nostri & Hebræi, libertatem significare dicunt, significat etiam hirundinem auem paruam ac notam, sic (vt Hebræi dicunt) dictam, quòd libere hominū domus ingrediatur, quasi ab eis sit libertate donata, neque eam quemadmodum cæteras aues capiant. Psal. autem. 84. & Prouer. 26. nomen pro alie ponitur.

Quingentos siclos, sanctitatis. s. vt statim explicat.

Et Cinnamon aromatici, quod latini cinamomū vocant. In nostro vulgari dicitur canella, & in maxima copia-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex India orientali ad nos vehitur, & est cortex arboris lauro haud dissimilis. Alij aloes putant.

Et calami aromatici ducentos quinquaginta.

Aliqui per cheneh, quod calamum vertimus: Cassiam intelligunt, sed quia non est boni odoris, nescio an recta sit interpretatio. Dictio chaneh cannam seu calamum significat, & si per Chinemon aloes intelligas, optime per chaneh intelligeres cannam quam vulgo dicimus canellam, & indubie videtur chaneh significare canellam, (liceat mihi hoc nomine explicandi gratia vti) quoniam quædam canna esse videtur, Chinemon vero certum est significare rem odoriferam, & quæ suffitum odoriferum emittat, ex eo quod Prouer. septimo meretrix dicit. Suffiui cubile meum lachryma, aut myrrha, Aloe, ve Chinamon, id est, cinamomo. Ex quibus verbis etiam constare videtur, non significare aloen, quod nomen chinamon antecedit. Sed quænam res odorifera hæc sit ignoratur. Et aduerte quòd à latinis potius dicitur cinnamum quàm cinnamomum: vt Ouidi. 3. Fastorum libro autor est, vbi dicit. Cinnamum primum, captiuaque thura dedisti. Rabbi Dauid aloes arbitratur. Et si cassia esset aroma odoriferum, consentirem per cheneh eam significari, quoniam canne similitudinem tenet. Sed sequens dictio, scilicet chidah eam potius significare videtur, à cuiuitate sic dicta. Nam à chadad quod est incuruare, est chidah, id est, curuum seu aroma curuum, quodcunque illud sit. Præcipitur autem accipere balsami quingentos siclos: & cinamomi. 200. 50. alios verò 200. 50. calami aromatici.

Oleum olivæ Hin. Diximus hoc eodem capite, qualis fuerit apud Hebræos mensura Hin: ideo non est opus repetere.

Facies ipsum, scilicet oleum, aut omnia ista *oleum vnctionis, sanctificationis*, id est, sanctum aut ad sanctificandum, *vnguentum vnguenti*, id est, pretiosum inter omnia vnguenta, *opere vnguentarij*, id est, aromatarij, aut vt Hebraice est. Pigmentum pigmentarij. Et nota dictionem rachach, non plene notam esse Hebræis. Dicunt tamen significare, pigmenta confiecere, & rochach pigmentum: seu confectionem ex aromatibus. Est tamen Iob quadragesimo primo capite locus, qui turbare videtur hanc significationem, & eam suspectam reddere, vbi dicitur. Bullire seu feruere faciet sicut olla profundũ: mare ponet chamerchachah, id est, sicut pigmentum: vbi melius quadrare videtur. Sicut feruorem, aut coctionem. Et Ezechie. 24. Multiplica ligna, succende ignem, consume carnem, ve harchaeh hamerchachah, id est, & bullire fac bullitionem. Nostri vertunt. Confiecre hic pigmentum. Res incerta est.

Erunt sancta sanctorum, id est, sanctissima, aut tam sancta, quòd tangens illa sanctificetur, vt statim explicat, & quod dicitur.

Omnis tangens sanctificabitur, idem est quòd sanctificatione indigebit, aut purificabitur, quoniam indignus & prophanus, sancta tetigit.

Et sanctificabis illos, id est, meo cultui applicabis, aut separabis eos mihi ab aliis prophanis.

Oleum vnctionis sanctitatis erit hoc mihi, id est, oleũ ad sancta mea vngenda erit hoc, aut oleum vnctionis separatum mihi erit hoc, sed prior interpretatio simplicior est. Et quod additur.

In generationibus vestris, idem est quod apud posteros vestros.

Secundum summam eius non facietis.

Melius vertas. *Secundum numerum eius, non facietis*, & est sensus. Non conficietis vnguentum, in quo sint tot species, quot sunt in hoc, ac si dicat. Non facietis simile. Verbum tachan proprie significat metiri, mensurare, aut rectificare, & ex consequenti mensurare, quòd id quo mensuratur, rectum esse oporteat. Ezechie. 18. Non litachen, id est, erit recta via Domini? Nonne viæ meæ non litachenu, id est, rectæ erunt, domus Israel? Secundæ significationis exemplum habes cap. 33. eiusdem, vbi habetur. Quis mensus est pugno suo aquas, & cœlos palmo tichen, id est, mensus est? Posset etiam verti. Secundum mensuram eius non facietis, sicut ipsum, & hoc additamentum, sicut ipsum, posset addi explicandi gratia, aut posset esse sensus: ex tot speciebus aromaticis non facietis illi simile, vt diximus.

Sanctum ipsum, sanctum erit vobis, id est, reputabitis illud mihi separatum aut applicatum, ita vt non conficiatis vobis simile.

Qui dederit illud super alienum, id est, super rem non sanctam, aut super alienũ à sacerdote, aut super illum qui non fuerit de genere sacerdotali.

Accipe tibi aromata, Staclen & Onichan, & Galbanum aromaticum, & thus mundum. Æqualis ponderis erit.

Admonuimus frequenter Hebræos ignorare propria significata nominum significantium aues, animalia, lapides certos, & species aromaticas, ideo varie locus iste redditur à nostris & Hebræis interpretibus. Nos verò nullam certiorem coniecturam in huiusmodi habemus, quàm significationem radicis (si certa sit) examinare, & quia nataph significat proprie stillare, seu pluere, arbitror nomen nataph guttam seu stillam potius quàm staclen si gutta nõ sit, significare, & pro gutta non guttam, sed guttas interpretandum putamus. Est ergo natah species aromatica, quæ guttatim ab arbore decidit, quæcunq; illa sit, & fortassis est balsamum. Est autem staclen, vt Dioscorides lib. 1. autor est, recentis mirrhæ incisæ pinguedo, & quodam instrumento cum aqua modica detrita, maximè odorifera. Rabbi Dauid, putat esse guttam, quam arbor incisa distillat: forte vt diximus balsamum. Sequens verò dictio sachal, quam onichan vertimus, leonem significare Hebræis dicitur, vt patet Hoseeh. 5. Quia ego chasfachal, id est, sicut leo, ipsi Ephraim. Item Iob. 4. Et vox sachal, id est, leonis. Sed meo iudicio, non leonem sed catum indomitum, qui vulgo dicitur Dalgalea significare puto, aut stercus eius seu sudorem, qui magni odoris est. Si verò onicham vertas, scito onichan (autore Rabbi Dauide) esse aroma, quod in misnah vocatur sipporen, & est lenis & lucens vt vnguis. Dicitur etiam Onix. Propertius de eo sic dicit. Et crocino nares murrheus vngat onix.

Et Ghalbanum aromaticum.

Rabbi Dauid putat Chalbanũ esse aroma, cuius odor malus est, esseq; radicem arboris quæ in vrbibus Greciæ inuenitur, & est vt mel nigrum. & Arabice dicitur miah. Sed nescio an iste diuinet, cùm ad huiusmodi significationem probandam nullam afferat certam coniecturam. Radix est chalab, aut cheleb, quòd significat pinguedinem: quare meo iudicio, significat potius alia cuius arboris resinam, quæ modum pinguendinis seu adipis habet, aut si à chalab quod est lac, significabit aroma candidũ: licet prius videatur probabilius, quoniam huiusmodi species vt plurimum sunt aut guttæ, aut pinguedines seu resinæ arborum aromaticarum.

Et thus mundum. A laban quod est album, deriuatur lebonah, id est, thus, sic ab albedine dictum. De hoc nomine disputauimus Gen. 11. & Exo. 5.

Æqualis ponderis erit.

Nescio quo in loco inuenit Hiero. (quẽ Sanctes sequitur) dictionem bad significare æquale: cùm in sacris literis (quod sciam) non inueniatur. Inuenitur significare, solum, purum, sed non æquale. Leuit. enim. 13. habes. Bedad, id est, solus sedebit. Et Thren. 1. Quomodo sedet badad, id est, sola ciuitas? Quare hic vertendum est. Solum solum erit, scilicet thus, ac si dicat purum purum erit: aut purum cum puro erit, id est, vnaqueque harum specierum aromaticarum erit sola seu pura, sine vlla mixtione. Sunt qui vertunt. Tantum cum tanto erit, id est, tantum de vno sicut de alio, sed non placet expositio. Onchelos pondus in pondere vertit.

Facies mixtum mondion.

Ignorant tam Hebræi quàm nostri, propriam significationem nominis menulah: quod hic mixtum interpretantur. Radicem nominis, scilicet melach dicunt significare sal: propter id quod Gen. 19. dicitur de vxore Lot. Et fuit statua melach, id est, salis. Et 14. Est nunc mare melach, id est, salis, sed si coniecturis locus datur, videtur verbum proprie significare salire, consumi, & liquefieri, & exinde rem consumptam aut ferè consumptam, & sal quòd facilè consumatur & liquefiat: quod exemplis monstrabimus. Nam Leuitici. 2. habes. Omnis oblatio sacrificij tui, bamelach timlach id est, sale salies. Et Ezechie. 16. Ve ljomleach, id est, saliendo non salita fuisti. Alterius significationis exemplum est. Isaiæ. 51. vbi habetur. Cœli sicut fumus mimlachu, id est, consumentur, aut liquescent, vt Hieronymus vertit. Potest tamen vnica significatio verbi sustineri cum allusione. Videtur enim verbum proprie significare salire, & nomen melach sal, & ex cõsequenti misceri, quòd ea quæ miscentur videantur salita. Nam quemadmodum ea quæ saliuntur miscẽtur cum sale, ita & ea quæ miscentur vnum cum alio. Vnde nos Lusitani vocamus aliquando miscere salire: præsertim cum mixta non sunt in pulverem redacta, sicut cum calx est miscenda arenæ, dicimus. Salgaa com area, id est, sali calcem cum arena, id est, misce, & iuxta hanc significationem posset verti illud Isaiæ citatum. Cœli sicut fumus miscebuntur, seu involuentur. Solet enim fumus cum è fornace egreditur involui. Illud verò Ieremiæ. 38. quod nostri vertunt. Tulit inde veteres pannos, & veteres melachim, id est, consumptos, aut cõsumptiones. Melius vertas. Et mucidos, qui dicuntur melachim, id est, salitos, quòd mucor speciem salis præ se ferat. Nondum tamen significationem hanc tanquam omnino certam definio, quoniam coniecturis moueor, nõ certis omnino argumentis: quare admittenda est interpretatio Sanctis, quæ etiam est & Thargun, scilicet. Facies mixtũ mundum. Aut salitum mũdum, saliendo aliã speciem cum aliis, ac si sal misceres, aut sale salires.

Sanctificatio est, id est, separatum Domino aut cultui diuino.

Et contundes ex eo contundendo.

Verbum sachah Hebræis est contundere, conculcare, vt patet Iob. 14. Lapidem sachachu, id est, contudérant aquæ. Vude sachah, id est, pulvis contusus, seu sic à contundendo dictus Isai. 40. Eschachem, id est, contundam eos sicut pulverem terræ: quod nomen etiam cœlum significare dicunt, forte à contusione quod fusum sit velut æs.

Sanctum erit tibi Domino, id est, reputabis Domino separatum, vt eo non vtaris

CAPITIS. XXX. AD MORVM compositionem annotata.

Facies altare suffimenti. Quorsum tibi Domine, aromaticum suffimentum? Nunquid nares habes ad odorandum, qui purus spiritus esse diceris? Considera quæso quàm fœtida & spurca sint omnia nostra, præsertim peccata, vt thimiamate opus sit, ne Dei nostri nares offendant. Deut. 23. audi præcipientem Deum. Paxillus (inquit) erit tibi super arma tua, & erit cum sederis extra, fodies eo, & reuerteris, & operies egesta tua: Dominus enim deus tuus ambulat per medium castrorum tuorũ, vt te eruat, & det inimicos tuos coram te. & erunt castra tua sancta, & non videat turpitudinem aliquam & auertatur à te. Sed quis Domine Deus mi credet te nobis adesse, cùm nos tot immunditiis immersos videamus? Tuum est ex immundis mundos facere, qui solus mundus es.

Teges illud auro. Omnia hæc munditiam commendant. Non enim vult Dominus (vt etiam alias admonuimus) quicquam nostrum videre nisi tectum. Omnes nos immundi, & omnia nostra indigna diuinis oculis: ideo omnia tegenda. Tegendus sacedos sanctis vestibus, tegendum altare auro, etiam si ligna sitrim ex quibus factum est munda & prætiosissima sint. Hinc arbitror Paulum consulere vt Christum induamus: ne scilicet æternus pater vestimẽta nostra sordida videns

& laceta, à nobis abhorreat, nõsque fastidiat. Sed quæris, qualiter eadem vestis: tot hominũ differentis conuenire possit? Audi eundem Apostolum. Omnibus (inquit) omnia factus sum. Si Pauli vestis, aut ipse vestis est, quæ omnibus conueniat, cur non potius vestis Christi? Sed quare non dixit, Induimini Christi vestem, sed Christum? Quoniam solent etiam hypocritæ Christi vestibus tegi. Veniũt enim in vestibus ouium, sed non induũt ouem ipsam. Vt etiam ostenderet, non tuum esse Christum induere, non dixit. Induite sed induimini: quoniam Dei, non nostrum est Christum induere. Vis scire, qualiter vestis hæc omnibus conueniat? Discite (inquit) à me quia mitis sum & humilis corde. Et quis est, quem non deceat & conueniat mitem & humilem esse? Quid magis altitudinem extollit, quàm clementia & humilitas? Conueniunt hæc magnis & paruis, nobilibus & ignobilibus: vt nullus sit cui huiusmodi vestimenta excessiua aut curta sint.

Rom. 13.

Mat. 9.

Mat. 11.

Pones illud ante propitiatorium.

Voluit Dominus, odoris altare poni inter se & nos, vt indignatio eius mitigata veniret ad nos. Actum enim de nobis esset, nisi Dominus Deus, huiusmodi suffimentis ab ira quiesceret: qua de causa voluit singulo mane & vespere odorari.

Expiabit Aharon super cornua eius semel in anno.

Contagiosa valde sunt peccata nostra, vt non solũ nos contaminent, sed etiam sancta Dei. Quid quæso altare peccauit, vt sanguinis expiatione indigeat, nisi q; quæcunq; peccator tangit, etiam si sacerdos sit, immunda reddit? Nec est sine oculis prætereundum, quod Paulus in epistola quam ad Hebræos dedit, tam oculate vidit, quòd scilicet sanguine non solũ prophana, sed etiam sanctissima expiantur, & mundantur: vt intelligas neminem quantumcunq; sanctum, quantumcunque iustum, Christi sanguine ad sui munditiam nõ indigere: quem victimarum cruor, aperte adumbrabat. Ostendit etiam nobis sanguis iste, qui cuncta mundare & expiare dicitur, quàm gratum Domino sit si ex nobis ipsis vindictam sumamus, sanguinemque nostrum, si opus fuerit, pro peccatis fundamus.

Hebr. 9.

Quando capies summam filiorum Israel, dabunt vnusquisque redemptionem animæ suæ.

Dno sunt, quæ homo numerare nequit. Alterum peccata sua. Alterum beneficia Dei. Peccata (ait quidam) super numerum arenæ maris. Et alius, comprehenderunt me iniquitates, quarum non est numerus. Quis autem poterit numerare beneficia Dei? Quàm multiplicata (ait quidam) sunt opera tua Domine, impleta est terra possessione tua. Sed nunquid sola terra? Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Piaculum grande esse ostendit locus iste: si quis velit numerare, quæ Deus sine numero esse voluit.

Aduertenda doctrina. Mana. 2. Paral. vlt.

Psal.

Diues non augebit, neque pauper diminuet.

Nunquid sapientissime distributor, æqua est pauperis diuitisque fortuna, vt vtrunque in soluenda redẽptione æquare velis? Nunquid sapiens dispensator tam inique (vt videtur) distribuere onera præcipit? Absit. Sed voluit latenter ostendere, non minus esse paupertatis quàm diuitiarum munus. Quid bone pauper ingemiscis? Cogita æquam tibi cum diuite esse fortunam, aut potius Dei distributionem, & scito non tantundẽ Dominum à te, quàm à diuite exacturum, nisi tuã putaret diuitem paupertatem. Vbi etiam aduerte, neminem tam pauperem esse: qui non habeat quid offerat Deo suo. Si pauper es, nõ te excuses à munere Dei: neminẽ deest dimidius siclus, quem possit offerre deo suo. Si autem non habes: patiẽtiam quam Deo tuo offeras habere potes, quæ prætiosior est cunctis opibus.

Dabis pro opere tabernaculi.

Tenetur populus ecclesias reparare: licitumq; est exactionem pro huiusmodi facere reparatione.

Facies concham æneam quam pones inter tabernaculum & altare.

Adumbrat locus iste examen, quod quisque facere tenetur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceatur cùm ingreditur domum Dei, vt non nisi lotus ingrediatur. Sed timendum valde est (vt Augustinus annotauit) ne maculas à corpore extergas & laues, nõ autem à mente. Mirum valde est, quod non audeas illotis manibus, aut ore, Dei ecclesiã intrare: audeas verò illota ruente, & plenus peruersis, homicidiis, adulteriis, & id genus aliis peccatis ecclesiam introire. Si macula in veste aut corpore apparet, non audes intrare: si verò sordida mens & conscientia, nihil times. Specula mandat Dominus poni iuxta fontem aquæ, Specula verò tua, mandata sunt Dei. Tunc (ait iustus) non confundar: cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Et bene aduerte, non sat esse, vt ad vnum aut alterum respiciens te præceptum componas: opus est omnia prospicere, & conformiter ad singula cuncta adaptare.

Psal.

Facies olium vnctionis.

Cuncta quæ Domino ministrant vncta esse debent, & erubescat minister esse crudelis, cuius Dominus piissimus est. Istuc pertinet vnctio Aaron & filiorum eius.

Super carnem hominis non vngetur.

Confundunt homines omnia diuina: vt nihil iam peculiare habeat deus. Si fericis & acupictis vtitur Deus, vtuntur & homines. Vtebantur quondam soli episcopi chirotecis, sed quis nunc eis iam non vtitur? Omnia fœdauimus, omnia prophanauimus, quantumcunque sancta. Simias (vt ait Bernardus) cum Deo agimus cuncta eius gestiendo: quoniam ad imaginem suam nos fecit ille. Sed intelligant huiusmodi rerum diuinarum prophanatores, quali pœna mulctentur hic qui Dei peculiaria ad prophanos vsus conuertunt: quoniam succidunt a populis suis. Collige ex cap. hoc, nullum malum esse si vnguentis prætiosis diuina vngantur, & odoribus impleantur. Licet enim in noua lege præcipuus ornatus ministrorum interior esse debeat, non tamen sunt externi negligendi cultus, sed curandi, & laudandi, tum ministri qui hæc curant, cùm ad sacrum accedunt, & vestium sacerdotalium custodes qui hæc vnguentis & odoriferis aquis respergunt. Cuncta odorifera decent Deum, & hominem dedecent Audi quid Dominus dicat regi Tyri. Tu sigillas summam: plenus sapientia & perfectus decore. In Heden hortũ Dei fuisti, Omnis lapis prætiosus operimentũ tuum. Quoniam enim iste Dei insignis vsus est, ac si esset Deus, deiectus est a sua dignitate & in terram proiectus.

Cap. 28.

CAPITIS. XXXI. EXODI
annotationes iuxta literam.

Vide, vocati per nomen Beſalel filium Vri filij Chur de tribu Iehudah.

Admonuimus in Hebraismorum explicatione, idem dictu esse, vocari ex nomine seu per nomen, quod præ cæteris deligi, quemadmodum nosse ex nomine: est cæteris familiarius aliquem agnoscere Nam eorum quæ nobis sunt familiariora nomina nouimus, & proprio nomine vocamus. Aduerte etiam verbum Vide, sæpius ab Hebræis otiosè poni, vt Gen. 27. vbi dicitur. Vide, Odor filij mei, sicut odor agri pleni, quemadmodum nos Lusitani dicimus. Olha, faze isto. Dicit autem Iosephus hunc Beſalel ortum habuisse a Mirian sorore Moseh, Vri verò patrem Beſaiel, fuisse filium Chur & Miriam, sed an verũ sit nescio, certum est fuisse de tribu Iehudah, quod Hebraice in textu dicitur. De virga seu tribu Iehudah.

Et impleui eum spiritu Dei.

Quemadmodum enim Dominus flauit in nares hominis ase plasmati halitum vitæ, & in prophetas inspirabat quasi flatum & spiritum suum, quo impleti loquebantur diuina non humana: ita & hunc credimus Dei spiritu afflatum, quo probe nosset excogitare & facere, quæ nullus poterat humanus artifex fabricare. Vnde & in libro Sapientiæ legimus, spiritũ Dei omnium rerum artificem esse & putarem hunc nihil artis antea habuisse, vt maius esset miraculum, neque potuit humano modo fieri, quòd vnus homo esset omnium artium artifex supremus, qualem hunc fuisse existimandum est, quem Deus ipse docuit, quemadmodum de Selomone legimus, omnes sapientia & prudentia præcessisse.

Cap. 7.

In sapientia in prudentia & in scientia.

Hoc interesse inter hæc tria dicit Rabbi Selomoh, vt sapientia sit qua quis ab alio audit & discit: prudentia verò, quum ex suo pectore aliquid prudenter excogitat. Scientia vero quum aliquid a flatu Dei addiscit. Ego autem vt soleo ex radicibus discrimen petam, & prior dictio, scilicet cochmah, id est, sapientia, non solum sapientiam, sed etiam prudentiam significat. 1. Regum. 2. Et facies secundum chochmatecha, id est, sapientiam tuam: vbi sapientia pro prudentia seu recta ratione agibilium accipitur, & meo iudicio, chacham, id est, sapiens est qui intus sapit, & ex interiori cognitione procedit ad sapienter & prudenter exterius agendum. Tebunah verò quod vertimus prudentiam, à ban quod est intelligere ortum habet, & videtur proprie significare discretionem: vnde ab eadem radice est ben, quod est inter, quasi baian sit inter vnum & aliud diuidere vel discernere. Tertia vero dictio, scilicet daar, à iada ortum habet, quod est scire, siue intellectu siue sensu experiri. Gen. 19. Duæ filiæ quæ non iadeu, id est, cognouerunt virum. Et serua huiusmodi discrimen, quoniam istę tres dictiones passim sunt obuiæ in sacris literis. Et quod sequitur.

Et in omni opere, idem est quòd in executione omnium quæ nouerat: ac si diceret. Impleui illum sapientia prudentia & scientia, non otiosè & vanè, sed vt sciret operari & artes huiusmodi exercere,

Ad excogitandum cogitationem, ad faciendum ex auro, argento, & ære.

Quæ ab illo fieri possunt ex auro, argento, & ære.

Duo requiruntur ad sapientem artificem. Alterum vt sapienter excogitet quę facturus est, alterum vt sciat ea quæ excogitauerit operari: quæ duo hunc artificem habuisse a Deo, textus indicat.

Et in fabrefactione lapidis, id est, in sculptura lapidum.

Ad implendum, scilicet pectorale eis, aut in fabrefactione lapidis plenitudinum, id est, implentium pectorale.

Et in corde omnis sapientis corde dedi sapientiam.

Videtur textus hic subindicare, duo fecisse Dominum. Alterum impleſſe duos præcipuos artifices sapientia, scilicet noua. Alterum auxisse eam eis qui eam antea habuerant, vt illos præcipuos iuuare in opere tabernaculi possent.

Et candelabrum mundum.

Inquirit Rabbi Hizchuni, cur inter cætera, candelabrum dicatur mundum, & respondet, quòd quia non sedabatur sanguine quemadmodum alia, præter mensam etiam, quæ non tingebatur victimæ alicuius cruore. Posset etiam dici, per hoc voluisse commendare candelabri munditiam præ cæteris omnibus: quoniam propter oleum & lumen poterat facile immunditiam contrahere, ac si diceret. Et candelabrum mundum, id est, quod mundum semper seruare debetis.

Et vestes ministerij: & vestes sanctas Aharon sacerdoti,

Quidam per ministerij vestes, intelligunt vestimenta quibus vasa & omnia sacra inuoluebantur, quæ vocat ministerij, quoniam vasa ministerij tabernaculi, eis inuoluebantur cùm esset abeundum. Possemus tamen per huiusmodi vestes intelligere inferiores seu communes, quibus quotidie vtebantur in ministeriis: vnde ad literam vertendum esset. Et vestes residuæ, id est, quæ exutis pontificalibus reliquæ sunt. Verbum enim sarad significat proprie remanere, residuum esse, vt patet Iehosiah decimo, vbi dicitur. Vehaseridim saredu, id est, Et reliqui qui remanserunt seu relicti sunt ex eis, ingressi sunt vrbes munitionis. Vnde sered, Hebræi dicunt significare filum phœnicium, propter illud Isa. quadragesimoquarto. Formabit aut signabit illud, vt delineet idolum sered, id est, filo phœnicio. Quod si verum est, ideo tale filu significare puto, quòd notam cretæ

cretæ rubræ post se relinquat. Si verò runcinam, vt Hieron. vertit, significabit illã propter reliquias ligni, quas scindendo seu dolando emittit. Si autẽ vestes inuolutorias vt Hebræi dicunt, ideo eas significari puto, quòd eis inuoluerentur quæ residua erãt, postq; tabernaculũ dissoluebatur. Terti ergo hic posset. Vestes derelictionis, seu reliquas. Et eodem modo vertas infra capit. trigesimonono, versu trigesimooctauo, vbi eadem dictio ponitur: licet ibi videatur significare ministerium, quia sequitur. Ad ministrãdum in sanctuario. Significatio dictionis non plene nota est.

Verumtamen sabbata mea custodietis.

Neartifices & alij arbitrarentur, ratione operis tabernaculi licere in sabbato operari: admonuit eos inter præcepta operum, obseruantiæ ipsius sabbati. Sic infra capit. 34. cum sabbati quietem præcepisset, addidit. In aratione & in messe cessabis, ne, scilicet putarent propter temporis oportunitatem posse tunc laborare. Et custodire est seruare ne cadat aut frangatur huiusmodi obseruantia: vnde obseruare sabbatum, est non sinere frangi.

Quia signum est inter me & vos.

Statim explicat, cuius rei signum sit sabbatum aut sanctificatio sabbati, quòd scilicet sciant eum esse Deum, qui eos sanctificat, ac si dicat. Munditia, seu sanctitas sabbati, est signum munditiæ: quam à vobis ego mundus & sanctus peto, & quèadmodum nolo sabbatum meum prophanari, ita nolo vos immundos fieri, aliquo immunditiæ genere.

Quia sanctificatio est vobis, id est, quia signum est sanctificationis seu munditiæ vestræ, aut impollutum erit vobis, quoniam non prophanabitis illud, vt de sequitur.

Polluens illud moriendo morietur.

Polluebatur autem, cum opus aliquod seruile in eo fiebat: vt textus statim dicit.

Omnis faciens in eo opus, excidetur anima illa de populo suo.

Quidam putant hanc successionem fore, vt amplius talis non pertineret ad populum dei, seu ad Israelitas: sed hunc sensum exibilat quod dicitur Numeri. 15. vbi narratur lapidatus à populo qui ligna in sabbato collegerat. Nonnulli Hebræorum dicunt, talem immatura ætate moriturum, scilicet inter quinquagesimum & sexagesimum annum: quorum sententiæ non subscribo, propter datam rationem, sed sensus est quòd re vera à Domino excidetur per mortem seu reus erat & dignus qui excideretur.

Quia anima in populo suo, aut peribit.

Die septimo sabbatum cessationis est. Hebraice habetur.

Sabbaton sabbaton sanctificatio Domini: quod aliqui vertunt, vt diximus. Alij verò sabbatum sabbatuli est, vt secundum nomen sit diminutiuum prioris. Quidam enim Hebræorum, hoc interesse inter sabbat seu sabbatuu & sabbaton arbitrantur, vt sabbat significet quietem seu cessationem, quæ incipit in vespera vnius diei, & desinit in vespera sequentis diei: per sabbaton verò significari illud temporis modicum, quòd Iudæi de suo ad sabbatum adiecerunt. Nam quia nesciunt momẽtum illud quo sabbatum incipit, vt illi satisfaciant, illud vna hora citius auspicantur, & horã vna tardius claudunt, & hoc tempusculum vocant additionem de prophano ad sacrum: quod tempusculum dicunt significari per sabbaton, quod formã habet nominis diminutiui, quæ apud Hebræos constituuntur per additionem syllabæ on in fine dictionum: vt ab is, quod est vir, deriuatur iscon, id est, virunculus, sicut a sabbat quod est sabbatũ, sabbatõ, id est, sabbatulum. Sed hæc quàm firma sint, iudicium esto penes lectorem: mihi verò videtur locus sic reddendus.

Requies requiei, id est, maior requies erit vobis in die sabbati, quàm in quocunque alio festo: quod vsq; hodie Hebræi obseruant vnde & apud Ioannem legis fuisse diem sequentem mortem Christi magnum sabbati, quod maioris erat obseruantię quàm festum Paschæ, & qui vertit sabbatum quietis, quemadmodum in secundo loco nomen interpretantur Hebraicum, ita deberent illud in prioti interpretari, aut vtroque loco relinquere. Et quod sequitur.

Sanctificatio est, id est, quòd sanctum aut separatum est.

Et custodient filij Israel sabbatum, vt faciãt sabbatum: in generationibus suis pactum perpetuum.

Vt faciant sabbatum, explicatio est sententiæ præcedentis, scilicet custodiant filij Israel sabbatum, scilicet faciendo ipsum, & facere sabbatum nihil aliud est, quàm requiescere, quèadmodum Paulus ad Hebræos dicit, sabbatismum adhuc relinquendum populo dei, id est, requiescendum adhuc esse. Et quod dicitur. In generationibus suis, idem est quòd in generationibus venturis, seu posteris.

Pactum sempiternum, scilicet erit inter me & vos de custodiendo sabbato.

Inter me & inter filios Israel, signum est perpetuum.

Cuius rei sit sabbatum signum, hoc eodem capite dictum est, vt scilicet scirent quòd ipse esset Dominus, sanctificans eos. Erat enim sanctitas seu impollutio sabbati, signum sanctitatis & impollutionis Domini, cuius erat sabbatum, aut signum erat eius quod sequitur, quòd videlicet ipse fuisset orbis creator, & hoc est verius.

Quia sex diebus fecit Dominus cœlos & terram, & die septima cessauit, & requieuit.

Videtur ex hoc loco colligi, Deum successione sex dierum cuncta produxisse. Nam quemadmodum dicitur quieuisse seu cessasse, eodem modo operatũ fuisse credendum est. Cùm ergo determinata die, dicatur quieuisse, scilicet septima seu sabbato, ergo certis & determinatis diebus operatus est. Ad hoc est, quod Gen. 1. textus dicit: factam fuisse vesperam & manè, dies vnam. Cùm ergo vespera & manè importent successionem, qua vnũ alteri succedit: sequitur fuisse tunc dierum & noctium successionẽ. Tertio quia lux & obscuritas nõ possunt esse simul in eodẽ hemisphærio, ergo cum lux erat, tenebræ non erant, & sic vnum alteri successit. Et quod sequitur, cessauit & requieuit: non tam bene veritur requieuit quàm respirauit, seu halitum aut spiritum recepit: vnde vertendum est. Et die septimo quieuit & respirauit, seu halitum recepit. Nephes enim significare videtur halitum, & ex consequenti animam: quòd quidam halitus seu flatus Dei sit: vnde verbum naphaz significat spiritum seu halitum sumere, quod clarius dicas inspirare. Et loquitur hic scriptura de Deo, humano more. Nam quèadmodum homo ex labore fatigatus, cum quieuerit seu cessat, dicitur vires seu spiritũ resumere, qui inquietus erat dum laboraret: sic de Deo dicit. Nos dicimus in vulgari lingua, tomou folego, id est, halitum accepit, & cum aliquis hominem laborantem vrget, dicere solet. Sine me halitum accipere, Deixame tomar folego. Rabbi Dauid dicit, verbum significare animo quiescere. Hieronymus vertit supra. 23. cap. refrigerari, vbi de verbi significatione diximus quod nobis videbatur. Quod verò halitum significet, constat Iob quadragesimoprimo, vbi dicitur. Naphso, id est, halitus eius carbones inflammabit.

Dedit duas tabulas testimonij.

Nomen luach tabulam significat, & lachah maxillam, quòd modum tabulæ habeat. Et meo iudicio, esans istæ duæ tabulæ coniunctæ ad modum tabularum libri, ita quòd altera altera claudebatur, & ex interiori parte vtriusq; erat scriptura Dei. Quod verò additur. Testimonij, dicebantur testimonij, quia testabantur pactum quod erat inter Deum & Israel: qua de causa factæ sunt lapidiæ & sculptæ, vt diutius durarent, & pactum testarentur.

CAPITIS. XXXI. AD MORVM
compositionem annotata.

Vide. Vocati ex nomine Beſalel.

Audis hic quàm attentum Dominus quærat auditorem, qui scilicet cum maxima consideratione audiat, quid ei dicat dominus eius. In priori Samue. li. c. cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap. legimus, cum sæpius à Domino vocatum suo nomine, nec tamen Dominum ad eum locutum antequàm ipse verbo Domini attentum præberet aurem. Loquere (ait) Domine quia audit seruus tuus. Beatus homo quem tu domine ex nomine vocaueris, sed multo per omnia beatior, quem ex nomine nouerit. Tertio expende qualiter Dominus nihil humani in suo voluerit opificio: licet enim hominem elegerit, non tamè alium, quàm quem ex nomine nouerat, & cui artem infuderit: vt ex hoc loco discamus in operibus quæ Deo operamur, omnem secludere humanum affectum, & cuncta facere ex spiritu Dei. Similiter quàm nihil valeat humana industria in his quæ sunt Dei, vt meritò Paulus dicat, omnem sapientiam nostram stultitiam esse apud Deum.

2. Cor. 3. *De tribu Iehudah.* Solent principes, cùm aliquem è puluere extollunt, in immensum magnificare: quod Dominum fecisse tribui Iehudah, ex multis locis deprehendes. Ipsam ad regnum extulit. Ducem in cunctis præliis constituit, & ita euexit, vt præ cæteris ad fabricam opificij sui suo spiritu impleuerit, & inter omnes alias tribus delegerit. Est & hic aliud quod aduertere nobiles debeant: quare videlicet Dominus vnicum artificem ad omnia opera facienda elegerit, vtscilicet in auro, ære, ferro, lignoque fabricaret cuncta necessaria. Nunquid bone Deus, deerant artifices in populo tuo, quos ad opus tuum multiplices, vt non sic vni cuncta committeres? Sunt multi reges & principes, qui se tales non arbitrãtur, nisi ad quodlibet munus suum habeant distinctum ministrũ. Alius culinam curat: alius equos, atque alius mensam, cubiculum alius, atque alius vestes, & id genus alia. Nunquid maiores estis Deo vestro, qui vnico artifice contentatur ad omnia opera sua? Et si vnicus ad multa ministeria idoneus & sufficiens est, cur sic eos in immensum multiplicabis? Vnde fit, vt cum non possint tantam alere familiam, cogantur famuli latrocinio victum quærere.

Vide Bernardi epistolam.

Considerandum etiam est, quantum vitauerit in hac re, ministrorum confusionem, qui vnicum artificem omnibus præfecit.

Ad cogitandum cogitationes, & ad faciendum.

Non temerè aut ex abrupto ad opus ipsum aggrediendum esse admonentur artifices, imò cuncti operarij, sed præuia cogitatione omnia facienda sunt.

Dedi secum Aboliab. Non indignatur neque ægre fert Beſalel alterius socij cõsortium, quemadmodum mundi artifices, ac principum ministri. Serui Dei libenter societatem admittunt: quia non tam quæ sua sunt quærunt, quàm quæ Domini. Serui verò principum, quia quæ sua sunt quærunt, non quæ ad principem pertinent, comitem respuunt, & torue aspiciunt.

Luc. 10. Conqueritur apud Lucam Martha, quòd soror Maria eam solam reliquerit in ministerio Domini: quoniam tam magnum eum æstimabat Dominum, vt non sola ad eius ministerium sufficeret: ideo sororem in adiutorium à Christo petit.

In corde omnis sapientis corde, dedi sapientiam.

Non solum nouas artes de nouo indidit dominus, sed etiam humano ingenio & labore acquisitas auget & perficit, vt nos doceat non solum noua facere, sed reparare antiqua, & credibile est tã nouas quàm auctas, omnibus acquisitis fuisse perfectiores. Quod etiã ideo fecisse credo, ne antiqui artifices: erga duos inuidia torquerentur.

Tabernaculum ecclesiæ, & arcam.

Quid opus est Domine, toties hæc famulo tuo inculcare? Nunquid non iam ante prædixeras illi, quid illi essent facturi? Solet Dominus præcepta sua repetere: quoniam nouit nos sæpius obliuionem causari.

Candelabrum mundum.

Admonet nos locus iste, ea maximè mundare, quæ sordibus occurrentibus magis fœdari solent. Audi Paulum. 1. ad Corinthi. 12. hæc eadem admonentem. Membra inquit, quæ minus honesta putamus, his vberiorem honorem apponimus, & indecora nostra, copiosiorem decorẽ habent. Cæterum quæ decora sunt nostri: non opus habent.

Verumtamen sabbata mea custodietis.

Memini me alias admonuisse considerandam huius legislatoris sapientiam: qui malo quod præuidebat futurum, tam prudenter occurrit. Solent enim auari homines, negligere quietem, in se quidem crudeles, mites in pecuniam & opes: qua de causa inter labores, eos voluit admonere quietis. Est hic & aliud considerandum. Sunt multi qui se religiosos arbitrantur, neq; se festos dies violare putant, si opera seruilia faciant intuitu pietatis, aut religionis: puta si vestes pauperum consuant, pro captiuorum redẽptione piscentur, & id genus alia seruilia faciant: quos hic meritò Dominus arguit. inter opera religionis: quietis sabbati nos admonens. Noui tamen post diuulgatum Euangelium, dies festos non tam stricte seruandos quemadmodum in lege veteri, sabbata & alia. Nõ sunt tamen etiam nunc violanda festa: cum scãdalo proximorum. Vides hic qualiter Dominus noluit propter opera sua sabbata prophanari, quid putas faciet cùm propter nostra violauerimus.

Vt sciatis, quod ego Dominus sanctificans vos.

Diligit munditiam in nobis Deus noster: in cuius signum, noluit nos conspurcare sabbatum suum.

Sex diebus fiet opus: die septimo requies requiei est.

Vide quæso Dei tui liberalitatem. Exigunt Domini qui seruos habent omnes operas seruorum suorum, & ita eos vrgent, vt neq; ad horam sibi sinant laborare. Non sic facit tibi Dominus Deus tuus, sed sex diebus te tibi sinit laborare: septimo verò non sibi te laborare vult, sed quiescere. Nonne Domine Deus noster æquum esset, vt tibi sex diebus laboraremus, nobis autem die septimo quiesceremus? Nonne sakẽ ad vnam aut alteram diem tibi seruire? Minimè, sed nobis vis laboremus, tibi verò quiescamus. Discite quæso ex hoc loco auari Domini, requiem aliquam seruis præstare vestris. Audite apud Isaiam Dominum Deum vestrum. Nonne (inquit) hoc est ieiunium quod elegi? Vt soluas colligationes impietatis, soluas fasciculos, & dimittatis confractos liberos, & omne iugum dissumpatis.

Isaiæ 58.

Dedit Dominus Moseh duas tabulas lapideas, scriptas digito Dei?

Ne putaremus leges per quas iudicari debemus antiquandas aut abolendas, lapide sculptas scriptura docet. Vis scire, quamdiu istæ tabulæ sint duraturæ? Audi Dominum apud Ezechiẽ. Educam vos de populis, & congregabo vos de terris in quas dispersi estis, manu valida, & brachiis extentis, & furore effuso. Et adducam vos ad desertũ populorum, & iudicabo me vobiscum ibi facie ad faciem, sicut iudicaui me cum patribus vestris in deserto terræ Ægypti, & transire faciam vos sub virga & adducam vos in vinculum fœderis, per quod constat legem intelligere. Quod autem sequitur.

Cap. 20.

Scriptas digito Dei, nos admonet quanti nos fecerit Deus noster, vt scripturam quamuis nos dabat, suo digito, non alicuius angeli aut hominis scribi voluerit. Si enim principes pluris faciunt eos quibus manu propria scribunt, quanti faciendus est populus cui Deus omnium creator suo digito leges exarare dignatus est? Commendare voluit Paulus Christi modicus seruus, literas quas ad ecclesias dabat, quòd ipse eas manu propria subscripsisset, quanto magis commendabilis est lex quam scripsit Dominus Deus?

CAPITIS. XXXII. EXODI annotationes iuxta literam.

ET vidit populus quòd moram faceret Moseh descendere è monte.

Ponitur hic verbum bosses, quod aliqui ex Hebræis & nostris dicunt significare morari, & tardare, quoniam hoc videtur significare Iudicum quinto, vbi mater Sisaræ dicit. Cur bosses, id est, tardauit currus eius? Et isti

isti hic vertunt. Quia moram faceret seu tardaret. Aliqui verò dicunt verbum bosses eiusdem esse significatiæ cum verbo bus, quod significat pudore suffundi, confundere, seu confusionem facere, & isti meo iudicio, rectius sentiunt: quoniam significatio loco huic quadrat, & verbum à sua significatione non distrahit. Iam enim alias admonui, verba quiescentia ain vau, & quiescentia lamedhe, & duplacata earundẽ literarum, esse vt plurimum eiusdem significationis. Quod verò hæc significatio loco conueniat, patet. Cùm enim aliquis alium verum expectat, maximè cum qui se venturum pollicitus est, si non veniat, se delusum putat & confusum. Vnde & Dauid Dominum precatur: ne eum à sua expectatione confundat. Cùm ergo Moseh se venturum prædixisset, & tardasset quadraginta dies. putauit populus se delusum ab eo, quia non putauit eum amplius venturum, & cupiebat requiescere in terra sibi promissa. Neque Moseh in suo discessu prædixerat tempus moræ, quoniam ignorabat quàm diu Dominus vellet eum in monte detinere. Est ergo locus sic reddendus.

Psal.

Et videns populus quod confusionem faceret Moseh, in descensu de monte, seu descendere de monte, abiit ad Aharon: ac si dicat. Cùm vidisset populus quod Moseh confudisset eum: promittens se venturum, & nõ veniret, & confunderet eos ab expectatione sua: ruit ad Aharon. In qua significatione potest verti quod ex Iudicum libro citatum est. Cur cõfusionem fecit nobis currus eius, quem sperabamus venturum & non venit? potest tamen communis expositio admitti, quoniam bona est.

Congregatus est populus super Aharon.

Posset etiam verti, contra Aharon, vt Sanctes vertit, quoniam quasi seditiosè conueniebant ad eũ, sed quia nondum forte manifestabant seditiosum animum, videtur melius, super Aharon.

Nescimus quid fiat illi. Sic Hebraice est, quod tamen bene vertitur per nescimus quid acciderit ei. Nos Lusitani hunc loquendi modum habemus. Cùm enim in quo loco aliquis sit ignoramus, dicimus. Nã sei que foi delle, id est, nescio quid de illo factum est. Et credibile est, columnam nubis & ignis, hoc toto tempore quo abfuit Moseh, defuisse Iudæis: quoniam si columnam ducem haberent, non quærerent Deos ductores. Et quod dicitur.

Fac nobis Deos, potest verti. Fac nobis Deum: quoniam elohim licet sit plurale, pro singulari sæpius vsurpatur.

Rumpite inaures quæ sunt in auribus mulierum vestrarum filiorum vestrorum, ac filiarum vestrarum: & adducite ad me.

Verbum parach, quod hic ponitur, significat proprie separare, & diuidere, rumpere verò ex eo quod id quod rumpitur, scinditur, & diuiditur: & per vtrumque verbum potest reddi verbum Hebraicum. mihi tamen magis arridet separare, quoniã magis propria & communior est hæc significatio: vt Genesis vigesimoseptimo. Vparachta, id est, separabis iugum eius à collo tuo: quod alij vertunt. Rumpes. Et Psalmo septimo. Ne forte rapiat vt leo animam meam. Porech, id est, diuidat seu separet partẽ à parte, & non sit qui eripiat. Threnorum quinto videtur significare eripere, qui dicitur. Serui dominati sunt nostri, porech, id est, seruans vel eripiens non est de manu eorum, sed ibi etiam verti posset. Separans non est de manu eorum: quoniam eruere aliquem de manu alicuius, nihil aliud est quàm separare eum, & videtur hæc significatio omnibus locis quibus verbum ponitur, quadrare. Præcepit autem Aharon, vt inaures vxorum & filiarum rumperent seu separarent, & ad se adducerent: quoniam arbitrabatur hac de causa posse eos ab incœpto malo detinere. Nullum enim lapidem non mouit, quo negotium in aduentum Moseh differret: qua etiam causa vitulum in metallum sculpsit, totamque auri massam in ignem proiecit, vt videntes auri sui dispendium pœnitudine moti, à proposito desisterent. Putant enim futurã turbationem in cunctorum habitaculis, si viri ab vxoribus & filiis inaures auferrent, & sic saltẽ propter domesticam turbationem, vitandam, ab incœpto desisterent, sed populus ad idololatriam facilis & pronus non dilulit quod iussus fuerat implere, & ad hoc propositum magis videtur conuenire rumpere quàm separare: quoniam fractis & ruptis inauribus, nulla iam erat spes restitutionis. Erat autem mos apud orientales matronas, inaures ad aures suas & filiorũ suspendere, imò vsque hodie, etiam viri tales gestare solent: quemadmodum propriis luminibus me vidisse recolo in aula clementissimi regis nostri: apud quem erat orator regis Hormuzij cuius Dominium ad oram sinus Persici esse dicitur: qui ab vtraque aure suspensas habebat inestimabiles margaritas, & ab orientalibus nostræ fœminæ didicerunt hæc gestare. Hunc autem morem, apud orientales fuisse Plinius testatur vndecimo libro, capite trigesimo septimo. Neque in alia parte (inquit) fœminæ magis impendunt margaritis dependentibus. In oriente quidem, & viris aurum gestare eo loci, decus existimatur.

Et finxit illud cum stilo.

Varias significationes tribuunt Hebræi dictioni Hebraæ cheret, quam vertimus stilum. Dicunt enim significare stilum quo scribuntur literæ, aut sculpuntur. Secundo marsupium, ad quod probãdum eiunt illud secundi Regum quinto. Et ligauit duo talenta argenti in duobus charitim, id est, marsupiis. Quod Hieronymus vertit In duobus saccis. Tertio dicitur significare actum, iuxta illud Isaiæ tertio. Ve acharitim, id est, &c acus. Vbi significat ornamentum muliebre: quod verò illud sit, non plene constat. Sed re vera vnica est nominis significatio, scilicet stilum, aut quod modum stili habet, vt est vectis, & acus. Dictio etiam ponitur Isaiæ octauo, vbi sic habetur. Sume tibi volumẽ grande, & scribe in eo becheret, id est, cum stilo hominis, aut cum calamo hominis: quod aliqui interpretantur stilo manifesto, vt omnis homo possit illud legere, vt Thargum exponit. Rabbi verò Dauid dicit rectum dicere, stilo hominis, vt significaret scripturã non debere esse secũdum spiritualem visionem, sed re ipsa. Mihi verò hic sensus illorum verborum esse videtur. Scribe in eo stilo hominis, id est, calamo, vt faceret differimen inter ferreum stilum, quo vtuntur artifices celatores, & calamum quo omnes homines indifferẽter vtuntur, quoniam dicitur, sume tibi volumen. In voluminibus enim non stilo ferreo aut æreo, sed calamo scribimus, & hac de causa addidit, hominis. Illud verò quod ex secundo Regum citauimus, potest sic reddi. Et ligauit duo talenta argenti in duobus charitim, id est, vectibus ad modum stilorum. Nam sequitur ibidem statim. Et posuit super duos pueros suos. Solent enim homines qui pedites incedunt & onus portant, ligare onus ad lignum aliquod forte, & super dorsum portare: quemadmodum apud nos faciunt Vasconij, qui cacabos & chaldarias reparant, & iste proculdubio est sensus illius loci, qui non distrahit nomen à propria significatione, & contextu literæ innatum. Formauit ergo Aharon seu finxit vitulum stilo in architypo seu forma lutea, vt solet fieri, cum æs fundi debet ad opus aliquod fusile, & aurum fudit, & formatus est vitulus. Aliqui per stilum intelligere voluerunt formulam seu typum, in quem proiecerit Aharon aurum, quod fusum expreſſerit vituli similitudinem: quod non placet. Alij dicunt, Aharon auri massam in ignẽ proiecisse vt funderetur, postea verò eandem illam massam stilo digessisse, & formam vituli expressisse, sed melius est vt credamus, illum in luto stilo finxisse, & postea in igne fudisse.

Fecit illud, scilicet aurum vitulum fusile.

A verbo agal derivatur agol, quod est rotũdum secundum Hebræos, sed meo iudicio, dictio illis & nobis ignota est: duo tamen significare videtur: agol. s. rotundum & agil inane, sic à rotunditate dictã. Maagal verò significat semitã & proprie viã inter duas macerias clausam: vnde egel significare videtur vitulum, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

in pede habeat quasi viam clausam inter duos parietes, aut quia pedem rotundum habet. Et forte idem significant agol & agil, sed rem non diffinio, quia nondum certam habeo. Agil enim videtur significare ornamentum auris, aut alterius membri: dispositum ad modum vię inter duas macerias, & si sit ornamentum brachiorum forte est illud quod nostri vocant bracelletes, & habet modum cannalis aquarum, hoc excepto, quòd est rotundæ figuræ.

Solemnitas Domino eras.

Significat cagag, saltare & commoueri. Psal. 107. Lachogu, id est, saltabunt & mouebunt se sicut ebrius, & ex consequenti significat diem festũ agere, quòd agentes diem festum soleant saltare. Inde chag, id est, solennitas, tripudium. Disputauimus de huiusmodi significatione supra capit. decimo huius libri. Dicitur etiam pecus seu agnus chag. Psal. centesimo decimo octauo a saltando seu tripudiando. Vnde posset hic verti. Tripudium Domino eras. Et quod sequitur eras, putarem nomen machir esse potius à chur, quod est licere, quàm à machar, quod est prætium. Res tamen incerta adhuc est.

Ascendere fecerunt holocausta, scilicet super altare, aut in fumum ad honorem idoli sui.

Et appropinquare fecerunt pacifica.

Melius integra, quoniam vt sæpe testati sumus, hoc sacrificij genus, pro domus incolumitate & integritate offerebatur, & nomen salom, non tam pacem, quam integritatem significat.

Surrexerunt ad ludendum.

Disputauimus abunde Genesis decimooctauo, & vigesimo primo, de significatione verbi sachah, id est, ridere, ludere, nos dicimus: (fazer zombaria) parui pendere. Neque sumitur hic ludere, pro idola colere, vt putauit Rabbi Selomoh, sed vt idem est quòd tripudiare, ludere ad modum puerorum, vt patet ex loco Genesis vigesimoprimo citato, vbi dicitur. Et vidit Sarah filium Agar mesacheh, id est, ludentem cum Isaac. Solebant gentes in festis idolorum suorum comedere de immolatis victimis suis, & in eorum honorem ludere, & saltare, festosque ducere choros. Fecerunt autem Iudæi quemadmodum facere in Ægypto viderant, & hunc sensum sequentia probant: quoniam postea dicitur Iehosuah Mosi interrogasse de clamore audito in castris: Mosi verò respondisse, se vocem cantantium non bellantium audire.

Corrupit se populus tuus.

Licet verbum charat, quod corrumpere vertimus, in multis scripturæ locis ponatur, & passim in eis obuiũ sit, nondum tamen nota est propria eius significatio, vt Genesis trigesimooctauo admonuimus frequenter tamen ab interpretibus effertur per corrumpere. Aliqui vertunt. Quia corrupit populus tuus, scilicet viam suam. Dicitur autem populus corruptus per idololatriam admittens alienum Deum, quemadmodum mulier coniugata, admittens adulterum: vnde sequitur, quasi explicans quid sit dictu corrupit viam suam.

Recesserunt cito de via quam præcepi eis: quasi idem sit corrumpere viam aut se, quòd recedere à via recta. Et per viam hic doctrinam legis aut legem ipsam intelligit: quemadmodum in multis scripturæ locis. In Psal habes. Beati immaculati via, qui ambulant in lege Domini. Et textus hoc indicat dicens. De via quam præcepi eis, id est, de præceptis meis.

Dimitte me. Sunt duo verba quasi einsdem significationis, scilicet tanah & nuah quarum prius dicitur significare dimittere, quiescere facere: secundum verò quiescere. Hic tamen ponitur niab, quod est dimittere, & est sensus. Non resistas mihi precibus tuis. Non te obiicias mihi, aut furori meo. Neque perperam vertas. Quiescere fac me, id est, sine me vindictam sumere de eis, vt quiescam. Solet enim irati homines, cùm vindictam ex hostibus sumũt, à commotione & ira quiescere, iuxta illud Isaię. Heu vindicabor de hostibus meis, & consolabor de inimicis meis: quod aliqui perperam intelligentes putarunt, Deum velle dicere, se post vindictam consolatione egere, vt ostẽdat se inuite seu non sua sponte punire, sed re vera textus illud non prętendit. Et considera Dei misericordiam: qui ex his verbis ostendit Mosi, se velle eum pro populo precari.

Faciam te in gentem magnam.

Dupliciter locum istum nostri interpretantur. Alij. Dabo tibi sobolem in magna copia: vt scilicet in te compleantur promissiones meæ factæ patribus. Sic Genesis duodecimo dixit Abrahæ. Faciam te in gentem magnam, id est, dabo in magna copia posteritatem, & est Hebraismus. Alij. Faciam te in gentem magnam, id est, ducem maioris populi, quàm ille sit, constituam. Prior tamen sensus videtur germanior: quoniam promissiones seruat, & sensum communem Hebraismi non mutat.

Et deprecatus est Mosi faciem Domini.

Verbum chalah significat proprie ægrotare, languere, & debilitari. Ex consequenti orare, quòd orans debilem se ostendat, ad eum quem orat, aut quia eius animum debilitat & flectit rigorem.

In fortitudine magna & in manu robusta.

Intelligit per fortitudinem, vim interiorem, per manum verò punitionem, quam aduersus Ægyptios exercuit. Considera neruos, & vim orationis Mosi, & quàm sapiẽtem agat oratorem coram Deo. Tria enim apponit perditioni comminatæ. Primum ne putans se in inimicos & alienos sęuire, sęuiat in se. Prouerbium commune est apud nos. Qui seruum suum seruat, aurum suum custodit, & qui seruum prodigit, suam prodigit pecuniam. Et ideo dicit.

Vt quid Domine irascitur furor tuus in populum tuum?

Secundo obiectat illi infamiæ notam, quam incurret, si eos occiderit: quòd scilicet reputabitur ab Ægyptiis malitiosus & impotens: & isthuc tendit quod sequitur.

Vt quid dicent Ægyptij, malitiose eduxit eos?

Tertio veracitatem, quòd scilicet cùm sit summe verax, reputabitur mendax & periurus, quoniam iurauit patribus se daturum terram promissionis posteris eorum, & tamen non dederit.

In malo eduxit eos.

Sic in Hebræo est, & est sensus. Dicturi sunt Ægyptij cùm viderint Israel deletum à te: quòd eos non ad bonum suum, vt putabatur, sed ad malum, vt scilicet eos occideres in montibus, eduxeris: ac si dicerent. Putabamus populum suum è terra nostra eduxisse, vt daret illi terram fluentem lacte & melle, & constat eos eduxisse, vt in montibus occideret. Quare non tam bene redditur. Callide seu malitiose, vt noster vertit.

Pœniteat te super malum populi tui.

Duo Hebræis significat verbum nachal, scilicet consolari, & pœnitere, sed vbi ipsi vertunt consolari tam bene quadrat pœnitere, vt secundo Samuelis decimotertio, vbi nostri vertunt. Quia nicham, id est, consolatus fuerat super Amon: verti potest. Quia eum pœnituerat, scilicet doloris super mortem Amon. Et quod sequitur.

Super malo populi tui, id est, super malum quod cogitasti illi facere. Posset etiam verti. Et consolare super malum populi tui, id est, quod fecit populus tuus. Et aduerte quod Mosi non solum precatur Dominum, vt non puniat, sed vt eum pœniteat voluisse punire.

Et pœnituit Dominum, id est, ad modum pœnitentis se habuit: qui non facit quod erat facturus.

Et vertit se, & descendit Mosi de monte.

Noster Sanctes vertit hic, & aspexit, quoniam verbum panah, etiam aspicere Hebræis significare dicitur, & multa alia, scilicet declinare, vertere, & aptare, sed meo iudicio, proprie significat vertere, & ex consequenti aspicere: quod qui se vertit, aspiciat ad locum ad quem se vertit. Deuter. trigesimoprimo habes. Quia panah, id est, vertit se ad Deos alienos. Et Ieremię sexto. Quia panah, id est, vertit se dies ad occasum. Idem Canti. 6. Quo panah, id est, diuertit se dilectus tuus? Loco autem huic magis quadrat. Et vertit se Mosi, quàm. Et respexit. Loquebatur enim Mosi cum Domino: & postquàm putauit se exauditum, conuertit se ad iter quo erat descensurus: vnde sequitur.

Et descendit. Scripturæ à duobus lateribus earum.

Vocantur istæ duæ tabulæ testimonij, quia testabantur pactum inter Deum & Israel. Dictio eber quæ hic ponitur, non significat latus, sed ante: quemadmodum abar transire, anteire: ideo non bene hic vertitur. A duobus lateribus, sed vertẽdum est ab anterioribus, seu à duabus superficiebus, vt alij vertunt, licet non tam germane sicut ab anterioribus: quoniam per hoc soluitur quæstio quam Hebræi & nostri hic controuertunt, vtrum scilicet istæ tabulæ fuerint ab vtraque parte scriptæ. Constat enim ex hac interpretatione, quòd non, sed solum à parte anteriori. Et vt iam diximus, tabulæ claudebantur ad modum tabularum libri, & hoc non solum proprietati nominis eber, magis consonat, sed etiam reuerentiæ illarum & custodiæ, quoniam tabulæ clausæ, præcepta reuerentius asseruabãt; atq; diutius poterant clausæ ad modum libri seruare. Potest etiam sustineri interpretatio Sanctis, intelligendo per duo latera, non vtrunq; cuiusq; tabulæ, sed alterum vtriusq;, scilicet anterius. Et quod sequitur.

Hinc & inde, non est intelligendum quòd ab vtroque latere cuiuslibet, seu ad duo latera, sed ad duas manus, scilicet dexteram & sinistram. Et crediderim tot præcepta scripta in vna, sicut in altera: quoniam otiose esset locus vacuus in altera earum, si solum tria præcepta scripta haberet, vt August. dicit, sed puto quinque scripta in qualibet earum.

Opus Dei ipsæ, id est, non solum scriptura tabularum erat opus Dei, sed dolatio ipsa tabularum. Et litteræ erant sculptæ, vt diu durare posset scriptura.

Audiuit Iehosuah vocem populi perstrepentis, aut *vociferantis.*

Verbum Hebraicũ rahah, significat frangere, tumultuari, & vociferari. Vociferabatur enim populus exiocunditate & lætitia, eleuans in aëra voces.

Non est vox respondentiũ fortitudinẽ, et non est vox respondentium debilitatem, sed respondentes ego audio.

Iste est Hebraismus, & locus difficilis est, & varie à nostris & Hebræis intelligitur, & difficultas prouenit ex ignorantia propriæ significationis, aut ex æquiuocatione vocabulorũ hic positorum: de quibus prius tractabimus. Et solum duorũ vocabulorum significatio dubia est, scilicet anah, quod vertimus respondere, & chalusah, quod dicitur significare debilẽ esse. Et quòd hoc significet, coniectura non parua est apud Iohelem capi. 3. vbi dicitur. Hachalos, id est, debilis dicat, fortis sum. Aliud verò verbum, scilicet anah, duo proprie significat, scilicet respondere, & humiliari: exempla prioris significationis sunt in multis locis scripturæ: vt Iere. 23. Quid anah, id est, respondit Dominus? Deut. 19. Mendacium anah, id est, respondit in fratrẽ suum. De secunda verò significatione exempla habes Psalm. octagesimooctauo. Omnibus fluctibus tuis hinita, id est, humiliasti me. Et. 119. In veritate tua hinitani, id est, humiliasti me: Idem Thren. 5. Mulieres in Sion hinu, id est, humiliauerunt. Aduerte tamen quòd Hebręi vtuntur respondere pro loqui. Non est etiam certum nomen chalas, significare debilem esse, & ex locis vbi verbum chalas ponitur & nomina ab eo derivata, videtur potius verbum significare succidere, mancũ reddere, quàm debilitare, quod ex verbis Iob capite decimoquarto conuinci videtur: vbi dicitur. Quia arbori est spes, quòd scilicet succisa germinabit, & vir moriętur vaiechas, id est, & succidetur omnino. Nam sequitur. Mortuus est homo & vbi est? Vbi hoc interesse dicitur inter succisam arborem & hominem: quod arbor succisa reuiuiscit, si radices habeat, homo verò omnino moritur, vt scilicet naturaliter non resurgat amplius. Et quod ex Ioele citatum est, verti posset. Mancus seu succisus dicat, fortis sum. Significatio tamen hæc non mihi omnino certa est. Secundum ergo hanc significationem potest esse sensus loci istę. Non est vox respondentium seu clamantium fortitudinem, id est, fortium iactantium suam fortitudinem in victoria: neque est vox respondentium seu clamantium succisionem, id est, se succisos, aut debilitatem, id est, debilium clamantium se imbecilles aut debiles, sed vocem respondentium aut clamantium, scilicet in choris ego audio. Sic etiam Onchelos vertit. Non est vox vitorum qui vincunt in prælio, neque vox debilium qui vincuntur: vocem ludentium ego audio. Septuaginta verò sic. Non est vox præcinentium pugnam, neque vox præcinentium fugam, sed vocem præcinentium vinum ego audio. Noster verò Sanctes in lexico pagina. 1776. vertit. Non est vox clamandi fortiter, neque vox clamandi debiliter: vocem cantandi ego audio. Hieron. verò. Nò est clamor adhortantiũ ad pugnam, neq; vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio. Infer quas prior, & ea quæ est Sanctis videntur textui germaniores.

Vidit vitulum & choros. A chalal quod est polluere & initiari deducunt Hebręi mecholot, id est, choros, sed cum nullam allusionem habeat chorus, ad illa duo, videtur potius deriuari à chol quod est castrametari, quòd scilicet chorus præ se ferat castrorũ speciem. Qui enim chorizant, exercitum agunt.

Fregit eas, scilicet tabulas, *sub monte.*

Aliqui hoc tribuunt perturbationi ipsius Mosi, vt scilicet furore turbatus tabulas fregerit, sed melius sentire videntur, qui dicunt eum ideo eas cõfregisse, quòd eos tanto Dei munere indignos reputaret: qua etiam causa: eas alicui tradere noluit.

Fregit eas sub monte, id est, ad radicem montis.

Moluit, donec in puluerem redegit.

Posset etiam verti. Vsquequò tenue aut puluis, scilicet esset. Et sic Hebraice ad literam habetur. Verbum dachad, à quo doc, id est, tenue, significat potius attenuare quàm in puluerem redigere, licet quasi sint idem. Inde noch, id est tela sic à tenuitate dicta Isaiæ. 22. Qui extendit chadoch, id est, sicut telam cœlos aut sicut tenue.

Disperfit super faciem aquarum, & potauit filios Israel.

Disquirendum hic meritò est, cur sanctus Mosi, vitulum in tenuem pulnerem redegerit, & in aquas proiecerit, atq; ex huiusmodi aqua potauerit filios Israel, & crediderim quòd vt eis idololatriæ nauseam induceret, voluit vt pulueribus idoli sui satiarentur. Sic Numeri vndecimo fecit. Cùm enim populus carnium desiderium flagraret, satiauit eos vsquequò per nares eam proiicerent. vt satiati de cætero, eas amplius non desiderio. Secundo vt sibi persuasum haberent nihil reliquiarum idoli sui mansisse, quas postmodum superstitiosè colerent: quemadmodum sancti dicunt, Deum corpus sancti Mosi occultare Iudęis voluisse, ne postmodum superstitiosè illud venerarentur, quem admodum æneo serpenti fecerunt: cui diuinos honores impenderunt, vsquequò sanctus Ezechias religiosè serpentem confregit, & combussit: vt historia secundi Regum, capite decimooctauo docet.

Induxisti super eos peccatum grande.

Licet populus fuerit primus autor sceleris, quia tamẽ sacerdotis summi erat, eos reuocare aut saltẽ detinere, ideo eum prius arguit. Dicit autem eum induxisse super eos peccatum grãde: tũ ratione ipsius peccati, tum propter grauem punitionem, qua mœrebantur à Deo puniri. Nituntur Iudæi hic, non solum pontificem, sed etiam populum, à peccato excusare: vt omnem populi culpam, in illam proselytorum quæ cum eis ex Ægypto ascenderat colluuiem reiiciant. Aharonem autem ita excusant. Primum quòd nullum lapidem non mouerit, vt populum ab incepto reuocaret. Iussit enim sibi inaures afferri, vt populus dispendium monilium considerans, à peccato cessaret. His quoque addunt vitulum non Aharonis opere, aut ignis virtute, sed magicis proselytorum artibus: præter omnium expectationem, prodiisse: quod ex ipsis verbis Aharonis colligunt dicentis Mosi.

Proieci in ignem aurum, & egressus est vitulus iste.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed quòd pontifex peccauerit in hoc facto, ex multis constat. Primum quia Moseh hic eum arguit, dicens eum induxisse super populum peccatum grande. Secundo qua Deut. nono idem dicit, Dominum, scilicet aduersus Aharonem maximè iratum, voluisse eum delere, nisi ipse precibus occurreret. Peccauit ergo Aharon: primum quòd populum non compescuit aut detinuit bonis verbis. Potuit enim eis policeri breuem fratris aduentum, & sic eos ad vnam aut alteram diem detinere & humanum ducatum præstare: quòd videlicet homine electo pergerent. Secundo peccauit formando vitulum ex auro & inauribus ad se deductis: & videtur mentiri, cùm dicit Moseh vitulum exigne egressum, cùm textus dicat eum stilo sculpsisse. Tertio peccauit: quòd postquàm vidit fusum vitulum, altare construxit, solennitatem Dei proclamauit, victimas obtulit. An verò fidem perdiderit interiorem, non constat ex verbis literæ, & videtur quòd timore fecerit omnia hæc, quemadmodum historiæ tradunt de Marcellino, & de Petro facta historia licet de Petro constet ex vigesimo Ioannis capite: totam fidem interiorem perdidisse, licet quidam putent eum non amisisse eam: cum Christum negauit.

Quod verò populus peccauerit certo certius constat: licet potuerit esse: quòd proselyti, qui cum eis ex Ægypto ascenderant, eos incitauerint ad malum: quod eos nullo pacto excusat.

Quomodo in malo ipse? Quidam vertunt. Quod ad malum sit pronus. Posset etiam verti, quòd in malo ipse, scilicet semper fuerit versatus.

Egressus est vitulus. Mentitur timore perterritus. Et forte dominus non reuelauerat Moseh qualiter frater vitulum formauerat, licet bene indicauerit ei, quòd ipse fuisset sceleris autor, quoniam voluit eum delere: nisi dicamus hoc postea Deum illi dixisse, & propterea Moseh mendacij Aharonem non arguisse.

Et vidit Moseh populum, quoniam nudatus ipse, quoniam nodauit eum Aharõ ad ignominiam in hostibus suis, seu in surgentibus aut elevatis suis.

Locus est difficilis intellectu, propter ignorantiam propriæ significationis terminorum, præcipuè verbi para, quod vertimus denudare, seu discooperire. Nec minoris ambiguitatis est nomen simsah, id est, ignominia: vt enim in regulis admonuimus, ferè tota difficultas in locis obscuris bibliæ procedit, ex significationis vocabulorum ignorantia. Tribuunt autem Hebræi verbo para octo significata, quoniam propriam ignorant significationem. Dicunt enim significare deficere, rebellare, elongare, cessare, denudare, vlcisci, occultare, & retrocedere. Accidit huic verbo, quod multis aliis in Hebraismo accidisse doleo, vt scilicet mutentur & distrahantur; prout locus exigere videtur, nulla consideratione habita, an propria seu communior conueniat. Significat autem meo iudicio, para proprie denudare, & ex consequenti spoliare, seu rapere; quòd spolians, eum à quo spolia detrahit, nudare videatur. Significat etiam tondere, quòd nihil aliud sit, quàm capillis caput nudare, & iuxta hæc tria omnes loci, quibus verbum ponitur, interpretari rectissime possiunt. Nam Iudicum quinto, vbi ipsi vertunt bipropeaot, id est, dum vlciscerentur vltiones in Israel, melius vertas, dum spoliaret seu nudaret nudationes in Israel. Quòd autem iste sit germanus illius loci sensus, sequentia subindicant. Inferius enim sequitur. In diebus Sãghar filij Anath, in diebus Iahel cessauerunt semitæ, & ambulantes per semitas, ambulabunt per semitas tortuosas: cessauerunt villæ absq; muro & munitione in Israel. Quod proculdubio fiebat propter inuasiones & spoliationes inimicorum. Sic Prouer. 13. vbi nostri vertunt. Paupertas & ignominia porea. i. deferenti disciplinam, tam bene vertas: nudanti se disciplina, seu priuanti se disciplina. Et cap. 4. Perachu. id est, defere illam, bene vertas, spolia te seu nuda te illa. Sic Ezechielis vigesimoquarto. Ephra, id est, non retrocedam & non parcam, vertere potes. Non deseram, scilicet vindictam, aut non priuabo me vltione, & non parcam, & sic in aliis locis. Omitto locos vbi ipsi vertunt, denudare: vt Numeri quinto, & Leuitici decimotertio, & vigesimoprimo, & decimo. Alteri verò dictioni, scilicet simsah: duas significationes tribuunt, scilicet parum seu minimum, & infamiam, sed re vera significat proprie susurrium, vocem tenuem, quæ latenter extenditur: vt solet fieri in rebus secretis. Vnde Hieronymus Iob quarto susurrium vertit iudicens. Et suscepit auris mea semes, id est, susurrium eius. Et vigesimosexto capite vertendum puto. Ecce hæc susurria sunt, id est, parvus rumor viarum eius, seu paruæ voces & notitiæ. His ergo præmissis, explicandus est locus & sententia reddenda. Potest autem esse duplex sensus loci, prout populus potest intelligi dupliciter denudatus, scilicet diuitiis & opibus, quas in idoli fabricatione prodegerant, aut denudatus fama, qua dicebantur vnius veri Dei cultores, & iam erant facti idololatræ, quemadmodum gentes, ad quas intrabant. Incipiebat enim eius crimen diuulgari inter hostes, qui scientes eos idolorum esse cultores, in eos, veri Dei protectione destituros insurgerent. Est ergo primo modo sensus. Et vidit Moseh populum, quoniam nudatus ipse, id est, spoliatus diuitiis suis, quoniam spoliauerat eos Aharon, scilicet, ad minimum, id est, vsquequò parum in eis diuitiarum esset: inter hostes suos, seu insurgentes suos, seu inter eos qui nihil illis gratis darent: ac si dicat. Vidit Moseh populum auro & argento spoliarum vsque ad minimam partem, vsquequò parum in eis relictum esset auri & argenti, quibus maximè indigebant ad commutationes suas faciendas in via, & hoc inter hostes seu insurgentes inimicos, qui illis nihil gratis darent, ideo dixit:

Quia est Dominus. Sed quia occisio non videbatur oportunum remedium ad dispendium auri & argenti: neque populus erat tam nudatus diuitiis in vitulo: quoniam etiam si bos esset, non tamen tantũ argenti & auri in eo absumptum esset, vt propterea populus spoliatus diceretur, & quia dictio semes non tam proprie parum, sicut susurrium significat, vt diximus: ideo est secunda expositio, quæ videtur germanior, hæc scilicet. Et vidit Moseh populum, quòd discoopertus seu diffamatus esset, scilicet de idololatria. Diffamauerat enim eum Aharon, id est, causa infamiæ fuerat ad susurrium: id est, ad infamiã inter hostes eorum: qui sciẽtes hoc, statim erant surrecturi in eum: neq; habebant protectorem Deum quẽ offenderant: ideo voluit peccarum vindicare in populo, vt Deus illa vindicta placatus, iterum rediret ad eum protegendum. Caietanus putat Aharõ populum armis nudasse, ne absente duce verteret se in seditionem, & iuxta hoc; hunc locum interpretatur, quòd scilicet Moseh viderit populum armis inter hostes spoliatum cum infamia, sed meo iudicio, non rectè, quoniam nusquàm legitur Aharon populum armis spoliasse: quod si daretur, posset facilè arma ei restituere quo se defenderent. Constat etiam homines de tribu Leui, arma sua habuisse, quibus cõsanguineos occiderent.

Quis Domino? Ad me. Sic in Hebræo est, & est sensus. Quis Domino, scilicet aggregatur? Aut quis inter vos ad Deũ pertinet, tãquam partes eius agens? Ad me, scilicet veniat: ac si diceret. Quis inter vos agit partes Domini? Talis veniat ad me.

Transite & reuertimini, id est, ite ab hac porta castrorum in aliam, & iterum reuertimini ad me occidentes omnes occurrentes, sine vllo discrimine. Nec putes eos inter nocentes & innocẽtes delegisse in occidendo, sed omnes occurrẽtes sine delectu occidebant, quemadmodũ in aliis punitionibus accidit. Vnde prorsus à nobis sit mendaciũ Abẽ ezra, qui dicit omnes crimine reos facies aut ventres, ex potu pulueris vituli, habuisse inflatos, & hoc signo à Leuitis cognitos & occisos. Et miror virum alioqui doctum, in hoc potuisse abduci figmentum, vt talia crederet aut scriberet.

Implestis manus vestras hodie Domino, id est, tam gratum est Domino opus quod fecistis, ac si impietas muneribus manus Deo offerretis. Alij vertunt, consecrastis: ac si dicat: ita Deo hodie ministrastis occidẽdo manibus fratres & coniunctos, ac si essetis sacerdotes, quorum manus Dei ministeriis consecrantur.

Quoniam vir in filium suum, & in fratrem suum, scilicet irruit, & eum occidit.

Si forte expiem pro peccato vestro.

Admonui sæpissime verbum chappar significare proprie linire, & bituminare, seu picare, id est, pice tegi, & est sensus. Si forte liniam peccatum vestrum, ne videatur à Domino ad ampliorem punitionem.

Si leuas peccatum eorum.

Potest hic sumi peccatum, pro peccato ipso, & pro pœna seu punitione ipsius.

Dele me de libro tuo, quem scripsisti.

Significat proprie verbum Hebraicum machah tergere, fricare, seu radere, & ex consequenti delere: quòd ea quæ delere volumus fricemus & tergamus. Addunt autem Hebræi adhuc multas alias significationes, scilicet plaudere, perdere, & disperdere, sed priores, meo iudicio, sufficiunt, & conueniunt omnibus locis quibus verbum ponitur, vt exemplis monstrabitur. Numeri enim quinto dicitur. Vmachah, id est, & radet, sci licet scripturam super aquas amaritudinum. Sunt tamen duo aut tres loci scripturæ, quibus hæc significatio non videtur conuenire, scilicet Ezechielis vigesimoquinto, vbi sic dicitur. Propter macha acha, id est, plaudere tuum, scilicet manu, vt nostri vertunt: vbi etiam verti potest. Propter tuum fricare manum. Solent enim qui manibus plaudunt, alteram manum altera defricare. Sic Isaiæ quinquagesimoquinto. Omnia ligna agri limchau, id est, plaudent aut fricabunt manus. Illud autem Isaiæ vigesimoquinto, quod in hac radice tam nostri quàm Hebræi citant. Faciet Dominus cõuiuium memuchaiim, id est, medullatorum: non videtur esse ex hac radice, sed à radice muah, quod est medulla. Quod autem sequitur.

De libro tuo. Videtur ad literam Deum librum scripsisse, in quo omnes iusti numerantur, & scribuntur: cuius Iosuah decimo sit mẽtio: & secundo Samuelis primo. Quod si non placet dicito, sermonem esse methaphoricum: vt idem dictu sit. Dele me de libro tuo, quòd est mei obliuiscaris perpetuo: sicut scribe me in libro tuo, id est, mei diu sis memor. Solent enim homines scribere ea quorũ memores esse volũt: quem loquendi modum nos etiam habemus, dicentes. Scribe me in libro tuorum, id est, memor mei sis, quemadmodum memor es rerum tuarum peculiarium. Theologi nostri per hunc librum intelligunt diuinam prædestinationem: qua ante mundi constitutionem Deus præuidit aliquem saluandum.

Duc ad quem locutus sum.

Concessa est oratio, & subaudi locum. *In die visitationis meæ, visitabo super eos peccatum eorum.*

Admonui sæpius, verbum pachad non tam visitare quàm recordari significare: vnde textus posset sic verti. Egò in die recordationis meæ recordabor super eos peccatum eorum, id est, & ego cum puniero eos propter alia scelera sua, memor ero huius criminis, vt puniam etiam propter hoc. Vnde Rabbi Moseh gerundesis scribit. Nõ accidit tibi ô Israel vltio aliqua, in qua non sit vel vntia de peccato vituli, & idem sensus est si visitationem interpreteris.

Et percussit Dominus populum.

Non explicat textus qua percussione, & crediderim illa qua ex imperio Moseh ferè 23. milia occisa sunt. Sæpius enim, vt superius admonuimus, Moseh ordinem rei gestæ negligit.

CAPITIS. XXXII. ANNOTAtiones ad morum compositionem.

Et vidit populus quòd illuderet illi Moseh in descensu de monte.

Solet in republica, magna incommoda & turbationes facere ducis lõga absentia, etiamsi vicarium in populo relinquat: quod considerent episcopi nostri, & alij qui curam animarum gerunt: quàm sit dispendiosum eos à suis sedibus elongari, aut suis ouibus diu abesse. Si enim tanta ac talis turbatio sequuta est in populo, ex ducis absentia ad quadraginta dies, quænam erit si ad annum aut duos, eum abesse contingat? Secũdo quantum malũ sit male suspicari, præsertim de Duce. Nam isti videntes ducem diutius tardare quàm putabant, arbitrati sunt illum sibi illudere voluisse: ideo alium loco ipsius voluit subrogare. Si autem legas. Quòd moram faceret de monte descendere, disce ex loco, quàm bona sit patientia in expectando. Expende similiter istorum ingratitudinem & Dei bonitatem: vt eo tempore ipse digito suo leges quibus dirigerẽtur edat, quo ipsi alium Deum qui eos præcedat: sibi præponere non verentur. Ille occupatur in eorum gubernatione, illi in idoli sui cultura. Solet enim talis esse hominum ingratitudo, vt eo potissimum tempore aduersus benefactorem mala cogitent, quo ille in eorum beneficiis occupatur: vt Chrysostomus annotauit de Christo & Iudæis: vt, scilicet ea nocte eum tradere cogitarent: quia ille tractabat qualiter eis corpus suum in cibum traderet viuificatiuum. Sic & isti, quando dominus cogitabat, qualiter illos gubernaret & gubernatorem instrueret: isti tractabant qualiter eum à se reiicerent & alium eius loco, vt diximus, subrogarent, & quando maximum beneficium illis faciebat, tunc illi præcipuum cultum idolo suo exhibebant. Psal. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Congregatus est populus contra Aharon.

Dispendiosum est valde, indomitæ multitudini præesse: eamque in officio continere velle, cui si velis resistere actum esse puta de te.

Fac nobis Deos qui nos præcedant.

Habebant isti ducem hominem, sed hoc non contenti deos volunt & petunt. Qua in re licet pessimi nos admonent, vt nihil sine Deo faciamus, & licet hominis sancti & iusti, ac etiam sine sacerdotum consilium habeamus, hoc non contentemur, sed præceris Deum ipsum, vt ipse te dirigat & ducat. Vbi etiam admotare licebit, non posse homines diu sine Deo vero aut falso esse. Peccator enim quamprimum à Deo vero recedit, statim se conuertit ad commutabile bonum, quasi ad idolum suum. Et considera huius populi socordiam: vt eos deos credat, quos hominem posse facere videt. Similiter hominis instabilitatem in vera fide, & stabilitatem in perfidia. Nam qui falsis Diis adhærent, vix aut nunquam ab eis, & eorum fide dimoueri possunt: qui autem Deo vero: facillime ab eo separantur: de qua re deum ipsum audi Ieremiæ cap. secundo. Transite (ait) ad insulas Chetim & videte, & in Chedar mittite & considerate vehementer, & videte si fuit simile. Non mutauit gens deos suos. Et ipsi non sunt Dij. Populus verò meus, mutauit gloriam suam in idolum.

Quia huic Moseh, viro qui nos de Ægypto eduxit.

Contemptibiliter valde de duce suo loquuntur: vt discas ex loco, quid vtilitatis sit multitudini præesse, & ei bona præstare. Non curant eum quærere, non viros qui explorent vbi nam sit mittunt, nihil gratiæ vel amoris erga eum ostendunt putantes se facilè alium ducem habere posse, vt scias quàm verum illud dicterium sit. Nemini seruit, qui communitati ministrat.

Separate inaures aureas, quæ sunt in auribus mulierum vestrarum.

Aduersus illum contra quem vi agere nequis, optimum est astutia armari, & summa prudentia est, ab eo quem ardore libidinis accensum videris, aliquid difficile aut impossibile petere: vt sic rei difficultate retractus: ab incepto desistat. Quemadmodum si mulier, ab aliquo sollicitata peteret rem magni momenti, vt sic eum à se repelleret. Summa enim prudentia est, peccatori aut ei qui à peccatoribus sollicitatur, peccatum difficile factu facere: vt sic abstineat aut retrahat se, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

assum. Quia enim Thamar parum petiit à Iuda, facilè ad peccatum incestus eum traxit.

Et separauerunt se omnes populus ab inauribus aureis. Considera peccatorum omniũ in vitia, liberalitatem: qui tenacissimi & parcissimi sunt ad virtutes. Quis etiam hominum vnquam propter pauperis inopiam subleuandam, tam facilè, vxoris, aut filiæ inaurem, aut annulum, aut armillam, in massam conuertit, vt ei tribueret, quàm facilè omnia hæc, isti expendunt ad idolum fabricandum? Quot sunt hodie in mundo, qui effundunt prætiosissima bona in meretrices, qui vxorem aut filiam induere negligunt. Quot ad ludum alearum & taxillorum prodigi, à quibus pauperes vix obulum habere & impetrare possunt. Videbis etiam hominem, qui vix vxori debitum reddit, inexplebilis libidinis in concubinam. Imperat virtus & dormimus: annuit vitium, & iam currimus. Si ab vxore aut filia monile auferas ad bonum aliquod, vix tota die fletum & turbationem domus compescere poteris: nunc verò tam facilè se prætiosis spoliari permittunt ad idola. Admonemur etiam hic quàm faciles simus ad vitia, & quàm desides ad opera virtutum. Vix Aharon verba finierat, quando iam omnia iocalia & prætiosa sua, ad eum adducunt: clamat autem pauper per horam ad ostium, & vix frustum panis porrigere dignatis. Vtinam sic se fineret homo à vitiis rogari quemadmodum ad opera virtutum. Si pro misero, regi aut principi loquendum est, multis precibus & mediatoribus opus est, vt faciam. Si inimico parcendum pluribus opus est, qui pacis negotium vrgeat. Amicus enim ille cuius Lucas meminit vndecimo capite, multa importunitate ab amico tres panes potuit obtinere: quàm verò nostra sponte curramus in vitia, nosque semper paratos inueniant, pulchre sanctus Ieremias deplorit, Omnes qui quærunt eam, non laborabunt: in mense suo inuenient eam: ac si apertius. Tam procax est meretrix hæc, & tam parata ad omnium concubitum: vt non oporteat eos aut laborare, aut tempus expectare, sed etiam tempore menstrui, quando fœminæ aut congressum fugiunt aut abhorrent, paratam inuenient. Mille sunt impedimenta in opere bono, vix ad perfectum producere queas: rara verò aut nulla in vitioso. Omnia hic accelerantur. Non patitur populus vltra quadraginta dies siue duce esse, neque tardat inaures afferre, facerdos statim idolũ exculpit & fundit, vitulus statim egreditur, & à populo adoratur, & clamoribus ac laudibus extollitur.

Hi sunt dij tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti. Parum istis fuit idolum suum, summis honoribus & laudibus attollere, nisi potissimum Dei beneficium, quod illis impenderat, in eum collocarent. Magna ingratitudo est beneficium non referre, maior non cognoscere, sed omnium maxima, non quæ sunt benefactoris tribuere, & vt idolum ad sequentem ducatum allicerent, præcedens beneficium liberationis in eum referunt.

Et vidit Aharon, & ædificauit altare coram eo, clamauit, & dixit. Solennitas est Domino cras.

Multa mala sequi solent ambitionem. Audis quod sacerdos perpetrat, ne sacerdotij munus amittat, sed Dei dispensatione hæc omnia fiunt, quemadmodum in Petro, vt discat peccator sacerdos, peccatoribus misereri.

Surrexerunt in crastinum, obtulerunt holocausta. Festinant peccatores, vitiorum suorum consummationem, ne forte impediantur, & finit Dominus eos ex sententia agere, ne in deteriora prolabantur.

Sedit populus vt manducaret & biberet: & surrexerunt ludere.

Detestantur homines Deum astringentem, & prohibentem: sequuntur liberiorem, qui gaudia & ludos permittat hisque delicietur, Vnde summe detestandi sunt Dij aut homines, qui habenas vitiorum, suis cultoribus laxant. Sequi etiam solet ludus, cibum & potum: quare cauendum ab his maximè est, ne leuis reputeris in ludis.

Valde descende. Nihil iocundius diuino colloquio, hoc tamẽ priuatur dux ob populi peccatum. Discant etiam ex hoc loco, qui docent, vnitos, ac contemplatores, liberos esse ab omnibus aliis, neque tunc præceptis aliis astringi: cùm videant hic Dominum, ducem à suo colloquio reiicere, vt populo suo subueniat. Nonne etiam apud Lucam legunt Seruatorem, non tantum semel sed etiam ter orationẽ reliquisse, vt tentationi discipulorum suorum subueniret.

Viam suam corrupit populus tuus: quam ascendere fecisti è terra Ægypti.

Hoc malum peccatum afferre solet, vt peccator non sit Dei ad beneficia, sit tamen eius ad supplicium. Neque vult amplius Dominus se autorem liberationis vocare, postquam tam inuerecunde eum in idolum re tulerunt.

Recesserunt cito de via fecerunt sibi vitulum, incurauerunt se ei, ac immolauerunt dicentes. Hi sunt Dij tui Israel, qui te ascendere fecerunt de terra Ægypti.

Sicut nouit Dominus opus virtutis extollere, ita circunstantias vitiorum nostrorum exaggerare. Audi quid Abrahæ immolare volenti filium dicat. Per me metipsum iurauí, quia fecisti rem hanc, neque pepercisti filio tuo, vnigenito. Sic & hic omnia quæ opus malum aggrauare possunt inculcat.

Vidi populum hunc, & ecce populus duræ ceruicis. Nonne antehac bone Deus, duræ ceruicis erat populus? Indubie, sed multiplicatis peccatis, amplius detegitur eius duritia. Considera quæso, quid prosit peccata non augere: quoniam eis multiplicatis multa videntur, quæ antea propter paucitatẽ occultabantur. Contingit sæpius, vt Dominus, ferui priores negligentias non curet, sed cùm eas viderit multiplicatas, eas quæ dissimulauerat aduertit, & punit.

Et tunc dimitte me. Quis te ligauit Domine Deus? Ligatum habent sancti Deum, vt non puniat nisi permiserint ipsi. Expectat Dominus in cœlo Petri ligamina & solutionem, neque eum in cœlis ligat aut soluit, nisi quem Petrus in terra soluerit vel ligauerit. Et summe hic aduerte, Dei misericordiam, vt se soluí roget vt ligetur: vbi etiam iratos docet, non sine hominum aliorum consilio, maxime amicorum in vindictam exire, cum ipse qui in nullo effrenis esse potest, ferui sui moderamen expectet.

Consumam eos, faciamque te in gentem magnam.

Probat locus iste, quod communiter sancti dicunt: nominem videlicet deum deiicere: nisi alterum subleuet. Vult eos consumere, sed non debebit, nisi Moseh faciat in gentem magnam. Vbi etiam ducem summe tentare voluit, vt experiretur an pro priuato bono, sineret commune perire.

Vt quid Domine irascitur furor tuus, in populum tuũ quem eduxisti?

Attende huius sancti viri summam prudentiam. Nouerat amabile bonum vnicuiq; proprium. Audierat Deum, populum vt rem non suam, neq; ad se pertinentem, reiicere: ideo conatur populum Dei facere, vt prohibeat perdere. Tu vocas populum meum vt perdas: ego asserto tuũ, vt parcas. Tu liberationis opus, in me fragilem transfers: ego verò in te, qui hoc fortè manu fecisti refero.

Vt quid dicent Ægyptij. Admonui in literæ huius interpretatione quàm sapientẽ Moseh hic agat oratorem. Multa enim homines faciunt & omittũt, ne famam & gloriam quam habent amittant. Hoc autẽ sibi imminere Moseh deo opponit. Omnis orbis (ait Moseh) te fortẽ ac veracẽ credit: qui si viderit te delere eos, quos tam forti potentia liberasti, aut te patribus promissa non tenere putabunt, aut impotentem aut mendacem arbitrabuntur: quare & si ipsi hoc propter facinus immensum mœrentur, tu tamẽ famã tuam prodigere non debes. Quod in loco etiã considera, multa nõ solum propter amicos, sed etiam propter inimicos esse facienda & omittenda. Parcendum ergo illis erat, vt patres gauderent, & ne eorum inimici lætarentur.

Recordare

Recordare Abraham. Admonui frequenter, quid sancti valeant populo suo ciuitatibus & cõsanguineis suis: vt propter eos parcat Dominus posteris suis, & populo suo.

Et pœnituit Dominum mali quod cogitauerat facere. Efficacissimæ sunt sanctorum preces. Non solum malum faciendam, preces sancti impedierunt, sed Deum pœnitere cogunt, quòd facere voluisset.

Descendit, & duæ tabulæ in manu eius.

Non retinuit beneficium scriptæ legis, non confregit tabulas testimonij, non prohibuit ad populum deferri. Audiant hæc, qui ob paruũ ingrati hominis crimen: beneficia subtrahunt. Peccauerat populus peccatum grande, & dignus perditione erat: & pius pater non subtrahit beneficium legis: imo neq; ad tempus pœnitudinis differt quod ad exaggerandum adiecit.

Et tabulæ opus Dei erant: ac si apertius dicat. Licet isti peccatores essent maximi, non tamen tabulas negauit sed dedit, non qualescunque, sed quæ Dei opus erant, digitoque Dei exaratæ.

Vox belli in castris. Bonus dux, qui semper à bello timet suis.

Non est clamor victorum.

Magis timenda est in populo lætitia inordinata, quàm belli clamor, aut tristitia.

Protecit tabulas, & fregit eas sub monte.

Partes agit optimi ducis. Apud Deum instantissime orat, sed coram peccatoribus æruit & acerrime arguit, vt doceat prælatum dum orat pro peccatore mitem se ostendere, sed zelo plenum dum eum in faciem reprehendit.

Tulit vitulum, & combussit igni.

Nihil reliquiarum peccati apud peccatorem debet amplius apparere, ne postmodum specie peccati allectus, ad illud reuertatur. Sed quare eos potauit peccato. Docet Petrus rauennas tractans illud Lucæ. 15. Cupiebat saturari de siliquis, quas porci comedebant. Sepius diabolum non sinere peccatores peccatis suis satiari, ne post saturitatem fastidio illis sit: & sæpe contingere, vt peccatores saturi, ad Deum redeant facilius. Vt ergo
3.Reg.12. Peccatum illi de cætero fastidirent, eos saturauit peccato ac vitulo suo. Si enim tempore Ieroboã vitulum in puluerem redactum suscitarunt, quid facerẽt si eius reliquias integras inuenirent? Et aduerte prudentiam Moseh, prius in peccatum, quàm in peccatores sæuiit: vt peccati radicem prius extirparet.

Quid tibi fecit populus iste, vt induceres super eum peccatum grande?

Sunt qui iniurias suas vindicare volunt, inducendo ad peccatum eum: à quo iniuriam sunt passi, quod pessimum genus vindictæ est. Non curauit sanctus vir fratrem, sed omne peccati pondus in eũ reiicit: vt discant multitudinis rectores: ab eis omnia peccata plebis esse exigenda.

Tu nosti populum, quòd ad malum pronus est.

Vsitatum humani generis vitium est, peccatum excusando multiplicare. & hic perpende, magnum malum esse, peccatis assuescere.

Proieci in ignem, & egressus est vitulus.

Omnia quæ pertinent ad peccatum suum silet, ne pœnas det. Tacet se stilo finxisse vitulum, solennitatem proclamasse, victimas obtulisse, & sola quæ peccatum excusare videntur profert. Vbi etiã aduerte ducis modestiam. Non statim percutit, non occidit, sed peccatis audit excusationem: quemadmodum Deus primos parentes audiuit.

Vidit Moseh populum, quòd detectus esset.

Debet prælatus quantum potest peccata populi occultare, famamq; seruare, sed cùm viderit publicata, vin-
3.Reg.21. dicare & publice punire. Quamdiu Dauidis peccatum occultum fuit, noluit illud Dominus punire, cùm autem fuit detectum, voluit vindicare. Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi morte morietur. Timuit sanctus Moseh, ne inimici Dei blasphemarent nomen Domini dicentes idolatras eiecisse, vt idololatras plantaret: ideo voluit peccatum punire. Qua in re nos optimè docet, non esse dissimulandum cum peccatoribus, quando Deus propter peccatum est male auditurus. Si verò alteram amplectaris expositionem, docentur duces, quantum in illis est curare, ne populus bona sua & temporales diuitias prodigat: quoniam necessariæ sunt ad reipublicæ conseruationem.

Congregati sunt ad eum filij Leui.

Qui diu virtutem aut sanctitatem coluerunt, facilè ad eam reuertuntur, etiam si aliquando in peccata labantur: quemadmodum qui in peccatis versatus est, difficile ad virtutem redit, etiam si aliquando eam colere videatur, statim tamen ad sua vitia reuertitur. Filij Leui quoniam præ cæteris Deo ministrabant, facilè ad eius partes tuendas reuertuntur.

Sic dixit Dominus Deus Israel.

Nusquàm Deum hoc Moseh dixisse legimus: sed supplet hic textus, quod fuerat in colloquio omissum.

Occidite vnusquisque fratrem suum, amicum, & proximum.

Propter iniuriam Dei vindicandam, non est curandus frater, non amicus, neque filius, aut vxor. Solet Deus ab ira quiescere morte peccatorum. Non poterit (ait dominus ad Iosuah) Israel stare corã inimicis suis, *Iosuah.* nisi de medio tollatur, qui abstulit anathema. Si quæras cur plures fuerint occisi de tribu Leui, responsio est, quia per eos peccatum venerat, maximè culpa Aaron: qui à peccato populum debuisset retrahere. Neq; huiusmodi interfectores erant à peccato immunes, sed solet Deus per alios peccatores, alios punire, quemadmodum Iudæos per Chaldæos.

Consecrastis manum vestram hodie Domino.

Si iudex aut tortor malorum es, non putes te irreligiosum aut prophanum: quoniam non minus Deum hoc opere colis, quàm si donaria & sacrificia manibus sacraris offerres. Sacrificium Deo acceptissimum est, peccatores punire, quemadmodum sanctos colere.

Nec minus benedicitur qui iniustum necat, quã qui iustum extollit: quemadmodum videre est in facto Phi- *Numeri 25.*
nees, cui propter occasionem Israelitæ, sacerdotium perpetuum concessum est.

Vos peccastis peccatum grande.

Ostendenda est peccatori, peccati sui grauitas, neque facilè venia promittẽda: vt sciat quam grane sit Deum offendere. Placauerat iam sanctus vir deum: veniamq; precatus obtinuerat: noluit tamen hoc populo indicare, ne incentiuum peccati fieret postmodum, veniæ facilitas: vnde dicit.

Si forte expiem peccatum vestrum.

Tam grande (inquit) est, vt non sufficiat oratio mea ad veniam impetrandam.

Obsecro, peccauit populus iste peccatum grande.

Magnum discrimen est inter audire peccatum, & propriis oculis videre. Non reputabat sanctus vir, tam grue fuisse peccatum, quando deum narrantem audiuit, sicut cũ illud propriis luminibus vidit: ideo ad Deum reuersus grande asserit. Vsus est etiam summa prudentia. Cùm hominem iratum videris, non illi dicas, cum sine causa iratum: sed iræ parumper indulge, & eum maxima ratione iratum prædica: quoniam sic eum facillime placabis: quod nequaquam perficies si ei obsistere velis.

Et nunc si lenas peccatum eorum, scilicet leua. *sin autem, dele me de libro quem scripsisti.*

Magna fuit huius viri erga populũ charitas, vt velit de libro domini deleri, si ei peccatum non remittatur.

Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.

Audis hic summam Dei æquitatem, vt iustum etiam deleri volentem, non deleat. Nam quemadmodum eius iustitia vix potest non punire peccatorem, ita vix potest iustum delere.

Duc populum ad locum quem locutus sum.

Nunquid iniquitas mea (ait Paulus) veritatem Dei *Rom. 9.*
euacuauit? Asit. Sed est Deus verax, omnis autem homo mendax.

Ecce angelus meus præcedet te.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoniam ducatum Dei, à se reiecerant, subrogatur vicarius angelus. Nam & si culpa peccatori remittatur, multa tamen incommoda, in peccatore relinquit. Perluantur isti ducatu Dei. Punitio in aliud tempus seruatur. Et considera hic, vt iam hoc cap. admonui, quantum malum sit peccata repetere: quoniã vindicta dissimulata antea, in sequens peccatum accumulatur: neq; inconuenit sæpius pro eodem peccato puniri, præsertim cum non primum plene punitum est, vt iuris prudentium sententia est.

CAPITIS. XXXIII. AD LITERAM annotationes.

AD terram fluentem lacte & melle, id est, ad terram in qua est lactis & mellis copia. Nulla enim res fluit: nisi sit copiosa. Qui autem sint Chenanæi & alij qui hic numerantur, dicitur Gen. 10. vbi agitur de generatione filiorum Noach.

Vt quòd sis populus duræ ceruicis.

Quemadmodum vitulus qui iugum reiicit, dicitur durus ceruice, sic homo qui non vult ferre impositã legem. Vocatur ergo Israel duræ cernicis, quoniam non volebat ferre legé Dei, sed statim à se reiiciebat, quemadmodum vitulus non assuetus iugo. Et memẽto hic aduertere, quod in regulis annotauimus, qualiter, scilicet sæpius causa alicuius sententiæ, non eam immediate sequatur, sed multis interpositis, Dixerat enim superius. Et mittam angelum meum ante te, & eiiciã Chananæum, & postea sententia interposita sequitur. Non ascẽdam tecum: vbi reddit rationem, quare ductorem miserit angelum, & noluerit ire cũ eis: ne, scilicet consumeret seu comederet eos.

Non posuerunt vir ornamentum suum super se.

Significat verbum adah Hebræis onerare, & adid ornamentum. Addunt etiam significare verbum adah trãsire, propter illud Iob. 28 Non adah. id est, transiuit super eum leo. Quod si verum est, possemus dicere adi, significare indumẽtum transitorium seu mutatorium, & posset hic verti. Non posuerunt vir mutatoriũ suum super se, sed sensus idem est.

Momento vno ascendam in medio tui, & consumã te.

Incerta & varia est significatio verbi raga, à quo rega, id est momentum. Dicunt autem Hebræi, significare scindere, transfigere, quiescere, & conterere. Sed meo iudicio, solum significat scindere, & diuidere. Iob. 7. Cutis mea raga, id est, scissa est, scilicet propter vlcera, aut ex ardore solis. 8 cap. 27. Potentia sua raga, id est, diuisit mare. De secunda significatione exemplum habes Ieremiæ. 50. Vt hirgia, id est, sistere faciat terram. Et Isa. 34. Ibi hirgia, id est, diuisit strix. i. media tempore parte mansit, scilicet æstate aut hyeme. Nomen verò rega iusta hãc verbi significationem, videtur significare scissionem, seu scissuram: vnde potest hic verti. Scissione vna ascendam in medio tui, & consumam te. Rem tamen non ausim diffinire, quoniam coniecturis ducor. Sunt tamen multi in scripturis loci, quibus dictio videtur momentum significare: vt Isaiæ. 54. Berega, id est momento paruo dereliqui te. Vtraque significatio potest nomini conuenire.

Descendere fac ornatum tuum à te, vt sciam quid faciam tibi.

Crediderim Dominum hæc dixisse verba, statim post illa. Non ascendam in medio tui, quia populus duræ ceruicis es, & tunc addidisse. Depone ornatum tuum: postea verba illa:

Et audiuit populus verbum malum hoc, & luxerunt, et non posuerunt vnusquisq; ornamentum suum super se.

Præcipit autem Dominus eos ornamenta sua deponere, quæ induerant ad vituli sui cultum. Et agit hic Deus Dominum, iratũ valde in seruum, qui eum exui præcipit, vt deliberet an velit vel non velit. Sunt qui huiusmodi verba, de tabernaculo intelligũt: quòd scilicet præcipiat deponere ornamenta tabernaculi: quod erat Iudæis ornamẽto. Sed quod sequitur huic sensum exibilat. Sequitur enim. Et spoliauerunt se filij Israel ornamentis suis à monte Choreb, & forte vsque ad ingressum terræ, nullus vestibus festiuis vsus est. Volebat autem Dominus, vt Israel, se nudum & spoliatũ vestibus illi verberandũ obiectaret, vt vidẽs eum sic paratũ misericordia motus cõdonaret peccatum.

Extendit illud, scilicet *tabernaculum extra castra*, aut illi, scilicet tabulas, vt postea cortinis operiret. Ratio quare extra castra, Dei tabernaculũ extendit, fuit: quia immunda erant castra ex idoli cultura.

Vocauit illud tabernaculum ecclesiæ.

Aliqui vertunt tabernaculum testimonij. Vocauit autem tabernaculum testimonij, ne filij Israel videntes iram Domini, negarent pactum, cuius signum erat lex in tabernaculo inclusa. Aduerte tamen, quòd dictio moed, non est certæ significationis apud Hebræos: propter radicis à qua deriuatur, incertitudinem, & si est à iaad, quod est congregare & conuenire maximè ad certum tempus, tunc moed significabit adunationem, congregationem, & hac de causa Sanctes nostri vertit. Tabernaculum ecclesiæ seu congregationis. Sed quare nunc, vocet illud tabernaculum congregationis, non constat, nisi dicas hoc ideo, quia ibi decreuerat cum Moseh solo colligi & loqui. Potest secundo esse à radice auad quod est testificari, & tunc significat testimonium, & ratio data est. Tertio potest esse à themate adah quod est ornare, & tunc vertendum esset. Vocauit illud tabernaculum ornamenti, seu ornatum, quoniam cortinis ornatum erat. Potest quarto esse ab adad quod est erigere, & exaltare, & sic dicetur exaltationis seu erectionis, quoniam erigebatur & deponebatur. Secundum regulas grammaticæ Hebraicæ, potius est à iaad, quàm à quacunque alia: ideo Sanctes potius vertit ecclesiæ quàm testimonij, & textus sequens videtur hanc significationem præ cæteris approbare: vt scilicet vocauerit illud tabernaculum collectionis, maxime ad statutum tempus: quoniam statim sequitur, quòd omnis qui volebat Deum orare, egrediebatur extra castra vbi erat tabernaculum Domini, & illuc colligebatur populus ad orandum.

Et erat quando egrediebatur Moseh, scilicet castra eorum, *vt iret ad tabernaculum: assurgebat illi omnis populus*, vt scilicet illi debitum honorem impenderent, & rogarent vt ageret causam illorum coram Domino. Aut aspiciebant post eum, & assurgebant, tanquàm rei expectantes sententiam Domini, quæ per Moseh erat promulganda.

Ascendebat columna nubis.

Melius nebulæ, vt iam sæpius admonuimus: & videbatur è terra ascendere: quæ quidem columna, erat signum præsentiæ Dei: ideo quàm primum insurgeret columna, populus incuruabatur, & odorabat Deum præsentem. Loquebatur autem Dominus cum Moseh, ad ostium tabernaculi, vt videret omnis populus, quàm familiaris illi esset Moseh, & ei deferrent: Dominus autem erat, illa columna tectus, vt à nemine videretur.

Loquebatur Dominus cum Moseh, facie ad faciẽ, quemadmodum loquitur vir ad proximum suum.

Non intelligas, quòd Moseh, isto modo cum Deo loquens faciem eius videret: quoniam si vidisset, non peteret postea eiusdem faciei diuinæ visionem, neque illi diceret Deus. Non videbit me homo, & viuet. Sed loquebantur sicut duo amici, quorum alter est in tenebris alter in luce: aut sicut duo in obscurissima nocte, aut loco, simul colloquuntur. Nam Deuteronomij quinto dicit Moseh ad populum. Facie ad faciem loquutus est Dominus vobiscum, id est, familiariter. Vnde indubie credo, Moseh nunquam faciem Dei vidisse, licet nouerim Augustinum & Thomam oppositum asseruisse: quorum vterque opinatiue loqui videtur. Neque me solum, aut primum, hoc sentire putes, cum hoc in loco Caietanus noster, idem teneat, & asserat. Etiam aduertes Hebraismum esse, loqui facie ad faciem, & significare, loqui familiariter vt statim textus explicat, dicens.

Sicut vir ad amicum, seu sociũ suum.

Chaldæus

Chaldæus vertit. Verbum cum verbo, seu verbo ad verbum loquebatur Moseh cum Deo.

Iehosuah filius Nun puer: non recedebat è medio tabernaculi.

Solet Hebraismus omnes ministros, pueros vocare, quoniam munus exhibent puerorum, quorum est senioribus ministrare: vt patet Iehosuah sexto, vbi de exploratoribus dicit textus. Et ingressi sunt pueri bellatores: vbi viros bellatores, pueros vocat, & Christus discipulis, iam prouectæ ætatis, Ioannis vigesimo primo cap. Pueri, nunquid pulmentarium habetis. Et quod sequitur.

De medio tabernaculi, vertendum est. De intra tabernaculum, vt Hebraice habetur, quoniam medio, pro intra sæpius vtitur Hebraismus: vt erat nauis in medio maris, id est, intra mare: quod ad oculum habes Iehosuah tertio in fine, vbi dicitur, pedes sacerdotum stetisse, in medio Iarden: cum præcedat, eos solummodo intrasse aquas, & quia nondum, magnum illud tabernaculũ constructum erat, parũ vocabatur congregationis, cuius causa iã dicta est hoc capite, aut quod verius credo, quia ibidem erat congregatio Domini, & Moseh: conueniebant enim ibi, ad miscenda colloquia, & Domino & Moseh, ab eo recedentibus, manebat in eo Iehosuah, ad custodiam illius, & in hoc distabat hoc, à magno tabernaculo, quòd in magno, semper aderat Dominus, à paruo verò recedebat visibilis illa nebula, in qua Dominus loquebatur, vel forte recedebat à loco in quo intus in tabernaculo erat, & veniebat ad ostium, ad alloquendum Moseh. Vide Deut.

Et non scire faciebat me, quem missurus es.

Etsi (inquit) dixeris te angelum nobiscum missurum, nondum tamen illum designasti. Aut dicit Deum sibi nondum ducem indicasse: quoniam non acceptauerat angeli ducatum.

Tu dixisti. Noui te in nomine, & inuenisti gratiam in oculis meis.

Nusquàm antehac legimus, Deum dixisse Moseh. Noui te ex nomine, & quæ sequuntur: quare credendum est, sibi hæc in montis colloquio dixisse, licet non sint scripta superius. Et nosse aliquem ex nomine, est illum familiariter, aut quasi familiarem cognoscere. Solent enim nostri, cum suam familiaritatem, apud regem, significare volunt, dicere. Scit rex nomen meum, id est, me familiariter cognoscit: & melius vertas, cum nomine, quàm ex nomine, aut ex nomine, vt sit sensus. Non solum te noui ex facie, sed etiam ex nomine. Multos enim ex facie nouimus, quorum nomina ignoramus: ministros verò, frequentius nobis ministrãtes, nouimus ex nomine, quoniam oportet eos frequẽtius vocare nominando, & forte, hoc vult Dominus significare, cum dicit. Noui te ex nomine, id est, noui te, quasi ministrum, quo frequenter vtor, quem per nomen sæpius vocare oportet. Et inuenire gratiã in oculis alicuius (vt in Hebraismis diximus) est illi gratus esse, quòd gratia, maximè oculis ostendi soleat, & dicitur gratiam inuenire, quoniam gratia (vt Paulus dicit) non est volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis, & homo dicitur eam inuenire, quia eã quasi thesaurum casu inuenit, non sua industria aut labore.

Et nunc, si quæso inueni gratiam in oculis tuis, scire faciem me, viam tuam, & sciam te, vt inueniam gratiam, in oculis tuis.

Expertus fuerat sanctus vir, se Deum precibus placasse, cupiens autem, modum quo Deum postmodum placaret, cognoscere: orat Dominum, vt illi vias suas ostendat, id est, volũtates, quibus cogniti, possit eum, de cætero placare. Sic Dauid. Notas fecit vias suas Moseh, filiis Israel voluntates suas. Et constat. Moseh vias Domini, eo explicante capite sequenti didicisse, quibus postea nititur, Dominum placare, vt patet Numeri decimoquarto, vbi indignatum Dominum de facto exploratorum, laborat his verbis placare. Dominus patiens, & multæ misericordiæ auferens iniquitatem, & quæ sequuntur. Qui enim nouit mores, & conditiones alicuius principis, scilicet quæ diligat & velit, & à quibus abhorreat, facilè potest, eum iratum placare, aut ad iracundiam excitare. Nos dicimus. Eu sei a condiçam del Rey, id est, mores regios, noui. Nil ergo hic, per viam significari existimo, nisi conditionem ac mores. Et quod, ad eum de cætero placandum, velit scire hanc viam, seu conditionẽ statim explicat dicens.

Vt sciam te, & inueniam gratiam in oculis tuis.

Idem ergo est dictu. Sciam te, quòd sciam mores tuos, & conditionem: in quem sensum, arbitror Dauidem petiisse. Vias tuas Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me: ac dixisse, omnes vias Domini, misericordiam esse, & veritatem. Et hoc est, quod Dominus Moseh postmodum ostendit, scilicet se esse misericordem, & veracem, seu stabilem in promissis.

Vide quia populus tuus, est gens hæc.

Inculcat sanctes Moseh Domino, Israel esse populum eius: vt si non pepercerit, propter ministrum deprecantem, parcat, ne suam rem perdat.

Facies mea ibit, id est, præsentia, aut ego ipse ibo, ac si dicat. Non mittam angelum, vt decreueram, sed ego ipse vobis adero, & ducam: vt hucusq; feci.

Et requiescere faciam te. Omnes nostri, hic præteritum, per futurum vertunt: vt sit sensus. Et requiescere faciam te, id est faciam, quod nõ sis solicitus, de euentibus, timens mala, quæ populo occurrere possunt, cum me ductorem habueris, sed in Hebræo præteritum est, scilicet. Et requiem dedi tibi. Quod si ad verbum, interpretare velis, sensus est. Quiescere feci te, scilicet à precibus, vt amplius non me vrgeas precibus tuis: in quẽ sensum, possunt verba futuri explicari. Et quiescere faciam te, concedendo postulata: quoniam ostẽdam tibi meipsum, & viam meã. Possemus etiam sic interpretari. Et quiescere faciam te, adiuuãdo te, in ducatu, minus enim laborat dux, & vtcunque quiescere videtur, cum adiutorem habet in labore, præsertim Deum, qui sensus optimus est. Aut requiem dabo tibi, id est, dare decreui, anteq; populũ inducas, ad promissam terram: vel dare decreui septuaginta senes, qui quiescere te faciẽt à labore, sed ille sensus, scilicet quiescere feci te, scilicet à solicitudine, & precibus concedendo postulata, mihi genuinus videtur.

In quo cognoscetur hic? id est, In quo cognoscent, qui sunt hic prope nos, *inuenisse nos gratiam, in oculis tuis*, nisi cum nobis ipse aderis? Aduerte tamen dictionem epho (vt videtur) esse compositam, ab ei, quod est vbi, & à pho, quod est hic, quasi significet. Vbi hic. Sæpius tamen est vnica dictio, quam nostri vertunt quandoque vbi, vt Iob trigesimooctauo, vbi habetur, Epho, id est, vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Aliquando verò hic, vt hoc loco. Posset tamen, hic etiam verti vbi: vt sit sensus. In quo cognoscetur vbi, scilicet fuerimus, quòd inueni gratiam in oculis tuis? Confirmat locus iste, illam interpretationem, superius hoc eodem capite positã, quòd scilicet Aharon, suo facto diffamauerit populum, eum videlicet esse idololatram, & à se Deum verum reiecisse: qua de causa hostes in eum insurgerent scientes Deum, eos ob vituli adorationem, dereliquisse: quam ob rem nunc Moseh dicit. Infamiam idolatriæ, nihil eis nocituram, cum sciuerint in omni loco hostes deũ ad eos rediisse, ac inter eos esse: cuius virtutem maximè formidabant.

Et diuisi erimus. scilicet in dignitate, & celsitudine, te Deum, verum & fortem, ductorem & protectorem habentes: ab omnibus gentibus.

Etiam verbum hoc, quod locutus es: faciam.

Non aliud hic significat, quàm se concedere, quod postulauerat Moseh: vt scilicet ipsemet Deus, ipse duceret eos, & adesset illis.

Fac me quæso, videre gloriam tuam.

Senserat sanctus vir, Deum sibi propitium: seque illi gratum, astruxisse: ideo nouã addit petitionem. Nec mirum, quoniam toties, familiariter fuerat cum eo locutus, vt socio socius: ideo desiderabat, facie nosse, quem voce & colloquio nouerat. Neque petit nunc, vt aliqui putãt beatificam visionem, sed vt ei gloriam suam ostendat. Petiisse tamẽ eum, facialem visionem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiuncta Domini responsio, ostendit: neque satis constat, quid hic gloria significet. Radix nominis chebed, id est, gloria, est chabad, quod significat onerare, inde dines vocatur chebed, quòd videatur onustus diuitiis suis. Inuenitur etiam gloriam significare & ea, quæ ostendebant Dei præsentiam: vt erat splendor à Deo immissus, & nebula illa; qua tectus, & absconditus erat. Quòd verò per gloriam, claritas illa seu lux in qua Dominus videbatur, significetur, ex Paulo secundæ, ad Corinthios tertio constat: vbi dicit filios Israel, non potuisse intendere in faciem Moseh, propter gloriam, id est, splendorem & lucem vultus eius. Cùm ergo dicit Moseh. Ostende mihi gloriam tuam, sensus (meo iudicio) est. Aperi mihi gloriam tuam, id est lucem, & nubē illam, tuæ præsentiæ ostensiuam, vt clare possim intueri te, quoniam nebula tectus, loquutus es ad me vsque hodie.

Ego transire faciam omne bonum meum, supra aut iuxta faciem tuā, & vocabo seu clamabo in nomine Domini, & miserebor cui miserebor, & misereboꝛ, cui miserebor. Difficilis intellectu, locus iste est, & obscurus; sed ex capite sequenti elucidari potest, vbi quæ hic promittuntur, complentur. Vbi aduerte, quòd per omne bonum suū, intelligit quod capite sequēti dicitur, quod scilicet sit Dominus, quod sit deus, misericors, & clemens, tardus ad iram, & multus misericordia, & quę sequuntur Neque putes, id quod sequitur. Innocentem, non innocentem iudicare, & visitare iniquitates parentum in filios, non pertinere ad bonum eius, quoniam iustitia mirabilis, & quæ captum nostrum excedat, optima est in Deo. Et in hoc, suam supremam ostendit potestatem, vt quod voluerit faciat, de creaturis suis, quauis innocentia præditis. Neque bona hæc, seorsum trāsire fecit iuxta Moseh, sed in ie recondita, vt scilicet faciendo se prope Moseh transire, fecerit simul transire hæc quæ in eo claudebantur, & voce distinxerit ea. Est ergo genuinus huius literæ sensus iste. Ego transire faciam omne bonum meum, id est meipsum, in quo sunt omnia bona, quæ coram te explicabuntur voce, & clamabo seu vocabo nomen Domini. Nam vt Moseh attentus esset, dum transiret Dominus, quàm primum præteriit facies Domini, clamauit Dominus, seu vocauit nomen suum, ac si diceret. Transit, aut adest Dominus, & similiter clamabo, seu dicam. Miserebor, cui miserebor, id est, cui voluero: licet Sanctes in vtroque loco hic verterit, miserebor, non tamen idem est in Hebræo verbum, sed alterū est chanan, quod nostri communiter vertunt misereri, gratiosum se exhibere: alterum verò racham, quod est commoueri intus, ex visa proximi miseria, significationes non sunt omnino certæ, & prius scilicet chanan, inuenitur in scriptura, significare donare, condonare, misereri, & miserabilem se ostendere. Nam Gene. 33. dicit Iacob. Pueri sunt quos chanan, id est, donauit mihi Dominus aut gratis dedit. Sic secundo Semuel. 12. Quia scit, le chanan, id est, si donauit mihi Dominus. Iob tamen. 19. capit. videtur significare precari, quo in loco sic dicitur. Halitus meus extraneus fuit vxori meę: vechanoti, id est, & precabar, per filios vteri mei. Quod autem aliud verbum scilicet racham, significet intus commoueri, constat Psal. centesimotertio, vbi sic habetur. Cheraehem, id est, sicut commouetur, pater filiorum seu super filiis, commotus est Dominus, timentibus se, seu super timentes se. Inde rechem, id est, vulua seu viscera, sic vt puto dicta, quòd commoueantur visa alicuius miseria. Et horum verborum, scilicet miserebor, cui misereboꝛ, & commouebor cui commouebor, duplex est sensus. Alter est. Miserebor, cuius voluero. Alter (qui mihi germanior videtur) est. Clamabo scilicet transiens coram te. Miserebor, id est, sum qui miserebor & commouebor, id est, & ego sum qui commouebor volens per hoc summatim ostendere Moseh, omne bonum suum, quod maximè, in misericordia consistit. Sic ergo literam integram, legendam puto. Ego transire faciam, omne bonum meum coram te, id est, ostendam tibi, omnia epitheta bonorum meorum: & vocabo nomen Domini coram te, id est, dicam alta voce Dominus, vt consideres & scias me transire, & vocabō, id est, dicam me esse eum, qui misereꝛetur, & dicam, me esse qui commouetur, scilicet super mala hominum. Omnia enim hæc, inuenies fecisse Deum, complens quod hic promisit Moseh.

Non videbit me homo & viuet, id est, homo qui me viderit, non poterit amplius viuere, & loquitur de visione faciali, quam petebat Moseh. Antehac, persuasum patribus erat, neminē citra mortem, posse Deum facie ad faciem videre: vt patet de Iacob Gen. 32. qui gloriatur, se citra mortis discrimen Del faciem vidisse. Neque putes, eum vidisse Deum clare: quoniam vt textus habet, nocte luctabatur angelus cum eo, vnde faciem eius videre nequiuit, & cum angelo, non cum Domino, luctabatur: & eo modo vidit angelum facie ad faciem, quo Moseh loquebatur, & videbat Deum, facie ad faciem, scilicet in obscuritate; hoc tamen inter fuit, quòd Moseh vidit, re vera Deum, in tenebris tamen, aut potius cum eo locutus est: Iacob verò angelum, qui Dei vicarius erat, cum quo luctabatur. In hoc etiam exceſſit Moseh, quòd vidit posteriora Dei clare: quod nullus patrum veteris testamenti, vidit: vnde Iudic. 13. dicit Manoah vxori suæ. Morte moriemur, quia vidimus angelum Domini.

Ecce locus mecum, id est, apud me, vt optimè vulgatus interpretatur.

Cum pertransierit gloria mea.
Intelligit per gloriam nebulam illam, & alia quæ Dei præsentiam ostendebant, sicut aliis multis scripturæ locis.

Ponam te in foramine petræ.
Erat lapis scissus, aut foramen habens, inter Deum & Moseh, & dicit Dominus, se ex alia lapidis parte transiturum, & operiturum manu sua, lapidis foramē, dum facies eius transiret: ne facie videret Moseh, postquàm verò facies eius videri non poterat, abstulit manum suam, & vidit Moseh posteriora Domini, non autem faciem, & credendum est, Deum humana effigie pertransisse coram Moseh: neque locus est metaphoræ, Domini Caietani.

CAPITIS. XXXIII. AD MORVM compositionem annotata.

Vade ascende hinc tu, & populus, ad terram pro qua iuraui, Abraham, Isaach, & Iacob.
Nunquàm hucusq; legimus Deum festinasse & vrgisse sic Iudæos, ad terram promissam, quemadmodum nunc, post peccatum, vt intelligamus peccatores saepius: ad maiora dona, quàm ante peccatum habuerint, resurgere. Et simul discimus quid faciat Dominus, ne honorem, & famam amittat. Dixerat enim illi Moseh, veritatem fiuam periclitaturam, si promissa patribus non impleret, quare Dominus ne mendax reputetur, promissa nunc vrget. Similiter discimus quàm iustus & verax sit Dominus, qui vrget eum cui debet, vt à se promissa accipiat. Nos confiteamur pauperes ad debita soluenda vrgere, Deus verò videtur nos cogere, vt det quæ nobis promisit. Sic & apud Ezechielem legis quàm sollicitus sit, vt soluat Nabuchodonosor ministeria quibus aduersus Tyrum exercitū suum fecerat seruire, vnde in premium illi datur Ægyptus. Quis mihi daret, Deus mi, sic festinare, quæ tibi promisi soluere, quemadmodum tu laboras, mihi promissa complere? Pollicitus sum te Deum habere, promisi, mandata tua seruare, sæculo & pompis eius abrenuntiare, sed quæ horum, vnquàm tibi præstiti? Impletur in me, quod regius propheta prædixit, & Paulus ad Romanos citauit, te videlicet esse veracem, nos verò omnes mendaces.

Mittam ante te angelum.
Sæpius dantur vicarij, propter peccata hominum: qui enim abiiciunt bonum prælatum, sæpius traduntur in manum sęuioris Domini: quemadmodum de Iudæis legimus. 1. Samuelis. 8. &. 12. Quia enim, abiecerunt prælatum Deum, & bonum sacerdotem, traditi sunt in manus Regis, tyrannidem in eos exercentis, qui meliora eorum, sibi vsurparet.

Non ascendam in medio tui, ne forte consumam te.
Admonentur hoc in loco bilioſi viri, non se immiscere quæstionibus. Similiter, non debere velle prælaturam accipere, qui non potest, aut vix potest ferre peccata suorum subditorum. Non vult Dominus populum ducere, quia tanta maiestas & sanctitas: non facilè ferret eorum errores, & tu, qui vix iram cōtinere potes? audes prælaturam subire.

Et audiuit populus sermonem hunc, & luxerunt.
Quantum debeat peccator sentire recessum & absentiam Dei, pulchrè locus iste adumbrat. Vt quid Domine recessisti longè? Nam quemadmodum omnes aduersus viduā consurgere solent, quia non habet qui eam possit defendere, ita & aduersus animā, cùm eam viderint præsidio suo destitutam. Qui custodiebant (inquit) animam meam, consilium fecerunt in vnum, dicentes. Deus dereliquit eam, persequimini & comprehendite eam, quoniam non est qui eripiat.

Deſcendere fac ornatū tuū à te, vt sciam quid faciā tibi.
Non libenter videt Dominus peccatorem festiuis vestimentis indutum: sed quemadmodum dedecent iustum, vestimenta lugubria, ita & peccatorem, indumenta iocunditatis. Nescio, vnde pessima hæc consuetudo in ecclesia inoleuit, vt fœminę Christianæ, ad exomologesim suorum peccatorum faciendam, ad ecclesiam euntes, ornent se, melioribus indumentis, ac si ad nuptias irent. Non sic sorores meæ, edoctæ à Domino estis. Considerate quæso peccatricem illam, cuius sacra meminit historia, qualiter ad Saluatorem, non ornata, sed solutis crinibus venerit verecunda, vt non fuerit ausa, faciem Christo ostendere, sed eam capillis suis operuerit, & retro steterit. Tū ergo qui à Domino Deo tuo, veniam requiris, ornamentum depone, sacco induere, & cinerem super caput tuum sparge, nudumque si fieri potest, coram Deo tuo te exhibe: vt ipse quantum placuerit, flagella multiplicet. Audi qualem se exhibeat Domino suo sanctus Dauid. Ecce (inquit) ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper, sic sese Domino exhiber, vt nudum dominus seruum, quantum placuerit verberet.

Moseh accepit tabernaculum, & tetendit illi extra castra, procul à castris.
Nihil sunum vult Dominus, habere apud peccatorem, omnia sua cupit ab eo auferre: vt scias quàntam malum sit peccatum, quo non solum Deum ipsum, sed cuncta dona eius perdis. Thesaurum vult perdere, qui in loco non securo, illud deponit: sic qui bona collocat sua apud peccatorem, cui continuè Dominus ruinam minatur.

Loquebatur Dominus ad Moseh facie ad faciem, sicut homo loquitur ad socium suum.
Nunquam antehac simili audiuimus, facta Moseh. Nunquam Dominus lætiorem vultum ac plures fauores iustis ostendit, quàm cùm viderit alios peccatores, à se recedere, quod facere solet. vt eos ad inuidiam prouocet. Cùm enim Dominus peccatorem castigare disponit, coram eo extollit iustum. Quia cuius nouerat, diabolum inuidum, commendat iustitiam Iob coram eo, quòd non sit ei similis in terra, iustus ac timens Deum. Solēt principes, tunc maximè, fideles suos diligere, & extollere, cùm omnes alios viderint infideles. Vos (ait Christus Apostolis) estis, qui permansistis mecum, in tentationibus meis: ideò in regeneratione, sedebitis super sedes.

Iehosuah filius Nun, non recedebat à tabernaculo.
Admonet locus iste custodiendas esse ecclesias, ne contingat aliquid immunditiæ, in eis fieri.

Tu dicis ad me, ascendere fac populum, & non scire feeisti me, quem missurus es. Considera bone Prælate, quàm timidus esse debeas, cùm videas Moseh adiutorem expectare, ad ducatum populi.

Et tu dixisti, noui te ex nomine.
Solent homines, Principum fauoribus, audatiores fieri. Sic & nunc sanctus Moseh, qui Deum quasi vult compellere, vt ei detegat secreta sua. Non aliter sponsa, cùm se à sponso laudari cerneret, quòd cæteris fœminis, pulchrior esset, in audaçem vocem prorupit dicens. Indica mihi, quem diligit anima meā, vbi pascas & vbi meridie cubes? Quod etiam filios Zebedæi, sanguinis coniunctione confisos, fecisse legimus, postulantes à Christo dextram, ac sinistram, in regno suo. Quos omnes etsi aspera, à Deo audisse responsa cognoscimus, vtilia tamen, & quæ quandoque ad ea, quæ desiderabant, possent eos perducere. Audiuit sponsa. Si ignoras te. Audierunt & illi. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Sic & nunc Moseh, audit à domino. Posteriora mea videbis, faciem autem meā, videre non poteris. Qua in re docet Principes, nō omnia concedere, quæ ab eis dilecti postulant: vt eorum audaciam reprimant. Vide quæ de his sanctissimus, in Canticis Bernardus disserit. Docemur etiam hic, quòd licet sancti & dilecti Deo simus, non audere iter sine Deo arripere, neque statim angelis fidere.

Si inueni gratiam in oculis tuis, scire fac me tuum, viam tuam. Volunt qui principi grati sunt, statim sibi gratiam sohui, quasi pro nihilo reputantes solam gratiam. Nonne tibi vir sancte satis est, gratum esse Deo, & gratiam inuenisse in oculis Dei? Quid ergo vlteriora petis! Docet etiam nos hic sanctus Moseh, quid præcipuè à Domino petamus: nempè modum scire, quo gratiam apud eum inueniamus. Cùm enim in multis, omnes frequenter offendamus, nulla scientia, est homini vtilior, quàm scire, qua se via, possit Deo suo reconciliari, aut Deum sibi.

Et vide, quia populus tuus, est gens hæc.
Verè iustus qui suam non propter se, sed propter populum, gratiam requirebat. Ad hoc debet prælatus, velle gratus esse Deo, vt subditos suos, Deo gratos faciat. Et ego ait Christus, pro eis, sanctifico meipsum. Ioan. 17.

Facies mea ibit, & requiescere faciam te.
Beatus prælatus, qui Deum adiutorem habet, & qui super custodiam Domini, requieseit: sciat tamē, quod nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui eam custodit.

Nisi facies tua ambulauerit, ne educas nos hinc.
Magnum quid est, pastorem proprias oues custodire, neque mercenarius, quantumcunque diligentibus fidere. Mercenarius enim fugit, solum quia mercenarius est. Et quia aliter homo, res proprias custodit, aliter alienas, ideò nititur sanctus Moseh ostendere Deo populum suum esse, non vicarij, qualem se ostendit.

In quo cognoscetur, quòd inueni gratiam in oculis tuis?
Magnum quid est, vt te timeant, neq; nocere audeant, scire te gratum esse principi. Nemo audet lædere, huiusmodi familiares & dilectos nemo eos non amplectitur, & in precio habet. Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit, ait Dominus. Fac (ait sanctus) mecum signum in bonum, vt videant qui me oderunt, & confundantur. Admonentur etiam hic Principes, signa gratitudinis ostendere his, qui aliquādo offenderunt eos si pœniteant, ne peccati sui perpetuas pœnas luant.

Diuisi erimus ego & populus tuus.
Audis hic, in quo populus à populo superatur, & quod illud sit, in quo gens, gentem aliam excedit, nempè in hoc quod est Deum secum habere.

Fac me quæso videre gloriam tuam.
Solet gratia, cor hominis dilatare: vt semper ad maiora suspiret.

Ego transire faciam omne bonū meum, iuxta faciem tuā.
Expende, Dei liberalitatem, qui plus dat quā petamus nos, Petierat Moseh, eius videre gloriam, ipse verò pollicetur, omne bonum suum, illi ostensurum. Vbi simul cogita, quæ sunt omnia bona Dei: nempè esse misericordem, clementem, tardum ad iram, & multum misericordia & veritate: vt nostri miseret:

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit omne bonum eius. Non dicit bona sua esse sapientem, potentem, & id genus alia: sed misericordem, & veracem: sed cum hoc iustum, & incomprehensibilis iustitiæ.

Non poteris videre faciem meam.

Solet homo, sæpius sibi nocitura à Deo petere: sed pius pater, ea misericorditer negat. Petebat sanctus vir faciem Dei sui videre, & quia hoc fieri citra mortis eius discrimen non poterat, non obtinuit quod ignorans, petebat. Ve desiderantibus (ait Propheta) diem Domini.

Ecce locus apud me. Quàm difficilè Deus, iustis & dilectis suis omnia postulata negat. Nam & si non omnia, quæ petunt obtineant, obtinent tamen, quibus contenti esse possint.

Ponam te in foramine petræ. Non nisi velate, ea quæ sunt Dei cognoscere possumus, & qui scruptator est maiestatis, opprimetur à gloria. Et considera, ad quid homo possit, in hac vita pertingere, & quantum gratia apud Dominum valeat: vt sese Deus homini ostendere velit, & memento maximè nobis hoc caput, gratiam commendare.

CAPITIS. XXXIIII. IVXTA LIteram annotationes.

Dolatibi duas tabulas lapideas. Verbum hebraicum pasal, est Hebræis dolare & sculpere, & dicitur tam de lignis, quàm de lapidibus. Deutero. decimo habes. Va ephsol, id est. Et dolaui duas tabulas lapideas. Inde pesel, id est sculptile. Significat etiam Iudicum tertio, lapicidinam, seu latomiam, locum, quo lapides dolantur, quo in loco dicitur. Et ipse reuersus est mimhapisilim, id est, à latomiis, seu lapicidinis. Posset tamen verti, à sculptilibus, id est à loco, in quo erant sculptilia. Loquitur enim ibi textus, de terra Moabitarum, in qua erant sculptilia. Exquirendum hic meritò esset, cur Dominus noluerit, alias tabulas dolare, sed Mosen præcipit, vt fabricet ipse eas. Ad quod dicitur, Dominum Deum hac voluisse damnatione, punire Iudæos, ne gloriarentur amplius, se habere tabulas Dei opere fabricatas. Quod autem sequitur,

Tibi. Occasionem præbuit Rabbi Selomoni, fabulandi dictio tibi, quam exponit, ad vtilitatem tuam. Dicit enim Deum Mosen ostendisse, lapidis Iaspidis latomiam, vnde lapides, ex quibus tabulas dolauit extraxit, ex quorum reliquiis, Mosen valdè ditatum asserit. Quo quid mendacius dici possit, ignoro. Nugant isti Rabbini, cum scripturis, vt lubet, & miror eum ignorare, phrasim esse linguæ. Vade tibi. Ibo mihi. Et sunt multi scripturæ loci, in quibus non quadrat, ad vtilitatem tuam: vt patet Numeri decimotertio, quo in loco Dominus dicit Mosen. Mitte tibi viros qui terram explorent, qui non ad vtilitatem Mosen mittebantur, sed populi, & fortassis neque ad populi vtilitatem cum eorum occasione populus à Domino fuit grauissimè punitus. Sic capite decimoquarto eiusdem libri. Proficiscimini vobis, quod etiam falsum est, fuisse ad eorum vtilitatem, cùm iubeantur retrocedere. Tene ergo modum esse loquendi, & hebraismum.

Quas fregisti. Significat verbum famar, frangere, diuidere, & scindere, addunt verò Hebræi, significare emere, propter illud Genesis quadragesimoseptimo. Pro alimento, quod ipsi choberim, id est emebant, quo in loco, seruata propria significatione, verbi potest. Quo ipsi frangebant, scilicet famem. Vt enim eodem loco admonuimus, vocant Hebræi frumentum, fractionem, quòd videlicet famem frangat, & sicut Hebræi dicunt, fregi tibi famem, id est cibaui ● sic nos Lusitani. Occidi tibi famem, mateite a fame. Nam me mataste a fame, nem a sede, id est, nõ extinxisti mihi famem neque sitim.

Esto paratus mane. Non solum significat verbum parare, sed etiam certificare, & firmare: vt patet secundo Samuelis quinto, Cognouit Dauid, quod hechino, id est confirmasset eum Dominus, in Regem: vnde posses hic vertere. Esto firmus, seu certus, mane. Non mentiaris, non mutes sententiam.

Et stabit mihi ibi, super verticem montis.

Pete quæso hic à Rabbi Selomone, quomodo Mosen stabat ad vtilitatem Dei, in vertice montis, aut quid vtilitatis erat Domini, quòd Mosen, cum eo in monte maneret.

Vir non ascendet tecum. Noluit Dominus aliquem adesse manifestationi, qua se ostendere decreuerat Mosen.

Pecus & hos non pascante è regione montis.

Dictio mul, id est è regione, non solum hoc significat: sed circuncidere. Voluit Dominus, etiam pecora abigere, & pastores seu custodes eorum, ne videre possent illa, quæ in monte agebantur.

Consurgens mane. Posset etiam verti. Eleuans se mane.

Et vocauit in nomine Domini. Non satis constat, quis vocauerit, an ipse Mosen, vel Dominus ipse, & crediderim Mosen, prius inuocasse Dominum dicendo. Domine, quæ autem sequuntur, te vera, sunt verba Dei, nõn Mosen, licet omnes ferè nostri, oppositum dicant, & litera sequens, sic reddenda ad verbum est.

Et transiuit Dominus, super faciem eius, id est, iuxta faciem eius, medio tamen lapide, citra quem erat Mosen.

Et clamauit Dominus, scilicet dicendo.

Dominus Dominus ego sum, fortis, commotus, miseris cors, longus iris, multus misericordia & veritate seu stabilitate, custodiens misericordiam milibus, leuans iniquitatem, seu pœnam iniquitatis, & præuaricationem, & peccation, & innocentem iudicando, non innocentem iudicabo, visitans, seu memorans iniquitatem, vel pœnam iniquitatis patrum, super filios, & super filios filiorum, super tertios & super quartos.

Complet hic Dominus, quod cap. precedenti promiserat Mosen. Promiserat autem, quod transiret ante faciem eius, & clamaret seu vocaret nomẽ Iehouah, quæ duo hic facit. Dicitur enim in textu. Et transiuit Dominus, super aut iuxta faciẽ eius. Et dicit super faciẽ eius, quoniã locus per quem Dominus transibat, erat altior loco, in quo stabat Mosen. Aut idem dictu est super, & coram, seu è regione, quemadmodum de velo, dictum est supra, quod esset super arcam testimonij, cùm re vera esset iuxta eam, potius quàm super eam. Secundo clamauit, quasi indicans, transitum suum Mosen. Clamauit autem bis, vt attentum redderet Mosen. Posset etiam esse sensus. Et clamauit, scilicet Dominus, Iehouah Iehouah, scilicet transit, aut melius, Iehouah Iehouah, scilicet ego sum. Et incipit statim tertium ostendere, scilicet omne bonum suum, dicendo. Ego sum fortis. Et quod capite præcedenti, in summa dixerat. Miserebor, cui miserebor, & commouebor, cui commouebor, hic particulariter explicat, dicens. Fortis, commotus, id est, Ego sum qui sum fortis, & qui sum commotus, id est, cuius viscera, commouentur ex visa miseria. Audi quid ipse dicat Ieremiæ trigesimoprimo. Nõnne filius prætiosus est mihi Ephraim, nõnne puer delectabilis? Quia ex eo tempore, quo locutus sum eum eo, recordando recordabor eius adhuc idcirco sonuerunt viscera mea propter eum, miserando miserebor eius, ait Dominus. Sum etiam misericors, seu clemens, præstans effectum commotionis. Videtur enim hic chanum, id est misericors, significare effectum pietatis, seu interioris commotionis. Sum etiam longus ad iram. Non statim vindico illatam iniuriam, aut non irascor, quàm primum homo peccat in me. Hoseah primo habes. Quomodo ponam te Ephraim, tradam te Israel? Ponam te, sicut admah, ponam te sicut Seboim. Conuersum est in me cor meum, pariter incaluerunt pœnitudines meæ. Non faciam secundum iram furoris mei, non conuertar ad disperdendum Ephraim, quoniam Deus sum, & non vir, in medio tui sanctus. Sum etiam multus misericordia, id est extendens misericordiam meam ad multos aut omnibus,

nibus, multam misericordiam exhibeo: ac si dicat. Sum multæ misericordiæ. Et veritate, seu stabilitate, ac si dicat. Sum multum stabilis in promissis, aut sum multum verax, quia nemini mentior, imò mentientibus mihi, seruo pactum. Neque solum sum misericors, & verax, his cum quibus paciscor, sed seruo misericordiam in milibus, seu in mille progenies, istorum. Sum etiam leuans, seu auferens iniquitatem, seu pœnam iniquitatis, aut comminatam, aut infligtam, & præuaricationem, & peccatum: ac si dicat. Absoluo à culpa & à pœna, aufero culpam & pœnam. Ponuntur hic tria nomina, quorum discrimen, non est plenè notum Hebræis, & nobis, scilicet aon, quod aliquando significat iniquitatem, nonnunquam pœnam iniquitatis, & radix eius scilicet auah, videtur significare curuum, seu tortum esse, siue dolo, siue pœna, inique, & peruerse agere. Habes enim Iob trigesimotertio. Et rectum heeueti, id est, curuaui seu obliquum feci. Sic Isaiæ vigesimoprimo. Naaueti, id est, incurruatus sum cùm audirem. Et Ecclesiastes secundo. Meuuar, id est tortum, non poterit dirigi. Videtur ergo aon, significare curuitatem, iniquitatem, seu peruersitatem. Secundum verò nomen, scilicet pesa: est à pasa, quod est rebellare, aut infideliter agere, & vt dicit Rabbi Dauid in radicibus, est exire à voluntate, vel præcepto Domini, ex superbia. Secundo Regum septimo habes. Rex Moab pasa, id est, rebellauit, seu infideliter egit, contra me. Est autem coniectura Prouerbiorum decimooctauo, quod significet rebellare, vbi dicitur. Frater niphsa, id est durior est, ciuitate forti, seu rebellior est, ciuitate forti, quæ scilicet fidit, in fortitudine sua. Nomen verò pesa iuxta hoc significabit rebellionem, & duritiam, aut præuaricationem. Diximus de significatione huius nominis, supra vigesimosecundo capite huius libri. Tertium autem nomen, scilicet chatah, videtur communiter significare peccatum. Est ergo litera hæc sic reddenda. Leuans curuitatem, seu iniquitatem, & rebellionem, & peccatum. Neque (meo iudicio) benè vertas ferens, quoniam aliud est, iniquitatem ferre, aliud leuare seu auferre: ac si dicat, leuo seu aufero peccatum, ex malitia, quod vocatur curuitas, & ex superbia, quod est rebellio & peccatum fortè ex infirmitate. Quod autem sequitur. Et innocentem iudicando. Hebraicè est. Et innocentando, non innocentabit (si sic liceret, latinis auribus loqui) aut, & qui mundum existendo, seu eum qui mundus existit, non mundabit, & sensus est, quòd nonnunquam, eum qui verè innocens est, ita percutiet, ac si non esset innocens vt ad oculum videmus. Moueor autem sic interpretari, quia cùm Iob, anxius quæreret, quare eum sic tractaret, nihil aliud respondit, quàm quòd in potestate sua esset, facere de creaturis suis, quod vellet. Secundo quia nullus est, apud eum mundus, etiam infans vnius diei. Tertio ex verbis literæ, quæ hoc sonare videntur. Prædixit autem hoc, ne eum iniustum hominem putarent, cùm eum viderent innocentes ac si impij essent flagellare. Aliqui sic locum intelligunt. Et mundando, non mundabit, id est, non ita hominem à culpa & pœna mundabit, quòd illi non aliquid pœnæ inferat. Secundo sic. Mundando, non mundabit, id est, neminem, omnino mundum à peccato, reputabit: si eum exactè examinauerit, quoniam nullus per se, apud eum innocens est. Neque displicent expositiones. Mihi tamen, prior videtur germanior, quòd scilicet innocentem hic aliquando tractabit flagellis suis ac si innocentes non essent.

Quod autem sequitur. Visitans iniquitatem patrum, super filios, in tertios & quartos, expositum est, vigesimo capite huius libri. Aduerte hic, qualiter Dominus Mosen duo ostendit, scilicet omne bonum suum, quod vt diximus, est esse Deum, fortem, pium, & cætera. Secundo ostendit ei vias suas, quòd scilicet omnes viæ suæ, sint misericordia, & veritas, vt postea dixit Dauid, Notas enim fecit, vias suas Mosen, filiis Israel voluntates suas. Aduerte etiam Deum vt plurimum, non expectasse peccatores in punitione, vltra quartam generationem, vt patet in Amorreis, & Hamalechitis, quos expletis quadringentis annis deleuit. Enumerant Hebræi, in hoc loco vndecim elogia Dei. Nam quod bis dicitur; Dominus Dominus, eo significari dicunt, duplicem in Deo misericordiam. Alteram, qua hominem à peccato præseruat. Alteram qua remittit ei, qui peccauit delictum. Secundo vocat se el, id est, fortem, quo innititur potentia eius, qua suis, vtcunque oppressis, succurrere potest. Tertio misericors, quatenus præseruat à lapsu. Quarto clemens, erigens, scilicet lapsum. Quinto longanimis, quoniam nõ statim punit homines, ac peccant, sed pœnam differt, vt peccator conuertatur. Sexto multæ pietatis, erga eos scilicet qui indigent, & merita non habent. Septimo multæ veritatis, scilicet in præstandis promissis. Octauo custodit bonitatem, seu pietatem in mille generationes, vt eius misericordia, eius iram excedat. Nono remittit omnis generis peccata. Decimo quia non est personarum respector. Vndecimo visitat iniquitatem patrum in filios, si peccata parentum imitentur.

Et festinauit Mosen, & incuruauit se, super terram, & humiliauit se.

De significatione verbi mahar, id est, festinare, abundè diximus Geneseos trigesimoquarto & vigesimosecundo huius libri. Ponuntur autem hic in hebræo, duo verba, quasi idem significantia, scilicet, chadad, & sachah, quæ incuruare significant: sed prius propriè significat caput inclinare, vnde ab eo est, chodchod, id est, vertex capitis. Secundum verò, videtur significare deiicere se in terram, aut corpus totum inclinare. Et aduerte, quod postquam Dominus finierat verba sua, incurauit se Mosen, & precatus est, quæ sequuntur, scilicet.

Si quæso inueni gratiam, in oculis tuis Domine, vadat nunc Dominus, in medio nostri, quia populus duræ cervicis est, & parces iniquitatibus nostris, & peccatis nostris, & hæreditabis nos.

Constat ex hoc loco, præcedentia verba, non fuisse Mosen, quoniam nunc adorat & precatur, quod non fecisset, si iam precatus esset. Et considera, qualiter sanctus vir, ex cognita via Domini, quod videlicet esset misericordia, eum rogat, vt eorum misereatur, licet sit populus duræ cervicis. Et quia Dominus præceperat, tabernaculum suum à castris separari, quasi nolens inter eos habitare, precatur nunc, vir sanctus, vt velit, in medio illorum ambulare quemadmodum consueuerat, vt parceret iniquitatibus eorum. Dixi etiam discrimen, inter aon, id est iniquitatem, tortuositatem, & chatah, id est peccatum. Quod autem sequitur. Et hæreditabis nos, duplicem sensum habere potest. Alter est. Hæreditabis nos, id est dabis nobis hæreditatem, in terra promissa. Alter, qui mihi germanior videtur, est. Accipies nos in hæreditatem, vt scilicet simus hæreditas tua, quemadmodum dixit Deutero. 32. Quia pars Domini, populus eius Iaacob funiculus, aut sors hæreditatis eius. Vocat autem funiculum hæreditatis, quia funibus, solebant quondam hæreditatem metiri & sortiri.

Ecce ego ferio fœdus, coram omni populo tuo.

Fregerant Iudæi, initum fœdus, cum Domino, ideò pollicetur se iterum fœdus initurum cum eis: & quando initum fuerit, satis constat Deute. 29. quia tamen hic statim, fœderis præcepta repetit, crediderim hic fœdus initum, aut iteratum. Diximus etiam in hebraismis, quare fœdus inire, diceretur fœdus percutere, quòd videlicet tunc victimæ iugulatentur, ad sacrificiũ vt patet de fœdere inter Deum & Abraham: Gene. 15. Et dicit eum populo tuo, quia nondum volebat vocare suum, ne peccatum minus æstimaret.

Facium mirabilia. Verbum pala, à quo niphlaot, id est mirabilia, significat propriè separari, & absconditum esse. Niphlaot verò, separatum, seu distinctum ab aliis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab aliis. Dicit ergo Dominus, se facturum separata, id est, quæ nullus alius Deus, aut homo, facere possit, qualia sunt, vera miracula, quæ solus ipse facit.

Quæ non sunt creata in omni terra.

Posset etiam verti. Quæ non sunt producta, quoniam vt diximus Gene. 1. (bara) non solum create, sed producere significat.

Et videbit omnis populus, in cuius medio tu es, opus Domini, quoniã separatum, aut admirabile est opus, quod ego facio tecum.

Non solum me admirabilem apud omnes gentes faciam, sed & populus iste, in cuius medio tu es, videbit, quam admirabilem, & insignem facio te, faciendo scilicet, per manum tuam, admirabilia opera. Posset etiam hoc intelligi, de familiaritate quam ipsi ostendebat, quam nulli alteri, vnquam ostendit.

Custodi tibi, id est, serua apud te, *quod ego præcipio tibi hodie,* id est, præcepta sequentia, quæ sunt, non inire fœdus, cum Chenanæis, destruere aras & idola eorum. Nouerat enim Dominus, populum pronum ad idolatriam, ideò admittitur, ab eo auferre omnem idololatrandi occasionem. Dicit ergo ei.

Ecce ego eicio à facie tua Emoræum, &c.et. ac si diceret. Ecce ego ob idololatriam, eicio à facie tua has gentes: caue ergo ne similis illis fias.

Ne forte sit in laqueum, in medio tui.

Omnes fere nostri vertunt. Ne forte sint in laqueum, scilicet huiusmodi gentes, in medio tui, hebraicè tamen habetur. Ne forte erit, in laqueum, & vertendum est. Ne forte sit in laqueum, scilicet inire cum eis fœdus, seu amicitiam cum eis.

Aras eorum diruetis. Significat natas, propriè diruere, seu euertere, quemadmodum ædificia euertuntur. Scamar verò, quod statim sequitur, confringere, vnde aræ, iubentur dirui, statuæ verò confringi.

Lucos eorum succidetis. Nomen asserah, quod nostri lucum vertũt, videtur significare arborem rectam. Taserah enim videtur potius à iasar, quod est rectum esse, seu rectificare, quam radicem per se, & tales, scilicet rectæ, erant arbores, quæ apud idolorum altaria, plantari solebant. Rabbi Dauid dicit, hoc nomine appellari, omnem arborem, quæ colitur, aut plantatur, ad gloriam alicuius, qui colitur, & huiusmodi arbores seu luci, apud idolorum altaria plantabantur, ad comedendum, & bibendum, & ad concubitum, ne saltandum, quibus Dæmones delectabantur, & quæ volebant sibi, à suis cultoribus exhiberi.

Dominus, zelotes nomen eius fortis zelotes ipse.

Vocat Dominus, se zelotem, quòd non patiatur secum consortium, alterius Dei. Neque solum est zelotes, sed fortis, qui potest iniuriam sibi illatam vindicare. Est autem zelus, cuiusdam quasi inuidiæ motus, quem aliqui, amorem non patientem consortium definiunt.

Solemnitatem infermentatorum custodies.

Vocat festum Paschæ, Infermentatorum, quia non licebat, panem fermentatum in eo comedere.

Quemadmodum præcepi tibi, in tempore mensis spicæ, id est, quo nouæ spicæ maturescere incipiunt. Vertit hic Sanctes noster, in priori editione. In mense Iulij, sed non bene, vt aduersus eum deduximus, supra cap. decimotertio, huius libri. Nomen enim abib, significat propriè spicam, & vt dicit Rabbi Dauid, in libro radicum, significat eam, cum culmo, seu calamo. Incipiunt autem spicæ in terra sancta maturescere, in fine Martij, aut in principio Aprilis. Videtur etiam ex hoc loco, nomen moed, significare tempus statutum, & esse à iaad, quod est tempus statuere, aut congregari, ad statutum tempus. Dicitur etiam mensis hebraicè chodes, à chadas, quod est renouare, quòd in principio mensis, luna innouetur, vnde idem est, mensis hebraicè, quod innouatio, quia tunc (vt diximus) innouatur luna. & Iudæi, per nouas lunationes, menses suos constituunt. Significat etiam chodes, menstruum quòd semel in mense, soleat fœminis accidere, vt patet Ieremiæ secundo. Sed locus ille, non multum cogit, ad hanc significationem. Posset enim locus Ieremiæ citatus, sic verti. In mense suo, inuenient eam, id est in ornatu suo. Solebant enim fœminæ, apud Iudæos, in nouiluniis, seu initiis mensium, quando kalendæ erãt, ornari, & festum agere diem.

Omne apertio vuluæ mihi, scilicet debetur. Omnes nostri, vertunt hic, omne primogenitum, & benè textum reddunt: sed hebraicè est, vt interpretati sumus. Significantius tamen dicitur, omnis apertio vuluæ, quàm omne primogenitum, quoniam filius viduæ habentis alium priorem, & viri non habentis alium filium, primogenitus erat patri, sed non apertio vuluæ.

Omne pecus tuum, quod masculum nascitur, primogenitum bouis & pecudis.

Subaudi meum est. Aduerte hic, quòd verbum zachar, quod hic ponitur, significat propriè recordari, & memorari, quare Rabbi Dauid, interpretatur hic, omne pecus tuum, erit memoratum, vt scilicet, separentur ab eo, masculi primogeniti. Posset etiam verti, omne pecus tuum erit in memoria, scilicet tam primogenitum bouis, quàm cuiuscunque alterius pecudis: vt scilicet Domino offeratur. Quia verò ab hac radice, est zachar, quod est masculus, ideò Sanctes, & cum eo aliqui verterunt, quod masculum nascitur. Videtur autem à zachar, quod est memorari deduci zachar, id est masculus, quòd in masculis filius, maneat parentum memoria.

Primogenitum asini, redimes oue.

Hebraicè est. Apertio asini, sed sensus redditus est, ab Interprete. Et quod sequitur. Redimes oue, nomen seh, quod hic ponitur, non solum ouem, sed & hœdum, significare inuenitur in sacris literis, ideò non arctes Domini sententiam, ad solam ouem, vel agnũ, quoniam hœdo etiam, poterat redimi, primogenitum asini. Si quæras, quare noluit Dominus primogenitum asini, dico, quòd quia vile animal apud homines reputatur, & quia ineptus erat ad cibum. Erant autem (vt alias diximus) sacrificia veteris legis, quodammodo cibationes Dei: sed prior ratio, melior & germanior est.

Si non redemeris, deceruicabis ipsum.

Varias significationes, tribuunt Hebræi, verbo araph, quod vertimus deceruicare, quod significare dicunt, etiam stillare, à quo oreph, id est ceruix, aut collum. Videtur tamen nomen significare neruos illos, qui sunt in posteriori parte colli. Exodi trigesimosecundo, Ecce populus durus oreph, id est, ceruice. Verbum verò, propriè significat ceruicem frangere, & ex consequenti, facere cadere, seu decidere, quòd ceruix fracta, decidere soleat, vt patet Deutero. vigesimoprimo. Vearephu, id est. Et deceruicabunt ibi vitulam, in torrente. Alterius verò significationis, exemplum habes Deutero. trigesimosecundo. Iaaroph, id est, decidat, seu stillet, vt pluuia, doctrina mea. Quo loco Hieronymus vertit. Concrescat vt pluuia, doctrina mea. Pretium autem redemptionis, taxatur Numeri. 18. quòd, scilicet in hominibus, à filio mensis & supra, siclet quinque siclis. Similiter filius omnis animalis immundi, redimebatur, quòd si intelligatur, de immunditia ad esum, tunc ratio data de primogenito asini, quod ideò redimebatur, quia non erat esui aptum, optima est, quoniam (vt diximus) sacrificia legis, erãt cibationes Dei, quas ignis, aut sacerdos Dei comedebat, & ideò, primogenitum ineptum ad cibum, redimebatur. Et hæc est ratio, quare omne immundum, redimebatur, vt loco citato, libri Numer. Dominus præcipit.

Et non videbuntur facies meæ vacuæ.

Dupliciter textus iste exponitur, à nostris. Primo quòd nullus debeat, coram Domino, in templo videri, sine aliquo munere, quod Domino offerat, & hinc consuetudinem illam exoleuisse putarem, vt vasalli aut seruit munus secum afferant, cùm veniunt coram Domino suo, secundo modo sensus est. Non videbuntur facies meæ, sine fructu, ac si diceret. Multum commoditatis habebitis, cùm videritis faciem meam, ideò præcipio, vt coram me appareatis. Prior tamen sensus germanior est.

Sex diebus seruies, & septima die cessabis. In aratione, & in messe cessabis.

Accipitur hic seruire, pro operari, quòd huiusmodi opera, communiter sint seruorum. Dicit autem, in aratione, & in messe cessabis, ne putarent sibi in huiusmodi temporibus, operari licere, propter sementem, aut messem, quando homines solent, labores suos festinare, ne perdant tempus sementis, aut messis, quod ecclesia, in noua lege hac de causa concessit. Et ex hoc loco percipies, quare Dominus, capite. 31. huius libri, inter opera tabernaculi, meminerit sanctificationis sabbati, ne scilicet putarent, ob operis pietatem licere sibi sabbatis operari: vt ibidem annotauimus.

Solemnitatem ebdomadarum, faciet tibi, id est, festum dationis legis, quod post septem ebdomadas à Paschate celebrandum erat. Et quod sequitur.

Primitias messis triticeæ, id est quo tempore offeres primitias tritici, quoniam tunc matureſcebat, & Iudæi tenebantur manipulos offerre.

Et festum collectionis, in reuolutione anni.

De festo tabernaculorum est sermo, quod in mense Thisri venire solet, qui Septembri nostro, pro parte sat tem respondet. Vocatur autem collectionis festum: quoniam illo tempore fructus colligi solent. Alij dicunt collectionis vocari, quòd tunc pecunia, ad sacrificia & alia templo necessaria, à Iudeis venientibus ad solennitatem, & ab aliis colligebatur. Sed prior ratio germanior est. Dicit etiam, In reuolutione anni, quoniam tunc annus finiebatur, scilicet pro contractibus. Habebant autem Hebræi duplicem anni inceptionem, vt supra decimotertio capite annotauimus, Alteram ad festa, quæ incipiebat in mense Nissan, qui respondet Martio nostro, saltem pro sui parte. Et iste modus inchoandi annum, incepit, ab exitu de Ægypto. Altera verò inceptio, fuerat ab initio mundi, quæ erat in Thisri, aut Marchesuan, post collectionem, scilicet frugum: secundum quam, annos in contractibus numerabant: de qua hic est sermo. Vnde Hieronymus vertit hic, Quando in reuolutione anni, cuncta conduntur.

Tribus vicibus in anno, conspicietur omnis masculus tuus, coram Domino Deo Israel.

Tenebatur omnis masculus, coram Deo ter in anno apparere, scilicet in Paschate, Pentecoste, & festo tabernaculorum. Volebat autem Dominus videre ter in anno, omnem masculum, quemadmodum pater cupit filios videre, qui alibi nutriuntur, & etiam vt discerent vnum esse Deum suum, cultumque eius.

Qui eiiciam gentes à facie tua.

Quidam voluerunt, hæc verba esse, præcedentis legis expositionem, quòd scilicet non tenerentur omnes masculi, Ierosolymam ascẽdere, nisi sublatis hostibus: ne scilicet eis ascendentibus, hostes sedes eorum, & ciuitates occuparent: sed quia Dominus promittit, se ablaturum concupiscentiam hostium, qua ciuitates eorum & loca possent concupiscere, melius est, vt teneamus eos obligatos omni tempore, cessante infirmitate, & fortè ideò voluit, eos templum ter in anno visitare, quoniam ejecerat gẽtes à facie eorum, & ideò dicit. Eiiciam gentes à facie tua.

Non immolabis super fermentatum, sanguinem victimæ tuæ.

Omnes nostri & Hebræi, hunc locum de victima paschali intelligunt quod, scilicet, cùm eam immolauerint, prius fermentum è domibus suis pellant. Posset tamen locus interpretari, quòd nullum sacrificium cum pane fermentato offerant. Abhorrebat enim Dominus, à fermentato in sacrificiis suis: sed quia statim, de Pascha præceptum datur, prior expositio securior est. Sequitur autem.

Non pernoctabit vsque mane, sacrificium solemnitatis Pasch. Admonuimus sepius, verbum hebraicum lon, significare potius manere, quàm pernoctare, ideò vertendum est hic. Non manebit, potius quàm non pernoctabit. Est autẽ sensus legis, quòd de agno paschali nihil debeat manere in crastinum, quemadmodum sup pra. 12. cap. huius libri præceptum est. Non relinquetis ex eo, vsque mane.

Principium primogenitorum terræ tuæ, adduces in domum Domini Dei tui, id est, primos fructus terræ tuæ & videtur loqui de primitiis segetum, non arborum, quæ quarto anno offerebantur Domino. Si quæras, quare Dominus huiusmodi primitiua exposcebat: putarem quòd eo iure, quo postulabat hominum & animalium primogenita. In Ægypto enim, non solùm homines & animantia, Iudæorum gratia extinxerat, sed etiam primitiua segetum. Nam triticum & zea, non sunt percussa, quoniam serotina erant: vt capite nono dictum est. Omnium ergo, quæ eorum gratia perdiderat, primogenita postulabat.

Non coques hœdum in lacte matris suæ.

Ad literam, vt sonat, præceptum intelligendum est: quoniam vt capite vigesimotertio superius diximus, hoc præcepto, eos pietatem docere voluit. Ibidem aliam adduximus interpretationem, scilicet, Non cõques hœdum dum lactat, quam autoritate ipsius scripturæ explosimus. Nam postquam hœdus ad septem dies, fuisset apud matrem, immolari poterat domino: vt dictum est vigesimosecundo capite huius libri. Cùm ergo adhuc septimo die & octauo, lacte matris pasceretur, sequitur lactantem posse immolari, quòd facto Samuelis probauimus, qui agnum lactantem integrum, Domino obtulit: vt patet primo Samuelis septimo.

Scribe tibi verba hæc, quia ex istis verborum istorum pepigi fœdus tecum, & cum Israel.

Iuxta hebræum habetur. Quia secundum os verborum istorum, & est sensus. Quia iuxta verba hæc, id est, præcepta, pepigi fœdus cum Israel. Hic implet, quod promiserat hoc eodem capite. Ecce ego ferio fœdus, coram omni populo tuo. Nam fœdus quod ante pepigerat cum eis fractum erat. Nam populus ex parte sua illlud fregerat, colendo idolum, vitulum, scilicet, Scriptura etiam, seu tabulæ, quæ fœdus testificabãtur, fractæ erant à Moseh, ideò modò nõ repetit præcepta alia, præcipua post decalogum, & præcipit, denuo decalogum scribi, vt ostendat se fœdus renouare, & quod dicitur. Super os verborum istorum pepigi fœdus: hebraismus est, hunc sensum habens. Quoniam super verba prolata hæc, pepigi fœdus, scilicet, nunc de nouo, cum Israel, & etiam tecum, ideò non est opus inquirere, quando Dominus, fœdus promissum hoc capite, pepigit cum Moseh, & Israel, & iubet Dominus non solum decalogum scribi, sed alia præcepta, & ipse scripsit decem: Moseh verò alia à Domino non promulgat.

Et scripsit in tabulis verba fœderis. Intellige Deum illa decem verba scripsisse, vt fuerat pollicitus hoc eodem capite. Erat autem fœdus præcipuè, super his decem verbis, ideò ea vocat verba fœderis.

Moseh non cognouit, quòd radiasset cutis faciei suæ, dum loqueretur ipse, scilicet Dominus, *cum eo.*

Hebraicè ad verbum est. Quia cornuta esset, seu cornutasset (liceat mihi, sic exprimendi gratia loqui) Non intelligas Moseh, cornua in facie prominẽtia habuisse, vt perperam à pictoribus pingitur, sed quòd radij, à cute faciei ipsius, ad modum cornuum egrediebantur ex locutione cum Deo. Fuit lux hæc, quædam participatio lucis in qua Dominus apparebat. Erat enim circundatus luce, iuxta illud Apostoli ad Thimo, 1.Tim.6. Lucem habitat inaccessibilem. Et in Psal. Amictus lumine sicut vestimento describatur, & putarem hac de causa neminem citra vitæ discrimen, posse videre faciem Domini, quoniam à facie eius, huiusmodi lucis radij egrediebantur, & quasi iaculabantur. Si enim vt hic statim sequitur, filij Israel, non poterant respicere faciem Moseh, nisi velamine tectam, multò minus faciem Dei, cuius participatio erant illi radij, lucentes in facie Moseh, qua etiam de causa, timuerunt ad eum accedere.

Omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnes eleuati synagogæ, seu *in synagoga.*
Posset etiam verti. Et omnes eleuati, seu Principes testimonij, qui scilicet fuerant principes pacti, & testes ipsius, vt dictum est capite vigesimoquarto.

Et post hoc. Hebraicè est. Et post sic. Sed sensus redditus est.

Et compleuit Moseh loqui cum eis, & dedit super faciem suam velamen.

Non intelligas, quòd postquam compleuit loqui cum eis, tunc dederit velamen super faciè suam, quoniam tunc non erat opus velamine, sed posuit super faciem suam velamen, vt posset perficere colloquiũ cum eis, quoniam antea à principio, non poterant eum audire propter iaculationem radiorum: vnde litera sic reddenda est. Et posuit Moseh velamen super faciem suam, & tunc compleuit loqui cum eis. Aduerte hic etiam, quòd ex coniectura huius textus, dicunt Hebræi masuch, significare velamen. Nam dictio rara est in scripturis, ignotæ significationis apud Hebræos licet Paulus optimè nouerit significatum eius secundæ Corinthiorum tertio capite.

CAPITIS. XXXIIII. ANNOTATA ad morum compositionem.

Dola tibi duas tabulas lapideas. Pessima res peccatum, ob quod, etiam post reconciliationem, aliquid mali, in nobis relinquitur. Erant priores tabulæ, non solùm scriptæ à Domino, sed etiam ab eo dolatæ, & paratæ, nunc verò, licet Dominus voluerit eas scribere, munus tamen dolãdi, Moseh iniunxit, qua in re, voluit etiam punire Moseh, quod passione & ira fortè turbatus, tabulas eius fregerit. Docet etiam hic populi rectores, vt non dedignentur, leges fractas renouare, quoties opus fuerit.

Esto paratus mane. Quid faciunt, qui imparati, aut potius conspurcati ad munera & ministeria Dei accedunt, postquam ad colloquendum, parari inbetur sanctus? Quæ in re docemur, qualiter ad orationem, quæ nihil aliud, quam diuinum colloquium esse videtur: parari debeamus. Et si *esto certus*, legas, memento hic aduertere, non esse Deo mentiendum, neq; debere aliquid, apud eum causari.

Vir non ascendet tecum, neque videatur, neque iumentum pascatur, è regione montis.

Quid facitis filij Adam vanissimum genus, quærentes populi frequentiam, ac populosas vrbes, ad ostendendam gloriã, ac diuitias vestras, cum videatis deum vestrum, tam latenter velle ostentare diuitias gloriæ suæ? Vni solt, in solitudine, & secretiori montis supercilio, à quo homines & iumenta, arcere iubet, gloriam suam ostendit, neque solùm homines, sed etiam iumenta suspecta habet, cùm gloriam suam ostendere vult. Sic & Christus, cùm in transfiguratione sua, quãdam beatitudinis speciem, in corpore suo voluisset ostendere, non hoc palam, sed tribus ex suis, & in montis vertice, quos adiurauit ne ante obitum suum, hoc alicui reuelarent, facere dignatus est. Et considera discrimen. Nos si quicquam iniurium pati debeamus, latebras & solitudinem quærimus: si quid verò honoris ostendendum est, publica loca. Christus autem ad dedecora & ignominiam, populosam vrbem requirit, ad gloriam verò ostendendam, secretissimum montem,

Dominus Deus fortis, pius, & misericors, tardus ad iras, & multus misericordia, & veritate, seruans misericordiam milibus, auferens iniquitatem, prævaricationem, & peccatum, innocentem iudicando, non innocentem iudicabit visitans iniquitates patrum super filios, & filios filiorum, super tertios & super quartos.

Benedictus sis Domine Deus noster, qui nobis ostendere voluisti vias tuas, & modum quo te possemus iratum placare, indicasti nobis, quod tuæ summæ clementiæ munus est. Postquam autem ipse, tibi per Moseh voluit vias suas ostendere, & nosti Moseh hoc summè desiderasse scire, scilicet viam qua cum iratum placare posset, atque eo docente didicisse: memento hac oratione vti, cùm eum tibi aut populo tuo iratum videris. Hac enim de causa, voluit ipse, hoc indicare seruo suo, vt hoc, cùm eum sibi viderit offensum, quasi remedio vteretur, & nos similiter. Expende quod dicitur. Fortis, plus, ac si dicatur fortis, ad pietatem. Sunt quidã homines fortitudine prædicti, sed qui eam ad crudelitatem exercent, qui ad hoc solum potentes sunt, vt alios opprimant, aut ad vitia exercenda. Vehait (apud Isaiam) Dominus, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Non sic autem Dominus Deus tuus, qui & si fortis sit, ad acies hostium debellandas, non tamen ad hoc fortis esse vult, sed ad miserias releuandas. Audi qualiter sanctus Dauid, hanc ab eo conditionem didicerit. Fortitudinem (inquit) meam, ad te custodiam. Non eam expendam, in oppimendis miseris, non ad inimicos meos debellandos, sed eam ad te placãdum, & infirmandum custodiam: hac in re, neruos virium mearum extendam, vt te iratum placem, & ad benignitatem reducam. Sic & Christus cùm gygas potentissimus esset, nusquam tamen gladium, aut lanceam in inimicos exercuit: sed vim suam omnem in depellendis morbis, à corporibus hominum expendit. Cùm enim Discipuli (vt Lucas nono capite commemorat) in Samaritas commoti, facultatem ab eo peterent, vt ignem de cœlo, ad eos extinguendos descendere faceret, acri reprehensione eos compescuit dicens. Nescitis cuius spiritus estis. Non estis (inquit) filij spiritus iræ, & commotionis, qui illatam iniuriam, statim reddit: sed spiritus lenitatis & mansuetudinis, qui omnẽ iniurias facilè tolerat. Filius (inquit) hominis, non venit animas perdere, sed saluare: ac si apertius dixisset. Non ea de causa, potestatem à Patre accepi, vt ea hominum animas perdam, sed mortuas viuificem. Docuit etiam Dominus hac in re, se non ideò esse pium, quòd nõ possit offensas sibi illatas vindicare, cùm sit fortis, aut necessitate, sed potius voluntate. Docet nos etiam, cùm mala in proximis videmus, ex intimis commoueri.

Tardus ad iram. Quid facitis filij hominum, cuius spiritus in naso vestro, qui nihil iniuriarum ferre potestis, & parati estis eas in duplo reddere? Nunquid Deo maiores aut honorabiliores estis, qui sic tardat illatas iniurias reddere? Sed tu Domine Deus noster, hoc tuo sapientissimo consilio facis, quoniam nisi expectaueris impium, vt ait Augustinus, non inuenies quem glorifices pium. Expectat (inquit Isaias) Dominus, vt misereatur vestri, & exaltabitur parcens vobis. Ideò enim te peccantem expectat, quoniam nouit se exaltãdum, cùm tui fuerit misertus: tarditatem tamen suam, supplicij grauitate, nisi resipueris compensabit.

Multus misericordia. Vis cognoscere quantus?

Seruans inquit misericordiam in milibus. Auferens iniquitatem.

Si per iniquitatem pœnam iniquitatis intelligas, cognosces Deum tuum, à pœna & culpa (vt dicitur) absoluere posse. Nullumque esse peccati genus, quod non possit sua omnipotenti manu auferre.

Innocentem iudicando, non innocentem iudicabit.

Quid innocentiam tuam iactas ô bone Iob, cùm noris deum, innocentem veluti impium damnare posse? Quid querularis, & dicis? Responde mihi quantas habeo iniquitates. Nonne potestatem habet figulus in lutum, vt faciat pro sua voluntate, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Et aduerte, quòd hoc solùm, solari potest innocentem in sua miseria, si cognouerit Deum suum, posse de creaturis suis quod voluerit facere.

Si inueni gratiam in oculis tuis, vadat Dominus in medio nostri.

Non postulat sanctus vir sibi, priuatum aliquid, sed se gratum esse cupit, vt populo suo gratiam acquirat. Admonui etiã aliàs, dum similem locum tractarem, meliorem esse iratum Dominum, quàm propitium hominem, aut angelum. Malum est apud te habere, qui

posit punire, neque possit parcere. Solent subditi, pastorem timere præsertim, vicatiis gaudere: sed quàm bonum sit eis, proprium Prælatum & supremum adesse, locus ille satis ostendit, & quanto quis durior est, tanto magis prælatum qui corrigat adesse desiderare debet.

Faciam mirabilia quæ non sunt creata in omni terra.

Constat ex hoc loco peccatorem, sæpius ad maiorem gratiam resurgere: sed hoc nõ sibi tribuat, sed deo prælatis & sanctis, qui pro eo orant. Similiter aduertere libit, profectum gratiæ, qualiter sanctus Moseh indies apud Dominum gratior fuerit, vnde sequitur.

Quia separatum est, quod ego facio tecum. Caue ne fortè feries fœdus, cum habitatore terræ.

Admonui sepius, quàm cauenda sint malorum consortia, præsertim infidelium, qui facilè in nobis fidem subuertere possunt, & quòd raro vir & vxor, sequuntur diuersam fidem.

Deos conflatiles non facies tibi. Docentur prælati, sæpius violatam amicitiam cum subditis integrare, postquam Dominus Deus tam grauiter offensus, tam facilè placatur & redit ad pactum quod populus irritum fecerat.

Solemnitatem infermentatorum custodies.

Debent prælati, subditos suos frequenter admonere festorum, & omnium aliorum quæ seruare eos volũt.

Quia in mense spicæ egressus es è terra Ægypti.

Sunt Dei beneficia frequenter meditanda, & præter meditationem, est ostendenda gratitudo.

Primogenitum asini redimes oue.

Si quod Deo debes, illi ingratum sit, commuta illud eius imperio tamen in aliquid gratius, neque te statim liberum putes, cùm id quod debes, non fuerit illi acceptum. Similiter sola illa Deo offerenda esse doceris, quæ eum didiceris acceptare, & illi grata esse.

Non conspicientur coram me vacui.

Æquissima & iustissima lex, vt non appareas vacuus ante eum, qui te replet omnibus bonis. Et quid æquitatis est, quòd tibi sis ipse repletus, Deo vero qui te repleuit, sis vacuus? Quo in loco discamus vereri, eorã Domino virtute vacuos, atque omni bono spirituali destitutos apparere.

In aratione & messe. Admonui aliàs, prælatos tunc maximè subditos de præceptis implendis admonere, cùm eos timuerint, ea transgressuros. Similiter discimus, ob nullam necessitatem esse omittenda diuina præcepta.

Festum collectionis in reuolutione anni.

Et si semper Deo gratias, pro beneficiis acceptis agere debeamus: tunc maximè, cum fructus eius benedictione productos colligimus.

Tribus vicibus in anno, conspicietur omnis masculus tuus, coram Deo Israel.

Mira dignatio, & admirabilis amor, vt veluti pater filium, velit te Deus tuus, coram se tam crebro videre. Et considera qualiter proficiendum tibi sit, qui coram eo, qui renes & corda scrutatur, singulis annis debeas pluries apparere, & quàm ingratè videbit te, cùm te videnit, nihil tempore profeciſſe. Quid tu ais Christiane piger, qui vix dignaris, Deum tuum semel in vita videre, qui tam raro, domum eius intras, qui diebus festis, sacra Dei tui audire cõtemnis? Sed quare parer no fiber, solos masculos vis tam frequenter videre, fœminas verò neq; in anno semel dignaris aspicere? Nonne & fœminæ tibi cure sunt, sicut & masculi? Nonne opus tuum, quas ex viri costa produxisti? Sed tanquam pius & misericors, hoc fieri voluisti, ne scilicet sexus infirmior longo itinere grauaretur, aut quia non ignorabas deuotum sexum, hoc sine præcepto facturum. Qua etiam in re, fœminarum genus docet, non hinc inde discurrere, etiam pietatis aut religionis prætextu. Amat hoc genus exire, amat hinc inde discurrere, & quia à viris suis sæpius arcentur, causam religionis aut pietatis mentiuntur: vt ergo licentiosum genus teneret officio occasiones vagandi præclusit.

Non concupiscet vir terram tuam, quando ascendes, vt conspiciaris coram Domino Deo tuo.

Ne timeas ô homo pusilli animi, aliquid tibi siniſtri accidere, cum te in operibus occupaueris pietatis. Qui enim solicitus est, in his quæ sunt Dei sui, arbitretur Deum, erga se & sita solicitum: ita vt nihil sibi defutiruni putet, cùm curauerit quæ sunt Dei sui. Docet etiã pulchrè hic Dominus principes, eorum negotia & res diligenter in absentia curare, quos nouerint suo aut reipublicæ ministerio, impeditos. Dignum est enim, principem illius priuata bona curare, qui pro eo publica munia, & negotia tractat.

Primitias primitiarum terræ tuæ, inferes in domum Domini Dei mei.

Audiant hoc auari, qui exactas decimas, & primitias, soluere negligunt, neque causentur, ministrorum auaritiam, aut malitiam, non enim propter eos decimas soluitis, & primitias: sed Deo & propter Deum, qui eorum malè gesta, exactè exiget. Sanctificabor inquit, in his qui appropinquant mihi. Ostendam, mihi non placere peccata, & me ab eis immunem: cùm ea tam acerbè, in meis ministris castigauero.

Non coques hædum, in lacte matris suæ.

Vt discamus quàm pij in homines esse debeamus, erga bruta nos voluit pietatem exercere.

Fuit ibi cum Domino quadraginta diebus, & totidem noctibus: panem non comedit, & aquam non bibit.

Audis hic quid valeat diuinum consortium, & colloquium, vt homo cibi & potus obliuiscatur, solo verbo domini contentus: vt discas hominem, non in solo pane & aqua viuiturum, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Quis mihi nunc daret, Domine Deus mi, vt panis & aquæ sustentaculis neglectis, solo verbo tuo, & dulcedinibus melle colloquiis, satiarer: neque amplius ad hæc requirenda rediterm.

Non cognouit, quòd resplenduisset cutis faciei eius.

Multa operatur Deus in nobis, nobis insciis & nonnunquàm inuitis. Quis etiam inter homines est, qui tanta dona Dei, quemadmodum sanctus Moseh à deo obtinuisset, & se ea habere ignorasset? Resplendet facies eius consortio Domini: non audet populus imò neque proceres synagogæ, ad eum accedere, vident in eo lucem inaccessibilem, & ignorat ipse, quæ in facie sua habeat. Norunt, imò & inflata homines bucca prædicant dona quæ habent, aut potius se habere à Deo putant, dolent si non viderint prædicari: sanctus verò iste, nescit, imò cùm alios admirari videt, velamine faciem operit. Considera etiam hic, quid lucri sit apud Deum esse, vt luce diuina, terrena inhabitatio perfundatur, si diu cum Deo colloquia miscuerit.

Timuerunt appropinquare ei.

Timendi valdè sunt Sancti Dei, neque solum honorandi. Exi à me ait Christo Petrus, quia homo peccator sum. Timor enim circundederat eum, quoniam & si ex se, circundati sunt infirmitate, potentissimi tamen sunt, ex diuina virtute. Audiens Herodes rex, Christi natiuitatem, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo, & de nato Ioanne Baptista legimus, factum esse timorem, super omnia montana Iudææ. Et de Saule primo Semuelis. 8. quòd timeret Dauid, eò quòd esset Dominus cum eo. Et Herodes Ioannem timebat, quo audito multa faciebat.

Quando veniebat ad loquendum cum Domino, remouebat Velamen. Debent sancti viri, & Prædicatores verbi atque Doctores, sese capacitatibus audientium accommodare & diuina eis prout capere possunt tradere.

CAPITIS. XXXV. AD LITEram annotationes.

Die septimo erit vobis sanctitas. Admonui sepissimè idem esse sanctitatem sabbati, quòd separationem ab aliis diebus prophanis, & operibus seruilibus. Est verò sensus. Die septimo erit vobis sanctitas, id est separatio ab operibus seruilibus.

Sabba-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sabbatum sabbati Domino, id est, quies strictior, quam in aliis festiuitatibus, in quibus licebat ignem accendere, & cibos parare. Vide quę de hoc scripsimus capite trigesimoprimo præcedenti, huius libri, & quæ Rabbini, de hac re dicunt, in expositione præceptorum, quæ videbis in libello à Munstero verso, inter præcepta negatiua, præcepto sexagesimoquinto, & sexagesimosexto, ac sexagesimoseptimo, vsque ad sexagesimumnonum.

Non accendetis ignem, in omnibus habitaculis vestris die sabbati.

Diximus nonnulla de his supra capite vigesimo huius libri. Dicunt autem Hebræi, non solùm cauendum ne ignem die sabbati struas, sed neque eliciendum ex ligno, lapide, aut metallo, neq; fouendam lampadem, nisi forte propter infirmum, neque extinguendum incendium, vt substantiam bonorum etipias, quod si propter frigoris immēsitatem, ignem accenderis, non esse sufflandum folle, sed arundine. Multa alia de die sabbati tradunt, quæ pudor est referre, & citatis locis videre licebit, in quam densis tenebris populus iste versetur: & quam miserè à Rabbinis decipiatur. Et aduerte, quòd in festo Paschæ, cessandum erat ab opere prima & septima die. Idem in festo tabernaculorum, in quo primus & octauus dies erant celebres. In Pentecoste, nullum opus faciendum prima die. In omnibus tamen his festiuitatibus, licebat cibos parare, & quicquid illa die, corpori necessarium erat, quod non licebat in die sabbati. Nostri intelligunt prohiberi ignem accendi, à quo lucrum aliquod possis consequi, vt ex fornace quo lateres, ollæ vel calx decoquuntur. Verbum baar, id est, accendere, significat accendere, & iuhiphil, comburere. Addunt Hebræi pascete. Sed duo priora significata, omnibus locis quibus verbum ponitur, conuenire possunt.

Accipite à vobis eleuationem Domino, id est, instituite, qui à vobis exigant munus quod vnusquisq; vestrum Domino eleuat. Dixi alibi, munus Domini eleuationem dici, aut quia à bonis offerentis leuabatur & seiungebatur, aut quia dum offerebatur, Domino eleuari solebat, quemadmodum qui munus principi offert, illud solet eleuare. Qua eleuatione, cùm fiebat Domino, protestabatur offerens eum esse in cœlo, ad quod sicut ad locum Dei, munus eleuabat; sed prior ratio conuenientior videtur.

Omnis spōtaneus corde suo, afferet eleuationē Domino. Noluit Dominus, eos ad oblationem cogere, aut oblatum limitare, ne potius exactorem, aut tyrannum agere videretur quàm regem, aut patrem.

Hyacinthum & purpuram & coccum bis tinctum & byssum.

Capite vigesimoquinto huius libri, abundè disseruimus de his omnibus, quæ hic nominantur, vbi omnium horum nominum radices examinauimus, quo in loco, videre licebit: sunt tamen vt plurimum, nobis & Hebræis ignota. Est autem coniectura, quòd techelet, id est, hyacinthus, sint fila ex quibus vela fieri solent, vt supra capite vigesimosexto dictum est. Vbi Moseh præcipit Dominus, facere velū ex thechelet, id est, ex hyacintho. Hebræi Janam blaui coloris arbitrantur. Sequens verò dictio, scilicet argaman, purpuram significare dicitur. Rabbi Dauid carmesinum putat, rubei coloris. Quia tamen tolaat, fani, quę sequuntur, videntur purpuram significare, melius est, vt dicamus argaman, significare carmesinum, vt dicit Rabbi Dauid. Sequens verò dictio, scilicet ses byssium, genus candidissimi lini significare dicitur, & videtur à radice sasah, quod significat sex, quasi sex filis texta.

Et pilos caprarum. Hebraicè est. Et caprinos, scilicet pilos: ex quibus fit simbalotus, genus pretiosi panni, quo nobiles nostri in æstate vtuntur.

Et pelles arietum rubeas. Admonui supra, nomen elim à fortitudine dici, vnde videtur significare potius hœdum, quam arietem, nisi qui annum transierit, vt dicit Rabbi Dauid.

Pelles taxorum. Etiam de his diximus citato loco, quòd sortè sunt animalia, quæ nostri vocant antas aut texugos, ex quorum pellibus vltimæ tabernaculi cortinæ, ad imbrem propellēdum factæ sunt. Fiunt etiam ex huiusmodi pellibus calcei, vt ibidem ex Ezechiele probauimus. Vbi etiam diximus, de lignis sittim, quæ Hebræi dicunt esse cedros, mihi videtur potius esse genus arboris, quod nostri bordum aut fayam vocant, ex quibus asses, ad compingendos libros fiunt, & sunt ligna pulchra & fortissima. Diximus de omnibus his sitis, supra capite vigesimoquinto huius libri, quem locum videre licebit.

Et fistumentum aromatum, id est aromaticum, seu quòd ex aromaticis speciebus conficiebatur. Et admonui superius samam, aliquando significare aromata in communi, nonnunquam verò certam speciem aromaticam, sed quænam illa sit ignoratur. De lapide verò onichyno, diximus capite. 25. huius libri, quòd sit lapis, coloris humani vnguis, si Hebræis fidendum est: sed ipsi meo iudicio, quemadmodū & nos, propriam nominis significationem ignorant, vt sæpius contra eos testati sumus.

Lapides plenitudinum. Non putes per lapides plenitudinum, intelligendas certas lapidum species, sed dicuntur omnes lapides pretiosi, qui pectorale implebant, plenitudinum, quod illis impleretur pectorale: vnde sequitur.

Pro ephod superhumerali & pectorali. Habitaculum & tabernaculum.

Constat ex hoc loco, discrimen esse, inter tabernaculum & habitaculum, seu inter mischan, & ohel, quoniam mischan propriè significat habitaculum, præsertim intimum, ohel verò tentorium, quale in campis figi solet. Hic verò secundum Hebræos, ohel significat cortinas medias, quæ erant ex pilis caprarum, mischan verò interiores: licet sæpius confundatur hoc in sacris literis discrimen. Tegmen verò, videtur hic accipi pro suprema cortina, quæ erat ex pellibus taxorum, quæ vt iam diximus prohibebant imbrem. Posset etiam esse sensus, & (meo iudicio) germanior.

Et sapientes corde, facient habitaculum, scilicet Dei, nempè tabernaculum, per quod intelligit cōpaginem tabularum & vectium, seu dispositionem eorum, & tegmen per quod omnes cortinas intelligit, ac si dicat. Faciant omnem tabernaculi molem.

Vncinos eius, & tabulas eius. Istis vncinis, ligabantur ad inuicem cortinæ. Et dictio cheres, aut charas, id est, vncinus, sic dictus est, quòd sit curuus, à charas, quod est curuare, incuruare, vt patet Isaiæ quadragesimosexto, charesu, id est, curuauerunt se, incurauerunt se pariter, quod Thargum vertit. Succisi sunt, excisi sunt.

Panes faciem. Capite vigesimoquinto huius libri diximus, duobus modis hoc interpretari posse: aut quòd ideò dicerentur isti panes facierum, quia ponerentur ante faciem Domini, aut quia habebant quatuor facies, aut saltem duas, & videntur lateris formam expressisse.

Cortinas atrij. Admonui capite vigesimoquinto huius libri, ignoram esse propriam significationem nominis chela, nisi quòd frequenter inuenitur, fundam significare, & dixi huiusmodi cortinas ad modum fundarum fuisse factas, vt qui extra atrium erant, per eas possent videre, quod intus erat & fiebat. Solent enim fundę in loco qui lapidi supponitur latiores esse, in extremitatibus verò strictiores: vnde si vnus extremitates aliarum duarum extremitatibus coniungerentur, sedes fundarum vtcunque clauderent & extremitates apertæ essent, quemadmodum in quibusdam cancellis monialium fieri solet.

Et funiculos eorum. Dictio hebraica meter, significat residuum, à iatar, quod est remanere, residuum esse. Dicitur etiam significare funem, & fortè dicitur funis residuum, quòd in cingulo quod ex fune fieri solebat erant quædam partes residuæ, scilicet, post nodum.

Vestes ministerij, ad ministrandum in sanctitate.

Verbum sarad, à quo serad, significat remanere, relinquere: vt patet Iehosuah. 10. vbi dicitur, Vehaseridim, id est, Et reliqui qui remanserunt ex eis, ingressi sunt vrbes munitionis. Et (mea sententia) dicebantur huiusmodi vestes residuæ seu reliquæ, quoniam expleto ministerio relinquebantur à sacerdotibus, ad differimen ephod, vel aliarum vestium, quas continuè gestabant. Et quod sequitur.

Et vestes sanctitatis. Potest appositiuè legi, nempè vestes sanctitatis. Aut per vestes sanctitatis intelligit alias quas continuè sacerdotes vt diximus gestabant. Hebræi arbitrantur per huiusmodi indumenta, intelligi ea, quibus candelabrum, mensa, & omnia alia vasa templi inuoluebantur, quando mouenda erant castra, sed quia in textu dicitur, vestimēta ad ministrandum, & non vocatur inuolutio propriè ministerium, nō approbo Hebræorum expositionem.

Venerunt omnis vir, qui leuauit ipse cor suum.

Sensus est. Venerunt omnis vir, quē cor suum eleuauit vt tribueret quæ Dominus postulabat, aut qui sponte obtulit, vt idem sit cor leuare, quod sponte offerre, & sic esset hebraismus. Verebantur enim, quòd inuenti fuerint tam spontanei, ad offerenda omnia hęc, pro vitulo fabricando, & non pro tabernaculo veri Dei.

Et omnis, cuius spontanea erat spiritus sectum, id est, qui apud se habebat spontaneum spiritum donandi.

Venerunt viri super mulieres.

Noster Sanctes vertit, cum mulieribus. Posset tamen esse sensus, quòd fœminæ prius venerint, deinde viri: quoniam promptiores sunt semper fœminæ, ad opera pietatis & religionis quàm viri. Aut dicuntur viri, super fœminas venisse, ad ostendendam frequentiam venientium, quæ tanta erat vt viri fœminis mixti (quod alias non solebat fieri) venirent.

Attulerunt fibulam, & inaurem, annulum, & dextrale, & omne vas aureum.

Omnes ferè dictiones quæ hic ponuntur, ignotæ significationis sunt apud Hebræos, & prior, scilicet, chach, quam vertimus fibulam, dicitur fibulam significare, quam nostri fiuellam vocant, & est ad modum acus ad aliquid ligandum, & solet in cingulorum extremitate poni, ad ligandas extremitates cinguli. Putarem potius significare totum circulum: cum ipsa fibula, quoniā in multis scripturę locis in hac inuenitur significatione. Nam Isaiæ 37 habes. Ponam chach; id est, circulum meum aut hamum in naso tuo. Et Ezechielis. 29. Dabo chachim, id est, circulos aut hamos in maxillis tuis. Iob etiam. 40. Vbechoah, id est, fibula perforabis maxillas eius? Significat etiam Iob. 31. spinam. Tenendum ergo est significare propriè fibulam seu acum cum suo circulo, qui in altera cinguli extremitate ponitur ad ligandum illum. Significat etiam compedem. 2. paralipom. 33. De inauribus nullum est dubium, per nezem significati, & per tabaat annulum, à taba quod est figere, infigere: sic dictus quòd digito infigatur. Chumam verò, id est, dextrale, ignotum est quid propriè significet. Aliqui femorale subligaculū, auro gemmisque redimitum putant. Alij muliebre, circa pudenda ornamentum. Sed indignum mihi videtur, hæc Domino eos offerre, cùm scirent eum nolle recipere pretium meretricis ad altare. Et qui ab hoc abhorrebat, qualiter pudendarum acceptaret ornamenta? Noster Sanctes Thargum sequutus, dextrale vertit, Hieronymus murenulam. Et quia dictio in scripturis rara est, non est coniectura bona, ad propriam significationem venandam. Ponitur infra Numeri. 31. Hebræi typum vuluæ interpretantur. Aben Ezrah inter hæc quatuor ornamenta, quæ hic commemorātur, ita discernit: vt primum sit aurium ornamentum, alterum nariem, tertium digitorum, quartum brachiorum. Ego verò arbitror horum primum fuisse circulum aureum, cum fibula sua, qui in extremitate cingulorum figi solet ad cingulum ligandum, licet aliqui dicant fuisse faciei ornamentum ad modum hami, & Helenas Ægyptias fortè sequutas habuisse extremas partes narium, aut fauces perforatas, quemadmodum nostræ, aurium extremitates, & ab eis huiusmodi aureos

hamos suspendisse. Secundum verò non est dubium fuisse inaurem. Tertium autem annulum. Quartum quale fuerit me ignorare ingenuè fateor, licet putem esse dextrale seu ornamentum brachiorum.

Attulerunt netum hyacinthum, purpuram.

Maxima ex hoc loco coniectura est, tam hyacinthum quàm purpuram, seu techelet, & argaman, significare filum sericum aut lanam, quoniam dicitur hic populum hæc attulisse neta. Erant enim res quæ à fœminis neri, seu filari poterant.

Omnes mulieres quas eleuauit cor illarum, id est, quarum cor eleuatum est à Domino, scilicet, ad laborandum, *iuxta sapientiam*, scilicet suam, *neuerunt pilos caprarum*, scilicet ad conficiendum simbalotum (liceat mihi sic latinis auribus loqui) postquam non dant nō his propria nomina, ad hæc significanda. De lapidibus onychinis, & plenitudinum, hoc eodem cap. diximus.

Videte. Vocauit Dominus Besalel. Ne inter artifices iurgium seu contentio esset super primatum, indicauit Moseh Besalel, à Domino electum quasi principem, inter omnes alios artifices. Et per vocari ex nomine, intellige designari, aut inter cæteros eligi.

Implenit eum spiritus Dei, sapientia, intelligentia, & scientia, & omni opere.

Elatu Dei iste impletus est sapientia, intelligentia, & scientia, & discrimē horum nominum, scilicet, chochmah, id est, sapientia; tabunah, id est, intelligentia, & daat, id est, scientia, diximus supra capite. 31. Et omni opere, id est, non solum illi dedit sapientiam, sed opus seu operari, iuxta sapientiam suam, aut ad opus omne faciendum. Multi enim sunt, qui callent artem, sed nesciunt conformiter ad eam operari, ideò vtrumque Deum Besalel dedisse affirmat.

Ad cogitandum cogitationes, & ad faciendum.

Hęc duo requiruntur ad bene fabricandum, scilicet cogitatio bona, & executio.

In fabricatione lapidis, ad complandum, scilicet pectorale huiusmodi lapidibus. Iam enim sæpius diximus, quare huiusmodi lapides, dicantur plenitudinis, quia, scilicet implebant pectorale iudicij.

Et ad docendum, dedit in corde ipsius.

Non solum vt ipse sciret, sapiētiam dedit ei Dominus: sed etiam vt alios artifices docere posset & instruere. Et aduerte verbum iarah, duo significare, scilicet descendere, & docere, quoniam qui dolet, descendere facit doctrinam suam, in corda eorum quos docet, iuxta illud Moseh Deute. 32. Descendat vt pluuia doctrina mea. Et quod sequitur.

Et Aholiab filium Achisamach, sensus est, quòd Dominus dedit sapientiam Besalel ad docendum socium, aut melius quòd socio, etiam dedit huiusmodi sapientiam, & hunc sensum sequens sententia probat. Sequitur enim.

Et replenit eos. Omne opus fabrile cogitatum, acupictum.

Per opus cogitatum, videtur intelligere opus quod ex magna cogitatione fit. Aut reputatū, id est, quod apud homines magnum reputatur, quoniam quòd sequitur scilicet acupictum, fit etiam ex magna cogitatione. Verbum chasab à quo chosseb, id est, reputatum, aut excogitatum hæc duo significat, scilicet, cogitare, & putare & frequentius putare, quàm cogitare. Sequentis verò dictionis, scilicet rochem, quam vertimus acupictum, significatio propria non plenè nota est Hebræis, neque nostris, aliqui dicunt significare vestem diuersorum colorum.

Et textorio, id est, in opere, quod fit opere texentis. Verbum arag, à quo oreg, id est, textorium, significat aut texere, aut potius inuoluere quod textum, aut filatum est, vt patet Iudicum. 16. vbi de Samsone dicitur. Et profectus est cum claua, haereg, id est, inuolutionis seu in quo crines eius erant inuoluti aut texti. Illud etiam Iob. 7. Dies mei velotiores fuerunt mini areg. id est, radio texetis, potest bene verti, inuolutorio seu fuso filantis aut inuoluentis. Ferè omnia quæ hoc capite, & sequentibus huius libri ponuntur, supra hoc eodem libro exposita sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPITIS. XXXV. AD MORVM compositionem annotata.

Omnis qui fecerit in eo opus, morietur. Mirum valdè est, quanti fecerit Deus sabbati obseruantiam, vt pœna mortis voluerit violatores punire. Solent legislatores ea quæ sibi maximè sunt cordi, sub maximis interdicere pœnis, etiam si non in se magna sint. Licet enim sabbati obseruantia, non sit maximum præceptorum, quia tamen Deo cordi erat, & videbat Iudæos pronos ad illud frangendum, tam graui pœna voluit punire eius violatores. Ne ergo homines putarent sibi licere, ea quæ ad cibos pertinent, die sabbati præparare, ignem tunc accendi prohibuit. Putant tamen (vt diximus) Iudæi, licere sibi, ad calefaciendum se, si vigeat frigus, ignem struere, modo non folle, sed arundine illud accendant. Licere etiam sibi arbitrantur, structo à gentili, non gratia sui vti, sed si Iudæi causa, ignis succenderetur etiam à gentili, non licere eis vti tali igne arbitrantur, vt dicunt.

Omnis cuius est spontaneum cor. Admonentur hic Prælati, non se exactores populo, & subditis suis, exhibere, sed sponte oblata accipere, quemadmodum hic Dominus, qui licet omnia quæ petebat suis dederat, voluit tamen eos cogere ad ea offerenda. Licet tamen à suis exigere, vitæ stipem, si in ea re negligentiores quàm par est inueniantur. Est etiam hic locus, ad oculum ostendens, populum teneri ad omnia, quæ ad templorum vsum necessaria sunt, præter sustentationem ministrorum. Et memento Deum, omnia hæc à te exigere, non quia egeat, sed vt abundes meritis, si sponte donaueris.

Omnis sapiens corde in vobis, veniet, & faciet opus Domini. Tenetur quisque, Deo offerre quod potest, alij donaria, alij operas suas.

Attulerunt fibulam & inaurem. Quod dederant ad idolum fabricandum, nunc dant ad opus Domini. Vtinam talis essemus mentis, vt tot expenderemus in ministerio Dei, quot expendimus, in obsequio vitiorum. sed de hoc alias capite. 32. diximus satis.

Omnis mulier sapiens corde, manibus suis neuerunt. Docentur hic piæ matronæ manibus suis filare, & texere, ea quæ ad cultum Dei pertinent, vt sunt corporalia, pallas, imaginum indumenta, & id genus alia, mo-
Act. 9. mores illius viduæ quam à mortuis suscitauit Petrus: cuius munus erat, pauperes tunicis induere.

Videte. Vocauit Dominus Beſalel. Solent artifices, de primatu contendere, sed dux prudens, contentionem & æmulationem suis verbis præuenit, ollendens Beſalel, non à se, sed à Deo electum.

Replcuit eum spiritus Dei. Admonui supra, in tabernaculi fabricatione, voluisse Dominum præcipuum artificem, sua sapientia docere: vt ostendat se nihilo indigere à nobis.

Et ad docendum, dedit in corde ipsius. Solent præcipui artifices, sapientiam & artis suæ peritiam, abscondere, nihilque quod in arte præcipuum sit, alios docere, sed non sic sapientissimus Deus, se artifices quos ipse spiritu suo repleuerat, alios docere voluit, vt discamus dona dei non occultare, sed proximis impartiri. Ne autem iste Beſalel, se vnicum in arte putaret, & de munere domini superbiret, socium dare voluit ei Dominus.

CAPITIS. XXXVI. IVXTA LITERAM annotata.

ET fecit Beſalel. Ponitur hic tabernaculi fabricatio, & executio eorum quæ mandauerat Dominus, & omnia hæc sunt præcedentibus capitibus, paucis exceptis, exposita, ideò breuiter literam expedimus.

Omnem quem leuauit cor, ad appropinquãdum ad opus. Posset etiam verti. Omnem qui leuauit cor, id est, qui cor suum eleuauit ad accedendum, vt faceret opus Domini. *Et ipsi adduxerunt ad eum adhuc donum, mane & mane,* id est, postquam artifices tulerunt à conspectu Moſeh, omnia ad opus requisita, adhuc tamen populus afferebat ad eum singulis diebus, munera ad opus Domini. Et aduerte hic, qualiter hebraïsmus diem artificialem, vt vocat, appellat mane, vt expendas, quàm benè Geneſis primo dictum sit. Factum esse vespere & mane, id est, noctem & artificialem diem, vnam diem.

Multiplicant populus, offerendo vltra sufficientiam ministerij, ad opus quod præcepit Dominus vt facerent. Sensus est. Plus affert populus, quàm opus sit, ad ministeria operum, quæ Dominus præcepit fieri. Aduerte hic dictionem hebraicam dai, hebræis tria significare, scilicet, sufficientiam, tempus, & esse syllabicam adiectionem, significantem (de) quorum omnium multa Hebræi exempla citant. Posterioris verò significationis exempla habes apud Iſaiam capite sexagesimosexto, vbi habetur. Et erit mide chodes, id est, de mense, in mensem eius. Vmide, id est, & de sabbato in sabbatum Ad probandam autem secundam significationem, citant illud primo Semuelis. 18. Et fuit mide setam, id est, à tempore egressus eorum, prudenter se gessit Dauid. Et Iſaiæ. 28. Mide, id est, à tempore quo transierit ipse, accipiet vos. Sed posses sustineri, vbique vnicam esse nominis significationem. Et locus. 1. Iſaiæ posset sic verti Et erit de sufficientia mensis, in mensem, id est multiplicatis mensibus. Quod verò ex secundo loco allatum est, sic verti potest. A sufficientia transitus, seu à copia transitus, cùm sæpius transierit, accipiet vos. Infra enim dicitur. Quoniam singulo mane transibit. Quod autem ex Semuele, hunc sensum habere potest. Et fuit ab abundãtia egressus eorum, id est, ex quo frequenter egressi sunt, prudenter se gessit Dauid, quæ in eum finem interpretamur, vt non facilè mutes, & varies, nominum & verborum significationes. Quod verò significet sufficientiam, clarius est, quàm vt oporteat exempla ad hoc citare.

Transire fecerunt vocem in castris, scilicet præconis. Proclamare fecit Moſeh, vt populus ab oblationibus cessaret.

Vir & mulier, ne faciant vltra opus, ad oblationem sanctificationis. Dupliciter potest locus iste intelligi. Vno modo vt sit sensus. Vir & mulier, nõ faciãt vltra opus, pro sanctuario, quoniam quæ facta erant sufficiebant: & ne offerant vltra oblationem, ad locum sanctum. Secundus exponendi modus, quem priori præferendum puto, est. Vir & mulier, non faciant vltra opus, id est, non filent aut texant, vltra opus aliquod, vt offerãt ad sanctuarij fabricam, seu ad opera sancta. Viri enim & fœminæ, non solum operum materiam offerebant, sed etiam fabrefacta. Artifices verò illa disponebant quemadmodum Dominus præceperat Moſeh.

Et opus fuit sufficiens eorum, ad omne opus, ad faciendum illud, & superfluit. Vertit hic noſter Sanctes. Et substantia eorum, erat sufficiens, ad omne opus Munsterus verò. Nam supellex illa, fuit sufficiens pro vniuerso opere perficiendo. In hebraico tamen est, vt vertimus. Et idem est nomen, quod Sanctes prius vertit substantiam, & postea opus: & in multis locis scripturæ, opus significat. Noſtri Geneſis. 33. nomen melachah vertunt gregem. Vbi dicit Iacob. Ego pergam pedetentim, ad pedem hamelachah, id est, operis. Vbi noſtri vertunt, ad pedem gregis. Neque mirum, quoniam greges dicebantur tunc temporis opus & facta, iuxta illud Geneſis. 12. Et animas quas fecerant in aram. Est autem sensus horum verborum. Et opus quod scilicet fecerant, tam viri quàm fœminæ, qualia erant, vt diximus, quę neuerant vel texerant, erat sufficiens ad omne opus, scilicet ab artificibus faciendum, & superfluebat, quoniam plus quàm opus esset offerebat populus.

Et fecerunt omnis sapiens corde, eton fabrefacientibus opus, habitaculum, decem cortinas, è byſſo retorta. Admonui supra, & textus hoc clarè dicit, omnes viros & fœminas sapientes corde, adiuuisse principales artifices, præparantes ea quæ ad opus erant necessaria, ideo hic dicitur, sapientes corde, fecisse cum faciẽtibus opus. Posset etiam verti. Tabernaculum decem cortinarum. Dictio autẽ ierioth, id est, cortinas à ira quod est frangere ortum habet, & dicuntur cortinæ ieriot, à frangendo, aut quia fractæ & diuisæ ad inuicem sunt, aut quòd sonum fractionis emittant, dum colliguntur. Quod autem sequitur.

E byſſo retorta hyacintho, &c. Exposita sunt capite præcedenti, & vigesimoquinto huius libri, quemadmodum Cherubini capite. 25. & 26. Aliqui pro Cherubim legunt,

Pictas opere cogitationis, fecit eas. Dicit autem Aben Ezrah, Cherub esse genus, ad omnem figuram, nisi quod ea quæ sunt in lege, humanã habebant effigiem: quo pacto modo depinguntur. Quæ verò apud Ezech. 1. animalium ibi descriptorum imaginem præ se ferebant. Ego verò arbitror, vbique vnius esse figuræ, neque fuisse humanam, quoniam Ezechie. 10. facies Cherub, contra faciem hominis diuiditur. Dicitur enim ibidem. Facies vnius, facies acherob, & facies secundi facies hominis. Vide in loco citato, vbi satis significationem discussimus. Aliqui Hebræorum arbitrantur, eos habuisse puerorum effigiem.

Fecit laqueolos hyacinthinos. Diximus capite vigesimosexto de dictione lulot, id est, laqueolos. Et huiusmodi laqueolis iungebantur cortinæ adinuicem, & vt capite. 26. diximus, erant ansæ seu laqueoli, in vtraque extremitate cortinarum oppositæ sibi inuicem, & vncinus curuus ex vtraq; parte, capiebat ansas, & coniungebat cortinas ad inuicem.

Fecit cortinas caprarum, id est, è pilis caprarum, *tentorio.* Erant huiusmodi cortinæ super alias, quæ erant ex purpura & byſſo.

In labio cortinæ extremæ, in coniunctione, id est, vt coniungerentur, aut vbi coniungebantur ad inuicem, scilicet prior cum secunda.

Fecit operimentum tecto. Constat ex hoc loco, fuisse quadruplex tabernaculum, seu operimentum. Primum ex byſſo, purpura, &cæt. Secundum è pilis caprarum, quod tegebat primum. Tertium è pellibus arietum, rubricatis, quod tegebat secundum. Quartum è pellibus taxorum, quod operiebat tertium, & erat extremum, & putarem primum fuisse planum, in parte superiori, alia verò habebant dispositionem tentorij, seu tabernaculi pastorum, cuius rei coniectura est, quòd primum communiter vocatur habitaculum, alia verò tentorium, quod nos appellamus tendæ de campo. De tabulis cum suis incastraturis, etiam diximus capite vigesimosexto.

Duas tabulas fecit in angulis tabernaculi, in lateribus. Difficilè est cognoscere, qualiter istæ tabulę angulares essent dispositæ, & qualiter geminatæ, vt diximus in loco citato, quem consulere licebit. Similiter qualiter huiusmodi tabulæ, fuerunt geminatæ infernæ, & superiores, & putarem angulares tabulas, habuisse frusta alterius tabulæ, affuta in parte inferiori, & superiori, vt anguli essent fortiores. Erant autem geminatæ, ad angulum vnum, quia faciebant vnum angulum cum tabulis vltimis ad aliorum laterum.

Fecit vectem medium. Præter quinque vectes, quæ ligabant tabulas ad inuicem, erat quidam vectis maior in medio tabularum, qui transibat ab extremo, ad extremum.

Annulos earum, scilicet tabularum, *fecit ex auro, loca vectibus.* Appositiuè legendum est, loca vectibus, quoniam huiusmodi annuli erat loca, per quæ vectes intrabant, & hebraicè pro loca vectium habetur, domus vectium, quoniam hebraïsmus locum in quo aliquid intrat, domum eius vocat, sicut vaginam, domum gladij.

Opere excogitato fecit illa, eum Cherubinis. Iam dixi opus excogitatum dici, quod ex maxima cogitatione fiebat, aut quod erat in magna reputatione, & per Cherubim intellige, illorum animaliũ picturas.

Vncini earum, scilicet columnarum *aurei.* Quidam hic pro vncinis, vertunt capita, sed malè meo iudicio, quoniam infra statim dicitur.

Et columnas eius quinque, scilicet fecit, *& vncinos earum, & texit capita earum,* vbi post vncinos, posuit capita. Dictio tamen nau, ignotæ significationis est apud Hebræos, & videntur illi vncini facti, vt ex eis cortina suspenderetur. Dicunt tamen Hebræi, huiusmodi vncinos, fuisse columnis affixos, vt ex eis suspenderentur victimę diebus solennibus excoriandæ & offerendæ. Si tamen capita cum Hieronymo vertas, non damno, quoniam sit mentio basium & filorum, & æquum videtur, vt mentio fiat etiam capitum. Quæ autem sequuntur, & omnia quæ in hoc capite tractantur, exposuimus supra capite vigesimosexto, vbi quæ hic desunt videre potes.

CAPITIS. XXXVI. AD MORVM compositionem.

Fecit Beſalel & Aboliab, & omnis vir sapiens corde. Sunt multi, quibus Dominus sapientiam, & multa alia donauit, qui rarò aut nunquam, secundum sapientiam sibi traditam operantur, sed potius in malitiam, sapientiam conuertunt, scilicet ad proximorum deceptionem, non sic isti edocti à Domino, qui sua sapientia ad opera Domini vsi sunt.

Vocauit omnem virum, quem leuauit cor, ad faciendum opus Domini. Non coegit quenquam, sed qui sponte accedebat: vbi simul docemur, ad opera Domini, non coacti, sed sponte currere: contra eos, qui ad ea quæ Dei sunt, negligentiores quàm oportet inueniuntur.

Ipsi attulerunt ad eum, adhuc spontaneum, singulis diebus. Plura isti Deo offerunt, quàm petatur, vtinam nos, quæ debemus offeramus Domino Deo noſtro.

Multiplicat populus, offerendo vltra sufficientiam. Boni & iusti artifices, qui nõ seruant sibi, quod superest, in operibus Dei, sed dominis suis ea restituunt. Sunt proh dolor multi Rectores communitatum, qui pro publica vtilitate, multa petunt à populo: sed nihil vnquam etiam si supersit, communitati restituunt, sed in suos, vel alios quoslibet vsus conuertunt, non considerantes, populum de cætero libẽtiori animo donaturum, & plura, cùm viderit quæ offert, fideliter à ministris & gubernatoribus dispensari. Et considera disparitatem. Isti prohibentur dare, nos coginur, præstare ea, quæ ad cultum Dei necessaria sunt. In multitudine cortinarum, discе ornamentum domus Dei, neque esse reprehensibile, si domus Dei, huiusmodi abundet.

Tabulas texit auro. Clamant multi illud Poetæ. Dicite Pontifices, in sacris quid facit aurum? Sed non semper, hæc in domo Dei damnanda sunt. Nam & si Dominus pluris quàm hæc faciat opera pietatis & virtutis, non tamen hæc spernit, cùm ex deuoto animo illi offeruntur.

CAPITIS. XXXVII. IVXTA LITERAM annotata.

Fecit Beſalel arcam. Repetuntur hic, quę dicta sunt capite. 25. huius libri, & dicuntur facta, quæ ibi fieri præcipiuntur, ideò breuiter percurrenda est litera, ne contingat eadem toties repetere.

Texit eam auro mundo, intrinsecus & extrinsecus. Parui refert, quòd hebraicè habetur, de domo, & ab extra. Nam vt in hebraïsmorũ explicatione admonuimus, vocant Hebræi, quod est intus, esse in domo.

Fecit ei coronam auream. Diximus capite citato, zar tah, à quo zer, id est, corona, significare dispergere, ventilare, & circundare, & zer coronam seu circulum.

Fudit ei quatuor annulos aureos, super quatuor angulis eius. Melius vertas. Super quatuor pedes eius, quoniam paam, pòtius pedem, quàm angulum significat: & miror cur nostri dicant, singulare huius nominis significare pedem, plurale verò angulos. Quod enim ex capite septimo. 1. Regum citant, ad hanc probandam significationem, & vertunt. Quatuor rotæ erant basi singulæ, & tabulæ æreæ, & quatuor angulis eius, humeri erant. Melius vertas. Et quatuor pedibus eius, humeri erant, scilicet, ad sustentandam æneam concham. Solent enim huiusmodi vasis æneis, idola quædam supponi, quæ pondus suprapositum sustinere suis humeris videntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duchites fecit eos, scilicet, Cherubim, aut. *Graues fecit eos*, id est, non intus vacuos, sed plenos, nos vocamus moçiços. Nam verbum chassah à quo michssah id est graue, significat propriè graue & durum esse, sed secundo significat longum & extensum, quoniam id quod est longum & extensum, graue esse videtur, ideò sustinenda est communis interpretatio.

De propitiatorio facies Cherubin, id est, de eadem materia seu ligno. Aut coniuncta propitiatorio, sed primum melius. Diximus loco citato, de dictione caporet, id est, propitiatorio, quòd ortum habeat à chappar quod est linire, tegere, & propitiari. Similiter de Cherubim, quòd sint quorundam animalium figuræ.

Expandentes alas suas. Verbum paras, significat propriè diuidere, separare, ideo melius vertàs, separantes alas suas, aut diuidentes, scilicet, alteram ab altera, licet sensus sit idem.

Tegentes alis suis super propitiatorium.
Erat propitiatorium, tabula quædam eleuata super arcam, eiusdem mensuræ cum arca, & erat quasi sedes dei, cuius pedes super arcam erant. Expandebant autem Cherubim alas suas, super propitiatorium, ex vtroque latere versus medium, quibus tegebant sedentem Dominum. Sed vt diximus, dubiũ est, an huiusmodi Cherubim, essent omnino sub propitiatorio veluti animalia quædam, & inde eleuarent alas super propitiatorium, vel potius haberent humanam effigiem, & medium corpus super propitiatorium, vt communiter pinguntur, & hæc secunda expositio mihi magis probatur.

Fecit ei clausuram palmi, in circuitu. Posset verti, clausuram tenuem. Vide quæ diximus capite. 28.

E regione clausuræ erunt annuli. Melius vertas. Iuxta clausuram. Nam amit, est socius, à quo leumat, id est, societas, coniunctio, iuxta.

Scutulas, & cochlearia. Ignotæ significationis sunt hebraica nomina, quæ hic ponuntur.

Et medios calamos, quibus operiebatur.
Admonui capite. 25. huius libri, incertam esse significationem nominis ebesot, quod Hebræi calamos medios interpretantur. Sed quia sequitur, quibus operiebatur, non mihi arridet significatio, quoniam mediis calamis, nihil potest operiri, ideò potius tegmen aliquod putarem. Dicimus sentẽtiam nostram de hac re, citato capite. Posset tamen nomen significare opercula vasorum mensæ, quoniam volebat Dominus, omnia vasa esse clausa, & operta propter munditiam, & tunc vertendum esset. Fecit scutulas, & coclearia, & opercula, quibus tegebatur, pro tegebantur, scilicet vasa, ex auro mundo.

Ductile fecit, scilicet *candelabrum*. Vertere potes etiam graue. Non erat inquit intus inane seu vacuum, sed plenum, quod nostri vt diximus moçiço vocant.

CAPITIS. XXXVII. AD NOSTRAM eruditionem, annotata.

Fecit Besalel arcam, de lignis sittim. Admonui sæpius, quàm caute nobis ambulandum sit, cùm sciamus in arca esse seruatam legem, qua examinandi à Deo sumus. Cætera quæ hic dicuntur, moribus accommodata sunt capite. 25. vbi etiam diximus, cur Dominus instituerit locum, quo peccatis nostris propitietur: non autem vbi nos in hac vita, vellet iudicare, quoniam nunc misericordiam exhibere voluit potius quàm iustitiæ rigorem. Quinque in hoc capite facta leguntur, scilicet arca, propitiatorium, cum Cherubinis suis, mensa cum vasis, candelabrum, & altare suffimenti, cum suo thimiamate, quæ omnia moribus accommodauimus supra capite. 25. & 26.

CAPITIS. XXXVIII. IVXTA LIteram annotata.

Fecit altare holocausti. Describitur hic factum, quod ca. 27. fieri præceptum est, vbi omnia ferè sunt exposita. *Vacuum inter tabulas, fecit illud* Alij legunt. Vacuum tabulis fecit illud: Alij. Cum vacuo inter tabulas. Et sensus est. Erit altare vacuum tabulis, id est, neque habebit mensam superius ex tabulis, neque à lateribus, sed solum habebat pedes quatuor, & quatuor ligna, duo in longum, & duo transuersa. Dicit autem Rabbi Dauid, medium altaris fuisse terra repletum, ita vt illud, quod postea præcepit. Altare de terra, facies mihi. Altare verò aureum, erat tectum seu mensa, sicut dictum est.

Tectum eius, & parietes eius. De cribro æreo seu reti, diximus, quòd aliqui putant fuisse circumcirca, ita vt altare per circuitum ambiret, nobis autem videbatur fuisse intra altare, seu intra ligna, quæ altare comitabantur, ad suspendendas carnes quæ super altare cremabantur: vtraque opinio probabilis est.

Fecit conchan æneam, & basim eius æneam, de speculis congregantium, quæ congregabant, ad ostium tabernaculi conuentionis. Quoniam locus obscurus est, hebraismum, more nostro reddidimus. 2. vim vocabulorum explicabimus. 3. sensum verborũ. Et prima dictio scilicet chitar, tria Hebræis significat, scilicet concham, lampadem, & chiltropodes, quę sunt sustentacula ollarum ad ignem in foco, secũdum Græcos, nos vocamus trempen sumpto vulgari nomine à latino. Dicit autẽ Rabbi Dauid, duplicem fuisse huiusmodi concham. Alteram in qua iugiter erat aqua, de qua hic est sermo, & habebat foramina, seu ora, quibus aqua egrediebatur, ex qua sacerdotes manus & pedes lauabant, quando erant Domino ministraturi. Alteram, qua carnes Domino offerendę, lauabãtur, cuius meminit scriptura. 1. Semuelis. 2. vbi dicitur. Veniebat puer, scilicet sacerdotis, & percutiebat in concha, vel in aheno, vel in lebete vel in ollam. Hæc autem non habebat ora, neq; iugem aquam, & dictio videtur duo significare, fornacem, aut instrumentum fictile, quod nostri vocant fugareiro, de quo Zacharię. 12. vbi dicitur. In die illa, ponam ducem Iehudah, sicut caminum ignis, inter ligna & chechiior, id est, sicut lampadẽ, aut fornacem ignis inter manipulos. Et Leuit. 11. Clibanus vechiraiim, id est, & fornaces destruentur. Et dicit Rabbi Dauid esse locum, quo duo lebetes, aut duo caldaria ponuntur. Significatio dictionis non plenè nota est Hebræis & nobis. Putarem tamen, huiusmodi concham formam habuisse fornacis, vt scilicet, esset superius operta, quales fontes lapidei vel ærei, esse solent, secunda verò dictio hebraica, scilicet marret, quam hic omnes ferè speculum vertunt, ortum habet à raah, quod est cernere, videre: vnde marre, id est, speculum, quod ad illud faciem compositionem cernamus, tertia verò dictio, scilicet sobeot, à saba quod est exercitus ortum habet. Quod autem aliqui vertunt, de speculis mulierum, aduerte, in hebræo nullam mentionem mulierum fieri, sed quia nomen sobeot, id est, conuenientium seu exercitum facientium, est fœminini generis, compulsi sunt interpretes, addere mulierum. Quibus præmissis audi, quid de hac re dicat Rabbi Abraham in commentariis. Mos inquit, erat omnium mulierum, suam decorare faciem, & aptare thiaram singulo mane in speculis æneis, aut vitreis. Erant autem in Israel mulieres deum colentes, quæ sprera mundi vanitate, sua speculo Domino offerebant, quia non erant illis opus. Quæ per singulos dies veniebant ad ostium tabernaculi vt orarent, & Dei audirent præcepta, quæ fese ad instar exercitus, congregabant. Est autem sensus loci istę. Fecit, scilicet, Besalel aut Moseh, concham æneam, id est, lotorium, seu vas ad lauandum, ad modum, scilicet, fornacis aut caldariæ & basim eius æneã, de speculis scilicet mulierum, militantium seu ad modum exercitus congregantium se, quæ militabant, id est, ad modum militum conueniebant, ad ostium tabernaculi adunationis. Quod autẽ fuerint in Israel, fœminæ huiusmodi, excubantes ad ostium tabernaculi, cõstat ex primo libro Semuelis capite secundo, vbi dicitur. Heli senem valdè, & audiuisse omnia quæ fecerunt filij eius omni Israel, & quomodo dormiebant cum mulieribus excubitium, seu ad modum exercitus congregantium se, ad

ad ostium tabernaculi adunationis. Vbi vides fuisse tacies fœminas in Israel, quæ more exercitus excubabant ad ostium tabernaculi ecclesiæ. Posset tamen intelligi, filios Heli dormisse cum mulieribus hominum, seu militum excubantium, ad ostium tabernaculi. Erat autem vsus horum speculorum, vt sacerdotes, postquam essent in fonte loti, respicerent se ad speculã, an quicquã maculæ adhuc in eis remaneret. Neque legas de speculis, quoniam concha non erat de speculis, sed ex ære, quemadmodum basis eius: sed legendum est. Cum speculis, quoniam huiusmodi specula, conchę affixa erat.

Vncum columnarium, & fila eas cingentia, ex argento. Admonui supra, multos Interpretum, legere pro vncinis capita, neque abs re. Dicunt autem Hebræi, huiusmodi vncinos affixos columnis, vt ex eis, animalia excoriata suspenderentur quæ Domino offerebantur, aut ex eis, cortinæ attij suspendebantur, vt iam diximus.

Isti sunt numeri tabernaculi, id est, rerum ad tabernaculum necessariarum, quæ dictæ sunt.

Quæ numerata sunt, ad iussum Moseh, id est, nihil vtensilium defuit, quoniam Moseh omnia numerauit. Hebraicè est. Ad os Moseh, aut quæ ad præceptum Moseh numerata sunt. In manu Ithamar, qui scilicet, erat caput & dux omnium Leuitarum.

Fabricator, & excogitator, & acupictor in hyacintho & purpura. Dicitur ille fabricator, ratione metalli, ac si dicat. Erat faber, quia fabrilia ærea faciebat. Excogitator fortè, quia faber lignarius, acupictor ratione eorum quæ in panno faciebat.

Fuit aurum oblatimus nouem & viginti talentorum. Diximus supra, dictionem hebraicam chichar, significare partem, frustum. Continet autem talentum. 60. libras vsuales, &. 120. libras sanctuarij, libra verò. 120. siclos, talentum autem. 3. milia siclorum.

Et argentum numerorum, id est, quod ex numeratione eorum collectum est. Soluebat enim quisq; cum numerabatur, medium siclum sanctuarij pro capite.

CAPITIS. XXXVIII. AD MORVM compositionem, annotata.

Fecit altare holocausti. Quicquid hic eramus dicturi, ad mores pertinens, diximus supra hoc eodem libro capite trigesimo.

Fecit conchan æneam. Ostendit locus iste, ministros Dei, non debere contentari illa lotione, quam domi faciunt, sed in templo ipso debere lauari. Neque dicit textus cum speculo, sed cum speculis, vt discamus quanta consideratione opus sit, ad hoc quod digne domum Dei ingrediaris, & illi administres: sed de his satis citato loco.

CAPITIS. XXXIX. IVXTA LIteram annotationes.

Fecerunt vestes ministerij, ad ministrandum in sanctificatione. Duplicium vestium, hic (meo iudicio) fit mentio. Nam aliæ erant, quibus in sanctitate ministrabant sacerdotes, aliæ quibus cotidie vtebantur, & de his omnibus cap. 28. præcedenti abundè diximus.

Extenderunt bracteas aureas, & præciderunt fila, ad faciendum in medio hyacinthi, & in medio purpuræ.
Difficilis vtcunque est locus iste, quod accidit, propter ignorantiam proprię significationis verbi puach, cui Hebræi varia tribuunt significata, quia proprium ignorãt, scilicet, flare, illaqueare, & loquit vnde pache, seu pachim, quod dicunt significare bracteas seu extensiones, aut laminas, mihi verò videtur, significare retia, à puach quod est illaqueare seu irretire, & meo iudicio, est sermo de reti quod nostri vocant desfiados, in quo varias figuras acupingunt: vnde locus iste sic est reddendus & intelligendus. Extenderunt retia autea, & præciderunt fila, vt fieri solet, dum huiusmodi acupita fiunt, ad faciendas, scilicet, figuras acupitas, in medio hyacinthi & in medio purpuræ. Si tamen bracteas vertas, non errasti, quoniam eis etiam panni acupingi solent. Vnde constare ex hoc loco videtur:

thechelet & argaman non solùm lanam, sed & fila significare, in quorum stamine, huiusmodi figurę acupingebantur. *Thechelet & argaman quid.*

Oras fecerunt illi, scilicet, ephod. seu pectorali. Dictio cheteph, tria hebræis significat, scilicet humerum, latus, & angulum, & frequentius videtur humerum, quàm alia significare, licet Iob. 21. videatur scapulam significare: vbi dicitur. Chetephi, id est, scapula mea, vel latus meum, ab humero cadat. Quo in loco contra humerum distingui videtur: vnde & hic verti posset. Humeros fecerunt illi. Nam, vt iam diximus ca. 28. hũ iusmodi ephod, humeris ligabatur & coniungebatur.

Baltheus cinguli. Hebraice est. Excogitatum cinguli. Erat enim huiusmodi cingulũ, quod cingebat ephod seu superhumerale, acupitum opere phrygionico, seu excogitato, erat & ex eadem materia, qua & ephod, aut eidem coniunctum.

Fecerunt lapides onychinos, circundatos palis aureis. Melius inclusoris aureis. Et de lapide onychino loco iam citato, & aliis multis diximus, esse lapidem coloris vnguis humani.

Celatos celaturis sigilli. Hebraicè. Apertos aperturis sigilli, id est, quibus sigilla aperiri solent.

Ordo vnus, id est, primus, sicut vna sabbati, id est, prima sabbati: vna mensis, id est, prima mensis.

In plenitudinibus suis, id est, in locis, quæ implebãt.

Lapides iuxta nomina, id est, secundum numerum nominum filiorum Israel.

Catenas termini, id est, terminantes pectorale, ne scilicet, rumperetur.

Opere perplexionis. id est, perplexo, quoniam huiusmodi catenæ, perplexæ erant ad inuicem.

Dederunt duos fines auri. Dictio abot, significat quid implicatum.

Et duas extremitates, scilicet, alias, duarum funium. Nam duæ, ligabantur annulis extremitatum pectoralis, aliæ verò duæ, ad duas superiores oras superhumeralis.

Fecerunt in fimbriis pallij. Hebraicè ad fimbrias, vel iuxta fimbrias pallij, & videtur fuisse potius iuxta fimbrias, quia tintinnabula erant suspensa, ad vestem, seu pallium.

Et pileos galerorum. Dictio paare, id est, pileos, ignotæ significationis est apud Hebræos, vt iam suprà vigesimo octauo capite diximus. Paat significare decorare. Sequens verò dictio eleuationem.

Fœminalia linea. A verbo chanas, quod est colligere & congregare. est michnesse. id est, fœminalia, sic dicta vt reor, quòd colligantur & stringantur, dum ligantur, per funem inclusum.

Dederunt super eam, scilicet, laminam *filum hyacinthi*, scilicet, ad eam ligandam: in capite sacerdotis.

Et attulerunt habitaculum ad Moseh, & tentorium, & omnia vasa eius. Quidam legũt appositiuè literam hanc, scilicet sic. Et attulerunt habitaculum ad Moseh, habitaculum inquam, & omnia vasa eius. Mihi verò magis probatur altera lectio, quòd scilicet, attulerint habitaculum, per quod intelligit inferiores cortinas, & tentorium, per quod superiores, quæ disponebãtur ad modum tentorij pastorum.

Et omnia alia vasa eius, scilicet, tabernaculi, textus tamen indifferenter vtitur his duobus nominibus, scilicet misean & ohel, id est, habitaculo & tabernaculo. ¶

Lucernas eius, scilicet, candelabri, *lucernas ordinis*, id est, ordinatas. Verbum arach, hebræis significat ordinare, æquare, æstimare, sed (meo iudicio) nondum plenè nota est verbi significatio.

¶ Quæ autem ad mores in hoc capite annotari possent, annotauimus capite. 28. præcedenti, ideò ab huiusmodi hic supersedendum esse putauimus.

CAPITIS. XL. IVXTA LITEram annotata.

In die mensis primi, in vna mensis erigere facies tabernaculum. Effluxerant vt Hebræi dicunt, & ex textu huius capitis constat, ab egressu Israel de Ægypto, duo anni, quando huiusmodi tabernaculi erectio, fieri iussa est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sa est. Et hic mensis fuit Nissan, in quo egressi fuerant ex Ægypto, & per vnam mensis, primam mensis diem intelligit, vt sæpius diximus.

Introduces mensam, & compones compositionem eius, id est, pones panes & alia quæ in ea sunt ponenda, vt aliqui vertunt.

Et accendes lucernas. Hebraicè est. Et eleuabis seu ascendere facies lucernas, & iam dixi posse intelligi de lumine, seu flamma, lucernarum quæ sursum ascendebat.

Pones atrium, id est, spacium ad aliud, scilicet atrium.

Sanctificabis illud, scilicet tabernaculum aut atrium. Nam per huiusmodi vnctionem, separabatur à prophanis vsibus, & cultui diuino applicabatur.

Sanctitas sanctitatum, id est, sanctissimum, aut virtutem sanctificandi habes, & quod de tabernaculo dicitur, intellige de omnibus aliis. Omnia enim inungebantur, & per illam vnctionem sanctificabantur, id est cultui diuino & ministerio applicabantur.

Erit, scilicet, vnctio hæc *vt sit ea vnctio eorum ad sacerdotium æternum*, id est, vnctio hęc, symbolum erit, quòd sanctificantur, vt sint mihi in perpetuum sacerdotes.

In anno secundo. Constat ex hoc loco, tabernaculum anno secundo exitus ab Ægypto, in prima mensis primi, erectum fuisse, & fortè hac de causa, primordia mensium, celebrabantur à Iudæis, quòd, scilicet, ea die tabernaculum Dei fuerit in deserto erectum.

Extendit tentorium super tabernaculum. Cogit locus iste intelligere ohel, distinctum fuisse à mischan, id est, tabernaculum, ab habitaculo, vt sæpius admonuimus, eratque tentorium, seu ohel, super mistan, id est, habitaculum.

Et posuit operimentum tentorij. Ex hoc loco quidam colligunt, in habitaculo fuisse tres distinctiones cortinarum, & inferiorem fuisse ex hyacinthino, purpura, & bysso, mediam ex pilis caprarum, & pellibus arietum rubricatis: tertiam quæ hic dicitur tegmen, è pellibus taxorum.

Posuit testimonium in arca, id est, tabulas testimonij, quæ, scilicet testificabantur pactum, inter Deum & Israel.

Super latus habitaculi, ad aquilonem. Constat ex hoc loco, iereh significare non solùm stipitem, sed latus: nisi vertas. Super limitem habitaculi ad aquilonem.

Ordinauit super eam ordinationem panis. Posset etiam verti. Composuit super eam, compositionem panis.

Et ascendere fecit super illud, scilicet altare, *holocaustum, & minchah*, id est, oblationem. Significat aliquando minchah, id est, oblatio, sacrificium in genere seu munus, nonnunquam verò, illud sacrificij genus, quod ex simila fiebat, quemadmodum hic videtur significare, de quo Leuit. 2 quoniam per holocaustum videtur significari, quod ex carnibus, & adipibus fiebat.

Erexit atrium, id est, columnas & cortinas atrij.

Operuit nubes. Posset etiam verti nebula, sed sensus est idem.

Et gloria Domini impleuit habitaculum. Nihil aliud hic per gloriam Domini intelligo, quàm nebulam lucidam, quæ dicitur gloria Domini, quoniam signum erat præsentię Domini, & eum gloriosum ostendebat, vt sæpius diximus. Vnde Paulus de Mosch loquens dicit, filios Israel non potuisse intendere in faciem Mosch, propter gloriam vultus eius, per quam lucem intelligit,

Quando eleuabat se nebula. Alij quando recedebat sed primum melius est. Erat enim nebulæ eleuatio, signum profectionis eorum, quemadmodum mansio, mansionis eorum.

Quoniam nubes, aut *nebula Domini*. Dicitur hæc nebula Domini, quoniam præsentiam & assistentiam Domini ostendebat, aut quia à Domino producta.

CAPITIS. XL. AD MORES componendos.

IN die mensis primi, erigere facies tabernaculum. Mysterio non caret, quòd Dominus biennio fuerit cum Iudæis, antequam apud eos domum construeret, & cum eis vellet habitare, vt ostendat quam difficilè se hominibus credat, & vt nos doceat, primum experiri eos, apud quos domum & habitationem eligimus.

Pones ibi arcam testimonij. Cuncta hic in templo Domini ordinata, & suo loco disposita inuenies, vt discas in domo Domini, cuncta debere esse suo ordine digesta.

Vnges tabernaculum, & omnia quæ sunt in eo. Audis hic in domo Domini omnia vncta esse, vt discant qui illi ministrant, misericordia super egenos & pauperes flecti.

Lauabis eos aqua, & vnges eos. Solet rigor & zelus munditiam sequi. Nam qui iusti, & mundi à peccatis sunt, rarò erga proximos peccatores flectuntur misericordia. Voluit autem Dominus sacerdotes suos, non solùm mundos, sed vnctos: vt si quando se mundos aspicerent, cogitarent se oleo vnctionis delibutos, vt æquo animo ferrent peccata proximorum.

Lauabuntur ex eo, quando ingredientur tabernaculum, & quando appropinquabunt ad altare. Quanta reuerentia habenda sit domus Dei, pulchrè docet locus iste, & quoniam nudis pedibus ingrediendum erat in tabernaculum, iubentur lauari: manus verò quando ad altare accedendum erat, quoniam eis tunc ministrandum erat.

Operuit nubes tabernaculum. Solebat Dominus, signo sensibili quæ illi placerent approbare: nunc verò nemo est qui cognoscat, se odio vel amore dignum.

Non potuit Moseh ingredi tabernaculum, quia impleuit illud gloria Domini. Admonemur hic, vereri ea quæ Dei sunt, & maiestati diuinæ cedere: lucem enim habitat inaccessibilem. Etiam si sanctus, ac Deo dilectus sis, time adire locum, in quo videris Dei maiestatem relucere.

Quando recedebat nubes proficiscebantur. Beatus homo quem direxeris Domine, & qui non se mouet, nisi signum ei ostenderis. Quo docemur in eodem statu manere, etiam si Dominus nos in eo diutius quàm velimus, detineat, quoniam cùm oportunum fuerit mutabit nos, cui sit perpetua laus, qui

concessit hunc librum vigesimaquarta Martij anni. 1556.
absoluere Vlixbonæ.

Explicit liber Exodi.

Commen-

Commentaria in LEVITICVM.

Diui Emmanuelis Lusitaniæ Regis, Pii, Foelicis, inuicti, Filio, D. Henrico, S. R. E. tituli Sanctorum quatuor coronatorum presbytero Cardinali, ac primo Eborensis ecclesiæ Archiepiscopo Domino suo,

L. Andr. Resendius, indignus sacræ Theologiæ Professor, S. P. D.

ACCITVS A TE OLISIPONEM, Princeps sacratissime, & à meis studiis aliquantisper feriatus, dum domo absum, & ea quorum gratia me aduocaras perficio, soleo conuenire interdum religiosum ac bene doctum virum F. Hieronymum Oleastrensem, sacrarum literarum ex illustri Diui Dominici instituto professorem, adlectum per te in hac Olisiponensi diœcesi ad inquirendum de hæreticis, & in tenenda religione factiosis. Quod tametsi libenter facio, & propter viri non vulgarem eruditionem, & quia olim à prima ferè adolescentia in cœnobiali conuersatione studia coniuxeramus, ob id tamen libentius, quòd dignum eum ipse iudicasti, cuius fidei prouinciam non minus magnam quam periculosam, & summa morum ac religionis integritate indigentem, delegares. Interea obruente nos Diui Ioannis. III. fratris Germani tui, Regis autem nostri, &, vt verè dicã, pàtriæ parẽtis, interitu, ac dum iusta non persoluuntur insequuto iustitio, quũ tum ex publica mœstitia, tum verò ex tua, animo nescio dissolutione magis, an destituto, ad illum venissem, legendos mihi dedit suos in Genesim & Exodum Commentarios, non longos illos quidem, sed quantum ad rem attinet longè copiosissimos. Quos quum ego, partim vt languenti animo sacrarum literarum lectione subuenirem, quibus & professionis instituto, & mentis propensione, quasi obæratum me sentiebam, partim vt adultæ iam ætatis caloribus intra parietes facilius me absque tædio continerem, attente & cùm delectu semel iterumque legissem, immanè dictu quàm placuerint, quàm probauerim, quàm amauerim, quàm studiosis omnibus ex Hebraicæ linguæ salebris germanum literæ & contextus sensum eruere cupientibus necessarios existimarim. Vt de me ipse loquar, ex non paucis equidem obscurorum locorum difficultatibus, quasi oborta insperato luce tãdem euasi, & ab aliquot qui me diu torserant nodis sum extricatus. Imputent hoc imbecillitati qui velint, & ingenij mei quam & ipse fateor tenuitati, & quanto libeat supercilio ac fastu imputent, modo vt de multis vel vnum hoc adducam, ex trigesimi Geneseos capitis posteriore parte, in qua de Iacob cum Laban conuentione & Patriarchæ astu agitur, sine linguarum præsidio, si possunt, sese expediant. Summa hæc est. Ego me hisce Commẽtariis legendis profecisse confirmo, ac alios itidem profectus eos certo polliceor, eos præcipuè qui saltem mediocrem linguæ sanctæ peritiam habuerint. Id tuæ celsitudini, Princeps sacratissime, testatum propterea volui, quod noster ipse Hieronymus eos tuo tibi iure dicauit. Simul, quia candoris maximè ingenui est, laboribus alienis, si per illos profeceris, gratiam habere, si non profeceris, neque etiam detrahere.

Vale. Olisipone Idibus Iulij.
M. D. LVII.

Incipit Liber Vaicra, id est, Et vocavit, qvi et Leuiticus dicitur, cum Annotationibus eiusdem patris, Fratris Hieronymi ab Oleastro Lusitani ordinis Prædicatorij.

IN huius operis vestibulo admonui, modum nominandi libros legis apud Hebræos esse ab inceptione, vt diximus de Genesi, Exodo, & aliis libris legis. Et quia hic liber in Hebræo incipit Vaicra, id est, Et vocauit, liber ab Hebræis vocatur Vaicra, Latini Leuiticum vocant, quòd de sacrificiis ad Leui tribum spectantibus, & de ipsis Leuitis & Sacerdotibus, eorumque agat potissimum functionibus. Agit enim primo capite quo ritu, quo pacto, debeat Holocaustum de bobus, ouibus, capris, & auibus fieri. Supputant autem Hebræi sex sacrificiorum species, quæ in hoc libro explicantur, scilicet, Holocaustum, in quo victima in fumum redacta, seu fumus eius in cœlum ascendebat. Minchah, id est, munus, quod vt plurimum ex farinæ flore fiebat. Chata, id est, pro peccato, scilicet grauiori, quod quis sciens & prudens committebat. Essem, id est, oblationem pro delicto, seu peccato contra præcepta negatiua ex ignorantia commisso. Miluim, id est, plenitudinum, seu consecrationum, quod offerebatur in consecratione sacerdotis. Solomim, id est, integritatum, quod pro domus integritate & sanitate fiebat, quod nostri vocant pacificorum. Hinc perpendes Theologos non bene distinguere genera sacrificiorum in Holocaustum, hostiam pro peccato, hostiam pacificam ex debito & hostiam pacificam ex voto. Diuiduntur autem huiusmodi sacrificiorum genera in multas species, quarum quamlibet suo in loco explicabimus, & enumerantur ad literam sex infra capite septimo in fine. Et quia Holocaustum præcipuum inter omnia alia erat, prius de eo hoc priori capite tractat. Fiebat autem de hobus, ouibus, capris, & auibus. Qualiter autem vnumquodque horum fieri debeat, in textu explicatur. *Sex species sacrificiorum apud Hebræos.*

IN PRIMVM CAPVT LIBRI Leuitici annotationes iuxta literam.

LOcutus est Dominus ad eum de tabernaculo Ecclesiæ. Facto tabernaculo cœpit Dominus domum habere, in qua apud homines manebat. Fuerat ante hac Dominus locutus de cœlo, de nube, & de rubo ardenti: hic verò ex proprio domicilio, quod magnæ dignationis est. Quod autem additur. De tabernaculo ecclesiæ, melius vertas. De tabernaculo congregationis seu conuentionis: licet quasi idem sit. Differni sæpius de significatione nominis Moed, id est, congregationis, quod est à Iaad, quod significat congregari secundum vnam significationem, præsertim ad certum tempus, aut locum, & quia etiam dicitur significare testificari, ideò quidam vertunt è tabernaculo testimonij. Dicebatur autem tabernaculum congregationis, quia ibi congregabatur Dominus cum Moseh, & de gubernatione populi tractabant. Quod si testimonij vertas, dicebatur testimonij, quia ibi asseruabantur tabulæ, quæ testificabantur pactum inter Deum & Israel. Prior tamen nomenclatura mihi magis probatur: licet vtraque sit bona. Diximus satis de hoc nomine Exodi nono. *Quare dicitur tabernaculum ecclesiæ & testimonij.*

Homo cum appropinquare fecerit ex vobis munus Domino.

Significat propriè verbum Charab, quod hic ponitur appropinquare, intrare, & nomen Chorban appropinquans, vel introductum, & exinde oblationem, quòd ad Deum appropinquabat, & intrabat, ac præsentabatur illi in templo. Ideò non tam bene vertas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cùm obtulerit, vel adduxerit. Sed cùm introduxerit introductionem; aut cum appropinquare fecerit appropinquationem Domino, Sed sensus est quasi idem, vtrouis modo vertas.

De animalibus. Est Behemah, id est, animal Hebræis generale nomen, quod sub quocunque genere venerit, vtrunque complæhendit sexum. Est ergo sensus. Siquis ex vobis munus ex animalibus Domino obtulerit, non poterit offerre nisi de bobus & pecudibus. Et licet Sō significet omne pecus, vt plurimum tamen pro oue ponitur. Hic tamen melius pecus interpretemur: quoniam complæhendit capram & ouem.

Si Holocaustum est oblatio eius. Omnes antiqui Theologi sequētes Græcos & Græcam vocem Olocaustō, interpretantur Holocaustum totum incensum: quoniam totum Domino incendebatur, & nulla illius pars sacerdoti vel offerenti cedebat: quod non erat in aliis sacrificiis. Sed si nominis radicem inspiciamus, non sic interpretabimur, Descendit autē Holah ab halah quod est ascendere: vnde Holocaustum dicitur Holah, id est, ascendens, quod scilicet totum in fumum ad Deum ascenderet, aut vt Chimmi dicit, quia totum animal ascendebat in altare. Alij sic dictum volunt, quòd ascenderet & superaret omnia alia sacrificia.

Et ex hoc sicut ex multis aliis deprehendes, quid lucri attulerit ad genuinum scripturæ sensum intelligendum, linguarum peritia.

Masculum immaculatum appropinquare faciet.

Dictio Hebraica (Tam) potius completum & prefectum significat quàm immaculatum, vt patet Genesis vigesimoquinto. vbi dicitur. Et Iaacob vir Tam, id est, integer seu perfectus, cui scilicet nihil deerat.

Sic volebat Dominus animal sibi offerendum, vt scilicet masculum esset, & nihil illi deesset, neque membrum neque salus. De macula velleris non curabat. Vnde si immaculatum legas, non intelligas illud non debere velleris maculam habere: sed est sermo de defectu.

Ad ostium tabernaculi ecclesiæ offeret illud.

Per ostium tabernaculi ecclesiæ potest ostium atrij intelligi, vbi immolans, sacerdoti victimam offerebat: aut quod verius credo, per ostium intelligit locum qui erat inter ostium tabernaculi & altare: vbi hostia immolanda erat. Licebat enim Domino hostiæ atrium intrare, & ibi hostiam suam per manum sacerdotis super altare offerre.

Vnde vertendum est. Ad ostium, id est, è regione ostij tabernaculi ecclesiæ.

Secundùm voluntatem suam in conspectu Domini.

Scilicet offeret illud. Sensus horum verborum dupliciter potest explicari. Vno modo. Non arcto aliquem ad huiusmodi sacrificium: sed offerat quisque si voluerit: ostendo tamen victimæ cōditiones & locum. Secundo modo sensus est. Liberum vnicuique erit offerre quod voluerit animal, modo masculum & immaculatum sit seu integrum, & ex bobus capris aut ouibus, & in loco sancto immoletur: & hoc est quòd dicit coram Domino. Et forsitan quia nolult aliquem ad sacrificium offerendum obligare, dicit Ieremiæ. 7. se non præcepisse patribus de verbo Holocaustorum.

Et coniunget manum suam super caput Holocausti.

Varias rationes afferunt tam Hebræi quàm nostri, quare immolans manus coniungebat super victimæ suæ caput. Et quidam hoc ideò fieri asserunt, vt per hoc protestaretur à se victimę suę dominium abdicare. Alij arbitrantur, offerentem hac ceremonia ostendere, oblationem suā esse voluntariam. Mihi verò videtur hoc factū vt offerens ostenderet seipsum simul offerre cum hostia sua. Manu enim se coniungebat ei, vt in ea & cū ea sese Domino Deo sito immolaret: & si pro peccato esset sacrificium, hac ceremonia protestabatur se dignum qui pro peccato suo iugularetur: Dei verò misericordia, pietate, & voluntate, iugulationem suam in pecudis oblatæ iugulationem commutari. Si verò Holocaustum, hoc contactu ostendebat se totum impendendum pro Dei obsequio.

Et placebit ei ad expiandum ipsum. Sunt qui vertunt. Et placabitur ei. Significat verbum Rasah, propriè velle, benè placere seu cōplacere, licet Hebræi verbo multa & varia tribuant significatu. Dicunt enim significare etiam complere propter illud. 2. Paralipom. 36. Vsquequo Raseta h, id est, complebat terra sabbata sua. Vbi melius retenta propria significatione vertas. Donec complaceat terra super sabbata sua, id est, donec fit satisfacta de sabbatis quæ illi abstulistis, colendo eam in septimo anno. Sic Isaiæ. 40. Quia nirsah, id est, completa est militia ipsius. Melius ad literam vertas, quoniam satisfactum est iniquitati ipsius, aut quia benè complacuit Domino super iniquitatem ipsius, seu illi reconciliatus est. Addunt significare currere, ob illud Psalmi quinquagesimi. Si videbas furem, vatires, id est & currebas cum eo. Sed tam benè ibi vertas, complacebas ei, aut placebant tibi furta eius. Hic autem placere significat, & ad duo potest referri verbum placebit. Primo ad Deum, vt sit sensus. Postquam coniunxerit manum suam offerēs super Holocaustum suum, complacebit ei, scilicet Domino ad expiandum ipsum, id est, expiare ipsum, aut placebit Domino hostia ad expiandum ipsum, scilicet à peccato vel immunditia sua. Secundo potest ad offerentem referri, vt sit sensus. Et placebit ei scilicet offerenti, offerre ad expiandum ipsum, ac si dicat. Sponte offeret & placidus, hostiam pro sua expiatione. Priorem tamē sensum secundo præferendum arbitror. Et quod dicitur. Ad expiandum ipsum. Iam sæpius admonui verbum Chappar, significare liniri, & operire, & verti posset. Ad liniendum super ipsum, id est ad operiendum peccata ipsius, ne ad punitionem videantur.

Spargent sanguinem super altare in circuitu, quod est ad ostium tabernaculi adunationis. Videntur verba huius clausulæ trattispositā, & sic legenda sunt. Spargent sanguinem iuxta altare, quod est ad ostium, id est, è regione ostij tabernaculi adunationis, in circuitu. Fiebat autem huiusmodi sanguinis effusio è regione ostij tabernaculi, vt Deus videns sanguinem, peccatori aut offerenti placaretur. Et licet Deus vbique videat, loquitur tamen scriptura de Deo humano more. Si quæras quare Dominus volebat hunc videre sanguinem, dico quòd quia quodammodo videbat peccatorem iam peccati sui pœnas dedisse, quas Dominus ab eo posset expetere.

Excoriabit holocaustum. Verbum passat significat exuere, & ex consequenti excoriare. Et aduerte, huiusmodi animalium excoriationes fuisse sacerdotum, nō Leuitarum munus.

Et dismembrabit illud. Significat natach, in frusta diuidere: vnde netach, id est, frustum, membrum, & pars. Ezechielis vigesimoquarto. Cogere netacheah, id est, frusta eius.

Ponent filij Aharon ignem super altare.

Accipitur hic super pro intra, quoniam vt dictum est, altare non habebat aream, seu mensam in parte superiori, nisi dicamus altare fuisse intra ligna plenum terra ferè vsque ad summum, & rete circūdedisse vacuum altaris per omnes partes, scilicet ante & retro & in lateribus, neque mihi displicet hæc altaris forma, & memento munus fuisse sacerdotum ignem super altare accendere.

Ordinabunt frusta, caput & adipem.

Non plenè constat qualiter huiusmodi membra essent ordinata, videntur tamen frusta carnis fuisse inferius, postea caput. 3. adeps. Sed aduerte non plenè constare nomen pedes adipem significare, licet Hebræi dicant significare adipem qui est super epar.

Intestinum eius, & crura eius lauabit aqua. A cara, quod est incuruare, deriuatur nomen duale eheraaim id est, crura sic à curuitate genuum dicta, & videtur duale nomen ab homine in quo sunt duo crura.

Holocaustum ignitum in odorem quietis Domino.

Noster Sanctes vertit. Holocaustum est, oblatio in odorē quietis Domino. Sed teste Rabbi Dauid, ab eo, quod est ignis est iseh, id est ignitā seu oblatio ignita: Dixi-

Diximus autem in Exodo quare iste odor diceretur quietis, quia scilicet Deum ab ira qua peccatis nostris prouocatus afficiebatur quiescere faciebat: quēadmodum bonus odor hominem quiescere quodammodo facit.

Si de gregibus oblatio eius.

Constat ex hoc loco, soū non ouem sed gregem aut pecudem in genere significare, quoniam sequitur.

De ouibus vel de capris. Nomen verò chesseb significat Hebræis agnum vel ouem anniculam, neque obstat esse nomen masculinum: quoniam nomina generum & specierum, sub quocunque genere venerint, vtrumq; significant sexum. Vnde Nume. 3. habes. Veruntamen primogenitum bouis vel primogenitū chiesseb, id est, ouis vel progenitum capræ non redimes: vbi manifesto ouem non agnum significat.

Mactabit eum ad latus altaris, ad aquilonem.

Hebraice est. Super latus altaris aut iuxta latus. Non erat hostia super altare mactanda sed iuxta ad latus scilicet eius: & dictio iarech, id est, latus significat etiam limitem, & verti posset. Ad limitem seu plagam altaris aquilonarem. Et quod dicitur coram Domino, idem est quòd è regione ostij tabernaculi, vt hoc eodem capite dictum est.

Spargent sanguinem iuxta altare per circuitum.

Si altare erat intus plenum terra, fundebatur sanguis intet terram & ligna quæ altare circuibant: si verò vacuum: crediderim in circuitu altaris sulcum fuisse, in quo huiusmodi sanguis fundebatur.

Offeret de turturibus, vel de filiis columbæ oblationem suam.

Vocatur turtur Hebraice tor, à tur quòd est meditari, cogitare, quòd turtur meditari & cogitare videatur, & mansisse videtur apud latinos Hebraicum nomen, scilicet tor vnde turtur. Dicit autem de filiis columbæ, quoniam in columbis videtur filius matre melior ad esum.

Et fecabit caput ipsius. Addunt hic tam nostri quàm Hebræi vnguem, vertentes. Et fecabit vngue: sed in Hebræo non est vngue. Et significatio verbi malach, id est, fecabit non plene nota est Hebræis: quoniam dictio in scripturis rara est. Qualiter autem fieret huiusmodi sectio doctores Hebręi in hunc modum docent. Ponet inquiunt sacerdos alas inter duos digitos suos, & similiter pedes inter duos digitos, & trahet illius collum ad duos digitos suos, & fecabit vngue contra ceruicem, donec perueniat ad iugulum, & incidet, sed non diuidet. Cùm autē ipsi suis oculis non viderint, neq, lex disponat, diuinare videntur.

Modus incisionis apud Hebræos.

Et exprimetur sanguis eius.

Significat verbum masah Hebræis præmere, & exprimere: mihi verò videtur significare sinere stillare. Postquam enim animal iugulatum est & effusus sanguis, solent laniį sinere adhuc animal ad tempus aliquod stillare, quod nostri vocant escorrer aut melius esgotar. Posset etiam verti, fundetur sanguis eius. Est tamen locus Iudicum sexto in quo verbum videtur significare exprimere: vbi de Gedeone dicitur. Vaimes, id est. Et expressit rorem de vellere. Sic Isaiæ. 51. Bibisti masit, id est, expressisti, esgotaste: ita inquam bibisti, vt nulla gutta in vase remanserit: & in hac significatione hic accipi puto exprimere. Idem Ezechie. 23. Et quòd dicitur super parietem altaris, intellige iuxta ligna quę altare ambiebant: aut vt dixi, inter terrā quę erat intra altare & ligna altaris.

Licet ipsum cohibeat ab illius impugnatione, natura tamen horret illius mala.

Et remouebit vesiculam.

Dictio Hebraica murah, id est vesicula, à raah quod videre significat ortum habet: vnde (rei) id est, speculum. Sumit autem vesicula nomen à speculo, vel à videndo quòd videatur peruia luci quasi speculum: aut quòd ea possit quis videre quēadmodum per vitrum: aut quòd colorem speculi habeat. Sunt tamen aliqui qui rostrum interpretantur. Iubetur autem ad orientem proiiri, ne esset è regione ostij tabernaculi quo à Domino per ostium videretur.

In locum cineris. Verbum Hebraicum dassen significat impinguare, & dessen pinguedinem, & forte significat cinerē mixtum pinguedine, qualis iste erat. Posset verti. In locum pinguedinis, id est, quo pinguedo cinere mixta proiicitur.

Et findet eam cum alis suis, & non diuidet.

Id est, fissuram auis faciet: vt altera alarum maneat ad vnam partem, altera ad aliam sed nō omnino diuidet. Significat verbum sasa, non solum findere sed frangere, vt patet primo Samuelis. 24. vbi dicitur. Vai sassa, id est. Et cōfregit Dauid vtres suos, id est, cot seu iram virorum suorum, qua interficere volebant Saulem. Significat ergo hic findere seu secare, sed non omnino, & meo iudicio, textus intendit quòd corpus auis scindendum erat ferro aut vngue, sed nō diuidendum omnino, indiuisumque manebat. Sic legimus Abraham Gen. 15. aues non diuisisse licet sciderit.

CAPITIS. I. AD MORVM compositionem annotata.

Homo cùm obtulerit ex vobis oblationem Domino.

Quid tibi & sacrificiis boum, arietum, & auium, Domine Deus? Nunquid manducabis carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabis? Nunquid patribus Iudæorum præcepisti de verbo holocaustomatis? Sunt qui dicant eum ideo sacrificia pertulisse, ne ea populus idolis immolaret, cùm vidisset idololatras hoc suis idolis obtulisse. Ego putarem pium patrem, mortem quam nos ob peccata merueramus, pia misericordia in pecore transtulisse.

De bobus & pecudibus offeretis oblationem.

Quid mali omnia alia animalia fecerunt Domine, quod ex eis non vis sacrificium accipere, boue, oue, & capra contentus? Consideres quæso ô homo dilectionem qua te diligit Deus tuus, vt solum eis voluerit vti, quæ tibi in cibum communiter vsui sunt. Quid tu tibi delitias paras ad cibum, cùm videas Deum tuum communibus contentari? Exigit autem in hostia tres cōditiones. Prima quòd sit ex certis animaliū & auium generibus. 2. vt sit masculus. 3. vt immaculata sit: vt ex hoc loco discas meliora esse Deo tuo offerenda.

Coniunget manum suam super caput holocausti.

Voluit Dominus deus, vt de teipso sacrificium faceres potius quàm de animalibus: ideo vt dixi, voluit te cum fugi victimæ tuę in oblatione. Sunt qui bona sua offerūt Deo suo, seipsos verò peccatis suis & diabolo. Dāt faenlrates suas Deo, seipsos verò dæmoni. Ne autem hoc fieri contingeret, voluit te tibi simul cum hostia tua offerri. Offendit etiam qualis mentis esse debeat cùm offers, vt arbitreris illius beneficiis non posse facere satis, etiam si teipsum comburas: simulq; dignum qui iugulareris, nisi Dominus Deus tuus, animal iugulatum loco tui voluisset acceptare. Nam quemadmodum iustus de angustia liberatur, pro eo impio tradito, ita & peccator Dei misericordia à morte liberatur & traditur iugulo animal pro eo.

Offerent filij Aharon sacerdotis sanguinem.

Quid tibi & sanguini Domine Deus mi, qui mundissimus es, neque te aliquo maculari suis? Commouetur maximè Dominus, & irascitur peccatis nostris, & vindictam statim ex nobis esset sumpturus, nisi nos prius in animali iugulatos cerneret. Voluit enim nos sibi irato victimæ sanguine occurrere, vt nos quasi iugulatos videt: vindictæ manū retraheret. Voluit enim hac ceremonia ac sanguinis aspersione adumbrare, q̄ Paulus verbis. 1. ad Corinthios. 11. expressit. Si nosmet ipsos (inquit) iudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino. Quid enim puniat Dominus in seruo, quem viderit flagellare & punire seipsum.

Excoriabit holocaustum.

Ægre ferunt ex sacerdotibus multi, inferiora Dei munia expiere: qui sese ad hæc indignos arbitrarentur, si cogitarent quæ hic fieri sacerdotibus mandantur. Audiant ipsi Sanctum Dauid, qui mauult abiectus esse in domo Dei quàm in tabernaculis & politis sedibus peccatorum habitare. Maiorum sacerdotum munus

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat victimas excoriare, easque in frusta concidere, ignem altaris accendere, & nutrire. Quis nunc nostrum sacerdotum hæc in ecclesia facere dignaretur?

Ordinabunt frusta. Nihil turbatum, incompositum, aut inordinatum, vult in suo sacrificio Dominus: vt nos doceat quàm compositos, & ordinatos coram se apparere nos velit. Omnia in vobis (inquit Paulus,) secundum ordinem fiant.

Intestinum eius & crura eius lauabit aqua.

Ostendit hic locus, procurandam nobis esse interiorem & exteriorem mũditiam, cordis scilicet & operis: quæ intestinis & pedibus adumbrantur.

Si de auibus erit holocaustum.

Voluit Dominus nos omnia quæ nobis contulit ad eum referre. Dedit boues, oues, & aues: ex quibus pensum a nobis voluit sibi solui.

CAP. II. IVXTA LITERAM annotationes.

2. Sacrificiorum species videlicet minchab.

ANima cũ *appropinquare fecerit appropinquationem minchab Domino, simila erit appropinquatio eius.* Sanctes noster explicatius vertit. Anima cum obtulerit oblationem, sacrificium Domino. Sed non explicatur his verbis species sacrificij, de qua hic est sermo. Postquam enim Dominus egit de prima specie sacrificiorum, holocausto scilicet: agit hoc capite de 2. quæ dicitur minchab. Aduerte autem minchah esse a radice manach, vt Hebræi dicunt, & duo significare scilicet munus in genere: quòd ex multis scripturæ locis probari potest. Nam Gen. 32. habes. Misit Iacob minchah, id est, munus ad Esau. Idem versu. 16. eiusdem capit. Et iterum capite. 32. Transiuit haminchah, id est, munus ante illum. Placabo faciẽ eius baminchah, id est, munere. Et. 2. Regum. 8. Accipe in manu tua minchah, id est, munus. Secundo accipitur vt est speciale genus sacrificij, quòd ex flore farinæ aut farris grano fiebat: cuius tres erant species. Prior fiebat ex ipsa farina seu similа, sine vlla commixtione. 2. ex panibus decoctis in clibano, aut in sartagine, aut in craticula. 3. ex spicis vel granulis primitiarum. Sed meo iudicio, minchah non est a manach sed potius a nuzch, quod est quiescere: & mem puto literam addititiam: vnde putarem minchah proprie significare munus placatiuum, quod quiescere facit hominem iratum aut Deum. Nam vbicunque nomen ponitur hoc significare videtur: vt ex citatis locis perspicuum est. Sunt qui nomen deducunt a machah, quod est ducere, & inde minchah, id est, munus, quòd duci soleat. Sed non multum hæc allusio verbi significationi quadrat. Posset ergo locus iste sic reddi. Anima, id est, homo, cum adduxerit munus placatiuum Domino: similа erit eius oblatio. Aduerte autem dictionem Hebraicam solet, id est, similа significare florem farinę triticeæ, licet nomen non plene sit notum Hebræis: de cuius significatione diximus Genesis. 18. vbi dicitur. Accelera. 3. sata farinæ solet, id est, similæ. Rabbi Dauid dicit significare farinam subtiliter molitam.

Dabis super ipsum thus.

Dicitur thus Hebraice Icbonah, à leban quod est albescere & etiã pallescere: de cuius significatione abunde disputauimus Gen. 11. & Exodi. 5.

Accipiet inde plenum pugillum siuum de similа eius, & de oleo eius, super omne thus ipsius.

Verbi Hebraici chamas significatio, neq; Hebræis neque nostris plene nota est (Si latinus sermo permitteret,) significat pugillare, pugillum alicuius rei accipere. Inde chomes, id est, pugnus vel pugillus: vnde ad verbum reddẽdum esset. Pugillabit inde plenitudinem pugilli sui, de similа eius. Ponebatur enim similа in vase mundo, & desuper fundebatur oleum, & adiungebatur thus. & sacerdos manum in vas mittens, tollebat pugillum plenũ farina oleo mixta & totum thus. Et quod dicitur Super omne thus, hunc sensum habet. Et insuper omne thus. Cùm enim thus esset in parte superiori, primum omnium accipiebatur.

Suffire faciet sacerdos memoriale eius, seu memoriam eius.

Sic in Hebræo est, licet noster Sanctes verterit, odorem eius. Est autem sensus, quod sacerdos esset pugillum illius similæ oblaturus: vt Dominus recordaretur offerentis, aut ad memoriam quòd illa similа esset Domino consecrata. Ex eo enim quòd sacerdos pugillum illius accipiebat ad offerendum Domino, ad memoriam reducebat totam similam ad Dominum pertinere. Et pro, Oblatione, tu verte, Ignitum est, in odorem quietis Domino.

Sanctum Sanctorum est de ignitis Domini.

Id est, separatum valde erit sacerdoti, vt nulli liceat prophano ex eo edere. De ignitis Domino, id est, de his quorum pars Domino comburitur. Aut sanctum Sanctorum, id est, sanctissimum.

Cum appropinquare fecerit munus placationis coctum in clibano.

Agitur hic de alio modo offerendi minchah, seu munus placatiuum: quo nomine illud de cætero appellabimus, quòd erat in clibanis coctum.

E similа placentæ infermentatæ erunt mixtæ oleo.

Sensus est. Cùm quis obtulerit minchah seu munus placationis coctum in clibano: tãlis oblatio erunt placentæ infermentatæ mixtæ oleo ex similа. Non plene constat quid proprie significet challah quod placẽtam vertimus, & si radix est challal (vt ostendit dages in lamed) quod significat initiare, videtur dictio significare panes paruos, quos fœminæ conficiunt ex conspersione antequam fermentetur massa, quos nostri vocãt bollos. Vnde Numer. 11. dicitur. Chalah, id est, placentam eleuabis eleuationem. Solent autem oleo misceri vt esui sint suauiores.

Et lagana infermentata vncta oleo.

Scilicet erunt oblatio tua: ac si dicat. Aut erunt placentæ oleo mixtæ, aut lagana oleo vncta. Et nomen rachich quod laganũ vertimus, est a verbo rachach quod est attenuare, tenue esse: vnde rachich, id est, tenue, & meo iudicio, significat crustulas coctas in clibano. Et hoc interest inter placentas & lagana, quòd lagana sunt panes grossi licet parui, placẽtæ verò sunt tenues, & placentis miscetur oleum, lagana vnguntur solum.

Si minchah super sartaginem oblatio tua.

Id est, huiusmodi sacrificium sit panis super

Sartaginem, coctus, erit similа conspersa oleo infermentata.

Non intelligas huiusmodi sacrificij speciem fuisse farinam, seu similam non conspersam, sed erat farina conspersa & rara, quæ mittitur in sartaginem & extenditur in ea, & fit genus quoddã panis subtilis: quem nostri vocant filhoos, quem melle permixtum comedunt. Aduerte tamen quòd non plene constat quid proprie significet machabat, quod hic sequentes Hebræos vertimus sartaginem. Verbum chabah quod eius radix esse putatur, significat abscondere: vt patet Isaiæ. 26. chabi, id est, absconde te paululum. Et Habacuch. 3. Ibi chebion, id est, abscondito fortitudinis eius. Et videtur significare instrumentum, quo id quod decoquitur absconditur vel submergitur. Sunt tamen coniecturæ aliquot non esse sartaginem. Num Leuitic. 7. dicitur. In sartagine vel super machebat, id est, craticulam. Rabbi Dauid dicit fuisse instrumentum non profundum, & quod in eo coquebatur ad modum tori, quoniam non habebat profunditatem. Aliqui ex Hebræis putant esse per se radicem chabat, & tau esse literam radicalem.

Concides eam in frusta, & fundes super eam oleum. Minchah ipsum.

Etiam ex hoc loco coniectura est, machabat significare sartaginem: quoniam huiusmodi panes in ea decoquuntur. Solent enim fœminę pastam oleo miscere, & ex ea cocleari quodam accipere frusta, & in sartaginem mittere: vt ibidem decoquantur: nostri vocant beilhoos.

Et si sacrificium craticulæ oblatio tua.

Hebraice

Hebraice. Siminchah craticulæ. Etiam dictio Hebraica marcheſſet dubiæ significationis esse, & vt diximus quidam putant significare craticulam, alij sartaginem. Verbum rachas Hebræis est eructare, educere, & mouere, iuxta illud Psal. Rachas, id est, eructauit cor meum verbum bonum. Et nomen si craticulam significat, videtur eam significare propter rugitum seu stridorem que emittit, & eadem est alluſio si sartaginem significet. Posset nihilominus dici & meo iudicio verius, machabat significare instrumentum ferreum planum, quo milites oppugnãtes vrbes abscondunt se ne a machinis impetantur, vulgo vocãtur mantas, & quia militeꝫ eis vt diximus integuntur, alluſionem ad verbum a quo descendit quod abscondere significat (vt diximus) habet: cui rei argumento est id quod dicitur. Ezechie. 4. vbi Dominus prophetæ præcipit sumere sibi marchabat ferreã, qua scilicet se tegeret oppugnans vrbem. vnde ibidẽ sequitur. Et pone eam in parietem ferream inter te & ciuitatem. Ex quibus verbis constat esse ferreũ instrumentũ ad modum parietis, & per con quens planum: in quo panis in frusta diuisus coqueba tur oleo conspersus: super quem etiam oleum fundebatur. Aliam verò dictionem scilicet marcheſſet constat significare sartaginem ratione olei quod quasi eructando emittit.

Eleuare faciet sacerdos minchah memoriale eius.

Iam hoc exposuimus hoc eodem capite, quare scilicet hoc quod sacerdos pugillo de hoc sacrificio sumebat dicebatur memoriale eius, id est, aliquid in memoriã, quod totum iam domino consecratum esset, vel quod Deum memorem faciebat offerentis: quod aliqui vertunt in odorem eius, quasi pars illa à Domino adoraretur cùm ad eius gloriam cremabatur.

Omnem minchah, quod offeretis Domino, non fiet fermentatum. Quia de omni fermento & de omni melle non suffire facietis oblationem Domino.

Dupliciter potest litera hæc intelligi. Vno modo quòd nihil fermentatum, nihil melle mixtum posset Deo offerri, præsertim de panibus. 2. modo quod neq; fermentum ipsum, neque mel possent Deo offerri, & vtroque modo videtur litera intelligenda. Poterant tamen primitiæ fermentati panis seu pastæ Domino offerri, similiter primitię mellis, sed nullo pacto hæc erãt comburenda Domino in altari. Sed reddẽda est ratio, quare Dominus nolebat aliquid fermentarũ aut mellitum sibi in sacrificium offerri. Et fermẽtati ratio est, quoniã corruptum vtcunque videbatur. Modicũ enim
1 Cor. 5. fermentum (vt apostolus dicit) totam massam corrumpit. 2. vt Iudæos admoneret beneficij liberationis ex Ægypto, quemadmodum in festo pasch. De melle verò difficile est reddere rationem: neq; alia nunc occurrit, quàm quòd huiusmodi sacrificia erant vt diximus, prandia & cœnæ Domini. & quia communiter homines non vtuntur pane melle mixto, quemadmodum vtuntur eo oleo mixto: ideo noluerit sibi offerri mel. Aut forte ideo quia combustum nullum emittit odorem, sed fetorem potius. Hebræi dicunt omnia dulcia in fructibus, vt ficus dactili, & id genus alia, esse in sacrificio domini interdicta quod non probo: quoniam fere omnes fructus sunt dulces, neq; alicubi inueniuntur interdicti.

Omne munus minchah tui sale salies, et non cessare facies sal fœderis Dei tui à sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.

Non solum inquit in sacrificio minchah, sed in omni alio, seu cũ omni alio offeres sal. Et reddenda est duorum quæ hic dicuntur ratio: quare. f. Dominus in omni sacrificio suo voluerit sal, & quare vocet sal fœderis Domini. Et prioris ratio est: quoniã vt iam diximus, sacrificia erant cibationes Dei, vt patet capit. 3. sequenti: vbi dicitur, sacrificium pacificorum esse cibum oblationis domini. Et in fine capitis. Panis oblatio est in odorem quietis. Omnem autem cibum solemus sale condire: vnde apud nos prouerbiũ est. Omnẽ mensam nisi salẽ absq; sale poni. Vnde quemadmodum apud nos quotiescunq; mensa ad comedendũ instruitur, vas salis in ea ponitur: ita quoties Domino cibus suo modo in altari quod mensę speciẽ gerebat parabatur, afferebatur sal. Vocatur autẽ sal fœderis Domini quoniam fœdus erat inter Deum & populum, vt semper sibi in sacrificiis sal offerretur. Numeri etiam. 18. & 2. Paralip. 13. firma pacta dicũtur pacta salis Sed altius disquirendum est, cur sal dicatur sal fœderis, & quare pacta seu fœdera dicuntur pacta salis, quẽadmodum scriptura dicit in locis citatis, & crediderim ideo dici sal fœderis, quia in omni fœdere interueniebat forte cum victimis quæ deo offerebãtur: quod & ethnicos in suis sacris & pactis obseruasse legimus: apud quos nulla sine mola salsa sacra fiebant. Ratio autem quare in pactis firmandis sal interueniebat fuit, vt illo adumbraret pacti incorrupubilitatem & firmitatẽ. Nam quemadmodum sal carnes & multa alia seruat a putrefactione: ita ostẽdebant pactum cui illud miscebatur, fore alienum ab omni corruptione & violatione. Aut quia continuè erat in mensa a principio vsque ad finem: ostendebant eius appositione, pacti perpetuitatem. Dicuntur ergo pacta salis, pacta firma: vt idem sit dictu pactum salis quod pactum firmũ. Si quæras quãdo fœdus salis Dominus cũ populo inierit: non alind fœdus puto quàm quod in monte cum populo percussit: vt dictũ est Exod. 24. in quo sal interuenisse credendum est, quemadmodum in omnibus pactis, licet hoc ibi scriptum non sit. Verbum autem Hebraicum malach significat proprie sale condire, & ex consequẽti consumi. vt patet Isa. 51. Cœli sicut fumus liralachu. i. consumentur, aut cõburentur, quẽadmodum comburitur terra quę salsa aqua operitur. Aliqui vertunt neque malè, liquescent. Inde melach, id est sal, & melachim, id est, mucida, quod putredo vel mucor videatur quandam speciem salis præ se ferre. *Si adduxeris sen appropinquare feceris minchah de primitiis Domino, spicã tostã igne, triticũ cõtusum spicæ viretis plenæ offeres, sacrificiũ primitiarum tuarum.*

Agit hic textus de. 3. modo offerendi minchah scilicet in spica seu in granis spicarum contusis. Quando enim spicę primum incipiebant matureſcere torrebant eas igne, contundebant & offerebant Domino huiusmodi grana tosta & cõtusa. Diximus sępius nomẽ Hebraicum abib significare spicam cũm culmo suo, & viridem adhuc. Dictio verò chalui, id est, tostum a chalah ortum habet, quod est torrere. Ieremiæ. 29. Chalam, id est, torruit eos rex Babel. Alia verò dictio, scilicet, geres quam vertimus contusum, si sitã garas cum samech fine, significabit quid contritũ aut contusum: in textu tamen ponitur cum sin: sed Hebræi dicunt ibi sin poni pro samech. Dictio est rara in scripturis, ideo non facilè est cognoscere propriã significationem. Sequens verò dictio, scilicet charmel incertę significationis est Hebræis. Hic spicam significat, non qualẽcunq;, sed plenam & selectam &. 2. Regum. 4. Canti. verò. 6 &. 2. Parali. 3. dicunt significare coccinũ. Isaiæ autem 16. addunt significare montem. Mihi videtur charmel esse nomen montis fertilissimi in terra Israel, & exinde significare spicam, & omne id quod habet multitudinem villorum, seu aristarũ ad modum capillorũ. Aut proprie significat multitudinem aristarum spicæ plenæ, & ex consequenti omnia quæ speciem habent harum aristarũ, & montẽ in quo erat multitudo segetum & spicarũ ad modum capitis eũ capillis suis: quorum omnium exẽpla citabimus. Quod enim montẽ illum fertilissimum significet constat primum cap. 16. Isaiæ vbi dicitur. Auferetur exultatio de charmel. i. quæ in populo procedit ex illius montis fertilitate. Et cap. 32. eiusdem. Erit desertũ in charmel. i. ita fertile sicut mõs Carmelus, aut ita abundans arboribus aut segetibus quemadmodũ mõs carmelus, & charmel in syluã. i. ita densus segetibus aut arboribus ac si esset sylua. Quod autẽ spicas vberes & plenas significet apparet ex. 4. ca. Reg. vbi sic habet textus. Attulit viro dei panẽ primitiarum. 20. panes ordeaceos, ve charmel. i. spicam pro spicas. Ab hac radice videtur esse charmil, quod Hebræis significat coccinum seu pãnum villosum: in quo sunt quemadmodum culmi seu spicæ in segete.

Suffire

Universidad de Deusto
Biblioteca

Suffire faciet sacerdos memoriale eius.
Vertit hic Sanctes vt superius, odorem eius, sed quia dictio, azcharatah à zachar quod est memorari ortum habet, nolui nomen à sua significatione distrahere, & locutio hoc eodem capite expolita est.

CAPITIS. II. AD MORVM compositionem annotationes.

ANima cum obtulerit munus minchah Domino, simila erit eius oblatio.
Sunt semper selectissima Domino Deo offerenda, quemadmodum legimus de Abel Gen. 14. & sicut pinguiora in carnibus animalium, ita selectissimus panis ex simila, scilicet.

Quod fudrexit de sacrificio, erit Aharon.
Expende quæso quàm delicate Dominus nutriat ministros suos, & quàm abunde, quales carnes, qualesq; panes illis administrauerit. Vnde considerare deberent quàm prompte, quàm expedite administrandum illi erat. Et ne putarent eum ad hæc non aduertere, aduerte quid sacerdoti Heli per prophetam dicat. Dedi inquit, domui patris tui omnes oblationes filiorum Israel. Et cur calcitrastis in sacrificium meum & in oblationem meam, & honorasti filios tuos magis quàm me, vt impinguaretis vos de primitijs omnis oblationis Israel populi mei? Neque sine oculis transeas, quàm liberalis & munificus sit in te, cum præceperit de sacrificio farinæ & minchah sibi pugillum cremari, tibi verò residuum reliquerit, quod in decuplo pugillum excedebat. Æstima quanti te faciat Deus tuus, vt ex eodem pane, ex eisdem carnibus, & ex cibariis quibus vteretur ipse si comederet, ex eisdem te voluerit saginari. Docentur etiam hic temporales Domini qui sacerdotes apud se habent, qualiter eos tractare debeant: qui vix eos seruis æquant aliis aut ab eis distinguunt. Sed iubet paululum rem extendere, & ostendere quid inter dei summi & temporalium dominorum seruitutem intersit: vt videas cui libentius seruire debeas. Isti non soluunt nisi ad iudicium conuenti: vnde præcipuus inter eos Iob, & ore domini de iustitia commendatus, iactat se nunquam iudicium ad quod ab ali quo seruorum vocabatur declinasse. Si contempsi inquit, subire iudicium cum seruo meo, cum ille discepraret aduersum me. Deus verò te vocat, vt mercedem
Mat.20. soluat. Audisti quid vesperi dixerit apud Matth. procuratori suo. Voca inquit, operarios, & redde illis mercedem suam. Isti vix his quibus debent soluunt, ille verò eos qui vnica hora laborarunt illis qui portarunt diē & æstum adæquat. Illi gaudent si seruus obliuiscatur ministerij alicuius diei, ille obliuiosum seruum ad memoriam oblitarum operarum reduxit. Cùm enim
Mat.25. in die iudicij (vt commemorat Matthæus) audiret quosdam dicentes. Domine quando te vidimus famelicum & paulmus te, nudum, & operuimus? Statim ad memoriam reuocat. Quod vni inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Isti vix soluunt quod illis faciunt serui, ille soluit quod pauperibus, & minimis ad ministratur. Isti vix mercedem laboris, ille regnum pro potu aquæ frigidæ pauperi administrato. Percipite inquit, regnum. Sed pro quo opere tanta merces Domine Deus? Qui dederit vni ex istis minimis meis potum aquæ frigidæ. Isti vix seruis quibus imperant ministeria, ille his qui propter lucra sua illi seruiunt.
Ezech.28. Audi quid Ezechieli dicat. Fili hominis inquit, Nebucadnesar seruire fecit exercitum suū aduersus Tyrum, & merces non est data ei: dabo ergo ei Ægyptum pro mercede sua. Qui ergo malis sic soluit, quid faciet bonis?

Si sacrificium de sartagine.
Quid tibi vis Domine Deus in tanta differentia sacrificiorum & victimarum vt ex farina tot volueris sacrificiorum genera multiplicari? Nunquid diuersa genera vis munerum, quia aliquod horum tibi fastidio est? Docet nos pulchre locus iste orationem in aliam aliquando mutare, cum prior ex repetitione cœperit fastidio esse. Inde videmus sanctum Regem tam varios ædidisse psalmos, toties mutasse cantica: quoniam eadem repetendo, timebat Deo fore fastidiosa.

De omni fermento & melle non suffire facietis.
Quid sic Domine abhorres à fermēto & melle? Quia mali odoris sunt si crementur. Nihil magis Deo displiceret, quàm si mali odoris & famæ sis. Quo in loco expende non tibi sat esse, si bonus sis, si mel dulcissimum retineas, nisi cum hoc bene audias. Dulce est mel, sed male olet si comburatur: ideo respuit illud Deus.

In omni oblatione tua offeres sal.
Mirum valde est, quod sic Domine Deus diligas sal in sacrificiis tuis: vt nullum sine illo acceptare velis. Voluit iudicio meo, hac nobis ceremonia ostendere, vt quotiescunque ministerium ei debitum soluimus, pacti initi reminiscamur: ne putemus nos aliquando cuncta soluisse. Sed quis tam piæ mentis erit, vt huius reminiscatur? Ab aliis creditoribus nos eximus & deobligamus cum soluimus Deo verò soluendo debitores sumus, qui dat vtcunque soluere, si solutio dicenda est.

CAPITIS. III. IVXTA LITEram annotationes.

ET si sacrificium integritatum munus ipsius. 3. Sacrificium pacificorum, scilicet integritatum, scilicet grauium.
Tractat hic textus. 3. genus sacrificiorum, scilicet integritatum: quod, scilicet pro integritate domus & incolumitate offerebatur. Verterunt hic omnes nostri, sacrificium pacificorum sequentes Hebræos, qui dicunt ideo vocari pacificorum, quòd per ipsum pax mundo impetraretur, aut quia omnes pacificos reddebat: Deum videlicet cui vna pars cedebat, sacerdotem cui secunda, & offerentem cui dabatur. 3. Quod non contingebat in aliis sacrificiis. Sed quia verbum salam significat proprie perficere, complere, finire, integrare, melius vertendum puto sacrificium integritatum, seu perfectionum: quoniam vt diximus, pro dequmus incolumitate & integritate, vt, scilicet nihil illi deesset, nihil mali accideret offerebatur. Vnde eum queritur aliquando, de pace in sacris literis, & dicitur. Est ne pax tali? Potius vertendum puto. Est ne illi integritas? Vt sit sensus. Accidit ne illi aliquid infortunij quo illi aliquid desit, puta salus, aut substantia, aut quid simile? Et in locis vbi ipsi pacem vertunt, aut pacificare, melius quadrat, aut saltem tam bene integritas: vt Psal. 7 vbi ipsi vertūt. Si vetribui solemi, id est, pacifico mihi malum, tam bene quadrat, si veritas integro mihi, id est, qui in integritate cordis mecum morabatur, seu qui nihil mihi moliebatur mali. Sic Iob. 9. Quis indurauit se ei, Vaiisłām, id est, & pacem habuit? Melius vertas, & integer fuit, scilicet in bonis, quem non punuerit ipse? Omitto, quòd in multis locis nullo modo quadrat pacificum esse, quemadmodum Iudicum 1. vbi dicitur. Quemadmodum feci, sic scilem, id est, reddidit mihi Dominus, aut integrauit mihi Dominus. Qui enim alium lædit, minus de malo habet, quàm debeat habere: ideo cùm punitur, integratur. Et infra. 6. Ve scilam otho, id est, reddet, aut integrabit illud, eum sorte sua. Paraphrastes Chaldæus vertit hic. Hostiam sanctificatorum, id est, quam nullus immundus comedere debet. Nam infra. 7. cap. huius libri præcipitur, ne quis non sanctificatus de hac hostia comedat. Septuaginta interpretati sunt sacrificium salutis, forte, quia pro salute domus quasi gratiarum actio offerebatur. Faciebat autem huiusmodi sacrificium de bobus ac pecudibus, & licitè offerebatur etiam fœmina: quod non poterat in Holocausto fieri, vt cap primo huius libri dictum est.

Immaculatum appropinquare faciet coram Domino.
Significat verbum tamam à quo tamim, id est, immaculatum perficere, & complere. vnde melius meo iudicio, completum seu perfectum, quàm immaculatum vertas, id est, tale sit cui nihil desit de necessariis: non salus, non membrum, vel aliquid simile: neque referebat an maculosi velleris esset vel non.

Coniun-

Coniunget manum suam super caput oblationis suæ.
Priori huius libri cap. admonuimus, quid hæc ceremonia adumbraret: ibi videre licebit. Præ se enim ferebat, immolante se debere hostiæ suæ coniungere, & simul cum ea Deo offerre. Alias huius rei causas ibi adduximus: sed nobis hæc cæteris germanior videtur.

Immolabit ad ostium tabernaculi conuentionis.
Id est, è regione ostij. Erat enim altare holocaustorum vt dictum est in præcedenti libro, è regione ostij tabernaculi operti, in quo erat Deus.

Super altare in circuitu. Aliqui vertunt. Iuxta altare, quia putant fuisse furculum circa altare per circuitum: in quo sanguis iste fundebatur sine dedecore aut malo odore. Posset tamen dici si altare terreum erat eleuatum inter ipsum, & inter ligna transuersa, quæ constituebant altare fuisse. rimulam per circuitum, & ibidem sanguinem fundi: qui statim calore ignis resoluebatur & comburebatur.

Adipem operientem intestinum.
Hæc est pars hostiæ quæ Domino cedebat, scilicet omnis adeps, renes, & fibra, cum epate. Per adipem operientem intestinum, intelligitur reticulum pinguedinis, quod operit intestinum: & per adipem qui est super intestinum intelligt omnem alium adipem.

Qui est super ilia. Verbum chasal, à quo chasel, id est, ilium, significat propriè inflare, & tumescere, ac etiam eleuari. Significat ergo chasel ilium, quod sit inflatum. *Et fibram cum epate.* Dictio Hebraica loteret, significat residuum: & habetur ad literam.

Residuum super graue, cum renibus remouebit.
Et per residuum possumus intelligere residuum adipis, & per graue intelligit omnia hæc quæ animal vtcunque grauare solent. Sanctes per residuum fibram intellexit, & per graue epar, & melius. Vnde germanius legendum est. Residuum, scilicet adipis cum epate. Vocatur autem epar graue, quia grauius est splene, & aliis quæ sunt iuxta se. Et erant omnia hæc auferenda ab hostia pacifica, vt Domino incenderētur, scilicet adeps, qui operiebat intestinum, & qui erat super ilia. Renes, & adeps qui erat super illos, & super ilia, & residuum adipis, & epar simul cum renibus. Dicuntur autem renes Hebraice chelaiot, à chalah quod est implere, quasi impleti. licet Hebræi dicant diei à chalah quod est desiderare, quòd, scilicet in eis sit desiderium coitus, sed meo iudicio verbum nullo pacto significat desiderare. Et quod ipsi ad hoc citant ex cap. 13. 2. lib. Samuelis Vatechal. i. Et desiderauit Dauid rex egredi propter Absalon, vertendum puto. Et finiuit Dauid rex, egredi ad Absalon. i. cessauit egredi ad eum persequendum: quoniam consolatus fuerat super Amon, quoniā mortuus erat. Et licet verbum sit fœminini generis & Dauid masculini, vtitur tamē sæpe Hebraismus hoc schemate, vt in Hebraismis admonuimus, & sic verbum à sua propria significatione non distrahitur.

Super holocaustum quod est super ligna.
Non poterat hoc sacrificium integritatis esse primum, sed semper holocaustum debebat illud præcedere.

Si agnum ipse offert. Significat chesseb agnum aut ouem anniculam, vt Hebræi dicunt.

Caudam integram. Dictio Hebraica aliah, id est, cauda si sit ab alah quod est execrari videtur caudam significare, quod videlicet sit pars quodammodo execrabilis in animali. Si verò ab elah quod arborem significat, dicetur cauda aliah, quod speciem arboris retineat: cuius veluti truncus est spina, ramī verò setę ex tenuę, & hæc mihi videtur conuenientior allusio.

E regione dorsi remouebit eam.
Scilicet caudam. Posset etiam legi. Prope clausuram remouebit eam, id est, iuxta locum quo clauditur dorso. Vertimus autem propè pro è regione, quoniam dictio Hebraica leumat significat potius vicinè & propè quā è regione: vt patet. 2. Samuelis. 16. vbi dicitur. Et Simmihi ambulabat in latere montis leumato, id est, iuxta ipsum, seu prope eum: vbi alij vertūt. E regione ipsius. Similiter dictio asseh, quam alij spinam dorsi vertunt, est ab asah quod est claudere, obturare, vt Hebræi dicunt: vnde videtur asseh potius clausuram quàm spinam significare. Significatio tamē non plene nota est, quoniam verbum iatū est in scripturis. Habetur Prouerbi. 16. vbi dicitur. Oseh, id est, claudens oculos ad cogitandum peruersa. Vbi Hieronymus vertit. Qui attonitus oculis cogitat praua. 70. firmans oculos Thargum intuens seu demonstrans oculis suis, cogitat peruersa. Ex quibus constat ignotum esse nominis significationem. *Et fibram cum epate.* Expone vt supra hoc eodem capite, & Hebraice est residuū cum graui, sed sensus, meo iudicio, redditus est. *E residuum.*

Scilicet adipis cum epate. *Cibus oblationis est domino.* Constat ex hoc loco aperte: veteris legis sacrificia (vt diximus) esse prandia & cœnæ Domini, quoniam hic dicuntur cibus Dei: quia vt sæpius dixmus, bis in die, scilicet mane & vespere quasi prandium & cœna holocaustum offerebatur: & concurrebant in sacrificiis Domini omnia quæ ad prandium necessaria sunt, scilicet panis, vinum, carnes, & sal.

Omnis adeps Domino est, id est, ad Deum pertinet, & illi offerendum est.

Omnem adipem, & omnem sanguinem non comedetis.
Ratio quare Deus noluit Iudæos adipem comedere, fuit quia ipse volebat eum pro sacrificio suo, seu cibo suo. Noluit autem eos sanguinem comedere, propter id quod dixerat Gen. 9. & infra dicturus est quod anima carnis in sanguine sit, & quod dedit sanguinem ad animas expiandas. Disputant hic quidam, an omnis adeps, sit Iudæis interdictus, vel solus ille qui solebat esse cibus Dei, seu Domino offerri, & ratio legis insinuat solum adipem offerri solitum esse prohibitum.

CAPITIS. HVIVS III. AD morum honestatem adnotatio.

SI sacrificium pacificorum oblatio eius. Cap. 8
Quis indurauit se ei (ait Iob) & pacem habuit? Vt ergo differes, paeem seu integritatem tuam ac substantiæ tuæ munus Dei esse, voluit te pio ea sibi sacrificium & munus offerre.

Tam masculum quàm fœminam immaculatum offeret.
Ne putarent fœminæ se Domino esse odibiles, aut exosas: eas in hoc sacrificio etiam cum masculis admittere voluit: tum quia eas etiam seruabat incolumes, quemadmodum & mares.

Coniunget manum suam super caput eius.
Admonui sæpius, hac ceremonia Dominum adumbrasse, non solum nostra esse illi offerenda, sed nosipsos: ac debere existimare nos dignos qui iugularemur & immolaremur pro peccatis nostris.

Ad ostium tabernaculi ecclesiæ. Disce ex hoc loco, quantum gaudeat dominus videre munera quæ illi offerimus, etiam si nullius momenti esse videantur, & si militer quantum diligat nos mortificatos videre, sanguinem aspicere, & de nobis ipsis pœnas ac vindictam sumere, ne cogatur vindicare. Illuc enim pertinet iste sanguinis aspectus, quem per circuitum altaris aspergi mandabat. *Offeret adipem.* Admonet locus iste selectiora esse semper Domino offerenda, licet parua sint. Similiter aduerte quantum interiora bona diligat. Externa enim bona quæ facimus non videntur esse solius Dei, etiam si propter ipsum solum fiant: interiora verò quæ solus ipse videt sunt illi acceptabiliora. Tu cùm oraueris intra cubiculum tuum, & clauso *Mat.6.* ostio ora patrem tuum, & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

Super holocaustum quod est super ligna.
Quemadmodum debemus Deum propter se prius diligere, deinde propter bona quæ nobis ipse largitur: ita & prius munus illi pro pter se debitum offerre, deinde propter ea quæ ab eo accepimus adducere, ne videamur ad solum commodum nostrum respicere & non ad gloriam & honorem ipsius.

Si de pecudibus est oblatio eius.
Benedictus Dominus Deus noster, qui à nobis acceptat quod possumus, neque vrget soluere quod debemus. Si nō habes neq; habere potes bouem, quem Domino

Universidad de Deusto
Biblioteca

mino Deo tuo offeras, ô homo, agnum immola aut capram: quoniam acceptabile erit Domino Deo tuo. Sed summè aduerte, vt immaculatum seu integrum sit: nihil inquam illi desit.

Cibus oblationis est Domino. Audis hic qualis sit cibus Domini Dei tui? nempe animalis præcordia. Hoc est quod à nostris crebro dicitur, Deum videlicet corda comedere.

Omnis adeps Domini est. Omnem adipem & omnem sanguinem non comedetis.

Docet locus iste seruare Domino peculiaria sua, neque sacra eius prophanare, quemadmodum de thimiamate diximus. Nunc nihil Domino peculiare est: quicquid ipse sibi delegit, nos in vsus nostros conuertimus. In prohibitione verò sanguinis docuit nos impietatem & sæuitiam fugere. Similiter non comedere pretium & redemptionem vitæ nostræ. Quomodo enim viuet, qui vitæ suæ comederit redemptionem?

CAPITIS IIII. LEVITICI ad literam annotationes.

ET *locutus est Dominus ad Mosen.*

De sacrificio pro peccato,

Tractat hic scriptura quartum sacrificij genus: quod, scilicet pro delicto fiebat, & distinguit peccata, & sacrificia diuersa: quæ pro diuersis peccatis fiebant, & prius tractat de sacrificio pro peccato sacerdotis, quoniam maioris erat dignitatis, deinde totius Synagoge. Tertio de peccato regis. Quarto de peccatis hominum priuatorum.

Anima cum peccauerit per errorem.

Difficilis est locus iste & difficultas accidit ex ignorantia propriæ significationis duorum nominum hic positorum, scilicet segagah quod nostri interpretantur errorem vel ignorantiam & assem quod delictum significare dicunt. Sumitur hic anima pro homine ipso. Significat enim nephes proprie halitum, & ex cõsequenti, id est, quod halitum habet & per consequens hominem: verbum verò sagag à quo segagah, id est, error dicunt Hebræi significare ignorare, & errare: potius tamen (meo iudicio) significat errare quàm ignorare, vt patet Ezechie. 34. vbi dicitur. Iisgu, id errabũt oues meæ in omnibus montibus. Vbi non tam bene vertas ignorabunt. Item Deutero. 27. Maledictus masgeh, id est, errare faciens cæcum in viâ. Et Gen. 43. Si forte misgeh, id est, error esset. Et peccare per errorẽ, est peccare errando seu declinando à legibus diuinis. Vnde quod sequitur scilicet.

Ab omnibus præceptis Domini.

Declinando, scilicet ab eis, videtur explicare quid sit peccare per errorẽ vel cum errore, ac si apertius dicat.

Anima cum peccauerit errando seu diuertendo ab omnibus præceptis Domini, seu à quocunque præcepto Domini, & fecerit vnum ex his quæ non sunt facienda.

Est autem sermo de errore seu declinatione contra præcepta negatiua, seu prohibitiua: ac si dicat. Cùm fecerit aliquid diuina lege prohibitum. Posset etiam lex loqui de omni præcepto, & textus esset sic interpretandus. Et fecerit vnum ex his quæ non sunt facienda, scilicet iuxta legem Domini: vt si non honoret parentes. Et vocat facere non solum facere sed etiam omittere. Distinguunt enim Hebræi præcepta in duplicem ordinem. Alia vocant præcepta faciendi: quæ nos affirmatiua appellamus: quæ tot esse asserunt, quot sunt membra in corpore humano: nempe. 248. Alia vocant præcepta non faciendi quæ nos dicimus negatiua, quę tot constituunt, quot sunt in anno dies nempe. 365. quæ simul cum affirmatiuis constituunt. 613. ad quæ expianda erant à lege instituta duo sacrificiorum genera, scilicet pro peccato & pro delicto. Sunt qui dicunt textum loqui de peccato per ignorantiam perpetrato, quoniam peccata facta ex malitia seu cũ scientia erant à magistratu punienda: eligat prudens lector quam maluerit interpretationem. Quia tamen infra, cùm de peccato multitudinis agitur dicitur. Si omnis Synagoga Israel errauerunt, & latuerit res ab oculis congrega-

Quot sectandum Hebræos sint præcepta affirmatiua, & quot negatiua.

tionis: vbi videtur loqui de peccato per ignorantiam perpetrato, apparet hunc textum intelligẽdum de peccato ignorantiæ. Tum quia (vt diximus) peccata quæ sponte quis faciebat, à magistratu puniebantur. Quod si verum est, reddenda esset sic litera. Anima cum peccauerit per ignorantiam, id est, ignorando se peccare, faciendo aliquid quod secundum Dei legem faciendum non est.

Si sacerdos. Et cætera. Posset tamen ad hoc dici deum imposuisse hic sacerdoti satisfactionem pro peccato voluntarie perpetrato, quoniam magistratus non animaduertebat super peccato summi seu vncti sacerdotis: quia omnibus erat superior: iuxta illud Psalm. In medio deos diiudicat. & quasi princeps: erat à magistratu solutus quantum ad vim coactiuam. Legimus tamen punitum Abiathar à Salomone propter coniurationem cum Adonia.

Si sacerdos inunctus peccauerit secundum delictum populi, appropinquare faciet pro peccato suo quo peccauit, iuuencum filium bouis immaculatum Domino pro peccato.

Non loquitur de solo summo sacerdote, sed de omnibus inunctis. Legimus enim non solum Aharonem inunctum in sacerdotem, sed etiam filios ipsius. Si tamen literam arctare ad summum velis, non prohibeo. Et quod sequitur.

Secundum delictum populi.

Aduerte verbum assam, à quo asmah, id est, delictum, non esse plene notum Hebræis: dicunt tamen significare delinquere, peccare, & desolare, & exempla prioris significationis sunt infra cap. 5. vbi dicitur. Assum assam, id est, delinquendo deliquit. Et Numeri. 5. Dabit cui assam, id est, deliquit, pro ei in quem deliquit. 2. verò sunt Hoseh. 6. Donec iessemu, id est, desolentur. Et cap. 10. Nunc iessamu, id est, desolabuntur. Item Isaiæ. 24. Veiessemu, id est. Et desolati sunt, qui habitant in ea. Mihi verò expensis locis quibus verbum & nomen in scripturis ponuntur, videtur verbum significare delinquere, non qualitercunque sed relinquendo commissum peccatum, ac si non curaret illud. Assem verò nomen significare huiusmodi peccatum, scilicet relictũ quod quis non curat, siue sit magnum siue paruum: verbum etiam significat desolare, seu locum solum relinquere in quo antea habitatio fuerit. Significat etiam asmah non solum delictum, sed oblationem pro delicto: vt cap. sequenti habetur cum dicitur. Et adducet assamo, id est, delictum suum, pro adducet oblationem pro delicto suo. Et Numeri. 5. Et reddet & assamo, id est, delictum pro reddet oblationem pro delicto suo. Ne autem hoc gratis & sine autoritate dicere videamur, verbum videlicet significare delinquere, aut potius in præterito deliquisse, adducimus. 1. illud Gen. 42. vbi filij Iacob dicunt. Verè Assemim, id est, delinquentes fuimus super fratrem nostrum, id est, non curauimus delictum factum in fratrem nostrum. Et infra 6. Erit cum peccauerit, veassem, id est, & delinquentem, scilicet se posuerit reddet. Vbi vides verbum importare deliquisse & omisisse delictum: rem tamen non certe definio, quia nondum plene compertam habeo. Est autem duplex sensus horum verborum. Alter est si sacerdos vnctus vnctus peccauerit secundum delictum populi, id est, si summus sacerdos peccauerit ita vt & populum peccare faciat suo peccato illique occasionem peccandi præbeat, & hunc sensum sequuti sunt 70. & vulgata editio. Alter sensus est. Si summus sacerdos tale peccatũ admiserit, quale admitti solet ab vno quouis è populo, qui tamen illis circunspectior esse debebat. Poterat enim summus sacerdos dupliciter peccare, vno modo in his quæ ad suum sacerdotium pertinebant, scilicet sine præuia munditia quam lex exigebat, aut sine debitis vestibus ministrando, vel animal immundum, aut non integrum offerendo, aut non ardendo populum à sacris, & sic de aliis, quæ videntur esse peccata sacerdotum vt sic, & de his dabat pœnas, ad arbitrium Domini: de quibus dicit. Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, id est, puniendo eos pro peccato, ostendam me siue peccato esse, aut percutiendo eos

do eos pro immunditia mundum me esse, ostendam. Alia erat peccata sacerdoti communia & secularibus, quemadmodum superbia, auaritia, luxuria, ira, gula, inuidia, accidia, homicidium, adulterium, & id genus alia, & de his est sermo, non absolute, sed vt dixi de his omissis aut obliuioni traditis, & meo iudicio, de occultis quorum nullus erat testis. Nam in ea magistratus, vt diximus, non animaduertebat. Posset etiam textus intelligi de immunditiis quæ erant communes populo & sacerdotibus: sicut contactus alicuius mortui, aut rei immundæ, aut esus animalis interdicti: & fortè ideo addit: si sacerdos vnctus: quoniam grauius erat in sacerdote vncto huiusmodi immunda tangere, quam in priuato alio homine, & sic sensus erit. Si sacerdos vnctus, qui maximè debet ab immunditiis propter suam vnctionem separari, peccauerit contrahendo aliquam immunditiam, secundum delictum populi, id est, quemadmodum aliquis de populo pollui solet: offeret pro peccato suo iuuencum. Potest ergo locus iste omnibus his modis intelligi. Si sacerdos vnctus peccauerit secundum delictum populi, id est, si peccauerit ex ignorantia aliquod peccatũ, in quo aliquis priuatus peccare solet, cognoscens postea peccatum suum ad illius expiationẽ offeret iuuencum. Secundo modo sic. Si sacerdos vnctus peccauerit, scilicet occulte sine testibus qui de peccato eius deponere possint, peccatum inquã quale vnus è populo peccare solet, offerat iuuencũ. 3 sic. Si sacerdos vnctus peccauerit sciens & volens, peccatum quod vnus ex priuatis hominibus admittere solet, vt est furtũ, homicidium, adulterium, quia in illum tanquam in principem non animaduertit lex offeret iuuencum filium bouis Non enim constat an sacerdos esset exemptus à legibus quibus alij homines puniebantur: sicut à lege homicidij, adulterij & id genus aliis. 4. Si sacerdos vnctus peccauerit in immunditia aliqua in qua potest aliquis de populo delinquere: ad expiationem offerat iuuencum filium bouis. Et priorẽ sensum probat quod sequitur de peccato multitudinis, & de peccato principis, de quibus constat esse peccata ex ignorantia commissa: vnde videtur quod cùm loquitur de peccato sacerdotis, debeat intelligi de peccato per ignorantiam perpetratum, & postea cognitum. 2. probatur iste sensus, quia huiusmodi leges expiãdi peccata, non sunt institutæ ad abroganda ciuilia supplicia: vnde sequitur quod debeãt intelligi de peccatis per ignorãtiã perpetratis, in quæ non animaduertebat lex. Sed si sit sermo de peccatis occultis: aut ceremonialibus immũditiis, tunc posset textus intelligi de perpetratis voluntarie. Prior tamen sensus mihi magis arridet.

Asperget de sanguine septem vicibus coram Domino ante velum sanctificationis.

Iam alias admonui huiusmodi victimarum sanguine homines occurrisse Deo irato propter peccata, qua si ostendat peccator de se iã pœnas sumpsisse: & quantum peccatum grauius erat tanto pluries sanguis fundebatur & Domino occurrebatur. Vade cum in hoc capite de peccato priuati hominis agitur: nulla fit mentio huius septenæ aspersionis, sed solum in peccatis sacerdotis, communitatis & principis, tanquam grauioribus. Vel quia sacerdos & princeps sunt communes personæ, peccata illorum sunt virtualiter plura, ideo pluries, nempe septies sanguis versus Dominum mittebatur, vt plures expiaret & hac ceremonia adumbrabatur, quòd Deo venienti ad vindictam multorum, aut publicæ personæ, occurrebatur huiusdi sanguine vindicati peccati, & detinebat sanguinis huiusmodi fusio Deum, quem etiam peccatori placabat, vt textus dicit.

Ante velum sanctificationis, id est, quod erat ante Sanctum sanctorum. *Totum adipem inuenci.*

Omnia hæc sunt præcedenti capite exposita.

Fibram cum hepate. Hebraice. Residuum cum graui. Hebræi dicunt esse ruheam carnem, epar complementum: quæ quasi hepatis abundantia est, iuxta nominis interpretationem: speciem habens pinguedinis.

Cum fimo ipsius Dictio paras à qua peres. i. simus significat diuidere, separare, & multiplicare. Peres verò stercus, quia communiter separari solet & eiici, aut quia in copia est apud cunctos. *Et educet totum iuuencum extra castra.* Ex hoc loco videtur iuuenum non debere in frusta concidi, sed integrum comburi. Et quod sequitur. *Ad effusionem cineris.*

Idem est quod ad locum in quo cineres altaris Holocaustorum effundi solent. Et nomen dessen, non solum cinerem sed etiam pinguedinem significat.

Vnum ex præceptis Domini, quæ fieri nõ debent, id est, vnum ex his quæ Dominus prohibet, *fecerit.*

Aut fecerit aliquid aduersus præcepta Domini, siue faciendo siue omittendo.

Si omnis Synagoga Israel errauerunt, & latuerit res ab oculis congregationis.

Dictio adat, quam vertimus Synagogam, est aiaad quod est congregari, præsertim ad certum tempus vel locum, vt sæpius diximus: vnde verti posset. Si omnis congregatio. Et constat loqui de peccato per ignorantiam perpetratum postea tamen cognitum: vt si quis auferret alienum, quod putaret suum, aut immunditiam contraheret quam ignoraret & postea cognosceret. Posset etiam, vt diximus, textus intelligi de peccato quod quis sciens facit, sed non sunt testes, postea verò cognoscitur: quale fuit peccatum Dauidis cum Bersabe, quod prius fuit occultum iuxta illud. Tu fecisti abscondite: postea verò cognitum, vt constat ex verbis textus. Veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini. *Et deliquerint.*

Dupliciter hoc potest intelligi. Vno mõbo. Et peccauerint. Alio modo. Et reliquerint peccatum dissimulando illud, quasi non curando neque aduertendo.

Et scitum fuerit peccatum. Scilicet ab ipsa communitate quæ ex ignorantia peccauerat.

Offerent congregatio iuuencum, per sacerdotem, scilicet. Tenebatur tamen communitas, illum adducere ante Deum, ad altare Holocaustorum.

Asperget septem vicibus: Quoniam peccatum erat plurium (vt diximus) pluries sanguis fundebatur versus locum in quo erat Dominus. Et forte ex hoc loco ortum habuit quod dicitur, septennem pœnitentiã imponendam pro quouis mortali, aut potius ex eo quòd dicitur Gen. 4. septies vindicabitur Cain.

Continguent seniores manus. Constat ex hoc loco, seniores gerere vices totius plebis.

Oblatio pro peccato congregationis est.

Hebraice est. Peccatum congregationis hoc. Sed sensus bene redditus est: quoniam frequenter accipitur in sacris literis peccatũ pro hostia seu oblatione pro peccato. *Cum princeps peccauerit.*

Et fecerit vnum ex omnibus præceptis domini dei sui, quæ non sunt facienda, cum errore & deliquerit. Significat nassa, à quo nesi, id est, princeps; leuare, eleuare, & nessi omnem eleuatum super alios.

Committendo aliquid per ignorantiã, vt ex contextu apparet, cõtra prohibitiones dei, & hoc est quod dicitur.

Per errorem vel ignorantiam.

Et quod sequitur. *Et deliquerit,* id est, peccauerit, aut & deliquerit, id est, dissimulauerit relinquendo peccatum post tergum suum. Aut. 3. Et deliquerit, id est, cognouerit, scilicet ipse per se delictum suum. Vnde sequitur.

Vel notificatum fuerit ei delictum suum in quo peccauit, id est, vel alius ei ostenderit peccatum suum.

Offeret hircum caprarum. Dictio Hebraica sceir significat pilosum, & consequenter hircum à pilositate seu multitudine pilorum: verbũ verò sar, à quo sceir, significat horripilare.

Expiabit eum à peccato eius: aut liniet, sic scilicet peccatum eius ad vindictam videatur à Domino.

Si anima vna peccauerit, id est, si homo priuatus peccauerit, quem vocat animam vnam: quoniam tam sacerdos quàm princeps, cùm sint communes personæ, non videntur anima vna, & quod sequitur.

Per errorẽ, intellige per ignorantiã, vt de aliis dictũ est.

Et fe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et fecerit vnum de præceptis Domini, quæ non sunt facienda, id est, fecerit aliquid de prohibitis à Domino fieri. *Et deliquerit*, id est, & peccauerit, aut & delictum cognouerit.

Vel notificatum fuerit ei peccatum suum.
Aut, & deliquerit, id est, reliquerit dissimulando peccatum suum, quod peccauit.

Expiabit super eum sacerdos, & dimittetur ei.
Posset etiam verti. Et liniet super eum sacerdos. Et huiusmodi expiationes peccati seu liniliones nihil aliud erant in veteri lege, quam non imputationes. Vnde peccatum dimitti apud Iudæos erat, non imputari ad pœnam: iuxta illud Psal. Beati quorum remissæ sunt iniquitates: quod suo more statim explicans addit. Et quorum tecta sunt peccata, ne, scilicet ad vindictam videantur. Et sequitur textus. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Et propterea tunc Iudæi arbitrabantur sibi peccatum esse remissum, cùm sibi non imputabatur ad pœnam. Sequentia, vt præcedentia interpretanda sunt.

HVIVS CAPITIS. IIII. ANNOtata ad nostram eruditionem.

Anima cùm peccauerit per errorem.
Benedictus sis Domine Deus noster: qui nobis viam ostendisti, qua à peccatis nostris mundaremur. Offerebant homines ante hac sacrificia pro gratiarum actionibus, pro beneficiis sibi exhibitis, sed pro peccatis expiandis, non legimus sanctos etiam aliquid obtulisse. licet Dominus nunquam eos sine remedio, quo à peccatis absoluerentur reliquisse credendum est.

Aduerte hoc. *Per errorem.* Nullus deberet aduersus tam pium patrem studiosè peccare, ideo nullũ sacrificij genus institutum legimus licet fuerit, pro expiatione eorum qui sua sponte in vitia prolabebantur: sed magistratui puniendi relinquebantur. Sicut enim Dominus neminem vt videtur sua sponte castigat sed coactus: ita nemo debetet eum sua voluntate offendere: qua in re considerandum est, quàm grauia sint peccata ex studio commissa: quibus ante legem nullum ad expiandum institutum legimus sacramentum aut sacrificium.

Si sacerdos vnctus peccauerit.
Non deberet vnctus sacerdos vnquam peccare: quoniam semper deberet esse suæ vnctionis memor. Ad hoc enim vngebatur, vt peccatum ad eum non audetet accedere timens vnctionem. Tu ergo sacerdos dei, cum tibi peccatum faciendum occurrerit, te vnctum esse memento oleo sancto: & verere manibus quibus sacra mysteria tangis spurcitias carnis contrectare, & ore quo diuina sacrificia comedis, turpe scortum osculari. *Secundum delictum populi.*

Considera quæso sacerdos, quàm grauia sint peccata sacerdotij tui: quibus non instituitur expiatium sacrificium, sed fœuero Dei iudicio punienda seruanturr solum instituitur remedium peccato, quod vehuti homo communis & ex ignorantia committis. Similiter ex hoc loco discè, communia peccata, etiam grauiora esse in sacerdote, quàm in priuato homine: quod in oblatione facilè deprehendes. Nam sacerdos pro huiusmodi peccatis, iuuencum Domino offert: priuatus verò iubetur offerre hircum caprarum.

Aspergetde sanguine septem vicibus coram Domino.
Expende quæso in hac septena sanguinis aspersione quoties persona publica datura est pœnas pro vnico peccato. Similiter considerent qui publica munera administrant, se quasi infinita committere peccata quoties contingit eos peccare. Nisi enim septies, quoties delinquunt virtute peccarent, non esset opus sanguinem hostiæ (qui sanguinem eorum adumbrat) septies contra velum aspergi: Quia enim septies Dominus erat in eos peccatum vindicaturus, toties ei irato victimæ sanguine erat occurrendum. Neq; arbitreris somnium aut figmentum esse, peccatorem pro vnico peccato septies & plurica pœnas daturum. Audisti ni fal. tor, quid Caino dixerit Dominus Gen. 4. Quicunque (ait Dominus) occiderit Cain septies punietur. Si ergo qui hominem homicidam occidisset erat septies pœnas daturus, quot quæso dabit qui occidesit pium & innocentem? Legisti puto eodem loco, eum qui Lemech occidisset septuagies septies puniendum. Quid ergo mirum, si septies sanguinem victimæ tuæ, contra velum aspergas? Agà tamen gratias omnipotenti Deo, cuius ineffabili misericordia sanguis victimæ pro tuo effunditur: quæ coram Domino pœnas quas tu commeueras dare iubetur.

Et pellem iuuenci, & totam carnem eius.
Quantum detestetur Dominus peccatum communis personæ, pulchre ostendit locus iste: ita vt nihil victimæ pro peccato, præter adipem habere velit. Non carnem, non caput, non pedes, non pellem, neq; aliquid aliud, & quod mirabilius est, non sustinet in suo altari eremari: quoniam his illud pollui timet, sed cuncta hæc extra castra vehenda sunt, & in loco cineris comburenda. Vbi simul docuit relegata procul à nobis debere esse peccata, & ita extinguenda, vt nihil reliquiarum peccati apud nos remaneat: quemadmodum diximus de vitulo, quem adorarunt in deserto Iudæi: quem sanctus Moseh in puluerem redactum, super aquas sparsit, & eum potare Iudæos coëgit. Sed non vacat mysterio, quòd carnes victimæ pro peccato fuæ per cineres comburi iubentur, vt hac ceremonia nobis ostendat peccata humilitate & pœnitentia quæ per cineres designatur expiari. Iubetur etiam totus iuuencus comburi. Non sunt diuidenda peccata, sed simul eremanda quod enim diuiditur diuulgatur & detegitur, quod nõ est in peccatis propter scandalũ faciẽdum.

Si omnis Synagoga Israel peccauerit.
Vbi tot oculi sunt, non deberet peccatum ignoranter committi. Sed si committatur adest remedium. Neque præsumat communitas se non posse errare. Vbi simul aduerte maioris dignitatis esse sacerdotem, quàm sit totus populus & principes. Similiter populum principem excedere, si ex ordine literæ licet argumentum sumere. *Et scitum fuerit peccatum eorum.*

Potest locus iste ostendere, quantum communitas, sacerdos, & principes cauere debeant, ne peccata eorum à populo sciantur, propter graue scandalum quod inde orietur.

Vel ostensum fuerit ei peccatum eorum.
Ægre ferũt hodie principes de peccatis suis admoneri à quibus prælati didicerunt hoc non audire. Quot parabolis & similitudinibus cum eis vtendum sit, vt peccata sua audiant, testis est propheta Natã, testis & sanctus Dauid, qui saltem vt ab eo expiarentur, æquo animo illis ferẽdum esset. Sed quis tã fortis, vt eos audeat admonere, aut tam sanctus, vt audire hoc patiatur?

Expiabit eum sacerdos. Iam ab olim munus sacerdotum fuit, populum à peccatis veluti instrumenta Dei expiare, vt adumbratum sciamus in antiqua lege quod in noua credimus institutum. Sed mirum valde est, quòd pro peccato sacerdotis & totius populi offeratur iuuencus, pro peccato verò principis hircus, & pro priuati delicto capra iubeatur offerri. Roborata & fortia valde sunt peccata sacerdotis & communitatis, quæ non nisi morte fortioris animalis expiantur. Sic in sacrificij distinctione videre licebit, quid interfit inter principis & simplicis hominis delicta, vt illud capri istius verò fœminæ sanguine delcatur.

CAP. V. IVXTA LITERAM annotationes.

ET anima cùm peccauerit & audierit vocem iuramenti, & ipse testis vel vidit vel cognouit, si non indicauerit, portabit iniquitatem suam.

Hebraissimum reddidimus: sensus reddendus est. Sed antequam sensum reddamus, explicanda est significatio vocis alah, quam omnes ferè iuramentum vertunt: licet eam Gen. 1. exposuerimus, vbi diximus de nomine heloim. Est autem alah verbum, à quo alah nomen, iurare execratoriè, seu maledicere, vt cùm dicimus. Hæc mihi addat vt faciat Deus, si non fecero hoc vt Iudicum. 17. Et alit, id est, execrata es seu maledixisti, & dixisti in auribus meis, vbi est sermo de matre, mala imprecanti ei, qui abstulisset pecuniam eius. Item Gene. 26. Sit quæso alah, id est, iuramẽtum execratorium, aut execratio inter te & me: quale inter pacisscentes esse solebat. Quo præmisso videtur textus sic intelligendus, vt scilicet loquatur de eo qui peccauit iurando aliquid execratoriè, quod non impleuerit: vt sit sensus. Anima, id est, homo cum peccauerit, scilicet non implendo quod execratoriè iurauerit, & aliquis audierit vocem talis iurantis execratoriè, & ipse est testis talis iuramenti, quo scilicet pollicitus est aliquid, vel vidit, vel sciuit huiusmodi taliter iurasse: talis si nõ indicauerit, scilicet ei qui sic promisit, aut magistratui, portabit seu leuabit pœnam iniquitatis suæ. Secundo modo potest esse sensus. Si homo peccauerit, scilicet occultè & aliquis vidit vel audiuit, vel cognouit eum peccasse, & audiuit vocem, scilicet iudicis execratoriè facientis iurare: sicut si dicat. Quicunque sciuerit aliquem occultè peccasse, nisi hoc reuelauerit hoc sibi faciat vel addat Deus mali: & ipse testis fuerit, scilicet perpetrati peccati, vel vidit, vel audiuit talem peccasse: is si non indicauerit, scilicet iudici iuramento execratorio exigenti veritatem, talis portabit pœnam iniquitatis suæ, aut illius qui peccauit. Tertio modo sensus est. Si peccauerit homo, & ipsemet homo audierit vocem execrantis, seu iudicis sub execratione eum inquirentis, & ipse fuerit testis, scilicet delicti sui, aut viderit vel cognouerit, scilicet se deliquisse, nisi iudici sic inquirenti indicauerit, scilicet peccatum suum, portabit pœnam iniquitatis suæ, & iste sensus videtur simplicior. Aliqui ex Hebræis hoc intelligunt de maledicente sub blasphemante nomen Domini: vt sit sensus. Cùm homo peccauerit, scilicet blasphemando, seu maledicendo nomen Domini, & fuerit aliquis alius qui audierit vocem maledicentis, seu execrantis, scilicet nomen Domini nisi annuntiauerit, si sit testis, &cæt. portabit iniquitatem suam, neque sensus displicet. Posset etiam esse sermo de peccato immunditiæ, propter sequentes leges, quæ de illa loquuntur.

Vel anima quæ tetigerit omne immundum, vel cadauer bestiæ immundæ, vel cadauer iumenti immundi, vel cadauer reptilis immundi & ignorauerit ipse.

Aut & latuerit eum. *Et ipse immundus & deliquit.* Immunda erãt cadauera omnium animalium quibus non licebat vesci: ideo dicit, cadauer bestiæ immunde. Est autem discrimẽ inter hæc. 3. scilicet Chaiah, id est, bestia, Behemah, id est, iumentum, & Scheres, id est, reptibile, quòd Chaiah significat animal quatenus viuũ, & pro fera vt plurimum accipitur, Behemah verò pro domestico, licet inueniatur aliquando syluestre significare, vt Psal. 8. vbi dicitur. Etiam Bahamot, id est, animalia agri. Et Micheh. 5. Bebahamot, id est, in animalibus syluæ. Idem Ioelis. 1. Scheres verò significat reptile, quod in magna copia multiplicatur. Potest autem esse duplex sensus huius legis. Alter, quòd quicunque tetigerit cadauer animalis vel reptilis immundi, & ignotus fuerit ipse: cognoueritque se immundum, ipse immundus est, & deliquit: ac si dicat. Non reputet se immundum, qui immũdum cadauer tetigerit, si ab alio ignoretur, & lata est lex hæc, ne se solum mundatione indigere putarent, cum ab aliis viderentur. Alter sensus est, quod qui hæc tetigisset immunda ignorauter, nihilominus immundus esset, & postquam sciret se immundum, tenebatur hostiã pro munditia sua offerre, & lata est lex, ne putarent se non peccasse aut mundatione non indigere si peccassent ex ignorantia. Possent istæ duæ leges intelligi de peccato immũditiæ seu de immunditia, ita vt præcedens obliget eũ qui scierit aliquem immundum reuelare eum adiuratus: hæc verò obliget immũdum expiare se sacrificio, cum se nouerit ipse immundum.

Vel si tetigerit immũditiã hominis, ex omni immunditia eius in qua polluitur, & latuerit eũ, et ipse sciat, deliquit.

Per immunditiam hominis intelligitur homo immundus: siue esset cadauer, siue homo fluens sanguine aut semine, vel mulier menstruata, aut patiens talem fluxus: quicunque enim hæc tetigisset casu aliquo & ignoraret se pollutum: si postea sciuisset, talis delicto erat obnoxius: & tenebatur mundare se. Posset secundo hæc lex sic intelligi, quoniam verba illa, & latuerit eum, in Hebræo sonant, & occultum fuerit de eo, vt scilicet lex loquatur de eo qui se pollutum nouit & ignorarur ab aliis: talis si sciuit immunditiã suã, deliquit, & eget mũditia legali etiã si alij eum immũdum ignorent, sed prior sensus germanior apparet.

Vel anima cũ iurauerit, vt proferat labiis suis male facere aut benefacere, fectadum omne quod profert homo cum iuramento, et occultum fuerit ab eo, et ipse sciuit, deliquit.

Obscurus est sensus huius literæ, & doctores Hebræorum & nostri, varie locum interpretantur. Et est aduertendum verbum (Bata) quod pronuntiare vertimus, non plene notum esse Hebræis, quoniam rarum est in sacris literis. Dicunt tamen significare proferre, pronuntiare præsertim submissa voce, aut promittere. Psal. 106. habetur. Irritauerunt eum iuxta aquas contradictionis, & malum fuit ipsi Moseh propter eos: quia exacerbauerunt spiritum eius. Vaiebate, id est, & protulit labiis suis, aut & iurauit labiis suis. Non disperdiderunt populos, quos dixit Dominus illis. Ponitur etiam Prouer. 12. vbi dicitur Boteh, id est, proferẽs quasi confossiones gladij: lingua autem sapientum est sanitas. Et ex loco prouerbio. in quo nõ bene quadrat promittẽs, & videtur potius significare proferre quàm promittere: quod nostri vertunt. Est qui profert verba quę sunt veluti confossiones gladij. Nomẽ etiam mibtali. Numeri. 30. videtur significare prolationem, aut promissionem. Est ergo sensus huius legis.

Anima cùm iuraverit proferendo seu promittendo labiis suis male facere, id est, affligere se, quod textus vocat male facere: quoniam est punire se, *aut bene facere*, id est, facere aliquod opus virtutis sicut est offerre aliquid Domino, dare eleemosynã, aut aliquid simile, *vt proferre solet homo cum iuramento, & occultum fuerit ab eo*, id est, tradiderit obliuioni quod iurauit, *& postea sciuit*, id est, recordatus fuerit, *aut alius iuramenti sui illum admonuit: talis deliquit*, id est, delicti reus erit, vt scilicet faciat quod lex sequens fieri præcipit. Et iste mihi videtur planus & simplex huius legis sensus, qui iuuatur ex his quæ Psal. 15. dicuntur: vbi textus habet. Qui iurauit ad malefaciendum, & non mutabit. Ex quo apparet huiusmodi iuramenta solita apud Iudæos fieri, vt scilicet quis sese propter peccata sua affligeret. Posset etiam illud, vt male faciat vel bene faciat, referri ad iuramentum, vt sit sensus. Anima cum iurauerit proferendo labiis suis ad malefaciendum, vel ad benefaciendum, id est, iurando, Deus mihi male faciat, aut faciat mihi hoc vel illud malum: aut dicendo, ita Deus mihi faciat hoc vel illud bonum: iurando isto modo aliquid quod homines solent iurare, & occultum fuerit sibi, & cætera vt in priori expositione. Aut, & occultum de eo fuerit, id est, & alij ignorauerint, ipse vero sciuit, talis deliquit. Et hoc modo puto intelligendam vltimam clausulam huius legis, legendo. Et occultum fuerit de eo, potius quàm ab eo.

Et erit cùm deliquerit in vno ex istis, & confitebitur quod peccauit super illud.

Sensus est. Cùm peccauerit in vno ex istis, quę predicta sunt in. 4. mẽbris huius legis. Quod autem sequitur. Et cõfitebitur quod peccauit, seu super illud quod peccauit. Aduerte verbum iadah. 1. confiteri, duo significare, scilicet proiicere seu delicere & confiteri præsertim confessione laudis & huius secundæ significationis sunt penè infinita in scripturis sanctis exempla: præsertim in Psal. vt Psal. 75. Hodenu lecha, id est, confessi sumus tibi Deus, confessi sumus tibi. Et. 33. Hodu, id est, confitemini Domino quoniam bonus. Prioris verò significationis non tot sunt. Habetur tamen Iere. 50. Iedu. 1. proiicite eã. Quod Hiero. vertit. Debellate eã. Et Iũ. 11. Ablactatus manũ suã hadah. i. proiicit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

proiiciet. Cui autem facienda esset huiusmodi confessio aut qualiter, textus non explicat, & creditderim deo fieri: qua prætmissa, offerendum erat sacrificiū pro peccato, & à sacerdote immolandum, & sic expiabatur seu liniebatur, vt Dominus peccatum illi ad pœnam non imputaret. Dicunt autem Hebræi hoc modo faciēdam esse huiusmodi confessionem, vt offerens manus suas habens inter animalis cornua, diceret. Obsecro Domine, peccaui, inique egi, prævaricatus sum coram te, sic & sic feci: ecce pœnitet me, & pudet me operum meorum, nunquam reuertar ad istam rem. Scribuntq; nihil profuisse sacrificia per se, neque expiasse peccata: nisi pœnitentia & cōfessio accessissent: iuxta illud quod Numerorum. 5. cap. dicitur. Confitebuntur peccatum suum quod fecerunt. Vbi vides quàm particularis fuerit Iudæorum confessio, quam nunc Lutherani volunt esse communem. Sed nescio, an hic confitendi modus à modernis Hebræis confictus sit, an ex aliqua illum habeant traditione. Et putarē huiusmodi cōfessionem fuisse vocalem: & ex verbis textus haberi possunt verba, quibus hæc cōfessio fiebat: verbi gratia. Confiteor me non annuntiasse peccatum hominis, cuius testis fui, vel quem vidi vel audiui. In secundo verò membro sic. Cōfiteor me tetigisse cadauer, aut aliquid immundum, & sic consequenter de aliis.

Modus confitendi Iudæorum.

Expiabit super eum sacerdos. Non constat de modo expiandi, nisi quòd ipsa oblatio erat expiatio: & forte sacerdos verbo pronuntiabat eum expiatum post sacrificium.

Et si non attigerit manus eius sufficientiam pecoris, id est, si non fuerit ei potestas, quæ per manum designatur, ad pecus offerendum. Vbi aduerte, quòd dictio dei seu Dei significat sufficientiam, vt patet Malachiæ secundo vbi dicitur. Nisi aperuero vobis fenestras cœli, & euacuauero vobis benedictionem ad beli dai, id est, vsque quo non sufficiant vasa. Et per pecus intelligit agnam vel hircam.

Trium cabit caput eius contra ceruicem eius, et non diuidet.

Verbi malach significatio non est plene nota Hebræis, vt diximus prion huius libri capit. quoniā verbum bis tantum in sacris literis reperitur: dicunt tamen significare scindere: Faciebat enim sacerdos scissionem capitis non omnino separando illud à collo: quoniam manebat per pelliculā suspensum. Et quod Sanctes vertit, contra ceruicem eius, verti posset circuncidendo ceruicem eius, aut à circuncisione ceruicis eius: quoniam huiusmodi scissio fiebat ad modum circuncisionis, scindendo in rotundum collum, licet non omnino. Et dictio mul, licet inueniatur significare è regione, radix tamen eius significat circuncidere: vnde verti posset. In rotundum ceruicis, vt diximus.

Sparget de sanguine oblationis pro peccato.

Hebraice est. De sanguine peccati, sed sensus redditus est. Et quod sequitur, scilicet. *Peccatum ipsum,* significat hostiam esse pro peccato. *Secundum,* scilicet turturem *faciet holocaustum secundum morem.*

Hebraice ad liceram est. Secundum iudicium, sed sumitur iudicium pro consuetudine.

Decimum ephah similæ. Continet ephah, teste Rabbi Dauid. 3. sata, cuius. 10. pars erat homer, de quibus sæpius diximus. & erat aridorum mensura.

Non ponet super eam oleum, & non ponet super eam thus, quia oblatio pro peccato est.

Disquirendum hic meritò esset, quare in sacrificio pro peccato non miscebatur oleum, neq; adiūgebatur thus, & crediderim hoc ideo factum, quoniam oleum iocunditatē & lætitiā significat. Solebant enim homines in lætitia sua vti huiusmodi delitiis, f. olei, & aliorum odoriferorum, iuxta illud Mat. 6. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuū. i. vtere signis lętitiæ. Vt ergo ostenderet peccatorem non debere esse hilarem, neq; Deum cum illa hilaritate suscepisse eorū sacrificia, qua suscipiebat sacrificia iustorum, prohibebat Dominus, oleum & thus in huiusmodi sacrificiis adiungi.

Accipiet sacerdos ex ea plenum pugillum. Hebraice. Pugillabit sacerdos, si sic loqui latinis auribus liceret.

Et memoriale eius. Fuit hæc locutio sæpius in hoc libro exposita, & est sensus. Accipiet partem eius, quod est signum quòd Dominus offerentis memoratur, aut quod residuum sit Domino sanctificatum.

Super oblationem Domini. Hebraice. Super ignitum Domini: per quod intelligit holocaustum quod in altari præcedebat omne aliud sacrificij genus.

Et eris sacerdotis sicut minchah.

Quemadmodum residuum sactificij farinacei, quod vocabatur minchah, oblato pugillo illius per sacerdotem pertinebat ad eum, ita & residuum hostiæ pro peccato aut delicto, vt hic explicatur.

Anima cum prævaricata fuerit prævaricationem, & peccauerit per errorem de sanctificationibus Domini, adducet oblationem pro delicto suo.

Subobscura vtcunque est lex hæc, & verti posset. Anima quia prævaricata est prævaricationem & peccauit. Admonui sæpius significationem verbi maal non esse plene notam Hebræis, qui dicunt significare prævaricari, negare, mentiri. Mihi verò videtur significare mentiri iuratum, aut id de quo quis est interrogatus iuridice: vt patet Iosuah. 22. vbi textus habet. Nonnne Hachan filius Zerach maal, maal, id est, prævaricatus est prævaricationem, aut mentitus est mendacium in anathemate. Secūdo modo Thargum exponit. Ezechie. 17. Et iudicabor cum illo ibi, maalo aller maal bi, id est, propter prævaricationem eius, qua prævaricatus est in me. Prou. etiam. 16. ponitur verbum quo in loco videtur significare mentiri: vbi dicitur. In iudicio non limal, id est, mentitum est os eius, aut non prævaricatum est os eius. Thargum omnibus his locis vertit mentiri, & re vera significatio ignota est. Est tamen coniectura quòd significet occultare seu malum occulte facere: quoniā à maal deriuatur meil, id est, pallium, sic meo iudicio dictum à tegendo: rem non definio, quoniam nondum mihi veritas omnino comperta est. Est autem iste verborum istorum sensus. Anima cùm prævaricata fuerit prævaricationem, scilicet furando aliquid siue accipiendo aliquid, & peccauerit per errorem, scilicet furādo aliquid de sanctificatis Domino quæ. f. ignorat esse domino sanctificata, adducet oblationē pro delicto suo. Secūdo modo sic. Anima cū mentita fuerit mendaciū. f. mentiendo quæ Domino pollicita est, & peccauerit. f. non reddēdo debitorū Domino, & peccauerit per errorē tradēdo. f. obliuioni reddere ęp Domino sanctificauit: adducet oblationem pro delicto suo. Potest esse lex hæc de homine qui de his quæ iā Domino consecrata sunt furatur, & ignorat illa esse domini, sed postea scit. Secundo de eo qui furatur & mētitur quod domino deuouit, qui tenebatur restituere æquale seu rē ipsam, & secūdo addere quintā partē præter sacrificiū. Hebręi sic locū reddunt. Si abstulerit quispiā ex cōsecratis domino, & nescierit fuisse cōsecratū, tunc offerat domino pro delicto suo.

Secundum æstimationem tuam.

Potest hæc æstimatio referri ad arietem, vt. f. sit immaculatus secūdum æstimationem Moseh, quemadmodū inferius ad arietē refertur, & ad argentū siclorū, vt sit bonum secundum ipsius æstimationem, aut melius vt argenti quāntitas sit secundum sacerdotis æstimationem. Et aduerte, quòd erech, id est, æstimatio significat etiam dispositionem, & ordinationem Exod. 27.

Si homo peccauerit & fecerit vnum ex omnibus præceptis quæ non sunt facienda, id est, fecerit aliquid contra negatiuum præceptum, seu contra domini prohibitionem. Et postquàm posuit legem quæ decernit restitutionem sanctificatorum domino, ponit nunc eam generalem, & debet intelligi iuxta præcedentis legis dispositionē, quòd, scilicet si sit furtum addat quintam partem, & offerat sacrificium.

Portabit pœnam iniquitatis suæ.

Sensum reddit interpres: quoniam Hebraice est. Portabit iniquitatem suam. *Secundū æstimationem tuam.* Constat ex hoc loco æstimationem sacerdotis referendam ad animal offerendum. & meo iudicio, æstimatio præcipue erat cuius ætatis & valoris deberet aries esse,

esse, cum hoc tamen omnia alia quæ concurrebant ad victimæ integritatem, iudicio Moseh & postmodum sacerdotum relinquebantur.

Expiabit eum sacerdos, id est, expiatum denuntiabit, aut liniet: vt. scilicet peccatum eius amplius non videatur ad vindictam à Domino.

Delictum est, id est, hostia pro delicto.

CAPITIS. V. LEVITICI IVXTA mores annotatio.

Homo cùm peccauerit, & audierit vocem iuramenti.

Vsitatum (inquit Greg.) humani generis vitium est, peccatum latendo committere, & negando defendere, & defendendo multiplicare. Rari sunt qui per sanctum Dei nomen adiurati veritatem dicant. Docet autem iste reum super peccato suo legitime interrogatum, veritatem dicere debere: quod nisi fecerit, iniquitatis suæ pœnas daturum. Itidem de eo qui peccatum alterius nouerit, nisi iudici rectè inquirenti reuelauerit. Admonemur etiam hic, quanti sit nomen Domini faciendum nobis: & quòd per illud adiurati reticenda non fit veritas. Audi quàm ægrè ferat non seruare quod per nomen eius iurasti, quod Ezechie. 17. dicit de Iechonia rege. Spreuit iuramentum vt irritaret pactum. Propterea sic dixit Dominus Deus. Viuo ego, nisi iuramentum meum quod spreuit, & fœdus meum quod irritauit, dedero in caput eius. Similiter habes hic secundum vnum huius literæ intellectum, hominem teneri indicare peccata alterius ad bonum ipsius, cum ipse illud expiare neglexerit. Et mirum valde est, hominem sic erubescere se peccatorem videri, qui tamen non erubescit esse: quos B. Bernar. in sermone circuncisionis vehementer arguit.

Homo qui tetigerit omne immundum.

Quid sic bone Deus immunditiam corporum prohibes, vt tangens quodcunq; cadauer, immundus apud te fiat? Nunquid pluris facis corporum quàm animarum maculas, vt sæpissime illas prohibeas, has verò raro vel nunquā? Sic Iudæi perperam voluntatem Domini interpretabantur: qua de causa illas maximè fugiebant, has verò nihil formidabant. Sed audi qualiter eos de his apud Isaiam priori capite docueris. Lauamini (inquit) mundi estote. Et ne putarent solā corporis munditiam ab eis exigere, addidit. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Non tam (inquit) abhorreo ab immunditiis corporum quàm cogitationum: quoniam etsi me non lateant corporis maculæ quas etiam homines vident, cordis tamen quas solus video ferre nequeo. Cogitaui apud me aliquando, vnde hominis tantum corporalis munditiæ desiderium. Videbis enim eos ad horam vix ferre immunditiam in veste, in calceo, aut pileo, minusq; in corpore, vel facie, aut quouis alio corporis membro. Et crediderim nos ita ab immunditia abhorrere, quòd facti simus ad imaginem Dei qui mundissimus est, & immunditiam ferre nequit. Vnde vox illa tam sæpius in sacris literis repetita. Sancti, id est, mūdi estote: quoniam sanctus. i. mundus sum Dominus Deus vester.

Et latuerit eum. Non iactes ō homo post tergum tuū omnia peccata tua: quoniā ponet ea Dominus ante oculos tuos. Si tu ea videris, Dominus eorū obliuiscetur: si neglexeris perspicere dominus eorū memorabitur: non arbitreris te non habere: si nōlis ea videre.

Immundus (inquit) talis est, & deliquit.

Non te mundum arbitreris, quia te non vides immundum, immundus es coram deo tuo in cuius oculis immundum apparere maximum malum est.

Homo si iuraverit bene facere vel male facere.

Placuit Domino summe hominem esse suorum peccatorum vltorem, & in se vindicare, quod Dominus erat ab eo exacturus. Neque sunt iuramenta irritanda, licet in incommodum nostrum vertantur.

Cùm confessus fuerit id super quo peccauit.

Quemadmodū dilexit dominus semper, vt peccata nō ista debita vltione puniremus, ita vt ea confiteremur. Magna enim peccatorum satisfactio cōfessio est. Neq; tamen erat satis ea confiteri, sed opus erat offerre munus præceptum. Sed considera muneris imperfectionem & infirmitatem. Iubebat enim Dominus non masculum sed fœmellam pro peccato offerri, agnam, scilicet vel hircam caprarum. Infirma res peccatum & debilis. Quemadmodum enim nihil iustitia & virtute fortius, ita nihil peccato & peccatore infirmius. Audi quid Psa. de hac re dicat. Super populum tuum callidè egerunt consilium: & consiliati sunt super absconditos tuos. Dixerunt. Venite, succidamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltra. Tabernacula Edom, & Hismahelim, Moab, & Agharim, Gebal, & Hammon, & Hamalech, & Peleset cum habitantibus Sor. Etiam Assur copulatus est eis. Expēde quæso multitudinem, & sortitudinem omnium istorum: & aduersus quos sic multiplicati sint. Aduersus absconditos Dei. Aduersus eos qui non audent coram hominibus apparere. Aduersus homines à Domino persequutos. Quoniā quē tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorē multorū vulneratorū tuorū addiderūt. Sic etiam in euāgelio apud Mat. legis Phariseos audictes Iesum filētium Saducæis imposuisse, in vnum aduersus eum cōuenisse, & (vt Chrysosto. dicit) à veritate se nudatos professi sunt, qui multitudine se armauerunt. *Psal. 68.* *Mat. 22.*

Si non attigerit manus eius sufficientiam pecoris.

Grauiora sunt peccata diuitum peccatis pauperum: quod ex hostia coniicere licebit. Soluit diues pro peccato agnam vel hircam, offert autem pauper par turturum aut duos filios colūbæ. Consideret etiā pauper, se præter paupertatem hostia indigere, neq; arbitretur se pauper egestate omnibus suis satisfeciſſe delictis.

Vnum pro peccato, alterum in holocaustum.

Aufert peccatum Domino debitum honorem: ideo præter satisfactionem pro peccato, iubetur alterum in holocaustum offerre. Et considera deum præcipere, vt pro peccato prius offeratur: quoniā non acceptat munus ad altare suum, nisi prius fratri tuo satisfeceris.

Adducet decem epha similæ pro peccato.

Mirum valde est, quod non expiet Dominus sine aliqua oblatione peccatum, quantumcunque pauper esset, aliquid illi erat offerendum Domino: vt discas, Deum aliquam, imò possibilem à nobis exigere pro peccato satisfactionem. Sunt multi qui peccata in immensum multiplicant: neque pro minimo illorum Domino satisfacere volunt.

Non ponet super eam oleum, & non ponet super eam thus: quoniam oblatio pro peccato est.

Quid faciunt qui lætantur cum male egerint, & exultant in rebus pessimis? Non vult Dominus peccatorem lætari, aut lætum videre, sed gaudet aspicere sacco indutum, cinere capite cōspersum, qualē legimus post peccatum apparuisse Achab coram eo: flentem, eiulantem, totiusque lætitiæ expertem. Iusti (ait Dauid) lætabuntur & exultabunt coram Deo: & gaudebunt in lætitia. Non est autem gaudere impiis, dicit Dominus. Prohibet etiam thus, ne putaret peccator aliquid boni odoris in se esse, quod Dominus libenter olfaceret. Si etiam per thus orationes intelligas, deprehēdes, quàm ægre ferat Dominus bona malis inuoluta. Tam horribile & fœtidum peccatū est, vt quibuscunq; illud odoribus misceas, aut respergas, fœtorem non perdat. *Psal. 67.*

Accipiet sacerdos ex ea pugillum.

Mala, imò pessima res peccatum est, vt Dominus sōlam portiunculam sacrificij pro eo velit acceptare: ita quòd non solum peccata ipsa reiicit, sed etiam sacrificium, particula excepta.

Erit sacerdoti, sicut sacrificium.

Expendant hoc in loco sacerdotes qui peccata populi manducant, se pro peccatoribus, iuste pro eis orent & à peccatis auertant daturos pœnas.

Anima si peccauerit per errorem de sanctificationibus Domini. Abstinendum valde est laicis, ne sanctificata Domino contrectare præsumant: quod si contigerit quintam partem addant.

Debit illud sacerdoti. Constat ex hoc loco, quem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

admodum ex multis aliis scripturæ, sacerdotes esse hæredes Dei: vt quod illi ablatum est, sacerdoti restituatur. Audis etiam quàm graue sit sacrarum rerum furtum: quod cum quinta parte eius quod auferatur restituendum est.

CAPITIS. VI. LEVITICI iuxta literam annotata.

Anima si peccauerit. Antequam huius legis sensum explicem, Hebraicam literam præmittam, quoniam interpretes aliqua ex suo hic addidere. Est autem iste Hebraismus.

Anima cùm peccauerit, & præuaricata fuerit præuaricationem in Domino, & negauerit socio suo depositum, vel datum in manu, vel raptum, vel extorsit à proximo suo, vel inuenit perditū, & negauerit illud, et iurauerit super mendacio: super vnū ex his quæ faciet homo ad peccandum in eis. Et erit cum peccauerit & deliquerit: restituet raptum quod rapuit, vel extortum quod extorsit, vel depositum quod depositū est apud eū, vel perditū quod inuenit.

Capite superiori & multis aliis locis admonui, ignotam Hebræis propriam significationem verbi maal, id est, præuaricari, quod dicunt significare præuaricari, aut mentiri, præsertim iuratam aut promissam seu deuotam rem: vt deduximus ex. 17. cap. Ezechielis. Aduerte etiam dictionē pecadon, esse à pachad, quod significat recordari, & visitare, & posset hic significare memoriale: siue illud sit chirographum, siue pignus. Est tamen locus Gene. 41. in quo videtur non posse aliud quàm depositum significare: vbi dicit Ioseph. Et sit esca lepichadō, id est, in depositum. Posset tamē verti. Ad memoriale. Videtur autem hic potius vertendum memoriale quā depositū: quoniā statim sequitur.

Vel datum in manu, per quod depositum intelligere videtur: propter quod Chaldæus hic vertit.

Vel pecuniam positam in manu eius, negotiationis gratia.

Aut per depositum intelligit pecuniam depositam, & per traditum seu datum in manus alias res traditas in custodiam alterius. Tertio est aduertendum nomen gazal quod rapinam vertimus, à gazal quod est rapere, ortum habere, vt Hebræi dicunt, iuxta id quod sequitur. Restituet hagazelah, id est, rapinā, quam gazal, id est, rapuit aut accepit, à quo gozal. i. pipio, sic dictus meo iudicio, quòd à nostro patris aut matris cibum capiat aut rapiat. Ponitur dictio Gen. 15. vbi dicitur. Et turturem ve gozal. i. pipionem seu pullum columbæ. Et Deutero. 32. Super gozalau, id est, pullos aut pipiones suos cubabit. Aliud autem verbum quod sequitur. ſ. & sach, proprie videtur significare occupare, detinere alienum: vt patet. Isa 52. Assur pro nihilo assacho, id est, occupauit vel detinuit eū, scilicet populum. Sic. 1. Semuelis. 12. Et dixerunt. Non assacthani, id est, occupasti, seu detinuisti nos, aut bona nostra. Est ergo his præmissis, huius legis sensus iste.

Anima cùm peccauerit, & præuaricata fuerit præuaricationem in Domino, iurando scilicet per Dominum mendacium, negando videlicet cum iuramento proximo suo depositum, scilicet pecuniæ, aut quamcunque aliam rem positam in manu eius: vel negauerit raptum, id est, id quod rapuit proximo suo, vel negauerit quod vi extorsit à proximo suo, vel inuenit amissum, & negauerit illud, & iurauerit super vno ex omnibus quæ facit homo peccādo in ipsis, seu quæ homo facere solet peccando. Et erit si peccauerit & deliquerit, scilicet dissimulando delictum, aut rapiendo seu faciendo aliquod ex his peccatis, aut peierando, reddet raptum quod rapuit, vel vi extortum quod extorsit, vel depositum quod depositum est apud eum, vel amissum quod inuenit, vel de omni super quo iurauit falsum, id est, vel omne super quo falsum iurauit, & reddet illud cum sorte eius aut cum capitali suo, & quintum ipsius addet super illud ei cuius erat: vel dabit illud die oblationis pro delicto.

Et loquitur lex hæc de his delictis quæ probari testibus nequeunt, super quibus solet iudex à reo iuramentum exigere, & ipse iuramento negat se in his rebus deliquisse: is tenebatur rem restituere cum quinta parte ipsius. Statuit etiam tempus restitutionis, quòd scilicet fieret in die oblationis: quo voluit Dominus ostendere se non placandum sacrificio, nisi homini esset satisfactum.

Secundum æstimationem tuam, quantum, scilicet ad valorem, aut ætatem, vt supra diximus, & sermo dirigitur ad Moseh & ad sacerdotes, & litera per parenthesim legenda est, quemadmodum Sanctes legit.

Hæc est lex holocausti, id est, hæc sunt cæremoniæ obseruandæ circa holocaustum, de quo iam diximus priori capit. huius libri. Tradit enim nunc modum offerendi omne genus sacrificij.

Est holocaustion propter vestimentum eius, super altare tota nocte vsque mane, id est, debet holocaustum manere tota nocte super ignem, vt totum comburatur.

Induet se sacerdos veste sua linea.

Mirum valde est, quòd tam nostri quàm Hebræi, negent dictionem mido significare mensuram, cùm radix eius sit madad quod est metiri. Significat ergo mad vestem, non qualemcunque, sed strictam, & quæ est ad mensuram corporis induentis eam. Vnde. 2. Semuelis. 20 habes. Et Ioab accinctus erat middo, id est, tunica vestimenti sui. Aut melius, mensura vestimenti sui, id est, vestimento ad mensuram suam. Quare in libro radicum dicit Rabbi Dauid (lebus) esse generale nomen significans omnem vestem: middo verò speciale, cuius dispositio nota erat apud illos. Quod vero significet strictam vestem ad mensuram corporis dispositam, quam nos iustam vocamus, patet. 1. ex loco Semue. citato. Secundo ex Psal. 109. vbi dicitur. Induit maledictionem eleemado, id est, sicut Arctum suum, seu sicut vestem strictam suam, & intrauit sicut aqua interiora eius. Vnde sicut aqua est intima potatori, ita vestis huiusmodi, erat intima induenti: quemadmodum camisia, quæ solet esse cæteris vestibus strictior. Tertio ex priori Semue. capit. 17. vbi dicitur. Induere fecit Saul Dauid madau, id est, vestes suas, vbi est sermo de vestibus quas milites induere sub armis solebant quas constat esse cæteris strictiores. Probatur etiam ex hoc loco: vbi significat vestem inferiorem lineam, quæ erat veluti camisia: quam sacerdos induebat vt expeditius ministraret.

Et femoralibus lineis induet se.

A verbo chanas quod est colligere, deriuatur michnesse, id est, colligationes, seu michnesagim, id est, femoralia: sic dicta quòd colligantur cum stringuntur.

Tollet cinerem, quem comedet ignis holocausti.

Sensus est, Tollet cinerem holocausti, quod deuorabit ignis. Solet enim Hebraismus, non curare huiusmodi verborum ordinem.

Induet se vestibus aliis. Hebraice residuis, id est, quas reliquerat.

Ista est lex oblationis. Non recte hic Sanctes vertit oblationem: quoniam non est sermo de communi oblatione, sed de peculiari sacrificij genere, quod ex farina seu simila fiebat, quod dicitur Hebraice minchah, vt diximus: ideo aut relinquendum erat nomen Hebraicum minchah, aut cum aliis vertendum munus farinaceum.

Offerent eam filij Aaron coram Domino, coram altari. Dubium est, an sacerdos debebat cū huiusmodi offerret munus, se vertere ad locum vbi erat Dominus, & versus altare thimiamatis: vel idem dictu est coram Domino, quod coram altari holocaustorum, & textus videtur priorem sensum prætendere.

Memoriale eius Domino. Id est, partem quæ Deum memorem faciat offerentis, aut quæ testetur totam esse Domino oblatam.

Non coquetur cū fermento, aut non coquetur fermentatum.

Prohibet ne sacerdotes residuum minchah fermento misceant, vt comedant, sed azymo vescantur. Aliqui hic vertunt. Non pinsetur. Sed locus Isaiæ cap. 44. conuincere videtur, verbum aphah significare potius coquere quàm pinsere, vbi dicitur. Et etiam aphah, id est, coxi super prunas.

Partem eorum, scilicet sacerdotum *dedi ex oblationibus meis,*

meis. i. volui vt residuum cederet in partē sacerdotum.

Sanctum sanctorum est, id est, sanctissimum, quòd comedere aliis quàm sacerdotibus non licet. quemadmodum neque ea quæ ex sacrificio pro peccato & pro delicto sacerdoti cedebant. Aut sanctum sanctorum ipsum, id est non solum sanctum in se, sed sanctificans tangentem vt statim sequitur.

Omnis qui tetigerit ea sanctificabitur.

Dupliciter hoc potest intelligi. Vno modo, quod nullus poterit hæc tāgere, nisi sit prius mūdus & sanctus, aut nisi illi qui sanctificati sunt, quales sacerdotes erāt, & hoc modo videtur legē intellexisse Achimelech sacerdos. 1. Samu. 21. qui postulāti Dauid dedit sanctos panes inquirēs an vasa puerorū essent sancta & mūda: & postquam munda esse cognouit concessit. Alio modo sanctificabitur, id est, sanctificatione indigebit.

Oblationis species.

Ista est oblatio Aaron. Incipit hic tractare aliam speciem oblationis, quæ capite sequenti dicitur consecratio: quæ erat oblatio faciendā à sacerdote in die consecrationis.

Decimum ephah similæ sacrificium iugi, id est, pro iugi sacrificio, & est sermo de minchah. Et de mensura ephah diximus. Exod. 16. & multis aliis locis.

Duplex vesperа apud Hebræos.

Dimidium eius vespere, id est, inter solis occasum & noctem. Diximus enim Genesis primo, duplicem esse vesperam Hebræis, scilicet spatium inter solis occasum & noctem, & hæc vocatur propriè vespera, & spatium hoc cum nocte.

Super sartaginem in oleo fiet. Videtur ex hoc loco Macabat, de quo secundo cap. huius libri diximus significare sartaginem, vel vas frixorium: ibi abunde de ea re disputauimus. *Frictam adduces eam,* id est, offeres, & est sermo de minchah.

Coctas oblationes fruſtorum offeres. Hebraice est. Cochiones minchah fruſtorum appropinquare facies. Et debet litera legi. Coctiones fruſtorum minchah: appropinquare facies. Erat enim munus illud farinaceum, quod Itali fritellam vocant, in fruſtra diuidendum, & sic Domino offerendum.

Sacerdos vnctus pro eo. Id est, illi succedens *ipsiſilius eius faciet eam.* Munus erat sacerdotis, huiusmodi fritellas Domino facere, & quod sequitur.

Tota suffictur. Hoc dicit, quia sacerdos non poterat comedere aliquam partem sacrificij sui, maximè huius. Vnde sequitur statim.

Omnem sacerdotis oblationem esse quasi holocaustum, quod totum comburebatur, neque à sacerdote aut ab alio comedi poterat. Hebraica tamen veritas habet. Omne minchah sacerdotis totū erit, id est, integrum, ita quod nulla pars illius alicui cedet: aut totum erit Domino. In hostiis enim pro peccato vel pro delicto, & pro gratiarum actione, suam partem habebat sacerdos: nisi in holocaustis & in sacrificiis quæ pro peccato suo offerebat. *Hæ est lex oblationis pro peccato.*

Hebraice est hæc est lex peccati, sed sensus bene redditus est, & describit qualiter offerenda est hostia pro peccato & pro delicto: & textus clarus est. Et quod dicitur Sanctificatio sanctificationum est, expone vt supra hoc eodem capite.

Sacerdos expians illud, comedet illud.

Id est, sacerdos offerens hostiam pro peccato hominis expiādo, comedet quod superest de sacrificio illo post oblationem Domini. Erat enim ius, vt sacerdos qui hostiam pro expiando hominis peccato offerret, dempta portione Domini, haberet residuum, & verbum chatā, quod in multis locis peccare significat, hic significat expiare siue mundare à peccato. Et quod dicitur *in atrio tabernaculi ecclesiæ.*

Comedebatur ibi, tempore quo tabernaculū durauit: postea verò ædificauit Salomon domunculas in atrio, vbi sacerdotes huiusmodi hostias comedebant.

Qui tetigerit carnem eius. Est sermo de prophano tangente carnem hostiæ pro peccato. Non enim poterat quispiam tangere huiusmodi carnes, & quod dicitur. Sanctificatur, id est, egebit sanctificatione, aut sanctus reputabitur.

Si aspersum fuerit è sanguine eius super vestem, illud super quod aspersum fuerit lauabis in loco sancto.

Hæc sententia vtcunque aliter habetur in Hebræo, quàm Sanctes vertit. Nempe sic.

Et qui asperget de sanguine eius super vestem, qui asperget super eam lauabitur in loco sancto, & potest lotio hæc ad hominē referri, & ad vestem, sed iuelius videtur vt ad vestem quam vt ad hominem referatur: quoniam homines seculares non consueuerant in loco sancto lauari.

Omnis oblatio pro peccato, cuius adducetur de sanguine eius in sanctuarium.

Idiotissimus linguæ est. pro omnis oblatio pro peccato, de cuius sanguine introducetur in sanctuarium, aut aspergendo contra velum, aut liniendo cornua altaris thimiamatis.

Non comedetur sed igni comburetur.

Et si est sermo de peccato sacerdotis, tota victima comburebatur: si verò de aliis, pars Domino comburebatur & pars sacerdoti cedebat.

CAPITIS. VI. LEVITICI ADnotata ad morum compositionem.

Anima si peccauerit, & præuaricata fuerit præuaricationem in Domino.

Arbitrantur homines bene secum agi, si delicta quæ in proximos committunt, probari nequeant, non curantes an interueniat ius iurandum, quod pro nihilo reputant, sed qui cordis inspector est, non relinquet hæc vitia impune transire, sed reddendum præcipit alienum, addita quinta parte ipsius. Et condesira hominum vecordiam, vt pluris faciant, si ab hominibus, quàm si a Deo videantur. Pij hominis est, non facere Deo præsente quæ homine vidente non auderet facere, sed stulti filij Adæ arbitrantur se à Domino non videri, postquam ipsi Deum præsentem non vident: quod extremæ dementiæ est. *Dei inuenit amissum.*

Occupauit cupiditas totum orbem, vt pauci, aut rari sint, qui inuenta restituere velint. Similiter aduerte, quanti voluerit Dominus nomen suum à nobis fieri: vt, scilicet tanti faciamus illud, imò pluris quàm si mille testes haberemus. Excedit enim diuinū testimoniū omne humanum sine vlla comparatione.

Dabit illud die oblationis. Non sinit habere vsque ad diem oblationis, sed non permittit vltra differre restitutionē, & ex hoc loco conijcere licebit quam ægre ferat Dominus alieni detentionem, vt nullo modo sacrificium sine præuia restitutione acceptet. Quid facitis, qui alienum detinetis inuito Domino, & sacrificia Domino ex rapina offertis, aut peccatis facere satis putaris, sine restitutione eorum quæ abstulistis? Non est vera pœnitentia sine restitutione.

Et oblationem pro delicto adducet Domino.

Vt scires peccata quæ in proximum fiunt Domino iniuria esse, statuit vt præter satisfactionem quam proximo facis, hostiam illi offerres, qua illi honorem debitum restitueres. Qui enim mala facit, iniurius illi est, qui prohibuit fieri.

Secundum æstimationem tuam. Æstimator diuinæ iniuriæ constituitur sacerdos, qui eius vices gerit: vt talis fiat Domino satisfactio, qualem sacerdos æstimauerit: ipse autem viderit qualis huius rei æstimator existat, ne de hoc à Domino in iudicio exigatur.

Hæc est lex holocausti. Tenentur sacerdotes scire statuta sacrificiorum, & omniū aliorum quæ ad suam pertinēt functionem; ac diſi rimina inter sacrificia, ne errare contingat, & pœnas dare. Sed proh dolor, quod nunc vix inuenias sacerdotem, qui recte nouerit ritum colendi. Legimus autem quas pœnas dederint Samaritæ: qui sine scientia hac, Deum sacrificiis suis colere præsumebant. *Induet se sacerdos veste linea, & tollet cinerem.* Dedignantur sacerdotes nostri, inferiora sui muneris officia facere: hic verò vides munus sacerdotum esse, cineres ab altari remouere. Distant ergo vilia, vt videtur, templi ministeria magnificare sacerdo- 2. Reg. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

testimoni, dedignentur hæc facere qui faciũt maiora: & iucant cum prophetа. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis q̃ habitare in tabernaculis peccatorum. Ad idẽ pertinet, q̃ iubentur igne in altari fouere. Nũc omnia inferiora fiunt in ecclesia per viles aut sæculares.

Ignis semper ardebit in altari. Ad quid quæso Domine, perpetuus in altari tuo ignis à sacerdote fouendus? Vt ostendat tibi, nullam horam præterire debere sine oblatione. Nam quia iuge debet esse sacrificium nostrum, iugis erat in altari ignis. Similiter, vt ostenderet se semper paratum ad sacrificia nostra, & ad condonanda tibi peccata, iubet parare ministrum & ignem ad sacrificia tua. Parce quæso Domine desiderijs meæ: qui enim ad momenta singula holocausta labiorum saltem tibi debetem offerre, vix semel in die ea offero. Ignis tuus paratus est ad holocausta cremanda, sed quæ crementur non apponuntur a me. Docet etiam te, ne sinas extinguere spiritus ignem, quem semel accenderit in te. Foue illum & nutri, ne extingi contingat. Tribus enim solet vt dicunt sancti, ignis foueri, nempe lignis, flatibus, & cineribus: sic & diuinus ignis bonis operibus, quæ per ligna designantur: suspiriis, & gemitibus, ac humilitate, quæ adumbrantur flatu & cinere. *Ista est lex oblationis seu minchab.*

Admoui supra, quàm vigiles esse debent sacerdotes, vt discant ceremonias cultus diuini, & cultus discrimina, & quali veneratione veneranda sunt sacra. Præcipitur enim hic, vt nemo non sacerdos sacrificia offerat, nemo nisi consecratus ad altare accedat, nullus sæcularis hæc Domino præsentet, sed filij summi sacerdotis patri, & patet Deo.

Infermentata comedent ea, in loco sancto.
Non debet famulus deliciosius viuere quã Dominus: & debet sacerdos contentari cibis Domini, nec velle comedere fermentata, si Dominus comedit azima.

Omnis masculus in filijs Aharon comedet ea.
Quemadmodum soli mares Domino ministrabant, & portabant pœnam iniquitatis sanctuarij & populi, ita soli comedebant huiusmodi sacrificia.

Omnis oblatio sacerdoti, holocaustũ erit, non comedetur.
Arrigant hic vtranque aurem sacerdotes: vt sciant nullum esse, qui eorum portet iniquitates & punitiones, sed ipsi dãturi sunt pœnas iniquitatum suarum. Licebat eis comedere partem sacrificij populi pro peccato, quoniam ipsi eius iniquitates portabant: ideo eis dicitur. Peccata populi mei comedent, sed non erat qui illorum comoderet peccata & diuinã pro eis vltionem ferret. *Sacerdos expiani illud, comedet illud.*

Hoseæ 9.

Nouerat optimè sapiens Dominus, homines propter retributionem illi administraturos, & vt ad ministerium inuitaret, ei qui plura offerebat, plura dabat, & crediderim hac de causa vigilantissimos tunc fuisse sacerdotes, nunc verò qui plus in ecclesia laborat minus manducat. *Vas testeum in quo coquetur confringetur.*

Mirabile est odium, quo Dominus peccata prosequitur, vt non solum peccata longè à se abiiciat, sed etiam vas quod sanguis hostiæ pro eo tetigit: confringi præcipiat: quo nos docet, tergere in nobis quicquid reliquiarum peccati nobis adhæsit. Adumbrat etiam locus iste, quàm viscosa res peccatum sit: vt nullo modo à vase luteo possit deflcari, sed opus sit vasa confringere. Et considera, te non esse vas æreum, aut æneum quod possit detergi, sed luteum: cui vt diximus, ita peccatum inhæret, vt non antea mundetur quam frangatur.

CAPITIS VII. LEVITICI annotationes iuxta literam.

Ista est lex oblationis pro delicto.
Hebraice habetur. Ista est lex delicti, sed sensus bene ab interprete redditus est, & est sensus. Isti ritus seu ceremoniæ sunt obseruandæ, quando oblatio pro delicto offerenda est. Admoui in principio huius libri, non satis constare, quid sit oblatio pro delicto, propter ignorantiam significationis verbi assam, quod nostri & Hebræi dicunt significare delinquere, peccare, & desolare. Ex capite tamen. 4. præcedenti, coniectura sumitur, significare peccatum factum per errorem, aut ignorantiam, contra præcepta negatiua. Dicitur enim ibidem. Anima cum peccauerit per errorem aut ignorantiam, ex omnibus præceptis Domini: quæ non sunt facienda, & fecerit vnum ex his. Posset etiam significare peccatum, quod quis solus & sine arbitro facit, iuxta significationem verbi qua significat desolare, solum relinquere. Res ad huc incerta est: ideo non ausim diffinire eam. Neque arbitreris paruum esse peccatum, quoniam aliqui dicunt delictũ esse parum peccatum, quod pro delicto habetur: quoniam peccata contra præcepta negatiua nõ sunt parua, vt furtũ, adulterium, falsum testimonium, & id genus peccata, sed dicitur delictum, quoniam homo ignorat cum illud facit se feciße, & ideo dereliquit illud ac si non peccasset, & postea cognoscit. Aut quia nullus vidit eum peccare: dissimulat Dominus pro illo satisfacere: ita quod delictum est peccatum derelictum, siue quia ignorantia factum, siue quia alij ignorant autorem: sed non paruũ, & nihil explicatius de eo habemus q̃ quod. 4. capite dicitur, vbi sic habetur. Et si omnis Synagoga. Israel erauerint, & latuerit res ab oculis congregationis, & fecerint vnum ex omnibus præceptis Domini quæ nõ sunt facienda, & deliquerint, & scitũ fuerit peccatum supeq̃ quo peccauerũt. Ex quibus verbis constat, delinquere, esse ex errore peccare, aut errare ex ignorantia, quia dicitur. Et latuerit res ab oculis congregationis. Secundo constat hunc errorem ex ignorantia esse contra præcepta negatiua, quia dicitur. Et fecerit vnum de præceptis Domini quæ non sunt facienda. Tertio constat fore postea scitum, quia sequitur. Et scitũ fuerit peccatum. Ex quibus possemus diffinire delictum esse peccatum cõtra præcepta negatiua, quod quis cum committit ignorat, & postea scit. Non tamen hanc diffinitionem quasi omnino certam lectori trado: quoniam coniecturis agor.

Leuitici Ethnici quid Ethnicus.

Diffinitio delicti.

Sanctum sanctorum ipsum. Admoui iam, duplici de causa aliquid dici sanctum sanctorum. Aut quia cõtactu sui o alia sanctificabat aut quia solis sanctis conueniebat: sicut comedere hostiam pro peccato: potest &. 3. addi: quia scilicet erat præ cæteris sanctum: sicut locus in quo erat arca dicebatur sancta sanctorũ, quia erat locus præ cæteris sanctior.

In loco quo immolabũt holocaustũ, immolabunt delictum.
Id est, hostiam pro delicto. Potest hoc intelligi de loco mactationis, sed melius de altari holocaustorum, in quo offerebatur holocaustum & hostia pro delicto. Et quod dicitur. *Sanguinem eius spargent.* subaudi sacerdos. *Et fibram cum hepate.*

Exposuimus hunc locum supra capite. 3. quem alij qui sic vertunt. Duos renes & adipem qui est in eis, qui est in ilijs. & fibram cum hepate, cum renibus remouebit. Hebraice est, pro. Et fibram cum hepate. Et residuum super graue, super renes aut iuxta renes remouebit. Et per residuum potest intelligi residuum adipis, qui super graue; id est, iecur aut hepar quod scilicet est iuxta renes, remouebit. Hebræi per residuum intelligunt rubeam carnem, epar complectentem; quæ quasi hepatis abundantia est, iuxta nominis interpretationem, speciem pinguedinis habẽtem. Et quod additur. Quod est super iecur. Rabbi Dauid Kimi idem valere dicit, ac si legatur cum iecore, vt Sanctes legit, vt præpositio al, valeat præpositionem im, seu cum, parum enim ex hepate cum reticulo tollebat. Aduerte autem hic, quòd dictio Hebraica casel, id est ilia, seu ilium, ignorę significationis est apud Hebræos, qui dicũt chesil significare stultum, diuitem, & motionẽ: chesel verò splen, & chasel ilia: quæ significata nullã conuenientiam habent inter se: mihi verò videtur nomen significare inflatum: & ilia ab inflatione aut plenitudine: res tamen nondum mihi certa est.

Oblationem Domino, Hebraice. Ignitum Domino: sicut quod sequitur. Oblatio pro delicto est. Hebraice habetur. Delictum ipsum. Sed sensus redditus est.

Sanctum sanctorum est. Id est Sanctum, quod soli sancti tangere seu comedere possunt.

Sicut oblatio pro peccato, sic & oblatio pro delicto.
Sensus redditus est. Nam ad literam habetur. Sicut peccatum, ita & delictum, id est, eædem ceremoniæ seruabuntur in hostia pro delicto: quæ in hostia pro peccato, quas statim explicat.

Sacerdotis qui expiabit illum. Scilicet delinquentem *erit.* Scilicet residuum hostiæ, dempta parte quæ Domino offerebatur.

Pellis holocausti quod obtulit: sacerdotis. Eius, scilicet qui obtulerit *erit.* Admonui iam excoriationes victimarum, munus fuisse sacerdotũ: ideo pellis hostiæ ad eum pertinebat, & licet Caietanus hic oppositum dicat, sententiam tamen mutauit. 2. Paralip. 29.

Omne sacrificium quod coquetur in clibano, & omne factum in lebete, vel in sartagine.
Confuse reddit Sanctes noster hunc locum, vertendo per commune nomen sacrificij, speciale sacrificium, quod dicitur minchah: quod erat ex farinæ flore. Ideo vertendum est. Et omne minchah siue farinaceum sacrificium, & quod sequitur. In lebete vel sartagine Diximus. 2. capite huius libri quod sentiebamus de significatione horum duorũ nominum, scilicet marchesset, quod hic Sanctes vertit lebetem, & machabat quod vertit sartaginem: quorum significatio Hebræis & nostris incerta est. Radix machabat scilicet chabah & chaba cum aleph in fine, significant latere, abscondere. Et chabah est instrumentum quo oppugnantes vrbes abscondunt se, quod nostri vocant mantas, & videtur hic significare instrumentum coquendi panem ad modum cratis, non tamen cratem: quoniam in crate ferrum non est continuum sicut hic: posses patellam vocare. Radix verò marchesset, scilicet rachas significat aut eructare, vt patet Psalmo quadragesimoquinto, aut reuoluere: vnde marchesset significat sartaginem ab eructando: quoniam oleum calidum eructare videtur, seu quasdam guttas emittere? aut instrumentum quo id quod decoquitur frequenter mouetur & voluitur, vt in sartagine sit. Vnde videtur quòd marchesset significet sartaginẽ aut vas frixorium, machabat verò patellam, vt diximus, non profundam. Nam sartago quæ latinis dicitur frixotium, est patella in qua caro aut quippiam aliud frigitur, & Hebraice dicitur à motu eorum quæ ibi frigebantur, vt dicunt Hebræi. De machabat dixit Rabbi Dauid esse instrumentum nõ profundum, vnde quod in eo coquebatur, quia non habebat profunditatem admodum torrebatur.

Quid inter machabat & machabat.

Omne minchah mixtum oleo & aridum: omnibus filijs Aharon erit, Vir sicut frater suus.
Statuerat Dominus quòd victima esset sacerdotis offerentis, dempta parte Domini. Minchah verò siue esset oleo mixtum, siue aridũ, diuidebatur inter filios summi sacerdotis, & hoc est quod dicitur. Vir sicut frater suus, scilicet habebit, in æquales diuidetur portiones, aut non magis ad vnum quàm ad alium pertinebit, & iste secundus sensus videtur germanior: quòd scilicet minchah, quemadmodum alia sacrificia pertineret ad omnes sacerdotes filios Aharon: cum hoc tamen stat quòd esset sacerdotis offerentis quicunque ille esset, modo esset ex filijs Aharon. Nam capite quinto dictum est de minchah pro peccato, quod deberet esse sacerdotis, & videtur esse intelligendum quòd esset sacerdotis offerentis, sicut oblatio pro peccato, vt textus dicit. Posset etiam esse sensus, quòd omnes sacerdotes filij Aharon possent comedere ex hoc sacrificio farinaceo. Aliqui dicunt, & bene meo iudicio, legem facere hic discrimen inter minchah crudum & coctum, quoniam coctum aliquo illorum trium modorum in litera descriptorum pertinebat ad sacerdotem, qui partem illius Domino incendebat: crudum verò decernit omnibus sacerdotibus commune. In sacrificio verò pro peccato ex aliis rebus nulla erat exceptio. Et ratio discriminis esse potest: quia munus crudũ erat in maiori copia quàm coctũ: ideo crudum diuidebatur inter omnes: non sic autem coctum.

Nam vsque hodie solẽt sacerdotes grana decimarum inter se diuidere, panes verò coctos reliquere sacrificæ aut pastori.

Si pro gratiarum actione obtulerit.
Hebraice est. Si pro confessione, & videtur esse sermo de confessione laudis: ac si dicat. Si pro laudãdo Deo, seu gratias deo agendis, scilicet pro accepto beneficio, vel si ad laudem Dei duntaxat. Nam vox Hebræa todah, & confessionem, & gratiarum actionem significat, à verbo iadah, quod est confiteri, laudare, & gratias agere. Hinc quidam hoc sacrificium factum fuisse putant, quando aliquis se peccatorem agnoscens Domino peccata sua confitebatur, & dicit Kimhi oblatum non pro aliquo peculiari peccato, sed pro omnibus peccatis offerentis. Alij verò sentiunt hoc sacrificium Domino exhibitum, quando quis super aliquo signo Dominum laudare & gratias agere voluisset, vt si esset ex vinculis liberatus, aut ex graui cõ ualuisset morbo, aut prolem ex sterili impetrasset vxore. Mihi verò videtur hoc sacrificium gratiarum actionis, exhibitum pro domus integritate, quòd Dominus cuncta quæ ad eam pertinebant seruasset: quoniam textus dicit. Hæc est lex pacificorum vel integritatum, scilicet domus: quare videtur factum pro pace & integritate domus. Diuidebatur autem hoc genus sacrificij: quia alterum vocabatur thodah, id est, laudis aut confessionis: alterum neder vel nedabah, id est, votum aut spontaneum.

Offeret pro sacrificio gratiarum actionis, placentas infermentatas mixtas oleo, & lagana infermentata vncta oleo, & similam frictam, placentas mixtas oleo.
De his omnibus diximus Exodi vigesimonono & per chalah, id est, placenta, intelligo panes primos paruos extensos, quos fœminæ conficiunt ex massa antequàm faciant alios maiores, quos aliquando non in furno sed domi sub prunis coquunt: nostri vocant bollos: quos sæpius me vidente mater fecit ad offerendum diuæ virgini: aut paruis filijs aut puellis. Nam à chalah vel chalal, est techilat quod initium significat, & chalah panis initij, id est, qui primum ex massa fiebat. Sequens verò dictio, scilicet rachich, id est, laganum, significat quid subtile à rachach quod est attenuare, & videtur aut crustulas significare, aut subtiles panes, & placentæ erant oleo mixtæ, lagana verò solummodo vnctæ. Et quod dicitur similam frictam, potest verti, similam tostam: quoniam murbechet significat tostum quid, quale solet esse frictum: vt præcedenti capite, & primo Paralipo. 23. dicitur. Et per similam tostam, aut frictam: possumus intelligere farinam consperſam, seu aqua diluram, & coctam in frixorio nostri vocant filhoos. Diluitur enim farina cum aqua, & mittitur in sartaginem, & extenditur ferè ad mensurã sartaginis, & ibi decoquitur, & postea extrahitur, & melle miscetur, & sic comeditur, & huiusmodi farina fricta, vocat hic placentas, quoniam huiusmodi panes, formam habebant placentarum, & litera sic legenda est. Offeret similam frictam modo prædicto, factam in placentis oleo mixtis, & ex hoc loco videtur chalot, id est, placentæ significare panes non altos, sed extensos, & vtcunque grossos: quos nos bollos vocamus.

Super placentas panis fermentati appropinquare faciet munus suum, super victimam laudis pacificorum vel integritatum suarum. Sensus est. Hoc ordine offeretis. Prius offeret, scilicet offerens aut sacerdos placentas panis fermentati, postea appropinquare faciet munus suum, nempe victimam gratiarum actionis, pro integritate domus. Neq; mireris hic fermentatum offerri Domino contra eius prohibitionem, cap. 2. huius libri: quoniam non offerebatur panis fermentatus ad comburendũ Domino super altare: sed bene ad esum ministrorum & offerentium: ideo poterat offerri: quoniam lex lata secundo capite huius libri habet. Quia de omni fermento, & de omni melle non suffire facietis oblationem Domino. Vbi prohibetur suffire, non autem ad cibum offerre.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et offeret ex eo vnum ex omni munere, eleuationem Domino.

Quia dixerat. Offeret placentas infermentatas, & lagana, & similam: explicat modo quod ex his omnibus vnum tantum erat Domino offerendum, scilicet ex placentis vna, ex laganis vnum, & sic de aliis. Vocat autem eleuationem Domino: quia vt sæpius dixi, munus licet cederet in sacerdotis vsum, prius tamen eleuabatur sursum, vt præsentaretur Domino qui in cœlis est. Solent enim munera eleuari, cum principi præsentantur.

Sacerdotis spargentis sanguinem erit, scilicet illud vnum quod ex omnibus Domino offerebatur. Et lata est hæc lex: quoniam solet inter ministros etiam dei, esse dissensio: cuius erunt ea quæ offeruntur.

Caro victimæ laudis, seu gratiarum actionis integritatem eius, in die qua obtulerit sacrificium suum comedetur.

Sensus est. Caro victimæ laudis, id est, quæ offertur in laudem seu ad laudandum Dominum, pro domus integritate, non seruabitur in sequentem diem: sed eadem qua offertur die, comedetur.

Si autem ex voto, vel sponte, id est, non pro beneficio accepto, vtpote pro incolumitate domus, sed pro accipiendo, scilicet ex voto: vt si Dominus dederit mihi sobolem, offeram hoc & hoc: quemadmodum fecit Anna primo Samuelis. 1. aut sponte, id est, neq; pro accepto particulari, neq; pro accipiendo, sed ad laudem Dei, quemadmodum multi offerunt: hoc sacrificium poterat comedi prima & secunda die, modo nihil illius vsque in tertiam seruaretur.

Non placebit offerens illud, neque reputabitur illi, id est, neque offerens placebit Domino offerendo: neq; reputabitur illi pro sacrificio. Perinde erit ac si non obtulisset, & verbum chasab significat reputare, computare. *Abominatio erit.*

Significat dictio Hebraica pigul, abominabile: licet Hebræi dicant significare carnẽ, cuius odor & aspectus immutati sunt. Exech. 4. dicitur. Non ingressa est os meum caro pigul. i. rei abominabilis. Et Isaiæ. 65. Et ius pigulim, id est, abominabilium rerum. Significatio non est omnino certa: quoniam dictio in scripturis rara est. Et quod sequitur.

Portabit iniquitatem suam, idem est, quòd portabit pœnam iniquitatis suæ, quam scilicet Dominus illi infligere voluisset.

Et caro quæ tetigerit omne immundum non comedetur.

Aliqui hoc intelligunt de carnibus pacificorum, iuxta subiectum sermonem. Alij verò generaliter: vt, scilicet prohibeat comedere omnem carnem quę immundum aliquid tetigerit: veluti cadauer hominis, aut reptilis, seu animalis immundi.

Excidetur anima illa è populis suis.

Exposui sæpius hanc locutionem, quam quidam interpretantur. Non pertinebit amplius ad populum Israeliticum, quæ interpretatio non placet, quoniam hoc non est proprie succisio. Hebræi verò exponunt. Immatura morte morietur, seu non perueniet ad senectam consuetam, sed neque hæc multum arridet, licet germanior præcedente sit, quòniam videtur homo seu vita hominis succidi, cùm ante tempus maturum moritur: iuxta illud Ezech. Præcisa est velut à texente vita mea. Tertius sensus est, quòd homo ille hac de causa morietur seu exterminabitur, vt amplius non viuat in populo suæ ciuitatis vel loci. Et licet aliqui peccantes non statim succiderentur Dei misericordia, digni tamen erant qui delerentur, quemadmodum diximus de Adam: cui Dominus dixit. Moriendo morieris, id est, dignus morte eris.

Anima cum tetigerit omne immundum, tam immunditiam hominis quàm animalis immundi.

Per hominis immunditiam intelligere videtur cadauer hominis: similiter hominem fluentem semine aut sanguine. Per immunditiam animalis immundi, ipsum animal intelligit, & cadauer ipsius: similiter reptilis immundi.

Omnem adipem bouis, et agni, et capræ, non comedetis.

Videtur lex hic explicare id quod tertio capite præcedenti dictum est: vbi omnis adeps videtur prohibitus, quòd videlicet non prohibetur nisi adeps, qui Domino immolari solebat: qui verò est inter partes carnis, non videtur prohibitus: quem tamen Iudæi huius temporis non audent comedere, & oleo ius carnium perfundunt & permiscent. Mouetur autem ad hoc, quoniam hic statim sequitur.

Omnis qui comederit adipem animalis, ex quo offertur oblationem Domino, excidetur. Quibus verbis videtur lex præcedens modificari. Non enim omnis adeps solebat Domino offerri: sed qui erat super renes, super ilia, & cætera: vt sæpius dictum est.

Offerens victimam integritatem suarum Domino, adducet munus eius Domino, id est, adducet ea Domino quæ ei solent offerri, scilicet omnem adipem, & quæ sint alia statim explicat: nempe adipem cum pectusculo: pectusculum inquam ad eleuandum ipsum, eleuationem coram Domino. Aut melius adducet mensuram similæ & olei ac vini quæ offerri cum carnibus solebant. Ne putaret offerens hostiam pacificam seu integritatis sibi licere totam comedere, prohibet Dominus comedere partem suam, quæ cremanda erat, & quæ in vsum cedebat sacerdotis. Eleuabatur autem pectusculum, vt Domino præsentaretur, quemadmodum iam diximus.

Offerent is sanguinẽ integritatis, & adipem è filiis Aharon. id est, armus dexter cedet in partẽ ili ex filiis Aharon, qui sanguinem & adipem Domino obtulerit. Negligit enim sæpius Hebraismus verborum ordinẽ.

Quoniam pectus ventilationis, & coxa eleuationis, tuli à filiis Israel.

Dixi alibi de significatione harum duarum dictionum, scilicet tenuphah, & terumah, quarum prior est à radice nuph quod significat suffire, & eleuare, quemadmodum eleuatur suffitus: iuxta illud Prouerbiorum septimo, Naphti, id est, suffiui cubile meum myrrha. Altera verò est à rum; quæ significat etiam eleuare: ideo aliquando interpretes vtrunque nomen eleuationem vertunt. Dicunt autem Hebræorum doctores, duplicem fuisse eleuationem. Priorem sursum ac deorsum, quã dicunt vocari terumah. Alteram antrorsum & retrorsum dextrorsum & sinistrosum, quæ dicebatur tenupah: quæ an vera sint ignoro, & huiusmodi eleuationibus significari dicunt, Deum esse totius orbis Dominum. Vide quæ diximus Exodi vigesimo nono. Soch autem, id est, armus est à radice such, quod est currere, discurrere: inde soch, id est, coxa, sic à currendo dicta: vnde Canticorum quinto habes. Soches, id est, coxæ eius columnæ marmoreæ, quare hic melius coxam quàm armum vertas.

Hæc est vnctio Aharon, & vnctio filiorum eius, id est ius quod ratione suæ vnctionis sacerdotalis habent.

De igniis Domini, id est, de his quæ Domino ad adolendum offeruntur, quod quidẽ ius incœpit in die, qua eos ad ministrandum appropinquare fecit. Aut germanius. Hæc est vnctio Aharon, id est, sacrificium, quod ratione suæ vnctionis offeret, & modus sacrificandi: *et filiorum eius quam offerent in die suæ vnctionis*, id est, quando in sacerdotes Domini consecrantur: capite enim sexto dictum est. Ista est oblatio Aharon & filiorum eius, quam offerent Domino, in die qua vngetur ipse. Et hic infra fit mentio inter sacrificiorum genera de sacrificio consecrationis, quod erat ab aliis distinctum.

Hæc est lex holocausto, minchah, oblationi pro peccato, oblationi pro delicto, & consecrationibus, & sacrificio integritatum.

Enumerant ex hoc loco Hebræi: sex sacrificiorum species: ex quibus constat latinos Theologos, non bene eas supputare, cùm solum enumerent tres, scilicet holocaustum, pro peccato, & pacificorum: neque recte aliàs reducas ad istas.

CAP. VII. LEVITICI AD eruditionem annotatio.

Ista

Ista est lex oblationis pro delicto. Sapientes in colendi modo, debent esse sacerdotes Dei, & scire omnium sacrificiorum discrimina: vnde à pueris deberent in ecclesia doceri: nunc verò (proh dolor) ex aula ad sacerdotium etiam summum vocantur.

In loco quo immolabunt holocaustum, immolabunt oblationem pro delicto. Noluit Dominus sacerdotes suos multum laborare, ideò non instituit diuersa loca ad immolandum diuersa sacrificia. Instituit similiter eadem de causa altare non longè à loco iugulationis, vt facilius posset sanguis ad illud deferri, quia in re docuit officinas ecclesiarum, non debere multum ab inuicem distare.

In loco sancto comedetur. Voluit Dominus hac lege, sacerdotes admonere sobrietatis: vt videlicet expendentes locum in quo comedebant, modum inter epulandum seruarent. Sic antiqui sancti, hac de causa manducabant sanctorum imagines in ecclesiis depingi: vt qui in ecclesiis epulabantur, eas ob oculos habentes: in cibo & potu non excederent.

Pellis holocausti quod obtulit, sacerdotis eius erit. Vnicuique dabatur ex sacrificiis, secundum suum laborem, & qui plus laborabat, plus prouentus obtinebat. Quid ergo faciunt idola illa, qui in curiis principum agentes, in labores illorum qui portant pondus diei & æstus introire volunt, & nihil ministerij facientes, operas auferunt ministrorum?

Si pro gratiarum actione obtulerit illud. Gratitudinem locus iste commendat: vnde non sunt obliuioni tradenda beneficia Dei, sed pro eis offerendum munus Deo. Isthuc tendit, quòd caro huius victimæ, non erat in crastinum seruanda: vt ostenderet non differendas gratiarum actiones, aut vt doceret non debere nos finere sancta inquinari.

Si votum vel spontaneum est sacrificium.

Vt scires Domino deo tuo esse propter se seruiendum, admonuit aliquid sibi fore sponte offerendum, non omnia ex debito vel obligatione: & liberalior erat Dominus in huiusmodi sacrificio quod liberè fiebat, quã in eo quod fiebat pro gratiarum actione, quoniam de hoc comedebat offerens, & licebat die oblationis & sequenti comedere, quod non erat in sacrificio gratiarum actionis.

Anima quæ comederit carnem pacificorum, & immunditia in ea, excidetur. Si tanta munditia requirebatur ad esum carnium pacificorum, quantam putas requiri ad commedendas carnes immaculati agni Christi?

Omnem adipem bouis, agni, & capræ non comedetis.

Sunt Deo sua peculiaria seruanda: vt non velit seruus enutriri ex cibis Domini sui, quemadmodum non debet eius vnguentis vti, vt de thimiamate diximus.

Quia pectus eleuationis. Habet Dominus iura sua, quæ vult suos ministros habere, neque sunt eis fraudandi. Multa alia quæ essent hoc capite notanda, adnotauimus capitibus superioribus, à quibus hic supersedendum putamus.

CAPITIS VIII. LEVITICI iuxta literam annotationes.

Locutus est Dominus ad Moseh dicens. Describitur hoc capite consecratio Aharon & filiorum eius, qui cum sacrificiis & vnctionibus Domino consecrabantur. Et videtur hoc caput esse executionem eorum quæ præcepit Dominus Moseh capite vigesimo octauo & vigesimonono Exodi: vbi vestes fieri præcipiuntur, & modus consecrationis eorum traditur, & ea quæ hic dicuntur explicauimus illis duobus capitibus citatis, ad quæ recurrere licebit, & per vestes intelliguntur sacerdotales, & per oleum thimiama.

Atque sportam infermentatorum. Dixi de dictione sal, id est canistrum vel sporta Genesis quadragesimo, & Exodi vigesimonono, cuius radix est salal, quod Hebræis est eleuare: vnde sal, id est, canistrum; sic ab eleuatione seu suspensione dictum. Sed meo iudicio, verbum salal potius significat calcare, & assuescere, quàm eleuare: licet non inficias eamus, posse significare etiam eleuare. Quod verò calcare significet, ex multis scripturæ locis monstrabimus, & primo ex Ieremiæ quinto capite vbi dicitur. Salauah, id est calcate eos sicut aceruos, scilicet, manipulorum. Sic Prouerbiorum decimoquinto. Semita rectorum selulah, id est trita, in qua scilicet nullum est offendiculum: vbi nostri vertunt, sed non tam benè, elenata. Idem Ieremiæ decimooctauo. Via non selulah, id est, trita, quod etiam eleuatum verunt: licet Hieronymus vertat. Itinere non trito. Et Isaiæ quinquagesimoseptimo. Solu solu, id est, eleuate eleuate viam. Quod tu germanius vertas. Terite viam, id est, facite eam assuetam. Illud etiam Iob decimonono, vbi dicitur. Vaiasolu, id est. Et eleuauerunt super me viam suam. Thargum vertit. Et calcauerunt super me viam suam. Quo modo etiam exponit Rabbi Abraham perusol: qui interpretatur, Et calcauerunt corpus meum, quemadmodum calcat quispiam viam. Locus autem Exodi nono, quem citant nostri & Hebræi ad probandum significare eleuare: vbi dicit Dominus Pharoni. Adhuc tu mistollel, id est, eleuas te super populum meum? Posset retenta propria verbi significatione verti. Adhuc tu conculcas populum meum.

Omnem congregationem congrega; ad ostium tabernaculi ecclesiæ.

Ad tria voluit Dominus populum congregari. Primum vt pro eo sacerdos offerret, eumque expiaret. Secundo ad instituendum sacerdotem, vt sciret populus Aharon & filios eius præfici sibi in sacerdotes & mediatores, & de cætero commendaret se illi. Tertio ne esset inter eos aliquis, qui postea sacerdotium ambiret, postquam omnes sciebant Aharonem à Deo sacerdotem institutum.

Induit eum pallio. Diximus de dictione meil, id est, pallium quid scilicet significaret Exodi vigesimooctauo. Erat enim vestis sub ephod, & super tunicam inferiorem. Nam prima vestis quæ scilicet primùm induebatur, erat tunica quæ cingebatur cingulo, scilicet stricto. Dicit enim Rabbi Dauid in libro radicum, nomen abnet significare cingulum fœminalium, quod probat ex eo quod dicitur infra decimosexto capite: vbi habetur. Et fœminalia linea erunt super carnem eius. Vbeabnet, id est, & cingulo lineo cinget. Hic tamen non significat cingulum fœminalium, sed cingulum absolutè, quo scilicet cingebatur tunica inferior. Post hanc tunicam sic cinctam erat meil, id est, pallium, de quo hic est sermo, quo cingebatur ephod. Significat autem ephod hic superhumerale. Et dicit Rabbi Dauid, quòd colentes Deum accingebant se ephod, scilicet sacerdos, Leuita, & Israel. Et de sacerdote cõstat primo Samuelis vigesimosecundo vbi dicitur. Et mortui sunt illa die octoginta quinque viri portantes ephod. Et de Samuele qui erat Leuita, primo Samuelis secundo. Puer accinctus ephod. Et de Dauide secundo Samuelis sexto. Et Dauid accinctus ephod. *Quot homines genere vtebantur ephod.*

Et cinxit eum cingulo superhumeralis.

Non plenè constat, an sit sensus, quod eum cinxerit cingulo quod est superhumerale, vel potius quòd cinxerit eum alio cingulo quo cingebatur superhumerale. Et prior sensus germanior videtur: non est tamen secundus abiiciendus.

Posuit in pectorali vrim tummim. Diximus abundè Exodi vigesimooctauo de significatione harum duarum dictionum: quòd, scilicet, prior significaret splendores seu inflammationes lapidum pretiosorum, secunda verò plenitudines seu lapides quatenus implebant pectorale. *Quid vrim & tummim Hebræis.*

Et posuit mitram. A sanaph quod est inuoluere, ortum habet misnephet, id est inuolucrum seu mitra, sic ab inuoluendo dicta, ea nanque caput inuoluebatur.

Ex regione faciei eius. A verbo mul, quod est præcedere

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere vel circuncidere, est mul quod Hebræis est coram vel è regione. Sed si ad verbum debeat nomen allusionem habere, significabit præcisionem, diuisionem, vel aliquid simile: & venit cum præpositione el, id est ad: ita vt liceat vertere. Ad diuisionem vel ad circumcisionem faciei: quoniam lamina descendebat ad locum quo facies à capillis capitis diuiditur. Sic Exodi decimo octauo dicitur. Esto tu populo mul haelohim, id est ad diuisionem Dei, id est quasi limes seu diuisio inter Deum & populum. Erat enim Moseh, medius inter Deum & populum: prior tamen significatio communior est. Et quod interpretati sumus laminam auream, verti posset florem auri. Est enim saiis florere, seu egredi veluti flos: & per hunc florem intelligit florem qualis esse solet in coronis. Est enim corona aurea circulus cum floribus aureis ascendentibus ex eodem auro: vnde sequitur.

Coronam sanctam, quasi explicans quid per florem seu laminam intellexerit. Aut intellexit eam laminam quæ erat super sacerdotis frontem. Vide quæ de his diximus Exodi. 29.

Sanctificauit illa, id est, à prophanis vsibus separauit dedicando ea cultui diuino: & sic intellige omnes sequentes sanctificationes: quoniam huiusmodi sanctificatio nihil aliud erat quàm separatio à prophanis, & applicatio ad cultum seu ministerium Dei.

Appropinquare fecit innocuum peccati, id est, pro peccato oblatum.

Et expiauit altare. Verbum chata contrarias habet significationes: nam & peccare, & à peccato mundare seu expiare significat.

Ad expiandum ipsum, id est, ad mundandum, aut ad liniendum ipsum, ne maculæ eius coram Domino appareant.

Arietem consecrationum. Hebraice plenitudinum, quia eius carnibus manus sacerdotum implebantur: vt in Exodo diximus.

Tulit Moseh de sanguine eius, & posuit super fibram auris Aharon dextræ. Hebraice est. Super tenerum seu teneritudinem auris: per quam intelligit inferiorem auris extremitatem, quę tenerior pars totius auris est. Constat ex hoc loco sacerdotes in tribus locis vnctos, scilicet in fibra auris dextrę, in pollice dextræ manus, & in pollice dextri pedis: per quæ ad literam significabatur sacerdotem debere habere aurem sanctam, ad audienda diuina responsa, & manum ad operanda diuina, & pedem ad exequenda opera Dei: & vt vnico verbo dicatur, voluit Dominus ad hoc ministros inungi, vt scirent se ad hoc principaliter inunctos, vt videlicet audirent mandata Dei, & opere complerent quæ audierant, & facta est vnctio potius in aure dextra, pollice & pede, quia dextram aurem magis ad audiendum accommodamus, quemadmodum manum dextram ad operandum, & pedem dextrum ad ambulandum.

Et armum dextrum. Admonui superius melius vertendum, & coxam dextram, quoniam hebraica dictio coxam potius quàm armum significare videtur.

Eleuauit ea eleuationem coram Domino.
Ad quid fieret huiusmodi eleuatio, diximus sæpius, quod ad præsentandum hæc Deo, quemadmodum solent facere qui xenia seu munera magnis dominis deferunt.

Consecrationes sunt. Hebraicè plenitudines ipsæ, *in odorem quietis: ignitum ipsum*, id est, oblationes ignitæ seu combustæ Domino, id est ad honorem Domini sunt. Sic cum dicitur.

De ariete consecrationum, tu verte *plenitudinum*, id est, quo manus implebantur sacerdotum.

Coquite carnem, scilicet arietis immolati.

In canistro consecrationis. Hebraicè plenitudinum, id est in quo erant panes quibus manus sacerdotum implebantur. Quod autem huiusmodi plenitudines, sint sacrificia quibus manus implebãt ad offerendum Domino, ex hoc eodem capite constat. Dicitur enim paulò ante, Moseh tulisse adipem, & caudã, & fibram iecoris, & duos renes, & armum dextrum, & tortam infermentatam de canistro, & tortam panis oleati, & laganum vnum, & posuisse omnia hæc super volas Aharon & filiorum eius, & eleuasse ea eleuatione coram Domino.

Ex ostio tabernaculi ecclesiæ non egredieminí septem diebus, vsque in diem quo completi fuerint dies plenitudinum vestrarum, id est, vsque in diem quo complebitis offerre Domino manus plenas sacrificiis: vnde sequitur. Quia septem diebus implebitis manus vestras. Alij pro implebitis vertunt consecrabitis.

Quemadmodum fecit in die hac, scilicet quisque vestrum. Aut quemadmodum fecit, scilicet Moseh. Consuevit enim hebraismus frequẽter personam mutare, vt in hebraismis admonuimus, & quemadmodum fecit, posuit *pro* quemadmodum fecit.

Ad expiandum vos. Aut ad liniendum super vos. Erant enim hæ ceremoniæ liniliones, quæ tegebant immunditias sacerdotum, ne scilicet Dominus eas videret ad puniendum, quemadmodum sacræ vestes tegebant sacerdotem, ne eius immũda viderentur à Domino.

Custodietis custodiam Domini. Per custodiam possumus templum & alia sacra quę in eo erant intelligere, & etiam ea quæ ipse custodire præcepit, scilicet, leges sibi perscriptas.

In manu Moseh, id est per manum aut eo intermedio, vt in hebraismis diximus, quoniam manibus consueuimus operari.

CAPITIS. VIII. IVXTA MORES annotationes.

PAuca sunt quæ hoc capite iuxta mores notanda occurrunt, quoniam fermè omnia quæ hic dici possent tractata sunt Exodi vigesimo octauo & trigesimo nono.

Omnem congregationem congrega. Arguit locus iste negligentiam nostram in diuino ministerio, qui expectamus, vt ipse à nobis exigat cultus sui ministros. Isthuc enim tendit hæc ecclesię congregatio: vt scilicet offerat Domino ministros, qui illi ministrarent. Similiter admonet, qualiter debeat ecclesia scire & cognoscere illos, qui sibi in ministros à Deo dantur. Vt etiam sacerdotes aduerterent non huius aut illius esse sacerdotes, sed totius populi: vltimo vt nemo de cætero sibi per sacerdotio contenderet, scientes eos quos Dominus in sacerdotes suos delegisset.

Lauit eos aqua. Primum quòd sacerdos mundare debet est intimum suum. Quid enim proderit si vestes habeas pretiosissimas, auro & gemmis fulgeas, si intus plenus sis rapina & dolo? Hac de causa, vt reor, præcipit corpora lauari, ne interiores sordes, sanctas vestes superindutas macularent.

Posuit super eum tunicam. Admonui supra, nihil nostrum Deum voluisse in nobis videre, quoniam inquinata sunt omnia nostra, ideò voluit sacerdotem vestibus sanctis indui, & inungi oleo sancto, & sic cuncta tabernaculi vtensilia. Similiter sacerdotes hac vnctionis ceremonia admonere voluit, post consecrationem suam non debere esse qui ante consecrationem fuere, sed debere in alteros viros mutari, quemadmodum legimus de Saule adepto Regno. *1. Sam.*

Appropinquare fecit iuuencum pro peccato. Ne se sacerdos putaret sine peccato coram Deo, quoniam aliorum expiabat peccata, voluit Dominus eum se publicè in sacrificio suo fateri peccatorem.

Expiauit altare. Ab immundo (ait Salomon) quis mundabitur? Postquam sacerdos mundus effectus est, omnia alia consecrat & expiat: vt ostendat sacerdotes prius debere seipsos mundare, quàm alios mundare præsumant. *Eccles.*

Combussit igni extra castra. Duo locus iste (vt sæpius diximus) adumbrat. Alterum quòd nihil reliquiarum peccati debet manere apud peccatorẽ postquam mundatus est. Secundo quàm longè abiiciendæ sunt à nobis

nobis peccatorum reliquiæ, & omnia comburenda vt nihil memoriæ eius relinquatur.

Appropinquare fecit arietem holocausti.
Aufert peccator quoad potest Deo debitum honorẽ, ideò præter iuuencum, iubetur arietem in holocaustum offerre.

Tulit de sanguine eius, & posuit super fibram auris dextræ Aharon. Voluit Dominus hac sanguinis liniticne ostendere, vt quoties sacerdoti aliquid occurreret faciendum, memor esset suæ vnctionis, & debere lenes aures habere ad audienda diuina mandata. Similiter vt intelligeret se sanguinis pœnas daturum, si mandata diuina, aut non audiret, aut non opere compleret.

Duæ et obliniones dei cum maiestate offenda. *Eleuauit illud eleuatione.* Non sat est, Domino munus tuum offerre, nisi illud debita maiestate offeras.

Tulit ex oleo vnctionis & sanguinem, & asperfit situ per Aharon & super vestes eius. Non debet in sacerdote esse sine oleo sanguis, neq; sine sanguine oleum: cum enim constituerentur populi iudex, nõ solum misereri sed punire reos debebat, neque habere sine iustitia misericordiam, neque sine misericordia iustitiam. Similiter ostendit nullum esse verè sanctum, in quo sit iustitia sine misericordia, aut misericordia sine iustitia, quoniam sequitur.

Ad sanctificandum eos. Coquite carnem & comedite ad ostium ecclesiæ. Conflat ex hoc loco, licere sacerdotibus iuxta templa cibos parare & comedere: quod etiam sancti Patres in primitiua ecclesia permittebant.

Quod superest de carne, igni comburetis.
Non sunt omnia residua panperibus eroganda, præsertim quæ non possunt licitè in eorum vsum venire. *Mat. 26.* Clamabat Iudas, Vt quid perditio hæc? Potuit hoc vnguentum vendi ac panperibus erogari: sed à Christo audiuit: bonum opus operata est in me. Nam semper panperes habebitis vobiscum, ac si diceret. Eleemosynæ opus semper ad manum est, postquam panperes sunt apud vos, sed opus hoc religionis nõ semper erit in vestra potestate, quoniam me non semper præsentem habebitis. Quæ autem sequuntur ad custodiam rerum diuinarum pertinent. Vnguntur autem sacerdotes Domini, etiam vt misericordes sint, quoniam non decet misericordis Domini ministrum esse crudelem.

CAPITIS. IX. LEVITICI ANnotationes iuxta literam.

ET *fuit in die octaua.* Sunt qui hanc octauam diem dicunt fuisse octauam mensis Martij, secundi anni exitus Iudæorum ex Ægypto, licet Rabbini dicant hæc gesta primo anno egressionis eorum, mihi verò videtur hanc octauam diem fuisse post septem præcedentes dies consecrationis sacerdotum. Dictum est enim præcedenti capite Moseh præcepisse Aharoni & filiis eius, vt non egrederentur ostium sanctuarij septem diebus. Fuit ergo in die octaua, scilicet post istos septem dies quibus sacerdotes fuerunt ad ostium tabernaculi.

Et sacrificium consperfum oleo. Admonui sæpius Sacrificium pro minchah vertere sacrificium, sed non bene, quoniam licet aliquando minchah significet sacrificium in communi, hic tamen significat certum genus: ipsum de quo superius diximus, capite secundo. Et quod dictum est. Pro pacificis, tu verte, pro integritatibus, quoniam vt sæpius admonuimus, hoc genus sacrificij fiebat pro domus integritate.

Quia hodie conspectus est Dominus vobis.
Accipitur hic præteritum pro futuro, vt sæpius Hebræis accidit. Nam hucusque non legimus Deum sacerdotibus apparuisse: sed bene inferius dicitur eos gloriam Domini in ignis miraculo vidisse, neque aliter Dominus illis conspectus est, quàm in effectu immissi ignis.

Hoc verbum quod præcepit Dominus, facietis.
Sumitur hic verbum pro re præcepta, vt communiter in Hebraismo accipitur.

Et conspiciatur vobis gloria Domini.
Admonui vltimo capite Exodi super illud. Gloria Domini impleuit tabernaculum, per Gloriam Domini intelligi illa quæ præsentiam Domini ostendebant, & quæ illum supare solent, quemadmodum lux, nebula, ignis, & alia quæ Dominum adelle significabant: vnde omne signum insolitum seu miraculum potest dici gloria Domini, quoniam & præsentiam illius ostendit & eum glorificat, seu gloriosum nobis reddit. Hic autem videtur significare miraculosum ignem, quem Dominus misit ad deuorandum sacerdotis oblationem, quod in veteri lege erat complacentiæ signum, sicut de Abel legimus, Geneseos quarto, & de Dauide primo Paralipomenon vigesimoprimo, & de Salomone secundo Paralipomenon septimo, & de Helia secundo Regum decimooctauo. Iste autem ignis duranit vsque ad templi Salomonici institutionem: quo tempore rursum renouatus est de cœlis, & ab eo tempore vsque ad tempora Menassich, vt tradunt Hebræi: secundo verò Machabæorum dicitur, tempore Babylonicæ captiuitatis fuisse absconditum, vsque ad reditum Iudæorum inde. Consulto omittimus hic Iudæorum fabellam, de figura leonis in hoc igne. *Gloria quid per gloriam Domini intelligat hebraismus.*

Fac oblationem pro peccato tuo. Sensus redditus est, Hebraicè habetur. Fac peccatum tuum.

Expiate & populum. Aut, *Expiationem facte & pro populo.* Verbum chappar, vt sæpius admonui, significat linire, & etiam expiare, & quod dicitur pro te & populo. Hebraicè est. In vsque ad te, & in vsque ad populum. *Parumerunt si filij Aharon sanguinem.*
Verbum masa quod hic ponitur significat inuenire: extendunt tamen Hebræi illud ad significandum sufficere, & parare, propter aliquot locos scripturæ, in quibus non bene quadrat inuenire, quemadmodum hic, & Iehosuah decimoseptimo vbi dicitur. Non limase, id est, sufficiet nobis mons. Quo in loco non tam bellè vertas. Non inuenietur nobis mons. Sic Zachariæ decimo. Et non limase, id est, sufficiet eis. Licet hunc locum Rabbi Dauid cum Hieronymo vertant. Et non inuenietur eis locus. Et hic verti posset. Et inuenire fecerunt ei filij Aharon sanguinem, id est, obtulerunt.

Et fibram hepatis. Hebraicè. Residuum grauis, quod Munsterus vertit, abundantiam iecoris, de quibus sæpius diximus.

Parauerunt ei filij Aharon sanguinem. Hebraicè inuenire fecerunt sanguinem, seu occurrerunt ei sanguine, aut obtulerunt, vt dictum diximus. Sic cum consequenter dicitur.

Et holocaustum immisere fecerunt eum, cum frustis & capite. Omnia enim hæc, filij patri suo offerebant: ita vt non opus esset amplius quærere.

Suffire fecit super holocaustum. Erat enim holocaustum primum sacrificium mane, & post illud poterant alia offerri: vltimum vero veiperi etiam erat holocaustum.

Pro peccato fecit illum sicut primum. Sanctes nostri in priori editione vertit. Et mundauit: sed verbum chata peccare, aut pro peccato offerre significat: & etiam a peccato mundare, & ad hanc significationem respexisse videtur, quæ tamen parum loco huic conuenit.

Fecit illud iuxta morem. Hebraicè habetur. Secundum iudicium, quod verti potest. Secundum statutum seu præceptum: licet sæpius mispat morem & consuetudinem significet. Radix tamen nominis, scilicet, sapat, iudicare significat.

Ablulit minchah, & implenit volam suam ex ipso.
Admonui sæpius, quod cùm minchah sit certum sacrificij genus, non debet verti, sacrificium aut munus, nisi aliquid addatur quod illud explicet. Et quod sequitur,

Præter holocaustum matutinum. Potest per holocaustum

sum matutinum agnus qui offerebatur intelligi, & minchah quod cum illo offerebatur, & videtur quòd sit potius intelligendum de minchah.

Posuerunt adipes super pectora, scilicet, bouis & arietis.

Pectora & armum dextrum eleuauit Aharon, eleuationem coram Domino. Iam dixi nomen hebraicum toch, quod nostri vertunt armum, significare potius coxam. Diximus etiam qualiter hæc coram Domino eleuarentur sursum: vt scilicet præsentarentur Domino cuius sedes in cœlo est.

Et eleuauit Aharon manum suam ad populum, & benedixit eis. Confitebuntur Iudæi filios benedicere eleuando manum, & ponendo apertam super caput benedicendi, quem modum ex duobus scripturæ locis se habere putant. Primum ex hoc: vbi dicitur Aharonem manum eleuasse ad benedicendum populum. Secundo ex hoc capite quadragesimooctauo Geneseos, vbi dicitur Iacob tranluersas manus posuisse super capita Menasseh & Ephraim. Verbum autem quæ sacerdotes dicturi erãt cum alicui benedicerent, ponuntur Numeri sexto.

Modus benedicendi apud Heb.

Conspecta est gloria Domini omni populo, id est præsentia. Aut per gloriã Domini intelligit ignem, quem Dominus de cœlo misit ad sacrificium comburẽdum: quòd fuit apud Patres signum diuinæ acceptationis: vt ex multis scripturæ locis constat: vt Iudicum sexto de Gedeone. Et secundo Paralipom. septimo de Salomone, & tertio Regum decimooctauo de Helia. Et Iudicum decimoterrio de Manoach. Vocantur autem ignis, nebula, & lux, gloria Domini, quoniam his signatus aut tectus dominus videbatur cùm loquebatur: de quibus habes Psalmo. 103. Domine Deus mi, magnificatus es vehementer, gloriam & decorem indutus es, & sequitur. Qui operit se lumine sicut vestimento, qui ponit nubes currum suum. Et Salomon primo Regum octauo. Dominus dixit quòd habitaret in nebula. Et Psalmo decimoseptimo. Posuit tenebras latibulum suum.

Vidit omnis populus, & laudauerunt. Verbum hebraicum ranan quod hic ponitur, significat propriè clamare, seu vociferando laudare, vt patet Threnorum secundo. Surge roni, id est, clama in nocte. Et Isaiæ vigesimoquarto. Ipsi eleuabunt vocem suam, iaronu, id est clamabunt aut canent. Vnde Rabbi Dauid dicit in libro radi. quòd ranan est fortiter clamare, siue cantando, siue lugendo, siue ob præconium & laudem.

IN CAPVT. IX. LEVITICI AD mores annotationes.

PAuca hoc capite iuxta mores annotanda occurrunt, ideò sub breuibus transibimus illud.

Tolle tibi vitulum filium bouis pro peccato. Admonet hoc capite Dominus sacerdotes, quales accedere debeant ad aliorum peccata expianda, nempè sine peccato, & vt hostiã prius pro peccato suo quam populi offerant, & quemadmodum populus pecuniã sua, hostiam qua expiandus est emere debet, ita & sacerdos.

Et minchah conspersum oleo, quia hodie Dominus conspectus est vobis. Docetur hic homo qualiter se debeat præparare, cum Deo suo occurrere debet, nempè omni genere sacrificiorum. Debet enim cum cognoscere peccatorum suorum condonatorem, & benefactorem & se peccatorem: ac se omnibus indigere. Neque sine causã additur minchah oleo conspersum: sed docetur lenimine quodam, Deo peccatis huis offenso occurrere. Omnia autem hæc adumbrant, peccatorem nunquam sine munere placatiuo debere coram Deo suo apparere, quemadmodum de beata Magdalena legimus.

Steterunt coram Domino. Solebant Iudæi quondam stantes orare, quemadmodum constat ex multis scripturæ locis, vsque ad tempora Christi. Nam Lucæ. 18. habes. Pharisæus autem stans: hæc apud se orabat. Idem Matthæi 6. de hypocritis. Licet primo Regum capite octauo dicatur Salomonem flexis genibus leuatisque manibus orasse.

Modus orãdi apud Hebreos.

Obtulerunt filij Aharon illi sanguinem. Debent inferioris gradus ministri, & minores sacerdotes, superioribus ministrare.

Lauit intestinum & crura. Omnia quæ Domino offerri debent, prius esse mundanda docet locus iste neque aliquid sordidum, etiam corpore, illi offerendum quoniam mundissimus est.

Suffire fecit super holocaustum. Fœdissimus & fetidus est peccatorum odor, vt non acceptaret Dominus odorem hostiæ pro eo, nisi illum præcessisset odor holocausti.

Pectora & armum dextrum eleuauit Aharon. Non debet sacerdos sacrificij primitias accipere, antequam sint Domino oblatæ, sed expectare vt prius Deo præsentẽtur, quod quia summus sacerdos Heli omisit, grauissimas pœnas dedit. 1. Sam. 2.

Eleuauit Aharon manum suam ad populum. Munus sacerdotum semper fuit, populo vice Domini benedicere, & quomodo id fiebat textus clarè explicat. Sacerdotes vero nouæ legis eleuata manu, cruce facta, benedicere solent: vt virtus crucifixi super benedictum copiosè descendat. Habes etiam hic quid valeat sacerdotalis benedictio, quam sequutus est ignis miraculose datus, & visio gloriæ Domini.

Mores in mediis sacrificiis.

Vidit omnis populus, & laudauerunt. Nullus debet miracula & stupenda domini facta videre, quin in eius laudes prorumpat, & cum hoc Deum timeat, qui potest nos mirabiliter punire, quod insinuat casus superfacies suas.

Miracula alia præcedunt, alia sequuntur.

CAPITIS. X. IVXTA LITEteram annotationes.

ACcipientes filij *Aharon Nadab & Abihu vir thuribulum suum.* Dictio hebraica machtah, id est thuribulum à chata quod est accipere ortum habet, licet significatio non sit omnino perspicua, fiunt tamen aliquot in scriptura loci, quibus hoc significare videtur: vt patet Isaiæ, 30. vbi dicitur. Lachtot es, id est, ad accipiendum ignem de incendio. Et Prouerbiorum vigesimoquinto. Quia prunas tu choteh, id est accipis caput eius, vnde machtah non solùm acerram seu thuribulum, sed omne vas quo ignis accipitur significare videtur.

Obtulerunt coram Domino ignem alienum, quod non præcepit eis. Dicitur hic alienus ignis, omnis qui non erat Domini, seu ex altari holocaustorum desumptus: ille verò dicebatur ignis Domini, quoniam à Domino fuerat mirabiliter concessus vt dictum est præcedenti capite, & præ se ferri textus duplex iuuenum peccatum. Alterum, quòd thimiama posuerunt, antequam ignem coram Domino introducerent. Dicit enim textus, eos posuisse ignem & suffimentum, postea obtulisse coram Domino. Alterum, quod ignem alienum acceperunt, vt in eo thimiama suffirent. Aduerte etiam circa dictionem zarah quam alienam vertimus. Hebræos grammaticos confundere meo iudicio, radicem zarah cum radice zur, & ideo significata vnius alteri tribuunt, & etiam nazar, cui eadem tribuunt significata quæ zarah & zur. Putarem ego nomen zorah, id est, alienus non à zur (vt Hebræi dicunt) derivari, sed à zarah, vt ex significatione conuincitur. Nam zarah, significat spargere, ventilare, quod ventilans dispergat id quod ventilat: vt patet Ruth tertiõ. Ecce ipse zoreh, id est ventilat aream hordei, Item Ierem. 4. Non lizrot, id est, ad ventilandum. Hinc zarah, id est, alienus quasi ventilatus hinc inde, iuxta illud Ierem. 49. Ventilabo eos in omnes gentes. Et Ezechie. 5. &c. 22. Zur verò videtur propriè significare premere, & comprimere. Quæ autem ventilare in radice zur significare dicuntur, ea potius à zarah derivata crediderim, & iuxta eius significationem interpretanda, quæ autem sunt

sunt à zur iuxta eius significationem & non iuxta significationem zarah, quemadmodum illud Psal. 73. Non zaru, id est, sunt alienati à desiderio suo: vbi verbum zur iuxta significationem zarah nostri & hebræi interpretantur: sed posset melius retenta propria verbi significatione verti. Non sunt compressi seu repressi à desiderio suo: ac si dicat. Concessum est eis quod desiderabant. Illud etiam Iob. 19. quod nostri verterunt. Cognoscentes me, veruntamen zaru, id est alienauerunt se a me, verti potest. Retraxerunt se à me. Quod nos significantius efferimus. Encolheramse pera mim, aut restrinxerunt se mihi, seu erga me: non tamen prohibeo si hebræorum sententiam tenere velis: & forte alienus dicitur zarah à zur, quod est comprimere: quòd quasi ab omnibus comprimatur. Diximus de verbi significatione Exodi. 25.

Egressus est ignis à facie Domini, id est, à loco versus quem erat facies Domini, aut qui erat ante faciem Domini. Loquitur scriptura de deo more humano, quasi haberet faciem versus ostium tabernaculi. Nam quemadmodum egressus est ad comburenda sacrificia Aharonis: ita & ad comburendos iuuenes.

Et comedit eos, id est, illorum præcordia: infra enim dicitur corpora illorum, & quod plus est vestes lineas in quibus ministrabant, non fuisse comsumptas ab igne.

Hoc est quod loquutus est Dominus. Non plene constat quo loco, aut tempore Dominus dixerit verba hæc. Ex quo conuincitur multa à Domino fuisse dicta, quæ non sunt scripta. Hebræi tamen citant illud quod dictum est Exodi decimonono vbi Dominus dixit: Sed & sacerdotes qui applicati sunt ad Dominum, sanctificent se, ne forte Dominus dissipet eos, qui locus videtur hoc sonare.

Locus vtrumque diffidilis.

In propinquis meis sanctificabor, & coram omni populo glorificabor. Prædixi sæpius verbum chadas, id est, sanctificare, significare potius separare, seu idem esse sanctum esse, quòd separatum esse à pollutionibus. Per propinquos autem hic domesticos seu sacerdotes intelligit, & est sensus horum verborum. Ostendam me separatum à peccatis & immunditiis, seu me mundum ab omni peccato castigando peccata propinquorum meorum. Qui enim aliorum peccata castigat, debet esse à peccato immunis, iuxta illud Psal. Existimasti iniquè quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam, & ex hoc apparet Dominus gloriosus, aut glorificatur à populo, quoniam non parcit peccatis domesticorum suorum. Reputat enim populus eos principes iustos, qui à domo sua, iudicium & punitionem incipiunt, & iste meo iudicio, est huius literæ germanus sensus. Sunt qui exponunt. Agnoscat sanctus ex munditia & sanctitate ministrorum nõ permittens malos mihi ministrare, neque iste sensus displicet.

Et siluit Aharon. Ne fortè Aharon prorumperet in blasphema verba ex inopinata filiorum suorum morte & occideretur à Deo, præuenit Moseh eum præcedentibus verbis dicens Deum dixisse, *& sanctificaretur in propinquis suis*, quod cognoscens Aharon siluit, vt hic dicitur. Verbum autem dum, id est, silete quod hic ponitur, sicut damam propriè silere significat: sed sunt aliquot in scriptura loci, qui significationem hanc turbare videntur: vbi nullo modo videtur hæc significatio conuenire, sicut Iosuah. 10. vbi dicitur. Sol in Gibon dem, id est, expecta vel sta. Vbi non rectè vertas sile: posset tamen propria significatio sustineri verten do. Sol in Gibon sile, id est, ad modum silentis qui verba reprimit, te habe. Sic primo Regum decimonono, vbi nostri vertunt. Et post ignem vox demamah, id est tenuis, vt noster vertit, vbi posset tam benè verti, vox silentii, id est, summissa, qualis in silentio esse solet. Sic Isaiæ vigesimoprimo, vbi nostri vertunt. Onus dumah, ad me clamat è Sehir, quo loco si veritas onus silentij ad me clamat è Sehir, nullo modo videtur loco conuenire: sed si dumah non est proprium nomen loci, retenta propria significatione verti posset. Onus silentij, id est, dura captiuitas populi Israelitici silentis, clamat ad me è Sehir, id est, ex Edomea, vbi captiuus detinetur.

Filios Vziel patrui Aharon. Significat dictio hebraica dod patruum, vt patet hic. Dad tamen quod videtur esse radix ilod, significat mammam, vt patet. Ezechielis vigesimotertio, vbi dicitur. Ibi confregerunt dade, id est, vbera virginitatis earum. Et Prouerbiorum quinto. Dadeha, id est, vbera eius inebrient te. Dicunt autem Hebræi dod significare præter patruum dilectum, quod probant ex capite quinto Cantici canticorum, vbi interpretantur dilectum, sed re vera significat collactaneum, quod probatur tum ex radice quæ significat mammam, tum quia cap. 8. ille qui aliis cap. vocatur amor seu dilectus, vocatur collactaneus. Dicitur enim ibidem. Quis det te veluti fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt te inueniam foris? Quo in loco vides sponsam explicare quis fuerit sponsus: vnde vbi isti vertunt dilectus, tu vertere potes collactaneum. Quod verò significet patruum, ex capite. 18 huius libri comuincitur, vbi habetur. Ad vxorem eius, scilicet, fratris patris tui non accedes. Dodatechia, id est, patruus tuus.

Solebant Iudæi luctus gratia vestimenta scindere ac capita nudare.

Appropinquate & leuate fratres vestros è conspectu sanctificationis, extra castra. Sensus est. Accedite seu intrate tabernaculum, & leuate, scilicet, à terra cadauera fratrum vestrorum, id est, consanguineorum Quod autem dicitur. Extra castra, erat mos in Israel, mortuos extra castra sepelire: vt patet Lucæ septimo de filio viduæ, qui extra portam ciuitatis efferebatur. Ratio quare extra vrbem mortui sepeliebantur est, quia locus in quo mortuus iacebat immundus reputabatur, quemadmodum cadauera ipsa.

Capita vestra non nudabitis, & vestimenta vestra non scindatis. Ignota est Hebræis propria significatio verbi para, id est nudare: ideò et multas ac diuersas tribuunt, scilicet deficere, rebellare, elongare, cessare, nudare, vlcisci, occultare, & retrocedere, & denique eam mutant prout contexturæ conuenire coguouerint. Sed si quis rectè verbi significationem expendat ex locis quibus ponitur, deprehendet propriè significare nudare, denudare, manifestare, ad quod probandum multa loca citauimus ex sacris literis. Exodi trigesimo secundo, quem locum consulere licebit, ne toties eadem repetamus. Mos enim lugẽtis erat caput nudare, vestimentaque scindere. Et de vestium scissione habet Iob secundo capite, vbi legitur amicos Iob, vestimenta sua scidisse. De capite verò ex hoc loco constare videtur, & Isaiæ tertio vbi dicitur Deum capita filiarum Sion nudaturum. Neque te turbet id quod dicitur secundo Semuelis decimonono de Dauide, quòd operuerit se lugens Absalon, quoniam non dicitur ibidem eum caput operuisse sed faciem. Iubet autem Dominus sacerdotibus capita non nudare, scilicet mitris, & aliis sacerdotalibus indumentis capitis, aut melius non tradi.

Et super omnem synagogam non irascetur. Significat verbum cassaph seruere, bullire ira, vt patet Geneseos quadragesimoprimo, vbi dicitur. Paroh chasaph, id est ferbuit ira in seruos suos. Hinc cheseph, id est ira, feruor, & etiam spuma, quòd aqua bulliens, spumam emittat. Hoseph decimo Checheseph, id est, sicut spuma super faciem aquarum. Inde etiam chesaphah, quod nostri & Hebræi vertunt decorticationem Iohelis primo. Posuit, scilicet inimicus ficum meam lichsaphah, id est, in decorticationem, vbi verti posset. In decoctionem.

Vinum & sechar non bibes, tu & filij tui. Colligunt ex hoc loco Hebræi iuuenes istos filios Aharon, benè potos fuisse, & ex potus turbatione non aduertisse ignem esse alienum, & propter hoc Dominum potum omne inebriatiuum sacerdotibus interdixisse. Significat autem sechar omnem potum inebriatiuum & nomen latinum siceram à sechar hebraico nomine ortum habuisse crediderim. Inde eschar, quod Hebræi munus interpretantur: sed crediderim non quodcunque

Universidad de Deusto
Biblioteca

cunque munus, sed potabile significare. Neque illis perpetuo potus vini interdicitur : sed solum cum essent in tabernaculum Domini intraturi : vt textus dicit.

Ad diuidendum inter sanctum & prophanum. Videntur sanctum & prophanum hic referenda esse ad locum, vestes, vt alia sancta tu scilicet discernas inter rem sanctam, id est, diutnis vsibus applicatam, & prophanam, id est, quæ pertinet ad vsus humanos. Mundum verò & immundum ad homines & animalia munda vel immunda refertur. Debebat enim sacerdos iudicare de munditia vel immunditia leprosi, & aliarum rerum.

Et ad docendum filios Israel. Propter tria sacerdotis munera, illi vinum & potus inebriatiuus interdicuntur, scilicet quia intraturus erat domum Dei, & coram Deo ministraturus, in cuius conspectu turpe erat ebrium apparere, & etiam ministrare. Minister enim epotus facilè in ministerio impingit, & errat. Secundo quia iudicaturus erat de munditia & immunditia: iudex verò ebrius non rectè discernere potest. Tertio quia docturus erat plebem, doctorem autem non expedit ebriosum esse. Et aduerte quòd dictio chol, quod prophanum vertimus, à chalal quod est polluere ortum habet, & quia prophanum reputatur pollutum, textus benè redditus est.

Accipite minchah reſiduum de ignitis Domini. Sanctes vertit. Tollite sacrificium relictum ex oblationibus Domini: sed hebraicè habetur vt diximus, & est sensus. Accipite reſiduum minchah, de his quæ Domino incenduntur. Pertinebat enim ad sacerdotem reſiduum similæ, præter pugillum eius, qui Domino incendebatur.

Sanctum sanctorum est, id est, quia sic separatum est, vt aliis nō liceat ex eo comedere, seu res cuius vsus solis sanctis conuenit.

Quia ſtatutum tibi, & ſtatutum filiis tuis eſt, id est, portio statuta dari tibi à Domino, seu pars decreta tibi dari.

De ſacrificiis pacificorum filiorum Iſrael. Melius, integritatum, quoniam vt frequenter admonuimus huiusmodi sacrificium pro domus integritate offerebatur, & de hoc sacrificij genere poterant etiam fœminæ vesci filiæ sacerdotum,

Armum exaltationis, & pectus eleuationis ſuper oblationes adipum adducent, ad eleuandum eleuationem coram Domino. Admonuit iam supra armum & pectus, prius coram Domino eleuanda, vt scilicet illi quasi in cœlo residenti præsentarentur, postea verò in sacerdotis vsum cedebant. Dixi etiam, non facilè esse inuenire discrimen inter illa duo nomina, scilicet tenuphah & terumah. Videtur tamen tenuphah significare eleuationem per modum fustitus. Aliqui pro armo coxam interpretantur, & fortè germanius.

Ad leuandum iniquitatem cœtus, id est, ideò vobis huiusmodi portiones dant filij Israel : vt pœnam iniquitatis eorum portetis coram Domino, præsertim quam committunt in sanctitatem. Aut si iniquitas pro peccato accipiatur, sensus est: vt ab eis leuetis peccata, sacrilegij præsertim, expiando eos à peccatis. Prior tamen sensus simplicior est.

Euenerunt mihi ſicut hæc, id est, sicut in præsenti vides.

Numquid placebit in oculis Domini? quod scilicet ego vultu tristi, & mœsto animo, coram eo comedam? Quasi dicat. Non.

CAPITIS. X. AD MORVM compositionem annotationes.

Obtulerunt coram Domino ignem alienum, quod non præcepit eis. Non constat quo loco Dominus præceperit, ignem de altari holocaustorum accipiendum ad thimiama suffiendum coā se, sed multa sunt præcepta, verbo ipsi Moseh à Domino, quæ scripta nō sunt, quemadmodum infra hoc eodem capite dicit Moseh. Hoc est quod dixit Dominus. Sanctificaboʳ in his qui appropinquant mihi, neque facilè est videre vbi hoc Dominus dixerit, quare quidam putant hoc non fuisse præceptum, sed quemadmodum litera sonat, puniti sunt quòd de hac re non consuluerunt Moseh, aut Deum, qua in re docentur omnes, præsertim sacerdotes, in rebus dubiis expectare Dei imperium: legimus enim quosdam dedisse pœnas, alios verò redargutos, quòd in huiusmodi os Domini non interrogauerint, quemadmodum Iosuah nono, de pacto cum Gabaonitis quibus inconsulto Domino conſœderati sunt. Quidam ex Lutheranis ex hoc loco eruere nititur, nullo pacto sacros cultus sine Dei verbo esse instituendos, cuius sunt hæc verba. Discamus ergo hinc, sacros cultus instituere, non ex humanæ rationis iudicio, neque ex nostris affectibus, sed ex certo Domini verbo. Affectus enim bonus non excusat factum aduersus verbum Dei. Sed iste bonus vir noluit aduertere, longe aliud esse instituere cultus aduersus Dei verbum, aliud præter illud. Nulli enim vnquàm licuit, cultum aut ceremoniam instituere cōtra verbum Dei, quoniam peccaminosa esset talis institutio. Nihil enim aliud peccatum est (Diuo Ambrosio teste) quàm dictum factum aut concupitum contra verbum Dei : licuit tamen semper aliquid præter verbum Dei instituere ad cultum pertinens Dei, si quis arbitretur illud Domino gratum fore. Dicant quæso mihi Lutherani, an placuerit Abelis sacrificiū Deo, & cùm non possint inficias ire illi placuisse, dicant mihi, vbi habuit Abel expressum Dei verbum ad offerendum? Antequàm sanctus Dauid templum Domino constitueret, mente penes se cogitauit, & cum propheta Nathan tractauit de ædificanda domo Dei ad eius exitum, de quo maximè à Domino commendatur, neque tamen ædificare permittitur : licet ergo sine verbo Dei expresso ex deuotione aliquid ad Dei cultum instituere. De Diua virgine etiam doctores sentiunt, votum virginitatis Domino emisisse. Sed vbi certum & expressum verbum Dei ad huiusmodi votum? Sacrificauit Dauid sanctus in monte Moriab, Helias super Carmeli montis vertice, Salomon in Gabbaon sine expresso verbo Dei, & placuerunt Domino sacrificia. Sinant ergo ecclesiam suas habere ceremonias, suos cultus & ritus habere colendi, cùm piè omnia hæc aut instituerit aut instituta ab Apostolis acceperit.

Ad sanctificandum inter Deum & populum, præter expressum verbum Dei cultum Deo minime instituere.

Egreſſus eſt ignis à facie Domini, & conſumpſit eos. Audiant hoc sacerdotes & timeant, sciantque Deum penes se habere ignem, & alia spicula, quæ mittat in impios, & immundos cultores.

In propinquis meis ſanctificabor. Qualis iudex, tales & ministri eius. Non finit Dominus se habere impios ministros : sed à domo sua iudicium incipit, in quo se sanctum esse ostendit, qui ministros suos quantumcunq; intimos arguit & castigat. Solent ministri qui se principibus seculi charos ac acceptos vident, impunè peccare, nihil timere, scientes neminem posse eos arguere, omnes eis conniuere, quemadmodum angelus Diuæ virgini dicebat, Ne (inquit) timeas Maria : Inuenisti enim gratiam apud Deum : ac si apertius diceret. Non habes vllam timendi causam, quoniam totius orbis Domino grata es. Qui enim principibus sunt grati timorem deposuerunt. Sed serui Dei quemadmodum peccare & offendere dominum suum timent, ita ab eo puniri. Serui autem principum quia puniri non timent, peccare non metuunt: illi sciunt se dominum qui vitia impunita non relinquat habere, isti verò putant principem omnia sua vitia dissimulaturum.

Capita veſtra non nudabitis. Admonet locus iste, sacerdotes, nihil præter diuina debere curare. Non filiorum mortem, non bonorum suorum amissionem, sed solùm quæ Dei sunt: nunc autem eò res venit, vt nullis magis curent negotia secularia quam sacerdotes & clerici. Omnis confabulatio inter eos est de pecuniis, de redditibus & fœnoribus, & aliis temporalibus rebus, omissis his quæ ad cultum Dei pertinent.

Et ſuper omnem ſynagogam non iraſcetur. Luit populus sæpissimè sacerdotum peccata. Vnde & si non propter se aut Deum a peccatis abstineant, abstineant tamen ne super populum oriatur indignatio Domini.

Fratres veſtri, omnis domus Iſrael, flebunt cōbuſtionem quam combuſſit dominus. Apertissimè admonet locus iste duces & principes, nō debere mala sua curare, sed se totos dédere communi vtilitati, populum verò eius mala sentire. Æquum enim est, vt populus, principis qui sua bona negligit neque mala considerat, curet. De Cæsare autem prophanæ historiæ tradunt quòd se ipse non habuit postquam mundus cum principem cœpit habere.

Ex oſtio tabernaculi eccleſiæ non egrediemini, ne forte moriamini. Etiam si me occiderit (ait Iob) in eum spe rabo. Licet Dominus nos castiget & flagellet, non esse ab eius ministerio recedendum, docet locus iste, ne fortè vincula astringat, & gratius percutiat, comminatur enim sacerdotibus hic mortem, si percussi, à suo ministerio recesserint. Cap. 13.

Vinum & ſicbar non bibes. Audiant ministri Dei hæc, & sobrietatem discant, præsertim cum Domino Deo ministrandum sit. Nam & si omne vitium in sacerdote damnādum sit, potissimè tamen crimen ebrietatis. Et simul cōsidera Dei sapientiam, quàm latenter arguat suorum sacerdotum peccata. Non enim dicit se iuuenes propter ebrietatem occidisse, sed prohibendo id in quo peccauerant, latentis peccati, eos arguere videtur, quod valdè aduertant Prælati, & discant quàm prudenter, peccata eorum qui alicuius sunt dignitatis in communitate debeant arguere.

Sacrificioſe vaſtis & oc cidit Dominus, arguit peccata ſua ſacerdotum et magnatum.

Abſtinentiam generis humani oportet magis ſobrie ſapere, quam ſe, & alios, & alios docere.

Ad diſtinguendum inter ſanctum & prophanum. Ecce quam sobrias oportet esse sacerdotes, & iudices, & Doctores, neque ebriosos, aptos esse ad huiusmodi ministeria. Habes etiam hic munus docendi sacras leges, sacerdotibus demandatum.

Comedite illud cum fermentatis iuxta altare. Mutantur cum tempore leges. Malum erat tunc temporis, sacerdotes extra sacra loca oblationes populi comedere, nunc verò templa prophanare viderentur sacerdotes, sibi ibidem vescerentur.

Adducent ad eleuandum eleuationem coram Domino. Non licebat sacerdotibus partes habere suas, antequam Domino præsentarentur: vt discerent Deum reuereri. Et memento duos filios Heli hac de causa simul cum patre periisse.

Cur non comediſtis oblationem pro peccato in loco ſancto? Ostendit locus iste apertè, non esse diuina præcepta omittenda propter quamcunque turbationem aut malum euentum: sed curanda magis diuina quàm nostra. Similiter disce, qualiter sanctus Moseh non pepercerit fratri, sed eum apertè arguerit: vt scias nō esse sanguini parcendum si peccet.

Numquid placebit in oculis Domini? Ex hoc scripturę loco admonemur sæpius, non esse Domino supercilio aut tristi vultu seruiendum, quoniam vt Paulus dicit. Hilarem datorem diligit Deus. Manifestum enim Dominus te non administrare sibi, quàm quòd te videat tristem ad eius accedere ministerium.

Triſtitia ſuperuacua tollenda ſacrificiis ſanctorum acceptare.

Audituit Moſeh, & placuit in oculis eius. Discant ex hoc loco superiores, æquo animo ferre subditorum infirmitates, eorumque legitimas acceptare excusationes. Sunt enim aliqui domini, qui veluti feræ in suos sæuiunt, nullam audientes excusationem, nihil rationis ab eis acceptantes, eosque siue meritos siue innocentes puniunt. Sic se cum rege Abimelech habuisse deprehendes, cui cùm mortem minaretur ob ablatam coniugem Abrahæ, & ille excipiens diceret, Non debere Deum gentem innocentem veluti nocentem castigare, respondit. Ego (inquit) noui quòd in perfectione cordis hoc feceris, idcirco non te permisi alienam vxorem contrectare.

Gene. 20.

IN CAPVT. XI. IVXTA LITERAM annotationes.

Loquutus eſt Dominus ad Moſeh & Aharon. Hucusque ad solum Moseh sermo diuinus directus est, nunc verò etiam ad Aharonem, cuius muneris erat (vt precedenti capite dictum est) discernere inter mundum & immundum.

Hæc eſt beſtia quam comedetis ex omni animali. Posset etiam verti. Hoc est viuum, quod ex omni animali comedetis, quòniam ebaiah viuere & viuum significat.

Omne diuidens vngulam, & findens fiſſuram vngulæ rum, ſuperius ruminans inter animalia illud comedetis. Tres conditiones exigit ad animalis munditiam, & est semo de munditia vel immunditia ad æsum & ad tactum. Prior est, quòd vngulā diuidat. Secunda quòd findat fissuram. Tertia quod ruminet, quem locum sic Hebræi explicant. Dicunt enim hoc interesse inter sefah, id est, vngulam & parsah, id est, diuisionem, vt sefah significet vngulam superne & inferne diuisam, vt est in bobus, vaccis, ouibus, capris, & id genus aliis: parsah verò significet vngulam diuisam quidem, sed non per totum : vt cùm superne quidem diuisa est, inferne verò connexa : vt in camelo, vrso, cane, cato, & similibus. Vt ergo vnico dicatur verbo. Parsah significat vngulam diuisam non per totum, id est superius, non inferius: sefah verò vngulam superius & inferius diuisam, seu per totum. Quod autem sequitur, superius ruminans. Aduerte nomen gerah, ortum habere à verbo gerar, quod Hebræis est attrahere, inde gerah, id est, ruminatio, quod sit quædam cibi à stomacho ad os attractio. Est ergo sensus secundum Hebræos, huius sententiæ. Omne, scilicet animal diuidens vngulam, id est habens vngulam diuisam, & findens fissuram, id est, habens eam totaliter fissam : inferne scilicet & supernè, & ruminans superius, id est, attrahens à stomacho ad os cibum ad ruminandum, illud inter animalia comedetis, ac si vnico verbo dicatur. Omne animal quod inferius & superius vngulam diuidit, & ruminat, comedetis. Vt autem rem hanc penitius inspiciamus, aduerte hic poni duo verba, scilicet paras & schasal, cū suis nominibus, scilicet paresah & sefah quorum significata non plenè nota sunt Hebræis. Prius autem verbum, scilicet paras significare videtur propriè scindere, & diuidere, vt patet ex multis scripturæ locis, scilicet, Isaiæ quinquagesimo octauo. Nōnne paros, id est scindere, aut diuidere esurienti panem tuum? Et Threnorum quarto. Paruuli petierunt panem, pores, id est, frangens seu diuidens non erat eis. Idem Micheh tertio capite. Ossa eorum confregerunt, vparessu, id est, & diuiserunt. Sic Ieremiæ decimosexto. Non lipressi, id est, scindent, scilicet panem super luctum, ad consolandum eum super mortuor. Mos enim consolantium erat (inquit Rabbi Ioseph) vt lugenti panem frangerent. Nam sequitur. Neque dabunt eis potum calicem consolationum. Hinc est nomen parsah, id est, vngula, non quæuis sed diuisa seu scissa, licet non totaliter, vt patet Isaiæ quinto. Parsor, id est, vngulæ equorum eius. Posset tamen textus iste aliter explicari, præmittendo esse quædam animalia quæ diuisam habeat vnicam vngulam sed non omnino fissam, ita quòd scindatur in duas, quem admodum equus, mulus, asinus, & id genus alia, quæ ex altera parte tantum habent vngulam diuisam, sed diuisio non diuidit seu findit totam vngulam. Aliæ verò sunt animalia, quæ non solum diuisionem aliquam in vngula habent, sed eam in duas findunt, quemadmodum bos, ouis, & capra, & præter hoc ruminant, & hæc sunt quæ Iudæis conceduntur ad esum. Est ergo isto modo sensus. Omne animal quod vnam vngulam habet diuisam, & omnino findit fissuram vngularum, id est, habet totam vngulam in duas scissam, & ruminat: comedetis. Ab hac regula excipiuntur canes, cati, cameli, leones, & alia id genus, quoniam multos vngues habent, neque vnicam vngulam findunt, & licet multos vngues habeant, nullus tamen illorum fissus est. Dictionem verò

gerah

Universidad de Deusto
Biblioteca

gerah à gerar ortum habere cum Hebræis arbitror, sed non video eos dicere significare attrahere: sed succidere, excidere, & serrare, ad quam significationem priorem citant illud primi Regum sexto. Omnes ij lapides pretiosi, secundum mensuram excisionis megorarot hamegerah, id est, serrati vel excisi serra. Sic illud Prouerbiorum vigesimoprimo. Rapina impiorum tegorem, id est, excidet eos. Sed si quis bene rem expendat, deprehendet verbum propriè significare deglutire, aut attrahere ad se, cui rei argumẽto est nominum ab hoc verbo deriuatorum significatio, scilicet garon, quod significat guttur sic dictum à deglutiendo vel attrahendo. Et gerah, id est, ruminatio, quæ nihil aliud est quàm iterata deglutio. Neque loca ab eis citata hanc significationem turbant, modò benè intelligantur. Nam illud quod ex libro Regum citatum est, melius vertas. Omnes ij lapides pretiosi, secundum mensuras excisionis inclusi inclusione, & intellige allusionem. Nihil enim aliud esse videtur inclusio, seu incastratio lapidis in auro vel argento, quàm quædam deglutio seu morsus, quod nostri vocant encastoar. Sic etiam quod ex Prouerbiis citatum est, optimè vertas. Rapina impiorum deglutiet eos.

Camelus quia superius ruminat, & vngulam non diuidit, scilicet omnino. Dicitur autem animal superius ruminare, quia à stomacho ad os cibum attrahit, & sic cibum ascendere.

Et Onoculus quoniam superius ruminat. In canonibus quos operis vestibulo præfiximus, admonuimus Hebræos nihil certi habere de hominibus horum animalium, idcirco hic eorum non innitemur significationibus, sed ad radicem cõfugiemus, & ad alias quas inuenerimus coniecturas. Dictio saphan, id est, Cuniculus, rara in scripturis est. Hoc certi ex Psalmo centesimoquarto habemus, esse videlicet animal, quod in petra domicilium habet. Dicitur enim ibidem. Petra tegmen seu operimentum lisphanim, id est cuniculis. Prouerbiorum verò. 30. dicitur. Sephanim, id est Cuniculus populus nõ fortis, & ponent in petra domum suam. Septuaginta verterunt.

Herinaceus, alij porcum spinaceum, Græci & vulgatus chirogrillum animal esse volunt, quod Latini Herinacium siue Ericium vocant. Hic verò arbitror Cuniculum significare, quemadmodum dicunt Hebræi. Psalmo autem citato inter aues supputatur, & fortè est etiam auis nomen. Dicitur enim ibidem. Vt ibi aues nidificent. Ciconiæ, abietes sunt domus. Montes excelsi ibicibus. Petræ hospitium sunt lispanim, id est, auibus certi generis. Sed quia hic inter animalia computatur, putarem potius animalis nomen.

Et lepus. Ignota est etiam significatio huius nominis arnebet, quam Hebræi leporem vertunt, & nomen hebraicum hoc, est fœminini generis, cum omnia alia animalium genera masculina sint. quod ideò factum quidam putant, quòd in ea specie masculus non inueniatur, quidam tamen hoc inficias eunt dicentes leporem quandoque marem, & nonnunquam fœmellam. Dictio ponitur Deutero. decimoquarto, ex quo loco nulla coniectura est ad veritatem sciendam. Enumerant autem Hebræi decem animalium quadrupedum species, quarum esus eis licitus est, scilicet, bouem, ouem, & capram. Aliæ verò septem syluestres sunt, scilicet, cervus, caprea, capra syluestris, aries syluestris, vnicornis, bos syluestris, & bestia quæ vocatur zamar, in quibus inueniuntur tria quæ munditiam animalis constituunt, scilicet diuisio vngulæ, fissio, & rumination.

Omnia quibus non sunt pinnæ & squamæ in maribus & in fluminibus, tam de omni reptili aquatili quàm de omni anima viuente quæ est in aquis, abominabilia sunt vobis.

Dictio hebraica senapir, id est, pina rara est in scripturis, ideò non est certa coniectura ad eius propriam significationem sciendam, præter Hebræorum autoritatem. Sequens verò dictio, scilicet schaffeset, id est, squamma aliquot locis inuenitur: sicut Ezechielis vigesimonono, vbi dicitur. Et adhærere faciam pisces fluminum tuorum hechaschessotecha, id est, squammis tuis. Sic primo Semuelis decimoseptimo. Et lorica chaseassim, id est, squamarum erat indutus, scilicet, Philistæus, quam nostri vocant Iubanete, Corraças. Dixit autem textus in aquis, in maribus, & fluminibus, nulla mentione facta stagnorum: ob quam causam putauit sapiens Aben Ezrah, non licere Iudæis vesci stagnalibus piscibus: sed dicendum est, scripturam Hebraico more sub maribus stagna comprehendisse. Addit autem textus.

Immunda erunt vobis: ad insinuandum non esse immunda ex natura sua, aut aliis nationibus, quę non ita vt Iudæi munditiam curabant. Sed scrupulo non caret cur à totanimalium, auium, piscium que speciebus vsque hodie posthquam concessa omnibus sunt, homines abhorreant. Omnia (inquit Paulus cap. 14. ad Romanos loquens) munda mundis. Nemo tamen est, qui vsque hodie Equum, Asinum, Mulum, Leonem, Vrsum, & id genus multa comedat, inter aues nullus est qui rapacitate vescatur, sicut neque Coruus, Graculus, Picus. In piscibus etiam multi sunt, à quibus omnes ferè abstinent. Si enim omnia post Christum munda, cur non omnes omnibus vescuntur? Neque valet dicere, esse quædam gustui insuauia, quoniam quædam sunt, a quibus abstinemus, quæ sunt sauiora his quæ comedimus, qualia sunt carnes humanæ, & equinæ. Ad quod duo possumus dicere. Alterum, hoc ex consuetudine processisse non ex natura, quia enim multi, aut propter insuauitatem, aut alia quacunque ex causa ab aliqua animalium specie abstinuerunt ortum est sequentes ab ea abstinuisse. Alterum hoc ex antiquis & primis Patribus descendisse, qui instinctu Dei, aut apetta reuelatione à Domino didicerunt, quę dam munda, alia immunda, vt patet de Noach Genesis nono, antequam de ciborum delectu lex data esset. Quare ab huiusmodi Patribus per successiones homines habuerunt quorundam ciborum delectum, qui cùm quasi ab initio creaturæ sit, naturalis putatur, cùm tamen non sit, quòd si aliam meliorem adduxerit quis rationem, obuiis manibus amplectar eam.

Posset tertium dici nullam esse animalium, auium, aut piscium speciem, quam non comedat aliqua natio. Multa enim Hispanis immunda reputantur, quibus Itali vescuntur, sicut ranæ, testudines, & alia id genus.

Ista abominabimini ex volatilibus.

Supputant Hebræi viginti quatuor species auium mundarum: omnes verò alias immundas reputant, & ad cognoscendas immundas ponunt tria signa, scilicet rapacitatem, digitum excessiuum vel redundantem, & strumam.

Aquila, Griphus, & Halietus. Non plenè constat quid significet dictio Hebraica Nesser, quam Aquilam vertimus. Ex scripturis quatuor de hac aue constant. Primum quod sit grandis. Ezechielis decimoseptimo. Nesser echad, id est, Aquila vna grandis. Quod comedat oculos. Prouerbiorum trigesimo. Comedant eum scilicet oculum filij Nesser, id est, Aquilæ. Tertio quod alte volat. Iob. 39. Nunquid ad os seu præceptum tuum, eleuabit se Nesser, id est, Aquila. Quarto quod est festina in volatu suo, vt patet Abachub primo, vbi dicitur. Chenesser, id est, sicut aquila festinat ad comedendum. Idem secundo Semuelis primo, & Threnorum quarto, quæ conditiones omnes videntur Aquilę conuenire: ideò rectè Hebræi hic Aquilam interpretantur.

Griphus. A verbo paras quod est frangere & scindere, est Peres quod nostri hic Griphum interpretantur, quam interpretationem quidam non recipiunt, quod scriptura ab his maximè hic dehortetur, quæ fassè ædi & inueniri potuissent. Est autem Griphus rara auis, & quam vix habere quis posset ad comedendum, nisi dicamus, Palestinam huiusmodi auibus abundare. Quare verius credo significare auem rapacem magnarum vngularum, quoniam Parsali quod est ab hac radice significat vngulam, aut auem quæ diuisas vngulas habet & magnas, quam aliqui Accipitrem esse arbitrantur. Rabbi Dauid putat magnam esse auem deserta incolentem. Rabbi verò Ionah dicit vocari Arabicè Achab. Hieronymus Griphum vertit. Res incerta omnino est. Posset etiam dici sequendo verbi ethimon significare auem, cuius vngues maximè scindunt.

Halietus. Dictionem Hazniah quam nostri Halietum vertunt, aliqui dicunt significare Aquilam marinam: inter quos est Hieronymus & Septuaginta, & sic vocari à piscatione: radix nominis videtur esse azaz quod est fortificare, roborare: & sic significat auem magni roboris. Rabbi Dauid dicit, sic vocari à forti volatu.

Vultur, & Miluus secundum speciem suam.

Dictio hebraica Daah quam nostri hic Vulturem interpretantur, à verbo daah, quod est volare ortum habet, ideò meo iudicio, significat auem quæ volatu præstat, & putarem esse generis accipitris. Non audeo autem Vulturem vertere quoniam Vultur auis ignotissima est, quam comedere nequirent, etiam si vellent. Dominus autem loquitur hic de his quæ facilè in hominum vsum venire possunt, vt diximus. Hieronymus hic vertit Miluum. Deuteronom. verò decimoquarto Ixon, quæ est auis è genere Vulturis alba, sed minor vulture. Sequentem verò dictionem, scilicet aiah aliqui Iudæorum putant Miluum rubeum significare, Chaldaicè à rapacitate nomẽ sortitur. Alij ex Hebræis putant aiah, à notis Insulis quas inhabitat sic vocari (1) enim Hebraicè Insulam significat, & Iiim insulas. Rabbi verò Dauid picam interpretatur. Si verò ab, iii, sortiatur nomen quod est veh, putarem auem tristem vocem emittentem significare. Annotauit hic Rabbi Selomoh, omnes aues de quibus dicitur, iuxta genus vel iuxta speciem suã, eas inter se specie differre, tametsi eiusdem generis sint: ita vt neque forma, neque nomine, inter se sint similes.

Omnis Coruus secundum speciem suam.

Constat dictionem oreb ab arab quod est miscere & coniungere ortum habere, à quo ereb, id est, vespera, sic dicta quòd in ea cõiungatur dies cum nocte: quod Latini crepusculum vocant: vnde meo iudicio, significat auem fusci coloris, qualis est Coruus: aut auem coniunctam, seu mixtam ex albo & nigro, & fortè significat Picam: sed magis videtur significare Coruum, tum propter fuscedinem vt diximus, tum quia dictio ponitur Genesis. 8. vbi dicitur Noach coruum emisisse quo in loco hæc dictio ponitur, quam omnes ibi Coruum interpretantur, ideò de hoc non dubito.

Et filiam struthionis. Dicunt Rabbi struthionem esse auem desertam incolentem, sic ab vlulatu dictam, quæ Hebraicè dicitur Taenah. Est enim Ianah Hebræis vlulare. Sed satis mirari nequeo quare dicant radicem eius ianah. Si enim non sit dictio quadrata, videtur potius esse à radice iaan, quod est propterea in qua eam Pagninus posuit, aut abanah quod est respondere, cuius radicis eam esse potius credo, & per taenah propriè significari vlulam, aut auem quæ in vacuis ædibus, aut desertis locis respondere seu vlulare soleat vt patet Isaię decimotertio, vbi dicitur Ve anah, id est, & respondebit vlula, in ædibus eius. Dicitur autem de natura huius auis, quòd matres semper volent, suosque pullos dimittant, qui ob cibi defectum flent atque vlulant, ad quam naturam sæpè scriptura alludit, vt Micheæ primo. Faciam planctum sicut dracones, & luctum sicut filiæ iaenah, id est, struthionis seu vlulæ. Et Threnorum quarto. Filia populi mei crudelis, caicenim, id est, sicut vlulæ vel struthiones. Dicitur autẽ filia struthionis, eò quòd homines semella vescẽ soleant, cùm adhuc parua est (teste Rabbi Dauid in michol.) Sed mihi hoc de matribus semper volantibus, mendacium & fictio Hebræorum videtur, quia cùm textum interpretari nesciunt, ad fabulas conuertuntur. Mihi verò videtur, nihil aliud dictu esse, filiam struthionis, quàm vlulam aut struthionẽ, quemadmodum cùm dicitur filius hominis, id est, homo, & filia Ierusalem, id est, Ierusalem: & si aliqua ratione dicitur

filia vlulæ, est quia vlulare & flere solet, quemadmodum filia matrem suam deflet. Est & alia coniectura ad hoc, quòd scilicet dictio vlulam significet, quia in locis quibus nomen in scriptura ponitur, magis quadrat vlula quàm quodcunque aliud. vt patet Isaiæ. 13. Habitabunt ibi filiæ Iaanah, id est, Vlulæ. Solent enim Vlulæ desertæ & vacua habitare loca. Et capite. 34. Erit habitaculum draconum, atrium filiabus Iaanah, id est, vlulæ.

Nicticorax. Nomen Hebraicum thahmas, à chamas ortum habet, cuius propria significatio Hebræis & nostris non plenè nota est. Dicunt tamen significare rapere, vnde putant thachmas significare auem rapacem, quibus & Thargum Ierosolymitanum subscribit qui habet hatuphitha, à rapacitate. Chaldaicè verò ab elatis plumis nomen fortitur. Sunt qui putant nocturnum accipitrem.

Larus. Est Larus auis parua & nigra, habitans iuxta aquas, & tam in aqua quàm in terra degit, quæ & Fulica appellatur, Iudæi Germani Cuculum interpretantur. Dicuntque dictionem hebraicam Sachaph significare Thisin infra. 26. & Deute. 28. vbi dictio ponitur. Sentiuntque Hebræi, dictionem significare auem, cui talis infirmitas inest. Putarem potius dictionem significare tremorem, quoniam Leuitici vigesimosexto terrori coniungitur, vbi dicitur. Visitate faciam vos terrore & hasachephet, id est, tremore, aut si malueris Thisi.

Accipiter secundum speciem suam. De hac sic scribit Rabbi Dauid chimin. Nomen est auis immundę ignotæ nobis, & Rabbi noster Selomoh dicit eam esse, quæ vulgò dicitur Falco, verùm ea quam Falconem vocãt, inuenitur esse domestica auis, qua homines reliquas venantur, sed quia dicit scriptura Psal. 102. Factus sum chechos, id est, vt Bubo seu Falco in solitudinibus, constat non esse domesticam, sed solitudinem incolere, vnde constat non esse Falconem, qui est auis domestica vt dictum est, & vt dicit Aben Ezrah sunt quidam qui arbitrantur hanc auem, Chos, hebraicè dictam, ab occultando, quòd, scilicet refugiat oculos hominum. Chasah enim abscondere & occultare significat. Significat etiam Chos calicem. Genesis quadragesimo. Et Chos, id est, ad calicem, & fortè significat auem, quæ speciẽ calicis habet. Melius tamẽ puto eos sentire, qui bubonem vertunt. 70. Psal. citato. Nicticoracem vertunt, Thargum verò ctiphupha, id est, noctuam.

Et Mergulus. Dictio hebraica scalach, à qua nomen scalach, significat proicere, & exinde Hebræi & nostri putant nomen scalah mergulum significare, quòd videlicet se in aquam ad venandos pisces proiiciat. Aben Ezrah tamen arbitratur sic dictam, quòd pullos suos proiiciat.

Et ibis. Et ibis auis Ægypti, estque secundum Hieronymum duplex. Altera tota nigra. Altera ciconiæ non absimilis, diuersa tamen ab ea. Hæc rostri aduncitate, per se partem perluit, qua reddi ciborum onera consueuerunt, & serpentibus vescitur, Hebræi tamen dicunt non esse Ibim, quoniam Ibis noctu non volat. Videtur autem solitariam significare, quoniam Isaiæ trigesimoquarto, de ea dicitur Veiam soph. i. & Ibis & coruus habitabunt in ea, scilicet deserta vrbe: vnde coniectura magna est, significare auem quæ deserta loca incolere solet. Dicitur Hebraicè ianeschuph, quòd Hebræis crepusculum significat, ideò arbitrantur multi ex Hebręis nocturnam auem esse, & noctuam interpretantur, & meo iudicio verum dicunt.

Porphirio. Sic Septuaginta vertunt. Est autem Porphirio auis, quæ pulchritudine omnes aliàs excedit, & acerrima riualitate ardet, ita vt se strãguler, si stuprum fieri cognouerit, de qua vide Aristotelem libro octauo capite sexto, & Celianum decimoquarto libro capite trigesimoquinto. Vocatur hæc auis Hebraicè tinschemeth quam Hebræorum quidam sic dictam volunt, quòd non sine horrore & stupore videri possit. Schom enim Hebræis stupére significat. Rabbi Selomoh dicit esse similem muri, noctu volanti, hoc est vespertilioni:

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed qualiter hæc porphirioni conueniant, ipsi qui hoc dicunt viderint. Vulgatus Cignum vertit. Sed te vera dictio Hebraica tinsemet, à nesaniah quod significat flatum & halitum, ortum habet: vt patet intuẽti radicem, & ex verbis Deuteronom. vigesimo, vbi dicitur. Non viuificabis omnem Nesamah, id est, animam quę in flatu consistit, seu omne spirans. Et Isaiæ secundo. Quiescite vobis ab homine, cuius nesamah, id est, halitus seu spiritus est in naso eius. Item Genesis secundo Et sufflauit in faciem eius Nismat chaiim, id est, flatum vitarum hoc significare constat. Vnde tinsemet videtur significare auem magni flatus, aut frequenter flantem: fortè quam nostri vocant coreixam, quæ domestica fit, & pueros flatu deterrere solet. De his nihil certi est, tum quia Hebræi, significationes horum nominum ignorant, tum quia huiusmodi aues non sunt fortè apud nos. Quæque. n. patria suis abundat auibus & animalibus.

Pellicanus. Vulgatus onocrotalum vertit, quod nomen mutuatum à Græcis est, & auem dicunt esse cigno similem, sic dictam quòd collum in aqua mergens spiransque, veluti ruditum asini ædat. Hebraicè hæc auis dicitur kaath ab eo, scilicet, quòd euomat cibum suum, vti Aben Ezrah scribit. Est enim kaah Hebræis euomere. In Thalmut scribitur esse solitariam auem. Quod autem auis sit solitaria loca incolens, ex verbis Isaiæ haberi videtur, qui capite. 34. sic habet. Hæreditabunt eam chaat, id est, Onocrotalus & Eritius. Sic Psal. 102. Similis sum lichat, id est, Onocrotalo, aut Pellicano, vt Septuaginta verterunt. Nulla huius auis mẽtio est apud Aristotelem, Plinius dicit Onocrotalum auem Olori haud dissimilem, Isidorus verò longo esse rostro, gulosam, & quæ multum anguillis insidietur esse dicit. Aliqui hic Vpupam verterunt. Sed in his nulla est melior coniectura, quàm quę ex radicis significatione descendit.

Et Cignus. Aliqui hic Picam verterunt, vulgatus Porphirionem, qui Cignum vertunt sequuntur sententiam Septuaginta interpretum. Hebraicè vocatur racham, quod significat ex intimis misereri, seu intus commoueri, vnde videtur significare auem misericordem erga pullos aut alias aues, aut quæ voces emittat miserabiles.

Ciconia. Dictio Hebraica chasidah, à chesed quod est misericordia ortũ habere videtur: vnde significare videtur auem nimis misericordem, neque dictio chesed, tam misericordiam significat, quàm rem quæ ad misericordiam prouocat: Latinus vertit Herodionem, cuius neque Aristo. neque Celianus meminerunt, Liranus Falconem putat, Thalmudistæ Miluum album interpretantur, fortè est Aquila, quæ cibos suos cum sodalibus partitur, quod etiam Ciconia facere dicitur, ideò hic ferè omnes Ciconiam vertunt. Chaldaicè à candore nomen hæc auis sortitur.

Charadrius secundum speciem suam. Sic vulgatus vertit. Est autem auis magnitudine turture par, colore luteo, nemora colens, habens hoc à natura beneficium vt si quis ictericus in eam intueatur, & auis è contra, hominem ad sanitatẽ reducat. Vide de ea Arist. lib. 9. cap. 1. & Celianum. Aliqui Graculum vertunt. Veteres Hebræi Miluum facilè irritabilem. Dictio Hebræa anaphah ab anah originem habere videtur, quod est irasci, vnde auem ad iram facilem, aut in ea pertinacem, significare videtur.

Vpupa. Sic Hieronymus vocem Hebraicam duchifat Deuteronom. decimoquarto interpretatur, Hebræi Gallum siluestrem, duplicem cristam habentem. Est autem vpupa auis cristis à capite exeuntibus galeata, quæ in simo semper commoratur.

Vespertilio. Ponitur dictio hebraica hotaleph quæ hic vespertilionem significare dicitur Isaię secundo vbi dicitur. Imaginibus talparum & vespertilionum: Iudæi moderni hirundinem interpretantur, neque est aliqua coniectura ad significationem propriam venandam.

Omne reptile volucris, ambulans super quatuor pedes, abominatio est vobis. Intelligendum est de auibus quibus super pedes non sunt crura, & ponitur hic generalis immunditiæ regula in auibus, scilicet non habere duos pedes sed quatuor.

Hoc comedetis ex omni reptili volucris, quod ambulat super quatuor pedes cui sunt crura super pedes eius,

Legitur hic in hebræo pro cui sunt crura, cui non sunt crura, & dicunt Hebræi, hunc esse vnum ex locis vbi legitur lo, id est, non cum aleph, pro lo, id est, illi cum vau; quoniam vt dicunt ab illa regula quæ prohibet reptilia ambulantia super quatuor pedes comedere, excipiuntur illa quæ crura super pedes habent: quæ lia sunt locustæ, & ideò pro cui non sunt crura, legendum putant, cui sunt crura. Sed si per crura intelligas crura eleuata, qualia habent gallinæ & aliæ aues: potest litera sustineri vt iacet, & sensus erit. Reptile in auibus, ambulans super quatuor pedes, abominatio erit vobis: sed ex huiusmodi reptilibus, quę super quatuor pedes incedunt, poteritis comedere ea, quibus nõ sunt crura eleuata scilicet ad modũ gallorum, qualia sunt locustæ, &cæt.

Locustam secundum speciem suam. Hebraicè arbeh, ab arbah quod est multiplicare, & augere, & vocantur sic locustæ quòd in maxima sint multitudine. Alij brucham vertunt, & mirum valdè est, quòd ferè nemo sit, qui huiusmodi locustis ad cibum vtatur: vtebatur tamen eis diuus Ioannes in deserto vt ex Euangelio didicimus. Matt. 3.

Attacum secundum speciem suam. Sic Septuaginta, & vulgatus transtulere. Dicunt autem attacum genus esse volucris, super quatuor pedes ambulantis, longioraque retro crura habentis, hebraicè vocatur saleam, de quo scribit Kimhi esse vnam ex speciebus locustæ, quæ apud Rabbinos dicitur Raschon, estq; ei calluities & cauda caret, sed caput oblongum habet. Aben Ezrah sic vocatam putat, quòd saxis insideat. Sela enim saxum seu petram Hebræis significat.

Ophiomachum. Est ophiomachus, vt quidam scribunt, genus volucris aut lacertæ, cũ serpente pugnantis vt Simon genuensis exponit. Sed probabilius videtur, hargol, esse locustæ genus, quemadmodum præcedentia, & aduerte nostros in his sequi Græcos, cùm potius Hebræos sequi deberent & memento Septuaginta græcè scripsisse licet essent Hebræi. Enumerantur enim hic quatuor locustarum genera.

Bruchum secundum speciem suam. Significat nomen hebraicum chagab, aliam locustarum speciem, neque Iudæi habent propria nomina quibus has species explicent locustarum: sed communi nomine eas locustas appellant. Est autem reptile quod blatta & alia terræ nascentia, depascitur, vt colligitur ex eo quod dicitur secundo Paralipomenon septimo. Ecce præcipiam al chagab, id est, locustæ vt comedant terram.

Mustella. Hebraicè choled, quod à cheled quod tempus significat ortum habet, sed non video quid allusionis habeat mustella ad tempus, nisi dicamus significare reptile quod longo tempore viuat. Et significatio cheled nota esset, fortè notius esset reptilis nomen: sed tam Hebræis quàm nostris ignota est significatio. Nam quidam tempus, alij seculum, tertij verò orbem, significare putant, propter illud. 49. Psal. Auribus percipite habitatores chaled, id est, orbis. Et Psal. decimoseptimo. A viris mecheled, id est, de orbe: pars eorum in vita.

Mus. Hebraicè achbar. Nil certi de hoc habetur. Dictio ponitur Isaiæ. 66. vbi dicitur comedentes carnem suillam abominationem, & murem. Et primo Samuelis. 6. Et achbere, id est mures auri, pro aurei.

Bufo. Sanctes noster cum Septuaginta & vulgato Cocodrillum vertunt: sed non videtur loco conuenire vt scilicet cum mustella & mure iungatur. Est autem Bufo ranæ similis, quare aliqui rubetam vertunt. Hebraicè sab, quod potest esse à iasab & à nasab quod est eleuare, quòd videlicet sit reptile saltans qualis est rana.

Eritius.

Eritius. Hebraicè Anachah, quod si sit à nachah quod est mundum esse, non video quid allusionis habeat reptile hoc ad munditiam. Si verò radix nominis sit Anach, quod significat clamare tunc optimè conuenit Eritio. Solet enim Eritius dum onustus incedit, rugitum quasi currum emittere. Aliqui Eritium reiciunt hic quoniam non reptat, hic verò de reptilibus sermo est. Sed hoc parui refert, quoniam fere reptat. Septuaginta imigale verterunt, quod alij murem araneum interpretantur.

Chameleon. Vocatur hebraicè hoc animal choach quod est fortitudo, & sic à fortitudine diceretur quod non benè chameleoni conuenire videtur: sed quia dictio etiam viriditatem seu virorem significat, ideò ad chameleonem significandum se extendet: & videtur reptile viride significare, sed quod illud sit ignoratur: fortè quod nos vulgò vocamus fardano, quod est lacerta maior & grossior, alij ex nostris vocant lagarto. De eo sic scribit Rabbi Dauid Kimhi. Scripsit (inquit) Rabbi Ionah esse animal, quod Arabibus vocatur chardun, & est species busonis. Verũ Rabbi Selomoh scribit esse animal, quod vulgo lacertam vocant. Est autem Chameleon animal apud Indos nascens, figura & magnitudine lacertæ, coloris natura mirabilis, mutat enim subinde eum, & oculis & cauda & toto corpore. Vide Plinium libro octauo capite trigesimotertio.

Lacerta. Vertit Hieronymus stellionem. Harabicè dicitur letaah, Kimhi dicit genus esse reptilis: Rabbi Selomoh in Commentario suo lacertam exponit, à radice nulla est coniectura. Est autem stellio reptile lacertæ simile, tergo circulis quibusdam depictum, lucentibus guttis ad modum stellarum. Vide Plinium tertio libro capite decimo.

Limaca. Hebraicè chomet, id est, testudo seu chocleæ terrestris. Alij lacertam: nihil certi est, neque ex radice significationem potuimus venari.

Talpa. Hebraicè tinsamet & est nomen nõ solùm reptilis, sed animalis: nam supra hoc eodem capite, inter animalia positum est. Erant autem omnia hæc immunda ad cibum, & ad tactum.

Ad medium eius. Idem est dictu Ad medium eius, quod intra ipsum: sicut in medio maris, id est, intra mare, in medio noctis, id est, intra noctem: sic quod sequitur.

Quod est in medio eius, Id est intra ipsum.

Immundum erit super quem venerit aqua. Scilicet illius vasis in quo aliquod horum cecidit.

Immundus erit cibus. Et idem de potu intellige.

Clibanus & chitropodes. Melius vertas Clibanus & fornax.

Si ceciderit super omne semen satum. Id est quod est in herba, aut iam satum est.

Mundum est, Si posita fuerit aqua super semen. Ponitur discrimen inter semen iam satum, quoniam iam satum nõ reddebatur immundum, sed benè quod nondum erat satum, si aqua in qua cecidisset morticinum reptilis, perfunderetur. Posset etiam textus de leguminibus exponi, quoniam dictio zeroim significat legumina. Danielis primo, & sensus erit. Si posita fuerit aqua super legumina, & ceciderit de cadauere corũ super illud: sed quia præcessit satum semen, videtur potius de omni semine intelligendum.

Ambulans supra pectus. Ambigua est dictio gachon, ad pectus & ventrem significanda, communiter tamen interpretes pectus vertunt: vt patet Genesis tertio.

Ambulans super pectus, vt coluber, *super quatuor,* vt lacerta, & loquitur textus de reptantibus siue habeant plures siue paucos pedes.

Ne polluatis animas vestras. Alij ne abominemini, id est, ne reddatis animas vestras pollutas, aut abominabiles huiusmodi immundorum tactu, & sumitur anima pro toto homine ac si diceret. Ne polluatis vos ipsos viuos. Nam dictio nephes proprie halitum significat, & ex consequenti animam, quoniam halitus Dei est & in halitu consistere videtur, significat etiam totum hominem animæ ratione. Ponuntur autem hic tria verba quasi idem significantia, scilicet, sachas, id est, abominari, thaña, quod est immundum esse. Et tamah quod secundum Hebræos significat obturare & claudere, quibusdam verò coinquinari: & sic reddit hic noster Sanctes. Alij verò. Et non obturetis cor in illis: sed Sanctis lectio germanior est.

Sanctificabitis vos. Dixi sæpius chadas, id est, sanctificari, Hebræis esse separari ab immunditiis, quæ significatio ex hoc loco clarè colligitur, vbi de separatione ab immunditiis sermo est.

Qui ascendere facio vos. Dicit ascendere facio, quoniam Ægyptus humilior est terra promissionis, & quia adhuc in via erant. Nam alias in locis dicit. Ascendere feci, postquam scilicet sedes adepti erant.

Hæc est animalis et volucris, Id est, hæc est lex discriminans animalia, & volucres, mundum ab immundo discernens, aut interdicens immunda & concedens munda, quod statim more suo explicat dicens. Ad distinguendum inter mundum & immundum.

CAPITIS. XI. AD NOSTRAM eruditionem, annotatio.

Hæc est bestia quam comedetis. Egit à mundi huius exordio summus Deus, medicum hominis. Sentiens enim quot morbos, ciborum exercitio esset incursurus, virides herbas primum ad cibum concessit, postmodum verò cernens eum vtcunque deficere: carnes præbuit tempore Noach. Sed quia etiam carnibus abutebatur ad sui pernitiem, certa hic eis animalia aues piscesque interdixit, sed quia in vetita deperibat, & prohibitio concupiscentiam angebat, omnia iterum concessit. Omne quod in macello venit (ait Paulus) comedite. Commendat autem nobis caput hoc, corporum animorumque munditiem. Quid putas sibi vult, quod in calce huius capitis habetur. Non abomineris animas vestras in omni reptili quod reptat, & non polluetis vos in eis, neque coinquinabitis vos, nisi vt mundi simus ipsius & extra? Autoribus enim medicis, omnia quæ hic interdicuntur, naturæ nostræ contraria sunt, & valetudini aduersantur. Vnde quæso ô homo talem meruisti medicum habere, qui tam curiosè & ambitiosè requireret, quid tibi comedendum, & à quibus abstinendum esset? Nunquid aliquando angelorum suorum se medicum exhibuit, quemadmodum tuum? Et qui vix tui memorari deberet, curam egit valetudinis tuæ. Quid illi quæso, pro operarum suarum diligentia impendisti? Vix obseruasti sapientis medici decreta? Quid vltra facere debuit ægroto suo, quod non fecerit? Expectauit operarum solutionem, & ingratitudinem messuit. Expendendum etiam hic esset, quàm occulta sit in huiusmodi animalibus nobis immunditia, quæ tamen nobis Deus immunda esse prædicat. Ex quo discimus multa in nobis immunda latere nos, quæ ipse suis prospicacibus luminibus in nobis deprehendit. Vt etiam nos à rapina deterreret, omnes rapaces aues nobis in esum interdixit. Rom. 14.

Omne reptile volans ambulans super quatuor pedes, abominatio est nobis. Suspecta nobis esse debent omnia monstra, insuetum est, auem videre eum quatuor pedibus, ideò prohibetur à cibo. Istuc pertinet quod inferius dicitur de animali ambulanti super vòlas suas cuius esus prohibetur, quoniam hominem gestit cùm homo non sit.

Locustam secundum speciem suam. Commendare videtur locus iste Ioannem Baptistam, qui vt legem Domini seruaret, & concessum cibum comederet, locustis (vt Matthæus meminit) vsus est. Fuerunt aliqui ex nostris, qui forsitan huius concessionis immemores, Ioannis locustas, in herbarum radices commutare voluerunt. Matthæi tertio, dicentes non re vera locustis Ioannem in deserto vsum: sed cum lege hic ad cibum concedantur, & in deserto earum copia sit, non video cur Cap. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur Ioannes eis non vteretur, quod & Caietanus anno tauit ibidem.

Immundus erit vsque ad vesperam. Curiosus aliquis à nobis hic peteret, cur cum Sole aut Solis occasu huiusmodi immunditiæ cessarent, cui non facilè respondebimus, dicimus tamen hoc ideò factum, quia macula non apparet nisi in luce, qua cessante amplius maculæ non videntur. Secundo, quia odor ille malus si esset, aut ex contactu hæreret, cessaret cum tempore. Tertio, quia difficilè erat hominem diutius in immunditia manere. Quarto quia tunc, scilicet in Solis occasu, facillus lotio corporis fiebat, cùm homo domi se colligeret, quàm tota die. Quod si nulla harum rationum curioso satisfaciat lectori, det nobis ipse subtiliores & veriores, & obuiis eas acceptabimus vlnis.

Verumtamen fons & cisterna erit mundus. Considera Dei pietatem. Difficilè erat homini cisternam habenti propter huiusmodi reptilium iniectionem, amplius ex aqua non bibere, vel ea ad suos vsus non accommodare, ideò noluit immunda reddi.

Eritis sancti, quia sanctus ego. Admonet locus iste sequi quoad possumus factorem nostrum, maximè in mundicia. Quid ergo fratres, tota vita sordescimus? 2. Cor. 7. Mundemus ergo nos (vt Paulus admonet) ab inquinamento carnis & spiritus: vt mundi nostrum referamus ad viuum autorem, qui est super omnia benedictus in secula.

CAPITIS XII. AD LITEram annotatio.

Mulier cùm seminificauerit & pepererit masculũ, immunda erit septem diebus. Tractauerat Moseh de munditia & immunditia animalium: hic verò de immunditia hominum. Annotauit pius Bernardus & ante eum si ritè recolo Origenes Homilia octaua in hoc caput & post eum Albertus cognomento magnus propter verba quæ in vulgata habentur editione, Moseh ab hac lege virginem puriſſimam excipere voluisse, quæ non suscepto semine filium peperit, quod optimè annotatum esset si hæc lex ita in hebræo, vt in vulgata æditione haberetur, sed cùm longè aliter habeatur, non est (iudicio meo) locus mysterio, licet vulgata æditio, facilè ad sensum hebraicorum verborum reduci possit. Est autem aduertendum, frequentissimè in sacris literis semen accipi pro filio vel prole, vt patet Geneſis decimoquinto, vbi Abraham Domino dicit. Mihi autem non dedisti semen, id est, prolem & primo Samuelis secundo, dicit Heli sacerdos Helcanæ patri Samuelis. Ponat Dominus tibi semen de muliere hac, quibus in locis semen pro prole accipi apertissimum est. Accipitur ergo hic semen non pro spermate hominis aut mulieris, sed pro prole: & est sensus verborum. Mulier cùm seminificauerit, id est, cùm semen habuerit seu prolem: & vt vnico verbo dicatur cùm habuerit prolem. Si masculum peperit, immunda erit septem diebus. Dicebatur autem immunda, quoniam tunc temporis nihil sactum tangere poterat, & qui eam tetigissent immundi reddebantur, & hoc (vt Hebræi dicunt) propter sanguinem quem pariendo emittebat.

Secundum dies separationis menstrui. Propter menstruum vt infra. 15. capite versu. 16. dicitur, fœmina septem diebus immunda reddebatur, & totidem (vt hic dicitur) immunda propter partum decernitur, ideò dicit bis fore immundam septem diebus, quot immunda propter menstruum reddebatur, & tot diebus separabatur sicut propter menstruum, scilicet septem. Aduerte hic dictionem hebraicam nidah, id est, separatio, anadad quod est elongare, separare ortũ habere: vt patet Isaiæ. 22. vbi dicitur. Omnes principes tui nadedu, id est, elongauerunt vel separauerunt se. Sic Psal. 68. Reges exercituum lidodun lidodun, id est, elõgabunt elongabunt se. Sequens verò dictio, scilicet deuotah, infirmitatem Hebræis significat: vnde textus iste ad literam reddendus esset. Secundum dies ægritudinis suæ, & quia communis fœminarum ægritudo est menstruum, significat etiam menstruum Hebræis. Sed si quis rectè expendat, luce clarius deprehendet, dictionem dauah significare potius fluere & defluere, vnde daueh, id est, fluxus seu defluxus. Threnorum enim quinto habetur. Propterea fluit daueh, id est, fluës seu defluens cor nostrum, & cap. 1. toto die daueh, id est, fluentem, scilicet lachrymis, infra etiam. 2. ca. dicitur. Vir qui dormierit cum muliere dauah, id est, fluente, seu à qua fluit sanguis, vel semen: vbi non rectè vertas infirmam. Vnde illud Iob sexto. Quæ renuit tangere anima mea, vertendum puto, coactus scilicet sum modo tangere, panis enim meus est sicut defluxus, id est, tam immundus ac si esset defluxus seu menstruum.

Sedebit in sanguine purificationis suæ.
Putarunt antiqui sanguinem huius mulieris, transactis septem diebus purificatum esse, ideò in textu dicit eam mansuram in sanguine purificationis suæ, id est, in sanguine purificato, sed quia infra dicitur eam non debere sancta tangere, neque ad sanctuarium venire, donec complentur dies purificationis eius, clarè apparet eam non purificatam vsque ad quadragesimum diem, ideò textus sic exponendus est. Sedebit in sanguine purificationis, id est, à quo debet quadragesimo die purificari. Et quod dictum est. Die octauo circumcidetur caro præputij eius, scilicet pueri. Non intelligas circunciſionem in templo seu tabernaculo iussam fieri, sed domi, quemadmodum vsque hodie Iudæi faciunt.

Omnem sanctificationem non tanget.
Videtur textus ponere discrimen inter immunditiam puerperæ, illis primis septem diebus, & illis triginta tribus, quòd videlicet prioribus septẽ, non solùm esset immunda in se, sed tangentia inquinaret, quemadmodum illa quæ menstruum patiebatur, aliis verò triginta tribus, licet in se esset immunda, non tamen alia inquinabat: sed sola duo, illi interdicebantur, scilicet sacrum aliquid tangere, & intrare tabernaculum id est, atrium tabernaculi in quo fortè etiam fœminæ ingrediebantur, licet hoc non plenè ex sacris literis constet.

Si fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus. Esset hic meritò disquirendum, cur fœmina pariens masculum, immunda fieret, 40. diebus: pariens verò fœminam duplicatis diebus, & quidam dicunt hoc ideò esse, quoniam peccatum per mulierem cœpit ideò voluisse Deum, illud in fœmina etiam puerpera vindicare, & etiam in prole, mihi tamen magis arridet quod Gerundensis dicit, quòd scilicet mulier pariens fœminam patiatur maiorum humorum fluxum & sanguinis eruptionem, quia enim maior sanguinis & humorum eruptio fit in matre in partu femellæ, quàm maris, & impurior reddebatur, ideò dilata est in ea purificatio. Sed in hoc standum esset iudicio medicorum & obstetricum. Cùm enim huiusmodi prohibitio facta sit ratione immunditiæ: non duplicarentur dies in fœmina, nisi in partu eius maior immunditia contingeret.

Secundum separationem eius, scilicet, à menstruo. Nam quemadmodum masculum pariens, immunda erat septem diebus, secundum dies separationis menstrui, ita fœminam pariens, immunda fiebat duplicatis diebus iuxta immunditiam menstrui.

Adducet agnum anniculum in holocaustum, & filium columbæ vel turturem pro peccato. Disquirunt hic aliqui, & locus hoc videtur exigere, quod esset mulieris peccatum, pro quo hic iubetur offerre columbę filium vel turturem. Non enim possumus dicere in actu coniugali peccatum interuenisse, cùm actus matrimonialis sine peccato fiat: modo debitis circunstantiis honestetur, neque pro peccato originis pueri vel puellæ, quoniam textus expresse præcipit fœminam offerre pro peccato suo non prolis. Et licet posset dici, raro actum coniugalem ita suis honestari circunstantiis, vt non sit aliquis libidinis excessus, & pro hoc in eo fieri huiusmodi oblationem.

Verius

Verius tamen puto textum vocare hic peccatum, immunditiam illam sanguinis, qua mulier polluebatur, quemadmodum capite decimoquarto sequenti iubetur leprosus mundatus offerre eandem oblationem quam mulier hic, pro peccato suo, quod tamen nullum aliud erat quam immunditia leprę vnde textus ibi dicit. Faciet que sacerdos oblationem pro peccato, expiabitque mundandum ab immunditia sua, quasi explicans peccatum à quo mundandus erat, esse immunditiam ipsius leprę. Non enim apparet quod sit leprosi peccatum, cui sine vlla culpa sua morbus leprę accidisset, pro quo iuberetur offerre. Et idem est de seminisfluo, cui eadem iubentur pro peccato offerre, cui sine vlla culpa infirmitas fluxus accidisset. Suffragatur etiam ad hoc ratio hæc. Nam illud mulier peccatum incurrebat, à quo per sacrificium oblatum à sacerdote mundabatur, sed mundabatur ab illa sanguinis immunditia, ergo illa hic eius dicitur peccatum, quod verò ab illa immunditia à sacerdote expiarctur, patet quia textus dicit, qui sacerdos adducet illum, scilicet, pullum columbæ aut agnum, in conspectu Domini, & expiabit illam, mundabiturque à fonte sanguinis sui. Ecce peccatum, ecce immunditia, à qua à sacerdote expiabatur, scilicet à fonte sanguinis sui.
Ne autem tibi hoc nouum videatur lege hic Dominum Burgensem videbis eum nobiscum sentire. Fateor tamen legem hic adumbrare vtcunque vohiisse originale peccatum, iuxta illud Psalmi. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, quemadmodum sancti Patres intellexerunt. Neque reiicio illam expositionem quæ per peccatum intelligit concupiscentium conceptus: sed quia video in leproso & in ea quæ sanguinis aut seminis patiebatur fluxum nullum, quod sciam præcessisse peccatum, pro quo offerat praeter ægritudinis ipsius immunditiam, videtur mihi vtiuta expositio germanior.

Si non potuerit offerre agnum. Sensus redditus est, in Hebræo tamen habetur. Si non inuenerit manus eius sufficientiam pecoris, & est Hebraismus pro si non sufficeret labor eius, ad emendum vel acquirendum pecus. Ponitur etiam dictio esseh sæpius pro agno, & quod dictum est. Adducet agnum anniculum Hebraice est filium anni, sed idem est. Disputant hoc loco Hebræi & ex nostris Munsterus de causa generationis maris & fœminæ, & quidam ad hoc diuersas causas adducunt. Sed hanc disputationem carnalibus relinquamus Iudæis, indigna enim sunt quæ in sacris literis disputentur.

CAPITIS. XII. AD MORVM honestatem annotatio.

Loquere ad filios Israel. Viris traduntur etiam fœminarum leges, quoniam hij sunt qui facere debent eas seruare vnde communiter leges ministris iustitiæ traduntur, qui eas exequutioni mandare debeant.

Si seminificauerit & masculum pepererit.
Fuerunt semper viri, fœminis præpositi & prælati, quo 1. Cor. 11. niam viriliores reipublicæ esse cognoscuntur. Vir (inquit Apostolus) non debet caput velare aut comam nutrire, quoniam Dei imago est: fœminam verò caput velare præcipit, etiam propter angelos comamq; nutrire, neque permittit fœminam in ecclesia docere, imò neque loqui: sed subditam esse. Aduerte etiam hic, quam displicuerit Deo fœminæ peccatum, quod etiam nunc vindicat & punit immunditia partus, prohibitione ingressus in sacrum locum & contactus sacrorum. Voluit etiam Dominus hac lege seueritates, lætitiam parturientis temperare: vt si de prole gauderet, de immunditia & irregularitate tristaretur.

Immunda erit septem diebus. Diligit Dominus septimam diem, neque voluit quemquam illum cum aliqua immunditia præterire.

Omnem sanctificationem non tanget. Vbique nos admonet Deus, quali reuerentia habere loca sacra, & sacra omnia debeamus, quoniam nouit quàm præcipites simus in sacra: quo in loco docere nos voluit non solùm peccatorum immunditias vitare, sed & corporum, & quædam quibus nullum peccatum inest nobis posse prohiberi, & hinc ortum habuisse crediderim pœnas illas, quas sacri canones irregularitates appellant, quas hominem sine vllo vitio incurrere posse Doctores docent. Aduertes etiam hic Deum malle te sacrum non intrare, aut eum non orare, quàm hoc facere sordibus inuolutum.

Si fœminam pepererit immunda erit duabus hebdomadibus. Quid meruistis fœminæ, quę fertis in vbere nectar (vt Pythagoras scripsit.) Admonet lex vt quanto impurior es, tanto longiori tempore à sacris abstineas: etsi ea quæ sine peccato conceperat & pepererat, sic arcetur à sacratis, quid faciendum est his qui grabissimis criminibus obrupti, loca non verentur sacra intrare.

Cùm impleti fuerint dies purificationis eius pro filio vel filia, adducet agnum. Ostenditur tibi hic ô homo, quantum sit bonum ab immunditiis præsertim peccatorum mundari, & pro ei sacrificium Deo offerre iubearis, & etiam cognoscas autorem purificationis tuæ Deum.

Si non potuerit agnum offerre. Docet pius Dominus legislatores, pauperum semper in suis onerosis legibus habere rationem, vt in collectis & angariis, non sicut diuites grauentur, sed nunc omnia hæc confusa & inuersa sunt, vbiq; vexantur pauperes, diuites verò ab huiusmodi oneribus exempti sunt, sed est qui ex vsuris & iniquitate, redimat animas eorum, & animas pauperum saluas faciet, cui gloria in secula sempiterna, Amen.

CAPITIS. XIII. LEVITICI ad literam annotatio.

Locutus est Dominus ad Moseh, & ad Aharon. Postquam superiori capite egit de immunditia fœminæ parturientis, agit hoc capite de lepra hominis & vestis, sequenti verò de lepra domus, vnde apud Iudæos hæc triplex lepra fuit, scilicet, hominis vestimenti, & domus.

Homo cùm fuerit in cute carnis eius tumor, vel scabies. Dictio Hebraica sepachat, quã tam Hebræi quàm nostri scabiem vertunt, à sapach quod est coniungere, congregare & colligere ortum habet, & propriè significat aliquid coniunctum cuti: & quia scabies cuti adhæret, Hebræi & nostri hic scabiem interpretantur.

Vel macula candida. Ababar quod est splendidum & candidum esse, descendit habueret, id est, cãdidum splendidum, & sunt iuxta hoc tria signa lepræ in homine, scilicet tumor seu elenatio, scabies, & splendor seu macula splendens.

Adducetur ad Aharon. Disquirit hic quidam, cur lepræ examen penes sacerdotis iudicium situm fuerit, cùm potius apud Medicos statuendum esset. Respondet autem sacerdotem non vt talem, sed vt reipublicæ gubernatorem ad quem pertinet contagiosos morbosos à sua republica pellere, hoc fecisse. Sed nescio an hæc solutio nodum dissoluat, quoniam quemadmodum sacerdos vtilis, artem medicinæ ignorat, ita & princeps: vnde non magis aptus est princeps ad lepræ iudicium quam sacerdos, quare meo iudicio, lepra, non vt morbus curandus, ad sacerdotem pertinebat, sed vt immunditia quæ hominem ineptum reddebat ad sacra, & ad consortium aliorum: licet ergo lepra vt languor, ad sacerdotem non pertineret, vt immunditia tamen à sacris hominem repellens ad eum pertinebat, cuius muneris erat munditiam diuini cultus curare, & immunditiam depellere. Non ergo sacerdos vt princeps, neque vt medicus de lepræ morbo iudicabat, sed vt sacerdos de immunditia in ordine ad sacra Domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et fuerit in cute carnis eius secundum plagam lepræ. Hebraicè, secundum contactum aut percussionem lepræ, id est, si fuerit à lepra tactus aut percussus. Dictio enim Hebraica naga, significat tangere, cõtingere, aut percutere, vt patet Genesis trigesimosecundo vbi dicitur. Naga, id est, tetigit aut percussit neruum femoris eius.

Vel ad vnum è filiis eius sacerdotibus, intellige postquam talis esset ætatis & iudicij, vt sciret & posset hoc discernere & iudicare, quod erat quando iam sacerdotio fungebatur, vnde dicitur sacerdotibus.

Et pilus in plaga versus est in albedinem. Sensus benè redditus est, Hebraicè habetur. Et pilus in plaga versus est albus.

Et aspectus plagæ, id est, plaga aspecta *profundior est cute carnis eius.* Comedit enim lepra & corrodit intus carnem, & ideò vbi est lepra locus humilior est reliqua carne & cute. Constat ex hoc loco nõ oportere sacerdotem esse medicum, quòniam ei Dominus præspicua signa dabat ad cognoscendum an lepra esset vel non, & vt non posset in hoc falli, voluit eum non statim iudicare, sed expectare tempus, quo planè posset hoc cognoscere.

Et si macula alba est in cute carnis eius. Melius verten dum puto. Et si splendor albus, aut albus splendens est in cute, quoniam haberet non maculam sed splendorem (vt iam diximus) significat.

Claudere faciet sacerdos plagam, id est, hominem plagatum.

Si plaga steterit in oculis eius, id est, non creuit secundum iudicium oculorum eius, vnde sequitur. Neque creuit plaga in cute.

Si subnigra est plaga. Miror Sanctem nostrum, qui in Lexico suo dicit verbum chalah significare restringere, vertisse hic nigrum esse: cùm propria significatio hic optimè conueniat, vnde vertendum est. Et ecce restrinxit se plaga, quod statim explicat dicens. Neque creuit.

Scabiẽ est. Non est (inquit) lepra, sed scabies.

Immundam iudicabit eam. In Hebræo vnicum est verbum, scilicet, immundabit eam, seu contaminabit eam. *Si tumor albus in cute, & ipse versus est in pilum album, & pinguedo carnis viuæ est in tumore, lepra inueterata est.* Dictio michiat quam hic Sanctes pinguedinem vertit, à chaiah quod est viuere ortum habet, vnde vertendum potius est. Et viuacitas carnis viuæ, in tumore est, id est, & tumor ille habet in se carnem viuam, id est, non opertam cute: illa enim vocatur caro viua, etiam nostro idiomate. Quandiu enim vulnus opertum cute non est, dicimus illud esse in carne viua. Et quod sequitur, lepra inueterata est, Hebraicè dicitur, lepra duplicata est, id est, annosa: quod Sanctes vertit inueterata. Quatuor ergo requirebantur ad iudicandum lepram esse inueteratam, scilicet, eleuatio carnis seu tumor, albedo in tumore. Tertio quod capilli operientes tumorem essent albi. Quarto viua caro in tumore. Sed quia non poterat esse albedo in tumore, & caro viua quæ præ se ferit colorem sanguineum: videtur quod esse versum in pilum album sit explicatio eius quod dictum est. Si tumor albus in cute est.

Si germinando germinauerit lepra in cute. Quidam non tam germane verterunt. Si florendo floruerit, quoniam verbum parah, potius crescere aut germinare, quàm florere significat, & est sensus quod si lepra, id est, color lepræ omnem carnem operuerit, ita vt nullus sit tumor albus, aut albus pilus, aut viua caro, mundus debet talis iudicari à sacerdote. Sed si postea caro viua seu recens videatur, statim iudicabit leprosum.

Cùm fuerit in cute carnis vlcus. Loquitur modo de lepra quæ in vlcere generatur. Dicunt autem Rabbini scechim, significare vlcus ex caliditate procedens.

Fuerit in loco vlceris tumor albus. Erant hæc quatuor signa certissima lepræ, scilicet tumor albus: splendor albus ad modum lucis, aut subrufus, plaga profundior cute, & pilus in alborem degenerans: per aspectum autem intellige rem aspectam, quoniam hebraismus sæpissimè vtitur actu pro obiecto.

Sed fuerit subobscura. Melius restricta, & istuc tradit quod sequitur. Et si crescendo creuerit.

Et si in loco eius steterit macula alba. Melius vertas, Si in loco suo steterit macula alba, id est, restricta fuerit, & non creuerit vt statim sequitur.

Cùm fuerit combustio ignis, loquitur de lepra quæ oritur in carne quæ fuit igne combusta, & pro, fuerit pinguedo, verte

Et fuerit viuacitas combustionis, id est, in loco combustionis aut combusta.

Subrufa vel alba. Ab adam quod est rubescere, deriuatur. Adamdam quod est aut impense rufum, aut subrufum. Disceptant enim Rabbini de significatione huiusmodi geminatorum, quibusdam asserentibus quod augeant significatum, aliis ècontra videtur dimi nuere significationem verbi, ideò vtroque modo verti potest, aut scilicet subrufa aut impense rufa: germanius tamen subrufam vertas.

Si versus est pilus albus in macula alba. Transpositæ videntur verba, & est sensus. Si in macula alba versus est pilus in alborem. Et quod sequitur.

Et est subobscura, melius vertas.

Et est restricta, & sic infra verte vbi inueneris subobscura. Sic quod dicitur.

Si in loco eius steterit. Verte. *Si in loco suo. Vir autem siue mulier cùm fuerit in eo plaga: in capite vel in barba.* De plaga lepræ est sermo. Aduerte autem Hebraismum vocare barbam zachan, à quo etiam zachen, id est, senex, quod illa soleat senectam ostẽdere aut quod senes communiter prolixam habere soleant.

Si aspectus eius est profundior cute, id est, si locus qui aspicitur sit profundior alia cute propinqua illi loco.

Pilus flauus subtilis. Significat Sahob Hebræis, colorem flauum: sed significatio nõ multum certa est. Ponitur dictio Esdræ octauo vbi dicitur. Et vasa eris mussehab, id est, fuluã, aut fului coloris. An verò pilus fuluus & tenuis signum lepræ sit, vt hic dicitur, medicè melius iudicabunt.

Macula nigra capitis vel barbæ est. Vbicunque in hoc capite, noster Sanctes vertit maculam nigram: tu verte corrosionem, quoniam dictio hebraica nethech, anatah quod est eradicare, ortum habet vnde significat euulsionem pilorum scilicet aut carnis, vt in plaga fieri solet: vnde Munsterus hic melius corrosionem vertit.

Si viderit sacerdos plagam maculæ nigræ. Melius plagæ corrosiuæ, vel euulsionis, id est, aqua pili euulsi sunt.

Et pilus niger non est in ea. Solet enim lepra facere pilos albos: & ideò pilus niger, signum fuit esse lepræ. Aduerte etiam hic dictionem seachor, id est, niger, fuscedinem seu fuscum potius significare quàm nigrum, qualis est fluuius turbatus: vnde seaschar significat lucem dubiam, qualis in crepusculo est.

Recludere faciet sacerdos plagam maculæ corrosiuæ, id est, hominem plagatum tali plaga.

Radetur, sed maculam corrosiuam non radet: vt scilicet in ea & pilis, experiatur sacerdos sanitatem vel morbum leprosi.

Si creuit macula nigra in cute, non quæret sacerdos pilum flauum: quoniam scilicet augmentum corrosionis sufficit ad iudicandam lepram.

Cùm fuerint in cute carnis eorum splendores, splendores candidi. Vertit hic sanctes quemadmodum in toto capite maculam albam, sed vt diximus dictio hebraica potius significat splẽdorem, aut quid splendidum quã album. Solet enim in cute leprosi splendor quidã quasi transparens apparere, quod lepræ indicium est.

Subobscure albæ. Legendum potius est. Si in cute carnis eorum, splendores restricti seu rugosi, albi.

Lentigo est. Dicũt Hebræi boach significare lentiginẽ, sed significatio mihi vtcunque suspecta est. De hoc morbo seu lentigine sic scribit Kimhi. Species plagæ candidæ & multum lucentis est, minus quàm haberet, sæeth, & sappachath, de quibus supra. Alij dicunt bahak esse maculam albam in homine rubicundo, quem Hebrei lenticulosum appellant, qui quasi lentibus perfusus apparet.

Cùm depilatum fuerit caput eius, caluus est. Est sermo cùm totum caput fuerit depilatum.

Et si à cincino faciei. Duplices inueniuntur calui, quidam qui solam partem anteriorem capitis depilatam habent. Alij verò qui totam partem capitis superiorem, & quod sequitur.

Si à cincino faciei, intelligendum est de eo qui solam anteriorem partem capitis seu frõtem depilatam habet. Discrepant autem Hebræorum Rabbini in distinguendis significationibus vocabulorum quæ hic ponuntur, scilicet kereach quod caluum reddunt, gibbeah quod recaluastrum interpretantur, & quidam dicunt kereach, id est, caluum dici, qui capillos habuit sed defluxerunt, gibbeah verò esse, cui nulli vnquam capilli fuere. Alij dicunt prius nomen significare cui totum caput depilatum est. Secundum verò cuius sola frons depilata est. Tertij dicunt prius significare eum, cuius vertex sine pilis est. Secundum verò cuius frons depilata est. De his sic scribit Kimhi in radicibus suis. Gabbachath est locus in quo non fuit capillus, sed charchath est in quo fuit capillus. Sic quoque gabbachath recaluatio vestis dicitur, cùm vestis adhuc noua est & non habet pilos propter plagam lepræ. Caluities verò est, quando propter vetustatem, pilus ab ea defluxit, & propter lepræ plagam. Quod autem hic dicitur. Et si à cincino faciei. Alij melius vertunt. Si ab angulo faciei, pro si ab angulis faciei. Est enim duplex caluitij modus, & per consequens duplices calui, quidam in toto capite in quibus caluities incipit ab occipite, & in fronte desinit & hæc propriè dicitur caluities, alij qui in lateribus frontes habẽt duas quasi vias seu ingressus ad caput absque capillis, in medio tamen frontis capillos habent, & isti non dicuntur propriè calui, neque huiusmodi depilatio dicitur propriè caluitium: vnde sic textus iste reddendus est. Et si ab angulo pro angulis faciei depilatum est caput eius, id est. Si non est totus caluus sed solos angulos frontis depilatos habet, caluus est & mundus.

Cùm fuerit in depilatione vel in caluitie, plaga alba subrufa. Sanctes vertit in caluitie vel recaluatione, & per plagam albam subrufam, intellige plagam albam tendentem ad rubedinem: plaga lepræ est in depilatione eius, vel in caluitie, id est, in loco vbi fuerunt pili, vel vbi semper fuit caluitium, & ex hoc videtur constare discrimen inter duo prædicta nomina, vt scilicet charchat significet depilationem, seu depilatum locum quacunque ex causa, gibbeach verò caluitiem siue totius siue partis capitis, seu locum vbi nunquam fuere capilli neque erunt.

Vestimenta eius erunt scissa. Hic decernit lex signa, quibus leprosus se leprosum tenebatur ostendere, neq; explicat textus scissionis vestis modum: sed credendum est quòd scissio fuerit à parte anteriori. Erat autem hoc in eis insuetum, quoniam supra capite. 10. prohibentur vestes scindere ob luctum.

Et caput eius erit discoopertum. Hoc etiam nouum in eis erat, quoniam capita nudare prohibebantur.

Et super labium operiet. Intelligo altera ala vestis scissæ, quam super humerum iactabat vt nostri sæpius faciunt, & crediderim hoc facere, vt os fœtidum operirent, ne halitus aliis officere posset. Habent enim leprosi fœtidum halitum, & qui aerem facilè posset infecere.

Et immundum, immundum, se appellabit. Quotiens hominibus occurreret, tenebatur se immundum clamare: vt ab eo alij declinarent. Ista ergo quatuor signa ostendebat leprosus occurrentibus, quæ apud Iudæos erant signa lugentis, quibus signis discebant leprosi, reliquam vitam in luctu sibi fore transigendam Chaldæus vertit.

Labia sua instar lugentis inuoluet. Vestis cùm fuerit in ea plaga lepræ. Agit nunc lex de plaga lepræ in vestibus. Scribunt Hebræorum quidam, lepram vestium & domorum, in vniuerso mundo nunquam apparuisse, nisi in sola Iudæa & populo Israelitico: & hoc cum legibus Dei aduersabantur, cùm verò iuxta leges eius viuerent, ab hac plaga fuisse omnino liberos, sed hoc non puto verum, putarem potius Deum vocare lepram, vestium putredinem aut corrosionem ipsarum, quacunque id causa accideret in eis, quas putrefactiones & corrosiones aliæ gentes minimè curabant, quemadmodum neque alias corporum immunditias ex contactu contractas, quoniam populum illum mundissimum esse voluit Dominus.

In stamine vel subtegmine linorum & lanæ. Dicunt tam Hebræi quàm nostri, à stãh quod est bibere, diriuari seri, id est, stamen, sed non video quam allusionem habeat stamen ad potum, nisi dicamus esse tenue & subtile quemadmodum aqua. Putarem potius esse asut, quod est ponere, à quo est set, id est, fundamentum, vnde seti, id est, stamen quod sit quasi telæ fundamẽtum. Ereb verò quod est subtegmen ab arab, quod est miscere coniungere ortum habet, quasi mixtum cum stamine. Poterat autem non solum vestis ipsa lepra infici, sed materia vestis, nempè stamen vel subtegmen.

Vel in omni opere pelliceo. Vocat opus pelliceum, quod ex pelle fit, vt vestis cuiuscunque generis.

Fuerit plaga viridis vel rufa. Cùm vestis aut pellis incipit corrodi, apparet in ea macula viridis aut rufa: quam hic lepram appellat. Et à verbo larach quod significat excreare præsertim viridem excreationem, est lerachrach quod est viride, sed aliqui putant huiusmodi nomina geminata significare augmentum, alij dimi nutionem significati. Nam aliqui dicunt significare subuiride, alij impense viride, quemadmodum adamdam, quidam impense rufum, alij subrufum significare putant.

Lepra pungens est Non plenè constat quid propriè significet maar, id est, pungens, quoniam rara est in scripturis dictio. Ponitur tamen Ezechielis 28. vbi dicitur. Spina mammir, id est, pungens, aut dolore afficiens, quod Hieronymus vertit. Amaritudinem afferens, aut offendiculum amaritudinis, & videtur non significare pungens, cùm dicatur de plaga in veste, quę vestis pungi non potest cùm sit insensibilis, nisi eam dicamus ex sua natura pungere.

Igne comburetur. Ne videlicet alias vestes inficeret.

Et omne vas pelliceum. Vocat vas pelliceum, omne quod ex pelle fit, siue vestis, siue quodcunque aliud. Solet enim hebraismus omnem rem, vas vocare, iuxta illud [illegible]al. Cantabo tibi in vase Psalmi, id est, musico instrumento, quemadmodum vocat omnem rem verbum.

Non mutauit plaga oculum suum. Sic est in hebræo, sed vt in hebraismis admonuimus, vruntur Hebræi sæpius in communi sermone, potentia pro obiecto, vt visu pro re visa, oculo pro re quæ oculo videtur, sicut Nume. 11. vbi de colore mannæ dicitur. Veeno, id est, oculus eius sicut oculus Bedolach, id est, color visus, sicut color lapidis Bedolach.

Corrodens est, scilicet lepra *in depilatione sua, in caluitio suo.* Diximus supra hoc eodem capite de his duabus dictionibus: sic in veste si erat omnimoda corrosio, dicebatur caluitium. Si autem attonsio seu non omnimoda depilatio dicebatur depilatio.

Ecce restricta est. Sic melius vertas quàm Ecce subobscura.

Igne combures eam, scilicet vestem: *Cùm illo in quo est plaga*, aut *quia in eo plaga*, scilicet adhuc. Nam si ablata aut combusta plaga lepræ à veste, adhuc in veste vã debatur aliquid plagæ, comburenda erat vestis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et recesserit ab eo plaga. Si enim propter lotionem plaga recessisset, nondum vestis erat munda ad vsum: sed vltra hoc secunda lotio requirebatur. Mouet hic Caietanus dubium, cur inter tot humani corporis morbos etiam contagiosos, non prohibuit alios nisi lepram, non pestem quæ magis grassatur in populo, neque alias infirmitates. Ad quod respondeo quod cùm legislatoris mens fuerit, immunditias corporales prohibere, illos morbos prohibuit, qui quandam præ se ferunt corporalem fœditatem, qualis est lepra, fluxus sanguinis & seminis menstruum & id genus morbos.

CAPITIS. XIII. LEVITICI AD morum honestatem, annotata.

Homo cùm fuerit in cute carnis eius tumor vel scabies: adducetur ad Aharon. Voluit Dominus veteris legis sacerdotes, lepræ medicos agere, vt in eis adumbraret nouæ legis ministros deterioris lepræ, scilicet, peccatorum iudices constituendos. Debebant enim cæteris omnibus esse mundiores, qui de aliorum maculis iudicare debebant. Docet etiam reipublicę rectores eos morbosos à sua republica expellere, qui facilè alios inficere possunt.

Claudere faciet plagam septem diebus. Sunt homines qui ea facilitate alios de malo iudicant, ac si quæ in corde eorum sunt, eo acumine viderent, quo Deus scrutatur renes & corda, quos loeus iste arguere videtur, qui non permittit sacerdotem facilè hominem leprosum iudicare: sed prius multis diebus recludere, & iudicium suspendere. Quod si Dominus non sinit sacerdotem suum, statim de lepra quam oculis cernit decernere, quomodo te permittet de cordis malitia, proximum temerè iudicare? Nolite ergo statres mei iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini, quoniam quo iudicio iudicaueritis iudicabimini. Sunt tamen quædam tam apertè mala, vt de eis nobis iudicare permittatur, de quibus statim sequitur.

Neque claudere faciet eam. Si operuerit lepra omnem cutem plagæ. Mirum valdè videtur hominem iudicari mundum, si totum corpus eius scabie esset infectum: non autem si alternatis partibus, alteram sanam atque alteram morbosam haberet: vt ostendat nobis, eum deterius curari, & periculosiori morbo laborare, qui bona opera mixta malis habet, quàm qui omnia mala. Quoniam qui mixta habet, in bonis fidit, & mala
Cap. 7. non curat propter bona. Nolite (ait Ieremias) confidere in verbis mendacibus, dicentes templum Domini templum Domini est. Putabant enim Iudæi omnia
Cap. 1. tuta (vt Isaias habet) si boues mactarent, suffitum apponerent, Kalendas & alias solennitates seruarent, manusque ad cœlum extenderent. Sed quoniam manus fœdatas habebant innocentum cruore, audierunt omnia hæc odisse animam Dei. Sic inter Christianos sunt multi criminosi & vitiis onusti, qui secure degunt, postquam omni die sacrum audierint, horarias preces persoluerint, statutis diebus ieiunauerint, quorum typum gessit Pharisæus ille leprosus, qui se sanum arbi-
Luc. 7. trabatur, cùm leprosus esset, & Christum non prophetam iudicabat, & peccatricem morbosam, qui eum se soluendo non esse arbitraretur, parabolam audiuit, quæ eum debitorem arguebat, illos verò peccatores peccatrix illa adumbrabat qui in se nihil præter mala cognoscunt, qui se intus erubescentes, facilè omnia peccata suo omnipotenti medico ostendere non verentur.

Lauabit vestimenta sua & mundus erit. Si mundus est Domine, quid eum lauare præcipis vestimenta? Docet hic pios, culpam timere, vbi culpa non est. Qui
Ioan. 13. lotus (inquit) est non indiget, nisi vt pedes lauet, vbi pulchrè docet non solum timendum esse, ne malus sis sed etiam ne malus appareas. Quoddam enim genus culpæ esse videtur, etsi non sit, malum apparere. Neque tamen pius præcipit pater, corpus lauare sed vestem, quoniam sat est illi qui solùm malus apparet, extergere famam malam.

Si creuerit macula nigra, possessor mundam iudicauerit eum. Non putent sacerdotes Dei, se in iudicando errare non posse, cùm audiant hic sacerdotem deceptum: sed laborandum eis est, vt errorem corrigant.

Leprosus vestimenta habebit scissa, caput eius erit nudum, & labrum operiet, & immundum proclamabit se. Vtinam sic respublica Christiana omnis esset instituta, vt omnes morbosi, maximè qui suo contactu alios inficere possunt, sua signa deferrent. Et si, qui aliorum corpora, sua contagione lædere possunt, sic notantur: cur qui animas aliorum suis peccatis maculant & inficiunt, suis notis non distinguantur? Mirum valdè est quod leprosus, ne alios lædat signum deferre tenetur, & se proclamare leprosum. Pestiferum omnes fugiant, peccatorem verò qui qualibet hora mille animas in baratrum deiicit, omnes admittant, nemo fugiat. Quis nunc datet maleficos & maleficas, meretrices, anus, qui suis blandis verbis puellas decipiunt, aliosque omni peste ac lepra deteriores sua signa distinctiua deferrent, seseque tales dum alios occurrerent, proclamarent.

Solus habitabit. Solebant quondam boni reipublicæ Rectores, meretrices & alias perditas fœminas, in sequestrem locum, à suis ciuitatibus seiicere, ne illarum malos mores, & impudicitiam, honestæ fœminæ discerent, & eorum peccatis scandalizarentur. Nunc verò omnia confusa sunt, omniaque permixta, ita vt nescias inter castam & peccatricem distinguere, eadem vestis, idem vestiendi modus, omnia similia, ita vt vix scias inter eas discernere. Det ergo nobis Dominus tales reipublicæ Duces qui postquam curauerint omnes corpore morbosos, à sua republica ablegare, curent etiam & maximè, publicos peccatores ab ea seiicere. Audiant quid Paulus Corinthiis dicat. Omnino *1. Cor. 5.* auditur inter vos fornicatio qualis neque inter gentes nominatur, vt vxorem patris sui quis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.

CAPITIS. XIIII. LEVITICI AD literam annotatio.

Dixit Dominus ad Moseh. Ista est lex leprosi. Agit hoc capite lex, qualiter mundandus sit homo leprosus, quomodo à sacerdote inspiciendus, tertio de purgatione domus leprosæ.

Accipiet pro mundando duos passeres viuos mundos. Quæ aues mundæ & immundæ essent, vndecimo capite notatum est. Est etiam Sippor aliquando nomen proprium cuiusdam auis, quam quidam passerem arbitrantur: nonnunquam verò auem in communi significat, Genesis enim septimo habes. Omnis Sippor, id est, auis, vbi videtur esse commune nomen. Idem Deuteronom. decimoquarto. Omnem Sippor, id est, auem mundam comedetis. Psalm. 102. videtur peculiarem significare, vbi dicitur Chesippor, id est, sicut passer solitarius super tecto, & est aliquando masculini, aliquando fœminini generis. Est autem aduertendum verbum Sappar, à quo Sippor, id est, auis, dubiæ significationis esse apud Hebræos, qui dicunt significare mane surgere, aut discere, sed vt diximus Genesis septimo, & decimoquinto, videtur potius significare volare, aut coronare, licet significatio nondum mihi certo cognita sit.

Coccum bis tinctum & ysopum. Significat (seni) Hebræis colorem rubeum, quem nostri carmesinum vocant. Alij granum putant. Dicunt etiam radicem eius esse sen, id est dens, sed quia nihil allusionis habere videtur grana, aut carmesinus ad dentem, arbitror potius esse à radice sanah, quod est duplicatio, quare puto significare potius filum duplicatum sericum, quod nostri vocant retroos. & crediderim hoc duplicatura filum esse ad ligādum ramum cedri cum ysopo, ex quibus aspersorium sanguinis faciēdum erat. Aliam verò dictio-

Vers. 49. dictionem sequentē, scilicet tholaat, iam in Exodo diximus significare vermem rubei coloris: quod ibi multis exēplis probauimus: vnde hic pro coco vermiculi, posset legi duplicatum vermiculum, seu duplicatum rubeum, scilicet nisi. Quod verò seni significet filum, constat ex cap. trigesimo octauo. Genesis: vbi dicitur. Et ligauit manum eius sani, id est, duplicato, scilicet filo, aut filo rubeo. Aliqui hanc duplicitatem quam sani significat, referunt ad colorem, vt scilicet color iste fuerit intensus valde, & ideo dicit duplicatum.

Super aquam viuentem. Vocat Hebraismus aquam viuentem, quæ decurrit, quoniam viua à mortuis, motu & sensu discernere solemus: ideo aqua quæ mouetur viua dicitur, qualis est aqua fluminum & fontium decurrentium, mortua verò quæ non decurrit, qualis est stagnorum & puteorum. Hinc illud Cantucorum. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium. Et Ioannis quarto. Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.

Dimittet autem viuum super faciem agri. Adumbrabat hæc auis dimissio in agrū, abiisse à leproso morbum, eumque ab ea liberum remansisse.

Supercilia oculorum. Dicuntur supercilia Hebraice gabbot, quod eleuationes significat eo quòd sint partes eleuatæ in homine.

Duos agnos immaculatos. Iam sæpius dixi hic non agi de macula velleris, vnde Hebraice habetur, pro immaculatis integros, id est, quibus nihil desit.

Tres decimas similæ minchah mixtam oleo. Non constat cuius mensuræ fuerint istæ decimæ. De minchah diximus. 2. cap. huius libri fuisse munus ex farinæ flore, quod Domino offerebatur: vnde vt sæpius diximus, nō bene in multis locis verti potest munus: licet munus in genere nonnunquam significet.

Et sextarium olei vnum. Vocatur Hebraice sextarium Log. & secundum Rabbi Dauid continebat sex ova, & forsitan hac de causa. Nostri vocant sextarium, sed cùm ova sint inæqualia, & mensuram oporteat esse certam, non video qualiter ex ouis potuerint certam colligere mensuram. Erat autem Log vt Hebræi dicunt, minima mensura: quæ per vigintiquatuor multiplicata conflitiebat satum, scilicet. 144. ova, quod si satū per tria multiplices proueniet mensura ephi, quæ continet. 432 ova quæ mensura decies accepta, continet quatuor milia &. 320. atque. 20. ova.

Mensura Log qualis quid Hebraeus fuerit. Satum quid Hebraeus sit. Ephi. Mulier quid Ephi.

Eleuabit ea eleuatione coram Domino. Quid hac eleuatione significabatur, sæpius diximus: ea videlicet præsentari Domino munus oblatū, cuius sedem offerens in cœlo munus esse protestabatur. *Et holocaustum in loco sancto.*

Non arbitreris alium esse locum, in quo hostia pro peccato immolabatur, atque aliud quo holocaustum: quoniam in textu iubetur agnum immolari in loco vbi immolatur hostia pro peccato: holocaustum verò in loco sancto: quoniam vtrunque in loco sancto immolabatur.

Sanctitas sanctitatum est, id est, sanctum, quod nullus prophanus comedere debet.

Ponet super cartilaginem auris mundandi. Aliqui pro cartilagine vertunt teneritudinem. Hoc enim significat tenuch, id est, teneritudinem. Alij fibram vertunt. Est autem fibra extrema pars cuiuslibet rei, ideo hic quidam fibram vertunt. Diximus de hoc nomine Exodi vigesimonono, & hoc libro capit. 8. Quid hæc vnctio in sacerdote adumbraret: diximus Exodi vigesimonono, in leproso verò videtur significare eum liberum, ad audienda & operanda diuina. Antea enim non poterat se aliis coniungere, neque adire sacra loca ad hæc facienda: vel significabat, capitis & corporis totius munditiam adeptam.

Sparget de oleo septem vicibus, coram Domino. Quid huiusmodi aspersio significaret, iam aliàs diximus, quod scilicet fieret ad occurrendum iræ diuinæ: & fiebat olei huiusmodi aspersio: vt Deum deliniret humano more de deo loquendo.

Super sanguine oblationis pro delicto. Liniebatur prius auris fibra sanguine, postea oleo vt dictum est, ideo dicit super sanguine oblationis pro delicto, id est, quæ pro delicto oblata fuerat. Neque aliud hic putes interuenisse delictum à lepra ipsa: quoniam leprosus, leprum sine peccato incurrerat, vt diximus de puerpera. 12. cap. præcedenti: vnde statim sequitur.

Faciēque sacerdos oblationem pro peccato, expiabitq; mundandum ab immunditia sua, quo datur intelligi, peccatum à quo leprosus erat à sacerdote mundādus, nullum aliud esse præter lepram.

Non fuerit manus eius apprehendens. Significat verbū nasag, à quo maseget, attingere comprehendere, & sumitur hic manus pro facultate & potestate ac si dicat. Et facultas seu potestas eius, nō pertingit, scilicet ad emendum hæc omnia & videtur Hebraismus. Non esse alicui manum, ad attingēdum aliquid, id est, non habere ad illud facultatem.

Pro eleuatione, id est, ad eleuandum Domino iuxta morem. Quoniam vt sæpius admonuimus, quod Domino offerebatur, eleuabatur sursum, vt Domino in cœlo residenti præsentaretur.

Pro sacrificio. Hebraice pro minchah. *Quos apprehendet manus eius*, id est, apprehendere poterit facultas eius. Arbitrabatur enim neminem tam pauperem esse, quin posset emere duos Turtures, aut duos pullos columbæ.

Erit vnus pro peccato, id est, pro immunditia lepræ. Nullum enim aliàs peccatum hic interuenisse videtur.

Super loco sanguinis delicti. Vngebatur prius cartilago auris, & pollex dextræ manus & pedis, postea verò huiusmodi loca, oleo vngebantur.

Vnum in holocaustum in sacrificio. Hebraicè pro in sacrificio, legitur cum Minchah, id est enim illa oblatione farinacea. Vnde Munsterus hic vertit, cum oblatione Minchah.

Cuius non apprehenderit manus ad mundationem suam, id est, cui non fuerit facultas, ad omnia quæ necessaria sunt ad mundationem suam.

Et dedero plagam lepræ. Constat ex hoc loco, lepræ morbum, non casu inter Hebræos accidisse, sed à Deo, ad eos puniendos immissum: neque eos semper fuisse tales, vt fabulosè scripsit Menathon Ægyptius historiographus, & alij gentiles scriptores qui dicūt, eos quos Moseh exules ex Ægypto, in terrā Chenahan duxit, pulsos esse metu contagionis ab Ægypto, propter scabiem & lepram, ne pestis in plures serperet. Sentiūt itaque Israelitas non fuisse nisi colluuiem scabiosorum & leprosorum: quorum Moseh dux factus, instituerit, vt peregrinis non communicarent, ne eadem de causa, inuisi apud incolas forent, testis horum est Iosephus antiquitatum libro tertio. & de bello Iudaico libro septimo: ideo lex exigit diligentissimum iudicium de lepra, & religiosè separat leprosos à connictis aliorum hominum, vt vanitas & impudētia gentium, perspicue refutetur. Si enim vt illi dicunt, Israelitæ fuissent tantum colluuies leprosorum, ad quid leprosos à se Dei mandato ablegarent?

Expurgabunt domum antequam sacerdos ingrediatur. Videtur huiusmodi expurgationem fiendam, non solum a sordibus, sed ab omni supellectili quæ erat in ea: ne scilicet contaminaretur. Ante iudicium enim sacerdotis, de contaminatione, nihil quod in ea esset erat immundum: sed bene post, ideò ante ingressum præcipit omnia inde extrahi, ne post iudicium contaminationis masterent immunda. Aduerte autem quòd verbum Hebraicum panah, quod hic Sanctes vertit expurgare, significat proprie vertere se, vt patet Deuteronom. 31. Quia panah, id est, vertit se ad Deos alienos. Et quia vertere nihil aliud esse videtur, quàm vertere id quod mundatur, ideo significat etiam vertere & mundare: vt patet Malachiæ. 3. vbi dicitur Vpinah, id est, verret seu vertet viam, ante me. Et Genesis vigesimoquarto habes. Et ego piniti, id est, verri seu verti, aut mundaui domum. Significat etiam respicere, sed non tam proprie cuius significationis multa sunt in sacris literis exempla.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si in plaga quæ est in parietibus domus, fuerint nigredines, fistulæ, vel rubedines, & aspectus earum fuerit humilior pariete.

Hebraice sic habetur. Videbit plagam, & ecce plaga in parietibus domus, nigredines, viredines, vel rubedines, vel dictio sechaharot, id est, nigredines, videtur composita ex sacha, quod est profundum esse, in profundum mittere, vt Hebræi dicunt. Sahar verò, est cogitare. Sed si hoc verum est, nescio quomodo nomen compositum, poterit significare nigredinem: cùm nulla pars componentium, eam significet. Vertendum enim potius erat, profunditates cogitatas, quàm nigredines. Sed cum ignorēt propria significata partium componentium, nō mirum si ignorent nominis compositi propriam significationem. Est autem significatio vtriusque nominis meo iudicio Hebræis ignota. Dicunt enim sachar significare cogitare existimare, sachar verò eum duplici patach mensuram, de qua Gen. vigesimosexto diximus quod sentiebamus: saharuriiah verò turpitudinem, sicut saparuriah & saharurit. Sahar verò portam, quæ omnia nihil allusionis adinuicem habent. Sed loco Gen. citato diximus, sahar verbum, potius significare discooperire aut discooperiri seu aperire: licet significatio non plene nobis sit nota: sed ex coniecturis quas ibi adduximus: sentimentum nostrum vtcunque probauimus: quoniam hæc significatio, ad portam, quam sahar significare constat allusionem habet, ratione apertionis, quod etiam probari potest ex eo quod habetur Ieremiæ vigesimonono: vbi dicitur. Et dabo eos tanquam ficus hasoharim, id est, apertas, quod alij vertūt turpes fœdas, quales apertæ esse solent. Neque arbitror significare quamcunque aperturam, sed turpem seu putridam. Sahar verò significare mensuram, quæ formam portæ apertæ habet: & ita solent mensuræ fieri, quæ scilicet in parte superiori habeant formam ostij aperti. Aliud verò verbum, scilicet sacha, non profundum esse arbitror significare vt Hebræi dicunt, sed potius turbidum esse. Moueor autem ad hoc ex locis vbi verbum ponitur, in quibus magis quadrat turbulentum quàm profundum, quemadmodum Hamos 9. vbi dicitur. Ve Sochah, id est, Et turbidum erit sicut fluuius Ægypti, qui liquescentibus niuibus turbulentissimus esse solet. Et cap. 8. Et eiicietur Venisehah, id est, & turbabitur, sicut fluuius Ægypti: vbi nostri vertunt. Et profundum erit. Item Iere. 15. si sic tischa, id est, turbabitur Babel, quo in loco nostri verterunt, demergetur Babel: vnde sechaharot aut sechaharurot, obscuras aperturas significare puto, aut profundas, si Sacha significet profundum esse vt Hebræi dicunt. Quidam profundas nigredines interpretantur. Sequens verò dictio, scilicet ierachracot, quod virides vel subuirides sumus interpretati: à larach, quod exercare viridem exercationem significat, ortum habere Hebræi putant, sed (vt iam diximus) aliqui ex Hebræis putant huiusmodi geminata nomina, significatum augere, alij verò diminuere: ideo aliqui impense virides vertunt, alij subuirides, quos noster Sanctes in suo Lexico sequitur. Tertia verò scilicet adamdamot ab adam quod est rubescere ortum habet, & sicut præcedens significat aut impense rufum, aut subrufum: & putarem potius subrufum quàm impense rufum significare. Est ergo textus sic reddendus. Et videbit, scilicet sacerdos, plagam videlicet domus, & ecce plaga in parietibus domus, scilicet versa est in obscuritates putidas aut apertas aut in profunditates apertas, si Hebræorum significationem sequaris. Vocat autem profunditates apertas, aperturas profundas, quæ quasi scissiones in carne leprosa apparent. Caro enim putris, facilè diuidi & secerni solet, in viriditates aut rubedines. Cùm enim sacerdos viderit maculam seu plagam domus, versam aut in obscuras aperturas seu putres, aut virides, aut rubeas, & cum hoc aspectum eorum pariete humiliorem, egredi è domo debebit, & facere eam claudere.

Eruent lapides in quibus est plaga.

Ignorant meo iudicio Hebræi propriam significationem verbi chalats, ideo multas & varias illi tribuunt. Dicunt enim significare recedere, ad quod citant illud Hosēh. 5. vbi dicitur Chalats, id est, recessit ab eis. Secundo dicunt significare educere, iuxta id quod dicitur Threnorum. 4. Serpentes chalesu, id est, eduxerunt mammam, aut nudauerunt vt Hieron. vertit Deuter. vigesimoquinto dicunt significare soluere, quo in loco dicitur Vechalesah, id est, soluet calciamētum eius. Numeri verò trigesimo secundo accingere, vbi sic habes. Transibit vobis omnis caluts, id est, accinctus, & sic variant significationes & multiplicant, prout exigit locus quem interpretantur. Sed cùm loca quibus verbum ponitur attente expēdissem, arbitror verbum proprie significare separare, diuidere, dissoluere, & si vis adde cum Hebræis accingi, & ne libere loqui videamur, quæ diximus scripturæ exemplis probabimus. Psalmo enim centesimodecimosexto habes. Quoniam chillasta, id est, remouisti seu separasti animam meam de morte. Et Psalmo sexto challesah, id est. Erue animam meam. Illud verò ex Threnis citatum. Sic vertendum puto. Sed serpentes diuiserunt mammam pro mammas: lactauerint catulos suos. Solent enim animalia, quæ multos habent filios, vbera illis diuidere: præstantes aliud vni atque aliud alij, vel dissoluerunt mammam, licet prior interpretatio sit germanior. Quod autē ex Numeris citant, sic vertere potes. Transibit vobis omnis separatus seu diuisus: pro accinctus. Solent enim armati, esse separati & diuisi à vulgo inermi. Ab hac radice est chalasaiim, id est, lumbi sic dicti, quòd sint ab inuicem diuisi, & separati. Mediat enim inter eos spina dorsi. inde etiam chalisah, id est, mutatoria, scilicet vestis, sic dicta, quòd sit diuisa & separata ab ea quam quotidie portamus. Nondum tamen rem omnino diffinio, quia nondum plene compertam habeo.

Radere faciet intrinsecus. Hebraice est. E domo, & iam hunc Hebraismum explicuimus in Hebraismis.

Postquàm extraxerint. Melius separauerint. *Lapides pungens ipsa.* Posset verti. Dolore afficiens. Dictionis tamen significatio, non plene nota est.

Ad expiandum illam domum. Hebraice est ad expiandam illam à peccato, potest tamen verti vt vertit Sanctes, & constat ex hoc loco immunditiam domus vocari peccatum.

Et maculæ albæ. Sanctes vertit hic nomen netech album, in lexico vero nigrum, vt videas quàm bene nouerint nostri & Hebræi nominum significationes, verbum significat rumpere aut excoriare, nomen verò ruptionem aut excoriationem. Multi legentes nigram, putant esse maculam quam nos vulgo appellamus tinha quæ est macula nigra, & communiter caput corrodit. Si ergo teneas verbi significationem, vertendum esset. Hęc est lex omni lepræ, & maculæ euulsionis aut ruptionis, id est, in qua cutis aut carō rupta est.

Et tumoris, & scabiei, & candenti maculæ.

Prima dictio eleuationem significat, ideo bene per tumorem versa est, secunda verò, scilicet sapach coniunctionem, & bene per scabiem vertitur, quæ nihil aliud esse videtur, quàm coniunctio seu coniunctum quid. Nos vocamus bostellas. Tertia, scilicet baheret, significat quid splendidum, & maculam splendentem, aut candidam vt nix.

Ad docendum in die, quod immundum est: & in die quod mundum est.

Ad docendum, scilicet populum, in die, id est, per singulos dies: quod immundum est, & per singulos dies, quod mūdum est. Aut ad docēdum in die, scilicet septimo post reclusionem, id quod immundum est, & quod mundum est, sed prior sensus legitimus.

IN CAPVT. XIIII. AD MORVM ornatum annotationes.

Ista est lex leprosi, in die qua mundandus est, adducetur ad sacerdotem.

Sunt multi qui proximorum peccata cognoscere & iudicare dicare optimè norunt, sed nullus aut rarus, qui illis remedia adhibeat, non sic autem Dominus Deus, sed quos per sacerdotem leprosos iudicat: per illum mundos discernit. Similiter docet proximos leprosos ac peccatores, adducere ad sacerdotes: vt ab eis videantur & iudicentur. Tertio admonet sacerdotes non sese grauitendere, sed domos & vrbes ad ægrotos exire. Aduerte etiam hic hominem à lepra sanatum, non statim admitti ad aliorum consortium, sed prius à sacerdote explorari, an verè sanus sit, quo exemplo nos doceat, non statim ad sanctorum consortium admittendum hominem: qui diu in peccatis fuit, ne forte sanus appareat, & non sit, & sanos inficiat lepra sua. Vbi simul aduerte, quot ablutionibus erat opus, antequàm leprosus ad gregem Domini admitteretur: Iubetur enim vestimenta abluere, pilos radere, corpus lauare, ac extra tabernaculum suum septem diebus manere. Et simul aduerte diuinam dignationem, qui non solum apud Iudæos ducem, sed etiam corporum medicum agebat. Conduxit enim huiusmodi rasio pilorum, & corporis lotio, ad sanitatem viri leprosi: vt medici dicunt.

Sparget de oleo septem vicibus coram Domino.

Rigidus valde est dominus in vindicandis peccatis nostris: ideo illi oleo & sanguine occurrebatur, vt mollis fieret, & misericors. Audis hic quot ceremoniis opus erat ad mundandum leprosum, vt hinc discas quanto pluribus opus sit, ad mundandum peccatorem à lepra peccati.

Si pauper fuerit accipiet agnum vnum.

Aduerte qualiter hoc verum patet per scripturas & Dei verum fateatur.

Sunt multi qui solum erga Deum paupertatem ostendunt, qui pecunias sufficientes habent ad cibum, & potum, & quod est deterius ad ludum, ad fornicationem, & ad vitia, nihilque ad pauperes & ad pia opera se habere dicunt: hic verò Dominus præcipit, vt quantumcunque sit pauper, offerat tamen agnum Domino: quoniam qui ad nutrienda vitia dines est, pauper esse non debet ad sustentandum Dei ministrum.

Die octauo tollet duos agnos. Sunt qui sola miraculosa Deo referunt, & pro eis gratias agunt, nempe si subito ex ægritudine conualescant, aut ab incurabili sanentur morbo, & id genus alia, quæ verò beneficio naturæ, aut medicorum ope, proueniunt, negligunt in Deum collocare: ac si ipse nihil in huiusmodi effecisset: quos locus iste redarguit, qui pro sanitate ope naturæ adepta, sacrificium offerre iubet, vt alioqui mundatus cognosceret, hoc se à Deo recepisse, & illi gratus esset.

Dedero plagam lepræ in domo possessionis vestræ.

Punit Dominus peccatorem hominem, non solum in persona, sed in filios, agros, vineas, oliueta & in domum: quam inficit lepra.

Veniet ille cuius est domus, & nuntiabit sacerdoti dicendo: Tanquam lepra conspicitur mihi in domo.

Verentur vt plurimum peccatores peccata sacerdoti indicare, malentes potius in eis mori: quàm ea detegere. Alij verò ad exomologesim euntes: expectant sacerdotem tanquam diuinum, eis sua peccata prædicturum, qui ex hisce verbis arguūtur. Cùm enim quis, domus suæ lepram adhuc dubiam sacerdoti indicare veneatur, qui fit, vt deteriorem animæ lepram, peccatum dixerim, periculosè velit occultare apud se.

Expurgabunt domum antequam ingrediatur sacerdos.

Audis hic, quæ reuerentia sit præsentia sacerdotis exhibenda, cùm domum tuam fuerit intraturus, nempe domus ipsa mundanda, ne sordes domus, eius oculos offendere possint. Dei enim vicarius & minister est, & domum ad salutem tuendam ingreditur. Suscipe ergo eum sicut angelum Dei, sordes exterge, domum munda, cuncta interiora & externa repurgatne quid in ingressu, eius oculos offendat.

Reuertetur sacerdos die septimo. Sunt sacerdotes & pastores, qui postquàm semel morbosum hominem inuiserint, ad eum amplius non reuertūtur, sed mori sinunt, dicentes. Quod meum erat feci, Sacramenta administraui, quod amplius illic facturus sum? Multum

per omnem modum, Solaberis infirmum, vt leuius morbum ferat, hortaberis ad patientiam, roborabis ad viam si abire contingat, iuuabis ad mortem, & multa id genus facies apud eum. Si enim sacerdos totiens leprosam inuisit domum, vt lepram deprehendat, cur non tu ægrum, vt facias omnia quæ prædiximus.

Præcipiet sacerdos & eruent lapides.

Disce ex his qualiter debeas curare peccatorem. Prius reccludendus est. Secundo eos qui ei adhærent remouendi. Tertio si nulla sit spes destrue. Omnis enim lapis mouendus prius antequàm eum destruas, aut è medio tollas, & si malo aliorū aliter occurrere nequeas, destrue eum. Satius enim est eum perire, quàm quòd totam vicinam aut communitatem inficiat.

Pulverem alium tollet, & linet domum.

Lubet hic admōtare, quales fuerint domus antiquorum, & qualiter reparandæ, vt temporis nostri domorum superbiam taxare possim. Nempe ex lapidibus & luto, neque calce aut gypso, sed eodem luto liniebantur quo fiebant, vt hoc loco cernis. Quid nunc de domibus dicā, quas expolitissimis lapidibus, cedrinis & præcioribus lignis construimus? Omitto interim amplitudinem, & magnitudinem, vt soli velimus habitare super terram. Prætereo cælaturas, picturas & id genus alia. Audi quid Dominus dicat apud Isaiam. Scient (inquit) omnis populus Ephraim, & qui habitat Somrom in superbia, & in magnitudine cordis, dicendo. Lateres ceciderunt, sed leuigato lapide ædificabimus. Sicomori succisi sunt, sed cedros immutabimus. Et eleuabit Dominus hostes Resin super eum, & inimicos eius confundet. Audi quid quinto cap. eiusdē libri comminetur. Si non mulieræ domus in desolationem erunt. Sed quales? Nunquid quæ ex lapidibus & luto construēte sunt? Absit. Sed quæ? Grandes & pluchræ, absque habitatore erunt.

Qui ingressus fuerit domum, immundus erit vsque ad vesperam.

Aliter immundus efficiebatur, qui leprosam ingrediebatur domum, atque aliter qui in ea dormisset, aut commedisset, vt cognoscamus illos deterius inquinari, qui diutius in sordibus moram traxerint: atque aliter purgandum esse eum, qui solum peccata vt ita dixerim tetigit, & qui cum eis dormierit, aut comederit.

Tollet ad purificandam domum.

Non satis est te mundum seruare, sed omnia tua munda esse debent, corpus, domus, vasa, & omnia alia. Si vasa puerorum sunt munda (ait Abimelech Dauidi) licet sanctum panem comedere, aliàs non. 1. Sam. 21.

Purificabit domum in sanguine passeris.

Cuncta mundantur sanguine, neque suo sed alieno, & quod omnia inquinare solet, cuncta mūdat. Audi quid Messias apud Isaiam dicat, Aspersus (inquit) est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Mira res. Vestimenta huius sanguine inquinantur, & alios mundat sanguine suo. Lauauerunt (inquit beatus Ioannes) stolas suas, & candidas eas fecerunt, in sanguine agni. Sed hæc ad misterium pertinent, iuxta literam significatur omnia immunda, sanguinis vindicta mundari. Sed sit ille benedictus, qui permisit nos alieno sanguine mundari, & passeres soluere domus immunditiam. Cap. 65. Apoc. 22.

Dimittet autem passerem vivum super faciem agri.

Adumbrant isti duo passeres eundem mundandum. Tradatur (inquit Paulus) corpus Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini. Alter passer mactatur, alter libertate donatur, in mortuō significatur mors peccati, in viuo libertas spiritus, qui carnis interitu liberatur. Sed mutatio hæc dexteræ excelsi est, cui gloria. 1. Cor. 5.

LEVITICI XV. AD LITERAM annotationes.

Locutus est Dominus ad Mosen, & Aharon dicendo.

Agit hic legislator de viro seminifluo, de muliere menstruata, & sanguiniflua, & de purgatione eorundem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vir, vel cum fuerit fluens de menta eius fluxus suus, immundus erit.

Solent Hebræi loco omnis, vt eiusdem nominis generatione, & pro omnis vir, dicit Vir vir, qui Hebraismus in sactis literis, præsertim in libris legalibus, frequentissimus est.

Cùm fuerit fluens de menta eius.

Significat verbum Hebraicum zud, fluere quocunque modo, siue more aquæ, siue sanguinis Exodi tertio. Ad terram zahad, id est, fluentem lacte & melle, quo in loco nonnihil diximus de verbi significatione. Sic Isaiæ quadragesimo octauo. Et scidit petram: vaiazubu, id est, & fluerunt aquæ. Est tamen locus Threnorum quarto vbi hæc significatio non bene quadrare videtur, vbi nostri vertunt. Meliores fuerunt occisi gladio, occisis fame, quoniam hij iazubu, id est, fluxerit, perfossi propter defectum fructuum agrorum, sed hic sensus (meo iudicio) alienus est à verbis illis, quoniam multa supplet, quæ in textu nõ habentur, & literæ repugnanter traduci videtur. In textu enim sic ad literam habetur: Meliores fuerunt occisi aut pollui gladio, præ occisis aut pollutis fame, qui ipsi fluxerũt perfossi à prouentibus seu fructibus agri. Vertimus occisi vel pollui, quoniam verbum chalal vtrumque significat & magis proprie polluere quàm occidere; quoniã non significat occidere nisi quia occisus pollutus reputatur & fœdus, aut sanguine, aut quia mortuus, & est sensus illorum verborum: Meliores fuerunt occisi gladio, quàm occisi fame, qui scilicet occisi fame fluxerũt, id est, fluxum ventris passi sunt, quasi perfossi à fructibus agri. Cùm enim fugientes ciuitatem, & errantes in agris, nihil præter arborum fructus ad comedendum haberent, dysenteriam passi, cadebant & mortiebantur: vnde clarius verti posset. Meliores fuerunt pol luti gladio, id est, sanguine gladij, pollutis fame: quod statim explicat dicens, quoniam ipsi, scilicet pollui fame, fluxerunt, id est, ventris fluxum passi sunt, perfossi à fructibus agri, quemadmodum alij perfossi gladio. Non tamen priorem sensum reiicimus, quoniam bonus est, licet aliquid suppleat. Posset etiam esse sensus: Quoniam ipsi fluxerunt, id est, ceciderunt à fructibus agri, id est, propter fructus agri. Cùm enim nihil ad comedendum haberent, egrediebantur aliqui ad quærendum fructus agri ad eiuum, & à Chaldæis inuenti occidebantur. Aduerte etiam quòd in Hebræo non habetur, De menta eius, sed de carne eius, honestis enim verbis Hebraismus mentam carnem vocat, vt ad oculum videbis Exechielis vigesimotertio, vbi dicitur de Chaldæis: Adamauit seruos eorum, scilicet Chaldæorum, quorum caro, id est, membrum virile vt caro, id est, membrum asinorũ, & vt fluxus equorum fluxus eorum, & vbiq; in hoc capite, vbi noster Sanctes meo tam vertit, in Hebræo habetur caro. Est ergo sensus legis, quod omnis vir, cũ de menta eius seu carne fluxerit fluxus seminis, talis immundus iudicandus est. Est autẽ duplex modus huius fluxus seminis, quidam qui foris erumpit, alter qui coagulatur inter vasa seminaria, de quibus statim sequitur.

Fuit menta eius fluxum suum, scilicet emittendo foras semen, per modum saliuæ, vel coagulabit menta eius, à fluxu suo, immunditia eius est.

Sensus est. Hæc erit immunditia eius in fluxu eius, id est, hoc modo erit immundus, dum passus fuerit fluxum. Vocant autem Hebræi priorem fluxum keri; id est, profluuium seminis nocturni. Secundus grauioris est immunditiæ, quem Hebræi vocant tippuli; quæ est instillatio innaturalis, & hæc fit duplici via, vna per modum saliuæ seu spumæ iugiter distillantis, cum scilicet semẽ adhuc est indigestum. Altera per modũ Ab, hoc est crassiori via, vt etiã os mentulæ ea obstruatur.

Fluat menta eius seu caro. Aduerte verbum Hebraicum rar, à rir quod est spumare seu saliuam emittere ostium habere: vnde verti posset. Spumam emittit eius, aut caro eius: est etiam rir spuma, vnde illud Iob sexto. Non est sapor, in albumine ouj, posset melius verti in saliua, ac si dicat Non. Quod autem sequitur.

Vel coagulabit menta eius à fluxu suo.

Alij vertunt. Obturata est caro eius à fluxu suo. Significat verbum chatam, quod vertimus obturare, proprie claudere: ideo verti posset. Claudere fecit menta eius, fluxum suum. Solet enim huiusmodi immunditia seminis cùm crassior fuerit, lotij meatũ obturare.

Omne instrumentum super quo sederit, immundum erit.

Hebraice est. Omne vas super quo sederit, sed vocat Hebraismus omne instrumentum cuiuscunq; rei vas, iuxta illud Psal. Confitebor tibi in vasis Psalmi, id est, musicis instrumentis. Sic quod sequitur.

Omne instrumentum super quo sederit, cuius loco habetur: omne vas *lauabit vestimenta sua.*

Pro lauabit vestimenta sua, & pro lauabit se aqua, non ponitur idem verbum in Hebræo, sed priori loco ponitur chabas, secundo rachas, & licet Hebræi dicant idem significare, videtur tamen rachas significare dealbare, aut mundare, Iob vigesimonono, berechos, id est, quãdo dealbabam itinera mea butiro. Et Canticorum quinto. Rochaset, id est, lori aut potius dealbati lacte. Potest tamen communis significatio tolerari.

Si spuerit fluens super mundum.

Dubium est an loquatur de sputo vel saliua quæ ore emittitur, aut potius de semine per modum spumæ à menta distillato, & crediderim potius textum de semine, quàm de saliua loqui, & velle illum fore immundum, super quem fluens distillauerit, non tamen reiicio si de saliua exponas, quoniam iarach (vt sæpius admonui) significat priori modo spuere: vt patet Numeri duodecimo, & (vt admonui) significat excreare virulentum sputum: vnde iarach, id est, olus sic à viriditate dictum.

Omne sagma super quo equitauerit.

A rachab quod est equitare, descendit merchab, id est, sagma seu id super quo quis equitat, siue sit id quod nostri vocant albarda, Itali basto: siue sella qua nobiles equitare solent, & est sensus huius & sequentis textus, quòd omne super quo sederit seminifluus, siue equitando, siue quiescendo, erit immundum. Posset etiam stratum vertere: omnia enim quæ mulis, equis, asinisue, insternuntur, strata dixerunt antiqui, vnde Liuius septimo libro strata detrahi iubet. Seneca etiam ad Lucilium. Scutus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius.

Omnis quem tetigerit fluens, & manus suas non lauit aqua, lauabit vestimenta sua.

Poterat huiusmodi seminifluus dupliciter aliquem mundum tangere. Primo modo lotis prius manibus suis, & tunc non inquinabat illum quem tetigisset. Secundo modo ante manus lotionem, & sic quia immundas habebat manus: immundum reddebat id quod tangebat. Aduerte etiam quòd verbum sataph, non eam proprie significat lauare, quàm inundare & submergi, vt patet Isaiæ octauo vbi dicitur. Sehataph, id est, inundans, & transibit. Sic Psalmo centesimoquinquagesimoquarto habes. Tunc aquæ setaphunu, id est, inundauerũt nos, & sic hic significat lotionem manus, qua scilicet immerguntur & inundantur.

Si mundatus fuerit fluens à fluxu suo. id est, si cessauerit fluxus seminis in eo, *numerabit sibi septem dies ad mundationem suam*, id est, postquam senserit fluxum cessasse, *numerabit sibi septem dies*, ad hoc quòd mundus inde esse, vt scilicet possit cum aliis conuersari. Dixi de aqua viua, debebatur autem lauari aqua viua: quoniam non manet in ea immunditia post lotionem sed fluat, non sic autem aqua quæ non defluit seu carnem quæ manet. Hebræi dicunt, si fluxum nõ quàm excedere septem dies, ideo præcipit septem dies numerari, & quod numerandi esset à primo die fluxus, quod non probo, nisi de menstruo sit sermo, cum sæpius viderim, hominem vltra mensem, pari huiusmodi seminis immunditiam.

Faciet eos sacerdos, vnum pro peccato.

Constat ex hoc loco quemadmodum ex multis aliis, facere, Hebræis esse sacrificare: vt facere agnum, id est, ipsum immolare, in quem sensum quidam interpretantur

tantur illud Apostoli primę ad Corinthios vndecimo. Hoc facite, in meam commemorationem, id est, hoc immolate seu sacrificate. Et quod sequitur. Vnum pro peccato, debet peccatum accipi pro illa immunditia seminali quemadmodum de leproso & de parturiente diximus cum Burgensi.

Vir, cum egressa fuerit ex eo effusio seminis.

Hebraice est cum egressum fuerit ex eo, accubitus semen: quod Munsterus vertit semen somniale, vnde dicunt tam nostri quàm Hebræi, legẽ hic statuere, de eo cui in somnis accidit immunditia, seu seminis effusione pollui, & est linguæ idiotismus, accubitus semen, pro semen qui accumbentibus accidere solet.

Mulier cum qua iacuerit vir, accubitu seminis.

Dupliciter potest locus iste intelligi, vno modo vt sit sensus. Mulier cum qua coierit vir, scilicet semen fundendo in ea, & est sermo de eo qui patitur seminis fluxum. Alio modo sensus est. Mulier cum qua iacuerit vir, patiens fluxum seminis, qui solet accidere accumbẽtibus, & iste sensus est germanior. Et quidam legem intelligunt de simplici accubitu sine concubitu: alij verò de concumbente.

Mulier cùm fuerit fluens sanguine, fuerit fluxus eius in carne eius: septem diebus erit in menstruo suo, sensus est. Cùm permanserit fluxus eius in carne eius, aut descenderit fluxus eius ad carnem eius. Septem diebus erit in menstruo suo, quoniam non diutius durare solet menstruum. Et aduerte quòd licet ante septimum diem fluxus sanguinis seu menstruum cessaret, non tamen ante septimam diem poterat mundari. Aduerte etiam, à nadad quod est elongare: descendere niddah; id est, elongationem seu menstruum. Vocatur autem mẽstruum elongatio vel separatio, quia propter illud, mulier elõgabatur & saparabatur ab aliorũ consortio: & statuit lex hęc de mẽstruata seu polluta mẽstruo suo

Si coeundo coierit vir cum ea, & fuerit menstruum eius in eo immundus erit.

Dupliciter poterat vir cum menstruata coire. Vno modo post cessationem fluxus ante tamen septimam diem, & sic non fiebat homo immundus. Secundo durante fluxu, & sic lex hæc locum habebat, ideo in textu dicitur & fuerit menstruum eius, scilicet fœminæ in eo, scilicet viro. Caietanus autem de simul iacentibus sine concubitu eum intelligit, si aliquid menstrui illum tetigisset: quoniam textus habet. Si iacendo iacebit vir cum ipsa, & ibe sensus videtur germanior, quoniam alia pœna, scilicet morte plectitur qui cum menstruata coiret.

Mulier cùm fluxerit fluxum sanguinis eius diebus multis, super tempus menstrui sui, vel cum fluxerit in menstruo suo, omnes dies fluxus immunditiæ eius, secundum dies menstrui sui erunt, immunda est.

Tractat nunc lex, de fœmina quæ vltra menstruum patitur fluxũ sanguinis, & etiam de mẽstruo, & statuit quod cùm mulier fuerit passa fluxum sanguinis prẽter tempus mẽstrui, vel cùm fuerit mẽstruata, ita immunda erit omnibus diebus quibus passa fuerit fluxũ sanguinis, sicut est immunda propter menstruum.

Sicut stratum menstrui sui erit ei. id est, ita immundum erit, sicut stratum menstrui sui, & idem iudicium est de stratu eius.

Numerabit sibi septem dies, scilicet à cessatione fluxus *& postea mundabitur*: scilicet offerendo ea quæ in lege offerri præcepta sunt.

Faciet sacerdos vnum pro peccato, id est, immolabit, vt supra diximus, & capitur peccatum pro immunditia illa sanguinis.

Separabitis filios Israel ab immunditiis suis.

Ad sacerdotes sermo est, qui populum mundum seruare tenebantur.

Non morientur in immunditiis suis, id est, propter immunditias suas: contaminando sancta Dei, dum immundi ad ea accedebant.

Et eius à quo egredietur effusio seminis.

Hebraice iacentia vel accubitus seminis, quod alij vertunt somniale semen, & quod dicitur. Hæc est lex fluentis, intellige iugiter vel ad tempus. Est enim sermo de duplici fluxu.

IN CAPVT. XV. LEVITICI AD morum honestatem annotatio.

Locutus est Dominus ad Moseh & Aaron.

Munus sacerdotum & Prophetarum est, homines ab immunditiis separare: ideo in fine capitis sacerdotibus præcepit dicens.

Separabitis filios Israel ab immunditiis suis.

Quod verò hoc etiam ad prophetas pertineat, habes Lucæ primo: vbi beatus Ioannes nullius perhibetur, ad parandam Domino plebem perfectam, quæ maximè in munditia consistit, ideo hic, sermo munditiæ ad sacerdotes dirigitur.

Vir cum fuerit fluens de carne eius fluxus suus.

Patui facere solent homines voluntarias immunditias, & vt considerarent quanti essent faciendæ: prohibet hic & punit etiam inuoluntarias, & totum hoc caput quemadmodum præcedentia, munditiam summam nobis commendant.

Omne stratum in quo dormierit qui fluit, immundum erit.

Audis hic, quàm viscosum malum immunditia sit, quę non solum illum cui inhæret immundum reddit, sed omnia quæ tangit, immunditia afficit.

Lauabit vestimenta sua, & lauabit se aqua, & immundus erit vsque ad vesperam.

Mirum valde est vnicam sordem, tot lotionibus indigere, vt non satis esset tunicam quæ sordem tetigerat lauari, nisi etiam caro lauaretur, & solis occasus expectaretur, vt hinc discas, quanta ambitione, lauare debeas sordes mentis: qui tot lotionibus præciperis, sordes corporis abluere.

Si spuerit fluens super mundum. Impuri hominis omnia sunt impura, ita vt etiam sputum tam virulentum sit, vt mundum reddat immundum. Ad Titum primo habet Paulus. Iniqui hominis, impuram esse mentem & conscientiam.

Si mundatus fuerit fluens à fluxu suo, numerabit sibi septem dies. Sunt multi qui quàm primum peccatum reliquerint, statim se omnino mundos arbitrantur, parum curantes an malus peccatorum odor, adhuc in eis perseueret: quos locus iste docet, tempus statutum expectare. Audi quid de Magdalena Beatus dicat Abbas. Interstitij, inquit morositas, inter pedes esse debet & caput: quia profecto difficillimus & præsumptuosus saltus est à vestigiis ad verticem Domini transuolare. Neque enim eadem quæ vnxit pedes, vnxit & caput, cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur, secundum illud: Verte impios & non erunt. Vnxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profecto iam electa, iam familiaris effecta, longeque à peccatricis illius obuoluta vestigiis, quam infœlix ille Septenarius confundebat. *Die octaua sumet duos turtures.*

In sermone Magdalenæ.

Prouer. 12.

Cap. 9.

Si hauero me (inquit Iob) aquis niuis, immundum reputabit me. Ne ergo putares tuam lotionem, tibi ad munditiam sufficere: præcepit vt eius mundationem expectares, sine quo nihil est mundum. Sunt multi qui se statim mundos arbitrantur si peccata sua ipsi defleant, ieiunia multiplicauerint, eleemosynas largiantur, bona sunt hæc fratres mei, sed debitum pro peccatis non adæquant, nisi adsit gratia acceptantis, quam si ipse largiatur, minima nostra, magna reputantur in conspectu eius.

Vnum pro peccato, & alterum in holocaustum.

Voluit Dominus (vt iam aliàs admonuimus) in peccati expiatione, nobis occulte ostendere: quod in peccato nostro grauius esset: scilicet cum qui summe bonus est offendisse: ideo holocaustum quod honorem diuinum restituebat, peccato adiũxit: ac si nobis apertius indicasset, honorem sibi ablatum per peccatum, holocausto restituendum.

Mulier cum qua dormierit, lauabunt se aqua.

Nouerat sapientissimus legislator, hominem etiam immundum difficile ab vsu fœminæ continere: ideo noluit pœnam aggrauare: vt hinc discat legislatores, non esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse cum magna seuetitate punienda, ad quæ homines maximè proni sunt. Aduerte etiam in hoc capite & præcedentibus, multis pœnis affici, qui immunditias non sua sponte contraxerunt: vt hinc expendas, quàm grauiores sint daturi, qui voluntarie eas admittunt & amplexantur.

Separabitis filios Israel ab immunditiis suis, & non morientur.

Docet locus iste, quantum sit nobis cauendum, ne immundi Dei sacra tangamus: & si qui corporali tantum immunditia sacra domini tangunt, sic iudicantur & puniuntur quales dabunt pœnas, qui immunda anima, & inquinata conscientia, sacramenta sumere præsumunt? Similiter instruimur, quanti facienda sit domus Dei apud nos: qui licet familiarissime in medio nostri sit, cautissimè tamen cum eo etiam familiari, agendum est. Hac enim de causa Deum Iudæis præsentiam illam familiarem abstulisse crediderim: quòd eum inter se habentes, non debita tractauerint reuerentia. Sunt autem nonnulli, qui propter huiusmodi fœminarum immunditias: putant poligamiam in populo Dei permissam.

IN CAPVT. XVI. AD LITERAM annotatio.

Locutus est Dominus ad Mosen, postquam mortui sunt duo filij Aharon.

Crediderim hoc caput statim post decimum huius libri locandum, quemadmodum præfert textus iste: & tria in hoc capite statuuntur. Primum ne pontifex omni, sed certo tempore, sanctum sanctorum ingrediatur. Secundo traditur modus expiandi sanctuarium & omnia vasa & ministra illius. Tertio statuitur festum expiationis.

Dum appropinquare facerent coram Domino.

Subaudi ignem alienum. Et licet noster Sanctes verterit offerrent, verbum tamen Hebraicum appropinquare significat.

Non ingrediatur omni tempore sanctuarium, intra velum, coram propitiatorio.

Forte ante hanc prohibitionem intrare solebant: ideo prohibet. Hebraice pro intra velum est de domo veli, sed iam in Hebraismis admonui. Hebræos quod est intra vocare de domo, & ratio Hebraismi ibi reddita est. Et quòd sequitur.

Ad conspectum propitiatorij. Vocat conspectum propitiatorij, spatium quod erat inter velum & arcam seu propitiatorium. Causa quare Dominus nolebat sacerdotem locum illum secretum intrare nisi semel in anno: fuit ne sacerdos curiositate quadam deceptus, vellet ipsum videre, & sic moreretur iuxta illud Exodi trigesimotertio. Non videbit me homo & viuet.

Quoniam in nube conspiciar super propitiatorium.

Nomen hanan (vt Exodi decimoquarto probauimus) potius nebulã, quàm nubem significat: licet etiam significet nubem, quoniam nubes videtur quædam nebula, & quod dicitur, in nube, intellige nube seu nebula tectus, conuincitur autem nebulam significare, quoniam vt infra hoc eodem capite habetur, nebula quæ ex suffitu aromatico ascendebat, tegebatur Dominus super propitiatorium.

Cum hoc ingrediatur Aharon, id est, hoc prius facto, hac præparatione.

Cum vitulo filio bouis, id est, masculo, aut adhuc iuuene. Potest etiam esse linguæ phrasis, sicut filius hominis, id est, homo.

Fœminalia linea, erant super carnem eius.

Vocantur Hebraice fœminalia michnesaiim, id est, collectiones, quòd colligentur dum stringuntur, *bato theo lingo cinget se.*

Non plene constat (vt Exodi vigesimooctauo & trigesimonono diximus) quid proprie significet abner, videtur tamen constare ex hoc loco significare cingulum, sed cuius formæ fuerit, non constat.

Et mitra linea amicist se. Verbum sanaph significat inuoluere circundare, inde misnephet, id est, involucrum. Erat enim ornamentum, quòd capiti inuolueba tur, & Hebraice ad literam est. Et mitra linea mitrabit se (si sic latinis loqui fas esset)

Expiationem faciet pro se & domo sua.

Posset etiã verti liniet vsque ad se, & vsque ad domum suam, & sic in Hebræo est, & (vt sæpius dixi) hæc liniatio nihil aliud erat, quàm tegmen quo peccatum eius tegebatur: ne à Domino ad vltionem videretur. Dicunt autem Hebræi hanc expiationem fuisse confessionem, qua pontifex confitebatur peccata sua, & iniquitates domus suæ, super vitulum immolatum, sed nescio an hoc verum sit. Expiatio enim sæpius fiebat ipsa immolatione, sine alia confessione: quam si Dominus exegisset à sacerdote, expressisset.

Sortem vnam pro capro emissario.

Videtur vox Hebraica Azazel, esse composita ex Ez, quod est capra, & à zal, quod est abiit. i. caper abiens, & qui hoc sentiunt pro hazazel vertunt, caprum emissarium seu abeuntem, & sic vulgatus vertit. Thargum reliquit nomen Hebraicum sine interpretatione. Hebræi putant esse nomen proprium montis, prope montem Sinai: ad quod firmandum citãt id quod inferius hoc eodem capite dicitur: Vt mittat illum ad Azazel in desertum: vbi non bene vertas ad caprum emissarium in desertum, quoniam caper non mittebatur ad caprum in desertum, licet Sanctes noster vertat, pro capro emissario in desertum, mihi magis arridet Hebræorum sententia, vt, scilicet sit proprium montis nomen non appellatiuum. Rabbi Selomoh dicit hazazel esse montem fortem, & difficilem, angustum, & altum. Si ergo teneas nomen hazazel esse proprium montis nomen, sic textum interpretare. Et dabit Aharon super ambos hircos sortes, sortem vnam Domino, & sortem alteram pro hazazel, id est, pro monte sic appellato, seu pro capro in montem Hazazel mittendo. Primo Semuelis vigesimo inuenitur hazel significare lapidem itenerarium, vbi dicitur Apud lapidem Hazazel, id est, itinerarium: qui est signum transeuntibus per viam. Si queras qualiter huiusmodi sortes mittebantur, videtur ex textu colligi, quòd Aharon ordinabat sortes, aut in manu sua, quemadmodum apud nos qui mittere vult sortes inter aliquos, claudit stipulas aut virgulas inæquales paruas in manu sua: ita vt sola capita illarum appareant, quas signat aut distinguit, quia vna est vnius, alia alterius mẽsuræ, & staruit quid vnaquæque significet penes se, vel alios inter quos sortiendum est, & vocat vnum ex astantibus, aut eorum inter quos vult sortiri dicens Qui maiorem acceperit, habebit hoc, & qui minorem aliud, & tunc ille cui innuit, trahit stipulam vel virgulam, & sic manifestatur quid vnusquisque accipiet, & hoc modo puto hic Aharonẽ sortitũ inter capros. Nam duo ex textu habẽtur. Alterum quòd Aharon dabat seu offerebat sortes, procul dubio alicui ex assistentibus. Alterum quòd sors ascendebat, quod fit cùm huiusmodi stipulæ trahuntur, à manu offerentis, aut parua scripta ex aliquo vase. Græcus interpres pro voce Azazel vertit, malorum depulsorem, illuc respiciens, quòd caper ille, peccata populi in desertum afferret, & ex hoc loco, quemadmodum ex multis aliis deprehendes: quàm bene Hebræi nouerint vocabulorum Hebraicorum significationes. Potest etiam Azazel esse nomẽ capri, sic dicti, propter missionem, seu quoniam erat in solitudinem abiturus. Tradunt autem Hebræi hunc caprũ emissarium, per eum qui illum deferebat ex altissimo monte præcipitatum: qui tenebat filum rubrum manu sua, ad cornu capri alligatum, quod filum rubrum, in album vertebatur, si Deus illis propitius, peccata condonaret, manere verò in suo colore, si illis non remisisset. Vbi verò filum rubicundum album fiebat, ilico cornu, quod secum habebat sonabat, quem alij non procul ab eo, vsque ad sanctam vrbem ordinati audiebant, statimque etiam ipsi sonabant: & ita paruo spatio nouerant omnes, terram illam habitantes, sibi dimissa esse peccata, & gratias Domino Deo, pro tanto beneficio agebant. Si verò filum non mutaretur, omnes illo anno tristabantur, & pœnitentiam agebant. Sed hæc ad fabellas pertinent Iudæorum. Postquàm enim Dominus hac ceremonia capri dimissi, eos certos reddebat: nullo alio requisito, non video quid fictionibus opus sit.

Faciet illum peccatum, id est, hostiã pro peccato. Ad expiandum illum, id est, per illum, scilicet populum, & quod dicitur. Ad mittẽdum eum pro capro emissario, Hebraice habetur. Pro Azazel seu ad Azazel.

Ponet incensum super ignem coram Domino.

Constat ex hoc loco, quod superius diximus capite decimo: incensum videlicet ponendum super ignem, postquàm ignis erat coram Domino, & in hoc etiam pueros filios Aharon peccasse: quòd suffitum super ignem posuerunt antequam ignem introducerent coram Domino.

Operiatque nubes suffimenti propitiatorium.

Posset etiam verti nebula, vt superius diximus, & hac regebatur propitiatorium, ne sacerdos Deum, qui ibi aderat & loquebatur videre posset, & moreretur: vt statim subdit.

Aspergetque digito suo contra faciẽ propitiatorij, ad orientem.

Erat propitiatorium versus occidentem, & sacerdos aspergebat sanguinem nõ solum versus illud, sed versus orientem, etiam vbi erat velum, quoniam omnia erant sanguine expianda: vnde melius hic vertas. E regione propitiatorij versus orientem, aut stans ad orientem propitiatorij: sanguinem versus faciem propitiatorij mittebat. Vel melius. Super faciem propitiatorij, quę respiciebat ad orientẽ. & quod sequitur.

Coram propitiatorio, videtur esse explicatio præcedentium verborũ, vel (vt diximus) præcipit sanguinem aspergi versus orientẽ propitiatorij, & versus propitiatorium. Dicitur tamen statim sanguinẽ hirci aspergendum super propitiatorium, & coram propitiatorio.

Expiabit sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel.

Vocat immunditias, feces, excreationes, contactusque immundorum: à quibus tabernaculum Domini sanctum polluebatur, & hoc sanguine mundabatur. Et licet hæc tabernaculum non contingerent, quia tamen erant prope, eis dicebatur tabernaculum pollui, ipsi quoque atriũ cõtingebãt tabernaculi, qui si essent immundi, tabernaculũ polluebãt, & nota quòd hæc expiatio fiebat sanguine, quo cuncta respergebantur: vnde pro expiabit verti posset liniet, scilicet sanguine.

A præuaricationibus eorum, & à cunctis peccatis.

Sæpius diximus incertum esse quid proprie significet pesa quod præuaricationem vertimus, quidam rebellionem significare putant. Alij deceptionem. Tertij peccatum commissum scienter, neque clarum est, quomodo à peccato, seu chata, differat.

Sic faciet tabernaculo ecclesiæ. Per tabernaculum videtur intelligere atrium, in quo vt dixi intrabant filij Israel, per sanctuarium verò, sanctum, quod erat extra velum: sed textus sequens videtur huic expositioni non consentire, statuens neminem debere esse in tabernaculo ecclesiæ, dum ipse ingrederetur tabernaculum ecclesiæ, quare quidam per sanctuarium intellexerunt cortinas interiores, per tabernaculum superiores quæ vt in Exodo diximus: erant ad modum tentorij, sed re vera per sanctuarium intelligitur sanctum sanctorum, & per tabernaculum ecclesiæ sanctum, quoniam infra dicitur:

Complebit autem expiare sanctuarium, tabernaculum que ecclesiæ, & altare. Confitebitur super illud, scilicet caput hirci, *omnes iniquitates filiorum Israel.*

Varius explicatus. Omnes tam nostri quàm Hebræi, interpretantur hic verbum hituadah, confiteri. Verbum tamen non solum confiteri, sed etiam proiicere significat vt patet Ierem. 50. vbi dicit textus, Iedu. i. proiicite, ne parcatis sagittæ. Item Zacha. 1. leiador. Deiicite cornua gentium: in quibus locis, nullo pacto quadrat confiteri, & meo iudicio, etiam hic magis conuenire videtur proiicere, quàm confiteri. Admonui etiam frequentissime dictionem on, non solum peccatum, sed peccati punitionem significare: vt patuit in regulis, quas vestibulo operis præposuimus: quibus præmissis Hebraismus reddendus est, qui sic habet.

Proiicere faciet, scilicet sacerdos, *super ipsum,* scilicet caprum emissarium *pœnam omnium iniquitatum filiorum Israel, & omnes præuaricationes eorum, cum omnibus peccatis eorum:* & vt paucis absoluam, à pœnis & culpis, Israelitæ illa die absoluebantur. Moueor autem ad hãc interpretationem ex multis. Primò ex ipsa verbi significatione, quòd (vt diximus) significat proicere. Secundo quia non proprie significat confiteri peccata, sed confiteri confessione laudis: vt ex infinitis locis scripturæ constat. Psalm. 9. habes. Odàh, id est, confitebor Domino in toto corde meo. Et centesimotrigesimooctauo. Veodeh, id est, confitebor nomini tuo. Et septuagesimoquinto. Hodinu, id est, confessi sumus tibi Deus. Tertio quia rei factæ, seu ceremoniæ, magis conuenit. Intentio enim legislatoris fuisse videtur, pœnas quas populus merebatur: in hircũ transferre vt ille eas portaret, quare in locum desertum mittebatur, quo statim à feris erat deuorandus. Quarto quia alter hircus immolabatur pro peccato, & iste non, sed portabat peccata, id est, peccatorum pœnas. Conuenit etiam iste dicendi modus, cum aliis in scriptura positis. Isaiæ enim quinquagesimotertio legimus Deum posuisse super Christum suum, iniquitates omnium nostrum, id est, eorum pœnas. Ridiculum etiam videtur dicere, hircum peccata verè portare, quoniam peccata non solent nisi ratione pœnæ, ex vno subiecto in aliud migrare: vt. 2. Semue. 12. habes Deum transtulisse peccatum Dauidis, id est, pœnam in paruulum filium. Omitto quòd hircus iste emissarius, adumbrat illum, qui non peccata ipsa, sed peccatorum nostrorum pœnas super se portauit. Quod si his non obstantibus antiquæ adhæreas lectioni: non prohibeo nos quod sentimus in medium protulimus. Dicunt autem Hebræi, sacerdotem in hunc modum peccata super caprum confessum. O Domine peccarunt, iniquitates egerunt, præuaricati sunt in te populus tuus, domus Israel. Obsecro Domine, dimitte hunc peccata, iniquitates, & præuaricationes, quibus peccauerunt, inique egerunt, & præuaricati sunt coram te populus tuus, domus Israel: sicut scriptum est in lege Moysi serui tui: quoniam in die isto expiationem faciet pro vobis, vt emundet vos, ab omnibus iniquitatibus vestris, & coram Domino mundi sitis. Sed hæc ad figmenta Iudæorum pertinent. Si enim Dominus verba precatoria vt luissent, credendum est, ea sacerdotes dicuisse: quod non legimus. Dicunt etiam sacerdotem præter illam orationem, alias precationes coram domino effudisse. Nempe istas. Prius enim bona tempora precabatur. Secundo ne à tribu Iehudah, sceptrum auferretur. Tertio ne quis egeret in populo Israelitico. Quarto ne Deus stultas hominũ preces exaudiret, contra bonum commune petentium: quemadmodum itinerãtes, qui sæpius precantur sibi solem ad iter, non considerantes an pluuia illo tempore magis expediat. Tradũt etiam tunc temporis Iudæos valde anxios & solicitos fuisse, ne in festo expiationis, summo pontifici casus aliquis malus accidisset. Hoc est, ne quo modo in offerendis sacrificiis reliquoque ministerio absoluẽdo erraret alicubi, quod si fieret, pro malo & infausto habebãt omine: ideo pridie festi expiationis eum aliis iuuenibus afferentibus coram eo, omne sacrificiorum genus: seipsum exercitabat. Quod si omnia illi bene & fœliciter succedissent, magno totius populi applausu ex sanctuario, domum deducebatur.

Nota et bona explicatio huius textus.

Modus confitendi sacerdotis super caput hirci.

Mittet per manum viri, qui diu cõsuerit ire in desertum.

Hebraice est. Per manum viri temporis, aut temporis mei, in desertum, & per virum temporis, intelligunt quidam hominem qui diu, seu multo tempore fuerit in desertum versatus. Posses etiam interpretari per virum temporis, hominem senem. Quemadmodum enim Hebræi dicunt, virum terræ, id est agricolam, ita virum temporis, id est, senem dicere possunt. vnde hircus per seniorẽ aliquem, iuxta hãc interpretationem:

Universidad de Deusto
Biblioteca

in desertum mittendus esset. Et aduerte quòd quemad modum per passerem viuum, in mundatione leprosi, qui permittebatur volare in agrum, significabatur libertas viri leprosi, à lepra sua, & quod deinceps liber poterat inter alios conuersari: ita per caprum emissarium qui in desertum portabatur, significabatur libertas Israelitarum à peccatis suis, aut à pœna peccatorum suorum.

Portabit hircus super se, omnes iniquitates eorum. Sensus est. Portabit pœnam iniquitatum eorum, vt iam explicuimus.

In terram inhabitabilem. Hebraice. In terram separatam, seu separationis. Verbum enim gazar, à quo gezerah, significat proprie separare, diuidere, vt patet Chabachu tertio vbi dicitur. Gazar, id est, separabitur seu elongabitur ab ouili pecus. Et primo Regum tertio. Gisu, id est, Diuidite infantem viuum.

Affligetis animas vestras. Verbum anah duo significat, scilicet respondere, & humiliare seu humiliari: vnde pro affligetis posset verti humiliabitis animas vestras. Et videtur significari coarctationem spiritus, seu halitus quem dictio nephes significat. Est autem animam seu spiritum humiliare, nõ superbire, sed corde & corpore deiici: iuxta illud Isaiæ. 58. Quare ieiunauimus & non aspexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti? quod fiebat ieiunio, & aliis carnis macerationibus. Psal. Humiliabam in ieiunio animam meam. Hebræi per illam afflictionẽ animi, intelligunt omnium delectabilium subtractionem, scilicet cibi, potus, vnctionis, delectationis, & coitus. Et dicit Aben Ezrah humiliare animã esse ieiunare, vt iam diximus, & mensis iste tertius est Tisri, qui accidit circa æquinoctium autumnale, & pro parte respondet nostro Septembri.

Humiliare seu affligere animã quid significet Hebr.

Sabbatum requiei est vobis. Hebraice. Sabbatum sabbaton, seu sabbatum sabbati, id est, potissimum sabbatum seu inter sabbata, & quia sabat significat cessare & quiescere, & sabbatum requiem, idem dictu est, sabbatũ sabbati, q̃ quies quietis, id est, maxima quies seu cessatio: quoniam non solum erat à seruilibus, sed etiam ab his quæ diebus festis licebant, vt est cibus, potus, & aliæ delectationes cessandum.

Expiabit sacerdos, qui vnctus est. Hebraice est. Qui vnget illum, & potest esse sensus, quòd sacerdos, qui tabernaculum vnxit, debeat expiare. Sanctes vertit. Expiabit sacerdos, quem vnget vngens, id est, vnctus.

Et qui implebit manum suam: vt sacerdotio fungatur pro patre suo.

Solebat sacerdos cum initiabatur, manus muneribus & oblationibus implere ad offerendum Domino, & quia hæc ceremonia ad consecrationem ipsius pertinebat, aliqui vertunt. Cuius consecrabit manum, scilicet consecrans. Alij cuius consecrata fuerit manus.

Expiabit sanctuarium sanctitatis, id est, sanctum sanctorum, *& tabernaculum ecclesiæ*, id est, sanctum, *& altare*, id est, atriam in quo est altare aut altare atrij *& sacerdotes*, scilicet alios & populum.

IN CAPVT XVI. IVXTA MORES annotatio.

LOquere ad Aharon fratrem tuum, *& non ingrediatur omni tempore sanctuarium intra velum.*

Ne arbitrarentur sacerdotes se omnia Dei impune posse scrutari: admonentur hic secreta Domini reuereri, ne mori contingeret.

Cum hoc ingrediatur, cum vitulo filio bouis.

Audis hic quibus muneribus, quibus ornamentis, debeas coram Domino Deo tuo apparere. Imprimis cum oblatione pro peccato, Optimus coram Deo ingressus, cognoscere te peccatorem, & illi peccatorum tuorum præceptam satisfactionem offerre.

Tunica linea sanctitatis induet se.

Admonui in Exodo Dominum nihil nostrum respicere voluisse coram se, sed omnia operiri vestibus sanctis. Inquinata sunt omnia nõstra corã eo. Non enim iustificabitur coram eo omnis viuens, ideo omnia munera & dona Dei tegenda sunt, ne oculos diuinæ maiestatis mundissimos offendas.

A cœtu autem filiorum Israel, suscipiet duos hircos.

Tenetur populus hostias, quibus expiandus est, sacerdoti suppeditare. Satis enim est, sacerdotem, hostiam qua peccatum suum expiet quærere. Nam quemadmodum populus, diuiti sacerdoti non tenetur hostias ad sua peccata abluenda donare, ita neque sacerdos populo, sed quisque ex proprio, debet Deum suum placare. De fœminis enim quę venerunt ad vngendum Dominum in sepulchro legimus emisse aromata: vt vnctionem quam Domino parabant, ex suo & non ex alieno facerent. Sic & sanctus Dauid noluit Deum suum, mutuatis aut grato quæsitis holocaustomatibus placare sed propriis. 2.Reg.24

Offeret pro peccato quod est sibi. Ne se sacerdos à peccato, à quo alios expiabat putaret immunem: primum hostiam pro peccato suo iubetur offerre, non se putet ergo sacerdos aliis sanctiorem, cùm sit ipse peccati infirmitate circundatus. Docet insuper neminem immundum, alios mundare debere.

Expiationem faciet pro se & domo sua.

Mundam debet sacerdos domum suam seruare, & si peccauerit mundare & expiare eam. Oportet (ait Paulus primæ ad Timotheum. 3.) Episcopum domui suæ bene præpositum, filios habentem subditos, cum omni reuerentia. Si quis enim domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei curam habebit?

Dabit super ambos hircos sortes. Adumbratum crediderim in his duobus hircis peccatorem, qui pro sceleribus suis, dignus est qui immoletur domino, sed Dei munere liber euadit, & in solitudinem mittitur seu libertatem. Et sit Dominus Deus noster benedictus, qui mortem quam pro peccatis nostris commeruerамus: in hircum transtulit, & posuit in eo peccatum omnium nostrum. Voluit autẽ in sortibus ostendere discrimẽ, in quo est peccator propter peccata sua, quòd videlicet aut feris tradendus esset in montibus, aut Deo in altari immolandus. Beatus ille Dominę, qui est de sorte tua: etiam ad iugulum. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Selecta & immaculata erant omnia animalia, quę Domino offerebantur, in his verò nulla est electio, sed casu committuntur cuncta, vt intelligas in peccatore, nihil fore Dei electione dignum.

Asperget septies. Expendimus in Exodo, quid huiusmodi septena asperso adumbraret, quia enim septies in die cadit iustus, septies sanguis eius fundendus esset coram Domino.

Et expiabit sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel.

Habemus in medio nostri, non solum Domini templum, sed Deum ipsum, & quia ipsum non videmus, immunditias nostras non curamus: neque aduertimus eis polluere (quod in nobis est) templum Domini, quare admonet nos locus iste, in quanta reuerentia habere debeamus templum ipsum quod apud nos est, & in maiori quod nosipsi sumus. Hinc ortam existimo, annuam illam altarium ablutionem, quæ in ecclesiis die Iouis cœnæ Dominicæ fieri solet: vt illa die immunditiæ omnes, quibus sacra Dei polluimus abluantur & absterguntur.

Proiiciet super illum omnes iniquitates filiorum Israel.

Audis hic Christũ ad viuum depictum, in quo vt Isaias capite quinquagesimotertio habet, Dominus posuit iniquitates omnium nostrum: benedictus sis Domine Deus noster, qui pœnas quas nos soluere tenebamur pro peccatis nostris: in caput hirci posuisti, & vt ostenderes quàm longè à nobis feceris iniquitates nostras, caprum iubes mittere in solitudinem. Mixtę septimo legitur. Reuertetur, miserebitur nostri, subiiciet iniquitates nostras, & proiiciet in profunda maris: omnia peccata nostra.

Egredietur & faciet holocaustum suum, & holocaustum populi.

Quales

Quales ad sacrificia Domini accedere debeamus, pulchre locus iste adumbrat, expellenda enim sunt prius peccata, deinde litandum.

Qui dimisit hircum, lauabit vestimenta sua.

Immunda valde res peccatum est, quod non solum habentem inquinat, sed portantem: vt corporis & vestimentorum opus sit lotione.

Mense septimodecimo mensis humiliabitis animas vestras. Non solet Dominus peccata remittere sine animæ afflictione. Vbi sunt qui opera pœnitentiæ sic excludunt, vt ea pro nihilo existimẽt? Audiant hic deum statuere, vt in die remissionis peccatorum, affligant & humilient non solum corpora, sed animas ipsas.

Sabbatum sabbati vobis, & humiliabitis animas vestras.

Sunt multi qui omnia negotia sua curant, nihilq; suorum negligunt, in die quo peccatorum suorum pœnitet eos: quos textus iste pateter arguit, in die enim quo peccata tua luges, nihil aliud cures, nihil alienum tractes: ab omnibus vacandũ est operibus, eũ sunt peccata delẽda. Audisti (ni fallor) quid dominus per Isa. dicat. Ecce in die ieiunij vestri, reperitur voluntas vestra, & omnes subditãs vestras repetitis. Ecce ad lites & ad contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Isai.5.

Induet se vestibus lineis. Considera hic quòd non iubetur sacerdos in die expiationis induere vestimenta iocunditatis & festiua, sed linea, vt hæc ceremonia adumbraret, quòd eo tempore quo peccata expianda sunt: repellenda sunt vestimẽta gloriæ nostræ. Hoc est quod in Exodo annotauimus. Et nunc (ait Dominus Peccanti populo) depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.

Ad expiandum filios Israel semel in anno.

Docentur hic prælati, omnia condonare subditis suis, semel saltem in anno. Dicunt autem Iudæi quòd si quis in affirmatiuum præceptum committat, & agat pœnitentiam: remittitur illi peccatum, qui vero negatiuum transgreditur, peccatum eius nõ dilui pœnitentia, sed in diem hunc expiationis suspendi. Si quis verò peccatum commitat quo eliminari & interfici mereretur, hoc neque diem expiationis satis purgare, sed castigationes diuinas: qui verò violat nomen Dei, non posse nisi per mortem à peccato absolui. Sed multa horũ falsa sunt. Trãsgressus est enim Dauid & Achab negatiuum præceptum scilicet non occides, occidendo innocentem, & nihilominus peccatum illorum, pœnitentia dilutum est. Ezechie. 18. habes. Cum auersus fuerit impius ab impietate sua quam fecit, & fecerit iudicium & iustitiam: ipse animam suam viuificabit. Sic sequentia falsa sunt.

IN CAPVT. XVII. LEVITICI ad literam annotationes.

LOquutus est Dominus ad Moseh. Statuit hoc cap. Dominus, non esse animal immolatitiũ mactandum, nisi portio adipum, Domino offerretur. Secundo non esse dæmonibus litandum. Tertio non esse sanguinem aut morticinum comedendum.

Quicunque è domo Israel mactauerit bouem vel agnum vel capram.

Hebraice est. Vir vir, è domo Israel, sed sensus redditus est, & hic est sermo de mactatione ad sacrificiũ. Nam ad comedẽdum, licitum erat mactare vbi vellẽt. Inferius enim dicitur.

Vt adducant filij Israel sacrificia sua: quæ sacrificant super faciem agri.

Et videtur quòd immolatio, qua viri Israelitæ, aut gentiles in agris dæmoniis immolabant: causam huic legi dederit.

Sanguis reputabitur viro illi. Hebraismus est, & est idem ac si dicat. Perinde est, ac si sanguinem effudisset humanum: quem seusum more suo scriptura statim explicat dicens. Ipse sanguinem fudit, id est, reputabitur sanguinem, scilicet humanum effudisse. Similem locutionem habes Exodi vigesimosecũdo, vbi dicitur. Si in effossione inuctus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non illi sanguines: si autem sol ortus fuerit super ipsum: sanguis ei. Et ex hoc loco, explicati potest ille: qui vtcunque difficilis est.

Excidetur vir è medio populi sui.

Si qui victimam immolasset, & non adduxisset sanguinem ad altare Domini, reus sanguinis seu homicidij erat: non mirum si esset eliminandus è medio populi sui, qui diis immolasset. Hanc autem locutionem quidam intelligunt, quòd non amplius pertinebit ad populum Israelicum homo ille, sed non placet ille sensus: quoniam neminem legimus qui hoc commisisset, non amplius pertinuisse ad Israelitas: sed re vera à Domino erat exterminandus, quando illi placeret, an verò in eum magistratus animadverteret, non satis constat. Nam Genesis decimoseptimo dicit Dominus Abrahæ. Anima cuius præputii caro circuncisa non fuerit, peribit de populo suo. Postea verò Exodi quarto dum Moseh in Ægyptum pergeret, occurrisse ei Dominum legimus, & voluisse eum quòd filium non circuncidisset occidere, vnde constat quòd idem dictu sit. Peribit de populo suo, quòd dignus est, qui à Domino occidatur: quemadmodum voluit occidere Moseh, ob legem circuncisionis omissam constat etiam ex hoc capite. Infertius enim dicit Dominus, Quicunque è domo Israel, comederit sanguinem, ponam faciem meam in omnem animam comedentem sanguinem: & excidam eam è medio populi sui. vbi superiorem, & similes locutiones, explicare videtur. Si quæras quare reus homicidij reputatur, qui sanguinem victimæ fudisset, & non immolasset Domino. Iam Leuit. primo admonui, & multis aliis locis, victimam loco hominis offerentis immolari. Nam mortem quam homo commeruerat, Dominus in animal communtabat, & quia sanguis animalis, loco sanguinis hominis offerentis succedebat, inde est, q̃ qui illũ alibi fundebat, sanguinem dicitur humanum fudisse, vnde homo effundẽs sanguinẽ animalis, & nõ per sacerdotem ad altare: solututus erat sanguine proprio, quod non soluebat sanguine alieno: ideo dicitur exterminãdus.

Et non sacrificabunt adhuc sacrificia sua capris: post quos fornicantur.

Quidam & etiam noster Sanctes, pro capris dæmonibus vertunt: quoniam dæmones in figura hircorum hominibus apparebãt, & homines eos in diuersorum animalium figuram colebant, maximè Ægyptij. Vox Hebræa searim, pilosos significat seu hirsutos, inde seir, id est, hircus sic dictus à nimia pilositate. Dicuntur autem dæmones pilosi, aut à multitudine & longitudine pilorum, aut quòd eos videntes soleant hirsuti fieri ex timore. Hos dæmones vulgus indoctum, deos agri putabat. Habes enim. 2. Reg. 17 Syros alios putasse deos montium & alios vallium. Ex hoc loco colliges Deum non per se sacrificiũ animalium elegisse, sed ne populus suus his assuetus, ea dæmoniis immolarẽt: vt hic textus expresse dicit. Secundo deprehẽdes Iudæos, præter illam vituli vulgarã idololatriã: his hircis in deserto immolasse: vnde illud Prophetę Hamos. 5. Nunquid sacrificiũ obtulistis mihi in deserto? videtur intel ligendum. Mihi. s. soli, quoniã simul cum eo huiusmõdi dæmonidi colebant dæmones. Sed iubet explicare, quare dæmones in huiusmodi horribilibus, & fœdis figuris hominibus appareant. Dum enim Ebræ inquisitorem agerem, & fœminas quasdam, quę cũ dæmonibus colloquebantur examinarem, petebã ab eis quibusnam figuris dæmones sese illis ostenderent, & an ipsi dæmones eas prius verbis adirent, vel potius vice versa: & ab eis audiui, semper illis apparuisse in vili figura, & si in humana, in specie hominis subnigri seu fusci: quos nos mixtos vocamus, qnoniã ex albo & nigro vt plurimum generantur, neq; dæmonem aliquam illarum allocutũ, antequàm ab eis interrogaretur. Ne ergo cauſentur, se pulchra forma & specie eorum deceptas: aut illos Angelos & non dæmones esse credidisse, voluit Dominus Deus eos, non pulchra sed fœda forma apparere. Similiter ne se dæmoniorum verbis, ad malum prouocatas mentirentur, voluit eos, eas præloquentes

Universidad de Deusto
Biblioteca

expectare. Narrabat enim mihi quædam ex eis, dæmonem inuocatum, ad horam illam circuisse: expectasseq; ab ea verbum aliquod, quod cùm illa distulisset: ab colapam perpessam, qua conquærente aduersus eum, ille loqui incepit.

Obtulerit holocaustum. Hebraice est. Ascendere fecerit holocaustum, vel ascensionē. Iam enim in principio huius libri diximus, holah, id est, holocaustum, ab halah, quod est ascendere, ortum habere.

Dare faciē quid sit Hebraeis. *Dabo faciem meam in animam comedentē sanguinem.* Hebraismus est: pro vertam me iratum ad illum persecutiendum & occidendum. Est autem dare faciem, contra aliquem vehementer irasci. Accipitur enim facies nonnunquàm pro ira, quoniam ira maximè in facie hominis relucet. Ieremiæ vigesimoprimo habes. Et ponam faciem meam cōtra vrbem hanc in malum, & non in bonum, id est, irascar illi. Aut dare faciem idem est quod durum se ostendere. Solent enim homines ira affecti, faciem iratam vertere ad illum ex quo vindictam sumere volunt.

Quoniam anima carnis in sanguine est. Sumitur hic anima pro vita, seu halitu: quoniam dictio nephes, halitum significat, & vult dicere, vitam seu halitum esse in animali, quàmdiu in eo est sanguis. Assignat autem rationem quare esum sanguinis prohibeat, quoniam idem est sanguinem comedere, & comedere vitā seu ea priuare, postquam vita carnis consistat in sanguine. Si ergo comedere sanguinem, est comedere vitam seu ea priuare, dignus est morte, qui sanguinem comedit: quoniam vitam auferr non solū animalis, sed hominis cuius loco sanguis animalium immolatur: vt diximus, vnde statim sequitur.

Ego dedi eum vobis super altare ad expiandum animas vestras. Et ex hoc loco luce clarius constat, quod sæpius diximus: victimam seu animal, loco hominis immolari, & Dei pietate mortē quam nos meruerāmus, in pecudem commutari.

Quia sanguis animam expiabit. id est, liberam à morte reddet, quoniam loco animæ seu sanguinis nostri funditur.

Quoniam anima omnis carnis, sanguis eius, pro anima eius ipse. Sumitur vt diximus anima pro halitu seu vita, & dicitur sanguis halitus seu vita quoniam vita sequitur sanguinem, & etiā halitus: quāmdiu enim est sanguis in animali, est vita in eo, & halitus: quo abeunte, vita cessat & halitus. Sic intellige quod sequitur

Quia anima omnis carnis, sanguis eius est. Consecutiue, scilicet, quoniam vt diximus vita sequitur sanguinem.

Portabit iniquitatem suam, id est, pœnam iniquitatis suæ, quamcunque, scilicet Dominus voluisset inflige re. Videtur autem Dominus hoc capite, duas causas assignare, quare esum sanguinis prohibeat. Altera est, quia anima carnis in sanguine est, & ex consequenti idem est comedere sanguinem, quod comedere animal viuum seu animam illius. Altera, quia dederit ipsum, ad expiationem animarum, vt scilicet sanguis qui est anima, soluat quod anima nostra solutura erat. Sed meo iudicio vnica est causa, hæc secunda scilicet. Ratio inquit quare non debetis sanguinem animalium comedere est, quia expiat, id est, soluit pro animabus seu vita vestra, quæ ob peccata morti obnoxia erat. Nam mea misericordia vita pro vita datur, vita pecudū pro humana, & cùm vita sit sanguis, qui non dat vitam seu sanguinem alienum, necesse est dare pro

Prouer. xi. prium. Est autem consuetudo, vt vita pro vita detur, iuxta illud Pron. Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.

IN CAPVT. XVII. LEVITICI ad mores annotatio.

QVicunque homo ex Israel macta uerit bouem, ouem vel capram, & ad ostium tabernaculi non adduxerit: sanguis reputabitur ei.

Admoni frequentissime, bonos prælatos ac legislatores, à suis tollere peccandi occasiones. Nouerat pius pater, quàm facilè homo ad consueta redit: ideo Iudæis assuetis idolis immolare in agro, abstulit omnem occasionem: præcipiendo vt sacrificia sua, ad altare ad hoc statutum in templo portarent, quo etiam nos docet, non vbique sacrificare, sed sacris in locis, & hilariori vultu in templo nostra sacrificia acceptare, quàm alibi, licet post Christum (vt Chrysostomus dicit) totus mundus altare sit.

Non sacrificabunt adhuc sacrificia sua pilosis. Expende quæso hic sapientiam Dei, & quàm sapientem agit reformatorem. Sunt multi qui malos mores & consuetudines hominum in melius mutare volentes: statim à principio enncta mala euellere conantur, & quia homines peccatores non statim malos mores relinquere possunt, destruunt homines, neq; mores reformant, qui verò huius rei boni artifices sunt, non statim malas consuetudines omnino auferunt, sed eas retinquentes, malum ab eis referre conantur. Cùm enim Seruator noster Mat. 6. videret homines auaros, pecunias studiosè includere, ac seruare, neque facilè abduci posse, ne thesauros facerent: vt sapiens, nō præcepit pecunias non asseruare: quoniā hoc imperfectis & assuetis ad contrarium, impossibile videbatur: quare non præcepit ne thesaurizarent, aut pecunias reconderent, sed vt hoc facetent in locis tutissimis dicens. Nolite imquit thesaurizare vobis, thesauros super terrā: vbi erugo & tinea molitur, & fures effodiunt & furantur. Sed quid? Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi nihil horum, lædere potest reconditam pecuniam. Sic de timore. Cùm enim difficile ei videretur, ab hominibus timorē mortis auferre: non præcepit non timere occi- Mat. 6. sorem, sed vt timerent magis eum qui potest æternam mortem infligere. Illum (inquit) timete, qui postquam occiderit, potestatem habet mittere in gehennam. Sic & Paulus, cùm difficile reputaret hominibus persuade- 1. Cor. 6. re, ne gloriā quærerent, non docuit gloriā omnino respuere, sed quòd si gloriari vellent, non quærerent vanam huius mundi, qui solum ad momentum durat, sed qui gloriatur (inquit) in Domino glorietur. Sic Deum hic fecisse deprehendes. Nouerat quippe hominum cōditor, Iudæos ita sacrificiis & culturæ deditos: vt vix hanc extirpare in eis cōsuetudinem posset. Non enim homo diu sine vero aut falso deo, cui culturam præbeat esse potest. ideo non eos à cultura & sacrificiis auocauit, sed quæ dæmonibus in caniphis offerebant, sibi in templo offerri præcepit: ideo dicit. Et non sacrificabunt adhuc sacrificia sua dæmonibus. Discant etiam hoc, qui reformandis monasteriis incumbunt: vt non ex imperfectis statim adducere velint ad summam perfectionem, sed quędam eis informia & imperfecta permittant, & sic paulatim eos ducant ad summum perfectionis apicem.

Quicunque è domo Israel, & de peregrinis qui peregrinantur in medio vestri, comederit sanguinem. Sunt alicubi principes Christiani qui peregrinis commiuere volentes, eos suos exercere ritus, in suis terris permittunt: ex quibus subditi sæpe scandalizantur, & à fide decedunt. Tam diu enim Christianus potest videre Iudæum sua festa seruare, & Sarracenum suas facere lotiones: quod aliquando placeāt hęc, & ad ea facienda inducatur. Noluit igitur dominus, gentilem coram Iudæo suis idolis immolare, aut sanguinem comedere, vel in agro sacrificare etiam sibi, ne ex hoc scandalum paterentur, & similia facerent. Docet ergo exteros, non violare statuta patriæ in qua morantur. Et quia præceptum de non comedendo sanguine, fuerat datum Noach ante legem, voluit ad illud peregrinos etiam obligare.

Omnis anima in vobis, non comedet sanguinem. Docuit hominē non sęuire, aut sanguinem sitire, ideo prohibuit esum eius: neq; voluit eum nisi in suo altari videre: vbi quæso considera quali medicina expientur peccata, in animabus nostris: nempe sanguine, vt scias te pro quolibet peccato & immunditia, occisione diuinum, & timeas Deum offendere, cui pro qualibet offensa, vitam debes.

Operiet illum puluere. Non vult Dominus nos videre aliquid, quod possit ad peccatum prouocare, similiter ea esse tegenda, quæ possunt aliquem in malum inducere.

Omnis anima quæ comederit cadauer, & discerptum. Vult nos Dominus à rapina deterrere. Sunt enim multi qui rapere aliena non audent, aut volunt, libenter tamen rapta ab aliis comedunt: putantes se in hoc non peccare. Prohibet autem Dominus hic non solum rapinam, sed rapta comedere. Et si immūdus apud deum reputatur, qui raptum à bestia comederit, immundiorem reputa illum: qui raptum ab alio homine, in suos vsus conuerterit. Discamus ergo fratres mei, munera & sacrificia Domini, ad eius templum deferre, dæmonibus non immolare, pios & non sæuos esse, leges patriæ in qua morāmur seruare, aliena non rapere, aut comedere: quod ipse nobis dare dignetur qui est super omnia sæcula benedictus. Amen.

IN CAPVT. XVIII. IVXTA. literam annotatio.

Quare Dominus antequam præciperet præmittebat Ego Dominus Deus vester.

LOcutus est Dominus ad Mosēh dicendo.

Explicat caput hoc qui sint illiciti concubitus, à quibus suos Dominus deterret.

Ego Dominus Deus vester. Præmittebat Dominus verba hæc, cùm leges traderet: vt scirent eum posse eis leges præscribere quasi seruis, & se eas seruare teneri, vt patet Exodi vigesimo vbi Dominus eis dicit. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: è domo seruorum.

Secundū opus terræ Ægypti in qua habitastis, non facietis. Habebant gentiles statuta quædam quæ diuinis & naturalibus legibus aduersabantur: quoniam in eis sopita videbatur naturæ lex, habebant præterea operā, & consuetudines quasdam abominabiles, præter leges scriptas: à quibus dominus suos arcere decreuerat, & contra hæc statuere: maximè circa idololatriam, & circa fœdissimos cōgressus: quos forte à patre suo Chuaham tam Ægyptus, quàm Palestina didicerant: qui illis regionibus nomen dederat.

In statutis eorum non ambulabitis. Non solum non sequamini illorum mala opera, sed neq; iuxta illorum leges, & statuta faciatis. Sunt enim populi, qui licet mala operentur, bonas tamen habent leges & statuta. Dicebat enim Christus Iudæis, de Pharisæis loquens: vt quæcunq; dixissent facerent, ab operibus tamen eorum abstinerent. Et dictio Hebraica (coch) quam hic statutum vertimus, significat proprie statutum scriptum, aut leges quatenus limitant & coarctant hominem.

Differentia inter statuta & iudicium.

Iudicia mea facietis. Significat misphat, dictamen iustum, & mensuram iustam, & legibus conformem, & videtur hic importare iudicia obseruata inter homines. Dupliciter enim leges considerari possunt, scilicet in se, & in moribus vtentium, & priori modo vocātur statuta. Secundo verò iudicia, & opponit hæc duo, ad statuta & opera gentilium. Possemus etiam dicere, quòd statuta vocat perpetua, qualia erant quæ ad legem naturæ pertinebāt: iudicia verò leges, quas positi uas vocant: quæ dantur pro loco & tempore & mutari possunt, & hæc videtur mens literæ, quia dicit. Iudicia mea facietis, & statuta mea seruabitis.

Vt ambuletis in eis, quia vt sæpius admonui, vocat Hebraismus legem viam, per quam quis quasi incedere videtur, iuxta Psalm. Beati perfecti via: qui ambulant in lege Domini.

Quæ faciet homo & viuet in eis, id est, quæ si fecerit homo, vinet vita temporali propter illorum obseruantiam: Est enim sermo de vita temporali, iuxta illud Exodi vigesimo. Honora patrem tuum & matrem tuam: vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Vnde Ezechielis vigesimo habes. Et ego dedi eis præcepta non bona, id est, quæ eis non erunt bona, postquam ea non seruant: lex enim non seruata, auget peccatum, & mala dicitur frangen ti, quoniam propter illius fractionem punitur. Et sequitur iudicia, in quibus non viuent, id est, propter quæ non viuent: cùm obseruantibus: vitam pollicentur. Probatur etiam quòd de vita temporali sit sermo, quoniam Ezechielis decimooctauo, de impio qui legem non custodit dicitur. Nunquid viuet? Non viuet. Omnes abominationes istas fecit, moriendo morietur, sanguis eius super eum. Si ergo qui legem non custodierit morte morietur, proculdubio temporali: quia sequitur. Sanguis eius super eum. Sequitur quòd qui custodierit, vita viuet temporali, vnde non memini me legisse vnquàm, legem veterem, æternam vitam custodientibus promisisse. Hæc enim promissio nouæ legis est. Mat. 25. Ibunt iusti in vitam æternam. Sunt tamen quædam, quę vitam æternam promittere, aut potius adūbrare videntur, in veteri lege: vt est illud Danielis duodecimo. Et multi qui dormierunt in terra pulueris resurgēt: alij ad vitā æternam, alij ad obprobrium sempiternū. Et Eccles. quartodecimo. Quj elucidant me: vitam æternam habebunt. Item Thobię duodecimo Eleemosyna à morte liberat, & vitam æternam inuenit.

Nullus ad propinquam carnis suæ accedet is. Hebraice est. *Vir vir, ad omne residuum carnis suæ, non approximabitis ad reuelandum nuditatem eius.*

Sed idem dictu est. Vir vir, quòd omnis vir. Reputat Hebraismus vnam cognationem, vnam carnem: & quemque illius cognationis, residuum illius carnis, seu reliquias carnis. A patre enim vno, relinquuntur omnes ab eo descendentes: qui sunt residui & reliquiæ parentum. Et videtur esse sensus. Ad residuum carnis suæ non accedetis, id est, ad partem carnis suæ non accedetis. Et licet lex hæc, omnem cōsanguineam prohibere videatur in coniugium: quia dicit. Ad propinquam seu residuam, à suis progenitoribus non accedat, limitationes tamen sequentes, videntur communem legem interpretari. Et reuelare turpitudinem alicuius, est eius pudenda detegere.

Nuditatem patris tui & nuditatem matris tuæ, non reuelabis Dupliciter hæc lex intelligitur. Nam Hebræi vnicam esse arbitrantes exponūt. Turpitudinem patris tui, id est, quam nudauit pater tuus, cuiuscunq; sit, siue sit cōcubinę ipsius, siue alicuius quā vi oppressit, siue quā sua sponte cognouit, nullo modo cum ea congrediaris. Secundā verò legis partē, de matre vxore scilicet patris legitima, intelligunt. Vnde sequitur.

Mater tua est. Non reuelabis turpitudinem eius. Alij distinctam intelligunt, voluntq, priorem eius partem ad filiam dirigi, secundam verò ad filiū, vt sit sensus. Tu filia non reuelabis turpitudinē patris tui sicut fecerunt filiæ Loth, & tu fili, nō reuelabis turpitudinē matris tuæ. & hæc secunda expositio videtur melior: licet nonnihil duritiæ habeat, quoniam non solet fœmina reuelare turpitudinē viri, sed vice versa, sed quia reuelare turpitudinem hic accipitur pro coire: sustineri potest expositio tum quia inferius dicitur.

Turpitudinem patris fratris tui non reuelabis: quod statim explicans addit.

Ad vxorem eius non accedet. Prohibentur autem hoc cap. nouem mulieres à concubitu, scilicet mater, nouerca seu cōcubina, soror, soror patris, soror matris, soror vxoris: vxor fratris, vxor patrui, & mulier mēstruata. Addunt autem Rabbini has, scilicet auiā seu matrem patris, matrē mattis, matrem auī & vxorem eius, auiam ex parte matris, vxorem fratris patris, nurum filij, & nurum nepotis.

Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis. Loquitur textus de ea quæ est vxor patris: licet non sit mater, quoniam licebat tunc temporis multitudinem vxorum habere. *Turpitudo patris tui est,* id est, perinde est ac si turpitudinem patris tui detegeres, sed est quæstio, an mortuo patre liceret eā habere, & quidam hoc licere putant, & Paulum. 1. ad Cor. 5. exponunt, de vxore patris adhuc viuentis. Est etiā quæstio de vxore patris, nondum ab eo cognita, quemadmodū Adonias petiit Sunamitem, patris vxorem, incognitam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab eo, in vxorem: vt prioris Regum historia testatur: sed certè puto nullo pacto licere, vxorē patris, siue cognitam ab eo, siue non, siue eo superstite, siue vita functo, in vxorē accipere, & q̄ eo defuncto non liceat probo. Quoniā nō minor reuerētia debetur nouercę mortuo patre meo, q̄ filię vxoris patris mei eo mortuo, sed ad filiā vxoris patris mei nō licebat eo etiā mortuo accedere, ergo neq; ad nouercā, & fortius stringes, si de vxore fratris, cū liberis defuncti, argumentū agites, ad quā nullo pacto eo etiā defuncto accedere licebat, aliàs frustra lex adderet, de defuncto sine liberis, & eadē ratio est de nouerca, & de non cognita à patre. Secundo quia lex hic pro causa adfert, quoniā turpitudo patris tui est, id est, quia perinde est, ac si esset turpitudo patris, & eam detegisses: sed patris etiam mortui iniquum esset verenda detegere, ergo & vxoris eius.
Tertio quia accedere ad vxorem patris eo viuēte, lege adulterij prohibebatur: ergo si hæc lex aliquid de nouo statuit arcet à coniugio eum ea, eo defuncto. Qui hæc fusius disquisita videre cupit, legat Ioannis Scoti sententias, super d. 21. & Majronis eadem dist. qui hęc ex professo inquirunt.

Turpitudinem sororis tuæ filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ, quæ genita est domi, vel genita est foris.

Videtur lex hęc eadem cum ea, quæ post sequentem sententiam ponitur, quæ statuit.

Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quæ genita est à patre tuo, non reuelabis. Quidam putant priorem loqui de sorore carnali, scilicet ex parte patris & matris. Secundam verò de sorore ex parte patris, nata ex nouerca. Alij verò putant priorem legem omnes sorores excludere, siue ex altera siue ex vtraque parte.
Secundam verò de nouerca stabilitam putant, quoniam passim homines putabant sibi licere coniungi sororibus ex altera tantum parte, quemadmodum legimus de Abraham, qui Sarā se vxorem accepisse asserit, licet esset ex altera parte soror. Similiter de Thamar, quę ad Amon dicebat: vt se à patre peteret in vxorem, qui nō esset eam sibi negaturus. Quod autem dicitur.

Quæ genita est domi vel foris, intelligendum est de filia patris, quam susceperit, antequam domi vxorem in duxisset: vel de ea, quam habuit postquam vxorem domi habuit. Poterat enim filius putare, eam non esse sororem, quæ nata esset ex matre, antequam esset facta vxor, & domi recepta.

Nuditatem filiæ filij tui, id est, neptis tuæ, *quoniam nuditas tua est*, id est, tam turpe est, quàm turpe nudare propriā turpitudinem seu nuditatē, & in omnibus his locis pro turpitudine legendum puto nuditatem.

Nuditatem sororis patris tui, id est, amitæ tuæ.

Residuum patris tui ipsa, id est, portio carnis patris tui, idem dicendum est de matertera, id est, sorore matris, eadem ratione.

Turpitudinem fratris patris tui, non reuelabis, id est, nuditatem vxoris eius, vt statim explicat: quæ reputatur nuditas fratris patris tui, vbi vides nuditatem seu turpitudinem vxoris, reputari turpitudinem mariti eius.

Turpitudinem vxoris fratris tui, non reuelabis.
Excipitur ab hac regula quando frater sine liberis moritur: quoniam tunc tenebatur frater suscitare semen eius: vt dicitur Deutero. 25. & ex hoc videtur haberi: quod neq; liceret coniungi, vxori fratris, etiam defuncti, si filios reliquisset, quoniam lex excipit vxorem fratris sine liberis defuncti, ergo si cum liberis esset defunctus non liceret vxorem eius accipere.

Turpitudinem vxoris & filiæ eius, intellige etiam si non sit filia tua sed vxoris tuæ tantum. Nam talis succedit loco filiæ, & filia filij vxoris, loco neptis.

Caro tua sunt. Hebraice. Residuum tuum ipsię. i. portiones carnis tuæ aut caro tua reputantur, quemadmodum vxor tua cuius sunt filiæ vel neptes.

Scelus est. Significat zimah, bonam vel malam cogitationem secundum Hebræos. Alij verò dicunt significare fœdum turpe: quod verò cogitationes significet, colligitur ex Ezechi. cap. 16. vbi dicitur. Et non fecisti. Et hazzimah. i. cogitationē: ac si dicat. Nō expendisti. Significatio dictionis: meo iudicio non plene nota est.

Vxorem, ad sororem eius non accipies, ad stringendum vel angustandum: ad reuelandam nuditatem eius super eam: dum ipsa viuit.

Sensus est. Non addas ad vxorem tuam, sororem eius: vt scilicet vxorem angustia afficias. Noluit enim lex, odium fore inter illas: inter quas debet esse naturalis amor, & amicitia. Quod autem additur.

Dum ipsa viuit, concedit post mortem vxoris, posse sororem eius accipere. Nouerat Dominus, qualiter Rachel, angebat Liam: ideo noluit talia connubia, in suo populo permittere. Verbum autem sarar, quod vertimus stringere: significat proprie ligare, & ex cōsequenti angustiaris: quod homo angustia affectus, videatur spiritum ligatum habere.

Ad mulierem in separatione immunditiæ suæ, fœtidam menstruo suo: non accedes.

Sensus est. Ad mulierem, dum propter immunditiam suam seu menstruum, separata est vt dictum est cap. 15. non accedes. Disquirit hic Caietanus, an sit mortale ad menstruatā accedere, & definit quòd non, textus tamen scripturæ Ezechielis decimooctauo, oppositum insinuare videtur: vbi dicit. Ad menstruatam non accesserit, vita viuet: ergo si accesserit morietur: quemadmodum infra cap. vigesimo statuitur: quod accedens ad eam quę patitur fluxum, morte moriatur. Non solet autem homo interfici, pro venali peccato, ideo dicendum est quod illo tempore, quo lex hæc vigebat: mortale erat ad talem accedere, & prohibet hoc etiam in vxore, & hac de causa multi dicunt Deum, in pluralitate vxorum dispensasse: quoniam Iudęi incontinentes, ad vxorem menstruatam accessissent: si vnicam haberent. Enumerant Iudæi adhuc viginti personas, cum quibus non licet connubia iungere, scilicet matrem matris, matrem patris matris suæ, matrem patris sui, matrem patris patris sui. Quinto vxorem patris patris sui. Sexto vxorē patris matris suæ. Septimo vxorem fratris patris ex matre. Octauo vxorem fratris matris, siue ex patre, siue ex matre. Nono nurum filij sui & nurum filij filij sui. Decimo nurum filiæ suæ. Vndecimo filiam filiæ filij sui. Duodecimo filiam filij filij sui. Decimotertio filiam filiæ filiæ suæ. Decimoquarto filiam filij filiæ suæ. Decimoquinto filiā filiæ filij vxoris suæ. Decimosexto filiam filiæ vxoris suæ. Decimoseptimo matrē matris patris vxoris suæ. Decimooctauo matrem patris patris vxoris suæ. Decimonono matrem matris matris vxoris suæ. Vigesimo matrem patris matris vxoris suæ. Hactenus illi.

Vxori vicini tui, non dabis accubitum tuum, ad semen, ad polluendam eam. Dupliciter potest litera hæc intelligi. Vno modo. Ad semē. i. polluendo eā semine tuo, vnde quasi explicādo sequitur. Ad polluendā eam. i. semine tuo. 2. Ad semē. i. ad suscitandū illi semen ex vxore sua: si forte illa non haberet semen ex viro suo, aut ad suscitandū semen tibi, si forte sterilis esset vxor tua, & vxor vicini fœcunda, & vocat vicinum vel socium omnem Israelitam.

De semine tuo non dabis, ad transire faciendum seu Moloch.

Est Molech (vt constat ex vndecimo capite prioris libri Regum) nomen idoli, quod filij Hamon coluerunt, ibi enim sic habetur. Tunc ædificauit Salomon phanum, Chemos idolo Moab, in monte qui est contra Ierusalem, & Molech idolo filiorū Hamon. Quod nomen ipsum attinet, videtur Molech, ortū habere à malach. quod est regnare quod videlicet idolū illud, tunc temporis dominium haberet super alia idola, aut rex aliorum idolorum appellaretur. Sacrificabant autem Iudæi filios suos (quos hic semen textus vocat) huic idolo, vt constat ex verbis Ieremiæ capite trigesimosecundo vbi sic habetur. Ædificauerunt excelsa Baal, quę sunt in valle filij hinnō, vt trāsire facerent filios suos, & filias suas Molech. De modo quo semē trāsire faciebant, tradunt Hebræi, Molech fuisse æneū quoddā idolum, intus concauum: extensa habens brachia: super quæ

ignem ponebant, incendentes intus idolum, quo vsque candens fieret: ne autem pueri vagitus ad compassionem audientes prouocaret, tympanis sonabant, quousque puer spiritum exhalaret extremmum. Sunt qui dicunt Molech idolum fuisse Acharon ciuitatis Philistinorum, quod alio nomine appellatum est Beelpeor seu Belphegor & Milcon, quod gentes priapum vocabant: cuius scriptura prioris regum capite decimoquinto meminit: cuius cultum pius rex Asah è suo regno eliminauit. Et secundo Regum vigesimoter tio legimus, effœminatos, donęculas habuisse in domo Domini, quas fœminæ texebant. Alij verò putant, Iudæos, sequentes gentilium errores & impietatē: fecisse transire filios suos per ignem, in honorem ipsius Molech tamdiu, vsquequo flatum extremū emitterēt, sed timeo hoc ad fabulas Iudæorum pertinere. Puto enim eos, quemadmodum & nos, ignorare ritum quo puer traduceretur ad idolum Molech.

Quid polluere nomen Domini.

Non pollues nomen Dei tui. Aliquem polluere nō men Dei, aut Domini sui, est se seruum alicuius Domini mundi profiteri: & ita se esse pollutum. Putant enim homines, q̄ talis sit Deus aut Dominus alicuius serui, qualis ipse est. Si mundus mundum, si pollutus, pollutum. Vocatur enim seruus nomine Dei sui, ideo si sit pollutus, polluit nomen Dei sui: quo vocatur seruus eius. Polluere ergo istos nomen Dei, est esse pollutos, & nihilominus vocari seruos Dei.

Ego Dominus, qui scilicet hæc possum in vos vindicare: quemadmodum Dominus in seruos male gesta.

Mulier non stabit ante iumentum ad prostituendum se ei. Mutant vt lubet Hebræi verborum significationes. Verbum enim raba quod Munsterus vertit prostituere, Sanctes verò noster, in coitu, significat propriè quadrare: vnde rabū, id est, quadrum, vel quadratum, vt patet Exodi vigesimo septimo, vbi dicitur. Rabū, id est quadrum erit altare, & quia putarunt hāc significationem, hic non posse quadrare, mutarunt eam in prostituere, vel in aliam, vt diximus, sed si quis allusionem expendat, videbit quàm bene loco conueniat. Nam mulier quæ se iumento prostituit, ad modum quadrupedis se disponit: vt brutumquadrupedem eam existimans, cum ea coeat: quemadmodum de Pasiphe vxore Minois Cretensiū regis, fabulæ tradunt, quę vaccam lineam, arte Dædali fabricatam ingressa, tauro se supposuit. Vnde locus iste sic reddendus est. Mulier non stabit ante iumentum, ad quadrandum se ei, id est, quadrupedem agendo, & bene allusionem aduerte, vt non facilè de cætero distrahas verba à sua propria significatione. Vnde reba, id est lectus, sic dictus quòd quadrus sit: vt patet Psal. centesimo trigesimonono vbi dicitur. Semitam meam, veribi, id est, & lectum meum seu quadratum meum: ventilasti.

Polluit se terra huiusmodi contaminationibus, & visitabo iniquitatem eius super eam.

Ex peccatis fœdis hominum dicitur terra pollui, maximè ex congressibus illicitis, & contra naturæ ordinem. Et quod dicitur.

Visitabo iniquitatem eius super eam: verti posset. Et recordabor iniquitatis eius super eam: vt scilicet puniam eam. Iam enim sæpius admonui, verbū pachad, potius recordari, quàm visitare significare: licet etiam aliquando significet visitare.

Euomet terra habitatores suos. Quemadmodum stomachus, indigestos & corruptos cibos ferre nequit, sed statim euomit: ita & terra ægre fert habitatores immundos, ideo eos à se reiicit, & verbum chaah, significat proprie euomere: vt patet Ionah secundo vbi dicitur. Et dixit Dominus pisci: vaiachi, id est, & euomuit Ionam in aridā.

Vt non faciatis ex statutis abominationum, quæ facta sunt ante vos. Hoc fuit illarum gentium extremum malum, vt scilicet non solum hoc ex arbitrio facerent, sed veluti patria natura custodirent.

Non polluatis vos in eis, quemadmodum illi. *Ego Dominus* qui scilicet vos punire possum. Quoniam ex hoc capite multæ controuersiæ ortæ sunt, an scili-

cet omnes personæ hic interdictæ & earum connubia sint lege naturali prohibita: operæpretium duxi, hic nonnihil de hac quæstione scribere, ne res sic inuoluta permaneret. Est autem pro huius rei declaratione præmittendum Deum Op. Max. ob tres aut quatuor causas, huiusmodi matrimonia prohibuisse vt ex ipso textu colligitur. Prima quia residuum tui est, seu portio carnis tuæ, & hanc causam adduxit ad reprobanda cōnubia inter nepotem & matertetam, & nepotem & amitam. Dicitur enim ibidem. Residuum patris tui est. Idem de filia vxoris, & nepte ipsius. Secunda quia nuditas vel turpitudo tua est: & hęc adducitur ad prohibendum connubium cum nouerca, & cum filia filij, vel filiæ, similiter de vxore fratris. Tertia quia mater, quia vxor fratris patris, quia vxor filij. Quarta additur ad non pronocandam sororem, in sororem suam. Est secundo aduertendū, q̄ prohibentur hic per sonæ duplicis generis, scilicet cōsanguinei, & affines, consanguinei vt mater, soror, filia, neptis, amita & matertera. Affines vt nouerca, soror ex parte patris vel matris tantū: filia vxoris, & neptis vxoris: vxor auunculi, nurus, vxor fratris, soror vxoris. Videtur ergo quòd omnes istæ, seu connubia inter omnes istos, sint iure naturali prohibita: quod sic probatur. Accedere ad propriam carnem, est iure naturali prohibitum, sed accedere ad omnes quæ hic numerantur consanguineas, est accedere ad propriā carnem: ergo: maior nota est, probatur minor. Accedere ad sororem patris, seu amitam, & ad sororē matris, seu materteram, est accedere ad propriam carnem: ergo à fortiori accedere ad matrem, ad filiam, ad neptem, & ad sororem: cum istę sint mihi propinquiores quàm amita vel matertera. Antecedens ex textu constat. Dicit enim. Turpitudinem sororis patris tui, non reuelabis, residuum carnis tuæ est. Idem de sorore matris. Eadem ratione ad eas quæ loco harum succedunt, sicut nouerca, soror ex parte alterius parentis. Secunda ratio ex parte reuerentiæ sumi potest. Committere irreuerentiam erga superiorem vel illum cui naturaliter reuerentiam debeo est impingere in ius naturale. sed coire cum personis hic prohibitis consanguineis, est committere irreuerentiam in superiorem, vel in illum cui reuerentia debetur ex naturali lege, quoniam est reuelare nuditatem eius, quemadmodum reuelare pudenda matris, nouercæ, sororis ex parte alterius parentis. Tertia: Gentes non debebant puniri pro eo quod non est contra ius naturale, quoniam non tenebantur ad positiuam legem diuinam, quam non nouerant, sed Dominus dicit eos feciſſe istas abominationes omnes, ante aduentum Iudæorum, terramque polluisse se, & euomituram eos: sequitur ergo omnia hæc naturali legi aduersari. Sed his aliqua obstant, scilicet hæc. Quoniam non magis pertinet ad carnem meam, filia vxoris meæ, quam soror ipsius, sed licet accipere sororem vxoris, vxore defuncta. ergo & filiam vxoris. Ad hoc dicitur negando maiorem, quoniam filia vxoris succedit mihi loco filiæ, non sic soror vxoris meæ. Secundo quia non est credendum patriarcham Iacob, in naturale ius impegisse, sicut neque Abraham qui fuit dilectissimus Deo: sed prior accepit simul duas sorores viuentes, & secundus sororem ex parte alterius parentis, ergo hoc naturali iuri non aduersatur. Dico quod aliquod est ius naturale, quod sancti patres omnes nouerant, quemadmodum non esse cum consanguineis, maximè proximis congrediendum. Aliud est quod non omnes nouerant, quemadmodum non esse ducendas affines in linea transuersali, & hoc non nouerant nisi pauci ex sanctis patribus, & ideo Abraham Sarah sororem ex parte alterius parentis tantum, in vxorem duxit. Idem de Iacob, licet vt diximus illud legi naturali non sic aduersetur vt primum. Tertio quia in principio mundi, fuit matrimonium inter fratres & sorores. Ad quod dicendum, manifestam tunc fuisse autoris naturæ dispensationem. Possemus etiam dicere Caim & Abel non accepisse vxores, nisi postquàm humanum genus

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat à patre multiplicatum, & hoc litera Geneſis quarto inſinuat: quæ dicit tempore Set, genus humanum multiplicatum: quoniam tunc cœptum eſt inuocari nomen Domini. Neque mireris, hic non prohiberi à matrimonio filiam, quoniam ſi prohibetur filia vxoris, multo magis prohibetur filia vtriuſque parentis. Similiter non prohiberi auiam, & prohiberi neptem: quoniam ſi turpitudo amitæ non eſt reuelanda, neque materteræ, multo minus auiæ. Sed de his ſatis quoniam textum interpretandum ſuſcepi non digladiandum. Quarto quia ſummus pontifex ſæpiſſime in his diſpenſat, non poſſet autem diſpenſare, ſi hæc naturali iuri aduerſarẽtur. Dico quòd multiplex eſt ius naturale, ſcilicet primarium & ſecundarium vt dicit, ſcilicet 1. 22. q. 122. ar. 1. &, 4. ſcilicet. d. 33. q. 1. hæc ad ſecundarium pertineant in quo ſummus pontifex diſpenſare poteſt occurrentibus aliis quæ in caſu ius naturale ſopire videntur.

IN CAPVT XVIII. LEVITICI annotationes ad mores.

Ego Dominus Deus veſter. Conſtat ex hoc loco eum qui leges condere vult, debere prius oſtendere dominium ſuum in eos: quibus leges tradit. Similiter debere oſtendere ſe poſſe in tranſgreſſiones legum ſuarum animaduertere.

Secundum opus terræ Ægypti in qua habitaſtis: non facietis. Non debet patria bene inſtituta, facile permittere, habitatores ſuos, peregrina regna, in quibus homines licentioſius viuunt adire: ne mores malos diſcere poſſint, quoniam homo, facile diſcit mores eorum quibus conuerſatur. Vnde ſanctus Abraham, noluit filium ſuum Iſaach, in Meſopotamiam ire, vxoris quærendæ gratia, ſed potius vxorem ad ſe adducere, vt penes ſe bonos mores addiſceret & malos ſi forte haberet, deponeret. Similiter elaborandum eſt, ne mala exempla videas: quæ te facilè ad malum adducere poſſunt. Tertio qualiter ſubditi à prælatis ſuis admonẽdi ſint, q̃ando ituri ſunt ad loca in quibus mala exempla videre poſſunt, quemadmodũ ſanctus Iere. Iudæos in Babyloniam captiuitatem ituros, vbi idolorum cultum viſuri erant, de cauenda idololatria admonet.

In ſtatutis eorum non ambulabitis. Eſſet ſatis impiis, impie viuere, modo ſtatuta iniqua non ſtabilirent. Nam quemadmodum piis, non ſat eſt bona facere, ſed ſeſe iuramentis, votis, & ſtatutis ad ea facienda ligant, ita & impiis non ſat eſt mala facere, niſi ſe ſuis ſtatutis, votis & iuramentis, ad ea facienda aſtringant. Iuraui (ait Dauid) & ſtatui: cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Et alio Pſal. Sicut iuratus Domino, votum vouit Deo Iacob. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inuenero locum Domino: tabernaculum Deo Iacob. Hoc intereſſe cernes inter malos & bonos, in malis & bonis faciendis: quod boni faciunt mala, quaſi diſſigata. Nam ita ea facere volunt, & promittunt, vt facile vota, vel iuramenta, reſcindãt. Audi quid Dauid ſanctus, iniuriam paſſus à Nabal, vxori eius dixerit. Et quidem viuit Dominus, quia niſi feſtinaſſes in occurſum mei non remanſiſſet ipſi Nabal mingens ad parietem. Venit mulier ſapiens in occurſum eius, & ſtatim reuocauit malum quod facere decreuerat. De bonis operibus, qualiter ſe ad ea aſtringant diximus. Nunc de malis dicamus, qualiter ea faciant ſixa, & ſe ad ea aſtringant. Cùm enim nuntij quos miſerat Nabucdonoſor: vacui & ſine honore ab eis ad quos mittebãtur remitterentur: iurauit per thronum ſuum, quòd ſe ab eis defenderet, & ſtatim ad vindictam Holofernem miſit. Sic illi qui Danielem accuſabant, ne rex malum quod Prophetæ parabant, reuocare poſſet, cum ſtatuere fecerunt, ne quis triginta dierum ſpatio: alteri quàm ei quicquam peteret. Quod verò bona diſciſa faciant, conſtat. Si eleemoſyna, ieiunium vel quoduis aliud bonum opus faciendum eſt, parita occaſio eos impedit ab exequutione eius, ita vt pulchre dixerit in Prouerbiis Salomon, pigrum velle & non velle: quoniam ſi aliquando vult bonum, ſtatim renocare conatur quod bene voluit.

Gen. 24.

Baruch. 6.

Pſal. 118.

Pſal. 131.

Iudicia mea facietis, & ſtatuta mea ſeruabitis. Facienda ſunt bona ſtatuta, contra mala. Non ſat eſt malis operibus, bonis obuiam ire, ſed ſtatutis bonis, eorum malis legibus obuiandum eſt.

Nullus ad proximam carnis ſuæ accedet. Putarem conſanguineam cognoſcere, ad brutalitatem tendere, brutorum eſt diſcrimina in coitu non facere: licet de equo, qui eum marꝰe congreſſus eſt: mira prodant hiſtoriæ, hominum erò conſanguineas ab aliis diſcriminare in actibus carnis.

Turpitudinem patris tui, & matris, non reuelabis. Quanta reuerentia, habeat pater & mater honorari, docet ſententia hæc, & ſequentes omnes: vt eum his quibus naturaliter reuerentiam debemus, congredien dum non ſit: ad omnes enim has, eſt naturalis horror, quemadmodum ad menſtruatam. Habes etiam hic quam fœdus, & immundus, imò & brutalis ſit coitus, cum maſculo & cum immento.

Ne polluamini in his. Nam in his omnibus polluerunt ſe gentes. Admonemur, non ſequi aliorum peccata: ne nos ſimilis pœna tenear, & conſiderandæ ſunt aliorum punitiones, & ob quæ peccata puniti ſint: ne nos ſimilis pœna inuoluat. Similiter expende qualiter hij qui naturæ inuitrium ſunt, ſuis peliantur ſedibus, quorum loca iuſtis traduntur.

Vomuit ſe terra, eiuemt habitatores ſuos. Minim valde eſt, quòd nõ ſolum iſti brutales, ſeſe fœdent huiuſmodi congreſſibus, ſed etiam terra propter eos, & qualiter cupiat, eos quaſi corruptos cibos euomere, & quemadmodum, tales cupit à ſe reiicere, ita & bonos apud ſe ſeruare. Vię Sion (ait Ieremias) lugent, eò quòd non ſint qui ueniant ad ſolennitatem. Audis quàm anxie vię Sion, pios & cultores Dei deſiderabat.

Leuit.

Indigena & peregrinus, qui peregrinantur apud vos. Nouit Dominus huiuſmodi vitia, vt plurimum à peregrinis deferri: volentibus peſſimis patriæ ſuę moribus, vbique locorum vti, quamobrem maximè enitendum eſt, rectoribus: vt eos in officio contineant: neque libere viuere ſinant.

Non euomat terra vos. Expende hic qualiter terra, impios qui in ea morantur caſtiget, vnde credendum eſt, eam pollutam: cum fructus ſuos, ſuis habitatoribus & cultoribus negat. Sic per bella, peſtes, aut ſimilia incommoda à ſe eiicit: quo in loco ſimul aduertę, quàm malum ſit, malos prædeceſſores habere in loco quo habitas.

IN CAPVT. XIX. LEVITICI annotatio ad literam.

Locutus eſt Dominus ad Moſen. Fit hoc capite repetitio quorundam præceptorum decalogi, ſcilicet de parentibus timendis, de cura pauperum, & proximi dilectione, de non vlciſcenda iniuria, cauendum à pythonibus & haruſpicibus, de barba non radenda, de filia non polluenda per fornicationem, canos & ſenes honorandos, peregrino vim non inferendam, in omni re, eſſe æquitatẽ ſeruãdam.

Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum Dominus deus veſter. Diſputani ſæpius in hoc opere, de ſignificatione verbi chadas: q̃ proprie ſeparare ſignificet, præſertim ab immunditiis. Vide quæ Gen. 2. ſcripſimus de ſignificatione huius verbi. Eſt ergo ſenſus. Eſtote ſeparati ab immunditiis & ſordibus gentium, quoniã ego qui ſum Dominus Deus veſter, ſeparatus ſum. Rabbini dicunt ſignificare ſanctificare, præparare, immundum eſſe. Dicit enim Rabbi Dauid Kimhi, inueniri in laudem, & vituperium. Ad probandum verò quòd ſignificet præparare, citant illud Micheh tertio vbi dicitur. Vechadeſſu, id eſt, Præparabunt aduerſus illum prælium, vbi Hieronymus vertit ſanctificabunt, ſed explicandum eſt quid ſit prælium ſanctificare: &

& nihil aliud eſſe puto ſanctificare bellum, q̃ ſeparare homines quaſi pecudes quæ ſeparabantur ad ſacrificiũ Domini. Solebãt enim animalia Domino immolãda, ab aliis ſeparari & recludi: vt ſacerdos exploraret quid haberẽt maculæ. Ne autẽ ſine verbo domini loqui videamur, audi quid Iere. 12. dicatur. Cõgrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos, id eſt, ſepara quaſi pecudes mactandas, in diem occiſionis. Sic cùm Ioelis. 1. dicitur. Sanctificate ieiunium, interpretandum puto ſeparate homines à cibis propter Deũ: aut ſeparate eos ab immunditiis vt ſanctè ieiunent: vbi videſ quàm pulchre propria ſignificatio in locis quibus eam iſti mutant, quadret: neque eſſe facile verba diſtrahenda à ſua genuina ſignificatione, quia nolunt (vt in canonibus diximus) alluſiones vocabulorum expendere, facilè eas mutant vt lubet.

Vnuſquiſq; matrem ſuam, & patrem ſuum timebitis. Hebraice eſt. Vir matrem ſuam, & præponit hic matrem patri, quoniam ſolent filij plus patrem quàm matrem timere: imò pro nihilo reputant matrem. Cùm verò honorare præcepit Exodi vigeſimo, vice verſa, præponit patrem matri: quoniam pater magis honorandus eſt quàm mater.

Sabbata mea cuſtodietis. Dicit ſabbata, quia non vnictim ſed multa mandare ſeruabat ſabbata, aut propter ſabbatum ebdomadæ dierum & annorum: quod in anno iubilei celebrabatur, aut per ſabbata intelligit omnia feſta. Inculcat autem huiuſmodi præcepta de ſanctificando ſabbato, de parentibus timendis, quoniam maximi erant momenti.

Ne vertatis vos ad idola, et deos fuſiles nõ facietis vobis. Significat verbum panah proprie vertere, quod multis in locis exemplis monſtrauimus: ſed quia ex conſequenti ſignificat reſpicere, quidam hic reſpicere verterunt, ſed magis quadrat vertere, quod dicit, quoniam Hebræi iam in Ægypto idola coluerant. Dicit ergo. Poſtquam relictis idolis, me Deum ſecuti eſtis: non reuertamini iterum ad idola. Vocantur autem hic idola Elilim, quam vocem quidam compoſitam arbitrantur ab al, quod eſt non, & el quod eſt Deus, quaſi non dij: quoniam verè non ſunt dij. Si verò radix nominis Elilim, ſit alal, quod eſt vanum eſſe: tunc Elilim dicentur idola, quoniam res vanæ ſunt & nullius momenti, quam ſententiam ſequitur Rabbi Dauid Kimhi, & probabilior videtur. Vnde Iob decimo tertio habes. Medici elim, id eſt vanitatis omnes vos. Aut medici inutiles. Zachariæ etiam vndecimo habetur. Væ paſtori haeli, id eſt, vanitatis aut inutilitatis. Si verò Elilim ſit ab alah, quod eſt execrari, maledicere, dicentur idola Elilim, quoniam execrabilia & maledicta ſunt. Si verò ab el quod eſt fortitudo, dicentur à fortitudine deitatis, quam illis homines falſo tribuunt. Quod autem ſequitur.

Vox Elilim.

Neque Deos fuſiles facietis. Chaldæus vertit. Neque timores cõflatiles, facietis vobis. Admonui enim Geneſis trigeſimoprimo ſuper illud. Iurauit Iacob per timorem patris ſui Iſaach, Chaldæos & etiam Hebræos vocare Deum timorem: eò quod maximè timendus ſit. Et quod ſequitur.

Ego Dominus Deus veſter, dupliciter poteſt exponi. Vno modo ego Dominus Deus veſter, qui poſſum in vos veluti in ſeruos: animaduertere: ſi idola colatis. Secundo. Ego Dominus Deus veſter, ad quem colendum vos vertere poteſtis, relictis idolis. Et prior ſenſus, ſecundo videtur germanior.

Si ſacrificaueritis ſacrificium integritatum Domino: ſecundum beneplacitum veſtrum ſacrificabitis. Conſulto non verti cum aliis ſacrificium pacificorum: quoniã vt ſæpius admonui, dictio ſalom non pacem, ſed integritatem ſignificat. Quod verò ſequitur.

Secundum beneplacitum veſtrum ſacrificabitis, idem dictu eſt. quòd cum vobis beneplacuerit offeretis, & vult ponere diſcrimen inter hoc ſacrificii genus, & alia ſcilicet holocauſtũ, & pro peccato, quoniã hæc erãt ne ceſſario offerẽda, pacifica verò, liberum erat vnicuiq. Alij ſic locum intelligunt. Si vultis hoſtiã integritatis offerre: ita debetis offerre, vt ſit gratum & acceptum Domino, ſed prior ſenſus germanior eſſe videtur.

Ipſa die qua ſacrificaueritis, comedetur. Licet non obligem vos inquit ad pacifica mihi offerenda: obligo tamen, vt eadem qua offertur die, & ſequenti comedatur.

Prophanatum eſt, non placebit. Hebraice.

Abominabile ipſum, non placebit. Dictio Hebraica pigul (vt etiam alias admonuimus) ſignificat rem abominabilem. vt patet Ezechielis quarto vbi dicitur. Non eſt ingreſſa os meum caro pigul. i. rei abominabilis, aut immundæ. *Non placebit*, Suhaudi ſacrificium. Et quod dicitur. *Portabis iniquitatem*, id eſt, pœnam iniquitatis ſuæ. *Quoniam ſanctum Domini polluit*, id eſt carnem, quæ Domino erat ſanctificata, permiſit putrem fieri, aut præceptum Domini non curauit. Vel quia quod erat Domino ſanctificatum, poſtquàm fuit pollutum comedit.

Cum meſſueris meſſem terræ tuæ: non finies extremitatem agri tui. Significat verbum chaſar proprie ſtringere, arctare, & ex conſequenti metere, quòd metentes, faſces culmorum & ſpicarum ſtringere & coarctare ſoleant. Non Iſaiæ vigeſimoctauo habes. Quia chaſar, id eſt, ſtrictum ſeu arctum ſtratum. Et Michææ ſecundo. Nunquid hachaſar, id eſt, ſtrictus eſt ſpiritus Domini? De ſecunda verò ſignificatione habes exemplum Ieremiæ duodecimo vbi dicitur. Seruerunt tritica, & ſpinas chaſaru, id eſt, ſtrinxerunt aut meſſuerunt. Quod autem ſequitur.

Non conſummabis ſeu finies extremitatem agri tui. Multi verterunt anguli tui, ſed nomen peat, proprie extremitatem ſignificat Ieremiæ nono. Viſitabo ſuper omnes diſperſos peah, id eſt, in extremitatem, ſeu vſq; ad extremitatem tertæ, & videtur æquius, vt non ſolum angulos meſſis, ſed extremitates ex omni parte: pauperibus relinquerent, vnde ex omni parte non poterant ad extremitatem pertingere.

Collectionem meſſis tuæ non colliges. Noſter Sanctes vertit ſpicas remanentes meſſis tuæ, non colliges, ſed in Hebræo nulla eſt ſpicarum mentio: quoniam lachat colligere ſignificat Exodi decimo ſexto, vbi dicitur lachetu, id eſt, collegerunt cibos duplices, & lechet collectionem ſignificat, & eſt ſenſus. Collectionem ſcilicet totam ſeu fructum meſſis tuæ, non colliges, ſed aliquid pauperibus relinques, & præ ſe fert textus (niſi ſit præcedentis explicatio) quòd extremitates meſſis, erant pauperibus relinquendæ. Dicunt autem Hebræi, ſpicas decidentes manibus metentium, vel relictas, eos nõ poſſe colligere: quare prouerbium erat inter eos. Qui non relinquit pauperibus collectionem: perinde eſt, ac ſi vi pauperibus ſua diripiat. Adduntque beneficium hoc in pauperes, pro ſacrificio reputari.

Quid Hebræis ſignificet verbum alal, id eſt, racemare.

Vineam tuam non racemabis, & baccas vineæ tuæ non colliges. Senſus eſt. Vineam tuam non racemabis, ſcilicet omnino, vt ſcilicet nihil racemorum pauperibus relinquas, & baccas, ſcilicet decidentes manibus vindemiantium non colliges. Aut baccas, id eſt, paruos racemos non colliges: ac ſi apertius dicat. Non omnes racemos magnos vineæ tuæ racemabis, & paruos, qui baccæ reputantur non colliges. Poſſet etiam eſſe ſenſus. Vineam tuam non racemabis, ſcilicet vſq; ad extremitatẽ, quemadmodũ de agro dixit: & baccas vineæ tuæ. i. paruos racemos remanentes nõ colliges, & hic ſenſus videtur literæ magis cõuenire. Eſt autem aduertendum verbum alal incertæ eſſe ſignificationis. Dicunt enim Hebræi ſignificare omnia hæc, ſcilicet facere, vindemiare, inuoluere, aſcẽdere, deturpare: quod mihi præſentiſſimum ſignum eſt eos propriã ſignificationem ignorare. Verbum (meo iudicio) racemare ſignificat ſeu vindemiare, maximè racemos remanentes poſt vindemiam, quod noſtri dicunt rabiſcare ou rebuſcar, id eſt, iterum querere, & multi ſunt in ſcriptura loci, qui in hac ſignificatione verti poſſunt. vt locus iſte, & Deut. 24. Item Ieremiæ. 6. vbi dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Olel ieolelu, id est, racemando racemabunt, sicut vitē reliquum Israel, & iste locus aperte insinuat hanc significationem esse propriam. Sic Iudicum vigesimo. Vaicoielahu, id est. Et racemauerunt eum in viis, seu non dimiserunt ex eo racemum. Iuxta hanc significationem vertere licebit illud Threnorum primo. Sicut dolor meus, qui olal, id est, factus est mihi (vt nostri vertunt) quod verti potest, qui vindemiauit, aut racemauit me. Sic eodem capite, quod nostri vertunt. Veolel, id est, fac eis sicut fecisti mihi, optimè vertas. Racema eos, quemadmodū racemasti me. Sunt tamen aliquot loci, in quibus hæc significatio nō videtur conuenire: vt est illud Iob. 16. Veolalti, id est, inuolui in puluere cornu meum, vbi nullo modo videtur conuenire racemaui, aut vindemiaui, sed etiam hic potest conuenire, intelligendo per vindemiare cornu in puluere, scindere quemadmodum scinditur botrus ex vite. Similiter illud primi Samuelis trigesimoprimo. Ne ferte veniant incircuncisi isti, & hi tallelu, id est, illudant mihi, quod melius vertas & racement seu vindemient me, abscindentes videlicet manus pedes & caput ac verenda dum viuo. Aut racement me, id est, seruentent verenda mea, quemadmodum scrutatur vitem qui racemat: vnde locum melius vertas. Et racemationem faciant in me, quemadmodum nos dicimus. Porque nam façam gazua, ou anathomia dm mim. Eodem modo interpretandum puto illud Ieremiæ trigesimooctauo. Ne forte tradant me, in manu eorum: vehitallelu, id est, racemationem faciant in me, id est, caput amputent, & separent: quemadmodum botrus à vite, aut scrutentur me, & membra scindant, quemadmodum à vite botri, vt iam diximus, Est etiam facere racemationem, progeniem aut filios alicuius occidere, aut ab eo auellere: vt Psal. centesimo quadragesimoprimo. Ne inclinari sinas cor meum ad verbum malum: seu ad rem malam: lehitollel. i. ad racemandum racemationes impietatis, id est, ad colligendum collectiones impietatis aut ad perdendā posteritatē. Significatio nondum mihi plene nota est, ideo cum communi transeundum puto, inde olal, id est paruulus, sic dictus quòd ab vbere seu matre pendeat, veluti botrus à vite.

Ego Dominus Deus vester, qui scilicet hæc in vos vindicare possum.

Non furabimini, non negabitis, & non mentiemini vnusquisque proximo suo.

De priori verbo, scilicet ganah, non est dubium significare furari, secundum verò scilicet chachas, id est, negare non plene notum est, videtur tamen significare deficere, attenuari, macrescere, & mentiri, quod est deficere à veritate promissa. Psalmo centesimonono. Caro mea chachas, id est, defecit propter oleum, id est, olei defectum. Si legas non negabitis, intellige depositum, aut veritatem dictam: si verò non deficietis, intellige à promissis aut à veritate dicta. Tertium autem verbum, scilicet sachar videtur quasi idem significare, scilicet mentiri, & præuaricari. Geneseos vigesimo primo. Si tischor li, id est, si mentitus fueris mihi, aut præuaricatus in me: vnde videtur significare mentiri pactum, aut promissum. Posset ergo locus sic reddi. Non furabimini, & non attenuabitis vos proximo, dicentes vos nihil habere ad subueniendum illi. Et non mentiemini pacta & promissa illi, aut vt diximus, Non negabitis, scilicet depositum aut promissum, & non mentiemini, scilicet pacta. Et peculiariter prohibet hæc delicta: quoniā petitiosissima sunt in re publica bene disposita. Hebræi vertunt. Non furabimini, non mentiemini, & non fallatis, quæ sic distinguunt vt furari, non tantum sit eius qui alicui bona sua subfurātur, sed etiam eius qui videt, nouit, & tacet. Mentiri verò eius est, qui negat depositum, quo etiā eum comprehendunt, qui nouit & tacet. Fallere verò eiūs, qui petit ab aliquo debitum: qui ei nihil debet, & apud quem plane nihil habet: quod suum est.

Non pollues nomen Dei tui. Mentiri enim iuratū per nomē Dei, est vili pendere illud, & per consequens polluere, quod Deus Ezechielis decimoseptimo se vindicaturum pollicetur. Viuo ego inquit nisi iuramentum meum quod sprezit, & fœdus meum quod irritauit: dedero in caput eius. Et aduerte quod in Hebræo non habetur. Non pollues, sed affirmatiue, id est, pollues: sed iam in regulis admonuimus, sæpe apud Hebræos, vnam negationem supplere vicem duarum: vt ibi multis monstrauimus exemplis. Posset tamen intelligi. Quoniam scilicet iurando in nomine meo meo daciter, pollues nomen Dei tui.

Ego Dominus, qui scilicet iniuriam possum reddere.

Non vim inferes proximo tuo.

Verbum aschak, videtur significare occupare, & detinere, & potest esse sensus. Nō occupabis locum tuum inuitum in ministerio tuo, aut non detinebis bona eius, *neque rapies.* Significat enim gazal prædari. Dicunt enim Hebræi asçak, esse nolle reddere rem proximo suo, quæ quacunq; ex causa, ad manus cuiuspiam peruenit: gazal verò esse, vi alicui sua auferre.

Non pernoctabit opus mercenarij tui apud te vsq; mane. Melius non morabitur & sumitur opus pro operis mercede vt Hebræis mos est.

Non maledices surdo. Posset etiam verti. Non leuem reputabis. seu non despicies surdum, quoniam verbum etiam hoc significat, & priori modo est sensus. Non putes te à peccato immunem maledicendo surdo, quoniam non audit ille maledictionem. Audio enim ego, qui te punire possum.

Sed timebis à Deo tuo, Ego Dominus.

Explicat locus iste locutiones quibus dicitur Ego Dominus, quòd videlicet sit sensus. Ego Dominus qui vos punire possum.

Non facietis iniquitatem in iudicio, id est. Non peruertetis illud. Nam verbum Aual Hebræis significat à rectitudine declinare: & etiam lactare. Posset etiam verti. Non facietis stultitiam, aut exactionem in iudicio.

Non suscipies faciem pauperis in iudicio. Hebraice, Nō leuabis, seu eleuabis, scilicet honorādo: ac si dicat, Non honorabis, vt scilicet propter illum peruertas iudicium: illius scilicet misertus. Sic quod sequitur.

Non honorabis faciem magni, vt scilicet propter eius honorem, peruertas iudicium. Non enim iudicium est peruertendum, ob misericordiam in pauperem: neque ad honorandum diuitem.

Non ibis fraudulenter in populo tuo.

Dicunt tam Hebræi quàm nostri, verbum rachal significare negotiari, & mercari, inde marcolet, id est, detractor, q̄ hinc inde veluti negociator discurrat: & quod in vna domo audit, in alia dicit & reuelat. Aliqui dicunt rachil, exploratorem significare. Est ergo litera sic intelligenda. Non ambulabis detractor: i. hinc inde veluti mercator, vt quod hic audis alibi narres.

Non stabis contra sanguinem proximi tui.

Potest sermo ad iudices dirigi, vt scilicet non stes cum aliis ad occidendum innocentem, aut non eris quouismodo causa siue vt iudex siue vt testis, iniustæ effusionis sanguinis. Dicit autem.

Non stabis, quoniam qui iniuste aliquem ad mortem damnabant, stantes primos lapides in reum mittebant.

Ne suscipias super illum peccatum.

Hebraice est Non leuabis seu portabis super illum peccatum, id est, non imponas illi falsum crimen, vel. Non peccabis contra ipsum.

Non seruabis odium in filios populi tui, id est, in conciues tuos, & loquitur de odio ad vindictam non seruando.

Iumentum tuum non coire facies mixtim.

Hebraice est non quadrare facies, & dixi causam quare coire dicatur in quadrupedibus quadrare: quoniam super quatuor pedes se disponunt ad coitum quadrupedia. Et quod dicitur. *mixtim.* Verbum chalā, significat claudere, & prohibere, Ieremiæ trigesimosecundo. Quem chelao, id est, recluserat eum, seu prohibuerat. Et Aggei primo. Propterea super vos chaleu, id est prohibuerunt seu clauserunt se cœli. Hinc chele, id est, carcer, sic dictus quod prohibeat vel claudat homines, & prohibeat exire, & etiam michlah, id est ouile sic dictum quòd sit clausum, & duale chilaiim, id est mixta, quòd in mixto sit vnum alteri seu in altero inclusum. Sic de agro non seminando mixtis seminibus. Abhorruit enim Deus maximè à confusione, & simplicia dilexit.

Quod fit Iudæis præputiare præputium.

Quadrupedia Hebraicè coire dicuntur mixtim.

Vestis mixtionum, contexta ex lana & lino, non ascendet super te. Etiam mixtio in vestibus displicet. In hebræo habetur. Vestis mixtionum etherogenea, & ethrogenea est vnica dictio, scilicet scaatnem, quam Hebræi ex tribus compositam dicunt, scilicet ex sua, quod est lene, & rauah quod est filare, & num quod est torquere filum, sed meo iudicio ipsi ignorant propriā vocis significationem, neque in Hebræo fit mentio lanę, vel lini, quoniam non solum mixta lana & lino prohibentur, sed ex quorumcunque filis.

Vir cum dormierit cum muliere coitu seminis, & fuerit probris affecta aut despecta à viro, & redimendo nō fuerit redempta, vel manumissio non est data ei, vapulabit, scilicet mulier *non morietur quoniam non fuit libera.*

Quod dicitur coitu seminis, id est coitu quo fit seminum commixtio, vt excludat modos innaturales, præsertim Sodomiam. Quod verò sequitur. Probris affecta aut despecta à viro, multi verterunt desponsata viro, alij viro addicta: sed quia nullibi verbum chaph hoc significat, suspecta mihi semper fuit illa significatio. Significat autem charaph probris afficere, vt patet Psalmo centesimo. 19. vbi dicitur. Et respondebo chorephi, id est, exprobranti mihi verbum aut probris afficienti me verbum, seu vilem reputanti ac deturpanti, & meo iudicio statuit lex, quòd si quis coierit naturali modo, cum alterius ancilla iam cognita à viro, quam deturpatam seu vilem reputat, neque fuit redempta vel manumissa, quoniam talis non reputatur vxor: talis non erat occidendus sed vapulandus. Talis enim non reputabatur vxor, ideò qui eam cognoscebat libet à morte erat. Aduerte etiam quòd dictio bicoret, quam nostri vertunt Vapulabit, ortum habet à verbo bachar quod Hebræis est discernere, vt Geneseos primo monstrauimus vnde bocher, id est, mane, sic dictum quòd tunc res discernantur: quare meo iudicio malè hic vertunt vapulatio, sed vertendum est discretio, id est, discernetur causa apud Iudices: vt sciatur qua sit pœna mulctandus vnde Septuaginta verterunt, Consideratio erit illis, Hebræi de ancilla quæ est Domini vxor legem intelligunt, ad quod abduci nequeo, quoniam verbi significatio torquetur, tum quia Exodi vigesimoprimo decernitur, quòd si quis ancillam suam humiliauerit, & noluerit eam habere vxorē liberam dimittat, & si eam in vxorem accipere velit libera est, quòd si vxor libera est, qui cum ea coierit occidendus est tanquam adulter.

Adducet delictum suum, id est, oblationem pro delicto, vt sæpius exposuimus. Sic quod sequitur.

Arietem delicti, id est, pro delicto. *Auferatis præputia eius fructum eius, tribus annis erit vobis præputij amputatio, non comedetur eius fructus.*

Non rectè reddidit meo iudicio noster Sanctes hunc locum, quoniam verbum aral non significat præputium auferre, sed potius habere, vel facere, vt patet Exod. 12. vbi dicitur. Et omnis arel, id est, præputiatus seu præputium habens, non comedet ex eo. Idem Geneseos. 17. Ve arel, id est, & præputiatus masculus. Sic Ezec. 24. Erel leb, id est, incircūcisus corde, vnde Munsterus vertit. Dimittetis præputium cuiuslibet cum fructu eius. Tribus annis erunt vobis in præputio non comedentur. Tum quia non est facilè fingere, qualiter præputia arborum vel fructuum, essent ab eis auferenda. Est autem textus sic efferendus.

Cùm veneritis ad terram, & plantaueritis omnem arborem ad comedendum præputiabitis præputium eius, & fructum eius, tribus annis erit vobis præputia, non comedetur. Aduerte quod omnis præputiatus, & præputium abominabile erat Iudæis, & quid reprobatum, ideò vtitur scriptura hoc schemate. Hoc est præputiatū, pro hoc est reprobarum, Est ergo sensus. Cùm veneritis ad terram, scilicet, vobis promissam, & plantaueritis omnem arborē ad comedendum, id est, aptam, esui. Præputiabitis, id est, reputabitis præputium seu immundum quid, fructum eius, & statim explicans more suo quod obscurè dixerat, sequitur. Tribus annis erit vobis, scilicet fructus illius arboris præputia, id est, tam immundus & abominabilis sicut præputia, & explicās amplius addit. Non comedetur, & iste proculdubio est germanus huius literæ sensus: vbi vides quid mali sit, non seruare propriam verborum significationem. Vnde sequitur adhuc elatius.

Quid sit Iudæis præputiare præputium.

Quarto autem anno erit omnis fructus eius sanctus.

Si enim quarto anno erat sanctus, signum euidens est, tribus præcedentibus annis fuisse prophanum. Chaldæus vertit. Remouendo remouebitis fructum eius. Posset tamē interpretatio Sanctis sustineri vt hic sit sensus. Præputiabitis præputium eius, id est, decerpatis & abiiciatis tanquam præputium fructum eius, sed prior sensus est verè germanus. Et præputiare præputium, est immundum aliquid reputare, quemadmodum habēs præputium reputatur immundus apud Iudæos, & est hebraismus. Quod autem sequitur.

Laudabilis Domino, scilicet, erit fructus ille. Dictio hillulim, id est, laudabiles ad halal ortum habet, quod significat laudare, eleuare, & ad literam melius vertas Sanctitas laudum Domino, id est, separatio ad laudes Domini, aut applicatum quid ad laudandum Dominum. Laudabatur enim Dominus huiusmodi munere. Posset etiam esse sensus, quarto anno erit omnis fructus eius sanctitas laudum Domino, id est, tā mundus sicut res quæ Domino dicata est.

Vt addere faciatis vobis fructus eius. Volebat Dominus priores fructus arborum de nouo plātatarum, fore tribus annis immundos, quarto verò sibi præsentari, & propter primitias sibi oblatas anno. 4. multiplicabat fructum anno quinto. Significat autem tenua prouentum terræ, à ba, quod est venire.

Non comedetis super sanguine. Variè locus iste à nostris & ab Hebræis redditur, sed sensus simplicior & germanior videtur. Non comedetis de animali, nisi effuso prius sanguine ipsius, quem sensum innuere videtur similis locutio, quæ ponitur. 1. Samuelis. 14. vbi dicitur. Vertit se populus ad prædam, tuleruntque oues & boues & vitulos, & mactauerunt in terra, comeditque populus super sanguine, id est, eo non effuso. Secundo potest esse sensus. Non comedetis super sanguine, quoniam iubebat Dominus sanguinē puluere operire vt patet cap. 17. præcedenti. Vel fortè erat aliquis ritus gentilicius comedere super sanguinem, quem hic prohibet, quoniam statim sequitur.

Non augurabimini. Non est omnino certa propria significatio verbi nachas, videtur tamen significare, eum sonitu incantare. Diximus satis Gene. 30. de significatione huius verbi. Hinc nachas, id est, serpens, sic ab incantatione aut sibilatione dictus.

Non obseruabitis tempora. Incerta est significatio verbi teonenu, quoniam ignoratur cuius radicis sit, quidā deriuant ab aiim quod est oculus, & isti vertūt. Non eritis præstigiatores, qui oculos tenent vidētium, ne rem videant sicuti est. Alij ab anah quod est respondere, ac si dicat. Non quæretis responsa. Tertij quibus subscribendum puto, deducunt ab anan, id est, nubes seu nebula, & secundum istos sensus est. Non obnubilabitis aut non facietis nebulam oculis, quemadmodum faciunt præstigiatores: vnde onen significat eum qui tenet oculos, & facit rem aliter quàm sit apparére. Non audeo vertere. Non obseruabitis tempora, quoniam nusquam inueni dictionem, tempus significare. Si tamen verbum deriuetur ab auan, quod est antrum seu foramen, tunc prohibetur per foramen transire vel intrare, quod certum genus maleficij est, quod ad curandos morbos fieri solet.

Non in circuitu attondebitis extremitatem capitis vestri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verbum tachiphu quod hic ponitur, si sit à radice Iachaph significat circũdare, vt patet Iiob decimonono, vbi dicitur. Et rete suum super me hichib, id est, circundare fecit. Et capite primo eiusdem libri cum hichiphu, id est, in circuitu transissent dies, & sic prohibet lex hæc tondere seu scindere in rotundum caput, id est capillos capitis, quemadmodum portare solent clerici & sacerdotes apud nos, aut quemadmodum religiosi. Et meo iudicio voluit Dominus, vt quemadmodum ipse os hominis, & faciem disposuerat, ita ipsi disponerent capillos suos: vt scilicet super frontem totam, esset vna incisio & in circuitu capitis alia. Aut voluit eos esse omnino attonsos, quemadmodum nunc nostri incedere solent.

Non destrues extremitatem barbæ tuæ. Quæ hic vocetur extremitas barbæ, non facilè dixerim, & si per extremitatem barbæ intelligat angulos super genas, crediderim Dominum præcipere, barbam ad modum turcharum deferre, qui & si inferiorem barbę partem, rasam, aut attonsam habeant: semper tamen in angulis superioribus ipsius, capillorum partem relinquunt quod vsque hodie Hebræi obseruant. Potest secundo per extremitatem barbæ intelligi pars extrema seu inferior, quæ quendam angulum facere videtur, & hunc angulum prohibet destrui. Consulto non vertimus angulos, quoniam dictio Peah potius extremitatem quàm angulum significat: licet etiam illum significare inueniatur. Prohibet autem Dominus huiusmodi capillorum, & barbæ incisionem, propter duo. Primum quia gentiles eo vtebantur. Secundo quia voluit eos naturam sequi, vt scilicet incisio sequeretur naturam, & dispositionem vultus.

Incisionem autẽ pro anima, non dabitis in carne vestra. Solebant gentiles, quando aliquis sibi charus morieba tur, vnguibus se incidere, vel aliis instrumentis, & vsque hodie fœminæ nostræ hoc faciunt, si non sint instructæ. Hoc Dominus suis prohibet. Et aduerte quod dictio seret, id est, incisio, non solùm incisionem, sed contritionẽ significare videtur: vt patet Zachariæ. 12. vbi dicitur. Ponam Ierusalem lapidem onerarium, omnes ferentes sirot lisaretu, id est, conterendo conterentur, aut scindendo scindentur.

Scripturam notæ, non ponetis in vobis.

Vsque hodie Arabes & Sarraceni, & quidam Insulares apud fortunatas Insulas degentes, habent pectora & brachia, huiusmodi notis & literis inscripta, & hoc Dominus suis hic prohibet. Omnes enim huiusmodi ritus gentilium erant, & idololatrarum, quam ob causam à Domino prohibentur, & licet Hebræi dicant, nomen chaacha significare stigma seu notam, significatio tamen dictionis incerta est. Vnde Rabbi Dauid in libro radicum exponit, exaratam, descriptam. Si radix est chaa vel choa, significat honorabilem esse: vt patet Ezechielis. 23.

Non pollues filiam tuam, vt facias eam fornicari, id est non prostituas. Significat verbum chalal polluere, initiari, seu communem facere. Tertio occidere, quòd occisus tangentem polluat, vel sit luto aut sanguine suo fœdatus, & secunda clausula priorẽ explicat, vt scilicet polluere filiam, sit facere eam fornicari. Potest etiam esse sensus. Non pollues filiam tuam concumbendo cum ea, vt scilicet, postmodum fiat metetrix: sed prior sensus germanior est, & explicatius efferri posset. Non communem facias filiam tuam, quoniam verbum vt diximus etiam hoc significat. Verbum verò zanah, id est, fornicari, vtramque significat fornicationem, scilicet spiritualem & corporalem.

Et non fornicari faciet terram. Scilicet malo exemplo, aut quia prostituendo filiam faciebat alios fornicari.

Et impleatur terra scelere. Dictio zimah, significat cogitationem bonam vel malam: vnde verti posset. Et impleatur terra cogitatione, scilicet mala, vt alij videntes te filiam prostituere, cogitent facere similia aut cum ea fornicari.

A sanctuario meo timebitis. Id est, Reuerebimini illud, ne quid turpè faciatis in illo, vel propè illud, aut polluatis illud quoquo modo.

Non vertetis vos ad pithones. Sic melius vertendum puto, quam non respiciatis, quoniam prior significatio, verbo communior est. Aduerte autem dictionem (ob) à qua plurale obot significare Hebræis vtrem: vt patet Iiob trigesimosecundo, vbi dicitur. Sicut (obot) id est, vtres noui rumpentur. Significare etiam idolum non quodcunque, sed quòd fortè speciem vtris haberet, & dicunt Hebræi huiusmodi idolum, in podice (qui quasi os ventris est) suam sedem habuisse, in textu non ponitur Pithon, sed dicunt Hebræi (ob) esse idem quod Pithon. Est autẽ eis autoribus Pithon, homo aut mulier, inter cuius femora ascendit, & sedet mortuus, vel inter axillas eius, loquens submissa admodum voce, ac si ex inferioribus terræ partibus prodiret. Est & alia Pithonis species, qua cranium mortui consulitur, & ab eo responsum quæritur. Quidã hanc magiæ speciem, sic vocatã autumant, quòd qui ea vterentur obtusa voce, tanquam ex laguncula vel cauea loqui viderentur. Meminit Terrullianus ventriloquarum mulierum. Ventriloquas mulieres (inquit) hac nostra tempestate vidimus, quibus sedentibus, vocula quædam, ab earum pudendis excitabatur, respondebatque sciscitantibus, ipsèque audire volui: non quod vllam fidem his adhiberem: sed vt dæmonum præstigias cognoscerem. Talem Patres Græci scribunt fuisse Pithiã, cuius impurissimus dæmon, impurissimam & fœdissimam elegerat partem, in qua versaretur. Fabulantur Hebræi multa de hoc idolo, quæ consulto omittimus. *Quid Pithonis sit.*

Ab haruspicibus ne scisciteminí. Dictio hebraica lideonim quam aruspices vertimus, à iada quod est cognoscere seu scire ortum habet, per quos meo iudicio magos, quos sapientes vocant, intelligit Hebræi fabularum mirandi artifices, fingunt Iadua animal ferocissimum, cuius osse super dentes impositò aut super os qui habent vaticinantur. Aiunt autem, quod quasi magnus funis egrediatur ex terræ radice, quæ crescit eo in loco, vbi istud animal prouenit, præ se ferens formam cucumerum. Habetque istud animal Iadua appellatum, hominis figuram ex omni parte, atque vmbilico suo alligatum est, ad funem ex radice prodeuntem, neque quispiam est qui audeat propius ad ipsum accedere, quàm funis ille extendatur, quia rapit & interficit omnia. Totum quoque spatium quod funis ille complectitur, circumquaque depascit. Cùm autem veniunt qui illud venari volunt, iaculis eminus petunt funem eius, donec soluatur, quo facto statim moritur. Sed quid his fabulosius? Pudet hæc scribere aut recitare: & eos non pudet hæc ad sacras literas fingere & adiungere.

Honorabis faciem senis. Verbum hadar in multis locis honorare significat, vt hoc eodem capite patuit: & Exodi vigesimo tertio: inuenitur tamen significare tortuosum facere. Isaiæ quadragesimo quinto, vbi dicitur. Ego ante te ibo vahadurim, id est, & tortuosa dirigam interpretantur Hebræi legem hanc presentim rabbi Iosi Galileus, quod per senem scriptura sapientem intelligit, & si in annis iuuenis sit, cui assurgendum est, cùm adhuc quatuor cubitorum spatio absit: & mox vt faciem surgentis præterit, residendum.

Time à Deo tuo. Solent iuuenes non solum senes non honorare sed irridere, ideo addit. Time à Deo tuo, qui iniurias senioribus illatas vindicabit.

Non vim inferetis ei. Verbum ianah, opprimere significare videtur: vt Exodi vigesimo secundo diximus, vnde verti poteris. Non opprimes.

Non facietis iniquitatem. Verti etiam posset. Non facietis stultitiam.

In mensura magna. Vnica dictio est in hebræo, scilicet middah, vnde vertendum est in mensuram, & putarem per middah, intelligi mensuram pannorum: sicut est cubitus vlna, quia statim addit.

In mensurab. id est, in mensura, per quam forte intelligit mensuram aridorum & liquidorum. Inuenitur

Mores veteris legis non fuerunt virtutum, sed vitiorum vsti Hebræis bonus magnus

nitur tamen middah significare magnam mensuram. Primo Paralipo. vndecimo, vbi habetur. Percussit Aggy ptium virum middah, id est, mensuræ, scilicet magnæ, quemadmodum dixit Vir nominis, scilicet magni Genesis sexto. Sanctes noster vertit. Mensuram magnam & paruam, sequutus Rabbi Dauid, qui putat messurah significare mensuram paruam, middah verò magnam, propter id quod primo Paralipomenon vigesimotertio dicitur. Et omni messurah, vmiddah, id est, mensuræ paruæ, & mensuræ magnæ. Et Ezech. 4. Et aquam bimessurah, id est, in mensura, scilicet, paruabibes, & locus iste videtur probare quod diximus, messurah, scilicet, significare mensuram liquidorum & aridorum. Et a messurah, puto Latinos nomen mensuræ mutuasse.

Trutinæ iustæ, lapides iusti. Nomen duale mozenaiim, id est, trutinæ, ab ozen quod est auris, nomenclaturam habet, quòd trutinæ siue bilances, foramina habeant, & duæ sint. Vertunt omnes hic pro lapides ponderis, & meritò, sed in Hebræo lapides ponitur, & huius ratio est, quod quondam lapidibus pro ponderę vtebantur antiqui. & vsque hodie in multis locis hoc fit. Nam qui ferrea pondera non habent, lapideis vtuntur.

Ephah & hin. Nomina sunt mẽsurarum, de quibus sæpius diximus. Prius significat mensuram aridorum secundum verò liquidorum.

IN CAPVT. XIX. IVXTA mores annotatio.

SAncti eritis, quoniam ego sanctus sum dominus Deus vester. Et si serui in omnibus quoad possunt, debeant Dominum suum referre: in his tamen præcipuè, quæ maxime diligit, & in eo potiora sunt: vt si sit pius & misericors, in pietate & misericordia, si iustus in iustitia: si mundus in munditia, & quia summus Deus maximè mũditiam diligit. Mundi (ait quidam) sunt oculi tui, ne videant malum, quare cupit suos maximè munditiam sequi, ideò hortatur vt sancti sint, quoniam ipse sanctus est. Consistit autem huiusmodi munditia, in hoc quod est a malo recedere. Audi huius rei ex euangelio Lucæ decimo, pulchrum exemplum. Cùm enim Christus Seruator noster, domum Mariæ & Marthæ semel introisset, satagebat Martha, illi circa ciborum apparatum ministrare, de qua fuit sam solicita, vt vltra vires laborare videtur, & sororem in adiutorium postularet à Domino. Maria verò, quia nouerat Christum non cibis, sed colloquiis delectari diuinis, ad pedes eius sedens, audiebat attentè & deuotè verba illius, & licet soror erga plurima turbaretur ministeria, & illa quasi otiosa ad Domini pedes sederet, audiuit Mariam meliorem se partem elegisse. Sed quare? Quoniam Maria Domino in his quæ ipse maximè diligebat ministrabat, & illi assimilari volebat. Martha verò in his a quibus abhorrebat, aut quæ non curabat, qualia erant cibus & potus solicita erat. Si vis ergo a Domino cum quo vinis diligi, cura scire, quibus maximè afficitur, & in his illi ministrare satage, modo bona sint. Quemadmodum hij qui vitiosum colunt Dominum: in vitiis illi administrant vt fiatiores illi fiant, vt si est gulæ deditus, in cibo & potu, si auarus in augendis & cõgregandis pecuniis, si ludit in his quæ ad ludum pertinent. Si verò virtute delectatur in his quæ virtutis sunt, quemadmodum in munditia, si sit mundus.

Habac. 1.

Luc. 10.

Vnusquisque matrem suam & patrem suam timeatis. Solet amor præcipuè nimius, timorem expellere, iuxta illud beati Ioannis. Perfecta charitas foras mittit timorem, & hinc est quod filij, scientes se à parentibus diligi, parum aut nihil eos timent aut reuerẽtur, quod Dominus cognoscens, eis parentum timorem commendat, quo eos ab offensis eorum deterreat, & quia patrem vt diximus, minus verentur & timent filij, quoniam norunt eam in amore patrem excedere, ideò eam in timore præposuit. Quo in re, legislatores docet, ea vitia in primis prohibere, ad quæ viderint subditos procliuiores.

Sabbata mea custodiatis. Minus valdè est Deum tam sæpè custodiam sabbati præcepisse. Et hoc præceptum totiens inculcasse: cùm non sit inter omnia præcepta supremum. Solent legislatores, quemadmodum quæ odium peculiariter prohibere, ita & quæ diligunt familiarius præcipere. Hinc videbis homines pluris suas facere leges quam Dei, & seueritus in transgressores earum animaduertere. Sic etiam Dominus, quoniam maximè sabbatum diligit, tam crebro eius culturam meminit præcipere. Si quæras vnde illi tanta sabbati dilectio, recordare homines, nihil plus requie & quiete diligere. Cùm vero Dominus ea die ab operibus suis requieuerit, nõ mirum si illud voluerit nobis maximè commendare.

Ne vertatis vos ad idola. Facilè homo ad ea in quibus diu versatus fuit reuertitur, quod malum eius valdè augere solet, ideò admitendum est, vt ad vitia quæ semel reliquerit non reuertatis, quoniam solent nouissima hominis huius, esse deteriora prioribus, qua etiã de causa laborandum est, ne malis assueſcas, quoniam difficilè est malis assuetum, ad ea non redire. *Luc. 11.*

In die qua sacrificatur ex eo comedetur, & in crastinum. Constat ex hoc loco principem, modum posse præsigere his quæ in nostra sita sunt potestate, libera est emptio & venditio rerum, quia tamen in modo vendendi & emendi, mirabiles & ferè innumeræ sunt fraudes, principes in huiusmodi modos imponere solent. Sic & sacrificia pacifica libera sunt, ne tamen quisque pro suo cerebro modum sacrificandi inueniret, illum eis præscripsit. Quare consultum putarem, ne quisque Christianorum, in sacris, sibi morem colendi fingeret, sed omnia hæc ecclesiæ autoritate statuerentur. Aduerte etiam Dominum in hac re, velle nos pauperum esse memores. Poterat enim pacifica offerens, quæ ex vno aut altero die supersuissent, ventri postmodum offerenda seruare, ideò noluit Dominus ea in tertium custodiri diem, vt quæ illis duobus residua etient, tunc pauperibus erogarentur.

Igni comburentur. Docet locus iste sacra, non debere in prophanos vsus venire, & melius ac religiosius comburi, quam prophanari. Vnde vestes sacræ, & vasa, postquam vsui esse non possunt, comburi sacris canonibus iubentur.

Cùm messueris messem terræ tuæ. Difficilè est postquam fructus nos semel reclusseris, eos extrahere vt pauperibus largiaris, difficilius crumenam, semel multis nodis ligatam, dissigare, ideo puis patet præcipit, vt in agro relinquas, quæ pauperes colligere possint. Et expende quæso quàm prouide. Solent enim fructus, in extremitatibus & angulis esse meliores, vt ergo nobis occultè ostenderet, meliora esse pauperibus tribuenda, agrorum extremitates relinquere eis præcipit, vbique docet pauperum esse rationem habendam. Neque te terreat huiusmodi lex, sed memento ex eleemosyna quam à Domino accipis, proximo tuo eleemosynam dare. Quid enim quæso sunt agrorum prouentus, nisi partis diuitis eleemosynæ in te? Erubesce ergo, qui ex eleemosynis Domini vinis, eleemosynas aliis non facere. Considera etiam qualiter murmurandi aufert occasiones. Solent enim pauperes aduersus Dominum indignari, quod alios fecerit abũdare, illos verò egere: cùm sæpius sint moribus corrupti diuites, & pauperibus deteriores, quæ murmurandi occasio auferitur, cùm pauperes sciunt, se in agro & vinea diuitum, suam habere portionem. Hoc etiam diuites mouere deberet ad huiusmodi eleemosynas faciendas, ne videlicet contingeret pauperes in Deum murmurare. Si enim Deum diligerent, cauerent aduersus eum pauperum murmura.

Commendatio eleemosynæ ob causam diuites debent plura multa præstare. Quare Dominus præcepit extrema messis agri fructus pauperibus relinquere.

Non negabitis. Ne putaret qui depositum alienum sibi creditum negat, se à furto alienum, simul cum furti prohibitione, prohibuit, illud Domino suo negare.

Vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vbi etiam aduerte, hæc tria esse in republica pernitiosissima scilicet fiurari, negare, & mentiri.

Non iurabitis in nomine meo mendaciter, & ne polluas nomen Dei tui. Audiant hoc qui assidue iurant, præsertim mendaciter, & quam iniuriam Deo suo irrogent. Vilipendit enim & polluit nomē Domini, qui per nomen eius iurata non implet.

Ego Dominus. Cur Domine, tam crebro legibus tuis addis. Ego Dominus? Nouit sapientissimus pater, ferè omnes nos, leges timore potius quam amore seruare, ideò totiens timorem & punitionem inculcat.

Non morabitur opus mercenarij tui apud te, vsque mane. Vbique peccandi occasiones auferr, & optimum cōsultorem agit. Difficile est multa simul soluere debita, cùm propter hominum auaritiam, tum propter innumeras quæ superueniant necessitates, quia putant homines nihil sibi superesse, quo viuere possint ideò optimè cōsulit, vt dietim te exoneres. Eget etiam mercenarius singulis diebus. Quare ergo diu detinebis ea, quibus iste singulis diebus indiget?

Non maledices surdo. Sunt qui naturalia mala, in patientes obiectant, quasi in illorum potestate situm esset ea nō habere, aut ipsi ea aut similia, sua industria, aut arte vitassent, cùm omnia hæc in manu Dei sint, & quibus voluerit immittat. Admonet ergo Dominus, his non maledicere, quoniam eo autore in ea mala inciderunt, in quæ, illi qui eis maledicunt incidissent, si ille voluisset: timeant ergo hij qui hæc faciunt similia incidere.

Non suscipies faciem pauperis, & non honorabis faciem magni. Multa sunt, in quibus pauperum & diuitum ratio habenda est: sed non in iudicio. Nam in operibus misericordiæ, ad pauperes respiciendum est: vt scilicet illis subuenias. In honore etiam exhibendo, pō
36. Cap. tentium habenda est ratio: Deus enim vt habet Iob potentes non abiicit, cùm ipse sit potens, in iudicio tamen, horum nihil considerandum est. Addidit in multis locis Dominus horum rationem. Quoniam Dei iudicium est. Debet enim iudex in iudicando se Deum arbitrari. Sic enim Deus eum sæpius vocat. Diis non detrahes per quos Iudices intelligit, & ideo quemad-
Exod 22. modum Deus est iudicio inflexibilis & immutabilis, nulla ratione habita pauperum vel diuitum, ita & Iudex qui vices eius in terra gerit.
Punchit in detractatores genus hominum Deo odibile.

Non ibis fraudulenter in proximo tuo. Nouerat sapiens Dominus, quæ mala suscitent huiusmodi homines delatores, qui quod hic audiunt, illic referunt, & vtinam bona deferrent audita, & non mala. Pernitiosissimum hominum genus: qui vt Diuus dicit Bernardus, vno vulnere tres confodiunt, videlicet seipsos, eos de quibus dicunt: & eos qui audiunt.

Ne odio habeas fratrem tuum. Sunt multi, qui putantes se iniuriam à proximis passos, cùm re vera non sint vlla iniuria affecti, eos odiunt & persequuntur, quibus proximus satisfaceret, si se audire permitterent: vnde fit vt sæpius innocentem odiant, & persequantur, diligant verò eos qui se iniuria affecerunt. Illi
Impotentes omnes iniurias sibi illatas, odio vindicant. enim, odio, omnia mala sibi illata vindicare solent. Cùm enim opere inimicis nocere nequeant, odio se vindicant, quod nō solùm filiis, sed nepotibus, & pronepotibus, & aliis posteris relinquunt, & qui diuitias quas hæredibus relinquant non habent, odia illis iure hæreditario relinquunt: vt quasi in ius transierit, vt filius odiat, quem pater odio habuit.

Non vlciscaris te. Nemini ergo licet, priuata autoNemo priuata autoritate potest illatam sibi iniuriā vindicare. ritate vltionem ab inimico sumere. Hoc enim munetis publici negotium est, nonc ergo omnes potentes suam de inimicis vindictam expetunt, ita vt soli illi iudicis auxilium interpellent qui se nequeunt vindicare quæ rex magistratuum imbecillitatem & negligētiam arguit, qui illatas à potentibus iniurias, non vindicat, aut vindictam non expetit à vindicantibus se. Potentes verò arbitrantur sue iniuriæ nō factum, si eam ipsi ab inimicis non sumpserint.

Iumentum tuum, non facies coire mixtum. Detestatur maximè Dominus confusionem rerum. Neque patitur pius pater confundi, quæ ipse tanta dilMixtio res prohibita est a Deo gentia & sapientia distinxit.

Vir cum dormierit cum mulier coitu seminis. Docet lex hæc, habendam esse pudicitiæ rationem, etiam cum ancilla, vt si non sit virgo sed serua, licet à Domino cognita: non det pœnas tanquam adultera. Si autem legem secundum communem sensum intelligas, adnotabis, ancillam nō reputari vxorem, vt reus adulterij sit, qui cum ea coierit, similiter aliud fuisse in lege veteri matrimonium, aliud verò desponsationem.

Vt circumcidatis præputium eius, & fructum eius. Admonet hic Dominus, imperfecta, & vt plurimum vitiosa, & superflua aut diminuta fore opera iuuentutis nostræ, & talia quæ neque Deo neque hominibus placere possint, ideo tanquam præputium reputanda: quarta verò parte ætatis, apta sunt Deo, & hominibus placent. Sed inquisitione dignum est, cur sic Dominus detestatur primos arborum nouarum fructus, qui meliores & nonnunquam suauiores reliquis esse solent: & si literam sequamur, ad oculum videbimus nonnihil superfluitatis primos arborum fructus habere: vt autem Dominus ostenderet se à præputio valdè abhorrere: illud etiam in fructibus amputari iussit.

Quarto autem anno, erit omnis fructus eius sanctus. Quid aliud locus iste te docet, quàm non comedere, fructum aliquem, antequam Domino primitias illius offeras? similiter. Prima & delicatiora Deo esse offerenda.

Vt addere faciatis vobis fructum eius. Ostendit pulchrè locus iste, non solùm nihil iacturæ esse perdere propter Deum, sed lucrosum valdè. Sunt multi qui se perdere putāt, quod sibi propter deum auferunt. nēpè quod pauperibus tribuunt, quod sibi propter ieunia subtrahunt, quod falsum esse multi loci scripturæ testantur. Qui dat pauperibus nunquam egebit. Et qui perdiderit vitam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Et mirum valdè est, quod gratissimus sit homo illi qui cum decem, docuerit viginti literari, & ingratus sis ei, qui te perdēdo miseram vitam, & quę vix est vnius diei, lucrari te docet sempiternam. Sic Dominus hic docet eiicere trium annorum fructus, vt sequentibus annis in immensum multiplicet eos tibi.

Non augurabimini. Noluit Dominus tuus, te alium præter ipsum habere doctorem. Et mirum valde est, quàm solicitus sit ferè omnis homo ad futura inquirenda, & perdiscenda. Et ad quid putas: Vt sibi possit prouidere, tam mala quàm bona. Dominus verò vicissim docuit nos hæc negligere, quia voluit nos ab eo pendere, eum cogitare prouidum patrem. Istuc respicere videtur illud Seruatoris Matthæi sexto. Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie. Voluitque te semper eum orare, vt vias tuas dirigat & secundet.

Non in circuitu tondebitis extremitatem capitis vestri. Quid tibi Domine, & capillis nostris? Quid si in circuitu aut quadrāgulariter capillos incidamus? Noluit te destruere in facie, figuram & dispositionem, quam fecerat ipse, & faciei tuæ decorem, & pulchritudinem curauit, capilli (inquit) capitis vestri omnes numerati sunt. Nonne & in sponsis, oculos, genas, palpebras, crura, & id genus alia curauit? Vox (inquit) tua dulcis, & facies tua decora. Quàm pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia principis.

Incisionem pro anima non dabitis in carne vestra. Audiant hoc fœminæ nostræ, quæ in die mortis mariti, matris, patris, aut alicuius chari sui crines suos lacerant, vanguibus faciem scindunt, & cruentant: vestes lugubres induunt, & admirabiles tragedias voce mouent. Exoleuit etiam mos iste pessimus apud nos, vt quæ matrimonium intrare iterum dispomunt, in die mortis comparis, nigrum caputium ex serico aut tela capiti superponant, quæ verò cœlibatum seruare decreuerint, caputium album, grossum tamen sibi imponunt, neq; verentur in die obitus mariti, sese nuptura publicè

publicè profiteri. Sinite sorores quæso, maritos condi, sepulturæque tradi, postmodum quod libuerit facturæ. Non timeatis album caputium, quoniam si cucullum non facit monachum (vt dicitur) minus faciet caputium.

Non polluas filiam tuam, vt facias eam fornicari. Sunt parētes, qui filiarum pudicitiam negligunt, imò eas prostituunt lucri causa, quos locus iste arguit: vbi similiter à malo exemplo deterret.

Ante canitiem consurge, & honora faciem senis. Eundem honorem quem parentibus exhibere præcepit, nunc senibus etiam exhibeu vult: vt eos quasi parentes habeamus, qui nos bonos mores docent, & vitia arguunt.

Si peregrinatus fuerit peregrinus in terra vestra. Admonuit frequētissimè Dominus suos, ex malis proQuatuor Dei volūtates circa nos. priis discere, qualiter alienis succurrant, & duo præcipit peregrinis exhibere. Alterum vt eum quasi indigenam habeamus. Alterum vt eum quasi nos ipsos diligamus. Sed quis nunc est, qui horum aliquid impleat?

Non facietis iniquitatem in iudicio. Hæc sunt quæ maximè communitatum rectores aduertere debent, quoniam valdè pernitiosus est horum neglectus, nempè si peruersum sit iudicium, si pondera & mensuræ iniquæ, & gratias illi habeamus, qui omnia iusta inter nos esse voluit, cui laus & gloria.

IN CAPVT. XX. LEVITICI IV. xta literam annotatio.

ET *loquutus est Dominus ad Moseh dicendo.* Tractat hic Dominus de quibusdam morte plectendis, & explicat pœnam quorundam peccatorum grauium.

Lapidabunt eum lapide. Significat verbum ragam, lapidum multitudine aliquem petere. Vnde margemah, id est, multitudo seu congregatio lapidum pariter: vt dicit Rabbi Dauid. Ex hac etiam radice est rigmah, quod nostri & Hebræi ducem interpretantur, quòd duces sint lapides, id est, fortitudo plebis, & si verum est hoc, facile esset explicare illud Geneſis. 49. Hinc pastor, lapis Israel, id est, dux & fortitudo. Quod autem dictum est.

Aduerte modum quo fecundit Heb. eorū sanctū puer immolabatur idolo Molech. *Qui dederit de semine suo idolo Molech.* Explicuimus hoc capite decimooctauo præcedenti, quibus addimus, quod quidam putant fuisse illum, quem gentiles Saturnum vocarunt, quem etiam vituli faciem habuisse affirmant, cuiusque simulachrum concauum erat, septem habens receptacula, quorum singula, pro horum conditione aperiebantur, & qui filium offerre voluisset, septimum aperiebat cubiculum, & dum puer in idolo concremabatur, ministri idoli & parentes saltabant, perentientes tympanum, ne infantis eiulatus audiretur, & viscera alicuius ad compassionem mouerentur. Aliis (vt diximus capite decimooctauo) videtur puerum super brachia idoli poni. Nihil certi est de hac re.

Et ego dabo faciem meam in virum ipsum. Hebraismus est, quem in hebraismorum explicatione declarauimus, sed potest addi alia explicatio, scilicet, hæc. Ego dabo faciem meam in virum ipsum, id est, opponam me illi, quemadmodum inimicus solet inimico suo opponi. Aut ego illi resistā, & obsistam. Qui enim aliquem punire nolunt, ab eo diuertunt: sed qui vindictam sumere volunt, occurrunt, obsistunt & opponūt se. Possemus etiam dicere, quòd ponere faciem in aliquem sit illum suecidere, vel è medio tollere, vt statim subiungit, quoniam (vt diximus) solet scriptura explicare, quicquid obscurè dixerit. Chaldæus vertit. Ego dabo iram meam in virum illum: sed aliæ explicationes videntur germaniores. Aduerte etiam hic, eadem peccatum multis & diuersis pœnis, à diuersis Iudicibus posse puniri. Nam quem præcipit à magistratu & populo lapidari, aduersus eum faciem suam se daturum promittit.

Vt polluret sanctuarium meum, & fœdaret nomen sanctum meum. Difficilè est cognoscere, qualiter ille qui de semine suo dabat idolo Molech, immundum redderet sanctuarium Domini, & polluret nomen sanctum eius. Quidam dicunt immolantem semen suum idolo Molech, eo ipso quo immolabat Molech, contaminasse sanctuarium Domini, quoniam vilem reputabat Deum & domum eius offerendo alteri deo & alibi quàm in templo, quo iubebatur immolare. Prophanare verò seu violare nomen Dei dicebatur, qui alium Deum, vero spreto colebat, aut qui honorem Deo debitum non præstabat, quod ita quidam explicant. Cùm enim quis aliquid committit aut dicit, vnde homines occasionem sumant blasphemandi nomen Dei, talis violat nomen ipsius, vt patet de Dauide cùm blasphemare fecit inimicos nomen Domini adulterio perpetrato. Quod clarius dici potest, illum polluere sanctuarium Dei, qui alibi sacrificat quàm in eo, quoniam eo ipso videtur illud contemnere, & despectibile reputare, quod faciebat qui Molech semen suum offerebat. Non enim in sanctuario offerebatur filius idolo. Similiter eo ipso fœdum reputabat nomen Domini, qui semen suum alteri quàm Deo offerebat: sed fateor intellectum meum nondum acquiescere his expositionibus, etiam si bonæ apQuomodò qui de semine suo dat idolo Molech polluit sanctuariū Domini. pareant. Posset etiam esse sensus secundæ partis sententiæ, scilicet, vt fœdaret nomen sanctum meum, dando scilicet semen suum, quod erat Dei, idolo. Vocabatur enim Israelitæ populus Dei filij & semen Dei, & filij quos generabant, à Deo geniti dicebantur, vt patet Hoseh secundo & primo, qui idolo immolati, non amplius dicebantur filij & semen Dei, Quoniam non Deut. 32. filij Dei in sordibus, vt autem vnico verbo dicamus, dicito eum qui semen suum offert idolo Molech polluere sanctuarium Dei, quoniam pluris facit idolum cui filium offert, quàm Deum, cui peccudem, & pluris nomen idoli, quod pro Deo habet, quàm Dei, quem facto ipso reiicere videtur.

Si absconderido absconderit populus terræ oculos suos, à viro illo dante de semine suo idolo Molech. Hebraissimus est, quem cum aliis in operis initio explicuimus, & est sensus. Si populus terræ non puniuerit eum, qui dederit de semine suo idolo. Qui enim dissimulare vult peccatum alicuius non puniendo ipsum, oculos aliò diuertit, ne videat peccatorem, quem punire negligit.

Et omnes fornicantes post ipsum. Subaudi virum. Nam quemadmodum eum qui cum meretrice fornicatur, multi sequuntur, ita & eum quem viderint idolis immolare.

Anima quæ se verterit ad Pithones & hariolos, ad fornicandum post eos. Dicit anima quę se verterit, quoDiscrimen inter Pithō & Ob, seu Ventriloquum. niam Iehudæi in Ægypto his dediti fuerant. Neque libentet hic Pithones recipio, quoniam Pithones, proprium nomen in scriptura habent, & quia nomē (Ob) vtrem (vt diximus) significat, potius verterem ventri loquos ad modum vtris sufflantes.

Et ad sapientes seu magos. Diximus de his duobus nominibus capite decimooctauo præcedenti.

Sanctificate vos & estote sancti, id est, separate vos ab immunditiis, & estote separati (vt sæpius exposuimus) Et quod sequitur.

Quia ego dominus Deus vester. Subaudi sanctus sum. *Ego sum Dominus sanctificans vos,* id est, ab immunditiis separans, aut desiderans vos ab immunditiis separatos.

Qui maledixerit patri suo & matri suæ, moriendo moriatur. Non solent filij patri & matri suæ maledicere, sed bene parentes filiis, quemadmodum benedicere, & quia etiam verbum chalal, significat propriè leuem reputare, & despicere, putarem melius posse verti. Qui despexerit aut qui leuem reputauerit patrem suum, & matrem suam, moriendo morietur. Si tamen velis tenere communem interpretationem non prohibeo, & Quid sit Filius eius per maledicere intellige mala precari, quemadmodum benedicere, est bona precari. sanguis eius in eo.

Sanguis eius in eo erit. Hebraismus est quē cum cęteris in prin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in principio explicuimus, & potest triplicem sensum habere. Primus est. Ipse sibi erit causa effusionis sanguinis sui: quem sensum scriptura explicare videtur. 2. Samue. 1. vbi dicit Dauid: Sanguis tuus super caput tuū, id est, tua culpa peris. Secundo. Sanguis eius in eo. i. nō vindicabitur mors eius: seu non transibit sanguis eius in alium: qui propter eius mortem occidatur. Nam qui erat ab alio homine innocens occisus, sanguis eius non erat solum in eum: sed etiam in effusorem: iuxta illud euangelij. Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tertio. Sanguis eius in eo, id est, fœdatus sanguine suo manebit, non lauabitur. Solebant enim occisi sanguine suo fœdati lauari: quemadmodum constat de Rege Achab.

Vir qui adulterium commisit cum vxore viri, qui adulterium commisit cum vxore proximi sui. Potest secunda clausula esse prioris explicatiua, vt sit sensus. Vir qui adulterium commisit cum vxore viri: nempe cum vxore proximi sui. Secundo vt sint diuersæ partis legis & sensus prioris sit iste. Vir qui adulterium commiserit, cum vxore viri, scilicet, cuiuscūque, siue sit gentilis, siue Hebræi: moriendo morietur adulter & adultera. Similiter qui adulterium commiserit cum vxore proximi sui, id est, Israelitæ. Aut qui fuerit adulteratus cum vxore alicuius viri, scilicet extranei, alterius, scilicet vrbis aut oppidi: aut cum vxore proximi sui eiusdem, scilicet vrbis aut viciniæ, morte moriatur adulter & adultera.

Qui dormierit cum vxore patris. Etiam si non sit mater sed nouerca. Capite decimooctauo dixerat non esse faciēdum hoc, sed non apposuerat pœnam, quam hic explicat.

Sanguis eorum in eis. Expone vt supra hoc capite. Primo ipsi sibi fuerunt causa effusionis sanguinis sui & si vis adde, Sanguis eorum in eis. i. lapidabuntur, quo facto manebit sanguis eorum in eis.

Vir qui coierit cum nuru sua: moriendo morientur ambo. Dictio chalah, non solum murum, sed sponsam significat: & forte prohibet non solum coire cum nuru, cùm iam à filio cognita est: sed etiam dum est sponsa.

Confusionem fecerunt. Si dictio (tebel) est à balal, quòd est confundere & miscere: tunc vertendum esset confusionem seu malam mixturam fecerunt. Aliàs tebel est orbis.

Sanguis eorum super eos, id est, lapidabantur. Aut expone vt supra hoc eodem capite.

Scelus est. Hebraice. Mala cogitatio est.

Ad coeundum cum eo. Hebraicè ad quadrandum cum eo, aut exponendo se ei more scilicet, quadrupedis. Sic enim oportet fœminam se disponere velut scilicet quadrupedem, si debeat à iumento cognosci.

Occidetis mulierem & iumentum, scilicet in criminis detestationem. Sic enim iubet boucum cornupetā, qui occiderit hominem occidi Exodi. 26.

Obprobrium est. Dictio chesed, significat rem miserabilem, & misericordia dignam. Significat etiam misericordiam & pietatem ipsam: vnde hic melius vertas:

Misericordia hoc, id est, res digna misericordia, ac si dicat miseria magna est hoc.

Portabit pœnam iniquitatis. Benè sensus redditus est. Hebraicè est, iniquitatem suam portabit.

Vir qui cum muliere coierit patiente fluxion, venam eius discooperuerit. Non sat est reuelare eius nuditatem, sed requiritur quòd venam sanguinis eius aperiat. Aut secunda clausula, præcedentem exponit, & constat ex hoc loco mortale fuisse, accedere ad menstruatam. Non enim quis morte plectitur, nisi propter mortale.

Quia carnem suam nudauit. Rationem hanc aduerte, vt scias huiusmodi concubitum cum matertera, aut amita, esse lege naturali prohibitum, quemadmodum carnem propriam nudare, non tamen est de his quæ primis legis naturæ præceptis prohibentur. Et pro carnem suam in hebræo est, residuum suum nudauit, & quare consanguineus dicatur residuus, diximus capite decimooctauo præcedenti.

Vir qui dormierit cum vxore patrui sui. Sensum tetigerunt Interpretes. In hebræo habetur. Vir qui iacuerit cum patruo suo.

Orbi morientur. Hebraicè ad literam est. Vnici morientur, id est sine liberis. Significatio tamen dictionis ariri, id est, vnicus non plenè nota est. ponitur dictio Genesis decimoquinto, vbi sanctus Abraham dicit. Et ego vado ariri, id est, vnicus seu orbus filiis. Caietanus interpretatur non vocabuntur filij eorum neque erunt heredes eorum. Sed non placet.

Vir qui acceperit vxorem fratris sui. Intellige co viuente.

Fœditas est. Posses vertere immunditia, dictio enim hebraica niddah, à separatione nomenclaturam habet. Dicitur autem immunditia separatio, quoniam ab ea separari debemus.

Custodite omnia statuta mea, & omnia iudicia mea. Admonui sæpius, verbum chachach significare statuere, & magis propriè scribere, & limitare: vnde choh, id est statutum præsertim scriptum. Mispat verò iudicium, quod disponit de controuersiis hominum, licet hoc discrimen, non semper obseruetur.

Omnia hæc fecerunt, & detestatus sum eos. Varias & multas significationes, tribuunt Iehudei verbo (chuts) quod hic Sanctes vertit abominatus sum: scilicet angustiis affici, affligi, expergisci, æstuare, & hoc meo iudicio accidit, quia confundunt simul multas radices, scilicet chus, iachas, chasas, & chasah. Fortè chuts significat æstuare & ex consequenti æstuare, quoniā homines æstate videntur æstuari, sed rem non diffinio, quoniam nondum veritatem compertam habeo. Isaiæ septimo dicitur. Derelinquetur terra, quam tu (chas) id est, detestaris (vt vulgatus vertit) vel ob quam angustiis afficeris, à facie duorum Regum eius. Capite verò decimooctauo eiusdem, in alia accipitur significatione, vbi dicitur (ve chas) id est æstiuabit super eam volucris, & omne animal terræ super eam hibernabit.

Terram fluentem lacte & melle, id est, omnibus bonis affluentem, & sub lacte intelligit omnia pinguia, sub melle verò omnia dulcia.

Quod diuisi vobis ab immundo, scilicet obseruabitis: ac si dicat. Discrimen facietis in his quę separaui vobis ab immundo, aut tanquam immunda.

Vir aut mulier cum fuerit in eis Pithon. Dixi hoc eodem capite, nomen (ob) non rectè interpretari pithon, postquam pithon (vt diximus) proprium nomen in scriptura habet. hic ponitur (ob) de quo dic vt dictum est capite decimooctauo, & etiam capite hoc, & meo iudicio vertendum est, cùm fuerit in eis (ob) id est spiritus vtralis seu ad modum vtris, qualis erat qui in locis pudendis loquebatur. Sic quod sequitur, cùm fuerit in eis lideoni, id est spiritus præscius futurorum: à iadah, quod est cognoscere.

Lapide lapidabunt eos. Sanguis eorum in eis. Ex hoc loco constat quòd nihil aliud vult dicere sanguis eorum in eis, quàm lapidabunt eos, quoniam alterum videtur alterius explicatio.

IN CAPVT. XX. AD MORVM ornatum annotatio.

Populus terræ lapidet eum lapide. Putant multi, solos ministros iustitiæ, debere in malos animaduertere, ideò tuentur eos, abscondunt, & defendunt, quos locus iste arguere videtur, qui populum armat aduersus iniquos. Et etiam ostendit ad populum præcipue pertinere, Dei iniurias vindicare. Nam & si debeant omnes eos qui rempublicam perturbant castigare, magis tamen eos qui Deo iniurij sunt.

Ego autem ponam faciem meam in virum. Annotaui in literā, ex hoc loco optimè haberi, idem peccatum posse à diuersis Iudicibus, diuersis pœnis castigari, quare non mirum, si in hæreticum tanquam in reipublicæ perturbatorē imperatores sęuiunt, & etiam ecclesiæ

ecclesiæ prælati, qui in eum, vt in peccatorem animaduertunt. Quamobrem maximè deberent homines cauere à peccatis in Deum, qualia sunt blasphemia, idolatria, & id genus alia, quoniam à magistratu, & à Deo propter illud punientur.

Et mi familiam eius. Non solum pro vno peccato à multis & diuersis peccator punitur, sed pro eodem peccato multi puniuntur, neque solum qui peccauit, sed etiam peccatoris familia tota.

Vt contaminaret sanctuarium meum, & pollueret nomen sanctum meum. Fœdissima res peccatum. Nam tangit sanctuarium Domini, nequę ad nomen eius accedit, & tamen polluit. Vbi etiam aduerte, quòd pluris facere, quod minoris faciendum est, est contaminare quod pretiosius est.

Si absconderit populus terræ oculos suos. Vos ò magistratus hęc veritas respicit, qui iniquorum peccata, lucri gratia dissimulatis. sed non dissimulabit Deus. Audite quid Dominus dixerit regi Achab. Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius. Vbi docet etiam peccatores, acceptare iudicis humani punitiones, ne contingat graviores à Deo sustinere. Sequitur enim.

Ponam ego faciem meam in virum illum. Et omnes fornicantes post ipsum. Non excusat peccatorem, exemplaria habere peccandi, potuit enim ea non sequi.

Anima quæ se vertit ad Pithones. Pernitiosissimum est ad peccata reuerti, postquam semel eius confinia exieris. Exui me (ait sponsa) tunica mea scilicet immundā, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Difficile est iusto, qui semel peccatorum onus deposuit· iterato onus eorum assumere.

Quicumque maledixerit patri suo & matri suæ, morte morietur. Aut qui despexerit. Extremæ dementiæ est, cum despicere, quem teneris summe post Deum honorare, & solet lex esse seuerior, vbi homo inuenitur misericordior, circa illatas sibi iniurias. Nam quia parentes, filiorum iniurias dissimulare solent, voluit lex eos seuerius animaduertere, & aduerte esse peccata, quotiam lex ipsa miratur, quale est hoc. Sequitur enim.

Patri suo & matri suæ maledixit. Ac si dicat. Est aliquis qui tantum nephas audeat perpetrare, vt patrem suum & matrem audeat maledicere?

Vir qui adulterium commisit cum vxore proximi. Est adulter multis iniurium. Primum marito cuius thorum violat adulter & adultera· Secundo proli, quę incerta est, & cogitur sæpè vir, filium alterius enutrire & docere, & fuit lex tam dura in Iudæos, quoniam proni ad adulteria erant, & si qui maculat alterius hominis thorum, tam sęue punitur, multo magis qui thorum patris aut filij, maculare non veretur.

Igni comburent eum. Maius malum reputat lex cognoscere filiam & matrem, quàm patris vxorem aut cum masculo coire, quoniam hunc, non illum comburere præcepit. Præter lapidationem erat aliud genus occisionis scilicet combustio.

Iumentum occiderit. Mirantur sæpius homines, quod legislatores in bruta animaduertant, cùm sint rationis expertia: sed indignum esse cognoscant animal viuere, quòd multis potest esse peccandi occasio, & similiter videant, quàm graue peccatum sit quod eōmiserunt, quod vident etiam in bruto vindicari.

Succidentur in oculis filiorum populi sui. Colligo ex hac litera, punitiones peccatorū, publicas esse debere, & faciendas in oculis eorum, coram quibus illi peccauerunt. vt de pœna ædificentur qui sunt scandalizati ex culpa.

Vir qui coierit cum menstruata. Reputant omnes hoc leue esse peccatum, cùm tamen hic morte vindicetur, quod non solùm pœnę grauitas, sed prolis periculum, graue esse ostendit.

Orbati morientur. Sunt peccata (vt sæpius dixi) quæ suos solēt autores punire, quemadmodū hoc quod est coire cum amita vel materterā, & cum fratris vxore.

Non vomet vos terra. Scitō esse peccata quæ non solùm hominibus sunt grauia & enormia, sed etiam terræ: ita vt etiam ipsa tales non ferat peccatores, sed eos euomat & à se reiiciat, qualia sunt quæ sunt iniuria naturæ.

Omnia ista fecerunt, & detestatus sum eos. Cauendum valdè est heredibus alicuius, ne simul cum hæreditate, hæreditent suorum prædecessorum vitia. Et aduerte (vt Augustinus dicit) quia quemadmodum tu vis omnia bona, vt scilicet capa sit bona, pileus, calceus, caligæ, equus, bos, possessio quoque: sic & omnia hæc, desiderare bonum & iustum habere possessorem. Inuite enim bonus calceus, capa, & id genus vestium, seruit immundo & iniusto Domino; & cupit ab eius seruitute liberari. Sic & terra bonos cultores & habitatores cupit, qui si mali sint, eos reiicit, & euomere solet: vt hic vides. Similiter docemur eos qui aliorum loco subrogantur, debere esse meliores eis. Neque princeps debet alliquem ministrum ministerio aut loco suo pellere, nisi loco eius meliorem substituat. Tertio hortatur homines esse bonos præcipue eiues, ne contingat suo loco depelli. Quarto bonos, locum malorum & diuitias, sine labore hæreditare. Alij (inquit Christus) laborauerunt, & vos in eorum labores introistis. Quæ verò sequuntur, munditiam maximè commendant. Ioan. 4.

Sanguis eorum in eis. Erat maxima pœna antiquis, fœdatum mori aut sepeliri, vnde mos in ecclesia exoleuit defunctos lauari. Sed maximè procurandum est, animam mundam decedere, quod ipse donare dignetur, qui mundum facit ab immundo semine conceptum. Amen.

IN CAPVT. XXI. LEVITICI iuxta literam annotatio.

Et dixit Dominus ad Moseh. Præcipit Dominus hoc capite, sacerdotem non debere mortuorum exequiis interesse, neque radere caput, aut barbam, scortum non ducere, & de filia ipsius fornicante comburenda.

Super animam non contaminabit se, id est, super hominem qui animam efflauerit aut super vita ablata. Vocat enim hebraismus homines animas, quòd anima sit in homine præcipuum. Aut accipitur anima pro vita quòd anima in homine sit causa ipsius vitæ, & diceebatur contaminari eadauere, si illud tetigisset, aut locum in quo erat ingrederetur, aut faceret quę alij propter mortuos faciebant, scilicet decaluando se, & finem barbæ radendo, aut incidendo incisionem: vt textus statim explicat. Dicunt etiam Hebræi sacerdotem immundum reddi, si funeri interfuisset, aut curaret illud. Et quod dicitur,

In populis suis, intelligendum est de quocunque Israelita, & multo magis de exteris.

Sed super carne sua. Hebraicè. Sed super residuum suum, & vocat hebraismus omnes consanguineos residuos eiusdem carnis, quoniam ab vna carne veluti portiones separantur. Et quod sequitur,

Propinquo suo. Potest esse expositio præcedentis, vt sit sensus. Contaminabit se super carne sua, nempè super propinquo suo, ac si dicat. Non super omnem carnem sed super propinquam. Secundo modo potest esse sensus. Contaminabit se super carnem suam, & suā per propinquos suos. Sed prior sensus germanior est. Similiter dubium est, an id quod sequitur, scilicet

Super matre & patre, sit explicatio propinquorum: in quorum funeribus poterat se polluere, vel sit sensus quòd possit se super omnem propinquum polluere, & super patrem & matrem, & videtur simplicior & melior expositio: vt super patrem & matrem, sit explicatio propinquorum: vt sit sensus. Super carne sua, nempè propinquo suo, qualis est mater & pater, & quæ sequuntur, licebit contaminare se. Solet enim hebraismus frequentissimè vti huiusmodi explicationibus, vt in regulis admonuimus, & hic statim sequitur. Super

sorore

Qui plures facit quod minoris faciendum est, eo ipso minus est quod plures faciendum est. Abscedere facium à peccatore est eius peccata dissimulare & non punire.

Iust peccata sequentur lex murari videtur.

Pœnæ peccatorū cum omnes esse debent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sorore sua virgine, quæ propinqua est ei: cui nō est vir. Si tamen intelligas priori modo, scilicet nō contaminabit se in populis, sed benè super carne sua, non quacunque, sed propinqua, & super patrem & matrem & qui sequuntur non male intelligas, & est sermo de minoribus sacerdotibus, in quibus alius, alterius vices supplere poterat, non autem in summo, cuius erant quædam peculiaria, quæ nullus alius poterat supplere vt ingressus in sancta sanctorum. Sed quid si soror esset vidua non virgo? Diximus quod si id quod dicitur cui non est vir, est explicatio virginis. Non licebat. Si verò non sit licebat, vt sit sensus, & super sorore cui non est vir, id est vidua etiam licet. Sed prior sensus videtur litera iuuari.

Non contaminabit se super Domino in populis suis, faciendo scilicet tria quę infra numerantur, quibus ali quis polluebatur, scilicet decaluādo caluitiū in capite suo, & radendo finem barbæ suæ, & faciendo in carne sua incisionem. Aduerte autem quòd dictio baal, id est, Dominus, significat superiorem, & videtur composita à ba, quod est in, & al, quod est super, quasi insuper, & exinde significat quemcunque superiorem, siue sit Dominus siue maritus, siue prælatus, aut quocunque modo superior sit.

Ad polluendum se. Ponuntur hic duo verba idem significantia, scilicet, tama & chalal, quę ambo polluere significant, hoc tamen inter illa interesse videtur, quòd tama videtur significare immunditiam contrahere, seu immundum esse immunditiam cōtrahendo, chalal verò qualitercunque pollui.

Non decaluabunt calutium in capite suo. Solent vsque hodie fœminæ nostræ, cùm charus aliquis obierit, præsertim pater, aut mater, aut vir: capillos gentilium more, è capite suo euellere, & nudato capite pergere ad sepulturam, quem morem hic Dominus prohibere videtur. Significat autem verbum charah, quod hic ponitur, depilare.

Et extremitatem barbæ suæ non radent. Capite decimonono huius libri præcepit Dominus, non dissipare barbæ extremitatem, id est, relinquere capillos extremitatis seu finis barbæ, à parte superiorum angulorum, quemadmodum faciunt hodie Germani & Turchę, & vt videtur propter luctū mortui, so Iebāt huiusmodi extremitates radere, & hoc est quod Dominus hic prohibet. Si tamen per angulum barbæ, intelligas extremitatem ipsius à parte inferiori, non prohibeo, prior tamen lectio, literæ vicinior est.

Neque incidetis incisionem. Iam capite decimonono admonui, Gentiles faciem suam vnguibus incidere solitos, & forte hoc etiam ferreis instrumentis faciebāt. Vidi (vt prædixi) fœminas apud nos, in mortuorum exequiis, hoc fecisse sæpius.

Sancti erunt Deo suo, id est, separati ab huiusmodi immunditiis: vt Deo suo qui mundus est, seruire possint. Iubebat autem Dominus sacerdotes suos ab his separari, quoniam ministerio suo intendere debebant. Quemadmodum & Christus discipulo quem vocauerat dicebat. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Mat. 8.

Et non polluent nomen Dei sui. Si Deus vocatur sanctus, id est, separatus ab immunditiis, & minister eius sit pollutus, nomen Domini quo seruus nominatur, polluitur in eo. Explicat autem statim qualiter sint serui eius.

Quoniam oblationes Domini, nempè *panem Dei sui offerunt, & erunt sancti.* Hebraicè est. Quoniam ignita Dei, panem Dei sui, ipsi appropinquare faciunt seu offerunt. Et per ignita Dei, & panem Dei sui, intelligit sacrificium farinaceum, quod dicitur minchah. Aut ideo erunt sancti, quoniam ministrare & offerre omnia hæc Deo, qui sanctissimus est, debent.

Mulierem meretricem, & pollutam, & repudiatam à viro suo, non accipient, quia sanctus est Deo suo. Claret, quid per fœminam meretricem textus intelligat. Per pollutam verò videtur intelligere eam, quæ est ab alio cognita. Verbum enim chalal, polluere & vitiare significat, ideo hic potest significare eam, quam alius contrectauit. Quidam Hebræorum dicunt, per meretricem eam esse intelligendam, quæ sub marito suo fornicata est non sua sponte, quoniam quę sua sponte lapidanda erat: sed quæ vim passa esset, licet sacerdotibus prohiberetur, non tamen viro suo. Prophanam verò eam esse dicunt, quæ repudiata est à sacerdote, vel quæ ad Iudaismum ex paganismo conuersa est, aut quæ errore ab alio quàm marito suo cognita est, vel libertate donata. Sed prior expositio, quæ verborum significationibus innititur amplectenda est.

Quia sanctus est Deo suo, id est, separatus cultui eius, ideò non debet istis pollui.

Et sanctificabis eum. Ad populum loquitur, qui sacerdotis impollutionem & sanctitatem procurare debebat, ac si dicat. Quod in te est, adniti debes: vt eum impollutum serues, neq; permittere debes, eum etiam volentem pollui. Et quia tuus est Deus: debes procurare ministrorum eius sanctitatem.

Cum coperit fornicari. Cito occurrendum erat fornicationi filiæ sacerdotis, ne patrem suum fœdaret. Posset etiam verti. Cùm polluerit se ad fornicandum, seu fornicando, flammis tunc erat exurenda.

Et conseccrauit manum suam, ad induendum vestes. Ponitur hæc locutio sæpissimè in sacris literis, & ad literam vertenda est. Et impleuit manum suam, scilicet muneribus, ad offerendum Deo, & est sensus. Et impleuit manum suam, scilicet muneribus, ad hoc quod esset aptus induere vestes sacras: vt dictum est Exodi vigesimonono. Si tamen legas consecrauit, non erralli. Et quod sequitur.

Caput suum non nudabit, & vestes suas non scindet, intelligendum est, ad lugendum, quemadmodum alij faciebant, vt patet Iob primo, vbi legitur amicos Iob scidisse pallia sua, & sparsisse puluere super caput suū. Neque te terreat quod in vulgata æditione dicitur, de Dauide secundo Samuelis decimonono, quòd operto capite lugebat filium suum Absalon, quoniam iuxta hebraicam veritatem, non habetur operto capite, sed operta facie. Possent tamen illi amici Iob cinerem super caput opertum sparsisse: sed primum verius. Quod autem sequitur.

Et vestes suas non scindet. Intellige (vt dixi) luctus gratia, quoniam ratione blasphemiæ in Deum, solebant vestes scindere etiam summi sacerdotes: vt patet de Caipha. Matthæi. 26.

Ad omnes animas mortui non ingredietur. Sumitur hic anima pro corpore, & est sensus: quòd ad nullum mortuorum ingredietur, neque ad patrem, neque ad matrem, & quod dicitur:

Non contaminabit se, intellige ingrediendo locum, vbi cadauer est patris aut matris, & in hoc ab aliis sacerdotibus minoribus differebat, quibus licebat, se polluere in exequiis patris & matris, & aliis ibi nominatis.

De sanctuario non egredietur. Non intelligas, nunquam licere summo sacerdoti, sanctuarium exire, quoniam domum suam, sanctuarium egressus intrabatur, sed quòd funeris patris aut matris gratia, non egredia tur Domini sanctuarium: vnde sequitur.

Et non polluet sanctuarium Dei, scilicet regressus à funere parentum. Alij sic interpretantur, Domum patris demortui, sanctuario relicto, non ingrediatur: quod idem est.

Quia corona olei vnctionis Dei sui, super ipsum. Quidam interpretantur. Quia diadema & vnctio Dei sui, super ipsum. Habebat enim diadema sanctitatis super caput suum, de qua Exodi vigesimonono, & erat oleo sancto vnctus: vt vigesimonono eiusdem libri habetur. Aut quia corona vncta oleo vnctionis erat super eum. Posset etiam verti. Quia separatio olei vnctionis, super eum, id est quia ratione olei quod est super eum, separatus est ab aliis prophanis. Nam nazar, à quo nezer, id est corona: separare & diuidere significat. Prior tamen sensus magis locum explicare videtur. Potest tertius sensus addi iste scilicet. Quia oleum quod

quod est signum separationis dei sui, id est, quòd sit separatus ad ministerium Dei sui, est super eum.

Viduam & repudiatam & prophanam, meretricem, non accipiet. Iam hoc eodem capite admonui, per prophanam, intelligendam esse illam, quam quis contrectauit, vnde verti posset initiatam. Omnes enim istæ pollutæ reputantur, quoniam ab illo viro cognitæ sunt.

Sed virginem è populo suo accipiet mulierem. Constat ex hoc loco sacerdotem, non arctari ad accipiendam filiam sacerdotis, aut de regali linea, sed de populo suo, modo esset virgo. Sed quod sequitur statim, videtur huic aduersari, quoniam sequitur:

Non prophanabit semē suum in populis: sed tu intellige in populis extraneis. Nā licet Reges & alij omnes, bello captam, accipere possent gentilē, ad Iudaismum conuersam: vt multis constat exemplis, & etiam ex lege Deutero. 21. non tamen sacerdos, & si legem hanc vrgeas, poteris dicere eum non posse accipere vxorem de infimis populi sui.

Aut non prophanabit semen suum in populis: accipiendo meretricem, prophanam, repudiatam, aut viduam. vt dictum est.

Ego Dominus sanctificans eum, id est, separans à pollutionibus.

In generationibus suis, id est, in posteris generationibus, ac si dicat. Non solùm hanc legem nunc seruari volo: sed in posteris generationibus.

In quo fuerit macula, id est, defectus aliquis. Nam mum significat maculam Cant. 4. Vmum, id est. Et macula non est in te.

Non accedet ad offerendum panem Dei sui. Possumus per panem, omnem oblationem Domini intelligere, & sic meo iudicio lex intelligenda est. Potest etiam arctari ad panes propositionis seu facierum & ad minchah.

Vel claudus. Dicitur claudus hebraicè phisceach, id est, saltans, quoniam ex vno in aliud latus saltare videtur.

Vel simus nasum. Alij vertunt. Vel depressum habens nasum. Rabbi Dauid dicit esse eum, qui nasum profundum inter duos oculos habet, seu retortum. Dictio charum, quam noster Sanctes simum nasum vertit, à verbo charas ortum habet, cuius significatio non plenè nota est Hebræis & nostris, communiter tamen significat succidere, omnino perdere. In hebræo nulla nasi fit mentio, ideò vertendum est. Si succisus, id est, si membrum aliquod succisum habeat, nempè manum, pedem, digitum. Si autem ad nasum hanc succisionem referas, sensus est. Si diuisionem aliquam in naso habeat.

Vel monstruosus. Dictio hebraica sarua, significat superfluum: vt patet Isaię vigesimooctauo vbi dicitur. Angustum est stratum, mehistarea, id est, à superfluitate seu ne superfluat. Ideò vertendum hic est. Vel superfluus, & ex hoc loco constat, id quod præcessit significare succisum: vt sit sensus. Vel succisus, id est, diminutus, cui scilicet membrum aliquod desit. Aut superfluus, cui scilicet aliquod membrum superfluat. Verbi gratia, si sex haberet digitos in manu, vel pede. Neque rectè verras, vel monstruosus, quoniam non solùm superfluus membris, monstruosus est, sed etiam diminutus.

Vel gibbus. Dubitant Hebræi de radice nominis gibben, id est, gibbus, aliqui enim dicūt esse à gabban, alij à gabbab, seu gab, quod est excelsum esse, & gibben celsitudo & eleuatio. Ego arbitror vnicā esse radicem, scilicet gab, à qua gabbab & gabban. Hoc certū est, scilicet dictionem gibben, significare celsitudinem & tumorem. Significat etiam caseum, quòd quendam habeat tumorem, præsertim cùm coagulatur. Et putarem nomen latinum gibbus, à nomine hebraico gibben, fuam nomenclaturam sortitum.

Vel lippus. Dictio hebraica dach, significat tenue, & exinde telam, à tenuitate sic dictam, & dicunt Hebræi hic significare eum, qui panniculum in oculo habet. Sed melius meo iudicio dicitur, sequendo nominis hebraici significationem, significare eum qui tenues oculos habet seu molles, ex quibus indefesse fluit humiditas alba, quam nos vocamus remellam, & tales dicimus remellados. Vnde hic vertendum est. Vel mollis oculis. Nomenclaturam tamen Hebræorum nō aspernandam arbitror.

Vel maculosus in oculo suo. Hebraicè ad literam habetur. Vel mixtus in oculis suis. Significat enim balal, miscere, confundere, vt patet Gene. 11. vbi dicitur. Vocauit nomen eius Babel, quia ibi balal, id est, confudit seu miscuit labium. Vocatur autem confusus oculis seu mixtus, aut qui maculam in eis habet, aut vnum oculum in altero mittere videtur, qui luscus appellari potest, nos tortum vocamus aut vesgo.

Vel in quo fuerit scabies. Non significatur per nomen garab quæcunque scabies, sed grossa. Dictio rara est in scripturis. Ponitur Deutero. 28.

Vel impetigo. Ignorant meo iudicio Hebræi, nominis lalephet propriam significationem, ideò dicunt significare scabiem Ægypti, quæ vsque ad mortem durat, quod videtur fictio. Hieronymus quem noster Sanctes sequutus est, vertit impetiginem. Alij scabiem, foris humidam, & intus siccam, significari putant. Nihil certi est, quoniam dictio rara est in scripturis.

Vel compresso testiculo. Dictio hebraica meroach Hebræis significat alligationem vel opertionem, & secundum hoc, vertendum esset. Alligato testiculo vel operto, id est, qui generare nequit, qui videtur alligato esse testiculo, vel si legas operto interpretare herniosum cuius testiculi operti sunt. Inuenitur verbum marach Isaiæ. 38. vbi dicitur. Veiim rechu, id est. Et alligabunt aut compriment super vlcus, & sanabitur. Et sic videtur posse verti. Vel compresso testiculo, neque certum est dictionem asiech quam omnes ferè testiculum vertunt, testiculum significare. Est ergo sensus, quòd qui testiculos, aut illorum alterum, compressum habuerit, non sit sacerdos.

Non accedet ad offerendum hostias Domini. Litera hebraica ad literam habet. Non accedet vt appropinquare faciat ignita Domino, & per ignita intellige munus minchah, aut holocausta, quæ incendebantur Domino.

Panem Dei sui de sanctitatibus sanctitatum, & de sanctis comedet, id est, sacrificia Dei sui, nempè de sanctitatibus sanctitatum, id est, de sanctissimis, qualia erāt quæ soli sacerdotes comedebant, & de aliis sanctis comedet, & vocat sancta alia quæ erant minus sancta, sicut sacrificia pacifica. Vel per panem sanctitatis sanctitatum, intelligit panem qui erat in canistro, quem sacerdotes comedebant cum carnibus hostiæ pro peccato, de quo soli sacerdotes comedebant. Erant & alij panes quos singulis hebdomadibus ponebāt coram Domino, qui dicebantur panes facierum, qui non videbāntur tam sancti esse, sicut illi de canistro, de quibus legimus comedisse Dauid permittente sacerdote Abimelech. Poterat ergo sacerdos à ministerio ob maculas repulsus, ex omni sacrato pane comedere: similiter de carnibus & aliis oblationibus Domini. Est ergo sensus. Vir de semine Aharon in quo fuerit macula, comedet panem Dei sui, id est, Deo suo oblatum, de sanctificationibus sanctificationum, id est, quantumcunque sanctus sit & de sanctis, scilicet carnibus & alijs oblationibus.

Verumtamen velum non ingredietur, & ad altare non accedet, id est, ad locum in quo est velum quod diuidit sanctum à sancto sanctorum, aut per velum intellige quod erat ad ostium tabernaculi, & per altare vtrunq; altare intelligo, scilicet thimiamatis & holocaustorum ad quæ non poterat accedere, ad offerendum. Aliqui melius & germanius vertunt intra velum nō ingredietur, id est, non poterit in summum cuehi sacerdotium. Dictio enim aeh quā noster Sanctes vertit veruntamē, melius vertas tantū ad velum. Numerant Hebręi. 140. maculas, quæ in corpore humano inueniri possunt, quæ ineptum reddebant ad sacerdotium hominem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN CAPVT. XXI. LEVITICI
ad morum ornatum
annotatio.

Super animam non contaminabit se in populis suis, sed super carne sua. Mirum valdè est quòd sacerdos contaminari dicatur in operibus pietatis, & peccet vbi alij merentur: sed constat non omnia pia omnibus conuenire neq; semper. Est nonnunquam peccatum eleemosynam exhibere, vtpote quando alia & maiora sunt
Luc.7. præstanda Deo munera. Murmurasse legimus Discipulos Iesu, aduersus meretricem illam Euangelicam, quòd vnguentum in Christi caput prodigeret, quod poterat multo argento vendi, & pauperibus erogari, qui à Christo audierunt. Quid molesti estis huic mulieri? Bonum enim opus operata est in me. Opus illud pietatis in pauperes, ad manum semper habetis, quemadmodum pauperes ipsos, sed me non sic habebitis semper. Ideò melius hæc nunc vacat huic operi religioso, quàm si eleemosynam pauperibus erogaret. Quod si sacerdos contaminat se in operibus pietatis, qualiter se cõtaminabit in sordibus & peccatis? Quod si videris aliquem magnum aut sacerdotem, aliquid exhibere parentibus & nobilibus quod aliis non facit, non statim taxes aut murmures, quoniam vt diximus in multis habenda est ratio personarum. Similiter docet Dominus sacerdotes pios esse debere: præsertim in suos, quare non egrè feras si abundantior sacerdos in suos, quàm in alios sit.

Super matre & patre suo. Præposuit matrem in operibus pietatis, quoniam filius plus marri debet, quàm patri, quæ in operibus pietatis abundauit, lactando, nutriendo, & alia ministeria multa filio exhibẽdo quæ non exhibuit pater.

Super sorore sua virgine. Plurimum semper detulit virginibus Deus, etiam si sola carne virgines essent. Præcepit alibi omnes fœminas occidi, quæ virum ad concubitum cognouerant, neq; mirum quòd sic cum virginibus agatur, quia sequuntur agnum quocunque ierit, quod fecisse eum credo, vt eam nobis commendabilem redderet.

Non contaminabit se, super Domino in populis. Non debent principes, à sacerdotibus exigere omnia, quæ aliis præcipue parentibus exhibent, & in multis, dominis parentes sunt præponendi. Vnde arguendi essent sacerdotes, qui propter principis obitum, lugubres vestes, more secularium induerent. Dedecet enim sacerdotem, huiusmodi sequi consuetudines & ritus. Sed modò proh dolor, omnia confusa sunt, & sicut populus, sic & sacerdos.

Non polluent nomen Dei sui. Sortitur famulus in alio quo nomen domini sui. A Deo dicitur seruus dei, ideò si malus sit, nomen Dei, quod in eo est polluit. Nonne videtur tibi indecens valdè, si famulus sordidis indutus vestibus, munus aliquod pretiosum, Domino mittendum deferret? Cùm enim Iesus sordidis indutus
Zach.3. vestibus, coram Domino cùm Satan expostularet, Deum præcepisse angelo legimus: vt sordidas illum vestes exueret, & pretiosas indueret. Sic & in Euangelio, eum qui non nuptialibus intrauerat vestibus, præ-
Mat.22. cepit eiicere foras.

Mulierem meretricem proplosam, & à viro repulsam non accipient. Mira est munditia, quam illo tempore Dominus in sacerdotibus exigebat: vt etiã eis vxores virgines & mundas eligerẽt. Solent enim meretrices, & ab aliis viris cognitæ, parum aut nihil viros suos diligere, virgines vero, & quæ alium amorem non nouerũt nisi viri sui: fideliores esse maritis suis, has ergo Dominus suis ministris eligere dignatus est.

Sanctificabis eum, quia panem Dei tui offert. Sanctus erit tibi quia sanctus ego sum. Arbitratus populus non sua interesse, qualiter viuat eius sacerdos, siue bene siue male: non curat. Considera quæso Deum munera tua non hilari vultu susceperunt, si minister eius immundus sit. Dum enim is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Hoc ergo tibi valet iniquus minister, quòd rarò aut nunquam eo intermedio Deo tuo reconciliaberis. Considera ergo: an curare debeas eius munditiam an non. Si ergo sacerdos tuus, velit se impudicitiæ, & scorto tradere, tuum est cum in officio continere, & auferre ei omnem peccandi occasionem, non propter ipsum solum, qui se it perditum: sed propter Deum tuũ, & propter te. Si ergo lucris inhiet, & ipse negotiis secularibus implicare voluerit: da ei omnia necessaria, vt nullam habeat turpis lucri occasionem, & si lubricus sit, consule castitatem, auser meretricem, coge seruare quod vouit. Similiter honora eum, non propter se vt dixi: sed propter eum cuius minister est. Cùm enim sacerdos videris te, pro nihilo, aut vilem reputare eum, quid turpitudinis timebit, aut mali, non audebit perpetrare? Magna enim (ni fallor) sacerdotum munditiæ pars, in populo quo cùm viuit conspicitur, si voluerit inebriare, non porrigas potum: si cibis ventrem explere, nega cibum: si enim materiam vitiis eius non administraueris, castum, sobrium, & virtutibus omnibus plenum, habebis sacerdotem.

Filia viri sacerdotis cùm cœperit fornicari. Vides hic qualiter propulsare debeas tui sacerdotis iniuriam, & domus eius munditiam procurare, etiam si ipse eam dissimulare velit. Norabis etiam simplicem fornicationem magna hic seueritate puniri. Considerent etiam filiæ nobilium, patres suos fœdare, si in domo eorum fornicentur.

Sacerdos maior inter fratres, caput non discooperiet, neque vestimenta scindet.

Ex his lis colligunt magistratum tu inter fratres cerdos, & filios patres sui nomine honorandos.

Multa maioribus sacerdotibus prohibentur, quæ minoribus permittuntur, neque debet summus sacerdos, humanum aliquid curare, non patris aut matris funus, sed solùm Dei ministeriis debet esse intentus. Neque debent Reges & Principes velle ante se genu flexos habere sacerdotes, reclamantibus conciliis. Postquam enim Regibus permissum est Episcopos pręsentare, se eis omnino superiores putauerunt, & eos quasi subditos & seruos tractant. Similiter aduertant hic summi sacerdotes, non curare carnem & sanguinem: postquam pia parentum funera curare prohibentur.

De sanctuario non egredietur. Sunt sacerdotum quidam, qui pro re nihili ecclesiam & chorum egrediuntur, omnibus negotiis plus quàm mercatores dediti, qui vix ad horam aliquã sine negotio in ecclesia sunt, nihil minus cutant quàm pensum, ad quod tenentur soluere.

Quia diadema olei unctionis Dei sui est super eum. Ecce quid cogitare debet sacerdos, cùm aliquid vile faciendum occurrerit. Debet enim intra se hæc dicere. Quomodo me inquinari permittam oleum vnctionis Dei super me, vestibus sacris indutus sum, coronam sacerdotij mei super caput gero, qua ergo fronte nec sordibus inuolui permittam?

Non contaminabit semen suum, in populo suo. Sunt nobiles qui pro nihilo reputant, semen suum vilibus & plebeis miscere. Parum curãt si ex Sarracenis, Indæis, & adhuc vilioribus originem ducant, modò diuitias habeant, & sic omnia confunduntur & conspurcantur. Docentur etiam sacerdotes, non conuersari cum vilibus.

Vir de semine tuo, in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum panem Dei sui. Præstat mihi locus iste eam pum latum deplorandi, infœlicia tempora nostra, quibus siue delectu sacerdotes multiplicantur, neque natalium, aut vitiorum maculæ, curantur. Quis enim nunc in sacerdote quærit natalium defectum, sit ne superbus, elatus, ebriosus, lubricus, & id genus aliud habeat. Omnes admittuntur, nullus ob hæc vitia repellitur. Ad quid quæso Paulus Episcopum depinxit, iura decreuerunt qualis debeat esse Diaconus, Subdiaconus, Sacerdos, aliique ecclesiæ ministri, si horum nihil curandum est? Decet enim Dei summi ministrum, non solùm moribus, sed etiam corporis elegantia cæteris præstare: legisti credo, qualem Dominus primum regem Israel elegerit, qui videlicet ab humero & sursùm, omnem populum superabat. Et si inuoluntarij, & qui casu acciderant defectus, hominem à sacerdotio veteris legis repellebant, quomodo non magis in noua animi deteriora vitia?

Panem Dei sui comedet. Mira res. Non finit defectuosum ministrare, & finit eum de sanctificatis comedere. Docentur hic beneficiati sacerdotes, alios sacerdotes senio confectos, aut ægritudine aliqua à ministerio impeditos, nutrire. Ius enim habent isti ad panem sanctum, ideò illis distribuendum est, ne mendicare cogantur.

Ad altare non accedet, quia macula est in eo. Si macula corporis accessum altaris impedit, cur non potius macula mentis? Considera ergo frater sacerdos, cùm ad altare accedendum sit, si quid maculæ adhæreat tibi, & absterge: vt dignè accedas ad altare Dei tui: cui gloria honor & imperium in sæcula sempiterna.

IN CAPVT. XXII. LEVITICI
annotatio ad literam.

Loquatus est autem Dominus ad Mosen.
Explicat hic scriptura quo tempore, & qui à sacris debeant abstinere, quomodo, quid, & quando offerendum Domino sit.

Vt separentur à sanctificationibus filiorum Israel. Vocat hic textus sancta, omnia illa quæ à filiis Israel Domino offeruntur, quæ sancta dicuntur, quoniam separata erant Domino, aut quia munda esse debebãt & cùm dicit. Vt separentur, tu intellige si sint immundi, vt statim inferius explicatur. Dicitur enim inferius Omnis vir qui accesserit ad sanctificationem, & immunditia eius super eum: excidetur.

Non polluant nomen sanctitatis meæ. Polluit nomen Dei sanctum, qui immundus accedit ad sancta eius. Cùm enim Deus vocetur sanctus, id est, ab omni sorde separatus, qui immundus accedit ad aliquid eius, polluit nomen eius, non quo vocatur Deus, sed quo vocatur sanctus, seu à sordibus separatus. Polluit enim res immunda aut sordida, mundam si illi adiungatur.

In his quæ ipsi sanctificant, id est, applicant mihi qui sum sanctus: seu quę ipsi separãt mihi vt mihi offerãt.

Ego Dominus, qui scilicet hæc puniam.

In generationibus vestris, videlicet sequentibus, aut in posteris vestris. Et quod sequitur.

Ad sanctificationes quas sanctificauerunt filij Israel Domino, intellige ad separationes quas separauerunt. Quod verò sequitur.

Et immunditia eius super eum, de qua immunditia loquatur, statim explicat: vtpote si sit leprosus, fluens & id genus aliis immunditiis.

Excidetur anima ipsius à facie mea. Aliqui intelligunt non amplius ministrabit coram me, quemadmodum cùm dicitur. Peribit anima illa de populo suo, intelligunt non amplius ad populum Israeliticum pertinebit, quem sensum ex ipsis scripturæ verbis explosimus capite vigesimo præcedenti: ideò intelligendum est quod eum occidet, ne amplius coram eo appareat, quemadmodum fecit Nadab & Abiud filius Aharon: & sumitur anima pro homine.

Vel fluens, scilicet semine, & est sermo de fluxu diutius durante.

Qui tetigerit omne immundum animæ. Per immundum animę, videtur intelligere cadauer hominis: ac si dicat. Qui tetigerit immundum, in quo fuit anima. Aut omne viuum immundum, in quo scilicet fuit anima: vt prius in genere prohibeatur à sacris, omnis res immunda, postea specificetur. Potest tertio esse sensus. Qui tetigerit hominem immundum super animam, id est super mortuũ: vt scilicet sacerdotibus prohibeatur non solùm contactus cadaueris hominis: sed contactus ipsius hominis, cadauer hominis tangentis.

Vel vir ex quo egreditur iacentia seminis, id est, à quo egreditur semen somniale, quod dicitur iacentia seminis; seu accubitus, id est, semen qui ex cubante exire solet.

Omne reptile per quod immundus erit, id est, reptile immundum, de quo dictum est capite. 11. huius libri. Vel hominem per quem immundus erit, sicut qui tetigisset seminifluum aut fœminam fluxum sanguinis patientem, vel mictistruum. Dicit autem.

Secundum omnem immunditiam eius. quoniam multis modis poterat homo immundus fieri.

Et occumbet Sol, & mundabitur. Hebraicè est. Et veniet Sol, scilicet ad occasum, & mundabitur, id est, transibit immunditia cum tempore.

Quoniam panis eius hoc, id est, quoniam sanctificata sunt panis sacerdotis, id est, cibus sacerdoti debitus.

Cadauer & discerptum à bestia. Non vertimus cum aliis. Et raptum, quoniam verbum tataph potius discerpere quàm rapere significat.

Custodiant custodiam meam, id est, quæ illis custodienda trado præcepta. Vsurpant enim Hebræi nõ rarò, custodiam pro re custodita.

Custodiam pro re custodita accipiunt Hebræi

Et non portabunt super se peccatum, & moriantur in eo, cùm polluerit se in eo, aut polluerit illud. Sumitur hic peccatum sicut in aliis multis scripturæ locis, pro peccati pœna, & vertendum est. Et non portabunt super se peccati pœnam. Et moriãtur in eo, id est, in pœna seu cum pœna peccati sui. Cùm polluerint illud, scilicet præceptum meum, vel illam scilicet custodiam meam, aut cum polluerint se in eo, scilicet quod prohibui eis.

Inquilinus sacerdotis & mercenarius, non comedent sanctificationem. Vocatur inquilinus, qui apud sacerdotem moratur. Hebraicè habetur habitans cum sacerdote, scilicet diu. Hoc enim significat dictio hebræa tossab à iassab, quod est sedere & morari. Mercenarius vocatur, qui ad diem vel paucos dies manet cum sacerdote.

Et sacerdos cùm acquisierit animam, acquisitione argenti sui, ipse comedet eum eo, & vernaculi eius, seu natus in domo eius, ipsi comedent de pane eius, sensus est. Homo quem acquisierit sacerdos acquisitione argenti sui, id est, seruus ipsius emptus comedet eum eo, scilicet sacerdote, de huiusmodi sanctificatis, aut ex eo, scilicet cibo sanctificato. Neque est sermo de hostia pro peccato, quam soli sacerdotes in loco sancto comedebant, sed de aliis Deo oblatis, & est ratio, quia isti magis pertinebant ad sacerdotem, quemadmodum vernaculus.

Filia sacerdotis cùm fuerit viro alieno, id est, cùm nupserit viro, qui nõ est de semine sacerdotali. Hos enim nunc vocat alienos. Ex quo manifestè conuincitur, posse filiam sacerdotis coniungi marito, qui non esset de semine sacerdotali.

Et semen non fuerit ei, id est, non habuerit prolem: vnde etiam constat in sacris literis semen pro prole accipi, vt capite. 12. huius libri probauimus.

Poterat filia sacerdotis viro non sacerdoti nubere.

Sicut puellæ eius, id est, sicut filiæ aut ancillæ.

Vir cum comederit sanctificationem per errorem, addet quintum super eam, & dabit sacerdoti sanctificationem. Per errorem, id est, ignorans talia esse sanctificata, aut errando seu committendo in legem, talis tenebatur addere quintam partem, præter valorẽ rei sanctificatę, & potest intelligi quòd addat rem, & quintam partem valoris eius, aut quòd addat quinque alias partes valoris rei sed prior sensus simplicior est.

Et non contaminabunt sanctificationem filiorum Israel quam eleuabunt Domino. Si sequamur regimen dictionis chodsse, id est, sanctificationes, bene versum est. Non contaminabunt sanctificationem filiorum Israel & est sensus, quòd sacerdotes non contaminabũt sanctificata filiorum Israel. Sed contextus præcedens, & sequens, præ se ferunt hunc sensum. Non contaminabunt scilicet filij Israel sanctificationem filiorum Israel, id est, oblata à filiis Israel, quæ ipsi Deo offerunt, scilicet comedendo illa. Polluebatur enim sanctum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& à prophano contractaretur. Vnde sequitur. Et portare facient seipsos, scilicet, filij Israel iniquitatem, id est, pœnam iniquitatis delicti, dum comederint, scilicet, seculares, sanctificationem illorum, scilicet, sacerdotum. Si verò ad sacerdotes referantur verba, sensus est. Caueant sacerdotes ne contaminent sanctificationem filiorum Israel, scilicet, polluti comedendo ea, quam ipsi scilicet sacerdotes eleuant Domino. Fiebat enim huiusmodi oblatio eleuando oblatum, vt sæpius dictum est. Et portare facient seipsos, scilicet, sacerdotes, iniquitatem delicti, id est, pœnam iniquitatis delicti, cùm comederint, scilicet, immundi sanctificationes eorum.

Ego Dominus qui sanctifico eos, scilicet, sacerdotes: separans eos ab immunditiis.

Pro omnibus votis suis, et pro omnibus spontaneis suis. Statuit conditiones tres, quas requirit, in his quæ illi offeruntur in holocaustum. Prima quòd sit masculus. Secunda quòd sit integer seu sine vlla macula, quas conditiones requirit tam in his quæ ex voti obligatione offeruntur, quàm in his quæ quis sponte offert.

Ad voluntatem vestram, id est, liberum erit vobis offerre quod vultis, hoc vel illud, modò sit masculus & sine macula, & addit tertiam conditionem, vt, scilicet, ex bobus, agnis, & capris, cætera verò animalia à sacrificio excludebantur, & est sermo de holocausto. Posset etiam verti. Vt bene placeat vobis, id est, vt Dominus illa acceptet à vobis.

Quia non ad beneplacitum erit vobis, id est, quia non bene placebitis hæc offerendo, quibus defuerit aliqua ex his conditionibus.

Cùm obtulerit sacrificium pacificorum. Melius integritatum, quod pro domus integritate, & incolumitate fiebat, vt sæpius admonuimus.

Ad separandum votum vel ad spontaneum in bobus, vel ouibus, immaculatum erit: vt beneplaceat, omnis macula non erit in eo. Litera est vtcunque obscura, & sensus est. Cùm vir obtulerit sacrificium integritatum, id est, pro domus suæ integritate domino, separando animal pro voto suo, in bobus vel ouibus: vt illud beneplaceat Domino aut ipse illi placeat, tale erit immaculatum, & nulla macula in eo erit. Posset etiam verti illud, *Ad separandum votum*, Ad mirificandum votum, ac si dicat, Si voluerit votum suum fore mirificum. Nam verbum pala, significat non solùm separare, sed mirificare, vt patet secundo Semuelis primo niphleatoh, id est, mirabilis fuit amor tuus mihi, præ amore mulierum: sed prior expositio magis ad literam accedit. Similiter illud.

Vt beneplaceat, potest verti. Vt beneplaceat, scilicet, offerens, non solum sacrificium, sed ipse offerens.

Vel fractum, vel concisum labijs. Per fractum intellige omne quod habuerit aliquam fracturam, siue pedis siue manus siue corporis. Per cõcisum vel scissum, intelligunt Hebræi quod habet labium vel palpebram scissam, & hæc est ratio quare Sanctes noster vertit concisum labiis, cùm tamen in hebræo nulla fiat labiorum mentio. Dictionis charus quæ hic ponitur, incerta est significatio, quemadmodum & verbi charas à quo deducitur, quod dicunt Hebræi significare remouere, aut diuidere, & per diuisum aut remotum posset intelligi membrum à suo loco dimotum aut diuisum: vt, scilicet, animal quod aliquod membrum loco suo dimotum, vel diuisum haberet, ineptum esset ad sacrificium. Posset tertio dici verbum charas significare cõterere, vnde charus, id est, tribula, sic à conterendo dicta, & tunc sensus est. Vel contritũ, id est, habens membrum aliquod aut corporis partem cõtritam: secunda tamen expositio magis accedere ad literam videtur.

Aut verrucosum. Videtur dictio hebraica iabelet, significare propriè inflationẽ seu eleuationem, & hac de causa verrucam, quæ est quædam eleuatio, vnde iobel, id est, buccina sic ab eleuatione dicta. Posset etiam hic charus non solùm verrucam, sed omnem eleuationem seu inflationem significare.

Vel scabiosum. Dixi præcedenti capite de significatione dictionis garab, quòd incertæ significationis esset apud hebræos Idem de ialephet, quòd Hiero. & omnes eum sequentes vertunt impetiginem, hebræi verò scablem Ægyptiam, quæ durat vsque ad mortem: sed re vera ignorant propriam harum duarum dictionum significationem.

Et ignitum non dabitis ex eis: super altare Domino. Per ignitum videtur holocaustum intelligere, quod deo in altare comburebatur.

Bouem & pecus superfluens vel contractum, spontaneum faciet ea: pro voto autem non placebit. Per superfluum, intelligunt hebræi animal quod habet membra nimis excessiua: per contractum, quod habet breuia nimis: propter quod Sanctes noster vertit. Habens membra nimis magna, vel nimis parua. Quod verò chalud significet contractum, coniecturam sumunt Hebræi ex eo quod dicitur Numeri trigesimoquinto, vbi habetur. Sex ciuitates Hamichlat, id est, contractionis seu refugij, ad quas confugiebat homicida, & in quibus coarctabatur ne inde exire posset.

Compressum & contusum & ruptum et excissum, non appropinquare facietis Domino. Dictio hebraica maach, id est, cõpressum, significat compressum, subagitatum à verbo maach quod est comprimere, vt patet. 1. Semue. 26. Et lancea eius menchah, id est, fixa seu pressa in terra. Et Ezechie. 23. ibi moachu, id est, compressa fuerunt vbera earum: & significatur quòd animal compressum in se, vel habẽs aliquam partem aut membrum compressum, seu subagitatum non erat Domino immolandum. Per contusum verò intellige, quòd habet aliquod membrum contusum. Isaiæ. 30. Conteret eum secundum contritionem lagenæ figulorum, chatud, id est, contundendo. Per ruptum autem, quod euulsum habet aliquod membrum: aut carnis portionem: quoniam verbum natach significat eradicare aut runpere. Per excissum, illud cuius aliquod membrum scissum est, vel portio aliqua corporis. Hebræi & multi ex nostris omnia hæc ad testiculos referunt, vt, scilicet, non habeat eos compressos, etiam leui compressione, neque contusos magna videlicet cõtusione, seu minutatim: neque ruptos, neque excissos: & meo iudicio germane literam exponunt.

Et in terra vestra non facietis, id est, non permittetis fieri, ac si dicat. Non solum non facietis vos hic vbi modo estis: sed neque in terra vestra permittetis alios facere, seu sacrificare hæc.

Et de manu alienigenæ non offeretis panem Deo vestro ex omnibus his. Omnia subterfugia peccandi præcludit eis. Putarent enim sibi licere accipere huiusmodi immunda animalia, de manu alienorum: & offerre ea Deo suo. Aduerte etiam hic textum vocare sacrificia omnia panẽ, vt scias quàm bene dixerimus supra: veteris legis sacrificia fuisse cibationes dei, quibus illi videbantur Deum nutrire.

Quoniam corruptio eorum in eis. Sumitur hic corruptio pro quocunque defectu: significatio dictionis maschit non plene nota est Hebræis: & quod sequitur.

Macula est in eis, videtur explicatio præcedentis.

Non beneplacebunt vobis. Posset etiam verti. Non acceptabuntur à vobis, aut non erunt volita à vobis.

Et fuerit septem diebus cum matre sua, à die octauo & deinceps placebit in oblatione. Voluit Dominus docere Iudæos pietatem, neque permisit animal mox natum sibi offerri. Iudæi huius rei duas adferunt rationes. Altera propter sabbatum: vt, scilicet, sabbatum super pecus transiret, eò quòd sabbatum omni rei quæ in mundo est, præstat perfectionem & robur. Secunda vt pecus esset perfectum. Cùm enim septem diebus cœlum & terra & omnia quæ in eis sunt Deus perfecerit: creatura quæ septimum diem transiuit, perfecta reputatur, quasi videatur integrum sæculum vixisse. Mihi verò videtur hoc ideò factum, quia pecus ante octauum diem nimis tenerum & molle est: neque aptum est ad vescendum. Neque his obstat quòd Semuel agnum lactantem obtulerit Domino, quoniam post octauum diem adhuc agnus lactat.

Bouem

Bouem & filium eius, non immolabitis die vna. Etiam lex hæc, pietatem misericordiam docet, tum Domini, tum etiam nostram.

Ad appropinquare faciendum ignitum Domino. Vertit hic Sanctes. Placebit in oblationem oblationis Domino, sed non tam bene.

Si sacrificaueritis sacrificium laudis, secundum beneplacitum vestrum sanctificabitis. Vocat hic scriptura sacrificium laudis, id quod ad laudem Dei offerebatur, aut ad laudandum Deum, super aliquod beneficium acceptum, & quod sequitur.

Ad beneplacitum vestrum sacrificabitis, id est, liberè. Nam vt diximus licet liberum esset huiusmodi sacrificium, tenebatur tamẽ eadem die illud comedere: vnde constat sacrificium hoc laudis, non esse sacrificium pacificorum, quod poterat comedi infra duos dies, vt patuit capite decimonono.

Non polluatis nomen sanctitatis mea, scilicet, immunda offerendo, aut si sitis immundi, quoniam tam oblata, quàm ipsi sortiti erant nomen Domini. Nam & oblationes dicebantur Dei, & ipsi dicebantur serui Dei, sancti & immaculati.

Et sanctificabo me, in medio filiorum Israel, id est, purum & immaculatum ostendam, cùm ipsi fuerint mundi. Nam quemadmodum ex immunditia Domini, manifestatur & cognoscitur immunditia serui: ita ex mũditia seruorum cognoscitur munditia Domini.

Ego Dominus sanctificans vos, id est, mundos vos desiderans, aut causans in vobis munditiam.

IN CAPVT. XXII. LEVITICI AD morum compositionem annotatio.

Loquere ad Aharon & ad filios eius. Quoniam summi sacerdotis est, alios de munditia admonere, ad eum & ad filios eius lex dirigitur.

Separent se à sanctificationibus. Quod D. Paulus. 1. ad Corint. 11. admouit omnibus dicens. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat, hoc idem Dominus admonet sacerdotibus vetus legis: vt scilicet separent se ab immunditiis, cùm ab eis sunt diuina tractanda.

Non polluant nomen sanctitatis meæ. Hoc est quod maximè sacerdotes & ministros dei ab immũditiis debet deterrere, scilicet considerare se sortitos nomẽ dei. Si quis enim vestem gestaret Regis, aut annulum, aut quoduis aliud ornamentum, nonne timeret illud deturpare, aut polluere, & non omni qua posset diligentia custodiret, ne in terram, aut lutum, aut locum quo posset maculari cadere posset? Si ergo vestem regiam sic custodis, & seruas ne polluas, quanto maiori diligentia, curare debes ne polluas nomen Dei tui? Et si sacerdos nunc non times corporis excidium, quod dominus hic sacerdotibus comminatur antiquis, time cum qui postquã corpus occiderit, potestatem habet mittere animam in gehennam.

Postea comedet, quia panes eius est. Constat ex hoc loco sacerdotibus sacra edulia deberi, & qui altari deseruit debere de altari viuere, quemadmodum statuit Paulus. Similiter aduerte hic sacerdotes immundos arceri à sacris cibis. Quòd si sacerdos leprosus, aut semine fluens, & id genus infirmitates patiens, quas Deo volente, & non sua sponte incurrebat, à diuinis cibis arcetur, qua fronte quæso tu qui concubinarius es, aut auarus, aut idolis seruiens, audes beneficij tui prouentus comedere? Munda te, & secure comede, quoniam cibus tuus sunt hæc. Quòd si immundus es, non tangas, aut comedas, quæ Domino consecrata sunt.

Hebr. 13.

Non portent super se peccatum, & moriantur in eo. Magnum malum portare peccatum, extremum verò, in eo mori. Caue ergo ne in eo moriaris. Et valdè attende quod sequitur.

Cùm polluerint illam, videlicet sanctitatem, vt hic discas eos vt plurimum in peccatis mori, qui Dei sanctitatem polluere ausi sunt.

Omnis alienigena non comedet sanctificationem. Quid aliud textus iste docere nos vult, quàm sacramẽta non esse canibus tradenda?

Inquilinus & mercenarius, non comedent. Sunt Domini qui nullum discrimen inter seruos suos faciunt: tam parum soluunt, ac tam delicatè nutriunt eos qui multo tempore, sicut qui paruo eis seruierunt. Docet autem hic Dominus delicatius enutrire seruum proprium quàm mercenarium, aut inquilinum. Similiter magis curare nostra, quã quæ sui sunt iuris apud nos: neque teneri Dominum, pane quo vescitur ipse, omnes seruos suos nutrire.

Filia sacerdotis cùm fuerit viro alieno. Sequitur vxor vbique viri sui forum: vt si vir sit sacerdos, pertineat ad sacerdotium, si verò prophanus priuilegium sacerdotale amittere videatur, & per hoc admonere voluit Dominus filias sacerdotum, ne aliis quàm sacerdotibus nuberent.

Sequitur vxor vbique viri sui forum.

Et semen non fuerit ei. Constat ex hoc loco, non esse derelictam viduam quę filios habuerit, neque pertinere amplius ad patris domum.

Vir cùm comederit sanctificationem per errorem, addet quintum eius. Grauior simplici furto est, sacratæ rei ablatio, cùm non sufficiat æquale restituere, sed quintam partem addendam esse: vt confessor scias, aliquid addendum esse ab eo qui eam contrectauit iniuriæ ratione.

Omne in quo fuerit macula non offeretis. Prius ostendit se velle ministros immaculatos, postmodum verò oblata fore immaculata: vt ex his discas prius te immaculatum exhibere ministrum, postea verò quæras impolluta quæ offeras.

Voluntariè faciet eum, sed pro voto non placebit. Permittit hic Dominus defectum aliquem in sponte oblatis, quem non permittit indeuotis, vt nos doceat debita melius quàm voluntaria soluere. Libet hic paruper excedere. Sunt multi etiam religiosi viri, qui pensum diuini officij negligentissimè soluunt, preculas verò quas ex præscripto suo offerunt, summa deuotione, cum deuotæ voluntariis præstare deberent, quemadmodum hic statuit lex. Afficiuntur maximè homines legibus suis. Si quis debitam pecuniam soluere debet, eligit si liceat deteriora numismata. Si quid verò donandum est, aurum selectissimum quæritur, aut argentum, quo donum decoretur.

De manu alienigenæ non offeretis panem ex his. Voluit hac lege Dominus, sacerdotum auaritiæ obuiam ire, ne sui lucri causa, ea ex manu alienigenæ acceptarent, quæ Dominus ex manu eorum refutabat.

Die octauo & deinceps placebit in oblatione. Munus crudele, non solet Dominus acceptare, quoniam & si sui gratia acceptabile sit, displicet tamen ratione crudelitatis. Istuc enim quod sequitur tendit, ne scilicet filius, eodem cum patre die, ad aram trahatur, quo nos docet id quod & Christus: vt si ad aram accedentes, meminerimus iniurios nos fratribus fuisse, ferocem animum esse deponendum, & frater tecobeiiam dus antequam munus Domino præsentetur.

Educo vos de terra Ægypti, vt sim vobis in Deum. Discе ex hoc loco quęso peccator deũ nolle esse tuum, nisi te prius ex Ægypto educat, & nisi mundus sis non præsumas Deum vocare tuum.

IN CAPVT. XXIII. LEVITICI annotatio ad literam.

Loquitus est autem Dominus ad Moseh sic dicendo. Tractat hic Dominus, de solennitatibus & festis, videlicet Pesach, Penthecoste, festo iubilationis, expiationis, & tabernaculorum.

Congregationes Domini, quas vocabitis congregationes sanctas: istæ sunt congregationes meæ. Posset etiã verti. Constituta Domini, quæ vocabitis constituta sancta. Verbum iadah à quo moed, quod congregationem seu constitutum vertimus, multa & varia significat

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hebræis, scilicet congregare, constituere tempus, aut conuenire ad tempus statutum, parare, desponsare, & testificari. Sed si quis rectè expendat locos vbi verbum in scriptura ponitur, deprehendet, propriè significare conuenire, maximè ad tempus statutum & certum, & ex consequenti statuere, constituere. Secundo enim Semuelis vigesimo habes. Et tardauit, scilicet Semuel. Mim hamoed, id est, à statuto videlicet tempore, quod leado, id est, constituerat ei. Disputauimus satis, de significato dictionis Exodi nono & vigesimoprimo. Est locus secundo Semuelis vigesimoquarto quo videtur significare statutum, seu certum, vbi dicitur. Dedit Dominus pestem in Israel, à mane, id est, vsque ad (et) moed verte vsque ad tempus constitutum. Sic Iob trigesimo vbi habetur. Et ad domum moed, id est, constitutionis omnis viuentis. Aut collectionis omnis viuentis. Ex quibus colligo dictionem moed, significare statutum, scilicet tempus, aut collectionem, & si significat tempus non quodcunque, sed certum, aut ex certis diebus collectum, & eâdem ratione significat festum, aut quia tunc Israel colligebatur & congregabatur in templo ad legem audiendam: aut quia statutis temporibus celebrabantur festi dies: bene ergo vertas si dicas, Congregationes Domini quas vocabitis congregationes sanctas. Quod si vertas solennitates aut festa, non prohibeo. Quod verò sequitur.

Quas vocabitis sanctas, verbum chara significat vocare, & etiam clamare, vnde michra, id est, clamor, aut proclamatio, vt patet Nume. 10. vbi dicitur. Erunt tibi scilicet tubæ, de quibus ibi est sermo ad michra, id est, proclamandum seu proclamationem, vel ad conuocationem congregationis: vnde etiam transferri posset, quas proclamabitis proclamationes sanctitatis.

In die septimo sabbaton sabbati seu requies requiei, id est, Potissima requies, & ex hoc loco colligitur, sabbatum esse potissimum apud Iehudæos festum: tum quia primo loco inter solennitates ponitur, tum quia sabbatum sabbati dicitur, sed hoc etiam dicitur de festo expiationis supra capite decimosexto huius libri. Aliqui vertunt sabbatum requiei: sed ab istis quærendum est cur secundum nomen, scilicet, sabbatum vertunt requiem, prius verò hebraicum relinquunt, scilicet, sabbat.

Sabbaton apud Iudæos potissimum festum.

Conuocatio sancta, id est, vocabitur sancta hęc dies, id est, separata ab operibus seruilibus, quæ fiunt aliis diebus, aut separata ab omni immunditia. Aut dicitur conuocatio sancta, quia illa die conuocabatur populus ad sancta audienda, vel ad locum sanctum.

Sabbaton est Domino in cunctis habitationibus vestris. Melius vertas. Requies est Domino, id est, qua requieuit Dominus, aut requies est dicata Domino, vbicunque habitaueritis, ne putarent quòd solum dum essent in Ierusalem quiescendum esset.

Istæ sunt solemnitates. Expone vt supra immediatè. Posset etiam verti. Ista sunt tempora, scilicet, statuta Domini seu à Domino, conuocationes sanctitatis, id est, quas vocabitis sanctas, aut quibus ad sancta homines vocabitis: *quas vocabitis in tempore suo*, aut ad quas conuocabitis in tempore suo homines, vnde videtur Iudæos ad huiusmodi festa vocatos tubis aut aliis proclamationibus. Et aduerte quòd dictio moed, quam interpretes in principio sententiæ vertunt solennitatem, in fine vertunt tempus, quod mihi non multum placet. Vnde sustinendo vtrobique eandem significationem, posset verti. Ista sunt statuta, scilicet, festa Domini, conuocationes sanctæ, id est quas vocabitis sanctas, aut ad sancta homines, quas vocabitis aut ad quas conuocabitis statutis, scilicet temporibus suis.

Inter duas vesperas, Pesach est Domino.
Admonui Gene. primo, & Exodi duodecimo ab arab quod est miscere, deriuari ereb quod est mixtum, & vespera quasi quid mixtum ex obscuritate & luce, esseque duas apud Hebræos vesperas, alterâ ab occasu Solis vsque ad noctem, quæ propriè dicitur vesperâ, cùm sit mixtio lucis & tenebrarum, altera verò nox ipsa, de qua Genesis primo dicitur, factum fuisse vespere & mane, diem vnam, scilicet naturalem, ac si dictum fuisset, ex nocte & die factam fuisse vnam diem naturalem. Non dixit autem ex nocte & die, quoniam nox propriè significat obscuritatem, non mixturam illam, quam diximus. Præcipit ergo Dominus, Pascha inter duas vesperas celebrare, quoniam celebrãdum erat in tempore illo, quod est inter occasum Solis & noctem obscuram, quod vt diximus vocatur propriè vespera, & tunc incipiebat apud Iehudæos dies, scilicet ab occasu Solis & vsque ad sequentem occasum durabat. Significat autem pesach, vt diximus Exodi vigesimosecundo, saltum, & fiebat festum in memoria illius saltus, quem fecerat Dominus saltans, scilicet domus Israelitarum, non percutiendo primogenita in eis. Est ergo sensus.

In mense primo, scilicet Nissan, qui pro sui saltè parte respondet Martio nostro, qui Exodi. 12. primus institutus est, cùm antea vt diximus ibi Tisri fuerit primus & adhuc in contractibus faciendis sit.

Quartadecima mensis, inter vesperas, id est, inter occasum Solis & noctem, *saltus est Domini*, id est, festum in memoriam saltus, quem fecit Dominus.

Et quintadecima die mensis huius, solemnitas est infermentatorum Domino. Sequens enim dies, scilicet quintadecima, vocabatur solennitas infermentatorum, quoniam tunc non licebat fermentata comedere. Et quod dicitur Domino, sensus est ad honorem Domini. Dictio autem (cag) quam vertimus solennitatem, æquiuoca est ad multa. Nam Hebræis significat solennitatem, oblationem, aut pecus. Tertio pauorem: verbum verò chagag significat saltare, tripudiare, diè festum agere. Diximus abundè de significatione nominis & verbi Exodi duodecimo quem locum consulere licebit.

Die primo conuocatio sancta erit vobis, id est, vocatio ad sancta, scilicet ad locum sanctum, & ad sancta audienda, aut vocabitur sancta, id est, separata ab operibus seruilibus, vnde quasi explicando sequitur.

Nullum opus seruile facietis, aut vt hebraicè habetur. *Omne opus seruile*, id est, quod serui facere solent: non *facietis. Offeretis ignitum Domino septem diebus.*
Per ignitum intelligit holocaustum quod totum igne consumebatur cum suo minchah.

Die septimo erit conuocatio sancta, id est, ad sancta, aut melius vocabitur sancta inter vos, seu separata ab operibus seruilibus, vt statim sequitur. Erat ergo dies prima post Pascha, id est. 15. festiua, in qua non licebat aliquod opus seruile facere & similiter dies septima.

Adducetis homer primitiarum messis vestræ, ad sacerdotem. Tenebantur Iehudæi sequenti die post quintumdecimum, qui hic dicitur sabbatum, quoniam in eo requies erat, offerre Domino certâ mensuram quæ vocatur homer, plenam granorum excussorum à nouis spicis, quasi primitias nouæ & venturæ messis. Sed valdè mirandum est quomodo spicæ tunc possent inueniri cũ in Martio maximè in initio nullibi ferè possint reperiri, quare aliqui dicunt non illa die, scilicet, septima adducenda esse, sed postmodum. Aut posset dici blada in terra sancta citius crescere quàm alibi. Est autem homer nomen mensuræ, continentis decimam partem ephah: vt capite. 16. Exodi diximus. Quia tamen vox hebræa homer Deute. 24. videtur significare manipulum, quidam hic pro homer manipulum vertere runt, quemadmodum Septuaginta, & vulgatus Interpres. Verbum amar Hebræis est vti, deseruire, & negotiari, iuxta illud Deutero. vigesimoquarto. Si inuentus fuerit vir furans animam de fratribus suis, de filiis Israel. Vehit amer, id est, & negotiatus fuerit cum eo, aut vsus fuerit eo: sed meo iudicio, verbum significat contrahere, seu negotiari, vt mercatores facere solent facientes suos contractus seu obligationes, & inde est homer, id est, manipulus, qui nihil aliud est, quàm spicarum colligatio. Inde tertio homer, id est, mensura, quoniam ex granis manipuli impleri solebat, aut quia grana manipuli continebat: vt nomina habeant

habeãt allusionem ad inuicẽ in suis significatis quem admodum nominibus hebræis moris est. Vnde vtroque modo hic vertere potes, scilicet, Adducetis mensuram homer, & adducetis manipulum primitiarum, & quia significatio qua homer manipulum significat communior est, putarem melius vertere manipulum, quàm mensuram.

Eleuabit manipulum coram Domino, sectandum voluntatem vestram. Diximus sæpius, ad quod fieret huiusmodi munerum eleuatio, quòd, scilicet ad præsentandum illud Domino, qui in cœlis est. Quod verò sequitur. *Ad voluntatem vestram*, melius vertas. Ad beneplacitum vestrum, id est vt vos, aut munus vestrum, bene placeat, scilicet Domino.

In crastinum sabbati eleuabit illum sacerdos.
Non significat hic sabbatum septimam diem, sed quietem, ac si dicat. In crastino illius diei in quo est requies: nisi intelligas in crastino sabbati occurrentis in ea hebdomada.

Facietis in die qua eleuabitis manipulum.
Admonui crebro in hoc libro, verbum facere pro sacrificare accipi, in quem sensum multi illud Pauli primo ad Corin. 11. intelligunt. Hoc facite in meam commemorationem.

Et oblationem eius, duas decimas similæ.
Miror cur Sanctes sic abhorruit à dictione minchah, quæ hic non munus in genere, sed certum sacrificij genus significat: vt manifestè patet capite. 2. huius libri, quod quidem farinaceum munus, cum holocausto carnis offerebatur Domino. Cuius mensuræ, decima pars hæc sit, non cõstat, nisi dicamus decimam ipsam esse mensuram. Aut melius, duas decimas homer, quod erat mensura aridorum.

Ignitum Domino in odorem quietis. Per ignitum intellige omnia hæc combusta in altari Domino. Vocatur autem fumus ille, quietis odor, quòd Dominũ ab ira quiescere faceret, & mitigarrt, vt sæpius diximus.

Et libabit ipse vini quartum Hin. Verbum nasach, à quo niscoh, id est libamen, significat effundere, vnde verti posset. Et fusio quartum Hin. Erat autem Hin, mensura liquidorum, de qua sæpius diximus, quæ continebat secundum Hebræos ova septuaginta duo, & constat ex hoc loco decimam, de qua superiori loco dictum est, esse decimam mensuræ homer, quemadmodum quartum vini erat quartum Hin.

Et panem, & tostum, & spicam, non comedetis, vsque ad robur diei illius. Sensus est, non comedetis panem, ex nouis granis confectum, neque tota grana, à spicis excussa, neque recentes spicas, vsque ad diem illam, qua messis nouæ primitias Deo offeratis, & per spicam intellige viridem. Dicit autem Rabbi Dauid in suis radicibus, charmel significare spicam viridem, & teneram, de qua dictione abundè diximus secundo capite huius libri: sed meo iudicio significat plenam, quales producebat mons Charmelus. Quod autem dicitur. Vsque ad robur diei illius, idem est ac si diceres, vsque ad esse seu vsquequo esset dies ille, aut vsque ad ipsummet diem. Disputauimus satis de significatione dictionis Genesis decimoseptimo, & Exodi duodecimo. Volebat ergo dominus, vt nullo pacto comederent quicquam de nouis frugibus, vsquequo primitias illi offerrent. Offerebant autem Hebræi ter in anno primitias, scilicet in festo Paschatis, vt hic dicitur de nouis granis, in Penthecoste de nouis panibus, & in septembri de nouis illius anni fructibus. Coluerunt etiam genter deos suos huiusmodi primitis, vt patet Iudicum nono, vbi legimus Sichimitas vindemiarum tempore, ingressos cum lætitia templum fierith dei sui.

Ter in anno tenebari primitias Domino offerebant.

Statutum perpetuum erit in generationibus vestris, & in cunctis habitaculis vestris, id est, venturæ generationes vestræ vbicunque fuerint, celebrabunt perpetuo ceremoniam hanc primitiarum.

Numerabitis autem vobis à crastino sabbati, à die qua adduxistis manipulum eleuationis, septem hebdomadas plenas. Non conuenit inter Iehudęos, à qua die incipiendа est hebdomadarum harum quinquaginta supputatio, & hoc quia non conueniunt in die sabbati. Quidam enim per sabbatum intelligunt festum Paschæ, scilicet quintamdecimam diem, quę erat celebris apud eos, & a crastino huius festi, id est, à decimasexta die incipiebant supputare istas hebdomadas, & hi habent pro se Iosephum, & Iudæorum practicam, & meo iudicio soli verum dicunt. Aliis verò videtur, sabbatum accipiendum pro vere sabbato, quod incidebat inter dies Paschæ, à cuius crastino, supputandas has quinquaginta hebdomadas arbitrantur. Tertij totam hebdomadam festi Paschæ, pro vno sabbato accipiunt, & à crastino septimæ diei totius festi, eas supputant, sed vt diximus, prima opinio verior est. Et aduerte quòd cùm sabbatum sit hebraicè idem quod requies, sumitur aliquando pro requie septimæ diei in qua die Dominus ab operibus condendis cessauit, nonnunquam verò pro quacunque die celebri, in qua à seruilibus operibus cessandum erat. Inferius enim prima mensis septimi quando incipiebant ad ventura festa præparari, vocatur sabbatum. Constat etiam hic hebdomadas sabbata vocari. Nam vbi Interpretes vertunt. Numerabitis septem hebdomadas, hebraicè habetur septem sabbata, quod nonnihil fauere videtur his, qui putant à currenti sabbato supputandas hebdomadas: vnde pro vsque in crastinum hebdomadæ septimæ, in hebræo habetur. Vsque in crastinum sabbati septimi. Quod verò additur.

Hebdomadas plenas, Admonet huiusmodi septem hebdomadas, debere constare ex suis septem diebus. Vocatur autem festum hoc Penthecostes, à quinquagesima die qua celebrabatur, festum autem hebdomadarum, à numeratis septem hebdomadibus, atque festum primitiuorum, ab oblatis primitiis. Institutum autem fuit huiusmodi festum propter tria. Primum vt populus Israeliticus admoneretur de beneficio libertatis, quam illo die consequuti sunt, & hoc est quod Deutero. decimosexto dicitur. Celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo. Et mox sequitur. Recordaberis quoniam seruus fueris in Ægypto, ac si dicat. Hic dies sit tibi monumentum libertatis, data tibi lege. Altera causa est vt in eo offeretur noua oblatio, scilicet duos panes, è nouis frugibus cõcti: pro primitiis Domino, qua cæremonia admonebantur, vt grati essent beneficio nouæ messis. Addunt aliqui tertiam, vt esset vaticinium venturæ illius Penthecostes, qua Christus opulente effusurus esset primitias spiritus sancti in discipulos suos. vt Lucas refert.

Quid plenè hebdomada apud Hebræos.

Quare tam diuersis nominibus nominatur festum Pentecostes.

Act. 2.

Ex habitaculis vestris, adducetis panes eleuationis.
Tenebantur Iehudæi in hoc festo ascẽdere Ierusalem. Vocat autem panes eleuationis illos primitiarum, quia eleuabantur coram Domino, quasi præsentarentur illi.

Cum fermento coquentur primitiæ Domino.
Mirum valde est Deum fermentum quasi vbique respuisse, vt patet secundo capite huius libri: hic autem voluisse, quod feciſſe crediderim, vt scilicet panes illi primitiarum sapidiores essent.

Et minchah eorum, & libamina eorum.
Solebat munus minchah, cum aliis sacrificiis offerri: quoniam vt sæpius admonuimus erant huiusmodi sacrificia quasi conuiuia Dei. Et per libaminã intelligit vinum, quod super sacrificium fundebatur in odorem quietis, id est, in fumum quem odoratus Dominus, quiescebat ab ira.

In sacrificium pacificorum. Melius integritatum, quòd scilicet pro domus integritate fiebat.

Eleuabit eas sacerdos. Dixi sæpius, ad quid hæc eleuatio fieret: vt scilicet omnia hæc Domino præsentarentur, quemadmodum solent dona eleuata, offerri ei cui præsentantur.

Sanctitas erunt Domino, id est, separata illi, vt nemini nisi sacerdoti, liceat ea comedere: vt statim sequitur.

Et proclamabitis in robore diei huius, proclamatio sanctitatis erit vobis, Omne opus seruii, non facietis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Potest esse sensus, quòd illa die esset clamandum, & gaudendum eis, vt solet diebus solennioribus fieri: & quasi explizando dicit. Proclamatio sanctitatis, id est sancta, qualis esse solet diebus festiuis, erit vobis. Secundo potest exponi. Et vocabitis, scilicet populum ad sancta, in istomet die.

Vocatio sanctitatis, id est sancta erit vobis & ideò ab opere seruili abstinebitis, quoniam debetis vacare sanctis. Et vnica die feriandum erat, nunc verò Iehudæi, vbique gentium, duos dies celebrare solent.

Non finietis angulum. Dixi capite decimonono huius libri, Peah potius extremitatem, quàm angulum significare, ideò melius vertas. Non finietis extremitatem agri vestri.

Mense septimo vna mensis. Vocatur mensis septimus à Iudæis thisri, & est nomen Syrum, & sonat remanens. Mutuarũt enim à Syris Hebræi, nomina mensium. Et quod dicitur vna mensis: idem est quod prima. Modò præcipit de festo prioris diei mensis septimi qui saltem pro sui parte currit cum Septembri nostro. Et quod dicitur

Erit vobis sabbatum memoriale iubilationis, id est, erit vobis requies, quoniam prima dies mẽsis celebris erat, & quod dicitur sabbatum memoriale, idem est quod sabbatum quod habebitis in memoria, aut requies cuius memorabimini. Aut si legas.

Memoriale clangoris, sensus est. Erit vobis requies & memorabimini clangere buccinis arietinis. Et dicũt Hebræi huiusmodi clãgores fieri, vt populus ad ventura festa, expiationis, scilicet & tabernaculorum, quę illo mẽse celebrabãtur præpararetur. Alij inter eos sentiunt, illa die liberatũ Isaah de gladio patris, arietemq; loco eius immolatum, ideoque diem illum celebrari cornibus arietinis, quod vix credo.

Conuocatio sanctitatis, id est, ad sancta, aut vocabitur sancta, id est, separata à seruilibus operibus: vt statim explicatur.

Et appropinquare facietis ignitum Domino, id est, hostiam.

Dies sabbatorum erit vobis, vel expiationum. Dubia & varia est significatio verbi chappar, à quo chippur, id est expiatio. Dicunt autem tam Hebræi quàm nostri, significare bituminare, placare, & expiare, & sic chippur potest significare placationem, quoniam eo die Dominus illis placabilis fiebat. Aut tegmen seu linitionem, quod scilicet ea die dominus, quasi liniebat super eos, ne illorum peccata amplius videret ad punitionem, iuxta illud Psal. Beati quorum tecta sunt peccata. Quod verò verbum bituminare significet, constat Genesis sexto, vbi dicitur de Noach Ve chaparta, id est, Et bituminabis eam, intrinsecus & extrinsecus. Vnde chaporet, id est, tegmen seu propitiatorium, sic appellatum, quod arcam tegeret & operiret. Possumus ergo locum alio modo reddere, sic scilicet. Dies linitionum seu tegminum, erit vobis, quo videlicet peccata vestra tegentur: ac si linita essent, ne ad punitionem viderentur. Sentiunt autem Hebræorum aliqui, hac die dimissum peccatum vituli, & idcirco festum hoc fieri. Sed hoc nulla firma ratione aut coniectura probatur.

Conuocatio sancta erit vobis. Expone vt supra hoc eodem capite primo erit cõuocatio ad sancta. Aut erit vobis dies sancta ac celebris.

Affligetisque animas vestras. Sæpissimè admonui, verbum anah, duo tantum significare. licet Hebræi plura significare dicant. Significat enim respondere, vt cõstat ex multis scripturæ locis & secundo humiliare aut humiliari, & de priori significantia exemplum habes Ieremiæ. 23. vbi dicitur. Quid anah, id est, respondit Dominus? Et Deuteronom. decimonono. Mendacium anah, id est, respondit in fratrem suum. De secunda verò Isaiæ. 53. Excisio, fortes Iaanch, id est, humiliabit. Et Genesis quadragesimoprimo. Deus Iaanch, id est, respondebit pacem Pharonis. Vnde sic fine dubio vertendum puto.

Humiliabitis animas vestras. Neque solùm animas, sed etiam corpora, vt videlicet non esset in anima ira, aut vehemens aliqua passio. Similiter corpora ieiunio humiliarent, quem locum ex verbis Isaiæ quinquagesimo octauo capite explicare licebit, vbi sic habetur. Vt quid ieiunauimus & nõ vidisti, humiliauimus animas nostras & nescisti? vbi prima pars sententiæ, videtur secundæ explicatio: vt velint dicere, se corpora, animasque humiliasse, & Deum non curasse hæc, quibus ille respondet. Ecce in die ieiunij vestri, inuenitis quod vultis, & omnes substantias vestras repetitis. Et explicatius loquens sequitur. Ecce ad lites & contentionem ieiunatis. Vnde videtur quod animam humiliare, sit abstinere ab ira, cupiditate, & aliis animæ morbis. Quod verò nonnunquam humiliare animam, sit ieiunare, constat ex Psalmo trigesimoquarto, vbi dicitur. Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. Præcipit ergo hic Dominus humiliare animas, id est, illa die abstinere (vt diximus) à vitiis animi, & ex consequenti ieiunare. Vnde toto cœlo errant Iehudæi qui hac die epulas quærunt, aut gaudia. Posset etiam anima accipi pro vita, vt sit sensus. Humiliabitis animam, id est, vitas vestras vt scilicet mortificati incederent.

Anima humiliare quid sit.

Quia dies expiationum est, ad expiandum vos coram Domino Deo vestro. Posset etiam legi. Quia dies linitionum est, ad liniendum super vos coram Domino: ac si dicat. Quia dies est in qua liniuntur & teguntur peccata vestra, ne Dominus videat ea ad puniendum. Si priori modo legas, sensus est. Quia dies placationis seu remotionis ira, ad remouendum iram super vos.

Omnis anima quæ non fuerit afflicta. Melius quæ non fuerit humiliata modo prædicto.

Excidetur, scilicet per mortem temporalem, *de populis suis*, vt scilicet non amplius inter eos viuat. Et quod dicitur de medio, idẽ est quod ne sit amplius inter populos suos. Vsurpant enim sæpius Hebræi medium, pro intra, sicut. Est in medio domus, id est, intra domum, in medio maris, pro intra mare.

Omnis anima quæ fecerit omne opus in robore diei huius, id est, durante die. Quandiu enim dies durat: robur habere videtur. Et quod additur perdere faciam animam illam, idem est quod succidam, perdam per mortem, animam illam.

Quæ facta non bene fiunt in robore diei.

In cunctis habitationibus vestris. Colligunt ex hoc loco Iehudæi, se teneri ad hanc ceremoniam hodie, & si sint in captiuitate, licet non teneantur ad sactificia.

Requies requietionis est vobis, id est, magna requies. De duobus diebus, hoc in scriptura dicitur, scilicet de communi sabbato, & de festo expiationis. Et quod sequitur.

Affligetis animas vestras. Tu verte. *Humiliabitis*, vt supra diximus. *In vna mensis, in vespera.* Vt enim statim sequitur Iehudei celebrabant festa sua, à vespera in vesperam, id est, ab occasu Solis diei præcedentis, vsq; ad occasum sequẽtis. Et ex hoc dissolues facilè nodum illum, qui inter Theologos disputari solet, an scilicet Christus fuerit mortuus luna quartadecima, an potius quintadecima, & asserẽdum est eum celebrasse cœnam luna decimatertia noctu, quando iam incipiebat quartadecima, vt hic dicitur. Quoniam à vespera in vesperam, celebtabant sabbata & festa sua, & in die quando durabat adhuc luna quartadecima, mortuus est, & hoc est quod Ioannes dicit cap. 13. quòd ante diem festum Paschæ Christus lauit Discipulorum pedes, & cap. 18. quòd Iudæi non introierunt prætorium die passionis vt non cõtaminarentur, ad comedendũ Pascha, scilicet die sequenti, vbi Pascha accipitur pro cibis paschalibus, in die festo comedendis. Et si obiicias Christum. Prima die azymorum agnum comedisse paschalẽ admitto: sed prima dies azymorum incipiebat à vespera decimætertiæ lunæ, vt diximus. Neq; etiam valet obiectum, si obiicias, Christus luna quartadecima comedit agnum paschalem, & sequẽti die passus est, ergo quintadecima luna passus est. Negatur consequũ, quoniam vt diximus luna. 14. id est, ea incipiente cœnauit, quæ nocte præcedenti incipiebat, & sequenti die, id est 14. quandiu adhuc durabat luna. 14. passus est.

Verte

Verte ergo hoc argumento aduersus oppositum dicentes. Christus paschalem agnum comedit in vespere lunæ. 14. sed vespera lunæ. 14. incipit in initio noctis lunæ 13. ergo in noctis initio. 14. lunæ cœnam fecit, tunc sic Christus sequẽti mane post cœnam passus est, sed sequens dies est luna 14. ergo tunc passus est.

A vespera vsq; ad vesperã: celebrabitis sabbata vestra.

Duplex apud Iehudæos vespera.

Iam supra admonui Iehudæos, duplicem habere vesperam, scilicet noctem ipsam, & spatium quod est inter occasum solis & noctem, & quia nox ab occasu solis incipere videtur, vocant aliquando vesperam, spatium illud cum sequenti nocte, & ab hoc solis occasu seu spatio, festa celebrare solent, sequentes in hoc dicti institutionem. Nam vt dicitur Genesis primo factum est vespere & mane dies vnus, id est, ex nocte quę vocatur vespera, & ex artificiali die facta est dies vna naturalis. Cùm ergo dies naturalis incipiat ab occasu solis, & terminetur in occasu diei sequẽtis: totum hoc Hebræi reputant vnam diem, & sic supputant festa sua, secundum diei institutionem. Est ergo sensus cùm dicitur. A vespera in vesperam, celebrabitis sabbata vestra. A crepusculo seu initio noctis præcedẽtis diei, vsque ad crepusculum, aut noctem sequentis, celebrabitis festa vestra, & pro celebrabitis in Hebræo est sabbatizabitis, aut quiescetis.

Quintadecima die mensis septimi huius, solennitas tabernaculorum erit, septem diebus Domino.

Infra statim explicat Dominus, causam huius festi dicens. Vt sciant generationes vestræ, quòd in tabernaculis habitare feci filios Israel, quando eduxi eos è terra Ægypti. Chaldæus paraphrastes hunc locũ sic reddidit. Vt sciant posteri vestri, quòd in vmbraculo nubium, federe feci filios Israel: quare multi sentiunt huiusmodi tabernaculorum erectionem, eos admonuisse diuinæ protectionis, qua per nubem protegebantur in maxima securitate, quam nubẽ, tabernacula illa adumbrabant, & prima dies & octaua sanctæ erant, & vacandũ in illis erat ab operibus seruilibus. Dicũt tamen Hebræi, licere his duobus diebus, parare cibos, & facere ea quę corpori sunt necessaria. Vide librũ præceptorum Munsteri, de affirmatiuis præcepto 73.

Die octaua erit conuocatio sancta, id est, ad sancta, aut vocabitur sancta, vt sæpius exposuimus, id est, separata ab operibus seruilibus: aut ad cultum Dei. Sic de die primo intellige, cùm dicitur conuocatio sancta erit.

Offeretis munus Domino. Hebraice ignitum, per quod holocaustum intelligit.

Conuocatio sancta est, cœtus est. Quod hic Sanctes noster vertit cœtus est, vertendum puto retentio est, & est sensus: quod sit retentio ab operibus seruilibus, aut quod illa die octaua populus retinebatur Ierosolymis, ne in propria rediret. Moueor ad sic interpretandum, quia verbum assar, significat proprie retinere, & prohibere, licet Hebræi dicant significare prohibere retardare, immorari, claudere, dominari, & congregare. Quod autem significet retinere constat primum Genesis vigesimo: vbi dicitur. Quia assor assar, id est, retinendo retinuerat Dominus, omnem vuluam domus Abimelech. Et Deuteronom. vndecimo. Veassar, id est, retinebit cœlos, & non erit pluuia. Sic Prouerbiorum trigesimo. Quartum nunquam dicit sufficit. Infernus, retentio vuluæ, quod nostri vertunt, os vuluæ, & est sensus, vulua retenta ne pariat. Sunt enim fœminę steriles, quasi inexplebilis libidinis, quia semper sperant se parituras, quem locum Sanctes noster optimè vertit. Et vulua sterilis. Si quæras ad quid fierent huiusmodi retentio, dicunt Hebræi & habetur Esdræ secundo, capite octauo, quia tunc fiebat collecta pecuniæ pro hostiis & aliis necessariis in templo Domini emendis.

Holocaustum & minchah: hostiam & libamina.

Consulto non vertimus sacrificium cum Sancte, quoniam vt sæpius admonuimus, & ex secũdo huius libri capite cõiungitur: minchah erat certũ sacrificij genus, quod ex flore farinæ fiebat Domino, & quod nos hostiam vertimus, quidam explicant sacrificium, sed zebach significat mactatum animal, seu victimam: vnde videtur esse sensus. Offeretis holocaustum, & sacrificium, ex flore farinæ, & mactata animalia seu carnes, & libamina, seu effusiones, scilicet vini, quæ solebant fieri.

Rem diei in die suo. Hebraismus est, id est, statutum munus quodlibet, in die suo.

Præter sabbata Domini, scilicet ordinaria, in quibus etiam sacrificia statuta erant offerenda.

Præter dona vestra, vota vestra, & spontanea vestra. Non est facile videre & ponere discrimen, inter dona & spontanea, nisi dicamus dona esse, quæ non quasi sacrificia offerebantur: sed alia munera præter animalia immolatitia, spontanea verò dicantur sacrificia, quæ quis sua sponte offerebat.

Quando congregaueritis fructum terræ. Celebrabatur festum tabernaculorum in mense Tisri, qui vt diximus pro sui parte respondet septembri nostro: in quo est fructuum collectio. Et quod dicitur.

Celebrabitis festiuitatem, sermo est de festiuitate tabernaculorum.

Fructum ligni decori. Non certò constat, quid proprie significet hadar, quod vertimus decori: sicut neq; heder. Videtur tamen significare decorem, & ex consequenti lignum quo solemus aliquid decorare: sicut ex quo serta fiunt: vnde Psalmo octauo videtur sertum ipsum significare, vbi dicitur. Gloria ve hadar, id est, & corona seu serto, coronabis eum. Et vigesimo primo. Gloriam ve hadar, id est, & coronam, ponens super eum. Et per fructum ligni decori, quidam poma citrea intelligunt, vnde autor æditionis Complutensis vertit, fructum arboris citrei. & putarem ramum cum fructu accipiendum. Septuaginta, fructum arboris pulchrum.

Volas palmarum. Aliqui vertunt frondes, sed dictio proprie volam significat aut curuitatẽ, & ex consequenti volam manus, quòd vtcunque curua sit, & eadem ratione ramum palmarum quòd modum volæ manus habeat.

Et ramos ligni perplexitatum, id est, ramos ligni perplexi seu densi, quales sunt rami, vitium, hederarum, & multarum arborum.

Salices torrentis. Hebraice est. Mixtiones torrentis, & meo iudicio significat arbores, quæ sunt prope aquas torrentis, & torrentibus dicuntur mixtæ, & hac ratione salices: quòd coniunctæ torrentibus nascantur. Esdræ 2. cap. 8. in fine altarũ arborũ rami ad tuguria facienda describuntur, vbi dicitur. Egrediemini in montem, & afferte folia oliuæ, & folia ligni pinguis, quem Sanctes pinum vertit: & folia mirti, folia palmarum, & folia arboris perplexitatum.

Lætabimini coram Domino, id est, in loco præsentiæ eius, ac si dicat in Ierusalem aut vbicunque Dominus voluisset se præsentem exhibere.

In tabernaculis habitabitis. Dicunt Hebræi tuguria de quibus hic est sermo, esse sub diuo faciendæ non sub tecto, vel sub arbore, neque pannis esse tegenda, neque nimia ramorum densitate operienda, sed foramina relinquenda vt sol & stellæ, per foramina videri possint, & pluuia per ea descendere: ac in eis vescendum est per diem, perinde vt in domo. Suntq; pulchris vasis ac rebus ornanda, & in eis comedendum, & dormiendum est: si verò pluuia tunc descendat, domi dormire & comedere possunt donec illa transierit: infirmi excusantur, qui domi manere possunt. Qui verò aliæ festa quæ hodie Iehudæi obseruãt, videre voluerit: legat hic Paulum Fagium qui ea succinctè enumerat.

IN CAPVT. XXIII. AD MORVM compositionem annotationes.

Solennitates quas vocabitis conuocationes sanctas. Agit hoc caput præcipue de solennitatibus Domini, quæ omnes ferè in memoriam alicuius beneficij instituẽ sunt: qua in re nos docuit, quàm nos suorum beneficiorum voluerit memores esse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sex diebus facies opus. Noluit Dominus pigrum seruum otio torpere, sed eum operari præcepit sex diebus, vno verò ab opere suo quiescere, quoniam magna mala otiositas docuit, neque putes esse re vera præceptum.

Die septimo sabbatum requiei est.

Constat hic ex ordine numerandi festa, præcipuum inter alia esse sabbatum: similiter constat, præstantiora esse in principio locanda, cum multa numerati contingit. Tertio non inane esse argumentum dignitatis alicuius personæ aut rei: quod primum locum inter ea quæ numerantur obtineat, aut quod in principio legatur.

In cunctis habitationibus vestris.

Sunt multi, qui leges Domini negligunt, neque curãt: nisi vbi aliquis est, qui minis ac terroribus exigat illarum obseruantiam: quare te voluit Dominus hoc loco docere, vt quocunque recesseris, memineris tecum deferre iugum Domini. Nam quemadmodum peccator quocunque ierit, leges peccati circumfert, vt dixerit Augustinus. O miserabilis seruitus peccati, quam seruus quocunq; abierit portat: ita & seruus Dei quocunque se vertit, memor est eius, cuius legibus additus est. Non ergo te putes Christiane liberum à lege Christianissimi: si in terra sarracenorum aut Iudæorum, seu turcharum, aut gentilium agas: vbicunq; gentium fueris, legibus Christianissimi teneberis.

Conuocationes sanctæ. Discurrit hinc inde populus Dei in diebus festis, ludit, epulatur, choreas ducit, & multo his deteriora facit diebus festiuis, Dominus verò præcipit eos ad sancta vocare.

Mense primo, quartodecimo mensis inter vesperas pesach Domini est.

Considera quæso quàm ad numerum, te velit Dominus suorum beneficiorum recordari, vt discas in vno beneficio eius multa discernere. Voluit enim Iudæos in beneficio liberationis, recordari saltus, quo pertransiit eorum domibus, ad domus Ægyptiorum intrauerit, & primogenita occiderit: in cuius memoriam eis agnum immolare præcepit. Sequenti verò die videlicet quintadecima, solennitatem infermẽtatorum, qua sui exitus & liberatis recordarentur, celebrare præcepit: qua in re nos admonere voluit, vt disquiramus beneficia eius, & sciamus in vnoquoque, multa inuenire, & pro omnibus gratias agere. Neque solum nos voluit suorum munerum recordari, sed diutius, & ideo præcepit septem diebus infermentata comedere. Vbi simul aduerte, quàm sit paucis contentus. Aluit enim eos quadraginta annis pane infermentato, & ad septem dies eis præcepit recordari.

Disquirẽda sunt beneficia Dei quoniam multa in toto late re conspicuum est.

Et offeretis oblationem Domino.

Arrige aures pie lector. Non sat est donorum Domini recordari, neque sufficit diem festum agere, sed adhuc opus est beneficium referre sacrificio: munus ad multos annorum centenarios durauit, sacrificium verò ad septem duntaxat dies. Talia sunt nempe beneficia domini, & tales recompensationes nostræ.

Cum messueritis, adducetis homer primitiarum.

Gratitudinis nos admonent omnia hæc: vt si multa de manu Domini recipimus, multa etiam referamus, sed expende quæso rem hanc paululum. Sine mensura sunt dona & beneficia quæ nobis exhibet Deus, quæ verò nos ei rependimus mensurata. Præcipit enim offerre homer. Considera quot segetes singulis nobis annis creat & nutrit, quot modios singuli in horrea congregẽt, & tamen mensura parua homer, scilicet primitiarum contentatur. Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus. Sunt ergo dona Dei (vt diximus) sine numero & mensura, gratitudo verò nostra, in parua mensura, in mensura homer.

Eleuabit homer coram Domino. Non sat est tibi ô homo, munera Deo tuo offerre, nisi etiam pomposè & operosè offeras. Sunt dona nostra cum maiestate quadam Deo exhibenda. Discant ergo ex hoc loco sacerdotes Domini, ministeria sua officiosè Deo impendere, & cum maiestate quadam ei ministeria exhibere.

Panem & tostum & spicam non comedetis; donec adducatis oblationem Dei vestri.

Sunt multi voraces, qui Dei sui immemores, cibos suos comedunt, hortatur locus iste nos, vt ciborum & munerum partem: Deo aut pauperibus loco eius largiamur, & consuetudinem illam summis laudibus extollendam puto, qua quidam nihil nouorũ fructuum degustant, nisi prius Deo suo primitias offerant, neq; solum ex granis, sed etiam ex nouis panibus, & spicis, primitiæ offerendæ sunt.

Ex omnibus habitaculis vestris, adducetis panes.

Non solum debemus munera nostra Deo offerre, sed ad eius domum adducere, quemadmodum docet locus iste, & arguendi sunt illi, qui vix coacti exhibent quod Deo & ministris suis debent.

Facietis hircum caprarum pro peccato.

Mirum valde est, quod inter sacrificia gratiarum actionis, hostiam pro peccato offerri iubeat, vt nos doceat vbique peccatorum nostrorum esse memores.

Dies expiationum est. Benedictus sis Domine Deus noster: qui remissionem omnium peccatorum illis saltem in anno semel facere voluisti: vt homines ab anxietate maxima liberares. Nisi enim homines crederent peccata sibi aliquando remissa, anxij & incerti, sua perplexitate laborarent. Sed multo fœliciores nos qui non in anno semel, sed quoties libuerit paratum habemus Deum & sacerdotem ad remittenda peccata.

Humiliabitis animas vestras. Quemadmodum in peccato præcipuum superbia est: ita & in remissione humiliatio animæ. In spiritu humiliato (ait Daniel) & in animo contrito, suscipiamur Domine à te. Et Dauid. Cor inquit contritum & humiliatum Deus non despicies. Vbi sunt qui opera pœnalia in satisfactione & pœnitentia excludunt, ieiunia abiiciunt, disciplinas & flagella fugiunt, & nihil triste, ob commissa peccata pati volunt?

Omne opus non facietis in die illa. Cùm peccata delenda sunt, nihil aliud curandũ est, magni momenti negotium est, peccata deflere: cum grauissima vulnera sint. Quomodo ergo dum peccatis medendum est, aliud curare vis? Omnia negligẽda sunt opera, cum hoc opus curandum fuerit. Tria enim in hac die facere præcipit, scilicet humiliare animam, offerre sacrificium, & à seruilibus vacare.

Omnis anima quæ afflicta non fuerit isto die: excidetur è populis suis.

Præcipitur hic sub mortis interminatione afflictio propter peccata & eorum pœnitentia, & quemadmodum Christus dicit apud Matthæum. Nisi pœnitẽtiam egeritis, omnes similiter peribitis: ita & nunc Deus. Omnis anima quæ non fuerit afflicta in hac die: delebitur de populis suis. Bona afflictio, sancta humiliatio, qua peccata expiantur, & crimina teguntur, ne ad vindictam videantur.

Sabbatum quietis erit vobis. Quid Domine, quietem & sabbatum in die indulgentiæ, tanta ambitione requiris, vt tam crebro quietis memineris? Tanta obligatione exigit quietem, quanta pœnitentia peccatorum. Nam quemadmodum dixit. Omnis anima quæ non fuerit humiliata peribit: ita etiam dicit. Omnis anima quæ fecerit omne opus hac die, peribit de populo suo. Festum miscuit afflictioni peccatorum, vt ostendat quod & si nihil sit dolore peccatorum acerbius, nihil tamen iocundius quàm de peccatis ipsis dolere.

Ad vesperam in vesperam, celebrabitis sabbata vestra.

A matre sua Synagoga, filia ecclesia didicit hunc celebrandi ritum festorum, à vespera in vesperam. Et considera quæso qualiter voluerit dissolutam temperare lætitiã, vt eo mense instituerit festum afflictionis: quo homines solent ob fructuũ copiã insanire: quãdo arcẽ frumento replentur, & vino torcularia redundant.

Quintadecima die mensis septimi: solennitas tabernaculorum erit, septem diebus.

Ad

Ad vesperum (ait Psal.) demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Decima die huius mensis septimi, præcipit animas humiliare & affligi, & quintadecima sequenti lætari præcipit dicens: lætabimini (inquit) coram Domino Deo vestro. Expende tamen, quàm temperatam à nobis lætitiam exigat. Lætabimini (inquit) coram Domino. Didicisti credo, quàm temperate, quàm modeste, lætetur seruus coram Domino suo. Sic nos præcipit Dominus in suis lætari festiuitatibus. Aduerte etiam quod dicit.

Solemnitas erit tabernaculorum Domino.

Non sunt nostræ solennitates & festa: neq; commodis nostris aut iocunditatibus vacandum est, sed Domini, curanda enim tunc maximè sunt, quæ sunt Domini. Non ergo putes tibi esse gaudendum & lætãdum propter te: sed propter Dominum Deum tuum.

Non sat est mente Dei beneficiorũ recordari; sed ea operari factis festiue.

Sumetis vobis de fructu primi ligni decoris.

Non solum beneficiorum suorum nos voluit Dominus memorari, sed etiam factis ea gestire, & repræsentare coram nobis: ac si ea videremus dum fierent. Istuc tendit azymus panis in festo paschali, & etiam huiusmodi tabernaculorum erectio.

Vt sciant generationes vestræ, quod in tabernaculis habitare feci filios Israel.

Putant multi beneficiis Dei se satisfacere, si eorum recordentur, non hoc satis est, sed oportet etiam venturos de eis admonere, & etiam vicinos. Audite (ait Psalmista) & narrabo vobis quanta fecerit Dominus Exod.28. animæ meæ. Et narrauit sanctus Moseh socero suo, quanta fecerit Dominus Israeli: vnde gentilis in laudes prorupit Dei Israel: cui laus & honor per infinita sæculorum sæcula.

IN CAPVT. XXIIII. IVXTA literam annotationes.

Et locutus est Dominus ad Moseh dicens.

Agitur hoc capite de cõpositione lucernarũ. De placetis propositionis, & pœna blasphemi, & talionis.

Ad accendendum lucernam iugiter.

Verbum Hebraicum Alach non accendere, sed ascendere significat, vt sæpius in Exodo admonuimus, & ad literam vertendum erat. Ad ascendere faciendum lucernam iugiter, id est, vt ascendere faceret lucernæ lumen iugiter. Cùm enim lucerna accenditur: eius lumen ascendere videtur.

Extra velum testimonij, in tentorio adunationis ordinabit illam Aharon, à vespere vsque mane coram Domino.

Sensus est. Extra velum testimonij. i. quod est super arcam testimonij, seu vltra quem est testimonium. Vocat autem legem quæ ibi erat testimonium: quoniam testificabatur pactum inter Deum & Israel.

In tabernaculo ecclesiæ, id est, in sancto. Erat enim candelabrum in priori Ecclesia.

Ordinabit illam, scilicet lucernam Aharon, id est, disponet suo ordine lucernas. Et aduerte significationem verbi arach, id est, ordinare non esse omnino certam, licet communior sit illa qua ordinare significat. Quod autem dicitur.

A vespera vsque ad mane. Ostendit vesperam significare noctis initium seu crepusculum.

Super candelabrum mundum ordinabit lucernas.

Dicitur super candelabrum mundum, aut quia erat ex auro mundissimo, aut quia erat mundandum antequã lucernæ accenderentur. Et quòd dicitur. Ordinabis eas super candelabrum mundum coniecturam præbet lucernas esse, à candelabro separatas.

Coques ex ea duodecim placentas. Loquitur modo de panibus propositionis. Aliqui pro coques vertunt pinses. Verbum enim aphah vtrunque significat.

Duæ decimæ erunt in placenta vna, id est, duæ partes de decem partibus mensuræ ephi, erunt in vna placenta. Et per placentas intelligo primos panes qui ex pasta conficiebantur: quoniam dictio Hebraica chalah, à chalal ortũ habere videtur: vt dages indicat. Significat autem chalal secundum vnam significationem

iniitiare, vnde Thechilah, id est, initium, vt patet Genesis decimotertio.

Sex in ordine. Subaudi vno. Aliqui vertunt sex ordines super mensam, sed prior lectio, germanior est.

Super mensam puram, id est, auri puri, aut quã prius putificabis, vt de candelabro diximus.

Et dabis super ordinem thus mundum, id est, super quemlibet ordinem panis, dabis thus mundum: non mixtum aliqua impuritate.

Et erit ad panes, ad memoriale ignitum Domino.

Sensus est. Et thus erit coniunctum panibus, ad memoriale ignitum, id est, ac si esset memoriale combustum Domino: seu ac si esset sacrificium seu holocaustum combustum, vt Dominus esset memor offerentis. Posset etiam locutio sic reddi:

Et erit panis memoriale ignitum Domino, id est, tam gratus Domino ac si esset holocaustũ, seu ignitum sacrificium, ad faciendum Deum offerentis memorari.

In die sabbati in die sabbati, ordinabit illum, scilicet panem, id est, per singula sabbata: vt interpretes vertunt. Et quod sequitur.

A filiis Israel, scilicet offerentur, & quia erant. 12. crediderim singulam tribum suum obtulisse panem.

Sanctum sanctorum ipsum, id est, sanctissimum, quod non licebit prophanis comedere extra necessitatis casum: quoniam legimus Dauidem, de huiusmodi 2.Sem.21. pãnibus comedisse.

De ignitis Domini, id est, ac si essent incensa Domino, aut de oblationibus Domini: quæ dicuntur ignita, quoniam comburebantur præcipua sacrificia: vel pertinebit ad Aharon, ac si esset ignitum Domini.

Iurgati sunt in castris filius Israelitidis: et vir Israelita.

Ponitur hic verbum nassa, quod vt aliàs admonuimus significat leuare & eleuare, vnde verti posset. Et leuauerunt se, scilicet alter in alterum: quemadmodum sæpius legimus insurrexit in eum insurrexerunt in me: viri iniqui.

Et maledixit filius mulieris Israelitidis nomini.

Licet Hebræi asserant verbum nachab, significare maledicere, video tamen propriam eius significationem esse perforare, sculpere seu scribere, vt multis exemplis probabimus. Nam secundo Regum decimooctauo habetur, Ingredietur manum eius: vnechabah, id est, & perforabit eam. Et Chabbachuh tertio. Nachabta, id est, perforasti baculis caput eius. Item Aggei. 1. In sæculo nachub. i. perforato, vnde nechebah. i. fœmina, quasi perforata sexus ratione. Hinc etiam machebet, id est, malleus quod sit instrumentũ perforãdi, de quo Iudicum. 4. dicitur. Posuit hamechebet, id est, malleum in manu sua. Sic primo Regũ sexto. Vmachabot, id est, Et mallei, & securis, & omne instrumentum ferreum: non est auditum in domo. Quod verò significet proferre patet Isaiæ. 62. Et vocabitur tibi nomen nouum: quod os Domini iechabenu, id est, protulit, quod noster vertit nominauit, quare hic vertendum puto. Et perforauit filius mulieris Israelitidis nomen, scilicet Domini, *& maledixit.*

Vbi etiam meo iudicio inconuenienter redditur. Et maledixit: quoniam verbum chalal, quod hic ponitur, vt in multis locis admonuimus: significat proprie leuem esse, aut leuem reputare. Nam Iob septimo habes. Dies mei chalu, id est, leuiores fuerunt radio textoris. Et capite nono. Dies mei chalu, id est, leuiores fuerunt cursore. Item Genesis octauo. Vt videret hachalu, id est, an alleuiatæ essent aquæ. Significat etiam despicere, quoniam despicere nihil aliud est quàm leuem reputare. Est ergo sententia sic integre reddenda.

Et perforauit filius mulieris Israelitidis nomen, & despexit. Et sensus est, filius mulieris Israelitidis habuit se ad modum perforantis nomen Domini, scilicet blasphemando, & despexit seu leue illud reputauit, id est, reputando illud leue aut pro nihilo reputauit, & videtur hæc sententia explicatio præcedentis, vt scilicet ostendat qualiter ille perforauit aut malleauerit nomen Domini. f. despiciendo aut leue illud reputando.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod enim blasphemans, ad modum perforantis se habeat: constat ex verbis Zachariæ capit. duodecimo, vbi dicit Dominus. Et aspicient ad me, quem confixerunt, scilicet blasphemiis suis. Hebræi (vt diximus) interpretantur. Explicuit, quare sentiunt nullum fore reum mortis blasphemiæ in nomen Dei: nisi prius expresserit nomen Dei, & postea blasphemaret: & crediderim istum nominasse nomen Dei ineffabile, & post prolationem vilipendisse dicendo, nullius esse momenti, aut virtutis Deosque Ægyptij fortiores aut meliores. Onkelus etiam vertit explicauit. Dicit autem textus eum fuisse filium Ægyptij, vt ostendat eum ideo blasphemasse: quia filius gentilis erat, qui non ita vt Israelita Domino afficiebatur. Et quia propter iurgium orta est blasphemia, videtur istum Ægyptium alteri Israelitæ improperasse, quòd eius Deus, esset debilis (vt diximus) aut malus. Consulto omittimus hic Iudæorum fabellam, quod iste blasphemus fuerit filius illius viri, quem Mosch in Ægypto occidit: quod primum Deum blasphemauerit, deinde Mosch maledixerit, & quòd Deus volens potius seruì quàm suam vindicare iniuriam, non dixerit. Educ blasphemum, sed maledicum: quæ nulla ratione probantur.

Et reliquerunt eum in custodiam. Nostri vertunt. Et posuerunt, sed verbum Ianach quod hic ponitur, relinquere significat.

Vt decideret eis iuxta os Domini. Multi ex nostris vertunt. Vt exponeret eis, sed non libenter fero verba à sua propria significatione distrahi. Significat autem verbum paras proprie, diuidere, decidere, vt patet Ezechielis trigesimoquarto. Cùm fuerit ipse in medio ouium suarum, niphrassot, id est, diuisarum: seu disparum. Item Nechemiæ octauo legerunt in libro in lege Dei meporas, id est, distincte seu diuise. Et Prouer. vigesimotertio. Et sicut regulus laphris, id est, diuidet seu punget. Vnde Paras nomen, id est, eques, quod dum equitat diuisus sit; seu diuisa habeat crura. Et peres, id est stercus, quod separari a domibus & ciuitatibus soleat. Est ergo sensus quòd reliquerunt blasphemum in custodia: vsquequo Mosch decideret eius causam ex ore Domini, id est, sicut Dominus diceret.

Educ maledicum aut *despicientem*, scilicet nomē Dei.

Coniungant omnes qui audierunt manus suas super caput eius. Non plene constat ad quid fieret huiusmodi manuum coniunctio: nisi dicamus quod manus coniunctione designabant testes & ostendebant, eum esse morte dignum. Aut quod verius credo quemadmodum immolans coniungebat manum suam hostiæ, quā immolabat protestādo (vt sepius diximus) se morte dignum, & Dei misericordia suam mortē commutam in pecudem, ita etiam audientes blasphemiam & ferentes, digni erant morte, sed Domini misericordia, suum tenebat autorem blasphemia: qui pro omnibus Deo immolabatur, & ideo coniungebant audientes manum illi, quem morem etiam gentiles seruabant. Cùm enim commune paterentur excidium, hominem diis deuouebant: quem pro peccato omnium vt dij sese illis reconciliarent, occidebant: ad quem ritum Paulum alludere putant, cùm dicit. Puto enim quod deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, qui spectaculum facti sumus mundo Deo angelis & hominibus. 2.Cor.6.

Cum blasphemauerit, aut despexerit. *Deum suum.* Et quod sequitur.

Portabit peccatum suum, id est, pœnam peccati sui.

Qui blasphemauerit nomen Domini.

Posset etiam verti Qui perforauerit seu pupugerit, aut explicuerit. Ponitur enim hic verbum nachab, de quo hoc eodem capite diximus. Neque explicatur hic, de quo nomine Domini sit sermo, quare crediderim lapidandum, quicunque aliquod nomen Domini blasphemaret, & meo iudicio blasphemare nomen Domini erat iniuriam illi aliquam irrogare: vt si diceret. Maledictum sit nomen Domini, aut aliquid simile. Transit enim nominis iniuria, in eum cuius est nomē.

Sicut peregrinus sic indigena. Licet enim peregrinus non cogeretur suscipere fidem vnius dei Israel, debebat tamen non esse iniurium illi. *Tenetur infidelis nō ita se fidei inimicus: vt cogatur fidē suscipere.*

Cum percusserit omnem animam, id est, cùm occiderit. Nihil enim aliud erat animam percutere: quàm hominem vita priuare, & est Hebraismus, idem de anima iumenti intellige. Qui enim vnum animal occideret alterius: tenebatur vnum animal restituere.

Qui dederit maculam in proximo suo: secundum quod fecit, fiat ei, id est, qui percusserit, ita vt macula maneat ex percussione, & dictio Hebraica mum, non solum maculam, sed qualemcunque peteussionem significat. Nam infra dicitur, quòd qualem dederit maculam, talis in eo detur seu talem patiatur.

Iudicium vnum erit vobis. Non erit aliud iudicium peregrino, aliud indigenæ: sed idem & equale, ne se putarēt peregrini melioris cōditionis si deliquissent

Quia ego Dominus Deus vester. qui scilicet sum omnium iudex, aut qui volo vos æque cum peregrinis in delictis punire.

IN CAPVT XXIIII. LEVITICI
ad morum compositionem annotatio.

Præcipe filiis Israel, vt afferāt tibi oleum olivæ purum. Non sunt dona, nostro iudicio bona, Deo statim, sed prius sacerdoti offerēda: quoniam multa sunt quæ nobis digna apparent, quæ Deo præsententur, quæ sacerdotis iudicio indigna diuino aspectu iudicabuntur: quare quæ Deo volumus offerre prius sacerdotibus offeramus, qui nobis indicabunt an sint digna Deo vel non.

A vespera vsque ad mane disponet eam Aharon. Prudentiam in expendendo docet locus iste. Poterat enim præcipere, vt die noctuque lucerna arderet, sed quid in luce lucerna opus est?

Ponet eas duobus ordinibus. Displicuit summe semper Deo confusio, ideo omnia ordinate voluit in domo sua disponi. Sic & Paulus primæ ad Corrint. 14 omnia voluit secundum ordinem fieri.

Egressus est filius mulieris Israelitidis, filius viri Ægyptij. Solent filij, parentum mores bonos & malos sequi: quemadmodum fidem, ita & perfidiam. Vnde constat hominem alterius sectæ, raro aut nunquam hoc tempore plene ad aliam conuerti. Exemplo enim & rerum experientia didicimus, ratissime Sarracenum, in verum Christianū mutari: aut verum Christianum in Iudæum, vel Machometanum, quemadmodum iste ex patre Ægyptio in verum Israelitam non potuit vnquam mutari.

Et maledixit nomini, & despexit. Commune est, vt iurgium & iram, blasphemia sequatur. Vnde qui blasphemiam vitare cupit: litigia fugiat necesse est. Vbi etiam expende, quod malum sit blasphemia, quæ vt diximus est perforare quantum in se est nomen domini, & quasi pungere.

Adduxerunt eum ad Mosen. Pulchre locus iste docet populum, non debere æquo animo ferre iniurias Dei, & nominis eius benedicti, sed pulchrius, non debere sua autoritate eas vindicare, sed iudici vindicandas offerre. Non tulerunt isti blasphemiam diuini nominis, non tamen blasphemum lapidarunt, sed traxerunt Moysi.

Nomen matris eius erat Selomit. Solent parentes, propter impios filios, male audire & iuste: vt qui sua negligentia non bene eos instituerunt, propter eos in populo notentur.

Posuerunt eum in custodiam, vt exponeret eis iuxta os Domini. Plures esse solent casus qui occurrūt quibus leges: ideo optimum est legislatorem præsentem habere, qui occurrentes casus decidat. Docentur etiam inferiores iudices in dubiis nihil inconsulto superiori facere: si commode eum adire possunt. Sed quis nunc daret te Dominum meum sic ad manum habere, vt in omnibus quotidie erramus, te consulere possemus.

Educ maledicum extra castra. Non solum indignus est impius viuere inter pios, sed etiam mori inter eos: ideo

ideo extra castra eiici à domino præcipitur. Tu autem (ait Dominus de Rege Assiriorum) proiectus es de sepulchro tuo, tanq̄ stirps abominabilis vt vestimentum occisorum, qui confossi sunt gladio, qui descenderunt ad lapides sepulchri, veluti cadauer cōculcatum. Non vnies te cum eis in sepultura: quia terram tuam disperdidisti, populum tuum occidisti. Et aduerte quod non excusauit istum à morte, quod calore iracundiæ blasphemauerit: vt scias tales debere acriter puniri. *Isaiæ.14.*

Ponant qui audierant manus, super caput eius. Debetent mali ab omnibus qui eos malos nouerunt designari, & quasi ostendi: vbi etiam docemur mundi expiationem esse, malorum occisionem. *Malorū potius sacrificium Deo.*

Quicunq; maledixerit Deo suo: portabit pœnā peccati sui. Occurrenti casui, non solum punitione occurrit sed lege, sapientissimus legislator, vt ex hoc discant legislatores, secundum occurrentes casus, leges statuere. Si quæras cur sententiæ diuinæ executio, non certis hominibus, sed toti populo demandetur, crediderim omnibus committi vindictam, ne postmodum quis è populo auderet blasphemare: & vereretur ipse facere, quod in alio se vindicasse nouisset. *Ponitur infidelis, si fidelis iniurius fiat.*

Sicut peregrinus sic & indigena. Et hoc loco celebratur illa doctorum sententia, qua magistratus, iniurias religioni Christianæ ab infidelibus irrogatas, in ipsis infidelibus punit. Nam & si infidelis non tenetur vt aliàs diximus inuitus fidem acceptare, tenetur tamē non esse illi iniurius: quod si contingat, iudices iuste in talem animaduertunt, vnde si Turcha, Sarracenus, aut Iudęus Christi nomē blasphemet, aut Christianum ad Paganismum aut Iudaismum inducat: iustissime legum seueritati tradendus est. *Qui percusserit omnem animam hominis, moriendo moriatur.* Quemadmodum alias bonas leges Iehudæi destruere non cessant: ita & hanc, dicentes recompensanda esse damna, aliis bonis temporalibus, cùm lex eam hic nullo modo admittat, & est hic optimum argumētum, non esse iustam recompēsationem ei, qui membrum alterius præcidit, imponere pecuniæ aliquam certam cotam.

IN CAPVT XXV. LEVITICI
iuxta literam annotatio.

Locutus est autem Dominus ad Mosen dicens. Agit Dominus hoc capite de sabbato septimi anni, & de Iobilæo.

Sabbatizabit terra sabbatum Domino. Significat verbum Hebraicum sabbat proprie, cessare, desinere, & quiescere. vnde sabbat nomē, id est, cessatio, requies, & locus iste posset etiam reddi sic. Cessabit terra cessationem, aut requiescet, ita quòd non arabitur neq; seminabitur. Et quod sequitur Domino, id est, quemadmodum requieuit Dominus. Aut ad honorem Domini. Vel quemadmodum homines cessant & quiescunt ab operibus sicut Dominus: ita volo terram cessare & quiescere à cultura, vt scilicet non colatur neque cogatur ad fructum præstandum.

Sex annis putabis vineam tuam. Duo significat Hebræis verbū zamar, scilicet psallere & putare, & de priori significantia sunt multa in Psal exempla. Nam Psal. 9. habes zameru, id est, psallite, aut laudate Dominum. Et. 47. zameru, id est, Psallite Deo, Psallite Deo nostro. De secunda verò significatione sunt duo tantū in Bibliis exēpla. Primū Isai. 5. vbi dicitur. Non lizame, id est, putabitur, & non fodietur. Secūdum est in hoc capite, vbi bis in hac ponitur significatione, & putarem significata aliquam adinuicem habere allusionem: vt scilicet proprie significet psallere & laudare & ex consequenti putare, quod homines putātes vineas, ex soleant laudare vineam, quam putant aut cantare. Constat enim ex quinto Isaiæ capite homines cantica habuisse, ad laudandas vineas: vbi dicitur. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ, id est, quod solebat vineæ suæ cantare, & post pauca. Vinea fuit dilecto meo & in colle loco pingui. Et quia optimi fructus laudari solent, significat zimrah fructū laudabilem Gen. 43. vbi habes. Tollite miziimrat, id est, de laudabilibus terræ: quod alij vertunt de optimis terræ fructibus, & meo iudicio nō tam fructū aliquem significat quàm rem omnem terræ laudabilem. Dicunt etiam aliqui, zemorah significare fœtorem: propter illud Ezech. 8. Ecce ipsi mittunt & hazemorah, id est, fœtorem ad nasum suum: quod Hieronymus Theodotionem sequens vertit. Applicant ramum, ad nares suas: sed non intelligunt (mea sententia) allusionem. Nam cùm verbum (vt dictum est) significet cantare, vocat Hebraismus crepitū, quod è podice exit cantum: vnde Germanius vertas. Ecce ipsi mittunt crepitum, scilicet podicis, ad nasum suum. *Clariori sensu.*

Sabbatum requiei erit terræ. Ponitur hæc locutio sæpius in sacris literis, & miror quare nostri secundum nomen, scilicet sabbaton, interpretantur requiem, & non prius, scilicet sabbatum: vnde vertēdum puto: cessatio cessationis est, id est, maxima cessatio, qualis erat in magno sabbato. Requiescebat enim aliquando terra vno aut altero anno, quia fortè non poterat singulis ferre fructum, sed nō vniuersaliter. Hæc verò terræ requies erat vniuersalis, & nullo semine seminabatur: ideo vocatur cessatio cessationis. Et quod sequitur.

Sabbatum Domino, significat cessationem, quemadmodum cessauit Dominus: aut ad honorem Domini.

Cadua grana messis tuæ non metes. Nulla in Hebræo mētio fit granorum, & verbum sapach, à quo sepiach, quod Sanctes cadiuum vertit, nullo modo significat cadere, sed coniungere, aggregare, vt patet primo Samuelis secundo, Sephacheni, id est, iunge seu aggrega me vni, scilicet parti sacerdotij: vt comedā buccellā panis, Nomē verò sapiach dicit Rabbi Dauid, significare germē quod per se sine aratione aut satione oritur: sed iste Rabbinus parū curauit allusionem. Nam quēadmodum verbū significat cōiungere, ita nomen coniunctum, id quod non multum ascendit in culmum, sed nascitur coniunctum ipsi terræ, aut per cōiunctum messis, intelligit id quod præcedentem messem sequitur: seu grana è messe præcedenti relicta, & istue fortè respexit Sanctes. Vel per coniunctum messis intelligit, id quod loco messis succedit in agro. In Iob capit. 14. Habes lapides contuderunt aquæ: diluet coniuncta eius seu aggregata eius vsque ad puluerem terræ, ex quo loco nonnulla coniectura est, quod significet herbam terræ coniunctam: ac si dicat. Diluēt, scilicet aquæ herbas eius, vsque ad puluerem terræ. Possemus etiam vertere. Et collectionem messis tuæ non metes, scilicet more solito. *Et vuas separationis tuæ, non includes.*

Difficilis intellectu est locus iste, propter ignorātiam significationis verbi basar: cui Hebræi quia propriam ignorāt quinq; tribuunt significationes, scilicet vindemiare, munire, roborare, prohibere, & excidere. Sed si quis rectè expendat, videbit verbum significare includere, prohibere, mūnire, quod munito prohibeat ne capiatur vrbs. Vocat autem Hebraismus vindemiam inclusionem, quod tunc vuæ includantur in torculari, & vinum in cauea, aut quod tunc vineæ præcludantur, & sæpe muniātur. Est ergo locus iste sic ad literam intelligendus. Et vuas separationis tuę, id est, à quibus alios separabas, non munies: seu non includes, scilicet sepe, ac si dicat. Et vuas quas sepe aut vallo prohibebas, non munies, scilicet muro aut sepe, seu non includes: sed omnibus communes facies, & iste meo iudicio est germanus literæ sensus. Posset etiam verti. Et vuas separationis tuæ, id est, quas antea tibi separabas non munies: sed *priori* sensus simplicior est. *Clariori sensu.*

Et erit sabbatum terræ vobis ad vescendum, id est, fructus cessantis terræ vobis ad vescēdum. Aut ad hoc erit sabbatum hoc terræ: vt fructus terræ sit illo anno omnibus cōmunis, seu, Erit illa cessatio seminationis & culturę terræ vobis ad vescendum, id est, communis tibi & seruo tuo & ancillæ tuæ, seu id quod ratione cessationis aut in anno cessationis terra producet.

Aduenæ tuo. In Hebræo est Habitatori tuo, id est, ei qui simul tecum habitat.

Numera-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Numerabis tibi septem sabbata annorum, id est, septies septem annos, & anno sequenti celebrabitur iubileus, & more suo statim explicat quod obscurè dixerat dicens.

Septem annos septem vicibus. Et transire facies tubam iubilationis. Dicunt Hebræi verbum saphar, à quo sophar, id est, tuba significare pulchrescere, seu pulchrum aut decorum esse: propter illud Psalmi decimo sexto. Etenim hæreditas mea, seperah, id est, pulchra est mihi: sed quia hæc significatio nullam cum significatione nominis conuenientiam habet, videtur quod potius significet proclamare, magnis vocibus laudare, & illud Psalmi citati verti posset, Etenim hæreditas mea, laudata seu laudabilis est mihi, id est, digna quæ magis laudibus extollatur. In quem sensum vertere posses illud Iob vigesimosexto. Spiritu suo cœlos saperah, id est, laudabiles fecit: quod nostri vertunt ornauit, illud etiam Genesis quadragesimonono, quod nostri vertunt Dans eloquia pulchritudinis, posses vertere Dans eloquia: tubalia seu sonora, aut laudabilia & extollenda. Similiter quod dicitur.

Iubilationis, posset melius verti fragoris. Hoc enim significat verbum roa, scilicet frãgere vnde terumah, id est, fragor, qualis esse solet vox tubæ.

Et sanctificabis quinquagesimum annum, id est, separabis illum ab aliis annis prophanis, tanquam rem Domino dicatam.

Et proclamabitis libertatem in omnibus habitaculis vestris. Illa enim vox tubæ, erat proclamatio libertatis: neque solum erat signum libertatis hominum, sed possessionum: quoniam redibant possessiones ad Dominos suos.

Iobel erit vobis, aut Iobel ipsum, erit vobis. Non conuenit inter Hebræos de propria significatione verbi Iabal, ideo varie etiam nomen Iobel explicant. Dicunt autem verbum significare ducere, afferre, adducere, & reducere Ieremiæ trigesimoprimo. In deprecationibus obilem, id est, adducere faciam eos, sed nomina à verbo deducta, nullam conuenientiam habere videntur cum hac significatione, sicut Iebul, quod fructum terræ interpretantur, & Iebel, id est, riuus & Iobel, id est, iubilæus, & Iabelet, id est, verruca, neque vllam potui habere coniecturam ad venãdam propriam significationẽ, nisi dicamus significare reducete, quoniam postquam dixerat Iobel erit vobis: addidit. Et reuertemini vnusquisque ad possessionem suam quasi Iobel sit reductio vniuscuiusque ad id quod suum est siue sit libertas siue possessio. Aliqui sequentes Chaldaicum paraphrastem, dicunt nomen Iobel esse Chaldaicum, & significare arietem: vnde dichra, id est, arietem vertit Chaldæus.

Non seminabitis & non metetis: coniunctum seu collectionem eius, & non includetis separationem eius.

Expone vt supra. Non metetis collectionem eius, id est, fructum quem solebatis colligere, & non includetis fructus à quibus separare solebatis alios.

Vnusquisque ad familiam suam. Hoc dicit propter seruos, qui in anno iubilei reuertebantur ad ciuitates suas & familias: licet essent venditi in alio loco.

Sanctitas erit vobis, id est, separatio à messe, & collectione fructuum, more solito aut annus Deo applicatus.

De agro comedetis & prouentum eius, id est, Non comedetis ex reconditis fructibus domi: sed ex agro aut non comedetis ex satis sed ex sponte productis ab agro. *Non opprimes fratrem tuum*, scilicet dando illi minus pro agro quàm valeat vsque ad Iobel, aut nollendo mutuare propter Iobel. Pecunia enim pro agro aut vinea supputanda erat, secundum propinquitatem aut elongationem seu distantiam ad Iobel.

Secundum numerum post Iobel, emes à proximo tuo. Sensus est quòd secũdum numerum, scilicet annorum remanentium post Iobel, scilicet præcedentem vsque ad sequentem emendum erat à proximo.

Et secundum numerum annorum fructuum.

Nam si multi essent adhuc anni prouentuum, pluris vendebatur ager, si pauci, minoris, vt statim explicat textus.

Secundum numerum annorum, crescet venditio. Hebraicè ad literam habetur. *Ad os multitudinis annorum: multiplicabit venditionem eius, et ad os paucitatis annorum: diminuet venditionem eius: quoniam numerum prouentuum ipse vendit tibi*, id est, sicut dixerint, scilicet homines iusti, esse multos, aut paucos annos: sic augebitis & minuetis pretium aut prout exegerint anni. Sumitur enim venditio, pro pretio quo res venditur. Aut prout exegerit multitudo aut paucitas annorum, & est Hebraismus hic frequens, quem cum aliis in principio explicuimus.

Quoniam numerum prouentuum ipse vendit tibi. Non vendit (inquit) tibi terram, quoniam mea est: sed prouentus ipsius, qui taxandi sunt, secundum numerum annorum, quibus percipiuntur.

Ne decipiatis vnusquisque proximum suum. Incerta est Hebræis propria significatio verbi Ianah: videtur tamen significare rapere aliorum bona, quoquunque modo id fiat.

Præcipiam benedictioni meæ vobis anno septimo, id est, præcipiam beneficentiæ meæ pro vobis, anno septimo: vt scilicet faciat fructus pro tribus annis, vt statim dicit.

Comedetis fructum veterem, vsque ad annum nonum. Significat verbum Iassam Hebræis dormire, & senescere, seu vetustescere: quod senes facilè dormire soleant. Inde Iassan nomen, id est, vetus. Iudicum decimosexto habes Vateiassenehu, id est, dormire fecit eum, super genua sua.

Terra non vendetur ad succisionem: quia mea est terra. Noster Sanctes hic vertit non vendetur absolute: cum radix nominis, nullo pacto hoc significet. Munsterus magis ad veritatem accedens, vertit Ad exterminationem, & est sensus: quod terra non vendetur taliter, vt omnino videatur præcisa, & succisa à Domino suo: sed semper illi erit quasi colligata. Hebræi dicunt verbum samat, significare succidere: in quam significationem vertunt illud Threnorum tertio. Sametu, id est, succiderunt, in puteum vitam meam. Et Iob vigesimotertio. Quia non nismati, id est, succisus sum à facie tenebrarum: sed hæc significatio adhuc mihi suspecta est, quoniam tenebræ non solent succidere, sed obscurare. Hieronymus in perpetuum vertit, Rabbi Abraham præsse vt nos vertimus. Thargum absolute. Verbum videtur significare potius claudere, vel præcludere, quæ significatio omnibus locis quibus verbum ponitur conuenit.

Quoniam peregrini & aduenæ estis apud me. Hebraice pro aduenæ, habetur habitatores, & vocat Hebraismus aduenas habitatores, quoniã nihil præter habitaculum in terra habere videntur: vel quod aliunde illuc ad habitandum venerint: neq; sunt inde nati.

In omni terra possessionis vestræ, dabitis redemptionem terræ, id est, in omni terra quam vobis possidendam tradam, permittetis terram redimi, de manu vestra: dato scilicet pretio: vnde videtur quod si Iudæus extra terram promissionis emeret hæreditatem, non teneretur eam restituere in anno Iobel.

Propinquus eius redimet venale fratris sui. Non solum Dominus prædij poterat illud redimere: sed propinquus illius poterat redimere venale, id est, id quod vendiderat propinquus eius, & pro venale, potes vertere, venditionem.

Et vir cùm non fuerit illi redemptor, & attigerit manus eius, & inuenerit secundum sufficientiam redemptionis eius: computabit annos venditionis eius, & restituet excrescens viro cui vendidit sibi.

Duplicem sensum habet hæc lex. Primus est, quod si vir qui vendidit possessionem suam non habuerit redemptorem, sed suo labore acquisierit quod sufficiat ad redemptionem, scilicet annorum remanentium: computabit emens annos venditionis, id est, à quibus vendidit, & restituet quod supereſt in annis, vito qui vendidit sibi. Secundo sensus est. Cùm vir attigerit suo labore, & inuenerit suo labore, & inuenerit quasi sufficientiam redemptionis, licet non totam, computabit annos venditionis à quibus alter vendidit cui & restituet excrescens, scilicet in annis viro qui vendidit sibi. Sunt qui literam sic reddunt. Cùm attigerit vir suo labore, & inuenerit quasi sufficientiam redemptionis agri sui: computet scilicet ipse venditor, & restituat quod supereſt, ei qui tradidit, scilicet possessionem: & si dictio significaret tradere, vt multi ex aliquot scripturæ locis probant, bona esset interpretatio. Probãt autem hanc significationem, ex illo Ezechi. 30. Vmacharti, id est, tradam terram, in manu malorum. Et Ioelis tertio. Vmacharti, id est, tradam filios vestros, sed quia in his locis, tam bene quadrat vendam, sicut tradam: suspecta mihi est illa significatio. Potest etiam textus sic optime verti. Et vir cùm nõ fuerit illi redẽptor, & attigerit manus eius, & inuenerit secundum sufficientiam redemptionis eius: computabit, scilicet vendẽs annos à venditione sua, & restituet quod supereſt, scilicet in annis, viro cui vendidit, & meo iudicio Sanctes obscuram reddidit literã, interpretando vltima verba. Et qui vendidit & non cui vendidit. Verbi gratia. Vendidi agrum meum. 20. aureis, & ab anno venditionis vsq; ad Iobel, erant. 20. anni, transierunt decem, & ego qui vendidi meo labore acquisiui decem aureos: qui supputatis annis sequẽtibus sufficiunt ad redemptionem illorum annorum sequentium: dando illos emproti, ille tenebatur mihi agrum meum restituere: sed si non poteram quod sufficeret ad omnes remanentes annos acquirere, possessio manebat in manu emptoris vsque ad Iobel.

Vir cùm vendiderit domum habitationis ciuitatis muratæ, erit redemptio eius vsquequo compleatur annus venditionis eius: diebus erit redemptio eius. Si verò non fuerit redempta, vsque quo compleatur illi annus perfectus: consurget domus quæ est in ciuitate cui non est murus, ad exercisionem ementi illam, in generationes eius. Non egredietur in Iobel.

Diuersas causas adducunt Hebræi, quare domus quæ erat intra vrbis mœnia, ad annum tantum & aliquot dies post annum, & non postea poterat redimi, sed potissima est: quia licet terra esset Domini, domus tamen videbatur emptoris, & ideo poterat eam absolute vendere, non sic autem terram, quam non sua industria acquisierat aut fecerat. Secũdo quia facilius poterat inuenire quo domũ infra annũ redimeret: quàm quo agrum. Domus verò villarum, quoniam in agro erant, agri conditionem sequebantur, in emptione & venditione. Et quod dicitur.

Diebus erit redemptio eius. Intelligendum est, quod ad annum, & ad aliquot dies post annum, potest redimi. Aliqui illud Diebus erit redemptio eius, vertunt. Ad annum erit redẽptio eius: sequentes Chaldæum paraphrastem, qui per dies cùm absolute ponitur: annum intelligit (vt diximus Genesis vigesimoquarto) illud etiam quod dicitur.

Cui non est murus, omnes affirmatiue verterunt.

Cui est murus, ne secunda pars legis priori contradiceret, cùm prima pars dicat, quòd domus ciuitatis muratæ, poterit infra annum redimi. Secunda verò pars dicit quòd si non fuerit infra annum redempta, consurget domus quæ est in ciuitate, cui non est murus, perpetuo ementi illam: ideo legunt cui est murus. Sed si literam vt iacet velis sustinere, posses dicere: priorem legis partem loqui, de ciuitate murata. Secundam verò de domo murata, & erit sensus legis, quod si quis domum ciuitatis muratæ venderet, infra annum & aliquot dies, posset eam redimere, & si non esset redempta completo anno, domus talis non murata, consurgeret perpetuo emptori. Sed tunc esset explicandum quare domus non murata consurgeret emptori murata verò non: quare mihi videtur securius, cum communi transire opinione. Quod verò dicitur, domum ad exscisionem ementi consurgere: idem est quod perpetuo: vt iam hoc eodem capite diximus.

Ciuitatum autem leuitarum, & domorum vrbium pos-

sessionis earum: redemptio perpetua erit leuitis.

Optime sensum huius loci reddidit noster Sanctes, & textus est clarus, si intelligas quod leuitæ perpetuò possunt redimere ciuitates, & domos vrbium suæ possessionis. Erat autem redemptio leuitis perpetua, quia non habebant alias possessiones. Ex quo constat leuitas non solum domos vrbium suarum, sed vrbes ipsas potuisse vendere.

Qui redemerit à leuitis, egredietur venditio domus & ciuitas possessionis eius in Iobel, quia domus vrbium Leuitarum est possessio eorum, in medio filiorum Israel.

Varie lex hæc à nostris & Hebræis intelligitur: & Hebræi verbum Gaal, id est, redimere, vertunt per chanah quod est emere: & legunt. Qui emerit à leuitis, egredietur venditio, id est, res vendita, & cætera. Ex nostris, Caietanus putat initium huius clausulæ, cum præcedenti legendum esse: vt sit sensus. Redemptio semper erit leuitis, & ei qui redimet ex leuitis, id est, pro leuitis, & quod sequitur scilicet. Egredietur venditio: dicit esse clausulam per se, neque hoc tibi durum aut nouum videatur: quoniam sæpe in sacris literis, non seruatur punctatura, iuxta sententiam possemus etiam dicere, legem hanc loqui de aliis hominibus, qui redimunt possessiones suas: quas vendiderant leuitis. Poterant enim homines ex aliis tribubus, vendere possessiones suas leuitis, quemadmodum leuitæ eis: & ponit discrimen, inter possessiones quas leuitæ aliis vendunt, & quas alij vendunt eis, quoniam quas leuitæ aliis vendebant, semper redimere poterant, quas verò alij eis vendebant, poterant redimere, & in anno iubilei redibant ad Dominos suos. Neque te terreat causalis quæ sequitur, scilicet quia domus vrbium leuitarum, quæ videtur de leuitis loqui, quoniam vt patet ex priori capite Prouerbiorum, causa non semper immediate sequitur, id cuius est causa: sed duabus aut tribus aut pluribus sententiis interiectis, vt nono canone in fine, admonuimus. Vnde illa sententia quæ dicit, quia domus vrbium leuitarum, poterit reddere causam eius quòd antea dictum est, quòd ciuitatum & domorum leuitarum semper erit redemptio, quoniam domus vrbium leuitarũ est possessio eorũ, id est, quiæ non habet aliam possessionem, ideo semper poterunt hæc redimere, & tunc sensus literæ erit, quòd licet æterna redemptio sit leuitis, quod scilicet semper possunt redimere sua, qui tamen ab eis sua redemerint, aut vendiderint, eorum venditio seu res vendita, vrpote domus, aut vrbs possessionis eius: egredietur in anno iubilei, quod statuit ne leuitæ putarent esse sua in perpetuum, quæ alij illis venderent, iuuat hanc expositionem ipse textus dicens. Et ciuitas possessionis eius: vbi relatiuum eius, non videtur leuitas referre, quoniam dicendum erat ciuitas possessionis eorum, scilicet leuitarum: vnde videtur quod de alio priuato loquatur. Posset etiam esse sensus. Quod redimendum fuerit à leuitis, quod est domus aut vrbs, quas vendiderunt, egredietur venditio domus, id est, domus vendita & ciuitas possessionis eius, scilicet leuitæ in Iobel: ac si dicat. Habebunt leuitæ ius perpetuum redimendi domos & vrbes suas: neque solum hoc sed quod res dimendum fuerit ab eis, neque redemerint: egredietur in anno Iobel. quia non habẽt aliam possessionem in medio filiorum Israel.

Ager autem suburbij ciuitatum eorum, non vendetur: quia possessio perpetua est eis.

Melius legas. Ager exitus ciuitatum, quoniam verbum garas proprie exire significat.

Cum depauperatus fuerit frater tuus, & mutauerit manus eius tecum: fortificabis eum, peregrinum & aduenam, & viuet tecum.

Pro cùm depauperatus fuerit, posset etiam verti. Cùm inclinauerit se. Nam verbum mabach, hoc videtur significare Ecclesiastes decimo, vbi dicitur. Propter pigritias Iimach, id est, inclinabit se contignatio, scilicet vt cadat. Quod autem sequitur.

Et mutauerit manus eius, id est, facultas eius cœperit ruinam minari, & est Hebraismus: ac si dicat cum videris

Universidad de Deusto
Biblioteca

videris fratrem tuum, non solum inclinari ad casum, sed etiam nutare, vt scilicet sit prope ruinam in facultatibus, roborabis eum, ne scilicet omnino cadat. Et quod dicitur.

Tecum idem est ac si dicat, apud te: aut qui tecum moratur. Quo verò sequitur.

Peregrinum & aduenam, duplicem sensum habere potest. Primus vt idem sit, ac si dicatur. Etiam si sit peregrinus vel aduena. Secundus hoc idem facies peregrino & aduenæ, Legenda est ergo sic litera. Cùm inclinauerit se frater tuus, & nutauerit facultas eius apud te: roborabis eum, etiam si sit peregrinus, vel aduena, & viuet tecum. Aut sic facies peregrino & aduenæ, & viuet tecum.

Non accipies ab eo vsuram, & multiplicationem. Hic loquitur de vsura & incremento cuiuscunque rei, infra verò de vsura pecuniæ, & vult dicere, quod si mutuo tradideris decem mensuras tritici, aut hordei, aut cuiuscunque alterius rei, non exigas ab eo. 12. aut. 15. Et si vnicam vestem, non exigas vnam cum media, & sic de aliis. Et aduerte quod verbum nasiach, à quo nesech, id est, vsura, significat mordere, vt patet Numeri vigesimoprimo, vbi dicitur. Si nasiach, id est, mordeat serpens, virum. Dicitur autem vsura morsus, quod mordeat eum qui mutuo petit, ad vsuram. Vsurarius enim non solum quod suum est recuperat, sed mordet eum cui mutuo tradit in propriis bonis, vltra sortem accipiendo. Sicut enim canis aut serpens, aut quodcunque animal mordens, trahit secum id quod mordet seu morsum: ita pecunia tradita ad vsuram, trahit secum aliam partem minorem se, veluti morsum suum ex aliena substantia. Potest etiam vsura referri ad pecuniam: incrementum verò ad omnes alias res, quam sententiam sequenti versu more suo explicat.

Ego Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, vt darem vobis terram Chenahan.

Videtur velle dicere, quod quemadmodum ipse dedit illis gratis terram Chenahan, nullam ab eis pro ea vsuram exigendo: ita ipsi faciant fratribus suis.

Non facies famulari famulatu seruili. Hebraice ad literam est. Non seruies tibi in eo, seruitute serui, id est, non permittes eum seruire tibi, quemadmodum alij serui: sed altiori seruitute, & hac de causa arbitror Salomonem tertio Regum nono, non permisisse Iudæos seruire in ministerio templi: sed eos operum præpositos constituit, & præfectos. Vnde constat fidelem posse seipsum vendere: nam si homo liber, patiatur se vendi ad pretium participandum, efficitur seruus. Institu. de iure perso. paragra. serui. De Christianis verò dicit Archidia. eos etiã bello captos, non posse in seruitutem redigi, aut in seruos emi, aut emptos vendi: cuius oppositum est in infidelibus, qui in seruitutem rediguntur, & emi possunt ac vendi, licet postea efficiantur Christiani: neque per Christianismum à seruitute liberantur.

Tanquàm aduena & tanquàm mercenarius erit tecum. Constat ex hoc loco soluendas esse operas vendenti se. Aut quod verius videtur, dicit eum tanquàm mercenarium habendum, quantum attinet ad libertatem: ac si operæ eius emerentur, quoniam quid opus erat aliquem emere, si operæ soluendæ illi erant?

Non dominaberis ei dure, aut in duritia. Incerta est significatio verbi radah, id est, dominari, & dicunt Hebræi significare accipere, & dominari. Sed si quis expendat loca vbi verbum ponitur, deprehendet significare proprie comprimere, exprimere, seu premere: vt patet Iudicum decimoquarto vbi dicitur. Et non indicauit eis, quòd de corpore leonis, radah, id est, compressisset aut expressisset mel. Vnde hic verti posset. Non premes aut comprimes eum. Similiter dictio petech, id est, duritia, non plene notum est Hebræis quid significet. Dicunt autem significare duritiam, & parochet quod est eiusdè radicis significare cortinam velum: vnde si allusio aliqua est nominis ad nomen, melius vertendum putarem: ad extenuationem, seu tenuitatem; vt scilicet non comprimerent eos vsq; ad extenuationem, & sic velum diceretur parochet, ratione tenuitatis. *Emetis*, scilicet iure seruorum, vt scilicet vendatis eos cum libuerit: & hæredibus vestris relinquatis. Vnde constat seruos, posse hæredibus relinqui: neque hoc iuri naturali aduersari: & hoc est quod sequitur.

Et hæreditabitis illos filiis vestris, id est, in hæreditatem relinquetis.

Si adepta fuerit manus peregrini. Subaudi substantiam, id est, si cœperit ditari, & videtur Hebraismus, & pro adepta fuerit melius legas. Si attigerit.

Si stirpi familiæ peregrini. Dictio Hebraica Echer, quam vertimus stirpem: ab achar derivatur quod est euellere eradicari, iuxta illud Ecclesiastis tertio vbi dicitur. Tempus plantandi, & tempus eiachor, id est, euellendi quod plantatum est, vnde echer, id est, radix vel stirps. Nomen tamen achar, & acharah: sterilem masculum & sterilem fœminam significant, seu eradicatum & eradicatam.

Aut si attigerit manus eius vt redimat se, id est, si contingat ditari, seu facultas ditandi se. *Manum ex imperio quod ſe Hebræi.*

Erit que pecunia venditionis eius, secundum numerum annorum, secundum dies mercenarij erit secum. Sensus huius legis supponit ad sui explicationem, seruum Hebræum esse apud peregrinum ad modum mercenarij, ita quòd non poterat Hebræus se, sed operas suas vendere gentili, & sic cum se redimere volebat, computabat annos remanentes vsque ad Iobel, & tantum dabat Domino suo, quantum operæ eius vsque ad annum Iobel valebant, & hoc est quod dicit. Erit pecunia venditionis, id est, quam pro se venditus dabit, secundum numerum annorum remanentiũ vsq; ad Iobel, & hoc est quod sequentibus explicatur.

De argento emptionis suæ, id est, quod debet pro sua emptione dare, aut quod debet dare emptori.

Restituet redemptionem suam, id est, pecuniam quam debet pro sua redemptione dare.

Sicut mercenarius, annus in anno erit secum, id est, erit cum eo ab anno in annum: quemadmodum mercenarius cum eo apud quem moratur.

IN CAPVT. XXV. AD MORVM honestatem annotatio.

Sabbatizabit terra sabbatum Domino. Impius ministeriorum exactor est homo. Vellet enim si possibile esset seruum habere æreum aut ferreum: vt continuo eius vteretur ministerio. Iumẽtum sine vlla requie exercere, terram omni anno colere. Et mirũ valde est, quòd sic requiem corporis & animi sui desideret: cum velit semper cuncta sibi laborare, sed qui hæc cuncta creauit, & vt propria diligit, non finit sine requie esse. Vnde disces, quanto sit melius pio Domino, quàm improbo homini seruire: cùm Deus seruis suis etiam insensibilibus det requiem, homo verò, lasso etiam homini, eam neget: iuxta illud Threnor. vltimo. Lassis non dabatur requies. Quid quæso mercedis das terræ, pro frumento, vino, oleo, & aliis fructibus, quibus incessanter saginas te? Quid mari pro piscibus, quos tibi indesinenter tribuit? Quid astris pro luce, & aliis ministeriis, quibus in ministerium tuum à Deo die noctuque exercentur? Tibi seruiunt, & Deus illis seruitia remunerat. Tibi equus, bos, asinus, & omnia pecora campi administrant, sed Deus illis herbas creat, & nutrit: quibus sustententur. Si ergo his pabulum ex tuo non das, quid saltem illis requiem negas? Ideo sex annis voluit te colere terram tuam, septimo verò sinere eam quiescere. Docet etiam dominus, saltem diebus festis sinere suos saturari. *Bonus ſabbatizat.*

Tibi & seruo tuo, & mercenario. Admonuit iam alibi Deum voluisse, diuites saltem semel in septennio experiri, quod pauperes sentiunt omni tempore. Sunt enim pauperes omni tempore in ea solicitudine anxij, dicentes. Quid manducabimus aut quid bibemus? Et oculos suos ad pium patrem conuertentes dicunt. Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie, in qua anxietate voluit Dominus diuites septimo quoque anno viuere. Desiderat enim Dominus, tales habere seruos, qui continue oculis ad eum eleuatis, ab eo quotidianum postulent panem, & licet horreũ habeas, sic tamen quotidianum victum ab eo expectare debes, ac si non haberes, & ab eo singulis diebus sperares, & hac de causa sancti, pauperratem potius quam diuitias diligunt: vt cogantur omni die à Deo suo veluti pauperes necessaria mendicare. Cessabant etiam hac lege, multorum pauperum querelæ, causantium quòd ipsi esurirent, diuites sine vllo merito suo, abundarẽt: cum se viderent saltem semel in septennio, ius in bona diuitum habere. *Transfire facietis tubam: per vniuersam terram vestram.* Voluit Dominus seruos suos gaudere, non solum de re, sed etiam de spe. Gaudete in Domino semper (ait Paulus) iterum dico gaudete: ac si diceat. Gaudete de spe futuræ beatitudinis, & de possessio ne post hanc vitam. Istuc tendit quod sequitur. Phili. 4.

Proclamabitis libertatem. Sed non vacat misterio, quod in die expiationis, incipiebat proclamatio libertatis: vt ostenderet eadem die, corpus ab humana seruitute liberari, qua anima à peccatis libera efficiebatur. Qui enim peccati iugum à se excussit omnia sua libera habet. Omnium enim membrorum (vt ait Paulus) dominium sibi peccatũ vsurpat, quo electo, cũcta libera fiunt, & redit homo ad possessionem suam. Rom. 7.

Agri comedetis fructum. Voluit Dominus hominẽ, sui pristini status meminisse: quando cũ brutis comedebat herbas terræ, saltem in septennio semel.

Secundùm numerum annorũ Iobelemet à proximo tuo. Pia venditionis lex, vt in sortem computẽtur anni fructuum: quæ vtinam inter Christianos sanciretur: ne essent tot vsuræ & exactiones.

Habitabitis super terram confidenter. Audis hic quòd quemadmodum obseruantia mandatorum Dei, hominem ab omnibus securum reddit ita & peccatum, timidum valde eum facit: vt Prouer. 28. habes. Fugit impius nemine persequente: iustus verò vt leo confidit.

Dabit terra fructum suum, & comedetis in saturitate. Si ergo videris terram penuriam omnium pati: cogita homines illius, non seruare præcepta Dei. Quemadmodum enim iustitia, omnia bona procurat, ita & peccatum, omnia mala secum adducit. Et insinuat locus iste causam sterilitatis: esse fructuum malam distributionem.

Si dixeritis quid comedemus, anno septimo? Vult nos Dominus Deus noster, iactare cogitatum nostrum in eum: facere leges eius, & non curare quid nobis desit, quoniam nouit vno anno mittere benedictionem suam, & facere terram pro tribus annis fructificare.

Vos peregrini & aduenæ estis apud me. Vtinam nos tales Domine sciremus, ne sic inhæreremus terrenis, & omnia bona, dona tua esse cognosceremus, non nostra putaremus: & quasi aduenæ & coloni, viueremus in bonis Dei nostri.

Venerit qui redimat. Pictatem erga consanguineos admonet lex hæc: vt non solum eos seruos redimamus, sed eorum bona, sed quis nunc aliquid horum operatur? Sunt multi qui emant, rarissimi aut nulli qui redimant: ac si lex hæc otiosè scriptis mãdata posita esset, & ex hoc capite eorum habuerunt pacta in retro. *Vbi erũt qui habuerunt pacta in retro.*

Redemptio æterna erit Leuitæ. Debent hij qui de ecclesia sunt, multa habere priuilegia: quæ non alij, sicuti militer pauperes quibus nihil reliqui si sua vẽdiderint.

Ne accipias vsuram ab eo. Quid facitis qui orbem vestris vsuris impletis? Nihil iam alicui gratis fit, iam nulla est libera pecuniæ mutuatio. Omnes iam sunt mercatores, & lucrum cessans statim opponunt: vtinam æquum. Audi autem rationem Dei tui, quare non debes fratri ad vsuram dare.

Quoniam ego vos eduxi de terra Ægypti: vt vobis darem terram hanc. Si ergo accepisse hæreditatem de manu Domini, causa est non dandi ad vsuram, quid quæso nunc habes, quod non à Deo tuo acceperis?

Et vult tibi dicere Deus tuus, te non debere alicui ad vsuram dare: postquam ipse tibi gratis, & sine vsura cuncta quæ habes tribuit. Quid quæso vsurarum, aut excrescentiæ, dedisti Deo, pro tritico, hordeo, vino, & aliis terræ nascentibus, quę tibi tam copiosè ministrat, singulis diebus & annis? Si ergo tot & tanta, sine vsurę exactione recipis, quid pro minimis, quę mutuaris, vsuram à proximis exigis?

Tanquam aduena & mercenarius, erit apud te. Non sunt omnes serui æqualiter tractandi, sed mitius qui sunt de populo tuo: neque dure eis dominandum est. Audiant hoc, qui veluti canes, mancipia Christiana tractant. imo deterius. Nonne considerabitis eos fratres esse vestros, fidei & regni cohæredes, pro quibus sicut & pro vobis Christus mortuus est? Exigunt ab eis quam diu seruire possunt, immoderata seruitia, cùm verò senuerint, ad hospitalia mittunt, & tunc libertate donant, non vt eos liberos esse sciant, sed vt se liberent ab eorum prouisione & cura. Similiter docet litera hæc, aliter tractandos esse seruos fideles, atq, aliter alterius sectæ: vt priores nõ sint perpetuo serui: cum aliis verò possis negotiari

Si adepta fuerit manus peregrini. Cogendi sunt peregrini, leges patriæ in qua viuunt seruare: neq, permittendi sunt male tractare seruos inde oriundos.

IN CAPVT XXVI. IVXTA literam annotatio.

Non facietis vobis idola. Idololattriam prohibet & benedictionem promittit seruantibus legem, maledictionem verò non seruantibus. Ponitur autem hic elilim ab alal, quod Hebræis autoribus, significat inutile esse, aut vanum: vnde Iob decimotertio habes. Medici elim, id est, vanitatis omnes vos. Sic Zachariæ vndecimo. Veh pastori haelil, id est, vanitatis: vel inutili. Dicuntur autem idola elilim, id est, vana, quia nihil deitatis quam videntur habere, habent, aut inutilia, quia nihil prodest ea colere: imò multum obest. Diximus nonnihil de hac dictione superius capite decimonono.

Et sciptile. Verbum pasal, à quo pesel, id est, sculpere proprie significat dolare, sculpere, siue in lapide siue in ligno, & de lapide exemplum habes Exod. 34. vbi habetur. Pesal. 1. dola tibi duas tabulas lapideas. De ligno verò Isai. 45. vbi habes. Quæ ferunt lignum pessam, id est, sculptilis eorum.

Et statuam non erigetis vobis. Verbum nassab, significat leuare vel eleuari: vnde massebab, id est, statua, sic dicta quod soleat esse eleuata: neque est opus, vt alicuius hominis, animalis, vel auis effigiẽ habeat, sed sat est esse eleuatum quid.

Et lapidem depictum, non dabitis in terra vestra. Ignota meo iudicio est significatio propria verbi sachah: à quo maschet, ie est, pictura seu pictum. Dicit autem Rabbi Dauid, significare aspicere, & pingere, quòd rem pictam homines aspicere soleant, & in hanc significationem, vertit illud Isaiæ secundo. Super omnes sechiiot, id est, picturas desiderii: seu desiderabiles. Hieronymus. Super omne quod visu pulchrum est. Septuaginta. Super omnem aspectum nauium pulchritudinis. Rabbi Selomoh. Palatia depicta. Thargum. In palatiis pulchritudinis. Sed si quis recte expendat locos vbi verbum ponitur, ad oculum deprehendet: significare claudere, operire, occultare quod exemplis commonstrabimus. Nam Exodi trigesimo tertio habes. Ve sachori, id est. Et operiã manu mea, seu claudã, vbi nullo modo quadrat, pingere vel aspicere, sed huic significationi obstare videtur locus ille: vbi nullo modo conuenire videtur, si vertas. Et lapidem clausum non dabitis. Sed si recte inspicias, nullibi melius quadrat quàm hic, & vt tẽ melius intelligas, aduerte: consuetum fuisse apud gẽtiles (quod vsq, hodie Christiani obseruant) includere in muris parietum statuas & imagines suas: quemadmodum in ecclesiis, & aliis

Universidad de Deusto
Biblioteca

murorum clausuris, frequētissime aspicies: quod sit vt imagines à pulueris, imbrium, & aliis aeris inclementiis liberentur. Prohibet autem Dominus fuis, lapides seu statuas lapideas sic includere: ad venerandum. Vnde locus iste sic vertendus est. Et lapidem inclusionis seu inclusum, modo prædicto, non ponetis in terra vestra: ac si dicat. Imaginem seu idolum lapideum inclusum: non ponetis in terra vestra. Vnde id quod ex Isai. citatum est, melius vertas. Et super omnes sechiior. i. inclusiones seu super omnes res, seu opes inclusas, & diu seruatas. Sic etiam illud Prouer. 18. quod nostri vertunt. Sicut murus eleuatus bemaschit. i. in imaginatione eius: vertendum melius puto. In clausura eius. i. ad eum claudendum, & prohibendum: ibi enim pigendunt hæc verba. Opes diuitis sunt vt vrbs fortis eius, & sequitur. Et sicut murus eleuatus, in clausura eius. i. ad eum claudendum & custodiendum, quoniam pecunia protegit vt scutum, illud etiam quod l'ecuerbio. vigesimoquinto habetur, quod nostri vertunt. Sicut mala aurea bemaschiior, id est, cum picturis argenteis, melius vertas. Cùm inclusoriis argenteis. Solent enim mala aurea includi inclusoriis argenteis. Sic Numeri trigesimotertio vbi dicitur. Perdetis omnis maschiiotam, id est, inclusiones: pro imagines inclusas eorum. Sed manet locus apud Iob adhuc obscurus, qui hinc fiet dilucidior. Dicitur enim capite trigesimooctauo. Quis dedit lasechri, id est, cordi, aut (vt alij vertunt) gallo, intelligentiam? vbi melius & germanius vertas, incluso seu intelligentiam: per quod intelligit cor, quod occultissimum est. Quod verò sic interpretandum sit, constat ex ea quæ præcedit sententia. Præcedit enim. Quis posuit in renibus sapientiam, aut quis dedit incluso seu cordi intelligentiam. Ex quibus omnibus deprehendes, quæ mala oriantur: ex ignorantia propriæ significationis vnius dictionis. Neque prohibet lapidem inclusum seu statuam erigi absolute: sed ad adorandum: vnde sequitur.

Vt incuruetis vos ei. A sanctuario meo timebitis. Ne scilicet illud polluatis aliqua pollutione. *Ego Dominus*, cui scilicet seruire debetis, & qui omnes transgressiones vestras punire possum: quemadmodum dominus seruorum peccata.

Si in decretis meis ambulaueritis & præcepta mea custodieritis. Sic Hebræi distinguunt, inter eachotai, id est, decreta seu statuta mea, & misuotai, id est, præcepta mea: quòd choch, id est, statutum, nullam habet rationem quare seruetur, nisi solam præcipientis voluntatem: vt non seres agrum tuum, diuerso semine: misuah verò rationem aliquam habet: vt est. Maleficum non patiaris viuere. Sed in canonibus discrimen posui, neque tamen omnino certum: quoniam vix dari potest. *Dabit terra fructum suum.*

Dixi alibi superius, significationem dictionis iebul, id est fructus, incertam esse, & videtur significare eleuationem, seu id quod terra leuat.

Gladius non pertransibit per vos, id est, bellatores seu exercitus ad bellum, & dicit nō pertransibit: quoniam exercitus non solum præliando, sed transeundo nocet, & cuncta deuorat.

Centum ex vobis persequentur decem milia. Miror cur omnes nostri, sequentes Chaldeum paraphrastem, verterint dictionem rebabah, per decem milia: cùm nullibi in scriptura hoc significet, & radix nominis, scilicet rabah, significet multiplicare: vnde constat rababah, significare multitudinem, quare germanius vertas. Et centum ex vobis, persequentur multitudinem, scilicet copiosam. Sic Deut. 32. vbi dicitur. Et duo fugabit rababah, quod nostri vertunt decem milia: simplicius vertas, multitudinem scilicet maximam. Idem Psal. 91 vbi dicitur. Vrebabah i. Et decem milia, à dextera tua, vertendū puto, & multitudo. s. copiosa à dextera tua. Et Cantic. 5 Dilectus meus, insignis, merebabah. i. præ decem milibus, verti simplicius potest: præ multitudine seu præ multis.

Vertere se ad aliquem quid sit Hebraeis.

Vertam me ad vos. Sunt qui interpretantur, respiciam vos: sed vt sæpius admonui: verbum panah potius vertere se, quàm respicere significat, & est Hebraismus, pro amicus vobis ero. Aut vobis reconciliabor. Solent enim amici vertere se ad amicos: vnde in Canticis habes. Offende mihi faciem tuam. Et apud Ieremiam. Verterunt ad me tergum & non faciem, id est, inimici facti sunt mihi. *Cantic. 2. Ieremi. 2.*

Crescere faciam vos, & multiplicare faciam vos. Genesis primo diximus, nostros non bene huiusmodi vertisse locutionem: quæ frequens est in scriptura. Verbum enim parah, significat propriè fructificare, & si crescere vertas, inutilem repetitionē facies: quoniam crescere pro multiplicari sumitur, & non pro crescere in magnitudine. Vertendum est ergo.

Fructificare faciam vos, & multiplicabo vos, ac si dicat fructum dabo & in copia.

Stare faciam pactum meum vobiscum, quòd, scilicet ero vester Deus, & vos meus populus, & quod dicit. Stare faciam pactū, id est, non deiiciā, non frangam.

Comedetis vetus inueteratum, & vetus à facie noui proiicietis, id est, comedetis veteres fructus, & aduenientibus nouis, veteres proiicietis: quoniam non habebitis sufficientia vasa ad vtrosq; recondendos. Aut proiicietis veteres in alia vasa, ad recondendos nouos.

Abiiciet anima mea quid abominatur.

Non abiiciet anima mea vos. Hebraismus est, pro non abominabitur voluntas mea vos. Aut non euomet vos. Est enim vomitus res abominabilis: ac si dicat. Cùm vos intus in corde habeā, & diligam intime, non vos è visceribus proiiciā veluti vomitum abominabilem. Vel tertio. Non vos abiiciam, sicut rem despectam: quàm à nobis abiicimus.

Ambulabo in medio vestri, id est, inter vos ero quasi dux vester, & vicinus vester: seu familiarissime conuersabor inter vos. Vnde sequitur. *Et ero Deus vester.*

Confregi virgas iugi vestri, & incedere feci vos recte.

Per virgas iugi intelligit ligamina illa quibus duo parua ligna iugi ligantur quæ nostri vocant brochas quibus bos ad iugum ligatur, aut sensus est. Confregi virgas quibus iuga vestra cedebantur. Curuabamini, & feci vt de cætero recte incederetis. Sunt qui hic pro virgis cathenas vertunt, refragāte propria significatione nominis motor: quod proprie virgas non cathenas significat. Radix tamen nominis (autoribus Hebræis) est natah, quod significat inclinare: vnde marheh, id est, virga sic dicta, quòd ea homo aut seruus cæsus inclinetur, & subiiciatur, aut quòd super illam homo inclinet se. Aduerte etiam, quòd dictio Hebraica ol, id est iugum, ab alal, quod est inclinare & curuare deriuatur: quòd iugum colla faciat inclinare.

Visitare faciam super vos terrorem, tumorem, & febrem: consumentes oculos vestros.

Duo (vt alias admonuimus) significat verbum paachad, quod hic omnes visitare vertūt, scilicet recordari & numerare, quòd non sit aliud quā quoddam reminisci. Qui enim numerat: opus est præcedentis numeri reminisci. Verbum etiam bahal, à quo bahalah, id est, terror, significat terrere, & terreri, & quia territi festinare solent, significat etiam festinare, & vtriusque significationis dabimus tibi exempla, & prioris Iob vigesimosecundo vbi dicitur. Vibahelcha, id est. Et terruit te pauor subito. Secundæ verò secundo Paralip. 35. vbi dicitur. Deus fecit Iebahaleni, id est, vt festinarem, seu festinare me, & frequentius inuenitur significare festinare quàm terrere. Vnde textus verti alio modo potest. Recordari faciam super vos festinanter infirmitatem: seu recordabor percutere vos festinanter, infirmitate. Quod autem sequitur, tumorem. Aduertam Iudæos quam nostros, ignorare quid significet proprie vox sachaph, quam tumorem vertunt: significat autem meo iudicio certū aliquod infirmitatis genus, sed quod illud sit ignoratur. Aliqui putāt thisim, alij hidropisim. Rabbi verò Dauid dicit esse infirmitatem qua corpus macilentum efficitur: debile ac deficiens, & in deterius vadens. Est autem auis nomen, de qua supra capite vndecimo diximus, & Deutero. decimoquarto dicemus.

Et febrem. Verbū chadach, à quo chadachat, significat

sicat ardere, & chadachat ardorem seu febrem: vnde constat præcedens nomen, non significare febrem: nisi vertas, febrem & ardorem, consumentes oculos, & dolore afficientes animam vel vitam.

Ponere faciem contra aliquem quid sit.

Dabo iram meam in vos. Hebraice. Dabo faciem meam in vos, id est, ponam faciem meam contra vos. Et ponere seu dare faciem in aliquē, est in eum irasci. Solēt enim irati, se vertere ad eos ex quibus vindictam expetunt, & est Hebraismus.

Si autem adhuc non audieritis me. Hebraice.

Et si vsque ad hæc non audieritis me, id est, si percussi his plagis, me non audiatis: aut si permittatis me vos vsque ad hæc punire, *addam vt corrigam vos septies* id est, perfecte, *super peccata vestra.*

Peruertere septies quid sit Hebraeis.

Significat numerus septenarius perfectiōnem; quoniam ex diebus septem, constat perfecta hebdomada.

Conteram superbiam fortitudinis vestræ: ac dabo cœlum vestrum sicut ferrum, & terram vestram sicut æs.

Dare cœlum ferreum, & terrā vt æs, quid sit Hebraeis.

Secunda clausula est explicatiua priotis. Nihil enim aliud esse videtur, illorum fortitudinē cōterere: quàm dare eis cœlum ferreum, & terrā veluti æs, id est, auferre ab eis copiam fructuum terræ, quibus fidebant: vnde Isaiæ. 2. habes. Ecce dominator Dominus exercituum, remouere faciet à Ierusalaim, fulcimentum panis, & fulcimentum aquæ. Et quod dicitur. Dabo cœlum vestrū, id est, hemispheriū vestrum, quod terram vestram operit, sicut ferrum, id est, sine vlla humiditate, & sic de terra intellige.

Consumetur in vanum fortitudo vestra, id est, etiam si omnes vires vestras exeratis, ad cultum terræ, vt det vobis fructum: frustra facieris hoc.

Si ambulaueritis mecum ex aduerso.

Verbum charah videtur significare occurrere, vnde verti posset. Si ambulaueritis mecum à casu, vel cum casu, id est, si casui attribueritis ea quæ mihi attribuenda sunt, ambulabo vt infra dicit, etiam ego vobiscum cum casu, id est, ostendam me vestra quodammodo non curare, ac si nihil mea interfit gubernare vos. Sed prior expositio germanior est.

Orbari faciet vos, id est, priuabit filiis comedendo illos, scilicet bestia quam in vos mittam.

Desolabuntur viæ vestræ, id est, occisis hominibus, non erunt qui per vias incedant.

Et si in his non fueritis eruditi mihi, id est, si in flagellis non fueritis eruditi erga me, vt scilicet me colatis, reuereamini, obediatis: *sed ambulaueritis ex aduerso*, id est, opposueritis vos mihi. Chaldæus vertit hic. Si ambulaueritis mecum cum duritia, aut difficultate.

Inducam super vos gladium vindicantem vindictam fœderis mei, id est, qui vindicet fœdus meum à vobis violatum, & memento Hebraismum gaudere repetitionibus, & ideo dici vindicantem vindictam.

Congregabimini ad vrbes vestras: metu, scilicet bestiarum & hostium, & cum ad vrbes euadendi gratia confugeritis.

Mittam pestilentiam in medio vestri: vt scilicet non euadatis ibi. Et aduerte quòd nomen deber, id est, pestis, à dabar quod est loqui ortum habet: quòd de pestē dum grassatur omnes loquantur.

Dum confregero vobis baculum panis.

Hebraismus est confringere baculum panis, & baculum aquæ, & significat subtrahere ab aliquo cibum & potum: quòd his homo veluti senex baculo sustentetur. Et ponitur Hebraismus Isai. tertio vbi dicitur. *Isai. 3.* Ecce dominator Dominus exercituum, remouere facit à Ierusalaim, & à Iehudah baculū panis & baculū aquę: id est. remouebit cibum & potum quæ eos sustentant.

Dissipabo excelsa vestra: et disperdam imagines vestras.

Sermo est de excelsis locis, quibus idola sua colebant, & videtur loqui de arboribus, potius quàm de montibus. Et quod sequitur.

Succidam imagines vestras. Aduerte Hebræos dicere, dictionem chamanim, quam imagines vertimus; potissimū significare simulachra lignea, licet etiam significet alia. Sic appellata, quòd cultores solis facerēt ea, sed meo iudicio sine vlla ratione. Nam radix nominis, scilicet chamam, significat proprie calescere, & calefieri: vt patet Iosuah nono vbi dicitur. Iste panis noster cham, id est, calidus fuit. Et Exod. 16. habes. Vecham, id est, intaluit sol; & inde sol, dicitur chamah, à caliditate: vnde meo iudicio chamanim, significat simulachra solis: quæ maximè à gētibus veherabantur: vnde Isai. 27. dicitur. Non stabunt luci, ve chamanim, id est, neq; idola solis: seu neq; soles. Et secundo Paralipo. 34. habes. Omnia hachamaniim, id est, idola solis succidentur. Et isto modo hic vertere licebit. Et succidam soles, id est, solis simulachra.

Dabo cadauera vestra, super cadaueribus idolorum vestrorum. Radix peger, id est, cadauer, quæ est, pagar, significat lassari, fatigari, & debilitari, aut pigrum esse: primo Semuelis trigesimo. Steterunt ducenti viri, qui pigri, id est, lassi erant, ne transirent torrentem Besor. Et eodem capite. Et venit Dauid, ad ducentos viros, qui pigri, id est, lassi erant: vt non transirent post Dauid. Dicitur ergo cadauer peger, id est, lassum quòd ex lassitudine cadat. Fortè verbum significat relinquere, & peger cadauer quòd relinquatur. Significatio verbi, non est omnino certa: ideo nihil certi tradere possumus: quasi ipsius Ethimon. Dictio etiam higulim, id est, idola, à galal quod est voluere, reuoluere, & circuire, ortum habet: inde etiam gālal, id est, stercus sic dictum, quòd ad modum circuli emittatur. Sophoniæ. 1. Caro eorum, sicut caro gelalim, id est, stercorum, id est, putrida, & veluti stercora reputata. Dicūt autem Hebrei idola dici gelul; id est, stercus contemptus gratia, aut fortè sic dicuntur à reuolutione. Colebant enim gentiles astra, quæ suis reuolutionibus gaudent. aut quia pannis, propter pulueris iniuriam propulsandam, inuoluebantur.

Deserere faciam sanctuaria vestra. Possumus per sanctuaria intelligere idolorum delubra: quę frequētabant, & etiam templum cum atriis suis, quia sequitur.

Non odorabo odorem quietis vestræ, id est, quo ab ira me quiescere facitis.

Obstupescent super ea inimici vestri: qui habitant in ea.

Exempla huius habes Ieremiæ. 18. & Ezechie. 28. Videntes enim, qui ex inimicis terram incolere volebant, terræ & hominum exterminium mirabantur. Et aduerte idem esse verbum scilicet seamam, quod interpretes vertunt desolare, & stupescere: quia vtrunq; Hebræi significare dicunt. Nam obstupescens, viribus destitutur, & desolatus est. Threnorum quinto dicitur. Super montem Sion quia shelschamen, id est, desolatus, aut destitutus est.

Vos dispergā in gentes, & euaginabo post vos gladium.

Significat verbum zarah ventilare, & dispergere: vnde etiam verti potest. Ventilabo, id est, faciam vobis quēadmodum qui rem aliquam vento exponit: qui eam hinc inde dispergit. Sic etiam quod sequitur.

Euaginabo post vos gladium, idem est ac si dicat. Insequar vos hostiliter, & videtur esse Hebraismus. Et verbum raiach, id est, euaginare, significat proprie eua cuare: vt patet Malachiæ. 3. vbi dicitur. Ve arichoti, id est. Euacuabo vobis benedictionem. Et Gen. 42. Ipsis merechim, id est, euacuantibus sacos: ex consequenti verò significat euaginare, quòd nihil sit aliud quàm vaginam gladio euacuare.

Tunc persoluet terra sabbata sua. Verbum rasah quod hic ponitur, significat proprie complacere, & bene placere, & non perficere: ideo melius vertas. Tunc complacebunt terræ sabbata sua, aut complacebit in sabbatis suis: ac si dicat gaudebit in sabbatis suis, in quibus modo nō gaudet, quoniam cogitur omni tempore fructificare. Non enim verbi propria significatio mutanda est: cùm prima fronte non videtur conuenire, infra enim dicitur. Tūc sabbatizabit, id est, quiescet terra & placebunt ei sabbata sua.

Inducam teneritudinem in cor eorum, id est, molle faciam illud: vt non audeant resistere persequentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ omnia hodie in Iudæis, vbique gentium videmus impleta.

Cadent & non persequens. Hoc optimè interpretes reddunt: nemine persequente.

Non erit vobis erectio, id est, non stabitis coram inimicis vestris aut post casum non surgetis.

Resident in vobis dissoluentur propter iniquitatem suam. Verbum Hebraicum machach etiam significat putrescere, quòd ea quæ putrescunt, quasi liquefiant, inde mech, id est, putredo. Et quod dicitur propter iniquitatem suam: dupliciter intelligi potest, aut propter iniquitatem, id est, peccatum suum. Cogitantes enim se Deum suum offendisse, non habebant amplius cor ad defendendum se. Secundo propter iniquitatem suam, id est, in pœnam suæ iniquitatis, dissoluentur.

Et confitebuntur iniquitates suas. Verbum iadah confiteri significat: præsertim confessione laudis, significat etiam secundo proiicere, & in vtraque significatione potest hic verti. Et priori modo sensus est. Postquàm fuerint puniti à me perfectè: confitebuntur dolentes peccata sua & patrum suorum, &c. Et hunc sensum probat quod infra dicitur.

Et recordabor eis pacti primorum, id est, quod cum primis patribus eorum pepigi. Secundus sensus est Et proiicient, scilicet à se iniquitates suas, & iniquitates patrum suorum, iuxta præuaricationem qua præuaricati sunt in me. Potest tertio esse sensus. Et proiicient pœnam iniquitatis suæ, & patrum suorum in præuaricatione qua in me præuaricati sunt, id est, cognoscent se punitos eũ patribus, propter præuaricationes suas, sed prior sensus planior & simplicior est.

Et tunc humiliabitur cor eorum incircumcisum. Verbum chana quod humiliare vertimus, etiam significat contrahere: ideo verti potest. Et contrahet se cor eorum incircumcisum, & pro incircumcisum, est in Hebræo præputiatum.

Tunc rogabunt pro iniquitate sua. Verbum rasah, vt iam hoc eodem capite admonuimus, nusquam significat rogare: sed velle, placere, & complacere, sed quia viderunt interpretes, non bene loco conuenire, si interpretarentur verbum in propria significatione: vertentes. Tunc placebunt eis iniquitates suæ: mutarunt propriam significationem, in rogabunt nõ considerantes nomen (on) quod nonnunquam iniquitatem significat, significare frequentissime pœnam iniquitatis. quemadmodum hic significare videtur: quare non distrahendo verbum à propria significatione vertendum puto.

Tunc complacebunt in pœna iniquitatis suæ: seu placebit illis pœna iniquitatis suæ. Cognoscent se iniuste à me punitos propter iniquitates suas: eo quod iudicia mea reprobauerunt. Cùm enim quis peccator ad cor rediens, cognoscit se peccatorem, statim se iuste à Deo punitum confitetur. *Et terræ memor ero*: vt, scilicet non sit amplius desolata, & det fructum suum.

Perficiet sabbata sua. Melius complacebit in sabbatis suis: vt iam dictum est.

Et ipsi rogabunt pro iniquitate sua. Aut & complacebit illis pœna suæ iniquitatis. *Et nunc iam hoc.* Subaudi erit. Sic enim in Hebræo est.

Non repudiaui eos neque abieci eos. Prius verbum, scilicet maas, propriè significat abiicere. Secundum verò, scilicet gaal repudiare, & de priori exemplum est. 1 Semuelis. 16. Et ego mœsti, id est, abieci eum. Secundo verò Ezechie. 16. vbi dicitur. Quæ gaalu, id est, repudiarunt, viros suos.

Et recordabor est pacti priorum, id est, recordabor ut stinere cum eis pactum, quod cum patribus prioribus eorum pepigi. Aut ad memoriam eis reducã pactum: quod cum eorum patribus pepigi, quos eduxi de terra Ægypti. Prius pactum pepigerat cum Abraham Gen. 15. &. 17. sed postmodum generalius cum senioribus egressis de terra. Exodi. 24.

Ego Dominus, qui scilicet hæc polliceor.

In manu Moseh, id est, eius opera aut eo intermedio. Et quod dictum est,

Decreta & iudicia & leges. Iam in regulis admonui præcepta dici decreta in quantum sunt scripta, aut secundũ quòd limitant & coarctãt hominem ne faciat quod prohibitum est, iudicia vero secundum quòd inter homines componunt, leges prout in eis meditandum & cogitandum est die ac nocte.

IN CAPVT. XXVI. LEVITICI
ad morum compositionem.

Lapidem depictum non ponetis in terra vestra. Omnia scandala tollenda sunt à regno Dei, non solum idola & sculptilia, sed etiam lapis quicunque depictus, aut muro incluſus. Non loquor de sanctorum imaginibus quas meritò ecclesia venerandas nobis tradit, sed de lapidibus quibusdam qui nullius sancti speciem præ se ferunt, quos vulgus indoctum quadam superstitione colit: quare cuperem episcopos hæc curare, qui aliquãdo dissimulãt, & sinunt lapides quosdam in sanctorũ gratiã venerari, homines quoq; ac fœminas quasdam, quas ecclesia nõ exponit venerandas.

Sanctuarium meum timete. Non solum Deus ipse in se timendus est: sed etiam domus eius, & cuncta quæ ad eum pertinent, reuerẽda sunt, quoniam de conspectu eius, & de sancto sanctorum, ignis egressus est: qui filiorum Aharon præcordia, in piluerem & cinerem redegit. Similiter docemur, reuereri omnia sacra. Sed quis nunc diceret immunditias, quæ in sacris quotidie fiunt? comessationes, impudicitias, & id genus alia: quæ nullus curat, aut punit.

Dabo pluuiam vestram tempore suo. Cùm ergo videris pluuias suo tempore deesse, non arbitreris hoc casu euenire: sed scito, ex legum negligentia prouenire. Quemadmodum fructuum terræ abundantia, sequitur custodiam legum: ita earum neglectus: solet penuriam adducere, & duo textus dicit, custodiam legum sequi copiam videlicet fructuum terræ & securitatem.

Persequemini inimicos vestros. Quemadmodum peccata hominem debilem reddunt: ita vt nihil audeat: ita custodia legum animosum. Quid enim non audebit, qui Deum sibi propitium habet, quem non nisi legum transgressione offendit? Nihil enim hominem fortiorem aduersus hostem reddit: quàm cognoscere se Deum suum non offendisse. In Deo (inquid Dauid) meo transgrediar murum.

Vertam me ad vos, & crescere faciam vos. Vtinam Deus mi, iam dignareris vertere te ad me: vt in bonis operibus me crescere faceres. Ego verti ad te tergũ, & non faciem, despexi te: & subsannaui, sed iã nunc conuerto faciem meam ad te, ne auertas faciem tuam à me, quoniam auertente te faciem turbabor, & in puluerem meum reuertar. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri.* Cur offendis anima mea Deum tuum, sciens te hac de causa, tam bonum perdere vicinum? Qui diuitem & misericordem vicinum habet, omnia habet. Talis est Deus tuus. Cura ergo anima mea eum non offendere, & si quo indigueris, audacter ingredere domum eius: qui cuncta præstabit, ducet & reducet, & ambulabit in medio tui. *Eroque vobis in Deum.* Arbitratur miser homo, obsequium se magnum præstare Deo, si eum pro Deo habeat: non cogitans se plusquàm vniuersum lucrari, si Dominus velit suus esse Deus. Cogita quot infideles, pagani, & alij qui hominem aut lapidem pro Deo colunt, & misere decipiuntur. Nam & si omnis error acceptio mala sit, nulla tamen deterior cæcitas, quã si non Deum pro Deo vero colas. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, sed beatus populus cuius Dominus Deus eius. Non ergo putes, aliquid vtilitatis Deo euenire, si tu eũ pro Deo colas, sed potius arbitrare te omnia bona nactum, si Deus dignetur tuus esse Deus: quoniam cum eo omnia habebis. Et mirum valde est (ait Diuus Ciprianus) quòd Deus te solo quasi sua hæreditate contentus sit, tibi verò nõ sufficiat deus tuus. Si tu deo tuo sufficis, sufficiat quæso tibi Deus tuus.

Confre-

Confregi virgas iugi vestri. Crudelis Dominus peccatum, vel Ægyptus: qui plagis suis nos continue cruciant: soli serui Dei rectè incedere norunt.

Comedent semen vestrum, inimici vestri. Hoc malum peccatores tenere solet, vt scilicet aliis non sibi laborent. Regionem vestram (ait Isaias) coram vobis alieni deuorant. Solent boni, malorum labores comedere. Alij laborant, & alij in labores eorum introeunt.

Pro vno peccato potest peccator sentire flagella plures.

Si in his non audieritis me, addã vt corrigã vos septies. Quemadmodum peccatori correcto, flagella minuuntur: ita incorrecto multiplicantur: neq; mireris, si pro vno peccato, quod non emendas, septies puniaris: quoniam dignus es qui septies imò decies puniaris & fortè ex hoc loco ortum habuit, septennis pro vno peccato pœnitentia. Et considera quantum malum sit: flagellis non emendari.

Confumetur frustra virtus vestra. Vade iacta vires tuas, sudores, & labores, exalta: cum audias sine Dei adiutorio, vires nostras nihil prodesse: similiter quid prosit Deum habere propitium, ne labor tuus vanus, & vacuus sit.

Maxima Dei punitio: ambulare ex alio hominis sine pro uidentia.

Si ambulaueritis mecum ex aduerso: ambulabo etiam ego vobiscum ex aduerso. Admonui quosdam legere. Si ambulaueritis mihi à casu: ambulabo etiam ego vobiscum à casu. Hoc est pessimum Dei flagellum. Cùm scilicet ipse tecum egerit, ac si tua non curaret. Qui enim ita delinquunt, ac si nulla esset Dei erga humana prouidentia: solet deus eos negligere, ac si sua non curaret: vt sine vllo timore & freno labantur. Quare maximè cauendum est, ne ita peccare contingat vt credas Deum tua non curare: ne Deus erga te sic se exhibeat, qualem te exhibes erga eum. Similiter expende quàm malum sit, te Deo velle opponere, cum ipse sit durior te, & extremum malum sit in Deum aduersarium impingere. Nam quemadmodum nihil iocundius, nihil mollius Deo propitio, ita nihil durius, nil horribilius eo irato. Melius (ait Susanna Danie. decimotertio) est mihi incidere in manus Dei: quàm in manus hominum. Senserat quippe sancta fœmina, quoniam suaues sunt manus eius.

Cap. 10. Quàm durus verò in reprobos Paulũ ad Hebræos audi. Horrendum (inquit) est incidere in manus Dei.

Comedetis & non saturabimini. Habes panis copiam ad famem propulsandam, fateor, sed quod te panis tuus satiet, donum Dei est. Saturitas diuitis non sinit eum dormire. Non ergo panis per se satiat, non potus sitim extinguit, sed Deus, qui talem virtutem cibo, & potui, tribuit cum vult.

Psal. 5. *Dissipabo excelsa vestra: & disperdã imagines vestras.* Mala res peccatum est, quæ Deum non solum in homines, sed in Deos fœuire cogit, & solet Dominus in materiam peccatorum fœuire, vt amorem eius à nobis auferat: cùm viderimus nihil eorum, quibus afficiebamur superfuisse. Punit enim Dominus peccatorem, in his quæ maximè diligit.

Non odorabo odorem quietis vestræ. Elaborandum maximè est, vt sis amicus Dei, vt omnia tua, velit & acceptet. Nam ab inimicis, nullum acceptat bonum.

Vos dispergam in gentes, et euaginabo post vos gladium. Dure, & vt ita dixerim pertinaciter, persequitur Deus inimicos suos. Dispersi in gentes, & longè latèq; dispersos, hostiliter euaginato gladio insequitur. Cauendum ergo valde est: ne deum hostem habeamus.

Perficiet terra sabbata sua. Non solum hominibus sed terræ, ius dicit iustus iudex, vt quod requiescere prohibuisti, te inuito requiescere faciat: quo nos docet non solum homines, sed neque insensata offendere. Nam qui priuilegia dedit, tuetur ea his quibus dedit. Si ergo Dominus boui tuo, equo, & asino, die festo concessit requiem, cur non finis eos vti priuilegio Dei qui eos requiescere te inuito aliquando faciet.

Persequetur eos sonus folij impulsi, & fugient fugam gladij, & non erit persequens. Admonui sæpius, meticulosum facere hominẽ peccatum. Fugiendum est ergo peccatum, ne fugias sonum folij arboris, aut nemine persequente.

Propter iniquitates patrum suorum. Audiant hoc parentes, & detestentur peccata: ne filij sua, & eorum peccata luant.

Confitebuntur iniquitates suas, & iniquitates patrum suorum. Quemadmodum homo luit non solũ propria, sed parentũ suorũ peccata: ita eum oportet vtraq; lugere. Miser & infœlix homo, qui vix sufficit deflere propria, cogitur aliena, pro quibus punitur deflere. Habes etiam hic, qualiter Domino semper placuit peccatorum confessio, præsertim rebellionum.

Reggabunt pro iniquitate sua. Non est satis confiteri peccata: nisi Deum ores, vt ea deleat & condonet.

Recordabor pacti mei cum Iacob. Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis Domine. Faciunt peccata Deum obliuisci merita sanctorũ, & promissionum suarum: cum omnes promissiones, sub conditione seruandæ legis, nobis fiãt. Nemo ergo malus, sanctorum merita iactet, aut illorum gratia se putet debitam & commeritam pœnam euasurum.

Et terræ memor ero. Quemadmodum terra hominum peccata luit, & pro eis punitur: ita propter eorum pœnitentiam Deus eam consolatur Isaiæ quinquagesimosecundo. Gaudete & laudate simul deserta Sion, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalaim. Et Ezechielis trigesimosexto. Vos montes Israel, ramos vestros dabitis, & fructum vestrum afferetis, populo meo Israel.

Cùm essent in terra inimicorum non reprobaui eos. Arbitrantur iusti, cum sunt in tribulatione, deum non amplius eos curare: cum vbique gentium ipse eorum memor sit. Si ergo aliquãdo te offendere Deum tuum contingat, non desperes: modo malorum tuorum pœniteat te: quoniam Deus tuus memor tui est, neque irritat pactum suum tecum. Et considera bonitatem Dei tui, qui non obstãtibus peccatis tuis, licet amplius pactum non teneatur seruare tibi: eius tamen recordatur & seruat, cui gloria per infinita sæcula.

IN CAPVT XXVII. LEVITICI
iuxta literam annotatio.

Vir cùm sepàrauerit votum, secundum æstimationem tuam erit æstimatio animarum Domino. Docet hoc vltimo cap. Dominus modũ seu pretium, quo redimendæ sunt res deuotæ, scilicet homines, animalia, & agri. Nostri, & ex Hebræis multi, arbitrantes literam capi in dictione Hebraica erchecha, esse otiosè additam: verterunt hic. Vir si permutare voluerit votum, secundum æstimationem animarum Domino: erit æstimatio masculi &c. Et duo sunt quæ hunc textum vtcunque difficilem reddunt, alterum est ignorantia propriæ significationis verbi arach; id est, æstimare, à quo erchecha, id est, æstimatio tua. Alterum verò, adiunctum pronomen chatan scilicet habeat pronominis vim, vel potius (vt diximus) otiosè addatur. Hebræi autem & nostri, verbo arach duo principalia tribuunt significata, scilicet ordinare, seu præparare, & æstimare: ad quæ significata probanda, & si multa ex scripturis loca citare possemus: duo tamen nobis sufficere videntur: quorum primus est Iob trigesimoprimo vbi dicitur. Non arach, id est, ordinauit seu parauit, scilicet Iob contra me sermones. Et primo capite huius libri, in quo de verbi significatione disputauimus habes. Vearach, id est. Et ordinabit super illud holocaustum. De secunda verò significatione in Psal. exemplum habes: vbi dicitur. Quoniam quis in cœlo, iaaroch, id est, æstimabit aut comparabit se Domino? Item Iob. 36 Haiaaroch. i. Nunquid æstimabit diuitas tuas? Prior tamẽ expositio mihi videtur cõmunior & certior, quã probat nomẽ maarachah, i. ordinatio aut præsium, sic ab ordinatione dictum. Admittendo ergo pronomẽ in sua propria significatione, sensus est. Vir cùm separauerit, scilicet à se votum, id est, rẽ deuotam ac si dicat. Cùm vouerit: quoniam vouere aliquid domino,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mino, nihil aliud esse videtur, quàm à se rē douotam abdicare: Secundum æstimationē tuam, O Moseh, aut sacerdos, scilicet erit æstimatio animarum domino, id est, pro parte Domini. Ac si apertius dicat. Cùm quis vouerit rem aliquam, quam voluerit postea redimere: ad te ó sacerdos pertinebit æstimare quanti redimēda est. Si verò pronomen abscias, sensus est. Vir cum sepa rauerit votum, id est, rem deuotam, scilicet à se: secundum estimationem animarum quā faciet sacerdos dabit, scilicet vouens Domino. Verūtamen pala, quod separare vertimus, non plene notū est Hebræis. Posset etiam lex loqui de voto quo quis vouet seipsum Domino, quod votū mirificum inter alia est, & erit sensus quòd cum vir vouerit seipsum seu animam æstimatio ipsius erit secundum sacerdotis æstimationem.

Secundum siclum sanctuarij. Erat sanctuarij siclus maior vsuali, ideo præcipit redemptiones, secundum illius pondus fieri. Solebant autem Iehudæi seipsos, filios, ac filias, iumenta, & agros, Domino deuouere, & quia non poterant in tabernaculo ministrare, qui non erant de tribu Leui: Deus eis imposuit modum, quo se pecunia redimere possent.

Si pauperior fuerit æstimatione tua, scilicet à lege taxata, verbi gratia, si sit vigintiquinque annorum, sed tam pauper vt non possit pro sua redemptione soluere quinquaginta siclos sanctuarij: tunc statuebatur coram sacerdote, & ab eo etat æstimandus, secundum quòd posset attingere manus eius, id est, sicut poterat habere pecuniam ad se redimendum, & accipitur manus, pro potestate seu facultate. Et aduerte, quòd prout attigerit manus vouentis: Hebraice est. Super os aut iuxta os, quòd attigerit manus vouentis, & sensus est. Sicut dixerint posse attingere manus vouentis. Expetendum erat iudicium bonorum virorum, aut facere dotum: ad æstimandam facultatem vouentis, si pauper esset.

Si animal fuerit, de quo appropinquare faciunt munus Domino, omne de quo dederit Domino, erit sanctitas.

Sensus est quòd si iumentum, aut animal, esset tale, quod ex eo posset Domino sacrificium fieri: tale nullo modo poterat redimi, sed Domino erat immolādum. Et quod dicitur Erit sanctitas, sensus est. Erit talis conditionis, vt est res sancta quæ prophanari non potest, conuertendo eam in alios vsus. Et aduerte votum hic dici donationem.

Non permutabit illud. Verbum chalaph significat transire, vt patet Chabbachu primo vbi dicitur. Tunc chalaph, id est, transiuit spiritus. Et Cantico. secundo. Pluuia chalaph, id est, transiuit. Item Psalmo nonagesimo. Mane florebit, ve chalaph, id est, & transibit. Ex consequenti verò significat commutare, transire facere vnum in alterum. Vritur enim Hebraismus transire facere, pro mutare: vt patet secundo Samuelis duodecimo vbi dicitur. Vaiechaleph, id est, trāsire fecit vestes suas, pro mutauit vestes suas: quibus erat indutus. Hinc etiam est chieleph, id est, trāsitus seu ministerium, quòd ministri, hinc inde transire soleant, iuxta illud
Luc. 12. Lucæ. Transiens ministrabit illis. Inde etiam chaloph, id est, mundus: sic à transeundo dictus. Erit ergo locus iste sic ad literam reddendus. Non transire faciet illud, scilicet animal in alterum quod est non commutabit, vt versum est. Sic verte quod sequitur. scilicet.

Non transire faciet illud, & non commutabit bonum eius malo, vel malum eius bono.

Videtur ex hoc textu vouentem non posse rem deuotam in melius commutare; & ita erat in veteri lege, sed quia illud ad ceremonialia pertinebat: videtur in noua lege licere. Sumitur autē hic malum pro minus bono. Nam malum non licebat offerre.

Illud & commutatio, erit sanctitas, id est, ad sanctitatem pertinebit, quam violare nō licet, aut in vsus prophanos conuertere.

Æstimabit sacerdos. Posset etiam verti, discernet.

Secundum æstimationem sacerdotis, sic erit.

Hebraice legi potest. Secundum æstimationem tuam ó sacerdos sic erit.

Si verò redimendo redemerit illud: addet quintam partem eius secundum æstimationem.

Videtur textus loqui de malo seu minus bono, quòd si vouens redimerit illud: debeat quintam partem valoris addere. Potest etiam textus loqui & germanius videtur de omni animali deuoto Domino: quòd quicunq; voluisset illud redimere: adderet quintam partem æstimationis eius. Et fuit ratio legis, ne homines faciles essent ad redimenda animalia: putantes ea quasi gratis statim sibi restituenda, & iste videtur verus literæ sensus. Et quod dicitur. Super æstimationem, legitur in Hebræo. Secundum æstimationem tuam. Confirmatur iste secundus sensus ex eo quod de domo statim sequitur, quòd qui voluerit eam redimere, addat quintam partem.

Vir cum sanctificauerit domum suam sanctitatem Domino: æstimabit eam sacerdos, id est. Cùm separauerit à se domum suam quasi rem sanctam, seu separatā Domino, æstimabit eam sacerdos: *& vt eam sacerdos æstimauerit sic stabit,* scilicet Domino, aut sic consurget domino. Verbum enim chum quod hic ponitur, proprie significat surgere: inuenitur tamen significare stare, aut firmare: ideo noster Sanctes confirmare vertit. Sed melius quadrat firmare, id est, firma erit, seu stabilis Domino.

Secundum æstimationem super eum. i. quam super ipsum fecerit sacerdos aut quam fecerit sacerdos super illud, scilicet deuotum, seu super rem deuotam.

Si quippiam de agro possessionis suæ sanctificauerit vir Domino. Nolebat Dominus, eum totum agrum vouere, vt relinqueretur illi vnde viueret, & pro eodem hic accipitur sanctificare, & vouere.

Erit æstimatio tua, ad os sementis eius

Sic in Hebræo est: quem Hebraismum, inter alios in principio locauimus, & explicuimus. Est enim sensus. Erit æstimatio tua, iuxta os sementis eius, id est, prout ager sementem exigit. Nam secundum agri quantitatem, exigit semen. Aut prout dixerint agricolæ, agrum sementem exigere.

Semen chomer hordeorum. 50. siclis, id est, ager qui exegerit pro semente, mensuram chomer hordeorum: redimetur quinquaginta siclis. Continet autem chomer (vt sæpius diximus) decem mensuras ephi, quæ constituunt triginta sata.

Si ab anno Iobel, id est, à principio anni Iobel *vouerit.* Nam secūdum maiorem, vel minorem distantiam, ad annum Iobel: sic ager pluris aut minoris redimebatur. quemadmodum de venditione dictum est cap. 25. præcedenti. Et quod sequitur.

Secundum æstimationem firmabitur.

Potest legi Secundum æstimationem tuam consurget, aut stabit: & loquitur ad sacerdotem. Quod si post Iobel, quis vouebat partem agri, supputabat & æstimabat sacerdos illam agri partem: secundum annos qui remanebant vsq; ad Iobel, & quanto pauciores erant tanto magis de pretio minuebat.

Si autem non redemerit agrum, & si vendiderit agrum viro alteri: non redimetur amplius, sed erit ager, postq; exierit in Iobel, sanctitas Domino, sicut ager anathematis.

Duo disponit lex hæc. Alterum quòd si deuouens agrum Domino, nō redemerit eum vsque ad annum Iobel, nō poterit eum amplius redemere, sed ad deum simpliciter pertinebit, & erit sacerdotis. qui erat hæres Domini. Alterum quòd si postquàm quis agrum deuouit, illum vendidisset alteri, etiam ante Iobel amittebat dominium eius: quoniam vendebat quod erat Dei. Et hoc est quod sequitur.

Et erit ager in egredi ipsius in Iobel, id est, dum exierit in iubileo: *sicut ager anathematis.*

Melius verras sicut ager succisionis: quoniam verbum Hebraicum charam, significat occidere, succidere, vt patet Iosuah. 11. vbi habetur. Hecherim otam, id est, occidere fecit, aut succidit eos. Hinc est cherē. i. occisio, succisio, vt Numeri decimooctauo. Omnis cherem, id est, succisio in Israel tibi erit. Et quia res occisa non amplius viuebat, vel redibat ad vitam suam, dicebatur

xlicebatur res quæ non amplius redibat ad Dominum suum: succisio vel occisio. Dicebatur ergo ager, qui non amplius redibat ad Dominum suum, ager succisionis vel occisionis: quoniam illi moriebatur, vt amplius non possideret illum. Vsi autem sunt nostri hic vocabulo anathematis, quod Græcis separationem sonat: quoniam ager ille non poterat amplius redimi, & dicebatur separatus à Domino suo, sed anathema, vel separatio, non videtur plene explicare vim termini Hebraici cherem, id est, succisio: quoniam plus sonat succisio, quàm separatio. Vnde cùm inferius dicitur, Omnis consecratio, quam consecrauit vir, vertendum est.

Omnis succisio quam succiderit vir, id est, omne quod deo deuouerit, veluti rem occisam: vt amplius ad eum non pertineat, & secundum istos vertendum erat. Omne anathema quod anarhematizauerit vir: retēta semper eadem significatione. Sic capite Numerorum citato vertas. Omnis occisio, id est, oblatio ad modum occisionis: tibi erit. Idem Iosuah septimo. Præuaricati sunt filij Israel præuaricationem bacharem, id est, in succisione: seu in re per modum rei occisæ consecrata Deo. Inde etiam cherem, id est, nasā, quòd pisces ex eo amplius non egrediantur, aut ea occidantur. De hoc vou genere habes Numeri vigesimoprimo Iosuah sexto, Deut. 12. & Iudicum vndecimo. Et tale votum multi arbitrantur fuisse Leptæ.

Si verò agrum emptionis suæ, qui non est de agro possessionis suæ sanctificauerit Domino.

Loquitur hic lex de eo qui Domino vouebat agrum, quem ab alio emerat: qui in anno Iobel debebat redire ad Dominum suum: qui ager debebat à sacerdote æstimari, quot scilicet annis erat à vouente possidendus, vsque ad Iobel: quando restituendus erat Domino, & secundum plures aut pauciores annos, debebat sacerdoti pretium dare. Et quod dicitur.

In die ipsa, potest intelligi in die qua vouerit, & sic ne vera intelligendum est, & non in die iubilæi.

Et dabit pretium redemptionis: tanquàm rem Domino consecratam, & separatam.

Reuertetur ager ad eum qui emit eum à se.

Non bene, meo iudicio noster Sanctes, hāc clausulam ex Hebræo vertit. Non enim ager erat reuersurus, ad eum qui à vero Domino emerat, sed ad ipsum Dominum: vnde sic litera reddenda est. Reuertetur ager, ad eum cui emit eum ab eo. Et ab eo, quātum ad sensum attinet redundat, vt commune est Hebræis. Et hunc sensum statim litera sequens explicat, more suo dicēs. Et cui est possessio terræ. Vnde Munsterus melius vertit in anno iubilei reuertetur ad eum, à quo iste eum emit. *Omnis æstimatio tua, erit secundum siclum sanctitatis.* Dicunt Hebræi sechel sanctuarij, fuisse duplum ad vsualem. Dicitur autem sechel, à sachal, quod est librare, ponderare, & videtur fuisse numisma argenteum: quoniam in scriptura frequenter ei additur cheseph, id est, argentum: vt Gen. 23. Dicitur autem à pondere quòd illo tempore numismata ad pōdus dabantur, & recipiebantur: vt patet Gen. 23. de pecunia agri transeunte ad mercatores, id est, iusti ponderis. Valebat autem vt hic & Ezechie. 45. dicitur. 20. obulos, neque satis constat quanti valeret obulus. Dicitur autem Hebraice obulus gerah, à garah quod est miscere maxime litem, quia fortè vt fieri solet, erat mixtus alio metallo forsitan argento: aut dicitur gerah, id est, mixtio litis, quòd propter pecuniam soleant homines litigare.

Vendatur secundum æstimationem. Hebraice. Vendetur pro tua æstimatione.

Verumtamen omnis succisio quam succiderit vir Domino, ex omnibus quæ sunt sibi: ab homine, &c.

Sensus est. Omnis consecratio quam per modum succisionis succiderit vir, & quæ sint illa quæ isto modo offerri possunt explicat textus, & omnia hæc dicuntur sanctitas Domino: quia non poterant ad aliquem vsum hominum amplius applicari. Et quod dicitur.

Omnis consecratio: tu verte. Omnis succisio.

Et omnis succisio quæ succidetur de homine: non redimetur, Moriendo morietur. Contendunt hic multi, dicentes non licere hominem per modum succisionis, id est, ad occidendum illum Domino, deuouere, & isti vertunt.

Omnis consecratio quæ consecrabitur ab homine, scilicet per modum anathematis, non redimetur: sed moriendo morietur, & hunc sensum præ se fert paraphrastes Chaldæus, à quo noster Sanctes, Munsterus, & multi alij illum mutuarunt: qui nephas arbitrantur Deum præcepisse, hominem ex voto occidere: cum prohibuerit Iehudæis, filios idolis immolare. Sed hunc sensum, duo exibilare videntur. Alterum quia textus præcedenti sententia dicit. Omnis succisio quam succidet vir Domino, ex omnibus quæ sunt sibi, ab homine & animali. Ex quibus constat, hominem posse deuoueri voto succisionis. Secundum quia textus iste, expresse habet. Omnis succisio quæ succidetur de homine. Ponitur enim in Hebræo præpositio min, quod est de. Est etiam ad hoc Iudæorum partica, qua Iudæi vouentes hoc voti genus putabant se teneri. ad occisionem vel deletionem eorum, quæ sic deuouebantur: vt patet Numeri vigesimo primo: vbi cùm Chananæus pugnasset cum Israel, & prædam ex eo tulisset, Israel se voto obstrinxit dicens. Si tradideris populum istum in manu mea: succidam vrbes eorum: vbi ponitur idem verbum, scilicet charam: quod ponitur hic. Et infra eodem capite dicitur, perdidisse Israel omnes vrbes eorum, quoniam arbitratus est, se ad hoc ex suo voto teneri. Sic etiā Iosuah sexto dixit ipse. Erit ciuitas hæc succisio, loquens de Ierico, & omnia quæ in ea sunt Domino, & statim subditur. Tantum Raab cauponа viuet. Vbi ad oculum liquet, omnes alios ex voto occisos. Omitto historiam Leptæ, propter contentiones & rixas: qui ex hac lege putauit se teneri occidere filiam. Vnde videtur quòd si quis hominem Domino voto succisionis deuoueret, teneretur illum occidere. Sed in hoc meo iudicio errabant Iudæi, saltem aliqui quia putabant hoc votum, posse fieri de fidelibus hominibus, cùm ex scriptura constet, de solis inimicis nominis Dei & populi fuisse factum. Si verò hoc tibi durum nimis videtur, potes literam isto modo exponere. Omnis succisio quæ succidetur de homine, non redimetur: sed moriendo morietur, id est, omne votum quod Deo de homine per modum succisionis deuouetur: non redimetur, sed moriēdo morietur, id est, vsque ad mortem erit in ministerio Dei.

Sanctitas Domino, id est, separatæ erunt decimæ, ad cultum Dei, seu applicatæ Domino.

Omnes decimæ bouum & ouium omnium, quæ transeunt sub virga, decimum erit sanctitas Domino.

Modus numerandi pecudes apud Hebræos.

Erat Hebræis pastoribus, hic modus numerandi pecudes. Statuebāt matres extra ouile, & faciebant agnos & hœdos transire per arctum locum, & virga designabant transeuntes. Alij locum interpretantur vt idem sit transire sub virga, quod transire sub cura seu custodia, aut gubernatione. Solent enim pastores virga pecudes dirigere. Exigit autem dominus hic ab Israelitis decimas, quoniam Iaacob eas illi deuouerat Gen. 28. Colligitur ergo ex hoc capite, duplex genus votorum. Alia erant absolute vota quæ ab Hebræis dicūtur æstimationis non succisionis. Alia verò erant succisionis, quibus id quod deuouebatur, non poterat commutari aut redimi: sed omnino occidendum aut destruendum erat: quemadmodum diximus. Et ex hoc loco arbitror Theologos nōstros inter simplex, & solenne, votum discreuisse ac dixisse quosdam solenne nō posse à pontifice dispensari.

IN CAPVT. XXVII. LEVITICI
ad morum ornamentum annotatio.

Vir si permutare voluerit votum.

Nouit pius pater homines ad vouendum faciles, non sic autem ad reddendum: sed eos sæpe votorum suorum pœnitere: ideo concessit permutationes & redemptiones: quā in re prælatos Ecclesiæ docet,

facilè in votis subditorum dispensare: neque ab humana exigere fragilitate, quod non potest sine difficultate præstare.

Erit æstimatio masculi à viginti annis vsque ad sexaginta. 50. sicli argenti.

Diximus in Hebræo haberi. Erit æstimatio tua. Vbi considera, quantæ æquitatis voluerit Dominus suos sacerdotes esse: vt videlicet in causa propria, iudices & æstimatores essent: vt infra clare dicitur de rebus quorum æstimatio non erat à lege taxata. Habes etiam ex hoc loco hominem posse pecunia æstimari, licet sit omni pecunia pretiosior, & pensandum esse, secundum quod viribus valet. Tertio fœminam semper minoris, quàm vir æstimandam esse: tam in hominibus quàm in animalibus.

Si pauperior est. Admonet locus iste principes vt in exigendis tributis, semper pauperum rationem habeant: neq; vltra id quod possunt, ab eis exigant.

Si animal fuerit de quo offerant oblationem Domino. Ferè omnes ministri diuini cultus, vicarios habere volunt, sed qui ad cultum dei apti sunt: non debent alios sui loco subrogare.

Non commutabit bonum pro malo. Eo ipso quo res incipit esse Domini, pluris quàm antea æstimanda est: vt etiam si mala videatur: non sit ei comparanda quantumcunque bona prophana. Ex quo discant serui Dei, & religiosi viri, se omnes alios prophanos homines excedere: vnde sacra vasa post consecrationem, nullo pretio emi possunt. Quo etiam in loco discе, filios Adam genus pessimum & falax: qui etiam quæ Deo vouent commutare velint, vt quod melius est habeant, Deo vero suo deteriora relinquant.

Illud & commutatio eius; erit sanctitas.

Magna proculdubio est sanctitatis vis, vt eo ipso quo aliquid pro ea commutatur: sanctum fiat.

Si redimendo redemerit, addat quintam partem.

Etiam hic locus ostendit, quanti facienda sit sacra res: eo ipso quod sacra est: vt quintam partem plusquam antea valeat.

Vir cuin sanctificauerit domum suam.

Sunt multi qui solum ea quibus non indigent Domino offerunt, quos pulchre locus iste taxare videtur: qui domum, agrum, & id genus alia, imò & seipsum, vouere Domino docet: quo facto protestamur, & nos & nostra Dei esse: quod si non potes Deo dare teipsum aut ea quibus indiges: saltem da pretium eorum.

Si vendiderit agrum viro alteri. Quæ Deo deuouimus, non alteri quàm Deo donanda aut vendenda sunt. Sed sunt multi, qui vtdicitur eâdem filiam: multis generis tradere volunt.

In anno Iobel reuertetur ager ad eum cui emit.

Non vult Dominus munus, cum alterius iniuria: neq; de alieno sibi sacrificium fieri, aut votum. Sunt enim aliqui qui libenter aliena offerunt: sua verò summe custodiunt.

Omnis æstimatio erit secundum siclum sanctuarij.

Alia mensura metiendum est Deo, atque alia hominibus. Cùm enim Deus nobis, omnia sine mensura, & numero, dederit: æquum est, vt nos illi maiori quàm aliis mensura, metiamur. Contra eos qui fraudant, decimarum & aliarum oblationum mensuram.

Primogenitum oblatum Domino, non sanctificabitur.

Infidelis homo, soluere vult Deo, ex eo quod dei est, non ex suo. Vnde constat ex aliàs debito: non bene debitum solui.

Veruntamen omnis successio, quam succidit vir Domino.

Quemadmodum Dominus cupit bona conseruari, ita & mala destrui: neq; minus sibi grata est nocentis occisio: quàm innocentis conseruatio. Cùm enim leuitæ impios & idololatras ex mandato Moseh occidissent Exodi 32
audierunt ab eo. Consecrastis manus vestras deo, præuaricantium cruore, & forte ex hoc loco gentiles didicerunt, homines facinorosos occidere, aut Diis suis immolare: pro plaga in republica sedanda.

Omnis decima de semine terræ, de fructibus ligni.

Docei hic textus, de quibus rebus decimæ soluendæ sunt: nempe de fructibus terræ & arborum, & de pecoribus.

Non quæret vtrum bonum vel malum sit.

Quid Domine mi dicis in his verbis? Nonne tibi semper meliora seligenda sunt, & offerenda? Nonne hac de causa respuisti Chaini munus & fratris Hebelis acceptasti, quod ille sine delectu non selectiora elegit, frater verò arietum pinguedines quibus te maximè delectari putabat selegit ad sacrificium tuum? Vtiq;, sed hoc in his quæ ei nostra sponte offerimus, in aliis verò, qualia ipse dat nobis: talia à nobis exigit. In quibus principes & prælati discant, non quærere à suis in persoluendis decimis, & tributis, meliora quàm humus gignat. Quinam homines tam facilè placaremus sicut Deum. Mirum valde quod nulla res tam facilè neque tam difficile placetur vt deus. Audi deum apud Ezechielem, quasi implacabilem dicere capit. 24. Non retrocedam & non parcam & non pœnitebit me: iuxta vias tuas & opera tua iudicauerunt te iudices dicit dominus. Et hoseh. 5. Ibunt cum bobus & muneribus suis ad quærēdum deum & non inuenient, ablatus est ab eis. Vis eum videre facilè placatum? Audi eum Ieremiæ. 31. Nonne filius pretiosus est mihi Ephraim? Nonne puer delectabilis? Quia ex tempore quo loquutus sum cum eo: recordando recordabor eius adhuc: idcirco sonuerunt viscera mea. Et Isaiæ. 30. Populus enim in Sion habitabit in Ierusalem, plorādo non plorabis, miserebitur tui. Ad vocem clamoris tui, cùm audierit respondebit tibi, cui gloria & honor per infinita sæcula qui concessit hunc absoluisse librum.

FINIS.

Commentaria in LIBRVM NVMERORVM.

Incipit Liber Vaidaber, ID EST, ET LOCVTVS EST, Qui Numerorum appellatur: in Caput primum iuxta literam adnotatio.

ADMONVI IAM SVPERioribus libris Hebræos, quosdam libros à primis eorum dictionibus nominati, quemadmodum Genesin, Bereschit: Exodum Veeleh semot, & reliquos legis sic & hunc appellant Vaidaber, id est, Et locutus est, quòd sic in Hebræo incipiat. Græci verò Numeros vocant, quòd in eius initio Dominus, populum numerare præcipiat, ob quam causam, etiam Latini librum Numerorum vocant.

Si quæras ob quam causam Dominus, populum numerare præceperit, dico quòd ob duas. Altera vt eis ostenderet se implesse Patrum promissionem, præcipuè Abrahæ, cui promiserat se filios eius veluti stellas cœli, & arenam quæ est in littore maris, multiplicaturum. Cùm enim expendetent, quàm pauci in Ægyptum intrauerint, & quàm copioso exercitu exierint, cognoscerent Deum incœpisse complere Patrum promissa. Altera vt apti ad imminentia bella ex omnibus seligerentur. Cùm enim promissam terram iam iam essent intraturi, & habitatores eius se ad bellum aduersus eos gerendum pararent, opus erat vt etiā ipsi acies suas ordinarent, bellatores eligerent, quibus ab inimicis pollicitam terram vindicarent sibi.

In vna mensis secundi, anno secundo, quo egressi sunt è terra Ægypti. Vocant Hebræi primam diem mensis, vnam mensis, sicut primam sabbati, vnā sabbati, quoniam qui dies mensis supputant, ab vno incipiunt, & numerantes dies hebdomadæ: itidē faciunt. Sic & Hispani aliquando dicunt Endos de março. i. in duobus martij, aut tribus, pro in secunda aut tertia die mensis martij. Fuit autem hæc dies, prima mensis Iar, qui pro magna sui parte, currit cum Aprili nostro. Primus enim apud eos mensis, vocatur Nissan, qui respondet patri nostri Martij. Transierat enim annus cum mense ab eorum egressu ex Ægypto.

Leuate caput, omnis coetus filiorum Israel,

Exodi trigesimooctauo præceperat Dominus populum numerare, vt quisque dimidium siclum, pro opere sanctuarij solueret. Non autem singulos per nomina sua describi, quemadmodum nunc. Aliqui hic interpretantur pro leuate caput, capite summam: sed in Hebræo priori modo est, & meo iudicio est hebraismus, qui significat. Numerate capita, & putarem hunc numerandi modum, apud Israelitas fuisse, vt scilicet, sedentibus multis, præciperent vnum post alium eleuare se, & ideò numerare, vocatur hic leuare caput. Aut secundo, leuare caput, est leuate summam, ex eis numeratis. Videtur enim summa esse quasi caput numeratorum, sed prior expositio magis placet. Nam vsque hodie nostri dicunt, habeo tot capita boum, ouiū, aut caprarum. Aut tertio leuate caput, id est, summam eorum, qui sunt in populo capita familiarum: vt scilicet prius capita numerentur, deinde illi qui sunt sub illo capite.

Per familias suas. Significat verbum hebraicum sapach, famulari: vnde sipchah, id est, famula vel ancilla, & sepachah, id est, familia. sic dicta quòd debeant homines illius, sibi inuicem famulari, aut maioribus illius. Vocantur autem familia, illi qui pertinent ad eandem domum, aut ratione propinquitatis sanguinis, aut ratione cōiunctionis in eadem domo. Et quod sequitur.

Per domos patrum suorum. Idem est quòd per domos eorum, qui sunt familiarum Patres, & præcipui. Potest etiam, hoc quod dicitur per domos patrum, esse explicatio illius, quod dictum est per familias suas: vt scilicet, idem sit familia quòd domus patrum.

Secundum numerum nominum, id est, numerando singulos, per nomina sua, & videtur supputatio hoc modo facta, In familia Rubenitarum sunt tot domus patrum, in qualibet verò domo, sunt tot personæ, scilicet, Ruben, Iaacub, Leui, &c.

Omnem masculum per capita eorum, id est, numerando solos masculos, quoniam (vt dixi) supputatio fiebat ad bellum contra Chenanæos gerendum: ad quod fœminæ non valebant & hæc est causa, quare etiam iuuentur numerari, à viginti annis & supra Neque erant numerandi senes emeritæ militiæ, à quinquagesimo anno & supra, quoniam post quinquagesimum: non amplius militabant, vt infra quarto capite dicitur.

Si quæras quare præcepit Dominus à viginti annis & supra, nō autem infra numerare: lege priorem librum Paralipom. capite vigesimoseptimo, vbi pro causa assignatur, quòd promiserit Dominus Israelem multiplicare, sicut stellas cœli, id est, in immensum: vt non posset numerari. Ne ergo aliquis præsumeret numerare, quod Dominus voluit sine numero esse, prohibuit à viginti annis & infra numerari. Et quia Dauid ibi, iussit omnes numerare, etiam infra vigesimum annum: pœnas dedit populus, quòd tot milia, ea de causa interiere. Vnde ibidem dicitur. Et nō leuauit Dauid numerum eorum, à filio viginti annorum & infra.

Neque hic iubentur dimidium sicli soluere, quoniam hoc pro constanti habebatur quotiens supputatio facienda erat. Ponitur autem hic gulgolet, id est, caput, à galal quod est voluere vel reuoluere, & dicitur caput à reuolutione, quod ad diuersas partes volui potest: aut à rotunditate.

Per exercitus suos, id est, constituendo ex eis exercitum, aut quemadmodum solent ad exercitum venire.

Vobiscum singuli viri per tribus. Hebraicè est. Vobiscum erunt, vir & vir, secundum tribum, id est, de qualibet tribu vir vnus, & quis ille esset futurus, statim explicat dicens.

Vir caput domus patrum suorum, id est, qui est præcipuus & maior, inter patres illius tribus.

Selumiel, filius Suri saddai. Potest suri saddai vnicum esse nomen, aut cognomen viri patris Selumiel, & etiā nomen appellatiuum, vt sit sensus. Filius Suri Saddai, id est, Suri diuitis vel abundantis, quoniam Saddai, à saddad quod est mamma, significat vbertatem, aut potentiam, iuxta eos qui dicunt Saddai significare potentem. Sic quod infra dicitur de Menasseh Ghamliel Pedahassur, vbi nomen Pedhassur, potest esse totum vnum nomen, aut cognomen Ghamliel, & est nomen appellatiuum sonans fortem. Idem de nomine Hammā Addai.

Isti sunt vocati coetus, principes tribuum patrum suorum. Duplex potest esse horum verborum sensus. Primus est. Isti scilicet supra positi, sunt viri nominati seu famosi aut magni nominis, in cōgregatione filiorum Israel, Principes seu eleuati, in tribubus suis, & inter patres tribuū. Secundus sensus est. Isti sunt qui in cœtu Israel vocabantur, scilicet, ad concilia vel conuentus: eleuatiores in tribubus & patribus suis.

Capita milium Israel, id est, maiores & rectores, inter innumerabiles miriades Israel.

Qui numerati sunt per nomina. Verbum nachab, nusquam quòd legerim inuenitur significare numerare. quare Sanctem nostrum miror hic vertere numerare. Munsterus vertit qui nominibus suis sunt expressi verbi significatio non plenè nota est. Hebræi dicunt quòd significat perforare, & fortè scribere, quod quoni

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam erat quoddam perforate, quando tabellis cæreis homines scribebant. Diximus Leuitici. 24. quod nobis videbatur Genesis. 30. habes Nachhah, id est, Expone, aut explica mercedem tuam. Erant ergo isti scripti, aut aut expositi per nomina sua.

Ostenderunt natiuitatem suam, per familias suas, per domum patrum suorum. Vnicum verbum est in Hebræo, scilicet, Itialledu, id est, nati sunt aut nasci fecerunt se: sed sensus à Sancte optimè redditus est per ostenderunt natiuitatem suam, id est, qualiter essent maiores natu, super familias suas, & super domum patrum suorum.

Cum numero nominum, à filio viginti annorum & supra. Sensus est. Isti non solùm ostenderunt natiuitatem suam super familias suas: sed etiam adduxerunt numerum nominum filiorum suæ progenici, à viginti annis & supra, numerando eos per capita sua, vel adducendo capita eorum, id est, numerum capitum.

Et fuerunt filij Reuben primogeniti Israel. Vocatur nonnunquam: Reuben primogenitus Israel, quòd reuera esset primogenitus. Post peccatum tamen eius, translata est eius primogenitura in Ioseph, vt habetur quinto capite prioris libri Paralipoménon.

Per generationes suas, per familias suas, & per domos patrum suorum. In Hebræo nulla est præpositio in generationibus eorum: vnde legi posset. Fuerunt filij Reuben primogeniti Israel nèpe generationes eorum seu fuerunt generationes Reubenitarum, per familias, & domos Patrum. Supra enim non est facta mentio generationum, sed familiarum & domorum. Si tamen distincta esse velis hæc tria, tunc per generationes Reuben intellige omnes descendentes à Reuben, per familias verò intellige familias descendentium ab vno patre, per domos patrum intelligo domum vniuscuiusque patrisfamiliàs. Vide de his quinto capite secundi libri Paralipom. verbi gratia. Omnes descendentes à Reuben dicuntur generatio Reubenitarum. Familiæ verò Chanoch, Pallu, Chesron, & Charmi, qui fuerunt filij Reuben. Patres verò domorum, erãt patres vniuscuiusque familiæ. Sed hoc discrimen, non semper in sacris literis seruatur.

Secundum numerum nominum per capita sua, id est, iuxta numerorum nominatorum, qui numerabantur per capita sua.

Fuerunt omnes numeri, sexcenta milia, & tria milia, quingenti quinquaginta. Exodi duodecimo dicitur numerum Israelitarum cùm de Ægypto egrederentur, fuisse ferè sexcenta milia, præter paruulos, & mirum videtur quòd ad annum cum mense, non creuerint nisi ad tria milia quingentos quinquaginta. Ad quod potest dici, eos propter itineris labores, non potuisse ita generationi vacare sicut quando in Ægypto quiescebant, secundo dicitur, in textu non haberi, eos ad hùc solùm numerum multiplicatos: sed tot productos ad bella aptos, cum quo starent, eos paruulos ad maiorem & ampliorem, numerum multiplicasse.

Leuitæ non fuerunt numerati, per tribum patrum suorum in medio eorum, id est, inter numerandum filios Israel, non fuerunt Leuitæ numerati per tribum, id est in tribu patrum suorum, seu per tribum Leui inter patres, aut per patres suos. Et ratio est, quia alius supputãdi modus debebat, inter Leuitas obseruari, vt sequẽti capite tertio habetur. Nam isti numerabantur à filio mensis & supra. Alij verò vt dictum est, à filio viginti annorum & supra, & licet Leuitæ numerarentur à filio mensis & supra, non tamen ad opus seu ministeriũ sanctuarij, vocabantur nisi à trigesimo vsque ad quinquagesimum vt dicitur quarto capite sequenti.

Summam eorum non capies. Hebraicè est.

Caput eorum non leuabis, id est, non numerabis eos per capita, seu singulos. Aut non facies eos capita leuare, vt numerentur, & loquutio est exposita hoc eodem capite.

Tu præfice Leuitas super tabernaculum testimonij. Non æquo animo fero, verba hebraica facilè à sua propria significatione alienari. Vechũ enim pachad quod hic Sanctes præficere vertit, significat propriè numerare, & recordari, & hic optimè quadrat.

Tu numera Leuitas seu nunerare fac, super tabernaculum, testimonij, scilicet, distribuendo tum custodiã, tum sarcinas, secundum numerum eorum. Nam secundum quod erant plures vel pauciores in familia multiplicabantur onera tabernaculi.

Per circuitum tabernaculi castrametabuntur, id est, ad modum castrorum disponentur, circundantes tãbernaculum.

Extraneus qui appropinquauerit morietur, id est, qui ex alia gente vel ex alia tribu voluerit hæc ministeria peragere, vel ad ea accedere morietur.

Vir iuxta vexillum suum. Non est plenè certum, dictionem (Degel) significare vexillum, quia sunt aliquot in scriptura loca, in quibus hæc significatio non videtur benè conuenire, vt Canticorum quinto, vbi dicitur. Dilectus meus, candidus & rubicundus Dagul, id est, vexillatus ex millibus, quod nostri vertunt. Electus ex millibus. Similiter Psalmo. 2. vbi habetur. In nomine dei nostri nigdol, id est, vexillabimus (si sic loqui Latinis liceret) seu vexilla erigemus. Idem capsexto Cantici Canticorum vbi habetur. Vertibilis, chanigdalot, id est, vt rotunditates, quod alij vertunt vt castra cum vexillis, ex quo loco coniectura non leuis est, quod significet rotunditatem. Interim tamen toleranda & accipienda est, significatio hebraicæ officinæ.

Non erit ira super cœtum: si, scilicet alienus accedat ad sanctuarium, aut ad munus aliquod Leuitarum. Dictionem tamen quam hic nostri cum Hebræis iram vertunt. Hosch decimo capite spumam interpretantur vbi dicitur Chechieseph, id est, sicut spuma super faciẽ aquarum, quare crediderim dictionem, potius significare seruorem, & ex consequenti spumam, quod ex feruore nascatur, vnde verti posset. Non erit seruor super cœtum, sed sensus est idem.

AD MORVM ORNATVM ADNOtata in caput primum libri Numerorum.

Leuate capita filiorum Israel. Non est Domine impletus annus, quo eos numerare præcepisti, & iam iterum eos supputari vis? Quid est, quòd eos tam crebro numeras? Quemadmodum qui pecuniam, & nummos diligit, continuè eos supputat, & pastor qui pecudes amat, omni die bis gregis sui numerum nosse cupit, ita & Deus hominum quos diligit supputare non desinit. Scit (ait Sapiens) iustus numerum pecoris sui. Fuit tempus (vt alibi iã admonuimus) quando Deus, solius Iudaici populi meminerat, eumque solum ex omnibus quas creauerat gentibus, cognouerat, eosque solos numerare præcipiebat. At vbi venit plenitudo temporis, quo omnium misereri disposuerat, non iam tantum Iudaicum populum, sed vniuersum orbem, Cæsaris ministerio, præcipit supputari. Quare apud Dauidem Psal. 86. dicebat. Memorare faciam Ægyptum, & Babel, scientium me: ac si apertius dicat. Ego qui quondam oblitus eram Ægypti, & Babel ignorantium me iam nunc, eò quòd me cognouerunt, eorum memorabor. Sed qualiter. Ecce (inquit) Palestina, Tirus, cum Æthiopia, iste natus est ibi. Ita (inquit) gentilium memor ero, quòd non solùm ciues faciam, sed natiuos ciuitatis meæ. Sed quando Domine hæc erunt? Dominus (inquit) numerabit, quando scribet populos. Iste natus est ibi. Vtinam domine mi, me inter tuos numerare digneris, vt iam nemo me despiceret, & soluerem etiam ego cum cæteris medium sicli, corporis & animæ meæ. Est aliud, quod hic princeps aduertat, qualiter, scilicet, scire debeas numerum bellatorum tuorum, & eos ante congressum, ordinare, & numerare. Nunquid tam imbecillis es Domine, vt copiis auxiliaribus indigeas, & ad hoc numerare iubeas tuos? Minimè gentium. Sed docere vis principes, diligentes esse, & ex suo quod possunt apponere,

nere, postmodum verò præstolari auxilium tuum. Docet etiã nos, frequenter computare beneficia dei: vt ex perceptis multis, gratias agẽtes, mereamur in immensum augeri. Sed quid vis Domine numerare, quod sine numero multiplicare disposuisti? Puero enim tuo Abraham pollicitus es illius semen sicut puluerẽ terræ, & sicut stellas cœli, multiplicaturũ, quare ergo tã citò præcipis numerũ accipere? Vt nos doceat, quã verax in promissis sit. Septuaginta Ægyptũ paulò ante intrauerant, & iam ad sexcenta tria milia multiplicati erant.

A filio viginti annorum & supra, omnem egredientem ad pugnam: Dominus (ait sanctus Mosch) quasi vir pugnator, equitem & equum proiecit in mare: nouit quoto anno homo ad bella sit aptus, & quo etiam debeat à labore cessare, quo in loco nos docet, nõ ante tẽpus, aut post seniũ, nostros facere laborare. Sunt enim multi, quibus famuli ad. 30. & 40. annos seruiere, neque tamẽ eos libertate donant post seniũ. Vtinam sic principes in sua republica scirent, quis ex suis ad bellũ esset aptus, quisve ineptus quemadmodum Deus.

Vobiscum erunt singuli viri per tribus. Admirabilis valdè est, sapientia & prudentia tua Domine deus noster. Ne se solos ad munus numerationis electos putarent Mosch & Aharon, socios illis principes familiarũ dedisti ne etiã principes inuidia torqueretur, quòd soli duo essent ad hoc munus electi, qua in re Reges admonuit, quã oculati esse debeant in distribuendis honoribus, ne videlicet vni aut duobus, in aliorum inuidiam omnia negotia committant. Quod etiam aduertere licebit, in eo quod principes suis nominibus designauit ne posset inter eos disturbium aliquod oriri.

Ostenderunt natiuitatem suam. Colligo ex hoc loco, apud Israelitas, maiores natu, principes fuisse, vt secundum antiquitatẽ aut senium, maiores in synagoga haberentur. Quis nunc daret, vt seniores, essent populi rectores, & qui multi tẽporis experientia norunt quod magis reipublicæ expediret. Causabatur sanctus Ieremias pueros, eorum dominatos. Et apud Isaiam dominus comminatur capite. 3. Dabo pueros principes eorum, & pueri dominabuntur eis. Abiicere etiam docet abusum illum, quo quis diuitiis aut quouis alio fultus patrocinio, se in populo exaltat & magnum facit cùm vult, nisi enim suam antiquitatem, aut nobilitatẽ, sufficientibus instrumentis probarent in communitate: pro magnis non deberent admitti.

Filij Reuben primogeniti Israel. Perdiderat iste, iam ob patratum scelus primogenituræ suæ ius: sed vt videas quàm sit dominus tardus ad iram adhuc inter fratres primus nominatur, & in filiorum copia cõsidera, quàm multipliciter augetur & crescit ille, cui Dominus dignatus est benedicere.

Fuerunt omnes numeri, sexcenta tria milia, quingenti quinquaginta. Audis hic, innumerabilem ferè multitudinem, & quæ copiosissimum constituebat exercitum non audere cum Chananeis, congredi: vt sciant gẽtes, non esse victoriam in copioso exercitu, aut in curribus & equis, sed in auxilio Domini, nisi enim isti, Deum haberent propitium, quid prodesset eorum innumerabilis multitudo. Hij (inquit) in curribus & in equis, nos autem in nomine Dei nostri speramus.

Leuitæ non fuerunt numerati in medio eorum. Considerent hic Leuitæ, considerent sacerdotes, quod nõ veniunt in numerum sancti cum aliis sed nunc proh dolor, sicut secularis sic & sacerdotes. Pretiosum monile, seruus & minister Dei, & qui non debet inter alia prophanari.

Tu præfice Leuitas, super tabernaculum testimonij. Solum Deum, & quæ ad Dei cultum pertinent, debet curare sacerdos & Leuita. Qui enim Deo militãt, non debent se negotiis secularibus implicare. Debentque omnia, etiam vilia quæ ad Dei ministerium pertinent summa diligentia custodire.

Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vasa eius. Dedignantur ex sacerdotibus & Leuitis multi, in suis ministeriis seruire, hic verò super dorsa sua iubentur tabernaculum portare, & tria hic ponuntur Leuitarum munera, scilicet, deferre quæ Dei sunt, & ea custodiri, tertium ministrare ei.

Extraneus qui appropinquauerit, morietur. Non audeat secularis, ad ea quæ ad Dei cultum & ministerium pertinent, se ingerere, & meminerit quid acciderit Hozah. 2. Regum. 6. cum temerè arcam Domini tetigisset nudam.

Et Leuitæ castrametabuntur in circuitu tabernaculi testimonij. Considerent hanc dignationem Ecclesiastici omnes, quibus se dominus tradidit custodiendũ. Non solum enim sua, sed & seipsum, eorũ custodiæ tradere dignatus est, qui se nobis tradere dignetur ad bonum nostrum, cui laus per secula infinita. Amen.

IN CAPVT. II. NVMERORVM adnotationes iuxta literam.

Et locutus est Dominus ad Mosen. Disponuntur hic omnia castra, & acies militum, & quẽ locum vnaquæque acierum seruare debeat, dum manere vel incedere contigerit.

Vir supra, aut iuxta vexillum suum, cum signis domus patrum suorum, castrametabuntur, filij Israel, E regione, in circuitu tabernaculi ecclesiæ, castrametabuntur.

Disposuit Dominus quem locum tenere singuli debeant, quod videlicet vnusquisque sequatur vexillum suum. Habebat enim quæque tribus, vexillum suum, quod omnes illius tribus sequebantur, ne cõfusio esset in castris. Et quod sequitur, scilicet, cùm signis domus patrum suorum, explicatio est præcedentis sententiæ: vt in hebraismo frequentissimum est. Quod enim dixerat. Iuxta vexillum suum explicat dicens. Cum signis domus patrum suorum. Et dictio dagul, quam hic omnes vexillum vertunt, vertit Hieronymus Cant. 5. Electus ex millibus. Et quod sequitur.

E regione, in circuitu tabernaculi, significat omnes acies debere manere, & castra figere, iuxta tabernaculum, è regione eius, circundantes tamen illud. Posset etiam intelligi, quasdam acies fuisse è regione tabernaculi, illas, scilicet, quæ erant ad Orientalem plagã, versus quã erat tabernaculi ostium, quę dicuntur esse è regione tabernaculi, omnes verò alię circumeitea, circũdantes tabernaculum. Illi enim dicuntur è regione domus nostræ morari, quorum ostium domus, est è regione ostij domus nostræ, & videtur sensus iste germanior. Neque in hebræo ponitur aliqua præpositio, iuxta dictionem sabib, id est, circuitus. Illud etiam quod vertimus. Vir iuxta vexillum suum, posset verti. Iuxta ordinem, vel aciem suam, quoniam vt capite præcedenti diximus, incertum est, an dictio degel, significet vexillum, vel potius ordinem seu aciem ordinatam. Et sic vulgatus vertit Cant. 6. Terribilis chanigdalot, id est, vt castrorum acies, quod alij vertunt. Vertibilis vt vexillata, seu vt castra cum vexillis.

Et erunt castrametantes ad Orientem, ab ortu, vexillum castrorũ Iehudah, per exercitus suos. Non mireris quòd postquam dixerat ad Orientem, repetat ab ortu, quoniam gaudet hebraismus huiusmodi repetitionibus, & vt dixi, loco vexilli vertere potes aciem castrorum. Et aduerte quod licet terra sancta sit Ægypto ad Aquilonem, Iudæi tamen, non recta ascendentes, versus ortum Solis iter arripuere, & sic tabernaculi ostium proficiscebatur versus Orientem, quod præcedebant tres tribus, scilicet, Iehudah, Isachar, & Zebulonis, & constabat totus exercitus, centum octoginta sex milia quadringentos. Erat autẽ iste exercitus, cæteris copiosior & robustior, quoniam antecedebat cæteros, & inimicis venientibus primus occurrebat. Erant autem tres tribus versus quamlibet plagam vt clarè in litera dicitur. Neque te turbet, quod in litera numerantur duodecim tribus, præter tribum Leui, quoniam in tribu Ioseph numerantur duæ tribus, scilicet, Ephraim, & Menasses. Caput tribuum erat Iehudah, sub qua Isachar & Zebulon. Reuben ad meridiem, sub quo Simon & Gad. Ephraim ad Occidẽtem, sub quo Menasch & Beniamin: Dan ad Aquilonẽ, sub quo, Asser & Naptalim. Iuxta tabernaculum verò, ex omni parte, erãt Leuitæ:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si queras quare capite precedenti Reuben dictus sit primogenitus Israel, hic vero non detur sibi primus locus, tanquam primogenito. Lege quintum caput prioris libri Paralipomenon, & inuenies præfecturam in præliis, datam Iehudah, quoniam fortior erat cæteris fratribus suis, ideò dux ex eo. Et vbicunque hic vexillum legis, potes legere aciem vel ordinem. Erat autem tabernaculum ecclesiæ in medio, ita quod ante illud, præter Leuitas erant tres tribus, ad latus Meridianum tres, & ad Aquilonem tres, & tres ad Occidentem.

Et proficiscetur tabernaculum ecclesiæ, castra Leuitarum in medio castrorum. Erat tabernaculum Domini inter Leuitas, ipsi verò inter omnes alias tribus. Aliqui pro castra Leuitarum legunt, In castris Leuitarum & videtur simplicior sensus. In Hebræo tamen nulla est præpositio.

In loco suo, cum vexillis suis. In hebræo pro in loco suo, est. Vir ad manum suam, & est sensus. Vnusquisque ad eam plagã, quæ sibi signata est. Solemus enim dicere, & etiam hebraismus hoc schemate vtitur. Isti ibunt aut stabunt ad dextram, isti ad sinistram: vnde cùm dicitur, Vir ad manum suam, idem est ac si dicatur, vnusquisque ibit ad manum sibi designatam, dextram vel sinistram, aut ad plagam sibi decretam.

Ad Occidentem. Hebraicè est Ad mare: sed solet hebraismus vocare Occidentem, mare, quod mare terræ sanctæ ad Occidentem adiaceret, vt sæpius diximus. Consulto hic omittimus Iudæorum fabellas de coloribus vexillorum, quod nihil in scripturis rei habeant aut veritatis.

IN CAPVT. II. NVMERI AD morum ornamentum adnotatio.

VNusquisque iuxta vexillum suum castrametabitur. Admonui in hoc opere sæpissimè, quãtum Deo placuerit, ordinata suorum dispositio, & quantum displicuerit confusio. Neque immeritò vocatur exercituum Deus, quod tam benè nouerit, sua castra disponere. Sed quid hic Domine noui audio? Dicitur enim in textu, quòd è regione tabernaculi tui volueris omnes acies excubare. Nunquid tu qui cuncta protegis, protectione hominum indiges? Nonne tu qui neque dormis, neque dormitas, vt Israel custodias, vis nunc ab Israelitis custodiri? Nonne es sufficiens, ad custodiendam domum tuam? Sed scio quare eos volueris è regione tui, tabernacula figere, vt veluti pius ac prouidus pater in filios prospiceres. Diligebas eas, & hac de causa volebas eos propè te semper habere. In lege enim tua ante præceperas, omnem masculum ter in anno, ad domum tuam venire: vt videres, quantum filij tui profecissent. Ostendit se Dominus aliquando, nostro consilio & auxilio indigere: vt nobis ostendat nostram inscitiam & imbecillitatem. Inquirit enim Christus Ioannis sexto Discipulos suos, qualiter tantam turbam, possit in solitudine saturare, & cùm ipsi nihil præter rei impossibilitatem obiicerent, ostendit eis se posse quæ vellet sine eorum auxilio facere.

Ad ortum erit vexillum Iehudah. Docet hic Dominus quasi vir pugnator, quos debeas militibus tuis princeps præficere: nempe robustiores, qui etiã priori loco statuendi sunt, vt excipiant fortiora tela inimicorum & fortiorem eorum impetum repellant.

Castramet abuntur iuxta eum tribus Isachar. Erat tribus hæc magna, multaque continebat hominum millia, non tamen egrè ferebat, esse sub vexillo Iehudæ: vt doceat duces, vni superiori promptè obedire.

Leuitæ non fuerunt numerati in medio filiorum Israel. Aliæ sunt acies sacerdotum, & ministrũm Dei. Arma enim clericorum vt Hieron. dicit, orationes & lachrymæ, aliæ secularium. Munus enim sacerdotum, diuina custodire nempè iura ecclesiæ, ornamenta, & id genus alia, secularium verò, rempublicam suam tueri.

Fecerunt filij Israel secundũ omnia quæ præceperat Dominus Moseh. Nullus murmurat, nemo causatur se aliis subesse, quibus præesse debuerat: sed omnes imperio Domini obtemperant. Quis daret nos talem habere mentem, vt quisque loco sibi à Deo destinato esset contentus, neque se cogitaret præfectura, alteri concessa dignum? Sed hoc munus altissimi est, qui est per omnia sæcula benedictus. Amen.

IN CAPVT. III. NVMERORVM iuxta literam annotatio.

HIstoriæ sunt generationes Aharon & Moseh. Enumeratis hominibus aliarum tribuum, voluit Dominus filios Leui recenseri: vt eis vteretur ad ministerium suum. Prius enim ordinauit, qui populo in bello seruire debebant, nunc verò disponit de ministris suis. Capitur autem hic generatio pro ipsis genitis, aut filiis. Incœpit autem ab Aharon, quoniam summus sacerdos erat, posuit verò Moseh secundo loco, vt ostenderet sacerdotes præcedere sæculares.

In die qua locutus est Dominus cum Moseh, in monte Sinai, id est, quæ generationes iussæ sunt supputari, in die quo Dominus locutus est Moseh, in monte Sinai. Aut istæ sunt generationes, quas tunc habebat Moseh & Aharon, quando Dominus locutus est ad Moseh.

Qui vnctí sunt cuius impleuit manus eorum: vt sacerdotio fungerentur. Sic in hebræo est, pro quorum impleuit manus. Cùm enim consecrarentur, impletæ sunt manus eorum donis & sacrificiis, quæ Domino offerebant: vt patuit Leuitici octauo. Nostri omnes verterunt. Quorum consecrauit manum: sed vt sæpius testatus sum, verbum mile propriè significat implere. Si tamen consecrauit vertas, non erraſti.

Dum appropinquare facerent ipsi, ignem alienum. Diximus Leuitici. 10. per alienum ignem intelligendum ignem prophanum non desumptum ex altari holocaustorum, qui à Deo fuerat miraculo datus.

Sacerdotio fungebatur Eliazar & Ithamar, iuxta faciem Aharon patris eorum, id est, ante faciem Aharon. Ministrabant enim iuuenes coram patre suo, sicut minores ante summum sacerdotem.

Custodient custodiam eius & custodiam omnis cœtus, coram tabernaculo ecclesiæ, ad seruiendam seruitutem tabernaculi. Explicat quæ sint munera Leuitarum. Nempè custodire custodiam sacerdotis, id est, obseruare præcepta eius, & perficere quæ iusserit ipse. Hoc est enim custodire custodiam alicuius, scilicet, obseruare quæ præceperit ipse, aut ei ministrare & per custodiam omnis cœtus, intelligit omne aliud ministeriũ quod omnis cœtus facere debebat in tabernaculo quod erat. 2. munus leuitarum aut. 2. munus leuitarum est, custodire custodiam omnis cœtus, id est, seruare sacra quæ omnis cœtus seruare debebat: aut arcere cœtum à sacris. Vel 3. administrare cœtui in sacrificiis, & oblationibus suis. Tertium munus est ad seruiendum seruitutem tabernaculi, protando, scilicet, cortinas, tabulas, & sacra vasa. Aut ad ministrandum omne ministerium quod in tabernaculo faciendum est: & hoc videtur statim explicare dicens.

Et custodient omnia vasa tabernaculi ecclesiæ, & custodiam filiorum Israel, id est, quam filij Israel custodire debebant. Debebant enim filij Israel custodire vasa tabernaculi, & illi ministrare: quæ duo voluit Dominus leuitas explere: & videtur hæc sententia explicare præcedentem.

Dabis leuitas Aharon, & filiis eius: dati dati ipsi illi, à filiis Israel. Offerebant filij Israel leuitas, & dono dabant eos Deo: vt seruirent sacerdotibus eius: & dicit. Dati dati ipsi illi, vt ostendat perpetuitatẽ donationis. Aliqui volunt esse hebraismum. Dati dati, id est, dono dati.

Aharon & filios eius præficies. Verbum pachad significat recordari & numerare, & etiam præficere.

Et custodient sacerdotium suum. Ne quis ex aliis tribubus, illud inuaderet, vnde sequitur. Extraneus qui appropinquauerit morietur.

Et ego accepi leuitas è medio filiorum Israel: pro omni primogenito. Quia primogenita omnia erant Dei Exod. 13. voluit Dominus loco primogenitorum, Leuitas habere, & aliqui Hebræorum putant hoc munus ideò illis concessum quòd vitulum non adorauerint, sed hoc nihil est, cùm Aharon eum coluerit & nihilominus in summum sacerdotẽ electus est, sed quia vindicarunt peccatum. Crediderim ego Leuitas ad hoc præ cæteris selectos quòd omissis cõsanguineis & amicis, iniurias domini in populum vindicarunt, quod textus ipse subindicat. Exod. 33. vbi Moseh Leuitis dicit, postquam vindictam expleuerant. Consecrastis manus vestras hodie Domino. Fecisse etiam videtur hoc, quòd ministri vtpote consanguinei, melius sese in ministerio iuuarent.

Sanctifica mihi omne primogenitum. Admonui sæpissimè sanctificare, idem esse quod separare, aut cultui Dei applicari, idem ergo est dictu sanctificaui, quod separaui ad cultum meum.

Ego Dominus, cui, scilicet, primogenita debentur, aut cui obtemperare debetis, quoniam punire possum delicta vestra.

Per domos patrum, & per familias. Videtur quod familia sit vniuersalior, quàm domus patrum; quoniam in familia erant multi patres.

A filio mensis & supra. Disquirendum hic esset, cur in aliis tribubus numerentur a viginti annis & supra: Leuitæ verò à filio mensis. Ad quod dicitur quod Leuitæ à pueris erãt in ministerio Domini edocendi, non sic alij ad militiã, ideò isti à pueris numerantur & non alij, secundo quia Dominus promiserat se filios Israel in maximam & innumerabilem multitudinem multiplicaturum non autem tribum Leui, ideò noluit aliarum tribuum pueros & infantes numerare. Leuiticos verò voluit: vt alibi diximus, tertio & verius quia eorum mutandi erant Leuitæ pro aliis primogenitis, & cùm illi multi essent & Leuitas valdè excederẽt, ne vna pars alteram multum superaret, voluit puellos etiam numerari, & ista meo iudicio est potissima ratio huius diuersitatis.

Iuxta præceptum Domini. Hebraicè habetur, iuxta os domini, sed sensus redditus est, quem in hebraismis expressimus.

Custodia filiorum Gerson, id est, ea quæ filij Gerson custodient, *erit habitaculum & tentorium.* Non plenè constat quid interſit, inter mis̃an, id est, tabernaculum, & ohel, id est, tentorium. Hebræi dicunt operimentum superius, scilicet, pelles taxorum dici tentorium, inferius verò dici habitaculum, cortinas, scilicet, inferiores, sub quibus immediatius erat arca. Ex sacris verò literis colligitur Ohel significare tentorium, quo pastiores vtuntur in campis, quę dicuntur tabernacula pastorum. Habetur enim Isaiæ. 38. Cheolel, id est, sicut tabernaculum pastorum. Et Genesis. 18. Festinauit Abraam haochlah, id est, ad tabernaculum. Infra etiam vigesimoquarto dicit Bilham. Quàm pulchra sunt oha lecha, id est, tabernacula tua. Vnde verbum ahal, quod est radix ohel, significat tabernaculum extendere, seu tabernaculum mutare, tabernaculare. Si sic latinè loqui fas esset Genesis. 13. de Abraam habes Vaiochal, id est, Et tetendit, aut mutauit tabernaculum suum, vsq; Sedon. Mischan verò significat durabiliorem & firmiorem domum, aut interiorem, quare videtur hic mischan significare cortinas inferiores, ohel verò illas quibus tabernaculum, superius tegebatur. & ab iniuria imbrium protegebatur. Vnde Exodi. 26. dicitur. Facies cortinas de pilis caprarum Ieolel, id est, ad tentorium seu tabernaculum, super tabernaculum. quare meo iudicio inferius habitaculum vocabatur habitaculum, superius verò tentorium, quasi tectorium, & forsitè ohel seu tentorium erat alterius figuræ, scilicet, ad modum tecti domus, scilicet, habens speciem dorsi ex parte superiori, inferius verò ad modum tecti scilicet æquale sine vlla elevatione in parte superiori. Non tamen hoc discrimen ita obseruatur, quod non inueniatur confusum. Capite enim vigesimosexto citato Exodi, habetur Facies operimentum Iaohel, id est tentorio, vbi non videtur, superius significare, licet posset verti. Ad tabernaculum seu tentorium, id est, vt sit tentorium. Ex hoc loco constat fuisse tria distincta in tabernaculo, scilicet, Misehan, id est, habitaculum, & ohel, id est, tentorium quod tegebat habitaculũ & michseh, id est, tectum, & videtur quod michseh significet supremum tabernaculi testum, quòd erat ex pellibus taxorum: vnde sequenti capite dicitur. Et operiẽt illud bincheseh, id est, operimento pellis. Et Exodi vigesimosexto. Facies michseh, id est, operimentum tabernaculo, operimentum pellium, id est, è pellibus: quare videtur verius, supremum tegmen quòd dicitur michseh fuisse è pellibus tassorum vt diximus, secundum verò, scilicet, ex pellibus arietum rubricatis, quod dicitur ohel, id est, tentorium: vltimum verò ex cortinis byssi quod dicebatur mischan. Constat etiam ex hoc loco, totum tabernaculum aliquando dici ohel. Hic enim dicitur custodia filiorum Gerson in tabernaculo ecclesiæ, erit habitaculum, & tabernaculum, & tegmen.

Et fiones eius ad omne opus eius. Significat iatar, à quo meter, id est, funis, superfluere, residuum esse & extendere & meter funem seu extensionem quod, scilicet, extendatur. Significatio tamen hæc, non est omnino certa, vt sæpius testati sumus. Est ergo sensus quòd filij Gerson, custodient omnes cortinas, & funes necessarios, ad ligandas ipsas.

Altaria & vasa sanctitatis. Sermo est de altari thimiamathis & holocaustorum & de vasis eorum.

Et velum, scilicet, diuidens sanctum, à sancto sanctorum. Et omne ministerium eius, scilicet, vtriusque altaris, & mensæ propositionis.

Functio custodientium custodiam sanctitatis. Dictio hebraica pecudad, id est, functio quæ hic ponitur, à pachad quod est recordari, & numerare ortum habet, & verti posset numeratio vel recordatio custodientium custodiam sanctitatis: ac si diceat. Princeps principum Leuitarum erit Elhazar filius Aharon sacerdotis, cuius munetis erit, recordari ministrorum custodientium sanctitatem aut numerare eos, vel curabit præfecturam sanctitatis, quasi omnibus præfectus. Erit præfectus omnibus custodientibus sanctitatem. Nomen tamen pechuddah vt plurimum significat recordationem, vt patet Isaiæ. 10. vbi dicitur. Et quid facietis in die pecudah, id est, recordationis? Vocatur autem præfectura recordatio, quoniam præfecti est, omnium meminisse, quare clarius vertas. Præfectura custodientium custodiam sanctitatis. Sic verte in sequentibus nomen pechuddah: licet infra videatur magis numerus quàm præfectura conuenire, vbi dicitur.

Functio custodiæ filiorum Merari, quo in loco magis quadrare videtur numerus custodiæ, id est, rerum custodiendarum à filiis Merari.

Custodientes custodiam sanctuarij, ad custodiam filiorum Israel, id est, custodientes sanctuarium à filiis Israel, ne, scilicet, ipsi ad sanctuarium accedant.

Viginti duo milia. Si supputes summam, filiorum Leui, deprehendes superesse 300. quos Hebræi dicunt fuisse primogenitos tribus Leui, qui non numerantur cum aliis, quia Domini erant.

Accipies Leuitas mihi, ego Dominus, id est, applicabis cultui meo, & quod sequitur. Ego Dominus, id est, Ego sum Dominus, cui omnes seruire debetis: qui eos tantum tibi ministrare disposui.

Et numerum Leuitarum, pro omni numero in filiis Israel. Sicut Dominus omnes Leuitas, pro aliorum Israelitarum primogenitis habere voluit, ita iumenta Leuitarum pro primogenitis iumentorum filiorum Israel, & forte vsquè ad illud tempus, Israelitæ non obtulerant Domino primogenita sua.

Capies quinq; siclos per capita. Erant Leuitæ. 22. millia, erant primogenita horum Israel. 22. millia. 273. quare excedebat primogenita filiorum Israel Leuitas in. 270. tribus, quorum quodlibet, voluit Dominus quinque siclos sanctuarij, siclis redimi.

Viginti obolorum est siclus. Significat garah, à quo gerah,

Universidad de Deusto
Biblioteca

gerah i. obolus miscerè vnde obolus videtur nummus cui aliquid argenti miscebatur: vt modo in multis regionibus fit, quemadmodum in Flādria stuphero misceri solet, & in Italia quatrino, & solido in Gallia. Afachal verò, quod est librare & ponderare, est sechel, id est, siclus, sic dictus quod pondere dari, & recipi solebat. Omnes enim nummi quondam pondere dabantur, & recipiebantur. Exodi trigesimo de valore vtriusque disseruimus: sed arbitror Iudæos illorum valorem ignorare Genesis vigesimotertio, constat fuisse Sechel nummum argenteum, quales omnes illius temporis nummos fuisse arbitror.

A primogenito filiorum Israel accepit pecuniam, id est, à primogenitis, scilicet, excedentibus Leuitas. Aut pro primogenitis filiorum Israel. Disquirunt hic Rabbinorum aliqui, quare cum scriptura dicat in capitis huius initio. Istæ sunt generationes Aharon & Moseh omiserit omnino generationem Moseh enumerata sobole ipsius Aharon. Ad quod respondent, eam esse eādem, ideò enumerata altera, reliqua numerata videtur. Sed huic solutioni obstat quod Moseh, filios habuit neque illorum hic fit mentio, neque alicubi, vbi Leuitica progenies recensetur, & crediderim eos non supputari, aut quia intelliguntur cum fratribus supputari vt diximus, aut quia ex gentili nati essent, licet multi è gentilibus nati, in hac plebe numerentur, quemadmodum Phares & Zaram, & Obed. Hic verò non propriè numerantur progenies Aharon & Moseh, sed potius Leui inter quos supputantur Moseh & Aharon, quòd fuerint è tribu Leui. Aliquis eorum dicit omnes hos, filios Moseh reputari, quod fuerint ab eo legem & mores edocti, vnde dicunt homines potius dicendos filios eorum, à quibus sunt bonos mores edocti, quàm eorum parentum à quibus carnaliter geniti sunt.

IN CAPVT. III. LIBRI NVMErorum, ad mores adnotatio.

Istæ sunt generationes Aharon, & Moseh. Omnibus ferè locis scripturæ, quibus hij duo fratres nominantur, præponi solet Aharoni Moseh per quem Domini decreta, & placita, etiam ad Aharonem peruenie bant, hic verò prætermissus ordo videtur, sed vbi de sacerdotibus & Leuitis præcipuè agitur, non mirum quòd omnibus aliis præponatur sacerdos quibus docemur, quòd & si sacerdotes aliquando Regibus & principibus postponātur, vbi tamen sacerdos suo munere fungi debet, omnibus quantumcunque sublimibus præponendus est.

Mortuus est Nadab & Abiu coram Domino. Memorantur sæpius sacerdotum peccata, & punitiones, vt doceat eos Dominus, quàm caute secum agendum sit, quum pro Icui (vt videtur) peccato in se, tam graues pœnas dederint sacerdotes. Et commendanda maximè venit benignitas Dei, qui nobis quotidie, grauiora committentibus in eum tam facilè condonat.

Stare facies eam, coram Aharon sacerdote. Qualem reuerentiam, inferiores ministri sacerdotibus exhibere debeant, pulchrè locus iste adumbrat: qui Leuitas stare, non sedere, coram sacerdotibus ostendit. Similiter quanta obedientia præditi esse debeant, vt in omnibus pareant summis sacerdotibus, inter quos summa concordia & pax esse debet. Sed nunc proh dolor, parua reuerentia est obedientia nulla, concordia in rixas versa: ita vt nullus ferè ordo, in ecclesiasticis luceat, sed cuncta sint plena confusione.

Ecce ego accepi Leuitas è medio filiorum Israel. Arbitrātur seculares, se immunes à ministerio Dei fui, quasi ipsi expertes sint, numerorum Dei. Licet enim Dominus illorum noluerit personas: voluit tamē eos ex suis ministros offerre, vt, scilicet, scirent se teneri ad ministeria Dei. Neq; prætereundum est, quàm parum cupidus nostrarum rerum, sit Deus noster, qui solum sibi debita primogenita, voluerit offerri.

A filio mensis & supra. Hæc sunt commutationes dei nostri nobiscum, vt iuuenem aut vitulum pulchrum & integrum, tradat nobis pro puello filio vnius mensis, ac pro quinq; siclis redimi velit, quo in loco etiam agnosce faceredos, quanti te fecerit Deus tuus, vt te potius infantem, quàm secularem iuuenem aut virum, habere velit ministrum.

Custodia filiorum Gerson in tabernaculo erit. Ordinem & discrimen in omni ministerio Dei docet locus iste: vt ministri distincti ac custodes sint, & quisque peculiaria sibi commissa custodire teneatur. Vbi enim in ministris, & ministerio ordo non est, omnia confusa sunt, & Domini perperam fiunt debita ministeria.

Capies Leuitas mihi, pro omni primogenito in filiis Israel. Quid quæso meruistis filij Leui, vt cæteris abiectis, vos solos ad sua ministeria, admittat Deus? Qui est Domini iungatur mihi (ait Moseh) omni populo, & quia filij Leui ad horam, sua sponte se domino con iunxerunt, perpetuo eos adiunxit sibi: vt nos admoneat, quid valeat vindicare iniurias Dei. Sic & Elhazar, sacerdotium, & perpetuam pacem cum Deo habere meruit, quod ad horam se dei vindicem: in reprobum & iniurium exhibuit.

Iumentum Leuitarum, pro omni primogenito filiorum Israel. Omnia sacta (vt aliàs diximus) pluris quàm secularia à Domino fiunt: vt pluris. 2. aut. 3. genitum faciat animal Leuitarum, quàm primogenita omnia filiorum Israel. Omnia quæ sunt Leuitarum æstimat, omnia curat. Quis nō ministrabit tibi bone Domine, qui tanti facis iumenta ministrorum tuorum. Diligit enim Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.

Capies quinque siclos. Admonentur hîc hi, qui Deo suo administrare nequeunt, alium suo loco, si opus sit pecunia emere, qui deo pro se administret, & cùm deo tuo fueris ingratus minister, gratiorem quære, quem Deo dare possis. Et memento redimere vitam tuam, quam Deo debes.

IN CAPVT. IIII. NVMERI AD literam annotatio.

Et locutus est Dominus ad Moseh. Describuntur hoc capite Leuitarum officia, iuxta cuiusque familiam.

Leua caput filiorum Chehat, è medio filiorum Leui. Exposuimus hanc locutionem primo capite huius libri. Postquam enim quis numerauit pecudes, aut armenta sua, dicere solet: Habeo tot capita boum, tot ouium, & sic de hominibus arbitror Hebræos dicere. Sunt tot hominum capita. Neque multum absum, vt putem modum numerandi Hebræorum fuisse, leuando capita: vt loco citato diximus. Est autem sensus. Numera capita hominum seu filiorum Chehat. Aut vt Sanctes vertit. Leua summam. Iubentur autem isti, priori loco numerari, quoniam horum erat pretiosiora portare.

Per familias suas, per domum patrum suorum. Dixi priori capite familiam, domo patrum communiorem. Sunt enim in eadem familia multæ domus patrum. Potest etiam quod dicitur, per domos patrum esse explicatio eius, quod dicitur per familias suas: vt idem sit familia, quod domus patrum: vt frequenter in hebraismo fieri solet.

A filio triginta annorum & supra, vsque ad filium quinquaginta annorum, omnem venientem ad pugnam: vt faciant opus in tabernaculo ecclesiæ. Primo huius libri capite dictum est filios Israel recensitos à viginti annis & supra omnem venientem ad pugnam, & videtur filios Israel à vigesimo anno numeratos ad pugnā, hic verò à trigesimo numerari dicuntur. Ad quod saluo meliori iudicio dicerem, duas fuisse pugnas in Israel: Altera quæ aduersus hostes fiebat, ad quam à viginti annis & supra numerabantur. Altera quæ fiebat in templo, quæ vocatur pugna, quoniam ibi contentio erat & certabant cantores, socios ex altero choro euincere, aut quia summè ordinati veniebant ad ministerium

sterium quemadmodum milites ad pugnam, & volebat Dominus eos cōtendere, quis illorum melius ministraret sibi, & ad pugnam aduersus hostes eos à viginti annis & supra numerari, ad ministeriū verò templi & tabernaculi à triginta, quia maior discretio erat necessaria ad ministerium Dei quàm ad pugnam aduersus hostem, vnde hic dicitur. Omnem venientem ad pugnam, vt faciant opus in tabernaculo ecclesiæ: vbi videtur vocare, facere opus in tabernaculo, pugnare. Et hoc manifestè constat, ex capite octauo sequēti, vbi dicitur. A filio quinque & viginti annorum & supra ingredientur ad militandum militiam in opere tabernaculi ecclesiæ, vbi vides ministerium templi, militiam vocari. Possemus etiam dicere hebraismum vocare ministerium templi militiam, propter ordinem ministrantium, qui ordinati erant veluti acies in bello & hoc videtur verius. Et licet. 8. cap. sequenti dicatur Leuitas à filio. 25. annorū & supra ingressuros ad opus ministerij sanctuarij, credēdum est eos à. 25. incepisse. Commune tamen fuisse eos à. 30. milites dici: vt. scilicet, illis. 5. annis ante. 30. edocerentur. 30. verò milites cōsummatos fuisse. Sumitur etiam hic filius pro nato, vt idem dictu sit, à filio. 30. annorum, quod ab eo qui est. 30 annos natus. Exigit autem Dominus ministros 30. annorum, ad opus tabernaculi, &. 20. ad pugnandum contra hostes, quoniam maior discretio, & sapiētia exigitur ad ministerium Dei, quàm ad pugnam aduersus hostes, & forte maius robur corporis.

Hæc est seruitus filiorum Chehat, in tabernaculo ecclesiæ sanctum sanctorum. Vertit Sanctes in sua prima editione, quā sequimur Sanctitatis sanctitatum, sed meo iudicio non bene. Est autem sensus. Portio deputata Chehatitis, quam, scilicet, portabunt, sint omnia illa quæ dicuntur sanctissima, qualia erant arca, propiciatorium, altare thimiamatis, mensa propositionis, candelabrum & altare holocaustorum. Hæc enim appellantur in præcedentibus sancta sanctorum, & infra apparet, hæc fuisse oneta illis deputata.

Deponent facient velum extensionis. Sanctes vertit. Velum tēctorij. Alij velum interstitij. Verbum nasach, à quo masach, id est, extensio: significat propriè funere, effundere, & extendere. Quod enim funditur extenditur.

Dabunt super eum, scilicet, arcam *operimentum pellis taxeæ.* Exodi. 26. & 25. diximus de pelle hac, ex qua factum est supremum tabernaculi tectum, & vt ibidem diximus, aut sunt pelles quorundam animalium, quæ dicuntur vulgò apud nos texugos, aut quod verius credo animalium, quæ vulgò dicuntur antas, quorum coria sunt fortissima, ex quibus multiplicatis, nostri faciunt scuta coreacea, quibus in bello aduersus Sarracenos vtuntur, quæ facilè moueri possunt, neq; vtuntur ligneis scutis, propter pondus, & vocantur in vulgari adargas. Sunt autem huiusmodi pelles fortissimæ & quæ facilè imbrem propulsare possunt, ex quibus etiā possunt calcei fieri. Aquila & Simmachus verterunt Ianthinum, pro quo aliqui Antinum vertunt, vt signi ficent illud animal quod diximus Anta vocari.

Expandent pannum totum hiacinthinum. Verbum paras, id est, expandere, propriè significat diuidere, explicare, & ex consequenti expandere, & in hebræo pro panno, habetur vestis, & vertendum ad literam esset.

Expandent super eum vestem, & crediderim ego, tam arcam, quàm mensam habuisse adæquatas vestes, quibus claudebantur. Inferius etiam dicitur. Dabunt, scilicet, vasa, ad vestem hiacinthinam. Vnde cuncta vasa videntur suas habuisse vestes quibus quodammodo vestiebantur. Quòd autem dicitur hiacinthinum dictio techelet, incertæ est significationis: vt iam in Exodo diximus capite vigesimoquinto.

Et ponent vectes eius. Exodi. 25. dicitur, cùm arca fieri iubetur. In annulis arcæ erunt vectes, non remouebuntur ab ea, hic autem mandantur poni. Ad quod dicitur quòd poni hic accipitur pro aptari. Aptabantur enim talitet vectes & opertoria arcę, ne se inuicem im

pedirent dum arca portaretur, aut forsè erāt alij vectes lignei, qui ponebantur post inuolutionem: Liranus dicit quòd inducebātur super scapulas portantium. Sed vera solutio meo iudicio est, quòd licet vectes non abstraherentur absolutè, abstrahebantur tamē cum onera aptabantur & operiebantur: vt portarentur, neque auferebantur vt extra essent, sed vt diximus ad onera componenda, & statim reponebantur in locū suū.

Et super mensam facierum, expandent vestem hyacinthinam. Vocatur hæc mensa facierum, quia in ea ponebatur panis facierum, qui (vt in Exodo diximus) sic dicebatur, quoniam ante faciem Domini ponebatur aut quia. 4. habebat facies, ad modum quadrati lateris.

Ponent super eam scutulas, & cochlearia, & cyathos & medios calamos, operimenti. De omnibus his diximus abundè Exodi vigesimoquinto. Dictionem chaar, id est, scutulam arbitratur Hieronymus significare acetabulum. Est autem acetabulum, genus vasis, quod & heminam dicunt. Videtur autē speciem scutellæ habuisse, quoniam capite septimo sequenti, oblata describitur à principe vniuscuiusque tribus plena simila: vnde videtur fuisse vas concauum, ad modum scutellæ. Dictio sequens chappot, benè per coclearia versa est: sic à curuitate dicta, quoniam verbum chapaph, curuare significat, tertia verò dictio, scilicet, menachitor, id est, ciathos, à nachah, quod est mundare, ortum habet, & verti posset, mundatoria. Aliqui Hebræorum furculas vertunt. Alij palas, & qui furculas vertunt, putant fuisse sustentacula calamorum, ne, scilicet, calami pondere panum frangerentur & deciderent, quæ furculæ, pedes super terram habebant, & superioribus partibus iungebantur calamis. Quod autem sequitur.

Medios calamos, vnica est dictio in hebræo, scilicet, chassot cuius significatum meo iudicio Hebræi ignorant, & putarem potius significare mantilia, quibus panes operiebantur, quia sequitur operimenti: vnde videtur fuisse rem, qua panes operiebantur. Diximus de hac dictione. Exodi vigesimoquinto & trigesimoseptimo, quem locum consulere licebit.

Expandent super eam, scilicet, mensam *vestem Vermiculatam, coccineam*, coloris rubei vermis rubeam, scilicet. Verbum paras vt diximus, propriè diuidere significat, & ex consequenti expandere, si tamē propriam significationem tenere velis, dicendum erit mensam habuisse vestem ex panno diuisam, & ex altera parte colligatam, vt facilius indui posset, super quam erat alia vestis, pellis taxeæ, quod verò significet vermiculatum coccineum diximus Exodi vigesimoquinto. Erat enim vestis, tincta sanguine cuiusdam vermis rubei coloris. Est enim tolaah vermis rubei coloris, vt constat Isaiæ primo. Si fuerint rubra chatola, id est, vt vermiculus. Vltima verò dictio, scilicet, seni si sit à sen, quod est dens vel ebur, significabit colorem eboris. Si autem à sanah quod est duplicare, significabit colorem rubrum intensum, quasi duplicatum: vt sit sensus. Expandent super mensam vestem aut pannum vermiculatum, intense seu impense rubrum.

Arulas eius. Tam nostri quàm Hebræi dicunt, dictionem mactah, significare instrumentum quo prunę ab igne extrahuntur quare aliqui aream, alij thuribulum vertunt, videntur fuisse vasa, super quæ emunctiones lampadarum excipiebantur, & per vasa olei eius, intelligit lechitos, & id genus alia.

Et dabunt illum, & omnia vasa eius ad operimentum pellis taxeæ, id est, operient illud, scilicet, candelabrum & omnia vasa eius pelle taxea.

Et ponent super vectem. Omnia hæc operta ligabantur ad vectem: vt portare possent ea. Radix dictionis mot, id est, vectis, quæ est mut, significat inclinare, & mot videtur baculum significare, seu vectem, quòd super illud homo inclinetur. Nam infra decimotertio capite habetur. Portauerunt illum, scilicet, racemum, bamot, id est, in baculo seu vecte. Et Nahum. 1. habes. Conteram motehu. i. baculum seu sustentaculum eius.

Et removebunt cinerem altaris, & extendet super illud vestem purpuream. Vnicum est in hebræo verbum, scilicet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

scilicet, dessenu, id est, decinerabunt (si latinè sic dici fas esset) & nonnullam coniecturam locus præbet, ad credendum cineres fuisse intra altare, & altare non fuisse intus plenum terra, alias non esset opus altare decinerare, sed eleuare dūtaxat. Quod autem dicitur purpuream. Hebraicè ponitur dictio argaman, quam Hebræi purpuram significare dicunt, sed significatio, eis sicut & nobis incerta est.

Arulas & fuscinulas. Aliqui pro arulis vertunt thuribula (vt iam hoc eodem capite diximus) & videntur fuisse vasa, quibus ignis seu prunæ ab igne extrahebantur. Fuscinulæ verò erant instrumenta quædam quæ vocantur tridentes, quibus ab olla vel cacabo, carnes auferebantur: vt constat ex primo libro Semue. capite secundo, vbi dicitur. Quicquid ascendere faciebat scilicet, puer sacerdotis, hamagleg, id est, fuscinula aut trideuti. Nos vocamus garfo, aut gadan ho: Itali piron, de quo diximus Exodi. 38.

Scopas. Verbi iaah significatio, à qno iaim, id est, scopas, non plenè nota est Hebræis, licet dicant significare remouere, vnde videtur quòd iaim significat instrumenta, quibus ab altari cineres remouebantur, de quo diximus Exodi. 27.

Crateras. Verbum Hebraicum zarach, significat spargere, & mizrachot, id est, crateras, videtur significare vasa, quibus sanguis colligebatur ad aspergendum. Zachariæ enim nono habetur. Et implebunt chamizrach, id est, sicut phialam, aut crateram. Et capite. 14. Chemizrachim, id est, quasi phialæ, ante altare. Item Hamos sexto Qui bibunt bimizreche, id est, in phialis vinum. Ex quibus verbis colligitur, significare paruum vas non magnum. Ex significatione radicis constat significare vas, quo aliquid ad spargendum colligitur. Vide Exodi vigesimoseptimo.

Et moriantur. Aliqui vertunt, ne moriantur, sed in hebræo nulla est negatio.

Et functio Elhazar filij Aharon. Iam hoc eodem capite admonui, pro functione posse legi numerū aut recordationem, aut præsidentiam. Nam in fine capitis dicitur, omnia hæc fore numeranda. quare videtur munus numerandi omnia hæc, aut ea curandi, demandatum Eleazaro filio Aharon.

Et minchah ejus: Certum genus panis aut farinæ erat, de quo abundè diximus Leuit. 2. Dicitur autem iuge, quia omni die offerebatur cum iugi sacrificio agnorum, & volebat Dominus huiusmodi minchah, semper à sacerdote portari, quoniam quamprimum tabernaculum figebatur, Deo offerendum erat.

Et oleum unctionis, scilicet, sacerdotum, quod semper asseruabatur, & ex eo videntur reges postea inungi, vt patet. 1. Regum. 1.

Et in vasis eius. Ne singula nominaret, dixit. Quæ sunt in sanctitate & in vasis eius, per quæ omnia instrumenta intelligit, quibus sanctuario administrabatur.

Ne succidere faciatis tribum familiarum Keathitarum è medio Leuitarum. Cauete ne vestra negligentia keathitæ pereant, si tradideritis eis vasa sanctuarij nuda: quod statim explicat, præcipiens vt sacerdotes ponant keathitas super opus suum, & super onus. Vocat autem opus, ministerium quo Deo ministrare debebant, onus verò quod portare debebant soluto tabernaculo aut onus suum, est explicatio eius quod dixerat. Super opus suum, quod est onus.

Et non ingredientur vt videant, quando operient sanctitatem, & morientur. Non poterant Leuitæ respicere vasa, & instrumenta tabernaculi interioris nuda sub pœna mortis, & hac de causa arbitror Bethsamitas occubuisse. 1. Regum. 1. quòd quadam curiositate voluerint videre arcam Domini nudam, qualem eam remiserant Philistini cùm essent Leuitæ, quibus interdictum erat arcam & alia vasa nuda tangere. Quod autem dicitur.

Quando operient sanctitatem. Aduerte verbum hala, quod Sanctes operire vertit, significare propriè absorbere & deglutire, sed in piel (vt Hebræi dicunt) significat perdere & abscondere. Et de priori significatione exempla habes Iob. 20. Diuitias bala, id est, absorbuit, & euomuit eas. Et Ierem. 51. Belaani, id est, deglutiuit me, tanquam draco. Item Ionah secundo. Et præparauit Dominus piscem magnum, libloa, id est, ad deuorandum Ionah, & in hac significatione potest etiam in piel exponi. Nam Psal. 35. verbum ponitur in secunda coniugatione, vbi dicitur. Ne dicant bilaanuhu, id est, perdidimus eum, vbi Septuaginta vertunt deuorabimus eum. Et fortè hic etiam verti posset Quando deglutient sanctitatem, intelligendo per deglutire, saccis immitti. Diximus enim superius hoc eodem capite, omnia sacra habuisse vestes & saccos suos, quibus cum vas immittitur, à sacco deglutiri videtur & absorberi: sed melius est si dicamus significare propriè deglutire, secundo verò absorbere, quoniam id quod deglutitur, absconditur.

Leua caput, id est, numera per capita vt sæpius diximus.

Per domum patrum suorum, per familias suas. Potest per familias suas appositiuè legi, vt sit explicatio eius quod dictum est per domos suas. Aut per domos intellige personas eiusdem domus, per familias verò patres diuersarum familiarum seu cognationes.

Et ipsos, scilicet, numera, per domos & familias vt diximus.

Et portabunt cortinas habitaculi, & tabernaculum ecclesiæ, operimentum eius & operimentum taxeum, quod est super illud desuper. Dupliciter locus iste interpretari potest, primo modo sic. Et portabunt, scilicet, Gersonitæ cortinas habitaculi, nempè tabernaculum ecclesiæ, seu quæ constituunt tabernaculum ecclesię, & operimentum eius, scilicet, primum, quod erat è pellibus arietum rubricatis, & operimentum supremum, quod erat è pellibus taxorum, secundo modo per cortinas habitaculi possumus intelligere cortinas ex variis picturis, quę dicuntur habitaculum, quoniam sub eis immediatè erat præsentia Domini. Per tabernaculum ecclesiæ, cortinas ex pilis caprarum, per operimentum prius, illud quod erat è pellibus arietum rubricatis, per operimentum taxeum, illud quod erat è pellibus taxorum, & hæc explicatio videtur priori germanior. Posset & tertius sensus addi, scilicet, Portabunt cortinas habitaculi, id est, sancti sanctorum, & tabernaculi ecclesiæ, id est, & cortinas sancti seu domus anterioris, operimentum eius, scilicet, è pellibus arietum rubricatis, & aliud quod est ex pellibus taxorum, neque parum mihi iste sensus arridet.

Quod est super tabernaculum & super altare per circuitum. Melius vertas & clarius. Quod est iuxta tabernaculum, & iuxta altare, scilicet, holocaustorum. Est enim sermo de cortinis atrij quæ non erant super tabernaculum & altare, sed iuxta: sensus tamē idem est, vtrouis modo vertas.

Et omne quod fiet eis facient, id est, omne quod præcipietur eis facere, & serua hebraismum fieri pro præcipere, aut omne quod fiet eis, id est, omnia alia quibus tabernaculum constituitur sicut funes, fibulas, vncinos & id genus alia.

Iuxta sermonem Aharon. Hebraicè iuxta os Aharō.

In omni opere eorum. Hebraicè in omni ministerio seu seruitute.

Et monerabitis super eos in custodia, omne onus eorum, id est, numero trādetis eis, vt custodiant omnia, quæ ipsi portant. Sanctes noster hic vertit imponetis eis, sed verbum pachad nusquam inuenitur significare imponere.

Et custodia eorum per manum Ithamar, id est, quæ custodire debent tradentur eis per manum, id est, iussu Ithamar.

Hæc est custodia oneris eorum, in omni opere eorum, in tabernaculo fœderis, id est, hæc sunt onera quæ custodire debent. Aut hoc est quod in oneribus custodire debent, cùm operandum fuerit in tabernaculo testimonij.

Cum clauis eorum, & fimbus eorum. Erant isti claui iudicio meo lignei aut ærei, ad quos cortinæ atrij suspendebantur.

Cum omnibus vasis earum, & omni opere earum. Per vasa intelligit alia instrumenta necessaria, ad dispositionem columnarum, & per opus omnia pertinentia ad ipsas columnas & bases.

Per nomina numerabitis omnia vasa custodiæ oneris eorum. Cùm enim onera Leuitis tradebantur, numerabantur, & nominabantur, scilicet, tot bases, tot cortinæ, tot claui, tot funes, & sic de aliis, & per vasa custodiæ intelligit vasa custodienda.

Hoc opus familiarum. Melius hoc ministerium, vel seruitus, vt in hebræo habetur.

Per manum Ithamar, id est, opera ipsius Ithamar.

Omnis ingrediens ad ministrandum ministerium muliebrij, & ad ministrandum onus in tabernaculo ecclesiæ. Duplex erat ministerium, quo Leuitæ tabernaculo ministrabant. Alterum dum quiescebat, quando faciebant quæcunque sacerdotes imperabant. Alterum quando mouebantur castra, in portandis oneribus sibi impositis.

Iuxta sermonem Domini numerauit eos, per manum Mosi. Hebraicè iuxta os Domini, eoque præcipiente numerauit eos, scilicet, Moseh, & loquitur hic Moseh de se tanquam de alio.

Per manum Moseh, id est, opera eius, quoniam manu solemus operari.

Virum & virum super ministerium suum. Sic in hebræo est sed bene redditur per vnumquemq; super ministerium suum, & super onus suum: Præfecit enim vnumquemque illorum, operi & oneri suo.

Et numeros eorum. Subaudiendum est. Singulos secundum numerum eorum.

IN CAPVT. IIII. NVMERI AD nostram eruditionem, annotatio.

A Filio triginta annorum & supra, vsq; ad filium quinquaginta annorum. Quām robusti, & maturæ ętatis esse debeant, & quàm integri sensus & iudicij, qui Domino sunt ministraturi, optimè locus iste ostendit, qui eos triginta iam natos annos exigit, ad hoc munus, vt plus virium, & saniorem mentem in eis requirat quàm in his qui bellum sunt administraturi: nunc verò secus vbique fit: vt imbecilles, infirmi, & debiles, ad Dei munera deligantur, & qui vix seipsos regere sciunt, passim sine delectu, ad regimen assumuntur animarum. Similiter admonentur Reges, ne sinant homines in bello senescere: sed senectam quietè agere domi suæ. Cùm enim vires in homine deficere incipiunt, nō sunt amplius cogendi ad ministerium. Est tertio aduertendum qua mente & animo, veniēdum ministris Dei sit, ad eius ministerium. Quemadmodum enim miles, ordinatissimè pergit ad certamē, anxius an sibi sit recumbendum sit hosti, vel vincendum, in maximo vitæ suæ discrimine, & in bello vires extendit, vt victor euadat: sic qui accedit ad ministerium Dei, cum timore & tremore accedat, quoniam super huiusmodi requiescere solet spiritus Dei. Acuēdum est guttur, lingua & labia ad laudes eius mundanda, quoniā omni laude dignus, & maior est Deus, neq; est qui ad eius laudes sufficiat.

Venient Aharon & filij eius, & discendere facient Vehon tentorij. Admonentur hic inferiores ministri, ne curiosi sint in diuinis rebus scrutandis, quemadmodum neque summus sacerdos. Supra enim Leuit. 16. Aharoni per Moseh Deus dicit. Loquere ad Aharon fratrem tuum, ne omni tępore ingrediatur sanctuariū, intra velum, & non moriatur. Aduertendum secundo est, omnia etiam minima Dei ministeria, per sacratos ministros esse facienda, non per vicarios, ita vt etiā luminaris oleum non alius quā sacerdos seruare debeat.

Ponent super eam operimentum pellis taxeæ. Quanta diligentia & cura, custodienda & seruāda sint sacra, quantumcunque minima, & quæ nullius momenti esse videntur, hic admonemur: cùm duplici panno iubeantur inuolui.

Panis ingis erit super eam. Non vult Dominus etiam ad momentum, domum eius esse sine pane, ne cibus possit deficere his qui seruiunt ei. Audi quid per Malachiam dicat. Afferte omnem decimam in domum thesauri, & sit cibus in domo mea Quis tibi grato animo non seruiat Domine, qui ita ministros tuos curas & nutris, vt neque ad horam sinas mensam tuam esse sine pane?

Ne excindatis tribum. Non sinant superiores facere dotes, inferiores ministros munera sua facere, ne sint causa occisionis eorum, & mirum valdè est quòd non puniat eos qui causa mali sunt, sed eos qui mala operantur. Docentur etiam hic sacerdotes, nō permittere inferiores ministros errare in obsequio Dei. Docet etiam Dominus in hoc capite opera & onera ministrorum eius, debere esse distincta & distributa, ne in ministerio eius vlla possit esse confusio, dum quis alterius functionem ambit.

IN CAPVT. V. NVMERORVM iuxta literam annotationes.

PRæcipe filiis Israel, vt emittant è castris omnem leprosum. Duo hic admonent Hebræi & nostri. 1. fuisse Iudæorum. 3. castra, scilicet, Dei quod continebat templum cum atrio suo. 2. erat Leuitarum custodientium sacra. 3. erat aliorum secularium: adduntque leprosos eiectos, extra omnia ista. 3. seminifluos extra duo, scilicet, Dei & Leuitarum, immundos super animam, extra castra Dei solum. Vnde. 2. admonent, triplex fuisse immunditiæ genus, scilicet, lepræ, seminis, & cōtactus immundæ rei. Sed an hæc vera sint, non facilè dixerim Hoc certum est, leprosos extra omnia castra eiciēdos, vt patet Leuit. 13. vbi dicitur. Solus habitabit, extra castra erit habitatio eius, de aliis verò dubiū est, & quia hic dicitur. Præcipe filiis Israel, vt emittant de castris omnem leprosum, & omnem patiētem fluxum, & omnem immundum super animam: arbitror omnem immundum, quacunque immunditia, à castris omnibus eiiciendum, quoniam lex nullum inter eos discrimen facit: & infra dicitur. Et nō contaminabunt castra sua, in quorum medio ego habito: vnde constat omnia castra vocari castra Dei, & omnes à suis castris fore eiiciendos. Sumitur autem anima, cùm dicitur. Immūdum super animam, pro cadauere, licet nephes propriè significat halitum, vt sæpè diximus, & ex consequenti animam, quæ videtur flatus vel halitus Dei.

Vir vel mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis hominis, vt præuaricentur præuaricationem in Domino, & deliquerit anima illa. Et confitebuntur peccatum suum, quod fecerunt, & restituent delictum suum; capitali suo, et quinta tam partem addet super illud, & dabit ei cui deliquit. Locus est vtcunque obscurus, & obscurum reddidit ignorantia propriæ significationis verbi & nominis maal, quod aliqui dicunt significare præuaricari, alij mentiri & mendacium. Thargum vbique mentiri interpretatur. Verbum in multis scripturæ locis ponitur scilicet, Iehosuah. 22. vbi dicitur. Nōne Hacham filius Zerach, maal mäal, id est, præuaricatus est præuaricationem in Domino? aut mentitus est mendacium in anathemate? Et Ezech. 17. Iudicabor eum illo ibi, maalo asset maal, id est, propter præuaricationē eius, qua præuaricatus est in mē. Vnde meo iudicio significat præuaricari aut mentiri pactum vel iuramētum ad quod mouetur tum ex verbis Ezech. citatis, tum ex eo quod habetur Prouerb. 16. vbi dicitur. In iudicio non limal, id est, præuaricabitur vel mentietur os eius. Diximus de eo Leuit. 6. Et licet prioribus clausulę verbis videatur loqui de omnibus peccatis, ex vltimis tamen verbis constat, loqui de peccato furti, cui peieratio adiungitur, & est sensus. Vir vel mulier, cùm fecerint aliquod peccatum, ex his quæ homo facere solet, præsertim auferendo alienum, & præuaricatus fuerit præuaricationem in Domino, mentiendo, scilicet, & iurādo per Dominū se rem proximi non surripuisse, tales confitebuntur per peccatū suum quod fecerūt, restituentq; delictum, id est, furto ablatum quo deliquerunt, cum sorte, & quintam eius partem addent super illud.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Solebat Dominus huiusmodi mendacia adiuncta pœ
ratione grauissimè punire, vt patet Ezech. 17. vbi Dominus dicit. Viuo ego, nisi iuramentum meum, quod spreuit, & fœdus meum quod irritauit, dedero in caput eius. Quidam ex nostris hic dicit, Idem esse cõfiteri peccata, & compungi seu se peccatorem agnoscere, quemadmodum Mat. 3. & Mar. 1. inuenitur, quòd audiētes Ioannis Baptistæ concionem, compuncti reuertebātur confitentes peccata sua, sed confessio plus meo iudicio importat, quā cognitio, scilicet, ipsam externam peccatorum explicationem. Et mitius lex hic agit, cū eo qui Domino confitebatur peccatum suum coram sacerdote, quàm cū eo qui in foro iudiciali, in quo ad minus duplum restituebat: vt patet Exodi. 22. hic verò sat erat quintam partem addere rei ablatę. Hebræi & ex nostris aliqui, paulò aliter intelligunt legem hanc, camque in duas partes secernūt, vt sensus prioris partis sit, quòd qui aliquid surripuerit, aut vi extorserit, & sua sponte id reddiderit, non cogatur nisi ad simplicem restitutionem, sin falso iurauerit, & conuictus fuerit, quòd rem abstulit, restituat tē in capitali suo, & superaddat quin tam eius partem, eò quòd peierauit, & cum sacrificio quod iubebatur adducere, faciat confessionem, quam ipsi vocant confessionem super singulari peccato, quoniam in aliis pro peccato sacrificiis, fiebat generalis cõfessio his verbis. O Domine, ego reus sum mortis. Vide quę de his scripsimus Leuit. 5. Ex quibus verbis colligere aduersus nostri temporis Hæreticos, cõfessionem auricularem seu vocalem à Domino in veteri lege præceptam, & licet non omnium, aliquorum tamen peccatorum, vt hic & Leuit. 5. manifestatur. Et vide Achillem, quo in Eugubium quidam ex Lutheranis vtitur. Christus, inquit, solus pro nobis mortuus est, ergo illi soli confitenda sunt peccata. Si enim hoc consequium valet, valebit & hoc. Christus solus pro nobis mortuus est, ergo ab eo solo baptizari debemus, non à sacerdote. Licet enim Christus solus pro nobis mortuus sit, voluit tamen virtutem passionis suæ nobis, per sacramenta & sacramētorum ministros applicari, quemadmodum Apostolis Ioannis 20. dixit. Accipite spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittūtur eis. Si ergo solus Christus peccata remittit, nullo pacto esset remissio Apostolis petenda, quam Christus illis tribuisse Ioannes fatetur. Alia missa facimus, quoniam multi prominciam hanc disputādi aduersus eos, assumpserunt.

Et si non fuerit viro redimens vt restituat delictum eius delictum restituetur Domino, sacerdotis erit. Vocatur propinquus hominis, à quo res furto ablata est, redimens vel redemptor, quoniā quemadmodum ipse redimebat ex suo propinquum suum, & hæreditatē eius: ita & hæres erat eius, in his quę ab eo furto auferebantur. vnde idem dictu est. Si nō fuerit viro redimens, ac si diceret. Si nō fuerit viro propinquus, qui si nō esset, res furto ablata erat domini, & eius loco tradebatur sacerdoti, & hinc ortum habuit restitutionē incertorum domino fiendam, & in pauperes erogandā, quæ quondam Episcopis tradebatur, nunc verò Confessoribus.

Et omnis eleuatio omnium sanctitatum filiorum Israel, quam appropinquare faciunt sacerdoti, eius erit. Et vir & sanctitates eius, illi erunt. Vir quod dederit sacerdoti illi erit. Tripliciter quis poterat sacerdoti dare, primo offerendo Domino sacrificia sua, & hæc dicit fore sacerdotis offerentis, & hoc est quod dicit quòd omnis eleuatio omnium sanctitatum, filiorum Israel, quam appropinquare faciunt sacerdoti, illi erit. Nam sacerdotis qui victimam sacrificabat erat pars sibi à lege statuta, quam vocat eleuationem, quoniam ante immolationem eleuabatur sursum, vt sæpius diximus. Secundo dabat quis sacerdoti, cùm seipsum aut aliquid sui Domino deuouebat, vt cap. 27. Leuitici dictum est, & hoc etiam ad sacerdotem pertinebat, qui scilicet, tunc temporis ministrabat, aut cui vouens dare maluisset, & hoc est quod dicit Vir, scilicet, cùm se deuouit, & sanctitates eius, quas, scilicet, Deo deuouet, illi scilicet sacerdoti erunt, cui scilicet, vouēs dare volueris, aut qui administrauerit tunc. Tertio poterat sacerdoti dare, non per modum sacrificij, aut voti: sed quasi amico, & vt priuatæ personæ, & hoc etiam ad illum sacerdotem pertinebat, cui dabatur. Quidam. 2. partem sententiæ interpretantur hoc modo. Vir sanctitates eius, ipsi erunt, id est, cuiusque viri sanctitates, ad ipsum, scilicet offerentem pertinebunt, ac si dicat, partes oblationis vniuscuiusque offerentis, ad ipsum, scilicet offerentem pertinebunt, sed expositio hæc videtur nimis literam torquere. Alij verò sic. Omnia quæ offeruntur Deo, à filiis Israel, per sacerdotem, ipsius sacerdotis erunt. Et quod dicitur. Quicquid aliquis sacerdoti dederit, hunc habet sensum, id est, licet vnicuique dare sanctificata sacerdoti, cuicunque voluerit, at quando quis dederit illa sacerdoti, ad eum sacerdotem pertinebunt sanctificata. Sed neq; ista expositio multum placet, quæ reliquit secundam partem sententiæ sine interpretatione.

Vir vir cū decipi cœperit vxor eius, & prævaricata fuerit in eo prævaricationem, & iacuerit vir cum illa iacentia seminis, & occultum fuerit ab oculis viri eius, et latuerit, & ipsa polluta fuerit, & testis non fuerit contra eam, & ipsa non fuerit deprehensa. Agit hic lex de viro qui zelabat vxorem suam, quam suspicabatur adulteram, cuius pudicitiam explorare volebat. Et data est lex hæc, ne Iudæi zelo ducti, in vxores sæuirent, eas occidendo, & vt illæ explorationis huius metu, ab adulterio cauerent. Tradunt autem Iudæi isto modo quondam Hierosolymis factam huiusmodi explorationem. Admonebat prius vir vxorem suam coram testibus dicendo. Ne absondaris cū illo vel illo, quod si admonitionē viri nō admitteret, accredebat cōsistorium seu magistratus eorum, & dicebat Iudicibus. Zelotypia laboro erga istā mulierem, propter illum & illum cum quo se absondit, & illi sunt testes mei, ipsa verò se innocentem asserit: volo ergo eam portare coram Domino & sacerdote ad veritatem explorandam. Adducebatur autē Hierosolymam, & à Iudicibus admonebatur his verbis eam deterrēdo. Multę fuerunt ante te, quæ trāsgressę fuere, viri quoq; magni sunt & præstantes, quos vicit malus genius, vt in scelus ruerent, narrabantq; illi facinus Iudah, & Reuben, Amon & Thamar: vt illa facilius peccatum suū fateretur. Si fatebatur, & bibere nolebat discedebat à marito absque dote. Si verò in negatione perseuerabat, adducebatur ad Orientalem tēpli portā, & ducebatur à loco in locū, si fortè fatigata, scelus eorum fateretur, quod si adhuc perseuerabat, & albis vestibus esset induta, exuebatur, & nigris induebatur, & omnia ornamenta auferebant ab ea, & ad eam fœminarum multitudo conueniebat, vt eam sic spoliatā viderent. Postea adiurabat eam sacerdos, verbis textus. Si declinasti sub marito tuo, det dominus te in maledictionē, in medio populi tui, & ingrediantur aquæ amaræ istę, in viscera tua, vt intumescat vterus tuus. Et ipsa dicebat amen. Deinde in membrana scribebat nomen mulieris, & omnia verba quibus eam adiurauerat, postea afferebat nouum vas testaceum, in quo dimidiū sextarium aquę mittebat ex concha tēpli, & pulueres pauimenti tabernaculi, etiā in aquam mittebat simul absterthium, & alias res amaras: abradebat quoq; nomē mulieris in eas, quod erat in membrana scriptum, donec nullum vestigium remaneret, postea potabat eam, quę si munda erat, tetineri poterat à marito suo, ac si morbo aliquo laborabat liberabatur ab eo, ita vt grauida fieret, & masculum pareret, & si antea difficulter parturiebat, facilem partum assequebatur: si verò polluta erat, facies eius statim expallescebat, oculi prorumpebant, femur intumescebat, & femur eius concidebat: eadē quoque hora, qua ipsa moriebatur, adulter qui cum ea rem habuerat, vita fungebatur, & omnia quæ illa patiebatur, sustinebat etiam ipse. Hactenus illi, in quibus meo iudicio multa mentiuntur.

Afferet oblationem eius super eam decimum Ephah, quod est mensuræ genus, de quo sæpius diximus.

Farinæ ordeaceæ. A verbo saar, quod est horripilare, est sear, id est, pilus, & inde sair, id est, hirsutus à multitudine pilorum sic dictus à quo etiā Scorah. i. ordeum quòd

quòd pilum longum habeat, quem alia semina non habent, de quo Exodi. 9. diximus.

Quia oblatio zelotypiarum est, oblatio recordationis, recordans facinus iniquitatem, aut prauitatem iniquitatis.

Pro oblatione in hebræo habetur certum genus oblationis, scilicet, minchah: quod fiebat ex flore farinæ, & aliquando erat flos ipse farinæ: de quo abunde diximus Leuiti. 2. Non admiscebatur autem illi oleum vel thus, quoniam munus ingratum erat Deo, aut quia triste. Oleum autem & thus iocunditatem, & hilaritatem offerentis in oblatione significabant, quæ non erant in oblatione zelotypiæ. Reducebat enim ad memoriam, tam mariti quàm vxoris peccatum adulterij cōmissum, aut pœnam quæ sequebatur fœminam si esset adultera.

Accipiet sacerdos aquam sanctam, id est, quæ in loco sancto erat, scilicet, in concha, qua sese sacerdotes ante ministerium lauabant. Non enim poterant esse aquæ cineris vaccæ rufæ, quoniam nondum ceremonia illa instituta erat.

Ponet super eam oblationem memoriæ, id est, munus illud farinaceum, quod vocatur minchah, quod dicitur memoriæ quia pugillum ex eo capiebat sacerdos in memoriam offerentis, aut quod memorabatur totum esse sanctum.

Et in manu sacerdotis erunt aquæ amaræ, maledictionis aut maledictionum, id est, in quibus, maledictiones coniiciendæ erant, scilicet, sequētes. Neq; bene meo iudicio hic Sāctes vertit aquam amarā deficere facientē.

Adiuratio est imprecationis, scilicet, malorum. Sic melius vertas, quoniam alah, potius significat mala precari, quàm maledicere: licet sit quasi idem, mala precari & maledicere. Sic inferius eùm dicitur. In maledictionem, verti potest, in imprecationem, scilicet, malorum: ac si dicat. Si à viro tuo declinasti, & polluta es, det te Dominus in maledictionem, seu imprecationem: vt scilicet omnes tibi mala precentur aut maledicant seu sis maledictio.

Et in adiurationem: vt, scilicet, iurando dicatur. Faciat tibi Dominus sicut fecit tali mulieri: vnde per adiurationem intelligenda est execratoria, aut det te Deum in adiurationem, id est, dicatur adhuc adiureris, quemadmodum talis à sacerdote adiurata fit. Dictio sebuah significat iuramentum aut execrationem.

Cum dederit Dominus femur tuum cadens: & vterum tuum tumescentem. Per femur cadens intelligo femora debilia. Fiebant enim femora istius fœminæ debilia, vt vix eam possent sustentare: aut putrida, vt caderet ab eis portio carnis. Vertimus autem, Et vterum tuum tumescentem, quod alij vertunt, sed non tam bene crepantem. Nam dictio sabah, potius significat tumescere, & eleuari: quàm crepare: vt patet ex significatione nominis sebi, quod in multis scripturæ locis, significat eleuationem: vt patet Isaię. 13. Erit Babel sebi, id est, tumor seu eleuatio regnorum, aut quæ nunc est cæteris regnis eleuatior. Et capite vigesimooctauo. In illa die, erit Dominus exercituum, in coronam sebi, id est, eleuationis, seu eleuatam.

Et veniant aquæ maledictæ istæ: in viscera tua. Sanctes vertit aqua deficere faciens, vt supra, sed emendanda est litera vt superius. Et dictio maah, id est, viscera, ea vel interiora significat: vt patet Ionah. 2. vbi dicitur. Et fuit Ionah bimmi, id est, in intestino, seu visceribus piscis.

Veniat aqua deficere faciens. Melius tumescere faciens: & sic vbicunque in hoc cap. locutio ponitur.

Et dicet mulier Amen amen. A verbo aman, quod est firmare stabilire, venit amen, id est, firmetur stabiliatur, fiat firmum stabile permanens.

Et eradet ad aquas amaras. Verbum machah, hebræis significat delere, & addere, tergere, perdere, & disperdere: & dubium est an sacerdos deberet schedam rumpere, & in aquam mittere: vel potius radere literas ipsas maledictionum: & rasuram in aquam mittere: & secundum videtur verius. Et literam sic expone. Et eradet, scilicet, sacerdos schedæ literas, ad aquas amaras, id est, ad proiciendum in aquas amaras, aut iuxta aquas, vel super aquas. Et quod dicitur.

Et scribet maledictiones istas in libro,

Per librum intellige schedam: vt diximus. Nam sepher id est, liber: non solum librum, sed literas significat vt patet secundo Regum quinto. Et mittam sepher, id est literas ad regem Israel.

Capiet sacerdos de manu mulieris oblationem. Melius minchah. *Capiet pugillum sacerdos minchah, memoriale eius,* id est, quod testetur totum esse domino oblatum, aut in memoriam fœminæ vt scilicet, Deus illius memor sit: vt sæpius exposuimus.

Ingredietur in ea aqua tumescere faciens.

Sic melius vertas, quàm crepare faciens, & sic literam emenda, vbicunque verbum crepare, in Sancte inueneris.

Et erit mulier in maledictum, id est, omnes eam maledicent seu mala imprecabuntur, & fortè dicebant. Faciat tibi Deus, sicut fecit illi fœminæ, cuius ventet intrinsecus, & femora corruerunt.

Innocens erit, scilicet, ab huiusmodi nocumentis. Aut melius innocens iudicabitur à magistratu.

Et semmabitur semine. Hebraismus est, pro concipiet, seu habebit fructum aut prolem. Vocat enim hebraismus prolem semen vt Genesis. 15. Mihi non dedisti semen, id est, filium.

Hæc est lex zelotypiæ, id est, ritus, qui cum zelotypa seruandus est, & viri, super quem transierit spiritus zelotypiæ, & sumitur hic spiritus pro suspitione.

Et stare faciet, scilicet, *sacerdos mulierem coram Domino, & faciet ei sacerdos omnem legem istam.*

Omnes ferè legunt clausulam hanc sic. Et statuet vxorem coram domino: vt hoc ad maritum referatur, neque est mala interpretatio sed quod sequitur, ad sacerdotem, omnino referendum est.

Et innocens erit vir ab iniquitate, & mulier ipsa portabit iniquitatem suam, id est, nulla pœna afficietur vir, propter huiusmodi explorationem, & mulier portabit pœnam iniquitatis suę, si fuerit polluta. Sumitur enim in vtroque loco iniquitas, pro pœna iniquitatis: vt Sanctes bene vertit. Sed nil videtur, lex de viro disponere si fœmina esset innocens: sed innuit, eum nullo pacto debere puniri propter hoc, & damnum fœminę, prolis gaudio compensabatur, & gloria innocentiæ.

IN CAPVT. V. NVMERORVM ad morum compositionem annotata.

Præcipe filiis Israel: & emittant è castris omnem leprosum. Summam munditiam nos admonet locus iste: qui ostendit Deum, è castris in quibus ipse erat, eiicere præcepisse omnem leprosum & immundum. Ex quo loco disce, quantum abominabitur voluntarias immunditias peccatorum, qui sic abominatur eas, quas homo inuitus patitur. Similiter admonentur communitatum rectores: morbosum omnem, qui alios inficere potest: à ciuitate eiicere, ne alios inficiat.

Confitebuntur se super peccato suo. Profuit semper homini coram summo Deo, peccata sua confiteri: ob cuius negligentiam multi periēre. Non confundatis (ait Ecclesiast.) confiteri peccata tua: & ne subiicias te omni homini pro peccato. Sic capite decimosęptimo. Ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio: confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum: & gloriaberis in miserationibus illius.

Restituet delictum suum in sorte eius, & quintam partem addet super illam. Sunt multi, qui postquàm ablatam pecuniam restituerint, se immunes à peccato arbitrantur, non curantes iniuriam qua proximum affecerunt: sed æquissimus iudex, omnia restitui vult.

Sacerdos hæres Domini consolatur.

Si non fuerit viro redimens: deductum restituitur Domino Sacerdotis erit. Quicquid habes, ô homo, ex patrimonio est Domini Dei tui, & hæreditas eius, quid ergo mirum, si suum potit mortem tuam recuperet, & cognosce tua misericordia te fuisse, sua tuis hæredibus relinquere. Vtinam Domine Deus mi, meipsum hæreditare dignareris, & mea, & quemadmodum tu, præclara hæreditas mea es, ita & ego portio tua essem.

Ex quo etiam colligitur, quàm antiquum sit, vt incertorum restitutio: Domino in suo sacerdote fiat. Et considera sacerdos, quantum Deo tuo teneatis, qui te suum vnicum constituit hæredem, & quàm exuberanter exoluat ministerium, quod illi tam negligenter impendis.

Tria necessaria ad peccati expiationem.

Præter arietem expiationum. Explicat locus iste tria necessaria esse, ad peccati plenam expiationem, scilicet confessionem, restitutionem, & expiationem.

Cùm dixerit vxor cuiuspiam.

Duo sunt mala quæ omnem rempublicam perturbare solent, homicidium videlicet, & adulterium, quibus sapiens legislator obuiam ire voluit, concessitque viris explorationem vxorum, ne eas ex suspitionibus facilè occiderent & fœminas maximum vitæ discrimen subire voluit: vt eas, ab adulterio deterreret, cùm sciunt indubiè, sceleris suum posse facilè deprehendi.

Difficilè Dominus in veteri lege peccatorem reuelare dignabatur.

Similiter dissimus, quàm difficilè peccata nostra abscondita, Deus reuelare soleat. Potuit enim ipse, quærenti sacerdoti veritatem absconditi facinoris reuelare, quod ne faceret tot ambagibus vtitur, quemadmodum fecit in peccato Achan apud Iosuah, quod sortibus potius, quàm responso suo voluit manifestare. Tertio docemur Deum multos sine culpa voluisse tormento explorari, non tamen immunes à præmio derelinquit. Permisit enim hic, innocentem fœminam infamia adulterij vri, & notari, aquas amarissimas bibere: sed omnia hæc, comperta innocentia, noua prole remunerare. Similiter grauis esse patienda, vt inalam suspitionem, animo proximi possis auferre. Et hinc oram puto illam consuetudinem, qua quidam ad ostendendam innocentiam suam, cum alicuius criminis infamia laborarent, super viuos carbones, nudis pedibus incedere volebant, aut candens ferrum, manibus attrectare. Et mirum valdè est, fœminam tam periculosum subire discrimen, adulterum verò, ab huiusmodi periculo expertem. Mitior enim lex semper fuit in adulterio, cum viris, quàm cum fœminis, quoniam plura, & grauiora mala sequuntur, ex fœminæ quàm viri adulterio: vt prolis incertitudo manifestè ostendit.

Mulctos Deus sine culpa torqueri permittit, quibus tamen præmia donat.

Mitior lex adulterij in virum quàm in fœminam semper fuit.

Non fundet super eam oleum, & non ponet super eam thus, quia oblatio memorans iniquitatem.

Tristis esse debet omnis peccatorum recordatio coram Domino quemadmodum & oblatio, quàm Domino peccator offerre debet, iuxta illud Regis Ezechielis. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine.

Debent torquendi blandis verbis ante tortura admoneri à Iudice.

Adurabit eam sacerdos. Habent ex hoc loco, qui reis inquirendis vacant, quod eos ante torturam, de dicenda veritate blandis verbis debeant admonere.

Veniat aqua deficere faciens in interiora tua.

Istuc pertinere videtur quod in Psalmo dicitur. Induit maledictionem sicut vestimentum suum, & intrauit sicut aqua interiora eius, & sicut oleum ossa eius. Aduerte etiam hic quàm seuerius lex agat cum rea, aduersus quam aliquis testis deponit, quàm cum ea quæ rea miraculo quodam ostenditur. Nam si testibus conuincebatur lapidabatur, si verò inditio aquæ amaræ sustinebat quæ hic describuntur mala. Pluris enim facere videtur humana testimonia in damnando homine, quàm sua inditia. Audi de hac re pulchrum exemplum quod priori Regum libro capite sexto scriptum est. Cum enim sanctissimus propheta Hæliseus

Mitius agit Dominus cũ eis quos ipse conuincit quàm magistratus cum illis quos testibus conuincit.

stratus cum Syros quos iam milites, qui Samariam obsidebant cæcitate percussisset, eosque intra vrbis mœnia conclusisset: petit ab eo Rex Israel an eos gladio percutere posset. Cui sanctus Prophetа respondisse fertur: Non percuties, num quos cepisti gladio tuo percutis? Pone, inquit, panem & aquam coram eis, & comedant & bibant. Sic & nunc Dominus voluit eam à morte liberari ream, quam Iudex humanis testibus, & humano more ream non deprehendit, sed inditio suo, vt & eam ream vtcunque puniret, sed tanquam pius, morti non traderet lapidandam. Ex quibus omnibus docemur, neque publicè neque secretè peccare, ne fortè Dominus aliquo manifesto inditio, peccata nostra aliquando prodat.

IN CAPVT. VI. NVMERORUM iuxta literam adnotata.

Vir vel mulier, cùm separauerit se, vouendo votum Nazarei: vt separet se Domino.

Verbum pala, quod hic ponitur: significat propriè separare licet Hebræi dicant illud significare multa alia, scilicet, mirificare, seu mirabile & difficilè esse, absconditum esse, & separare, sed locis quibus ponitur inspectis, videtur præcipuè significare separare, & ex consequenti absconditum esse, quod id quod est absconditum, fit à notitia hominum separatum, & si contendas, admittam etiam mirificare. Prouerbiorum trigesimo habes. Tria sunt quæ niphlen, id est, separata vel abscondita sunt à me, quod Hieronymus vertit. Mihi difficilia. Sic Exodi trigesimotertiò. Vniphlinu, id est, Et separabimur ego & populus tuus, ab omni populo, vbi etiam verti posset. Et mirabiles erimus. Quod enim est separatum, est mirabile. Potest ergo locus iste dupliciter exponi, iuxta duplicem verbi significationem. Primo vt vertimus, scilicet. Vir vel mulier, cùm separauerit se ab aliis hominibus, & fœminis, ad vouendum seu vt vouerat votum Nazarei. Ecce qualiter separabat se, quod statim explicat dicens.

Separando se Domino, id est, tanquam rem dicatam Domino, aut propter Dominum. Res enim Domino consecratæ, ab aliis prophanis separatæ erant. Alio modo sic.

Vir vel mulier, cùm mirificauerint se, ad vouendum votum Nazarei.

Abstinendo enim ab omnibus immundis, & à quibusdam delectabilibus, quibus alij fruebantur, mirabiles se reddebant omni populo in huiusmodi votis & hic secũdus sensus, mihi magis arridet. Porrò dictio nazar, à qua nazir, id est, Nazareus, significat elongare & separare: vt patet Zachariæ septimo vbi dicitur. Nunquid fleho, hinazer, id est, separando vel elongando me à cibis? Dicitur ergo Nazareus nazir, id est, separatus vel elongatus, quoniam tempore sui nazareatus, separabat & elongabat se ab omnibus immunditiis, & à multis delectabilibus, vuis, vino, & aliis quibusdam. Posset etiam verti vouendo votum separationis, ad separandum se Domino. Sunt qui legunt si expresserit, id est, disertè labiis suis votum protulerit. Alias enim vt dicunt Iudæi, votum non valebat: sed iste sensus, à litera alienus esse videtur, quoniam vt Theologi bene probant, votum etiam si ore non sit expressum, validum est, quoniam Deo, qui corda hominum nouit, fit. Aduerte autem huiusmodi vota, communiter fieri ab his qui legi discendæ liberius vacare volebant, seseque ad tempus separabant à commertio aliorum hominum, & Domino se totos dedebant. Sunt etiam qui pro Nazareus, dicant pronuntiandum nafareum, quòd litera zain, cum qua nomen nazar scribitur, mollius sonet, quàm rsade. Hij Nazarei à Iudæis vocantur peruchim, id est, separati, qui in nouo testamento Pharisei vocantur, à qua voce, quidam putant Christum seruatorem nostrum dictum Nazarenum, quasi sanctificatum, sanctum ac sacrum, aliis tamen magis probatur, quòd à nazar quod est seruare & saluare sic dicatur.

A vino

A vino & sicera separabit se. Tria erant necessaria Nazareo, scilicet, abstinentia à vino, & ab his quæ aut vinum gignebant aut ab vuis gignebantur. Secundo abstinẽtia ab immundis præsertim mortuis. Tertio nutrire comam. Et potest quartum addi, quod scilicet, esset Domino sanctificatus. A sachar, quod est inebriare, est nomen hebraicum sechar, quod & si propriè significet siceram, inuenitur tamen significare omnem potum inebriatiuum, licet hoc non probetur multis, quoniam vbicunque alij vinum vertunt, optimè quadrat sicera. Vnde videtur, quod solum siceram significet. In multis enim locis, à vino distincta ponitur, v t hic, & Leuitici decimo. A verbo sachar est sichor, id est, ebrius, & sicharon, id est, ebrietas.

Acetum vini, & acetum siceræ non bibet.

Ex vtroque, acetum fieri solet: licet apud nos ex sicera non fiat, quoniam ea non vtimur. Verbum autem chamats, à quo chomets, id est, acetum, non plenè notum est Hebræis, qui dicunt illud significare fermentare, vim facere, & irasci. Sed expensis locis quibus verbum ponitur, videtur propriè significare fermentari, & ex consequenti acidum fieri, quoniam fermentum, vtcunque acidum est. Habes enim Exodi duodecimo. Quia non chamets, id est, fermentauit. Et eodem capite. Et tulit populus pastam suam, antequam iechmas, id est, fermentaretur, & Psalmo vigesimoprimo. Emanu. peruertentis vechomets, id est, & acidum reddentis, seu amaricantis, aut irasci facientis nondum tamen mens nostra, in hac significatione quieuit, quoniam Isaiæ sexagesimotertio videtur significare mixtum, vel rubefactum, vbi dicitur. Quis est iste qui venit de Edom, chamuts. i. rubefactus vestibus, de Bosrah? Vide quæ de his diximus Exodi duodecimo. Videtur tamen quòd significet fermentare, aut miscere, & fortè chomets significat acetum, quoniam videtur mixtum: vt, scilicet, sapiat vtrunque, vinum, scilicet, & acetum, vnde Psal. 69. habetur in siti mea, potauerunt me chomets, id est, aceto. Et euangelista dicit, datum saluatori vinum, cum felle mixtum, quasi dicat Psal. In siti mea propinarunt mihi acetum, id est, mixtum, ex aceto & felle, quod euangelista explicuit. Videtur etiam posse significare rubescere, propter verba Isaiæ citata, & multa in scripturis loca, vbi verbum ponitur: possent iuxta hanc significationem exponi. Et si pasta, & fermento rubra vtcunque fieret, quale est fermentum: indubie crederem, propriè significare rubescere, & ex consequenti fermentari, quòd sit quodammodo rubeum fieri: sed rem nõ diffinio, quoniam coniecturis moueor.

Vuas passum non bibet.

Madefactum vuis non bibet. Aliqui vertunt. Omnem liquorem, verbum scarah, significat residuum esse, nomen verò residuum & magis loco quadrat: vt sit sensus. Residuum vuarum non bibet. Vocatur autem residuum vuarum, omne quod ex vuis exprimitur, sicut vinum; & quod ex vuis aqua madefactis eliquatur quod nostri vocant pedis aquam, similiter vinum decoctum, quod arrobe, nostri appellant. Vnde Hieronymus optimè vertit quicquid de vua exprimitur. Thargum. Omnes reliquias vuarum. Neque meo iudicio tam benè quadrat madefactum vuis, non bibet, quoniam vuis non solet aliquid madefieri: vnde potius dicendum esset, vino, aut musto madefactum. Imò neque sic quadrat quoniam multa madefiunt vino, aut musto, quæ non possumus bibere: vt panis, caro, piscis. Difficultas accidit, ex ignoratia radicis, quidam enim, ex Hebræis, dicunt esse à iassar, quod est rectificare: sed non videtur rectum. Est ex eadem radice, fision, id est, lorica: sed quid allusionis habeat lorica, ad residuum: non facilè dixerim.

Ab acinis vsque ad corticem non comedet.

Dictionis charsanim, id est, acini: ignota est propria significatio, & accipienda est quam nobis Hebræi tradunt. Sic & sequens dictio, scilicet, zag, ignota est, neque alibi quàm hic, quòd sciam: in sacris literis repetitur. Hieronymus vertit, Ab vua passa, vsque ad acinum non comedet.

Donec impleantur dies, quibus separauit se Domino.

Non erant à lege statuti huiusmodi dies: sed vnusquisque pro deuotione sua præfigebat sibi tempus, & taxabat dies, & aliqui erant ad totam vitam Nazarei, quemadmodum Sinson, & fortè Samuel. Dicebatur autem toto hoc tempore Domino separatus, quoniam ab immunditiis omnibus separabatur, & Dei cultui videbatur applicatus, & hoc explicat cùm sequitur Sanctus erit, id est, separatus, veluti res sacra.

Crescere faciet comam capitis sui. Verbum para à quo pera, id est, coma, potius significat nudare, quàm crescere, vnde vertendum est.

Crescere faciet nuditatem capilli capitis sui, id est, si contingat caput denudatum seu attonsum habere, aut rasum: sinet capillos crescere. Quòd autem verbum, para nudare significet, patet capite superiori, vbi dictum est, Vpara, id est, denudabit caput mulieris, de quo etiam multa diximus Exodi trigesimosecundo.

Quare Dominus voluit nazaræos sibi capillos offerre.

Si quæras quare Dominus volebat hominem capillos suos sibi consecrare, crediderim, quòd vt Iudæos auferret, ne eos idolis offerrent. Testis enim est beatus Cirillus, Gentiles ceasiem suam idolis suis obtulisse sic enim ait. Gentilium dementissima natio, suas consuetudines secuti, & mutarum pecudum more viuentes, offerebant comam dæmoniis, eam nutriri permissam, atq; alius quidem nymphis quas Oreades appellabant, alius fluuio, cùm visum esset, offerebat, atque religionis loco, res apud eos habebatur. Itaque sapientissimus Moses, imo verò per Mosem Deus, cùm intelligeret, non facilè Hebræos, quos in Ægypto errores imbibisset, deponere posse, similes ritus instituere decreuit, sensim eos, à priscis erroribus disiungens. Quibus ritibus, non dæmones vltra, sed Deum omnipotentem, quasi sub vmbra, & figura, colerent. Hæc ille.

Offerebant gentiles cæsiem capillos suos diis suis.

Omnibus diebus quibus se Nazaræum fecit Domino, ad animam mortui non veniet.

Iam admonui nazar, significare separationem vel elongationem: vnde idem dictu est oranibus diebus quibus se nazareum fecit, quòd quibus se separatum fecit, scilicet, à pollutis, & à vino, & ab his quæ à vino originem habent. Et quod dicitur Domino intellige propter Deum, aut dedicando se Domino, quod autem sequitur

Ad animam mortui non veniet: Id est quòd, ad funus, seu ad mortem, qua corpus animam efflat.

Quia nazareatus, aut separatio Dei sui, est super caput eius, id est, quia signum separationis Dei sui, quæ scilicet, Deo suo separatus est: super caput eius, scilicet, est. Nam cæsaries intonsa, signum erat quòd ipse esset Deo suo separatus, & consecratus. Quia etiam nezer, coronam significat, vt patet Exodi vigesimonono, & Leuitici vigesimoprimo, & multis aliis scripturæ locis, quidam interpretantur. Quia corona (per quam cæsariem & comam intelligunt) Dei sui, est super caput eius, quem sensum tenet Rabbi David in libro radicum.

Omnibus diebus nazareatus aut separationis suæ: sanctus erit Domino, id est, separatus ab immundis, & aliis propter Deum, aut quemadmodum Dominus.

Cùm morietur mortuus super eum, mox fubitò, & polluerit caput nazareatus sui.

Non solum debebat immunda sponte cauere: sed quantumcunque subitò homo aliquis iuxta eum moreretur, statim polluebatur, & tenebatur radere cæsariem, & septima die à pollutione offerre sacrificium. Aduerte hic quòd dictio pithom. id est, subitò, est à radice patah, quæ significat declinare: vnde peti, id est, simplex, quòd facilè persuasus declinet: potest tamen pithom esse per se radix quatuor literarum: sed Hebræi eam ponunt, in radice patah, quod verò significet mox, seu repente: constat ex verbis Malachiæ tertio, vbi dicitur Vpithom, id est, statim veniet, ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

templum suum. Et Psalmo sexagesimoquarto, & sagittauit eos sagitta pithom, id est, subitò. Et aliquando vertit sola, vt duobus locis citatis, nonnunquā verò cum alia dictione, quasi idē significanti: vt hic Isaiæ trigesimo, quod sit ad explicandam maximam celeritatem, vt solet fieri, cùm volumus aliquid fieri cum maxima velocitate, & dicimus mox mox fac hoc. Neque est certum verbum patah, significare declinare: sed quia quibusdam scripturæ locis videtur conuenire, dixerunt Hebræi hoc significare si quis tamen ex coniecturis, vel ex significationem venari, videbit potius significare festinare, velociter agere, quod patet primum, ex nomine pithom, id est, mox, & ex nomine pethi, id est, festinus in operibus suis, loci autem, qui ansam priori significationi dederunt, possunt iuxta hanc optimè interpretari illud scilicet Iob quinto. Quia stultum occidet ira, vpoteh, id est, & festinum interficiet inuidia, qui scilicet bona aliorum sine magna consideratione conspicit, talis enim, scilicet, non cogitans alium à Deo habere bona, & repētè posse ea perdere, in inuidiam eius prouocatur. Aut festinum in credendo occidet zelus. Sic illud Prouerbiorum vigesimo. Vlepoteh, id est, declinanti labiis suis (vt nostri vertunt) ne misceas te. Melius vertas. Festino in labiis suis, ne misceas te, qui scilicet, non considerat quæ loquitur, & quòd itte sit sensus, verba præcedentia indicant. Prædixerat enim. Qui reuelat secretum, ambulat fraudulenter, & subrugit. Et cum festino labiis suis, ne misceas te: ille enim reuelat secretum qui labiis festinus est. Sic & illud Hoseh septimo. Et fuit Ephraim, sicut columba potah, quod nostri interpretantur declinans, aut seducta, absque corde, quod tam bene vertas sicut columba festinans, scilicet, ad escam, absque consideratione: an scilicet in esca, rete aut laqueus sit ad eam capiendam, & quia festinus facilè declinat, potest significare errare, & declinare, rem tamen non certo definio, quoniam nondum plenè certus sum.

Radet caput suum, in die purificationis suæ.
Debebat Nazareus post pollutionem, expectare septimam diem, & tunc purificari modo statim explicato, quemadmodum purificabant se post septem dies, illi qui immundum aliquid tetigissent, & offerre quę lege sancita erant.

Faciet sacerdos vnum pro peccato. Apertè constat ex hoc loco, legis immunditiam vocari peccatum, etiam si nihil voluntarij in eo interfuisset: vt prędiximus. 12. capite Leuitici. Quid enim culpæ in nazareo esse poterat, huiusmodi contactus, super quem repente cadebat res immunda.

Contactus rei immundæ dicitur Hebræis peccatum.

Sanctificabit caput suum, in die illa, id est, dedicabit Deo, aut separabit ab immunditiis propter Deum.

Et separabit Domino dies nazareatus sui.
Scilicet alios quoniam precedentes non computabantur illi, vt statim sequitur.

Adducet seipsum ad ostium tabernaculi ecclesiæ.
Hebraicè est, Adducet illum, & videtur relatiuum, agnum quem debebat adducere referre, aut sensus est, quòd synagoga adduxet seu præsentabit illum Domino: sed prior sensus germanior est, quoniam statim sequitur. Et offerre faciet oblationem suam Domino, agnum.

Agnum anniculum perfectum pro peccato.
Lex hęc loquitur de Nazareo, cuius nazareatus, rei immundæ contactu pollutus est & oblatio hæc pro peccato, illi adhuc imponitur, quoniam non videtur plenè expiatum superioribus sacrificiis, & tenebatur offerre triplex genus sacrificij scilicet holocaustum, pro peccato, & hostiam integritatis, seu pacificam, de quibus in initio Leuitici diximus.

Et canistrum infermentatorum similæ placentas mixtas oleo, & lagana infermentatorum inuncta oleo, & minchah eorum, & libamina eorum.
Tenebatur Nazareus Deo offerre, canistrum infermentatorum panum, ex farinæ flore confectorum, & placentas, per quas meo iudicio intelligit priores panes, quos fœminæ facere solent ex massa antequam fermententur, de quibus abundè diximus Exodi vigesimonono, & Leuitici secundo. Radix enim nominis chalot, id est, placentæ, est chalal quod est, secundum vnam significationem initiari, dictio verò rachich, id est, laganum, significat crustulas, quas nostri bis coctum panem, vocant, & apud nos fiunt prætiosissimæ, quibus saccarum & rosaceam aquam miscent, & à nostris vocantur bollos daçucar. Nam rachich Hebræis est quid tenue & subtile. Et præter hæc, erat minus, minchah, etiam ex flore farinæ & libamen vini, quod cum sacrificio offerebatur & quòd vertimus Libamen potest verti, effusionem.

Faciet oblationem pro peccato ipsius.
Hebraicè est faciet peccatum ipsius, sed sensus redditus est.

Super canistrum infermentatorum, id est, post canistrum infermentatorum, aut præter canistrum infermentatorum. Erant enim omnia hæc simul offerenda Domino Sanctes noster vertit, in canistro infermentatorum: sed non tam Germanè. Et sumitur hic facere hostiam, pro offerre seu immolare.

Et faciet minchah eius, & non faciet oblationem eius, quod Sanctes vertit.

Post quam raserit nazareatum suum, id est, capillos nazareatus sui.

Ponet super volas nazarei. Hoc est quod in Leuitico vocatur impletio manuum, quoniam offerens solebat implere volas suas sacrificiis seu muneribus, quæ Domino offerebat, maximè quando consecrabatur.

Sanctitas est sacerdotis, id est, sancta sunt huiusmodi oblata, & ad sacerdotem pertinent.

Tam pectus eleuationis quàm armus ventilationis. *Quid sit Pectus eleuationis, quid armus ventilationis.*
Diximus de his duabus dictionibus, scilicet tenuphah & terrumah Exodi trigesimoquinto, & Leuitici nono, & prior, scilicet, tenuphah videtur significare tenuem eleuationem, qualis est fumi, quoniam radix eius scilicet nuph, significat Prouerbiorum septimo tenuem subsumigationem, vbi meretrix dicit iuueni Naphti, id est, suffumigaui, aut ascendere feci cubile meum mirrha, ac si dicat eleuare seu ascendere feci mirrhæ fumum, super cubile meum. Terrumah verò, significat quamcunq; eleuationem, quemadmodum rum, quod est radix eius, qualitercunq; ascendere seu eleuare, potest tamen vtraque eleuationem qua huiusmodi res sacrificandæ Domino, eleuabantur sursum, tanquam domino præsentandæ significare.

Hæc est lex Nazarei, qui vouerit oblationem suam, id est, isti sunt ritus quos tenetur seruare Nazareus, qui vouerit seipsum offerre domino, Aut per oblationem intelligit ea quæ offerebat Domino.

Præter id quod attinget manus eius, Nam quæ prædicta sunt tenebatur necessario offerre, & si potēs erat ad aliquid amplius, gratum illud erat Domino, & fumitur attingere manus, pro posse, quoniam ex labore manuum, lucrum accrescere solet homini. *Attingere manum pro posse, sic Exod. 35. passim.*

Secundum votum suum quod vouerit, sic faciet, id est, omnia quæ vouerit reddet, & Hebraicè est secundum os voti sui, quòd vouerit, sic faciet, id est, sicut exegerit votum suum. Aut sicut aperuerit os ad vouendum, & hoc

Super legem nazareatus sui, id est, vltra ea quæ soluit, ratione nazareatus sui, ac si dicat. Si quid prēter ea quę pertinent ad nazareatum, vouerit, tenebitur soluere. Aliqui Interpretes vertunt secundum legem nazareatus sui, id est, seruando legem nazareatus sui, & sensus bonus est, sed prior germanior.

Loquere ad Aharon & ad filios eius. Quoniam munus benedicendi populum erat sacerdotum ad eos sermonem dirigit, tradens eis benedicendi formam. Cùm hoc tamen, pater poterat filios benedicere, & senes alios: vt patet de Iaacob, qui benedixit filios & Pharaoni. *Modus benedicendi quo sacerdotes populum benedicebant.*

Benedicat Dominus, & custodiat te. Admonui Genesis primo benedicere Dei esse benefacere: hominis verò ad Deum, laudare, hominis ad hominem, bona præcari.

Lucere

Lucere faciat Dominus faciem suam super te, id est, ostēdat tibi faciem hilarem, & amicabilem. Sunt enim lucida læta & amicabilia: videtur enim dominus cùm cœlum obnubilat, abscondere à nobis faciem suam, & iratus esse nobis, vt patet Genesis nono, cùm obnubilauero cœlum nubibus, id est, iratum me ostendero, arcum meum ponam, ne arbitremini me velle destruere terram, aut diluuio alluere. Est & alius sensus scilicet. Illuminet, seu lucere faciat faciem suam super te, id est, dirigat te. Solet enim lucerna præcedens dirigere hominem in tenebris, & hic sensus videtur explicari Psalmo sexagesimosexto, vbi dicitur. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum nobiscum. Explicans verò quid sit illuminare vultum suum cum eis, sequitur. Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam. Hoc est ergo Deum illuminare, aut lucere facere, faciem vel vultum suum, super aliquem dirigere, & cognoscere facere, cum in terra viam suam, aut legem suam, seu quæ agenda sunt ab eo, & ista explicatio videtur germanior. Aliqui explicant da nobis cognitionem seu notitiam tui, sed quia cognitio facialis nemini dabatur, tunc videtur non tam germana, vt secunda. Caietanus exponit de cognitione fidei.

Eleuet Dominus faciem suam ad te, id est, vultum tibi amicabilem ostendat. Qui enim aliquem odit, cùm illum videt, demittit vultum, quemadmodum de Caino legimus. Quare concidit vultus tuus? Et si bene egeris, erit leuare. Qui autem diligit, vultum eleuat ad videndum amicum, vnde sequitur hic. Et ponat tibi pacem, quasi explicans quod dixerat more suo: vt idem sit, eleuare faciem suam super aliquem quod facere cum eo pacem, seu illi pacificum esse.
Posset & alio modo hæc benedictio explicari sic Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, id est, primo custodiendo te à malis. Lucere faciat faciem suam, & misereatur tui, id est, misertus tui, ac si dicat. Videat te miserum, ad miserendum super te. Videtur enim facies misericordis, lux ei qui in maxima miseria est, Luc. 1. quasi in tenebris iuxta illud Zachariæ, illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. Et Isaiæ sexagesimo, surge illuminare Ierusalem. Leuet faciem suam super te, & ponat tibi pacem, id est, ponendo tibi pacem seu pacificum se reddendo tibi, & sic in tribus summatur hæc benedictio, scilicet, in custodia, in miseratione & in pace. Dicunt autem Hebræi sex necessaria ad hanc benedictionem. Primum vt proferatur lingua sancta. Alterum, vt stando dicatur. Tertio vt sacerdotes manus attollant. Quārto, vt eleuata voce pronuntietur. Quinto, vt facies habeant versus populum. Sexto, vt fiat in nomine Dei Tetragrammaton.

Ponant nomen meum super filios Israel, id est, inuocent vt benedicam eis, & ponitur hic illud ineffabile nomen Iehouah: inuocatio autem hæc fiebat dicendo Deus benedicat tibi: Aut oro Deum, vt tibi benedicat, id est, benefaciat. Sic Gene. 48. habes de Iaacob Angelus redemit me, ab omni malo, benedicat pueris istis & vocetur in eis nomen meum, & nomē patrum meorum: Abraham & Isaach.

Et ego benedicam eis. Erant sacerdotes instrumenta benedictionis diuinæ.

IN CAPVT. VI. NVMERORVM ad mores componendos adnotatio.

Vir vel mulier, cùm separauerit se, vouendo votum Nazarei. Solent hominum voluntates, tam infirmæ & debiles in bono esse: vt semper Deo grati fuerint, qui se in eo, voto vel iuramento firmare voluerunt. Vnde vota semper illi placuerunt, modo ab illis à quibus fiunt Domino reddantur. Similiter admonemur hoc loco, quàm grata Domino semper fuerit abstinentia à rebus delectabilibus, præsertim ab eis, quæ hominem in pecus vertunt, qualia sunt quæ possunt inebriare. Est tertio quod notes, fuisse semper homines, qui se cæteris in his quæ sunt virtutis anteponere voluerunt, quales fuerunt Apostoli, Ioannes Baptista, Dominicus, Franciscus, & multi alij, qui communem hominum vitam post se relinquentes, quantum in eis virtus potuerit diuina, clarè mundo ostenderunt. Sed summè aduerte, quod dicit domino. Sunt enim multi, qui ob hypocrisim, aut propter vanitatem, sese cęteris in his quæ solam speciem virtutis habent, altius extulerunt: sed isti iam ab hominibus, suæ vanitatis, vanius præmium, recepterunt.

A vino & sichar separabit se. Quid sic Domine à vino abhorres, quod in tuis sacris sempet misceri voluisti? Voluit puto nos expendere, quàm attentè cum eo agendum esset: vnde supra suis sacerdotibus, cùm sibi ministrandum esset, vini potum prohibuit. Noluit enim hominem in se sua sponte extingueret, quod præcipuum in eo, creauerat ipse. *Attēte vel dē cum Deo agēdum mā ximè in sacris, & ab his quæ mēs tem turbare possunt abstinendum.*

Omnibus diebus voti Nazareatus sui, nouacula non transibit super caput eius. Fuerunt multi scioli, qui hæc quasi minutula, à votis secludunt, sed pius pater, minutiora etiam, modò propter eum fiant acceptat, neque solum hæc, sed etiam abstinentias quæ ab his quæ sunt pietatis auocare videntur, qualis est luctus mortui, illi placere dignoscuntur: vt bene hic notauit Caietanus. Neque putes hanc Nazareatus legem, cum lege incepisse: precessit enim legem per multos annotum centenarios, licet fortè, non omnibus his vallata ceremoniis, quibus nunc fieri iubetur: vt patet Genesis quadragesimonono, vbi Iaacob, filiō suo Ioseph dicit benedictiones genitorum meorum, vsque ad terminum collium perpetuorum, erunt super caput Ioseph, & super vertiecm Nazarei fratrum suorum. *Quàm sit antiquus nazareatus aduerte.*
Ex quibus verbis constat priores illos patres, Nazareorum notitiam habuisse: nisi dicamus ibi accipi Nazareum, pro separato in pulchritudine, ab aliis fratribus suis.

Crescere faciat comam capilli capitis sui.
Constat ex hoc loco Iudæos, aut attonsos, aut attōsis comis incessisse, quoniam Nazareus hic, iubetur comam nutrire. Si quæras quid gratiæ, in coma extensa Dominus inueniebat, vt Nazareis præciperet nutrire eam: arbitror eum libenter in homine vidisse, quæ in eo creauerat, & homo pulchrior esse videtur cum coma, quàm sine ea, præter hoc quod diximus, hoc factum: vt Iudęos auocaret à ritu gentilium, qui comam suam, idolis suis offerre solebant. Est alia ratio quam Liranus affert, quare scilicet Dominus voluit, sacerdotes & Nazareos, non attonsos, quoniam sacerdotes idolorum rasi ministrabant: vt dicitur Baruch. 6. Sacerdotes (inquit) sedent, habentes tunicas scissas, & capita & barbam rasam. Nazarei autem tempore Nazareatus sui, erant deo deputati, ideò non tōdebantur sicut neque sacerdotes. *Iudæi attōsi incedebant.*

Super patre suo, & super matre sua, non polluet se.
Si quis ex hoc loco arguat licere vouere, ea quæ pietati aduersantur, dicito, quædā esse quæ alicui sunt opera pietatis, in aliquo tempore, alteri verò pro alio, sunt impietatis, quemadmodum sepelire mortuos: cùm enim euangelizandum est: dimittendi sunt mortui, sepelire mortuos suos, sicut cùm Deo ministrandum est. Et ex hoc loco disce, quàm segregati à suis affectibus esse debeant ministri Dei, vt non curent quæ carnis & sanguinis sunt.

Et si mortuus fuerit iuxta eum, mox fortuito.
Periculosa, & quæ vix custodiri potest res est sanctitas, & omnibus casibus, & periculis obuia, & in qua multum vigilandum est, ne eam perdas. Audis enim hic Nazareatum pollui, si contingeret mortuum super Nazareum cadere etiam inuito Nazareo, & mirabilius est, quòd elapsum Nazareatus perdebat tempus, & hoc est, quod nos maximè deterrere debet, à pollutionibus & peccatis, ne videlicet amittamus, quæ congregaueramus bona. Hoc enim est, quod apud Ezechielem legis de iusto, se auertente à iustitia sua, cuius iustitiæ non recordatur amplius Dominus, post peccatum. Cauendum ergo valdè, ne iustitiam amit- *Quàm periculis obuia sit sanctitas in homine hic aduerte.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Viri sancti Domino, à populo offerendi ad eleuandum quemadmodum mali iugulandi & interficiendi. Omnia sanctorum Domino grata fiunt. Cap. 5.

tus : ne incipias de nouo iustificari, & quæ præterita sunt perdas. Non admittunt etiam opera sancta næuum vllum : ne putes, te simul posse Deo seruire, & mammonæ.

Adducet eum ad ostium tabernaculi ecclesiæ.

Si cum synagoga Domino præsentabat, discimus, viros sanctos Domino, pro bono reipublicæ, esse offerendos : quemadmodum malos iugulo. Erat enim Nazareus, holocaustum Domino, hostia pro peccato, & sacrificium pacificorum : ideò omnia hæc iubetur offerre.

Quæ nobis bona ex diuina benedictione proueniant aduerte.

Capiet cæsariem nazareatus sui: & ponet super ignem. Nihil habent sancti, quod Deo gratissimum non sit, anima, corpus, vestes, vngues, & capilli : Capilli enim capitum illorum numerati sunt : & in odorem suauitatis Domino offeruntur. Et considera quæso discrimen Capilli impiorum, apud Ezechie. disperguntur, scinduntur, & comburuntur, sanctorum verò in hostiam pacificorum Deo offeruntur. Quod si sanctorum capilli nobis Deum reconciliant, quid facient ea, quæ sunt mediatoris Christi : cuius lachrymæ, panni, & id genus alia nos placant, vt Bernadus ait.

Sic benedicetis filiis Israel. Quanti faciendi sint sacerdotes Domini, locus iste pulchrè adumbrat : per quos nobis Dominus benedicit : ne autem ipsi superbirent, putantes se esse autores benedictionis, adiunxit. Benedicat tibi Dominus. Quinque sunt quæ nobis ex benedictione Domini proueniunt. Primum quod benefacit nobis. Secundo custodit nos. Tertio dirigit nos, ne errare contingat. Quarto miseretur nostri. Quinto amicè nos respicit, & pacem nobiscum facit : quod potest poni sexto.

Et ponant nomen meum super filios Israel.

Non ergo leue reputes, super te nomen Dei tui inuocari : cùm audias hic Deum, ad eius inuocationem benedicere creaturæ suæ.

IN CAPVT. VII. NVMERORVM iuxta literam adnotata.

Quæstio de tabernaculi erectione explicatur.

ET *fuit in die quo compleuit Moseh eleuare habitaculum.* Exodi vltimo legimus, tabernaculum tunc erectum : & nebulam seu lucem implesse illud. Quomodo ergo nunc dicitur, eius erectionem fuisse completam. Ad quod dicendum, tabernaculi eleuationem : ad multos durasse dies : in quibus, quæ hucusque à principio libri narrata sunt acciderunt : Secundo posset dici, hoc caput locandum, immediatè post vltimum. Exodi. Et si obiiciatur, quæ hic gesta narrantur fuisse, post numeratam plebem quia hic dicitur, principes, qui super numeros steterunt hæc obtulisse, dico dictionem pechudim, non solum numeratos : sed etiam præfectos significare, qui ante numerationem præfecti erant. Liranus sequens Rabbi Salomonem dicit, duplicem fuisse tabernaculi erectionem, quædam cotidiana, qua mane erigebatur, & vesperi deponebatur, quando scilicet castra non permanebant, altera erat permanens, qua tabernaculum diu manebat. Dicit autem erectionem mobilem, fuisse factam vltimis septem diebus primi anni egressus ex Ægypto, in qua fuit consecratio altaris & sacerdotum facta à Moseh, octauo autem die, quæ fuit prima dies secundi anni, facta est prima erectio stabilis, & continuata est, in qua fuit oblatio principum, facta per Aharon, & sacerdotes, iam consecratos. Sed timeo distinctionem esse potius fictam, quàm veram. Hoc certum est, scilicet, eadem die scilicet prima secundi mensis, fuisse tabernaculi erectionem, & populi supputationem : vt constat ex vltimo capite Exodi, & priori huius libri : vnde indubiè credo multa capita huius libri, locanda ante Leuiticum, scilicet, hæc & sequentia primum vsque ad vndecimum, exceptis quinto & sexto. Nam de vndecimo constat, quoniam ibi dicitur Deum locutum Moseh, in deserto Sinai, anno secundo in mense primo : vbi præcipit celebrare pascha quartadecima die primi mensis : numeratio verò, & erectio tabernaculi, facta sunt prima die secundi mensis anni secundi, vt iam probauimus : vnde constat omnia hæc præcedere ea, quæ in Leuitico dicuntur : vbi capite primo dicitur, Deum locutum Moseh, de tabernaculo ecclesiæ, iam procul dubio erecto. Vnde anno secundo decimiquarti primi mensis iussit Dominus Phase fieri, seu Pascha, & prima die secundi mensis eiusdem anni tabernaculum erectum est, & sacerdotes vncti vltima vnctione, cum tabernaculo, & eodem die cœpit populus numerari, & sequenti die post numerationem, & erectionem, cœperunt principes offerre : vt hoc capite dicitur neque inconuenit dicere, eadem die tabernaculum cepisse erigi, & populum numerari, & per aliquot dies vtrunque durasse, quibus expletis, ceperunt principes offerre, & hæc videtur veritas huius rei.

Sanctificauit illud, id est, à prophanis separauit, omnia supellectilia eius : applicando ea, cultui diuino, & idem intellige, per vasorum sanctificationem.

Ipsi stantes super numeros. Verbum pachad, vt sæpius diximus, significat recordari, & numerare, & vt Hebræi volunt, etiam præficere, ideo aliqui vertunt hic, stantes in præfecturis, & est bona interpretatio : sed mihi prior videtur melior, vt sit sensus, qui steterunt super numeros, id est, præfecti fuerunt, dum populus numeraretur.

Sex plaustra operta. Dictio hebraica agalah, id est, plaustrum ab agol, quod est rotundum teres, ortum habet, cuius propria significatio Hebræis & nostris, nondum plenè nota est : vnde tribuunt illi, omnes istas significationes scilicet rotundum, inaurem, castra, semitam, cœlum, vitulum, & plaustrum. Sed expensis locis scripturæ, videtur agol, significare, aut rem rotundam aut quod verius est, semitam inter duas maceries clausam significat verò inaurem aut quia rotunda aut quia clausa ad modum semitæ. Similiter vitulum, ratione rotunditatis pedum, aut quia in medio pedis, quasi viam seu semitam habeat, ex vtraque parte clausam, plaustrum verò eadē ratione, scilicet, quia vtcunque rotundum, aut quia in medio, dum sepe, aut ligno circundatur constituit quasi semitam, res mihi nondum plenè nota est. Quod enim rotundum significet videtur constare primo Regum septimo vbi dicitur Agol, id est, rotundum in circuitu, aut clausum, ad modum viæ clausæ macerijs. Et eodem capite os eius Agol, id est, rotundum, aut ad modum semitæ clausum. Sunt enim quædam vasa, quæ in ore habent quasi semitam, ne aqua effundatur, nos vocamus albarrada. vnde re vera arbitror, dictionem significare propriè semitam, & ex consequenti, omne quod habet modum semitæ, neque puto agil, inaurem qualemcunque significare : sed aureum ornamentum, quod in medio, modum viæ, seu semitæ habet, neque ad foramen auris suspendebatur, sed totam aurem circuibat Geneseos quadragesimoquinto, plaustrum significat, vbi dicitur Agalot, id est, plaustra, pro paruulis, dictio verò sequens, scilicet, sab, quod nostri opertum eum Hebræis interpretantur, adhuc ignotior est, quoniam rara est in scripturis, & vix est coniectura aliqua, ad vestigandam propriam significationem. Thargum Ierosolymitanum vertit sociata, seu bijuga, ac si dicat quòd vnicuique plaustro erat par boum, trahentium illud. Ponitur dictio Isaiæ sexagesimosexto, vbi dicitur. Adducent omnes fratres vestros, ex omnibus gentibus, oblationem Domino, in equis & carrucis vbasabim, id est. Et in lectieis, quæ sunt vehicula operta, quibus nobiles vehuntur. Et etiam species reptilis, de quo diximus Leuiti. 11. Vnde posset hic verti sex plaustra lecticæ, id est, ad modum lecticę operta : sed quia lecticę, equis potius quàm bobus vehuntur, magis videntur quadrare plaustra operta, licet ex verbis Isaię citatis videatur, potius significare certum vehiculi genus.

Agol quid significet apud Hebræos.

Erunt ad faciendum opus tabernaculi ecclesiæ, id est, ad onera tabernaculi vehenda, & etiam ad deferenda pro sacrificijs ligna.

Vnicuique secundum opus suum. Hebraice est virū secundum os ministerij sui, id est, prout exegerit ministerium suum, aut prout dixerit ministerium suum exigere,

gere, & sic infra, vbi eadem locutio reperitur expone, & est Hebraismus, de quo in Hebraismis iam diximus.

Quatuor plaustra & octo boues dedit filijs Merari. Ideo dedit duplum, quia plura, & grauiora vehenda erant ab eis quam ab aliis.

Opus sanctitatis erat super eos, id est, quæ sanctiora erant, seu ministeria sanctiora, erant super eos, id est, vehebantur ab eis, aut si opera intelligas verte : incumbebant eis. Et clarius, quia instrumenta sanctitatis, id est, sanctissima erant super eos ; id est, super humeros eorum, vt statim explicat.

Obtulerunt principes pro dedicatione altaris. Significat dictio chamach, incipere : vnde idem est dedicatio, quod inceptio : quando primum altare, cultui diuino applicabatur, & dedicabatur : quod fiebat post vnctionem.

Princeps vnus per diem, princeps vnus per diem. Gaudet Hebraismus huiusmodi geminationibus. Et voluit Dominus, vt quisque principum, suo die offerret : vt sacrificium & dedicatio, honorabiliora essent.

Scutula argentea vna. Dixi Exod. 25. de significatione schearah, id est, scutula : quòd Hebræis incertę sit significationis, neq; est bona coniectura, ad inueniendam propriam significationem. Hieronymus acetabulum vertit. Est autem acetabulum genus vasis, quod heminam vocant.

Triginta & centum pondus eius. Solet Hebraismus ponere minorem numerum, ante maiorem. Et aliqui vertunt. 130. sicli eius. Sed dictio miscal, frequentius in scriptura pondus quàm siclum significat : vt patet Ezechie. 5. vbi dicitur. Capies tibi stateram miscal, id est, ponderis. Et priori Regum. 10. fuit mischal, id est, pondus. Etiam Esdræ. 8. scriptum est. Omne hamiscal, id est, pondus, & subaudiēdi sunt sicli : vt sit sensus. 30 & centum scilicet sicli pondus eius, scilicet scutulæ.

Phialam vnam : Dixi de dictione mizrah, id est, phiala Exodi. 27. & etiam in hoc libro : quòd vt plurimum, esset vas parum, quo sanguis effundebatur, & quo homo bibere posset : vt patet Hamos. 6. vbi dicitur qui bibunt bemizrechæ, id est, in phialis vinum.

Plena similæ, permixta oleo, in minchah. Vertit vbique Sanctes pro minchah oblationem, vel munus, neque bene meo iudicio : quoniam vt sæpius admonuimus, & si minchah aliquando significet omne placatitium munus, nonnunquam tamen, significat certum sacrificij genus : quod ex similia fiebat de quo Leuitici. 2. abunde diximus, & hic pro illo certo sacrificio accipitur.

Cochleare vnum. Dixi aliàs dictionem chaph, à curuitate suam sortiri nomenclaturā : quòd curuū sit.

Decem siclorum. In Hebræo non est siclorum, sed tantum decem, subaudiendum tamen est.

Iuuencus vnus filius bouis. Quod dicitur filius bouis, phrasis esse videtur Hebraica. Posset tamen dici, per hoc tenerum significari : vt scilicet ideo dicatur filius, quoniam non debebat esse annosus sicut fortè pater : *Agnus vnus anniculus.*

Significantius in Hebræo habetur, filius anni ipsius, & significatur, non quòd debuit annum complesse, sed satis est inchoasse, & aliquid anni habuisse. Postquàm enim ad septem dies, cum matre fuisset : poterat immolari.

Hircum caprarum vnum pro peccato. Mirum valde est, quòd vt plurimum hircus, pro peccato offerretur, quo Deus peccati fœtorē, & horrorem, voluit adumbrare. Est enim animal horribile, & fœtidum. Vnde dæmones, vt plurimum, eorum figuram assumunt : cum hominibus loquuntur aut apparent.

Hirci quinque. Dictio Hebraica attad, à qua attudim, id est hirci, significare proprie videtur ordinare : licet Hebręi dicāt significare preparare, vt patet Prouer. 24. vbi dicitur. Præpara foris opus tuum : veate dah. i. & ordina illud. vbi si secundo loco præparare vertas, inutilem facies eiusdem significationis repetitionem. Inde attudim. i. hirci quasi ordinatores, & duces gregis. Solent enim hirci vt plurimum, alios greges duce-

re. Vnde duces Isai. 14. dicuntur attudim : vbi sic habetur. Omnes attude, id est, duces terræ.

Hæc dedicatio altaris, id est, inceptio, quando Deo primum dedicatum & applicatum est, & ceperunt super illud offerre sactificium.

In die qua vnctum fuit, à principibus Israel. Videntur hic verba transposita. Nam sensus est, hęc est dedicatio, seu inceptio altaris : qua filij Israel ceperunt in eo offerre : quando illud vnctum est : aut pro eodem accipit dedicationem, & vnctionem : quoniam vt iam diximus, hoc eodem capite, per vnctionem altare & alia Deo dedicabantur.

Triginta & centum, & siatilla vna. Subaudi siclorum, & idem de phialis. Et fortè phiala erat vas, quod nos vocamus fiaa & sunt apud nos vasa testea, quibus potātur rustici, dū in vineis vel agro laborant.

Decem decem cochlearia, secundum pondus sanctitatis, id est, quodlibet cochlear habebat decem siclos, secundum pondus sanctitatis.

Omne aurum cochlearium viginti & centum. Scilicet sicli. *Et oblationes eorum.*

Hebraice. Et minchah eorum : Cùm carnibus enim, offerebatur similia delicatissima : quæ dicebatur, minchah. *Hæc est dedicatio altaris, postquam vnctum fuit*, id est, inceptio qua Israelitæ ceperunt in eo sua sacrificia offerre.

Et quando ingrediebatur Moseh in tabernaculum ecclesiæ, ad alloquendum illum scilicet Dominum, & audiebat vocem loquentis ad se, de super propitiatorio, quod erat su per arcam testimonij, de inter duo Cherubim, & loquebatur ad eum.

Scilicet. Ad Moseh, nam post tabernaculi erectionem, loquebatur Dominus de sede sua. Sedebat enim super tabula, quæ dicitur propitiatorium, & pedes super arcā, in qua erat lex habebat, & sedebat inter duo Cherubim : quæ alis suis tegebāt eum ne videretur, & constat ex hoc loco, media saltem corpora cherubinorum, excedere tabulam propitiatorij : aliàs non sederet Dominus inter Cherubim, sed super.

IN CAPVT VII. NVMERORVM annotatio ad nostram eruditionem.

Semper in ecclesia debet esse qui oret & in altari munus quo placetur Deus. Thren. 2.

OBtulerunt *principes Israel.* Non debent templa aut altaria Dei vacua esse, sed plena : vt videlicet in ecclesia semper sit aliquis, qui oret Deum, & in altaribus munera, quibus placetur Deus, & propitietur nobis. Audi quid Sanctus Ieremias in Threnis deploret. Viæ (inquit) Sion lugent : eò quòd non sit qui veniat ad solennitatem. Considera etiam hic principes, oblationes incepisse Domino offerre, nunc verò illi cæteris posteriores & negligentiores sunt, in alendis ministris & pauperibus, & qui minus diuina curare videntur cùm cæteris exemplo esse deberent.

Attulerunt oblationem suam coram Domino : sex plaustra. Mirum valde est, quòd principes à plaustris offerre incipiant, quibus onera tabernaculi vehēda sunt, vt ostendant, sæculares principes debere suis subsidiis, iuuare ministros diuini cultus.

Plaustrum à duobus principibus. Quanta conuenūtio amor, & amicitia, inter principes esse debeat : ostendit istorum oblatio. Debent enim, sicut duo boues iugum trahere, diuinæ legis : nunc verò proh dolor nulli ita dissidiosi sunt, sicut ipsi, ita vt ferè nullus sit, qui cum alio in sua vrbe conueniat, sed vnus, omnes alios nititur superare. Posset etiam hic eorum auaritia taxari, qua vnus solus non audebat plaustrum offerre.

Dixit Dominus ad Moseh. Cape ab eis.

Non immerito serue bone de fidelitate à Domino collaudaris : qui munus capere à populo non audes, sine licentia Domini. Et quis nunc quæso ministrorū Dei, tam fidelis est, vt oblata sibi aut Domino respuat? Iste verò necessaria non recepisset plaustra : nisi Dominus imperasset.

Notā.

Dabis ea Leuitis. Sunt sæculares, qui sacra etiam seruare volunt, quod indecens valde est, sed sacris sunt sacra tradenda ministris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Humero ferebant. Vix sustinet nunc sacerdos, sacrarium seu vas in quo corpus Domini manet, ad locum vtcunque distantem deferre, & tamen audis hic sacerdotis arcam testamenti, non vehiculis, sed humeris debere portare: neque data sunt sacerdotibus plaustra, vt omnem ab eis peccandi auferret occasionem: ne scilicet plaustris portare vellent, quæ erant suis humeris deferenda.

Princeps vnus per diem. Ambitiose, & pompose valde, sunt munera Domino Deo offerenda, & non deiecte & humiliter: qua de causa voluit vt sæpius dictum est, muncra sibi præsentanda sursum eleuari. Similiter voluit eos inducere, ad offenda munera digna Deo: quæ videlicet ad vnam integram diem sufficerent.

Oblatio eius scutella argentea. Ostenditur hic quàm liberales esse debeant, hij qui aliis exemplo esse debent. Vides enim neminem ex sequentibus, in oblatione excessisse Nachšon, qui si parcus fuisset, omnes eius parsimoniam sequerentur. Similiter æmulationem considera, licet enim aliæ tribus, minores & pauciores essent, quàm tribus iehudah, nulla tamen ab eius munere defecit; sed omnes munus illi æquale obtulerunt.

Bona in sacris æmulatio.

Oblatio eius scutella argentea vna: triginta & centum pondus eius. Duo hic consideranda occurrunt. Alterum quòd omnes isti principes, simul munus, & vas quo munus deferebatur obtulerunt, ad ministerium templi: qua in re nos docent, nihil nobis ex his quæ Domino offerimus, debere reseruare. Alterum quàm attentè & oculatè Dominus expendat, minima quæ illi offerimus. Omnia considerat, & quòd sit scutella, quòd sit argentea, & quòd sit. 130. siclorum, & quòd siclus non sit vulgaris, sed sanctitatis, & quòd sit plena simula mixta oleo. Quod etiam adnotauimus in sacrificio Abrahæ: sed non pigebit eadem repetere, vbicunque textus repetendi præbuerit occasionem. Est etiam hic ordinem in offerendo considerare: vt cognoscas quantum à confusione abhorreat Deus.

Expedit do minus ona mia quàe illi offerimus.

Quando ingrediebatur Moseh tabernaculum, audiebat vocem de propiciatorio. Ad quid hæc nobis narras vir sancte, & bone? Vt nobis ostendat, quanta maiestate & grauitate, illi locutus sit Dominus. Non enim eum videbat vnquam loquentem: sed vocem de propiciatorio audiebat sonantem, quo tectus alis Cherubim responsa interroganti dabat.

IN CAPVT. VIII. NVMERORUM iuxta literam annotatio.

Quando ascendere facies lucernas, è regione faciei candelabri, lucere facient septem lucernæ.

Noster Sanctes vertit. Quando accendere facies lucernas, contra faciem candelabri, lucere faciet septem lucernæ. Duo hic sunt aduertenda. Alterum quòd in hebræo non est accendere, vt Sanctes vertit, quemadmodum etiam Hieronymus Ieremiæ quadragesimooctauo, verbum per accendere vertit, quoniam verbum alah, non significat accendere, quare Munsterus vertit. Dum ordinas lucernas, & etiam Sanctes in lexico: sed re vera verbum propriè significat ascendere. Neq, hoc significatū turbat, id quod habetur Ieremiæ quadragesimooctauo, vbi dicitur. Et ciuitates eius excidit, quoniam ibi tam bene quadrat. Et ciuitates eius ascendit, scilicet, hostis. Sic & illud Geneſis quadragesimonono, Stratus meus alah. i. excisus est (vt nostri vertunt) melius vertas. Stratum meum ascendit, vt sint admirātis verba, quòd filius ausus fuerit, eius stratum ascendere, quare germane vertendum est. Quando ascendere facies lucernas, sed sensus reddendus est, & meo iudicio lucernæ superiores, erant à candelabro diuisæ, ita quòd in extremitatibus brachiorum candelabri, erant loca ad ponendas lampades, in quibus oleumerat, quæ accendebantur & poterant deponi & reponi, & quādo Aharon reponebat eas, dicitur facere eas ascendere. Aut Aharon ipse ascendebat, cùm accendere volebat lucernas, quoniam candelabrum altum erat, & lucernæ in superioribus ramorum extremitatibus: vnde hic in hebræo est. Loquere ad Aharon, & ad filios eius. In ascendere tuo lucernas, seu ad lucernas, vbi vides textum coniecturam præbere ascensus Aharon, ad accendendas lucernas: ne tam facilè verbum à sua genuina significatione diuertamus. Sunt enim plus quàm centum in scriptura loci, quibus verbum significat ascendere: vt videre licebit in lexico Sanctis pagina. 1727. Satius ergo puto vnum aut alterum locum, quibus propria significatio non videtur quadrare, ad veram significationem reducere si possibile sit: quàm verbum à sua genuina significatione deflectere. Alterum quod hic scrupulum ingerit est illud, quod nostri vertunt aut è regione candelabri, aut contra faciem candelabri, lucere facient septem lucernæ, aut lucernas, quoniam hebraicè habetur el mul pene, & significatio mul valdè incerta est. Nam verbum mul Hebræis est scindere, circuncidere, vt patet Iosue quinto vbi dicitur. Eos mal, id est, circuncidit Iosue. Idem Deuteron. trigesimo, & Exodi duodecimo, & multis aliis scripturæ locis. Inde dicunt deriuari mul, quod interpretantur coram, è regione, & contra. Et aliquando venit solum mul, nonnunquàm adiuncta præpositione el, id est, ad: vt hic & Exodi vigesimosexto, & vigesimooctauo & trigesimonono. Sed hæc significationes, nullam allusionem videntur habere ad principale significatum verbi: & forte significat præcise, sed non quadrat in aliquot locis, quibus ponitur dictio. Diximus de hac dictione Exodi decimooctauo, & decimosexto & vigesimooctauo, quod nobis videbatur: sed nondum animus quiescit, interim accceptemus communem significationem, vsquequò detur nobis propriam inuenire. Est ergo litera sic reddenda. Cùm ascenderis tu, aut cùm ascendere feceris tu lucernas, ad coram faciem candelabri, lucere facient septem lucernæ, & est sensus. Cùm ascendere feceris lucernas, id est, lampades, scilicet, super candelabrum, seu ad loca sua: ipsæ lucernæ lucere facient, id est, illuminabunt, è regione ipsius candelabri, id est, partem, quæ est coram candelabro, seu ante candelabrum. Et meo iudicio super florem, in extremitate cuiuslibet rami, ponebatur paruum candelabrum, quod nostri vocant griseta, quod habet rostrum prominens ad modum auis, & vult dicere, quòd rostra paruorum candelabrorum in quibus erat lumen, versa erant ad mensam, in qua panes faciem ponebantur, & hanc figuram præ se fert candelabrum, quòd Romæ in fornice Titi, ostenditur. Posset etiam esse sensus, si mul significat diuisionem, aut præcise. Quum ascendere facies lucernas, ad diuisionem faciei candelabri, lucere facient septem lucernæ lumen suum, & per diuisionem vel præcisionem, intellige medium locum inter candelabrum & mensam. Potuit etiam candelabrum rostra habere versus propiciatorium ad illuminandum locum in quo erat Deus.

Contra faciem candelabri, ascendere fecit lucernas. Ex hoc loco videtur, quòd alah significet etiam accendere seu lucere, quoniam quod superius dixit è regione candelabri lucere facient lucernæ septem: nunc dicit. E regione faciei candelabri ascendere fecit lucernas, & pro eodem reputare videtur lucere & ascendere facere. Aut melius quia candelabrum erat versum ad propitiatorium, fecit vt etiam lucernæ versus illam partem illuminarent, & sensus est. Fecit lucernas ascendere seu illuminare contra faciem candelabri, id est, contra illam partem versus quam erat candelabrum, nisi exponamus. Contra faciem candelabri, ascendere fecit, scilicet lumen lucernarum. Solet enim lumen accensæ lucernæ sursum ascendere.

Ductile aurum vsque ad pedes eius, vsque ad florem eius. A verbo chasah, quod (vt Hebræi dicunt) est durum, & graue esse: est michsseh, quod debet significare durum aut graue: sed tam nominis quàm verbi, non plenè nota est significatio. Ponitur dictio Isaiæ tertio, vbi dicitur. Et pro opere michsseh, quod nostri vertūt, pro dispositione æquali, caluitium, & multi sunt qui conueniunt in hoc, quod significet ductile: sed mēs nostra illis subscribere vix potest, & potius crederem, per opus graue, intelligi aliquod aureum ornamentum capitis, pro quo dominus dicit, eas habituras caluitium. Sed quia difficile, videtur longum & extensum admittendam puto significationem, qua ductile significat, & ex his & similibus deprehendes, quàm probe nouerint Hebræi, Hebraicarum dictionum significationes. Non audeo interpretari durum aurum, quod nostri moçiço vocant: quoniam infra capite decimo dicit Dominus. Fac tibi duas tubas argenti michsſah, id est, duri: vbi si vertas moçiço seu non intus vacuum: non videtur conuenire: quoniam tubæ intus vacuæ sunt. Est ergo sensus, quod candelabrum totum, erit ex auro ductili seu extēso, tam pes, quàm flores ipsius, & meminit pedis, & florum, quoniam sunt extremitates, ex quibus dat intelligere media. Si enim partes extremæ debent ex auro ductili esse, etiam medium erit ex auro. Similiter meminit pedis, ne putarent ex alio metallo factum: quoniam videtur esse pars vilior.

Asperges super eos aquam peccati. Sic est in Hebræo, & sensus est. Sparge super eos aquam, qua purificantur peccata, quę erat illa, in qua erant cineres vaccę rufæ: de qua capit. 19. sequenti: quæ erat ad hoc munus facta, vt scilicet pollutos seu inquinatos mūdaret. Sed cum illa nondum esset instituta, quomodo poterant Leuitæ illa mundari? Fortè iam erat instituta, licet postea narretur, quod verum esse credo.

Transire faciant nouaculam, per omnem carnem suam. Hebraismus est, pro radant omnes pilos carnis suæ, & modestè valde loquitur scriptura, ne pudenda nomina ret. Et in tribus consistebat huiusmodi purificatio, scilicet in aspersione aquæ lustrationis. Secundo in rasura pilorum. Tertio in lotione vestimentorum. Et aduerte quòd dictio taar, id est, nouacula, non solum eam sed etiam vaginam significat: vt patet primo Semuelis decimoseptimo vbi dicitur. Et eduxit illum, mitarah, id est, de vagina sua. Idem Ezechielis vigesimoprimo. Item secundo Regum vigesimo, & Ieremiæ quadragesimoseptimo. Posset etiam melius dici, quòd significet propriè vaginam, & ex consequenti nouaculam, quòd sit etiam vagina sui.

Iuuencum filium bouis. Sunt qui dicunt diei filium bouis, ad differentiam bubalorum, qui speciem boum præ se ferunt, sed aut est phrasis linguæ, aut dicitur filius, vt sit tener. Neque sit bos senex.

Et minchah eius. Sic melius vertas, quàm oblationem eius: quoniā vt sæpius diximus, erat certa species sacrificij, ex farinæ flore, aut farinæ ipsius flos: quod cum carnibus, & aliis, solebat offerri.

Coniungent filij Israel manus suas super Leuitas. Admonui sæpius in Leuitico, quid huiusmodi manuū coniunctio significaret. Erat enim signum, quòd offerens, seipsum in munere suo Deo offerebat. Et quia filij Israel, Leuitas sui loco ad ministrandum Domino offerebant: ideo manus illis iubentur coniungere.

Et ventilabit Aharon Leuitas. Ista ventilatio, erat elevatio, qua sursum eleuabantur, ad præsentandum illos munus Domino. Alij volunt eos ventilatos, ad quatuor mundi plagas, ad protestandum Deum esse totius orbis Dominum.

Et leuitæ cōiungent manus suas super caput iuuencorum. Vt scilicet protestarētur se in eis offerre, & dignos esse qui iugulo traderentur, propter peccata sua.

Faciet sacerdos vnum peccatum, id est, hostiam pro peccato.

Ad expiandum super Leuitas. Aut ad liniendum, scilicet sanguine. Verbum enim chappar linire significat.

Ventilabis eos ventilatione. Expone vt supra, & ex eo quod hic immediate sequitur, constat hanc eleuationem, significare præsentationem quæ Domino fiebat. Sequitur enim, *quia dati dati sunt mihi*, id est, dono dati, aut perpetuo dati.

Sanctificaui illos mihi, id est, separaui aut dedicaui, cultuique meo applicui.

Ad ministrandum ministerium filiorum Israel, id est, quod mihi facere debebant filij Israel, aut quo opus fuerit filiis Israel. Debebant enim dona & sacrificia populi Domino offerre: cum sacerdotibus.

Et ad expiandum super filios Israel. Aut quia pro expiatione populi à Domino accipiebantur: aut quia ministrabant in sacrificiis Domini, per quæ fiebat populi expiatio.

Purificauerunt se Leuitæ. Verbum chata, quod hic ponitur, significat peccare, & à peccato expiari: vt sæpius diximus.

Hoc est, quod est pro Leuitis. Hebraice est. Hoc est Leuitis, id est, statutum Leuitarum.

A filio viginti quinque annorum & supra, ingredientur ad militandum militiam. *Quoto leuitæ tempore ad ministrandum accedebant.*

Supra capite quarto huius libri, dictum est. A filio triginta annorum & supra, vsque ad filium quinquaginta annorum: debere in sanctuario ministrare dicendum, quòd anno vigesimoquinto accedebant, & illis quinque annis, quasi nouitij ministrabant, aut potius ministrare docebantur assistendo ministeriis, à triginta verò & supra erant consummati ministri. Posset etiā dici, quòd prius numerati sunt ab anno trigesimo, ad onera scilicet vehenda, ad quod homo robustus & fortis requiritur: hic verò est sermo absolute de ministro, quocunque loco & tempore. Posset tertio dici filios Cheat; à trigesimo anno debere ministrare seu vehere, quoniam sanctiora cæteris portabant, aut quia à cheat erant sacerdotes in quibus maturior ætas requiritur quàm in Leuitis. Si quæras quare scriptura vocet templi ministerium militiam, vel exercitum: dico quòd propter multitudinem ordinatam ministrorum. Nam quemadmodum in exercitu, non omnes, sed perfectæ ætatis, & robusti admittuntur, quos oportet ordinatissime incedere, ita & in ministerio templi, oportebat multos propter multa & varia ministeria esse: quos enim ordinatissimos esse oportebat, ne ministerium esset potius confusio, quàm ordinata seruitus. Post quinquagesimum verò annum fiebant milites emeritæ militiæ: quia ab illo tempore incipiunt in homine vires deficere, ministrabant tamen in custodiendis vasis, & arcendo à locis sactatis populum, in consiliis, in claudendis portis: non tamen in vehendis oneribus sacrorum.

Sic facies Leuitis in custodiis eorum. Id est, tempore quo ministrauerint in custodiis sanctuarij.

IN CAPVT. VIII. NVMERI iuxta mores annotationes.

Tollite Leuitas è medio filiorum Israel: & purificabis eos. Quanta puritate præditi esse debeant, qui Domino ministrare debent, pulchre locus iste demonstrat: qui Leuitas ter purificatos, adhuc iubet offerre iuuencum pro peccato. Et benè aduerte qd prius iubētur corpora abluere, vltimo pro peccato offerre, quoniā nihil prodest si corpus abluas & meritē inquinatam esse permittas: cuius inquinationem nulla aqua non sacra aut corporalis purificatio, sed sacrificiū deo oblatū mundat. Si lauero me (ait Iob cap. 9.) aquis vitalibus, & mundauero pure manus meas, tūc in fouea demerges me: & abominabūtur me vestimenta mea, qua in re docemur, nos peccatores cognoscere & ostendere coram Deo, etiam postquàm omnia purificatoria ab eo iussa tuta perfecerimus.

Eleuare faciet Aharon Leuitas, eleuationem coram Domino. Difficile valde, ex hoc loco æstimandum est, facere vnum ministrum Dei: cùm videas quot ceremoniis, quot ritibus, huiusmodi ministri confecrari iubeantur à Domino, & sentias quod placitum sit, illum destruere, aut peruertere:

Quia dati dati sunt mihi, pro aperiente vulvam. quid est Domine Deus mi, quòd nihil gratis à nobis accipere vis, sed talibus nobiscum commutationibus vteris? Nosti scio auaritiam nostram, & quàm facile si quid alicui donamus exprobramus.

A virgine

Universidad de Deusto
Biblioteca

A vigintiquinque annis egredientur ad militandum militiam, in opere tabernaculi.

Sæpius mecum mirari cœpi, cur Dominus, venientes ad seruitutem eius, dicat venire ad militandum. Iuste valde hoc factum esse credendum est. Fili (aut Ecclesiastice) accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quis enim dicere queat, quot oppositiones, obiecta, contradictiones, hodie patiantur: qui pie in Christo viuere volunt? Armatus videtur orbis omnis, aduersus eos qui se Dei ministerio tradiderunt: ita vt milites, & pluſquàm milites, imò & martyres oporteat esse eos, qui ad ministeria diuina accedunt. Bonus ergo miles eris: si Dei munia ad quæ vocatus es, iuste Deo functus fueris: quod ipse donare dignetur, qui est per omnia secula benedictus. Amen.

IN CAPVT. IX. NVMERORVM ad literam annotata.

Non seruat Moseh aliquãdo ordinem rerũ gestarũ in sua narratione.

IN *anno secundo quo egressi sunt de terra Ægypti, mense primo.* Non seruate Moseh rerum gestarum ordinem in scribendo, aperte hoc loco monstratur. In primo enim huius libri capite, scripsit reuelata sibi prima die mensis secundi: nunc verò, quæ sibi Dominus reuelauit mense primo anni secundi.

Faciant filij Israel pesach in tempore suo.

Quid Hebr. pesach.

Capite duodecimo Exodi explicuimus: quid proprie vox pesach significaret, scilicet saltum, quòd ea videlicet die, Dominus ad occidenda Ægyptiorum primogenita, saltauerit domos Israelitarum inter medias: sine occisione suorum primogenitorum. Exodi enim citato capite habes. Pesach est Domino, qui pesach, id est, saltauit, super ostia domus Israel. Inde pisseach, id est, claudus, sic dictus, quòd quasi saltando incedat.

Quid heb. moed.

Vnde nos tales dicimus salpicare, id est, saltibus incedere. Admonui etiam sæpius, dictionem moed, quam hic omnes tempus vertunt: esse a iaad, cuius significatio propria, nõ plene nota est Hebræis: videtur tamen significare cõuenire, congregare, præsertim ad tempus statutum, & etiam tempus statuere, certum præcipue, & de priori significatione habes exemplum capite decimo sequenti, vbi Dominus dicit, Vemoadu, id est, Et congregabuntur ad te: vbi idem verbum ponitur. De secunda verò sunt multa exempla in scriptura, vt secundo Semuelis vigesimo vbi dicitur. Et tardauit min hamoed asser locado, id est, a tempore seu constituto, quod constituerat ei. Vnde etiam hic verti posset. Faciant pesach statuto suo, scilicet tempore. Præcipit autem Dominus hoc pascha secundi anni seruare, quia illud ab exitu de Ægypto non fecerant.

Inter vesperas facietis illud. Etiam hoc, capite duodecimo Exodi declaratimus: vbi diximus duplicem esse vesperam apud Hebræos. Alteram, scilicet occasum solis, alteram noctem ipsam, de qua dicitur Genesis primo factum fuisse mane & vesperam, id est, noctem diem vnum: tempus verò illud, quod est inter solis occasum & noctem: vocatur tempus inter vesperas, & tunc agnus paschalis occidebatur, & comedebatur. Et dictio ereb, id est, vespera, consentit, quæ est a verbo arab, quod significat miscere, quoniam vespera videtur esse mixtum quid, ex luce & tenebris, & significat proprie tempus illud, quo dies cõiungitur nocti, quasi est ab occasu solis vsque ad noctem: a quo tempore Iudæi incipiunt festa sua.

Facietis illud in tempore suo. Aut in statuto suo, Videlicet tempore.

Secundum omnia statuta eius, & secundum omnia iudicia eius facietis illud, id est, seruando omnes illas cerimonias, quæ iussæ sunt seruari Exodi duodecimo: vt scilicet renibus accincti, stantes cum baculis in manibus, festinanter, non conterentes ossa eius, & cætera. Admonui etiam sæpius, choch, quod hic statutum vertimus, significare proprie statutum scriptum, seu limitationẽ. Saphat vero iudicium, & æstimationem.

Discrimen inter choch & mispat.

Vnde verti posset. Secundum omnes limitationes eius, & æstimationes eius.

Et fecerunt pascha in primo, subaudi mense.

Et fuit, Viri qui fuerunt immundi super animam, id est, cadauer hominis, & non potuerunt facere pesach in die illo: appropinquauerunt coram Moseh.

Aduerte verba hæc legenda esse sic. Et fuit, id est, accidit, scilicet hoc quod sequitur. Viri quidam, &c. quod annotaui, quia Sanctes vertit. Et fuerunt viri quidam: licet hoc parui referat postquàm ipse sensum bene reddidit.

Quare prohibemur, vt non offeramus oblationem Domino, in tempore suo, in medio filiorum Israel?

Aduerte verbum gara, quod hic Sanctes vertit prohibemur, autoribus Hebræis, significare proprie minuere: vt patet Exodi quinto vbi dicitur. Non tigreu, id est, minuetis de lateribus vestris. Et Ezechielis decimosexto. Et ego egrah, id est, diminuam statutum cibum. Item Ieremiæ quadragesimooctauo. Omnis bar ba gekuah, id est, diminuta. Idem ecclesiastis tertio. Illi non est addendum, & ex illo non ligroah, id est, minuendum: in qua significatione hic magis quadrat, si vertas. Quare minuemur, id est, à numero Israelitarum celebrantium pesach deficiemus? & pro offerimus, verte vt non appropinquare faciamus munus domino. Et quod dicitur, in medio filiorum Israel, deprehendes ex hoc loco, medium, non semper re vera medium Hebræis significare, sed nonnunquàm idẽ esse, quod inter, seu intra. quemadmodum hic.

Quicunque fuerit immundus super animam, vel in via longinqua vobis, aut generationibus vestris: faciet pesach Domino. Obscurus est sensus huius clausulæ, & varie à nostris & Hebræis explicatur. Et primo modo sensus est. Quicunque fuerit in via longinqua à vobis, id est, inter vos. Poterat enim ciuitas à ciuitate longè distare in terra Israel. Vel longè à generationibus vestris, videlicet in terra gentilium. Secundo modo sic. Quicunque fuerit in terra longinqua à vobis, id est, à terra vestra, & ibi sit punctus: talis in generationibus vestris, id est, perpetuo faciet pesach. Tertio sic. Si quis fuerit in via longinqua ex posteris vestris, sed secundus sensus simplicior est, & germanus huius loci sensus videtur.

Vir vir seu omnis vir, *cum fuerit immundus super animam,* id est, super cadauer à quo vita seu anima recessit: *vel in via longinqua vobis,* id est, à terra vestra, & vobis qui nunc viuitis, vel *fuerit in via longinqua generationibus vestris,* id est, ab his qui futuro tempore fuerint, seu posteris vestris: *faciet pesach Domino in mense secundo. Super infermentata & amaritudines comedent illud.* Tenebantur Iudæi prius infermentatæ comedere & amaras herbas: postmodum verò victimam paschalem: ideo dicit. Super infermẽtata & amaras herbas. Dictio verò sequens, scilicet merorim, id est amaritudines: non arctatur ad herbas amaras significandas, sed amaritudines absolute significat, aliquando tamen pro amaris cibis ponitur, vt patet Iob nono vbi habetur. Saturabit me mamerorim, id est amaris, scilicet herbis aut rebus. Et Deut. trigesimosecundo. Botri merorot, id est, amaritudinum ei. Et licet posset exponi. Super amaritudines, id est, postquàm fuerint amari seu amaro animo: comedent illum: melius tamen intelligas. Super amaritudines herbarum seu super amaras herbas, comedent illum.

Peccatum suum portabit vir ipse, id est, pœnam peccati sui: vt Sanctes vertit.

Secundum statutum pesach, & iuxta morem eius seu iuditium eius: sic faciet. Expone hoc vt supra hoc eodem capite.

Operuit nubes habitaculum, tabernaculum testimonij. Videtur ohel seu tabernaculum explicatio habitaculi vt sit sensus. Operuit habitaculum nempe tabernaculum testimonij, aut sensus est. Et etiam tentorium testimonij quod cõstituebant cortinæ superiores, & pro nube, nebulam exponere posses, & hæc nebula in multis locis scripturæ vocatur gloria Domini, id est, signũ præsen-

præsentiæ maiestatis eius: vt patet Exodi vltimo & primo Regum octauo.

In vespera erat super habitaculum sicut aspectus ignis, vsque mane. Constat ex hoc loco aperte vesperam significare etiam noctem, quoniam sequenti clausula dicitur, & aspectus ignis in nocte.

Sic erit pro erat, *tegit er nubes, aut nebula operuit illud,* scilicet tabernaculum *in die: & aspectus ignis in nocte.* Videtur ex verbis textus haberi, quod nubes seu nebula hæc, tegeret totum tabernaculum testimonij. Posset tamen dici texisse tectum duntaxat, quemadmodum ignis, sed primum melius. Quærunt etiam hic aliqui, an eadem nubes quæ in die speciem habebat nubis, nocte haberet speciem ignis: & textus subindicat eam esse distinctam vt statim sequitur.

Ad os ascensus nubis desuper tabernaculo, & post sic, proficiscebantur filij Israel.

Sic in Hebræo ad verbum est, id est, ad ostensionem & quasi iussionem ascensus nubis: proficiscebantur. Videbatur enim nubes illa os habere ad præcipiẽdum: quoniam ad eius discessum, è loco migrabant: ac si dicatur. Sicut nubes ascendens præcipere videbatur, ita recedebant. Et quia in textu nubes seu nebula ascendisse dicitur: videtur quòd illa exalatio ascendebat & corrumpebatur, & qualibet die nona formabatur, verius tamen videtur eam vtcunq; ascendisse, non tamen euanuisse. Et quod dicitur.

Et post sic, phrasis est Hebraica, idem sonans quòd postea.

In loco in quo manebat nubes: aut nebula.

Hebraice est, in quo habitabat, seu morabatur.

Iuxta os Domini, proficiscebantur filij Israel.

Ponitur hic os pro imperio, quoniam motu ipsius nubis intelligebant Deum præcipere recessum. Non enim vero simile est, eos aliud habuisse præceptum Dominit ad manendum & recedendum. Si tamen præter nubis motum putes imperasse Dominum: non errasti.

Quando prolongare faciebat nubem super habitaculum multis diebus. Quidam hoc ad Deum referunt. Alij ad nubem quòd scilicet quando prolongare faciebat, scilicet se nubes, id est, quando diutius manebat, & lepi posset. Quando prolongare faciebat nubes super habitaculum dies multos.

Custodiebant filij Israel custodiam Domini.

Possumus per custodire custodiam Domini intelligere, non proficisci: vt statim sequitur. Aut obseruabant interim quæ Dominus disponeret: aut custodiebãt custodiam, id est, præceptum de non proficiscendo, & vide tur verus literæ sensus iste: ac si dicat. Custodiebant custodiam, id est, præceptum de non proficiscendo, neque proficiscebantur.

Quando erat nubes dies numeri, super tabernaculum, id est, quando erat diebus paucis. Nam Hebræi (vt in Hebraismis annotauimus) dicunt: homines numeri paucos, Gen. 34. sic dies numeri, id est, paucos.

Et erat, cum erat nubes à vespera vsque ad mane, & eleuabatur nubes in mane, proficiscebantur: vel die & nocte & eleuabatur nubes & proficiscebantur.

Sensus est. Si contingebat nubem manere à vespera vsque ad mane, & mane eleuabatur: statim illo mane proficiscebantur: si verò perseueraret die & nocte, & nocte ipsa eleuabatur, etiam proficiscebantur. Neq; mireris eos noctu incessisse, quoniam ignem illuminantem sequebantur: neq; crediderim Dominum prima nocte eos iussisse proficisci, sed quòd aliquando ante mane quando adhuc erat nox proficiscebantur.

Vel diebus vel mense, vel diebus, prolongabat nubes super habitaculum, habitans super illud: castrametabantur filij Israel. Sanctes noster hunc locum sic reddidit. Vel duobus diebus vel mense vel anno, sed in Hebræo est vt restituimus: & sensus est. Vel diebus, scilicet paucis, vel mense vel diebus, scilicet multis: ita quòd quoto tempore manebat nubes, siue multo siue paruo: manebant filij Israel, & quàm primum ascendebat proficiscebantur.

Et custodiam Domini custodiebant, id est, præceptum,

IN CAPVT. IX. NVMERI. AD morum compositionem annotatio.

Faciant filij Israel pesach in tempore suo.

Quemadmodum locus iste Domini maxi[illegible] ostendit benignitatem, ita & arguit socordiam & obliuionem nostram. Maximæ enim pietatis est, admonere subditos oblitos temporis quo debent præcepta seruare: ne contingat transgredi, obliuiosi verò cordis: tam cito immensum Dei beneficium obliuisci. Vbi etiam expende quod dicitur, *tempore suo.*

Non satis est diuina obseruare præcepta: nisi ea serues & impleas tempore suo: de qua re alibi iam fusius diximus. Similiter considera quod dicitur.

Secundum omnia statuta eius, & secundum omnia iudicia eius. Quantumcunque enim minima tibi videatur legis circunstantia, non illam omittas: sed cuncta etiam minutula seruare memento, quoniam nihil sine ratione & mysterio ibi traditum est. Quemadmodum enim in exhibendis beneficiis, Deus omnes circunstantias liberalitatis obseruat: ita te in referendis gratiis vult, omnes gratitudinis obseruare conditiones.

Nos immundi super animam sumus, quare prohibemur. Sunt quidam qui si ex obliuione, vel quacunque alia causa, omittant diuina implere præcepta, non dolent, non curant amplius: imò quod deterius est, gaudent se obliuiosos ea in re fuisse, neque eis curæ est postmodum quod obliuione omissum est facere. Sed non sic viri illi: qui maximè dolent, se non potuisse seruare præceptum tempore suo. Sic senes & infirmi qui præcepta ieiunia, & alia onerosa seruare nequeunt, deberent dolere & tristari quòd nõ possint ea opera, quæ alij Christiani, faciunt: perficere: Aduerte etiam Deum malle te non facere quæ præcipit ipse: quàm te immundum ea explere, vnde cùm opus Domini tibi faciendum occurrit munda animam, & omnia quę opus præceptum possunt conspurcare in oculis Domini. & mũdus quæ munda sunt facito. Et si opera pietatis quale est funus proximi curare, hominem impediũt & inhabilem reddunt ad opera Dei, quid puras erit de operibus impietatis? Caue ergo valde, ne impius facias pia, ne sordibus pollutus agnum paschalem comedas, & ad altare accedas.

State & audiam quid præcipiat Dominus.

Mirabilis legislator iste, qui nihil inconsulto Deo facere auder, quàmprimum enim homo sequitur cerebrum suum in dubiis aut arduis errare deprehẽditur: quemadmodum in Gabaonitarum facto accidit eis. Si militer aduerte, nõ omnes casus in legibus decidi, eum primum instituuntur, sed sicut occurrebant decidebantur. Sic de filiabus Salphat. *Iosuah. 9. & 10.*

Quicunque fuerit immundus, vel in via longinqua, mense secundo faciat.

Sunt quædam præcepta (vt Theologi tradunt) quę cum tempore transeunt, neque post statutum tempus tenentur homines ea amplius seruare: qualia sunt pensa canonicarum horarum, statuta ieiunia, quæ si tempore suo non legeris aut feceris, non reperis facere saltem plene: Docetis tamen hic gratissimum Deo tuo fore, si ea omissa restituas. *Gratum est Deo omissa præcepta perficere.*

Vel die & nocte, quando discedebat nubes proficiscebantur. Optime instruit nos locus iste, quàm parati esse debeamus ad obsequium Dei, siue enim die, siue nocte te incedere præcipiat, faciendum est: non est cunctandum, nox est, incedere nequeo, quoniam qui te nocte ambulare præcipit, lumen præstabit: quo viam sine errore cernere possis. Similiter si te in via detineat multos dies, non ægre feras: siue in deserto, siue in ciuitate sis, quemadmodum filij Israel. Nullus dicit. Quare nos detines hic? sed æquo animo ferunt, quę Domino placent. Nos verò si quod desideramus tardauerit, murmuramus, & sæpius in desperationis barathrum hac de causa incidimus. *Quam parati ad diuina præcepta esse debeamus.*

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN CAPVT. NVMERI. X. IVXTA literam annotatio.

Fac tibi duas tubas argenteas: ductiles aut extensas facies eas. Ponunt Hebræi dictionem chasoserot, in radice chasar, sed meo iudicio: alia est radix chasar, à qua chaser, id est, atrium, & chasir viride aut herbosum: chasoserot, id est tubæ, quod ex duobus coniecto. Primum quia tam chaser quàm chasir scribuntur cum vnico tsade, chasoserot verò cum duplici, vnde videtur dictio quadrata. Secundo quia nulla est allusio significationum, scilicet atrij aut herbæ ad tubam, quę solet esse inter nomina & verba eiusdē radicis. Quod verò chasoserot tubas significet, constat Hoseeh quinto vbi dicitur. Clangite buccina in Gibbah: chasosserah, id est, tuba in Ramah. Et infra hoc eodem capit. Filij Aharon sacerdotis, clangent chasoserot, id est, tubis. Michsah verò quod vertimus ductile, vt octauo capit. precedenti diximus: est à chassah quod significat graue & durum esse: vt patet primo Samuelis quinto. Quoniam (inquit) chasah, id est, grauis est manus eius super nos. Inuenitur etiā significare difficile esse Deut. primo. Et re vera videtur quòd etiam significet extensum esse. Nam dura & grauia, diu durare solent, & ad longum tempus extendi, & omnia ferè loca quibus dictio ponitur, possunt iuxta hāc significationem interpretari: quod si verum est optime vertunt qui interpretantur, ductiles facies eas, id est, extensas diductas, & hucusque non occurrit mihi huiusmodi conuenientia significationis. Quod verò hæc significatio locis conueniat, patet. Nam quod ex libro Samuelis citauimus verti potest. Quia longa seu extensa manus eius super nos, id est, quia punitio qua nos punit diu durat, seu perseuerat. Sic illud Genesis quadragesimonono. Et ira eorum quia dura, tam bene vertas, quia longa perseuerans. Sic illud Isaiæ tertio, quod solebamus vertere durum, tam bene vertas. Et pro opere extensionis, scilicet capillorum caluitium. Optime ergo hic vertas. Extensas aut longas seu diductas malleo facies eas.

Ad vocandum coetum, et ad proficisci faciendum castra. Ad hæc duo, erat vsus tubarum. Cùm enim Moseh vocabat ad se consilium vocare maiorum: tubis clangebatur. Sic cùm castra mouenda erant, quoniam non omnes ad nubem attendebant, & multi longè distabant à loco tabernaculi.

Clangent in eis aut cum eis, scilicet ministri Domini. Significat verbum tacha proprie figere, Hebræi addunt clangere, fideiubere, quæ duo allusionem habēt ad figere. Nam qui tuba canunt, eam in ore quasi figunt maximè si cornea sit. Similiter qui fideiubent defigunt seipsos eis, quibus fideiubent, id est, obligant se aut manum figunt cum manu alterius. Solent enim qui fidem sibi mutuo dant, ad aliquid soluendum, manus coniungere, & quasi defigere. Ne autem nos putes allusionem ex cerebro fingere, audi quid Salomon Prouerbiorum vigesimosecundo dicat, vbi sic habet. Ne sis cum betiche chaph, id est, cum defigentibus volam: quod Hieronymus clarius vertit. Noli esse cum his, qui defigunt manus suas. Et Iob decimoseptimo habes. Quis est qui manui meæ percutiat se, id est, manum suam meę coniungat, fideiubēdo pro illo? Quod autem verbum significet proprie figere: costat ex multis scriptmrę locis, ex quibus vnum aut alterum citabimus. Nam Geneseos trigesimoprimo dicitur. Tacha, id est, fixit tabernaculum suum. Et Isaiæ vigesimosecundo. Vtechatiu, id est, fixi eum pallum in loco fideli. Item secundo Samuelis decimooctauo. Valit chaim, id est. Et fixit ea in corde Absalon.

Et congregabuntur ad te. Costat ex hoc loco verbum iaad, quod vertimus congregari, hoc idem significare: maximè ad certum vel statutum tempus.

Si in vna aut cum vna clanxerint, congregabuntur ad te principes capita milium Israel & clangetis fragore, & proficiscentur castra castrametantium ad orientem. Et clangetis fragore. 2. & proficiscentur castra castrametantium ad meridiem. Clangor vnius tubæ, signum erat congregationis principum ad Moseh. Si verò clangor esset fortior quasi fragor: ad primum sonitum fortem, proficiscebantur castra prioris, quę erant ad orientem, quæ excubabant ad hostium tabernaculi, in quibus erat Iudas cum suis duabus tribubus. Si autē tuba eodem modo, scilicet fragore quodam forti. 2. sonaret, castra quæ erant ad meridiem iter arripiebant, & sic consequenter. Vertimus autem nomen teruah fragorem seu fortem sonitū, quia radix eius, scilicet Roa significat proprie frangere cum sonitu, & vociferari. Nam Iosuah. 6. habes Vaiarā, id est, Et vociferatus est populus. Idem Ieremiæ. 10. Prouerbiorum. 14. & Iob 30. Item Isaiæ vigesimoquarto. Roa, id est, confringendo confringetur terra. Idem Ieremiæ. 15. Et videtur quòd quando mouenda erant castra, vtraque tuba per strepebant, vt fortior esset sonus. Miror verò cur nostri tam varie hunc locum reddiderūt, vt alius nomen teruah vertat tharantaranta, cuius significatio ignota est cùm tamen radix nominis apertę sit significationis. Alius vertit iubilum. Alij vlulatum ad modum tussis. Alij (qui magis rem acu tetigisse videntur) interpretantur vocem fractam, & intercisam. Nolunt expendere radicum significationes, & ideo in tam varias incidunt expositiones. Si quæras quid Hebręi velint significare per tharantaranta, crediderim eos, hoc verbo exponere modum cātus tubæ. Solet enim tuba, cùm fortem emittit sonum, sonare tharantaranta. Nam qui exprimere voce, sonum tubæ volunt, dicunt tubam sonare tharantaranta.

Clangetis, & non fragore sonabitis. Seu non frangetis, scilicet vocem tubę. Qui autem vertunt iubilum, forte sic vertunt: quod in iubilo sit quædam fractio vocis ad melodiam, vnde & nos dicimus homines sua uecantes: nosse probe frangere voces suas.

Erunt vobis in statutum perpetuum.
Tum, scilicet tubæ, tum modus sonitus eorum.

Contra hostem obsidentem vos. Dictio sarar, à qua sar, id est, hostis significat proprie ligari astringi, angustiari vt patet Exodi. 12. vbi dicitur conspersiones suas serot, id est, ligatas seu strictas in vestimentis suis. Et 1. Samuelis. 25. dicitur. Erit anima Domini mei fe rurah, id est, ligata, in ligamine vitæ: vnde sar proprie significat angustatorem, ligatorem, & eum qui inimicum quasi ligat & stringit, & textus cōsentit qui loquitur de bello quo hostes in terra eorū, eos obsidebant.

Per strepetis cum tubis, id est, fortiter clangetis. Erat enim tunc grauior sonitus fiendus, ad terrendos hostes.

Et memorabimini coram Domino Deo vestro. Excitabatur enim Dominus ad sonitum tubarum: sicut excitari & moueri solet ad vocem orationis aut clamoris ad eos iuuandos.

Et in die lætitiæ vestræ, & in solennitatibus vestris. Loquitur de communibus lætitiis, quibus aliqua ex causa lætabantur. Vel loquitur de lætitiis quibus in solennitatibus lætabantur vt secunda clausula sit explicatio prioris.

Et capitibus mensium. quando, scilicet Kalendas celebrabant. Si quæras quare Iudæi kalēdas celebrarent: putarem ideo quòd ea die erectum fuerit tabernaculum Domini.

Clangetis cum tubis super holocausta vestra. Volebat Dominus sibi sacrificia præcipua, holocaustum, scilicet cum lætitia & pompa offerri ideo præcipit tubis clangere super holocausta, & potest legi. Super holocausta, id est, post holocausti oblationem, aut iuxta holocausta, vt, scilicet victima cum clangore deferretur ad iugulum.

Erunt vobis in memoriam coram Deo vestro. Ego Dominus, id est, erunt causa quòd Dominus vestri memor sit. Nam quemadmodum (vt diximus) oratio & clamor excitare ad misericordiam aures diuinas videbantur: ita & huiusmodi clangor tubarum. Quod autem sequitur. Ego Dominus: vult dicere. Ego sum Dominus qui hæc pollicor, aut qui hęc precipio fieri. Et

Et fuit in anno secundo vigesima die mensis. Mansit ergo populus in monte Sinai per annum.

Mansit nubes in deserto Paran. Posset etiam verti. Habitauit, quoniam designabat mansionem & quietem. Sunt qui putant duplex fuisse Paran, prius quasi contiguum monti Sinai, & hoc ideo, quia nullus alius locus intermedius hic nominatur inter Sinai & Paran. Alterum verò à priori duabus mansionibus distās, scilicet sepulchra concupiscentiæ & chaserot. Post illas enim duas mansiones, numeratur Paran inferius. 13. cap. Alij verò probabilius eundem locum esse putant quoniam hic quasi in summa proponitur quod progressus sit populus, ab illa mansione magna Sinai ad statuas Paran, & intelligendum est quod cap. 12. dicitur, nempe quòd ibi contigerit extrema castrorū comburi, carnes desiderari, sed huiusmodi mansiones inter mediæ non fuerunt stabiles, ideo non commemorantur hic. De situ autem Paran heremi, cap. 13. dicemus.

Et profecti sunt primum: ad os Domini per manum Moseh. Dupliciter potest hoc intelligi. Vno modo, id est, illi sunt primi qui profecti sunt: qui sensus sequenti sententia videtur explicari: sequitur enim. Et profectum est vexillum filiorum Iehudah primum. Secundo sic. Hæc fuit prima profectio, qua profecti sunt filij Israel: Prior tamen videtur germanior, & quod dicitur. Ad os Domini, idem est quòd ad imperium vel præceptum Domini. Quod verò sequitur per manum Moseh, idem est quod Moseh intermedio, aut opera ipsius. Et videtur ex hoc loco haberi, tribus processisse vnam post aliam, ita quod tribus Iudah præcedebat omnes, & post illam tribus Issachar, quam 2. loco sequebatur tribus zebulon. Et videtur iste conueniētior modus incedendi, quoniā si simul incederent istæ tres tribus, scilicet tribus Iehudah in medio, & ad latera eius aliæ duo: non posset via capere eos.

Et super exercitum filiorum Issachar, id est, dux exercitus illius, & quod dicitur per exercitus suos, intelligē per acies ordinatas.

Et depositus est tabernaculum. Intellige ad profiscendum. Oportebat enim cortinas deponere & tabulas deiicere, funes diffigari, &cæte. quæ tabernaculum constituebant.

Stare fecerunt tabernaculum, donec venirent ipsi. i. Non deposuerunt illud, donec sacerdotes venirent ad deponendum, sicut à Domino præceptum erat. Quidam dicunt, illos in loco quietis prioris profectionis, tabernaculum, id est, tabulas erexisse, & expectasse sacerdotes, ad alia ordinanda & componenda sed mihi prior sensus verior apparet.

Et profectum est vexillum castrorum filiorum Dan, congregans omnia castra, per exercitus suos.

Dicitur tribus Dan omnia castra collegisse, quia erat vltima, & colligebat extremos. Sic Iosuah. 6. habes eos tus congregās ibat post arcam Domini: quod de tribu Aser Hebręi interpretātur sed melius iuxta hāc literam intelligas de tribu Dan. Et melius vertas. Et colligere faciebat omnia castra. Nam colligēdo extremos, colligebat omnia castra. Aut illi curæ erat, colligere omnes qui ex omnibus castris ab ordine deficiebant. Colligebat etiam promiscuum vulgus, quod in vltimis erat.

Dixit Moseh ipsi Chobab filio Rehuel Midianitidi soceri Moseh. Aduerte quod soceri, non coniungitur Chobab, qui non erat socer Moseh, sed ad Rehuel, qui socer erat, & pater Chobab & Sephoræ vxoris Moseh: vt abunde probauimus Exod. 18. Iudei autē dicunt hunc Chobab, fuisse socerum Moseh, argumentum ex hoc loco sumentes, quia putarunt nomen soceri, ad Chobab esse referendum: quod iam soluimus, referēdo ad Rehuel, & potest. 2. solui quod dictio choten, non solum socerum sed etiam cognatum significat: vt ibidem multis exēplis probauimus: vnde legi posset litera hęc sic. Dixit Moseh ipsi Chobab filio Rehuel Midianiti, cognato Moseh. Et sic solui potest aliud obiectum, quod ex libro Iudicum. cap. 14. adducunt vbi dicitur. Et Cheber chenæus, diuisus est à filiis Chaiin, de filiis Chobab, choten. i. soceri Moseh vt ipsi vertunt: quo in loco si vertas cognati, omnia cōsonant, & obiectum diluitur. Vide quæ de his loco iam citato diximus.

Vade nobiscum. Constat ex hoc loco Chobab voluisse à Iudęis recedere, & ad suos redire: quem Moseh bonis detinere nititur verbis. *Dominus locutus est bonū super Israel.* Hebraismus est pro promisit illi bona.

Quia idcirco cognouisti, quod dum maneremus in deserto, fuisti nobis pro oculis. i. Quia probe nosti viam, venisti nobiscum. Aut, Idcirco vis a nobis recedere, quia nosti quod opera tua indigemus, cū in deserto fueris nobis pro oculis. Hebraice pro ideirco habetur Alchen. i. propterea aut super quo, & posset verti præter hoc, quod, scilicet es comes viæ fuisti etiā nobis in deserto pro oculis, & esse alicui pro oculis, est Hebraismus. i. dirigere aliquē: vt in Hebraismis explicuimus. Simplex tamen sensus est. Ne derelinquas nos propterea quod nosti viam, id est, quia nosti viam & fuisti nobis in deserto dux viæ seu director. *Erit bonum hoc,* scilicet tibi, quod, scilicet benefaciemus tibi: *Area fœderis Domini ante eos via trium dierum.* Licet arca Domini esset in medio castrorum, nonnunquā tamen. s. quādo proficiscendū erat præcedebat ad dirigēdum eos, & ad ostendendum quo loco quiescendū eis erat: cū nubes super eam descendebat. Verbum tur. i. explorare, significat proprie meditari & cogitare: vt patet ecclesiast. 2. vbi dicitur, tarti, id est, cogitaui, meditatus sum in corde meo. Vnde hic verti posset. Ad excogitandum illis requiem. *A monte Domini,* Vocatur Sinai mons domini, quoniā ibi Moseh apparuerat, in rubo & Iudęis legem dederat. *Et nebula Domini super eos in die.* Videtur quod nubes illa, se extēderet super oia castra: ad protegēdum eos ab æstu. Aut nubes Domini super eos. s. ad dirigendum eos, & videtur sensus simplicior.

Surge Domine, & dissipentur inimici tui. Loquitur ad Deum humano more. ac si esset dux strenuus, & potentissimus: quem cum hostes vident, statim fugiunt, & dispergantur, & precatur vt surgat, & præcedat eos, ad hostes depellendos, & in fugam conuertēdos. Postmodum verò eum reducere conatur ad castra, hostibus in fugam conuersis, Et more suo non dicit dispergantur inimici nostri sed tui, ex suis inimicis, faciens inimicos Dei. Sic Psal. 67. Exurge Deus & dispergentur inimici eius, & fugient qui odio habuerunt eum à facie eius. Et Psal. 77. Et excitatus est tanquam dormiens clamans propter vinum. Et percussit hostes suos retrorsum.

Bona loquę pro bona promittere: dicit Hebr.

IN CAPVT. X. NVMERI AD morum compositionem adnotata.

Fac tibi duas tubas argenteas. Ex hoc loco ortum arbitror, campanarum in ecclesia vsum, ad conuocandam ad sacra plebem: quorum diuersi, cantu, diuersitas explicatur festorum. Similiter ostenditur, Deum quoad fieri potuit, excusare ministrorum & præconum multitudinem, & vno tubæ sonitu fieri voluisse, quod vix infinitis præconibus fieri potuisset. Et ad hunc locum videtur Paulus primo ad Corinthios. 14. alludere cùm dicit. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Certa enim erat vox tubæ, quę ad bellum prouocabat vel ciebat & quę vocabat cœtum ad concilium.

Et memorabimini coram Domino Deo vestro, & salui eritis ab inimicis vestris. Quid hoc quæso Domine mysterij est, vt tubarum clangore indigeas ad nostri memorandum? Nunquid tam surdus nostris orationibus es, vt tam validis vocibus sit opus, ad te excitandum? Absit. Sed vis ostendere non solum præcordiorū te audire susurria, sed externos clamores nostros, & voces diligere. Et quid faciunt isti noui dogmatistæ, qui vocales orationes tam impudenter reiiciunt? Si enim deus tubalibus vocibus excitari à nobis vult, cur nō magis vocalibus precibus. Sinite ergo fratres mei homines deum, nō solum corde, sed ore laudare: postquàm ad hoc potissimum sunt nobis data instrumenta loquendi.

Non solum intima sed externas voces et clamores Domine audis.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aduersus eor qui vocales preces reiciunt.

Et profectum est vexillum filiorum Dan: colligens omnia castra. Considera pietatem Dei, qui exteniam aciem voluit debiles & infirmos colligere. Non sic autem principes sæculi, sed eos qui exercitum ob infirmitatem, aut debilitatem sequi nequeunt, post se sine vlla pietate relinquunt, quemadmodum Hamalechitæ seruum, qui iusto Dei iudicio Dauid ductor fuit, ad eos capiendos & debellandos.

Dixit Moseh ad Chobab. Dulcrè admonet locus iste, omnem lapidem mouendum esse, ne à fidelium consortio discedat homo alterius sectæ qui ad fidem venire potest. Secundo hominem promissionibus posse ad fidem allici. Tertio nonnunquam ostendendum esse, te ope alicuius indigere, licet non indigeas: vt, scilicet cum in fide retineas. Iurasse (vt Gregorius dicit) sanctum Moseh huius viri opera indiguisse, qui & columnam nubis & ignis, & Deum ipsum ductorē habebat? Minimè gentium, sed quia timebat ne à populo fidelium discedes, facilè ad paganismum reduceretur, eius se ope indigere monstrauit. Quod si hæc causa non fuit, consideremus sancti, se operis & auxilijs aliorum indigere: cum videant hic sanctum Moseh, sic gentilem ad ducatum rogasse. Similiter opus esse in gubernāda plene, humana industria: quam si pastor non habet, non dedignetur prudentem virum secum habere qui dirigat.

Non veniam, sed ad terram meam pergam. Commune est vilibus & infimis personis: tanto magis tibi opem negare, quanto te magis viderint eorum auxilio indigere, & oblata respuunt, vt mercedē augeas.

Fuisti nobis pro oculis in deserto. Sunt qui plus laudes diligunt quàm alia bona, & prudenter vnumquemq; allicias, eo cui magis afficitur, modo bonum sit. Nam quia vidit prudens vir, hunc non curare terrena promissa: ostendit ei populi indigentiam, qua cum ad manendum prouocauit.

Benefaciet Dominus nobiscum, & benefaciemus tibi. Memores valde debent esse principes, eorum qui eos in reipublicæ gubernatione iuuant, quēadmodum & hic sanctus Moseh se Chobab facturum pollicetur.

Arca Domini proficiscebatur ante eos via trium dierum: ad explorandum illis requiem.

Habent hoc bonum illi qui ambulant vias mandatorum Domini, vt, scilicet Deus ipse qui eos in via dirigit quærat illis requiem. Qui mihi ministrat (ait Christus) me sequatur, & vbi sum ego illic & minister meus erit. Et si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum. Sic etiam nubes Domini tegit illos, qui ambulant in viis eius. Duo enim Dominus eis qui eius viis incedunt facit. Mitigat enim eis laborem in via, & secundo explorat & quærit illis requiem in fine viæ.

Ioannis. 12. & 17.

Surge Domine & dispergantur inimici tui.

Non dicit surge Domine, & dispergantur inimici nostri sed tui, vt causam populi faciat causam Domini. Facilius enim homo hostes suos, quam alienos persequitur.

IN CAPVT. XI. NVMERORVM iuxta literam annotata.

ET *fuit populus sicut dolentes: malū in oculis Domini.* Sic ad literam habent Hebraica. Noster Sanctes vertit. Et fuit populus cum dolerent: displicuit in auribus Domini. Munsterus, cum peruerse ageret: locus vt cunque difficilis est & difficultas orta est, ex ignorantia significationis verbi anan, cuius participium, scilicet, mitonenim, id est, dolentes ponitur hic. Incertitudo autem huius significationis ex incertitudine radicis orta est. Grammatici putant radicem esse Auan quod significat laborem, & fortitudinem: quoniam fortes solent esse laboriosi. Iob enim 2. cap. dicitur. Si est auen, id est, fortitudo, aut labor in manu mea. Et cap. 5. habes. Non egredietur de humo auen, id est, labor: & si hæc est radix & significatio, sensus est. Et fuit populus sicut laborātes, id est, defatigatus ex itinere: ac si dicat. Fuit tædio affectus, quemadmodum laborantes ex longo aut nimio labore. Mihi potius videtur radicem esse anah, & quod secundum nun, sit loco he. Significat autem anah proprie currere decurrere, & ex consequenti lachrymari: quod sit quasi quidam oculorum defluxus Isaiæ. 3. habes Veanū, id est. Et mœrebunt, & fugebunt portæ eius. Et cap. 19. Veanu, id est, Et lachrymabuntur piscatores. De secunda significatione exemplum habes Exodi. 21. vbi dicitur. Et Deus anah, id est, currere vel occurrere fecit ad manum eius, scilicet inimicum: quo in loco disputauimus abunde de significatione verbi, & si mitonenim est ab hac radice, sensus est. Et fuit populus sicut lachrymantes, aut sicut currentes. Sicut lachrymantes, scilicet propter laborem: aut sicut currentes propter festinationem, quoniam cogebantur aliquando noctu iter arripere & nimis festinare. Et melius quadrare videtur. Sicut lachrymantes. Mœrendo enim, credibile est murmurasse aduersus dominum. Posset etiam participium esse ab anan, si anan esset radix, sed non ponitur radix ab Hebræis: an verò, est aduersiū quæstitiunt loci, & ana cum aleph in fine, est obsecrare, quæ significatio hic nullo pacto conuenire videtur: ideo acceptanda est illa, qua significat lachrymari aut laborare seu currere vt diximus. Quod enim murmura interuenerint, constat ex textu: qui habet rem ipsam fuisse in auribus Domini. Et quod Dominus audierit, scilicet murmura.

Accendit se ignis Domini in eis: & consumpsit in extremitate castrorum.

Verbum baar quod vertimus accendere, significat proprie pascere: vt patet Exodi. 22. vbi dicitur. Cùm laeder, id est, depasci fecerit agrum vel vineam, & ex consequenti incendere seu comburere, quod ignis videatur comedere & depascere quæ comburit: vnde in Psal. habes. Iuuenes eorum comedit ignis, & Ioelis. 1. Deuorauit ignis speciosa deserti. Quod autem dicitur, ignis Domini, significat ignem ab eo immissum, & fortè à columna ignis quæ eos noctu illuminabat. Et quod sequitur, in extremitate castrorum, significat ignem combussisse eos, qui vltimi in exercitu erāt: qui fortè erant Ægyptij, qui alios ad murmurandum prouocauerant, & ideo ab eis incendium cœpisse dicitur.

Et absorptus est ignis. Dubia est Hebræis significatio verbi Sacha, quod vertimus absorbere. Dicunt enim significare profundum esse, in profundum mittere seu submergere, & turbidum esse. Vnde Hamos. 9. dicitur. Ve sacheah, id est, & profundum erit sicut fluuius Ægypti. Et Ieremiæ. Si sic tiscba, id est, demergetur Babel: inter has tamen significationes videtur potius significare mergere & submergere, quàm alia: vt constare videtur ex loco Ieremiæ citato: quem locum hæc verba præcedunt. Cùm compleueris legere librum hunc ligabis super eum lapidem, & proiicies in medio Euphrate & dices. Sic tischa, id est, submergetur Babel & non cōsurget à facie mali, & iuxta hāc significationem vertendum est verbum, vbicunque ponatur. Et crediderim aquas Ægypti seu Nili dici submersas, quoniam quando niues non liquefiunt sunt paucæ, neque sunt profundæ, & sunt tunc mundæ & lucidæ sicut oleum, vnde Ezechie. 32. dicitur. Tunc aschia, id est, mergere faciam aquas eorum, id est, faciam eas bassas seu humiles, & flumina eorum velut oleum ire faciam, id est, tam mundas seu lucidas sicut oleum. Aliqui hic vertunt. Mundas faciam, sed prior lectio germanior est. Sic & hic vertendum puto. Et submersus est ignis: fortè sub terra aut extinctus. Nos vocamus sumirse, vt amplius non appareat.

Et vocauit nomen loci illius thabberah, id est, incendium. Et quòd dicitur vocauit, subaudi populus, aut Moseh.

Et collectio quæ erat in medio eius: concupierunt concupiscentiam. Erat colluuies maxima Ægyptiorum inter Israelitas: vt dictum est Exodi. 12. & dicitur collectio, quia illa multitudo collecta erat ex Ægyptiis & ex multis aliis: qui apud eos manebant, aut ex his qui in via coniunxerant se eis vel ex bonis & malis Ægyptiis. Et de his dicitur quod concupiuerint concupiscentiam, scilicet carnium & rerum recentium: quemadmodū statim explicatur de cepis & cucumeribus. 2. q reuersi sunt vt, scilicet in Ægyptum reuerterentur. Filij verò Israel flecerunt. Addidit hic vulgatus interpres carnes dicens, quod flagrauerit desiderio carnium, sed vt dicit Lyra. Carnium non habetur in Hebræo neque in libris correctis. Ex quo loco liebit videre vulgatam additionem in multis esse incorrectam. Neque textui consonat illa additio: cum ex textu constet eos etiam pisces desiderasse.

Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. Licet (chinan) proprie significet gratis, quia tamen chanan significat etiam misereri, posset verti quos comedebamus misericorditer: nam Ægyptij misericordia moti super Iudæos, dabant illis pisces: prior tamen interpretatio simplicior & conuenientior est.

Ægyptiorum humanitas. Hebraeorum vis explicatur.

Cucumerorum, & peponum & porrorum, & cepārum, & alliorum. Non plene cōstat de significatione chiṡ sui, id est, cucumeroū si tamen radix nominis sit chasah quod est durum esse, videtur cucumeres significare, sic à duritia dictum: dictio ponitur Isai. 1. vbi dicitur. Et sicut tugurium binchissal, id est, cucumerario.

Et peponum. Diuinant meo iudicio hic Iehudei. Nam radix nominis abattichim, id est, pepones, scilicet battach significat proprie fidere & sperare: ad quā nullam allusionem habere videtur pepo: posset tamen dici pepones à spe dictos, quod oporteat eos sperare bonos, antequ scindatur: quod nō est in aliis fructibus, quorum bonitas vel malitia, ex aspectu cognoscitur.

Porrorum. Nomen chasiserah à quo deriuari videtur chatsir, id est, porrus: significat tubā, vnde chasir, id est, porrus quod speciem tubæ habeat. Aut à viriditate: quoniam chasir etiam significat herbam viridem. Primo Regum. 18. vbi dicitur. Si forte inueniatur chasir, id est, vilde, aut herba.

Cepārum. Nulla est coniectura (quòd sciam) ad probandum basal significare cepam, quoniam dictio illo alio loco ponitur in scripturis. Sic de sequenti dictione, scilicet fumim, id est, alliatex adiūctis tamen videtur hæc significare.

Anima nostra arida est, id est, appetitus, quoniam nihil viride vel recēs comedit, aut sumitur anima pro corpore, vt sæpius in scriptura fit: quemadmodum dicitur quis immundus super animam, id est, super cadauer, à quo anima recessit Isaiæ. 14. pro appetitu accipi videtur vbi dicitur: infernum animam suam, id est, appetitum vorandi dilatasse.

Non quicquam præter man oculi nostri vident. Hebraicè est non omne, nisi ad man oculi nostri, sed sensus redditus est, pro non est quicquam, & oculi nostri non nisi ad man, id est, nihil vident præter man.

Ipsum man sicut semen coriandri. Disputauimus abunde Genesis. 30. &. 49. de nomine gad & concluſimus significare exercitum & ex consequenti coriandrum: quod semen seu grana eius, sint multiplicata & ordinata ad modum exercitus.

Et oculus eius, sicut oculus Abedolach. Sic in Hebræo est, sed vtitur Hebraismus sæpe potētiis pro obiectis: sicut visione pro re visa, auditu pro re audita, & hic oculo pro re oculo visa. Et quod sequitur Abedolach. Diximus Gene. 2. significare propriè margaritam, quod nostri vocāt perolam: Hispani perla, & sunt veluti grana coriandri, & si sunt parua vocantur à nostris grana daliofar: si verò magna, perolas, & ex Indis in magnā copia ad nos deuehuntur, & sunt huiusmodi grana: albissima. Erat ergo mā, quod colorem attinet album, sed figura erat coriandri.

Diffundebat se populus. Posset etiam verti declinabat populus, quoniam verbum satah, supra cap. 5. pro declinare ponitur vbi dicitur si non satit, id est, declinasti à viro tuo, & est sensus quod hinc inde discurrebat populus.

Molebant in molis. Dicunt Hebræi à raiach quod est odorari, esse rechaiim, id est, molæ, sed non video quam allusionem habeat rechaiim, id est, molæ ad odorem. Ego potius arbitror rechaiim esse à ruah, quod est respirare: quoniam molæ, farinam respirare videntur, & sic est allusio nominis ad verbum.

Coquebant in ollis. Significat parut, id est, olla, omne vas quo aliquid coquitur siue sit olla, siue lebes, siue caldaria.

Fecerunt illud placentas. Significat dictio vgot, panes sub cineribus coctos vt patet primo Regum. 17 vbi dicitur. Fac mihi inde vgah, id est, panem subcinericium paruum prius. Et cap. 19. Ecce ad caput eius, scilicet Heliæ vgat. id est, panis carbonum, seu sub carbonibus decoctus. Et Hoseh 7. Ephraim fuit vgag, id est, panis subcinericius non reuersatus.

Et erat sapor eius sicut sapor recentis olei.

Ignorant meo iudicio Hebræi, propriam significationem nominis lesiad, quod vertimus recens, & aliqui dicunt significare recens, alij viride, alij humidum radicale. Munsterus vertit pastam. Sed est aduertēdum quòd aliqui ex grāmaticis Hebræis putant Lamed esse literam radicalem, alij verò additiuam, & si lamed est radicalis litera, videtur dictio significare aut viride aut recens. Psal. enim. 52. vbi dictio ponitur, alterū horum significat: vbi sic habetur conuersus est sesiadi. i. viror meus, in siccitates estatis: quod septuaginta verterunt. Conuersus sum in erūna mea. Targum virorē vertit, Rabbi Dauid in cōmentariis bona pinguedo mea, sed melius viror. Si verò lamed non sit radicale, & radix sit sad, aut sadad, quod est suggerere, aut prædari, non videtur quid allusionis ad radicē dictio habeat. Vertēdum ergo puto alterò horum modorum, scilicet aut si cut sapor pinguis olei, aut sicut sapor recentis olei.

Iratus est furor Domini valde. Videbat enim eos nauseam habere, ad panem delicatissimum, quem magno dono illis concesserat, & animū redeundi in Ægypto cum cæteris.

Et in oculis Moseh malum, scilicet apparuit aut visum est: quod aliqui vertunt, displicuit.

Quare malefecisti seruo tuo, scilicet imponendo super me onus regiminis tanti populi: quod mihi ad malum cedet, quia occident me.

Numquid ego genui eum, vt dicas mihi, porta eum in sinu tuo? Munus patris & matris est, portare in sinu infantem quem genuerunt, ego autem non genui istos, quare ergo præcipis portare in sinu, quos nō genui? Non constat autē ex scripturis, vbi dominus dixerit Moseh: vt Iudæos in sinu suo veluti nutrix portaret, & cōstat multa dicta, quæ ex sola relatione dicta fuisse constat.

Quemadmodum portat nutrix infantem.

A verbo aman quod est sustentare, defendit omen, id est, baiulus seu nutritius: vnde verti posset. Quemadmodum portat sustentatrix lactentem.

Flebunt super me aut *iuxta me*, id est, concurrunt omnes ad me, & flent super me, quasi aues aut animalia super cibum.

Quia supra vires meas est, scilicet regimen tanti populi. Hebraice est, Quia grauiora me sen præ me, & est metaphora supra ab homine non potente onus sibi impositum propter grauitatem ferre, sed sensus bene redditus est.

Si sicut sic. Sensus est si sic. *Non videbo malum meum.* Quod, scilicet mihi imminet à populo, aut quod patior sustinendo huius populi importunitates. Miror Galatinum, ex Rabbinis dicere textum hunc habuisse quondam. Et non videam malum ruum, cùm sensus iste, contextui aduersari videatur: neq; puto hic locum habere mysterium. Voluit enim ille bonus pater, ex hoc loco eruere passionem Dei futuram, & prædictam hic à Moseh sed contextus non illi multum arridet.

Quos nosti quoniam ipsi sunt senes populi, & præfecti eius. Expende hic quales ad regimen eligit Deus, scilicet senes, & præfectos, id est, qui ex senio sapientes sint, & ex præfectura sint viri experti: vnde rector debet esse sapiens & grauis quales sunt senes, & etiam qui expertus iam fuerit præfecturam.

Separabo de spiritu qui est super te.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribuūt Hebræi significationē verbo asal, prout videt loco quo ponitur cōuenire. Nā Gen. 27. vertūt reseruare, vbi dicit Esau: nōne asalta. i. reseruasti mihi benedictionē? verè tamē & proprie significat separare: vt cōstat ex verbis Isa. 41. dicētis. Quia apprehendi te ab extremis terræ, & à separatis seu remotioribus eius vocaui te, quo in loco noster Sāctes vertit à priseiplis, sed nō bene meo iudicio. Et ecclesiast. 2. vertēdū puto nō asalti. i. separaui seu remoui ab eis quicq̄. Sic & hic oportime versū est separabo, & per spiritū licet intelligatur spiritus prophetię, intelligitur etiā solicitudo & anxietas, q̄ prelati habere solēt: quēadmodū Paulus dixit eū videlicet qui præest, semper debere in solicitudine esse. Sed disquirūt hic multi, qualiter dominus separauerit de spiritu Moseh, & posuerit super senes. Et dicūt Hebræi separasse de spiritu Moseh, quēadmodum lumē ex vna cādela separatur in multas quæ ex ea accēdūtur: sine vlla eius diminutione. Solebat autē Dominus tunc tēporis gubernatoribus populi & regibus, spiritū suū cōcedere: vt ꝓphetarēt quēadmodū legimus de Saule 1. Semue. 10. Cui dixit Semuel, Requiescet super te spiritus domini, & prophetabis cū eris, & efficieris vir alter. Et erit cū venerint ista tibi fac quod inuenerit manus tua. Vnde videtur quod huiusmodi spiritus esset prophetiæ & impetus quidā ad irruēdū in inimicos rei publicæ & in malos, & videtur quod prophetia daretur illis, vt apud populū essent in pretio, & in signū diuinæ electionis: vel vt scirēt quę regimini necessaria essent, & non proprie ad prophetandū: quoniā populus non currebat ad eos vt ad Prophetas, sed vt ad Reges pro administrāda iustitia. Quod si teneas re vera separatū aliquid spiritus prophetię Moseh, & datū senioribus nō erras: quoniā verba textus hunc sensum præ se ferunt: prior tamen sensus quod, scilicet separauerit quemadmodum lumen multarum cādelarum ab vna: videtur conuenientior sensus. Sed cum Moseh ad consilium Iitro soceri sui, instituerit tribunos centuriones & decanos, quid opus fuit istos constituere? Ad hoc decndum quōd illi instituti fuerant ad iudicium, & sine Domini authoritate: isti verò à Deo, neque solum ad iudicandum, sed ad gubernandum: similiter illi solum minima iudicabant, isti verò grauiora, & etiam spiritualia. Scribunt autem Hebræi de illis. 70. senioribus quod Moseh illis tradiderit & reuelauerit verum legis diuinæ intellectum, quem in monte Sinai à Domino acceperat. Sic enim in suo Thalmut scribunt: Moseh accepit legem de Sinai, & tradidit eam Iehosuah, ipse verò senioribus: seniores Prophetis, Prophetæ verò tradiderunt eam viris magnæ Synagogæ. per quos intelligunt Esdram scribam, cum suis sodalibus reuertentibus ex Babylonia, qui obliteratam quodammodo legem restituerunt pristino candori, à quibus deriuata fuit in posteros. Vnde factum est, vt cum Synagoga institueretur in Israel, vnicuique Synagogæ. 70. senes præficerentur. Quod etiam firmat beatus Hilarius super Psal. Quare fremuerunt gentes: vbi sic ad verbum habet. Erat autem iam antea à Mose institutum, in omni Synagoga. 70. esse doctores. Nam idem Moses, quamuis vetustis testamenti verba, literis condidisset, tamen separata quædā & occulta legis, secretiora mysteria, septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent intimauerat, cuius doctrinę etiam dominus in Euangeliis meminit dicēs super cathedram, doctrina verò eorum mansit in posterum, Hæc ille.

Quomodo dominus abstulerit de spiritu Moseh vt senibus daret.

Vnde doctrina Cabalæ orta apud Iudæos.

Et non portabis tu, solus tu. Considera prudentiam Domini. Quia dixerat non portabis tu, credidisset Moseh Deum velle illi præfectutam auferre omnino, ideo addidit solus tu, ac si dicat: Non putes me, te velle à præfectura deiicere, sed volo dicere quòd non portabis solus. Potest etiam hoc esse linguæ idiotismus.

Sanctificate vos in crastinum, id est, separate ab immunditiis, vt crastina die accipiatis munus Domini. Crediderim autem huiusmodi sanctificatione Deum voluisse eis præcipere vt vestimenta lauarent, & non appropinquarēt vxoribus suis, & vt à contactu rerum immundarum separarent se quoniam Exodi. 19. hæc duo præcepta sunt fieri, ad sanctificādū se. s. vestimēta lauare & ab vxoribus separari. *Non vna die comedetis neq; diebus, et non quinq; diebus, & non. 10. diebus et non 20. diebus vsq; ad mensem dierum.* Ex hoc loco argue re licebit errorē Oncheli & Rabbi Selomonis dicētiū per dies debere intelligi annū, & per decē. 10. menses: cōstat enim hic per dies priori loco intelligēdos duos aut tres aut quatuor, quia sequitur. Et non quinq; diebus. Similiter per decem, nō debere decem menses intelligi: vt etiam hic ostenditur, quia post decem sequitur, vsque ad mensem dierū. i. ex diebus constantē. Aut verò apud Hebræos sit mēsis annorū, quēadmodū ebdomada: cuius causa hic dictum sit per mēsem dierum, non facilè dixerim quoniam non memini me in scriptura hoc inuenisse. Diximus de ea re aliquid Gen. 24.

Error Oncheli et Rabbi Selomonis intelligentiū per dies annū et per decem, decē menses.

Donec egrediatur è naribus vestris, et sit vobis in dispersionem. Sensus est donec euomatis eas, scilicet carnes per nares, & per os dispergatis eas. Solent enim vomentes non solum per os, sed etiam per nares eibum indigestum emittere. Vel donec egrediatur è naribus vestris, scilicet per vomitum, & dispergatis carnes manibus vestris hincinde iactando. Nam verbum zarah ventilare & dispergere significat.

Eo quod reprobastis Deum: qui est in medio vestri. Multa & varia significata Hebræi tribuūt verbo maas, scilicet reprobare, repellere, spernere & contemnere, sed inspectis locis quibus verbū ponitur: videtur proprie significare recedere seu recedere facere, aut reiicere: vt patet Ieremiæ. 2. vbi dicitur. Quia maas. id est, reiecit aut recedere fecit Dominus, fiducias tuas. Et primo Semue. 15. pro eo quòd maasta, id est, reiecisti seu abiecisti verbum Domini abiecit te, ne sis rex. Sic & hic eò quòd abiecistis Deum, & qualiter eum abiecerint explicat, scilicet nolendo consortiū eius qui erat in medio vestri volentes in Ægyptum redire: aut malentes esse, in Ægypto, non habentes Deum in medio vestri: quàm in deserto cum eo inter vos.

Nunquid oues & boues iugulabitur eis, & sufficiet eis? aut omnes pisces maris congregabuntur eis & sufficiet eis.

Ponitur sæpius in Hebraismo numerus singularis pro plurali, vt ouis pro oues, bos pro boues, & quod sequitur sufficiet eis, in Hebræo ponitur verbum masa, quod significat proprie inuenire: ideo verti posset, pro sufficient eis inuenientur eis, seu occurrent eis: ac si dicat. Nunquid aliquis iugulabit eis oues & boues ad cibum? aut ipsi inuenient oues & boues ad hoc. Vel aliquis poterit eis hæc inuenire. Quidam quærunt hic an Moseh dubitauerit de potentia Dei, an posset eos carnibus ad mensem in solitudine saturare. Et re vera dicendum est eum non dubitasse de potentia Dei, sed arbitrabatur Deum non velle hac de causa, suam omnipotentiā exercere quemadmodum si quis potentissimum regem videret in solitudine, copiosissimam multitudinem velle pascere, qui & si multis anfractibus id facere posset, non tamen tam facilè: neq; res est talis, pro qua velit rex omnem suam potentiam ostendere: sicut fortè putauit Philippus, cùm auduit à Christo. Vnde ememus panes vt manducent hii? Aut ad commendādum miraculum, rem fecit quasi impossibilem.

An Moseh dubitauerit de potentia Dei.

Nunquid manus Domini abbreuiata est? Hebraicè, *stringetur*, ac si dicat. Est ne aliquis qui possit meā stringere potētiā, ne faciā quod volo? ac si dicat nemo. *Nūc videbis vtrū eueniat tibi verbū meū.* i. impleatur. *Et ipse ferupti.* s. cū aliis senibus. *Prophetauerūt et nō cessauerunt.* Sanctes vertit hic & nō addiderūt: & verbū etiā hoc significare videtur, sed nō tā bene quadrat, & volūt Hebræi eos sola illa die prophetasse, neq; postmodū addidisse. Posset etiā intelligi & nō addiderūt vt. s. cessarēt prophetare. Et si legas nō cessauerunt, quēadmodum Thargū & Hiero. sensus est: ꝙ nō amplius perdiderūt spiritū propheticū. Sententia tamē Hebræorū iuuatur propria verbi significatione, quæ est addere, & hoc accidit Sauli. ꝙ licet illa die qua inunctus est cum cæteris prophetasset: canēdo diuinas laudes: vt cōstat ex. 1. Semue. 16. & 19. non tamē amplius addidit prophetare: ita ꝙ futura ꝑdiceret: dabatur enim rectoribus huiusmodi spiritus in principio in signū diuinæ electionis vt iam diximus. Si quæras quid isti prophetarent. Credide-

rim laudes Dei quemadmodum Saul & Dauid: licet Dauid multa futura prædixerit, quia fuit verus propheta & insignis.

Currens puer nuntiauit Moseh. Hebræi verbum rut dicunt significare non solum currere, sed conterere, propter illud Iudicum nono Vataris, id est, contriuit caput eius: vbi tam bene vertas currere fecit, diuidendo scilicet à corpore & proiiciendo, ira vt rotaret, & sic vbicunque isti vertunt conterere, vertere potest fugere seu fugere fecit.

Prophetant in castris. Arbitratus est puer eos velle rebellare aduersum Moseh. Ex contextu literæ videtur colligi, quòd iste puer qui hæc Moseh nuntiauit, non fuerit Iehosuah sed alius, Iosuah verò fuisse cum Moseh, & cùm audisset nuntium, dixit Moseh.

Domine prohibe eos, ne, scilicet prophetent quia putauit eos velle se illi æquare. Constat etiam Moseh non vnicum habuisse ministrum, sed multos: quia dicitur de Iehosuah, quòd fuerit vnus è inuenibus eius, & fortè vnus ex illis nuntiauit hæc Moseh. Aliqui legunt minister Moseh à iuuentute sua, pro ex iuuenibus eius. Et dictio bachur, id est, iuuenis, est à bachar quod est eligere: vnde iuuenis ab electione dicitur, quasi sit electus. *Quid emularis tu mihi.* Aut nunquid zelas, ac si dicat: forsitan zelas mihi principatum aut honorem prophetiæ, ne, scilicet alius sit dux aut propheta, præter me?

Quis dabit omnem populum Domini prophetantes: cùm dederit Dominus spiritum suum super eos.

Vtinam omnis populus Domini prophetet, & det Dominus spiritum suum super eos. Et per spiritum Domini intellige impetum illum, quo prophetę agitabantur ad loquendum, aut faciendum quæ spiritus facere vel dicere inspirabat. Aut cum dederit Dominus spiritum suum super eos, quis ego sum qui hoc prohibeam? sed prior sensus germanior est: dicunt autem Hebræi istos senes, non solum gubernasse populum cum Moseh, sed etiam legem docuisse: quod vix credo, quoniam munus docendi legem sacerdotibus demandabatur, vt patet Deutero. 31.

Et recedet ficit coturnices è mari, id est, à parte quæ erat versus mare, & verbum gum, id est, recedere, non plene notum est Hebræis, vnde aliqui vertunt hic. Et eduxit, Iob verò primo totondit: vbi dicitur Vaigat, id est, & totondit caput suum: vertere tamen licebit ibi. Et recedere fecit caput suum, id est, capillos capitis sui: neque significatio nominis selau, id est, coturnix plene nota est Hebræis. Crediderim tamen dedisse carnes de beatissimas. quidam tamen dicunt Iudæos: coturnices in summas habuisse delitias.

Reliquit coturnices super castra. Posset etiam verti relaxauit. *Quantum est iter diei huc, & quantum est iter diei illuc*, id est, ad spatium terræ, quod vna die confici potest, scilicet ad 30. miliaria Italica: per circuitū castrorum. Et Hebraicè pro quantum est iter diei, est secundum viam diei. *Qui parum.* s. collegit, *Collegit decem mensuras.* Hebraicè est io chomerim. Est autem chomer certū mensuræ genus, de qua sæpius diximus: quæ & alio nomine dicitur chorus, quem Hebræi dicunt. 30. modios continere: cuius. 10. pars est Ephah. Alij dicunt esse onus quod asinus portare potest: putantes vocem chomer, alluſionem quandā ad Hamor quod est asinus habere, neq; eorum sententiā reiiciendam puto. *Extenderunt sibi extensionem*, scilicet ad siccandum: vt in posterum comederent: quod autem verbum satah significet expandere & extendere cōstat ex. 8. cap. Ieremiæ vbi dicitur Vsethacum, id est, & extenderunt ea ad solem. Item Psal. 88. Sithachiti, id est, Extendi ad te manus meas.

Antequam digesta esset. Posset verti (& melius in dicto meo) Antequam esset succisa, scilicet dentibus comedentium: quoniam verbum charat potius succidere, quā digerere significat, licet eius significatio non plene nota sit Hebræis. *Percussione multa valde*, id est, qua multi percussi sunt quod alij vertūt magna valde, sed sensus idem est. *Vocauit nomen loci illius chibroth hattahauah. i. sepulchra concupiscentiæ, quia ibi sepelierunt populum concupiscentem*, sensus est quod aut populus, aut Moseh, vocauerit nomen loci, sepulchra concupiscentiæ, id est, hominum cōcupiscentium, & causa subditur, aut sepulchra hominū mortuorum propter concupiscentiam. Et pro populum concupiscentem, est in Hebræo populum concupiscentium.

Profecti sunt populus in Chaseroth.

Licet Chaseroth sit hic proprium nomen loci, interpretatum tamē sonat atria seu viriditates. Chasir enim (vt aliàs diximus) viride aut viriditatem significat: vt patet primo Regum decimooctauo. si forte inueniatur chasir, id est, herba aut viride.

IN CAPVT XI. NVMERI AD morum ornatum adnotatio.

Et fuit, populus quasi flentes, aut cum populus fleret. Quàm æquo animo ferendi sint labores in quos nos redemptor noster mittit. pœna hinc Israelitis inflicta pulchre ostendit: sed hæc est hominum natura, vt quamprimum feceris eos plus solito laborare, vires experiri, statim (vt Bernardus dicit) dicant tibi. Ego quod possum, possum. Ad multa & grauia ferenda natura sufficeret, si assuescere eam, sed quia eam non viriliter exercemus debilis & infirma efficitur. Non ergo doleas, non murmures aduersus Deum tuum: si te aliquando plus solito exerceat, certissime sciens, cum hoc ideo facere: vt te robustiorem reddat. Neque dixit textus eos fleuisse, aut doluisse, sed se veluti flentes habuisse, vt discas, non referre, quo signo apud Deum iniquum animum tuum ostendas. Et quemadmodum do minus æquo animo sustinet murmura rationabilia: ita ægre fert ea quæ sunt sine vlla ratione. Sustulit enim querelas sancti Ieremiæ cùm expostularet cum eo: quare secunda esset via impiorum. Sic & murmura Ionæ, cùm apud eum de siceata cucurbita conquereretur.

Aduersus eos qui negant sanctos pro nobis intercedere.

Clamauit populus ad Moseh. Audiant hæc nostri temporis Lutherani, qui inique valde, à nobis sanctorum intercessione auferre conantur, & inuocationem. Quare isti non inuocant, neque deprecantur Deum mitissimum percutiētem, sed sanctum Moseh adeunt, vt pro eis Dominum suum deprecetur? Paratus enim erat Deus ad eos audiendos, sed quia se Deum suum offendisse cognoscebant: sanctum intermedium quæsierunt, cuius precibus ignis absorptus est, & ipsi liberati. Quod si dicant patrocinium viuentium sanctorum esse quærendum, non autem regnantium cum Deo, ipsi sibi ridiculo sunt. Si enim credis Petrum & Paulum cum Deo regnare, & in eo cognoscere quæ apud nos fiunt, cur eum non tam pium aut minus potentem credas, quàm dum viueret apud nos? Sed dicunt sanctos esse mortuos & emortuos. Corpore quidem fatemur, sed iustorum animæ in manu Dei sunt, in loco quo non tangit eas tormentum malitiæ.

Vocauit nomen loci illius thabberah, id est, incendium. Quemadmodum sancti annotabant loca quibus deus illis bona promittebat, aut dabat: ita & ea quibus ab eo puniebātur: vt de cætero visis locis quibus pro delictis pœnas dederant: cautiores essent. Legimus enim sanctum Iaacob, locum quo illi Deus opem in omnibus promisit memorię gratia adnotasse, statuamque in eodem loco erexisse, vocasseque Betel: vt postmodum si contingeret promissiones retardari, locum & statuam in testimonium proferret. Sic & hic vt si amplius peccare contigisset, prodiret in medium locus punitionis. *Gen. 28.*

Et collectio quæ erat in medio eius, concupierunt concupiscentiam: & reuersi sunt.

Difficile valde est assuetum malis, in officio continere. Nam & si ad horam dissimulet, tandem inuenta oportunitate prodit, quod animo occultauerat ad tempus. Similiter aduerte, quàm periculosum sit malos tecum habere, & qui nesciant abundare & penuriam pati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Magnum quid à carnibus abstinere.

Quis comedere faciet nos carnem? Non putes parum aut nihil prodesse, propter Deum à carnibus & piscibus abstinere. Audis enim hic quàm ægre tulerit Deus, eos quos ipse ad tempus carnibus priuauerat, in carnes deperisse. Similiter nazareos extulisse, quòd ad tempus vino & sicera abstinebant. Hinc arbitror sanctos monachos, quondam à carnibus & piscibus abstinuisse, solis herbis & leguminibus contentos: quoniam nouerant Deum his cibis, suos in deserto nutrisse. In hoc enim edoctus, debet esse seruus Dei, vt sciat dura & delicata comedere: prout Deo suo placere didicerit. Pascitur enim seruus Dei omnibus his quibus Deus illum vult cibare. Si cinerem cibum dederit, noli offendi, si lachrymas, ferendum puta, si carnes, accipe gratanti animo, & audi quendam. Cibabis nos (inquit) pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis & in mensura. Et de sancto Helia legimus Deum illi carnes mane & vesperi per coruum administrasse: cui in deserto, subcineritium panem, post longum iter administrauit.

Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis. Maximum malum est, hominem noxia dulcia fuisse aliquando expertum. In hoc enim pœnitentes maximè laborant, vt vitiorum præcedentium è se memoriam expellant. Hoc enim malum vitia habent, quòd recordatione lædant, cui non possint sua præsentia nocere: quare elaborandum est tibi vir Dei, vt si fieri possit, talia non experiaris: ne contingat post reditum ad mentem meliorem, cum his laruatis hostibus dimicare. Discat etiam ex hoc loco sancti viri, nō quærere in hac vita à Domino delitias, quæ pro nihilo reputantur. Vide quid isti desiderant, & quid fastidiunt, nempe cucumeres, cepas, porros, & allia. Fastidiunt verò Man panem inquam angelorum.

Aduersus ambitiosos.

Vt quid malefecisti seruo tuo? Solent ambitiosi homines arbitrari, se Deum habere propitium: cùm altiora loca & sæculi dignitates, & officia concesserit: cùm potius cum Moseh sentiendum esset, secum male actum esse, si detur præfectura, sed si sapis hoc iudica. Quemcunque videris sub præfectura quasi sub onere gemere, crede illum optimè demandatum munus administrare, quem verò lætum & gaudentem de hac re conspexeris, dicito illum vtilitatem & vanitatem in dignitate quæsisse.

Nunquid ego concepi omnem populum hunc? Discant ex hoc loco prælati, affectum quem erga subditos habere debeant: cùm videant Deum præcipere subditos in sinu portare, quemadmodum nutrix portare solet infantem suum. Sed quis est hic & laudabimus eum? Solus ille de quo apud Isaiam legis, quòd in sinu suo portabit agnos. Expende quæso cuncta. Arbitrabatur sanctus Moseh recte demandatum munus peregisse, si genitoris erga eos affectum ostenderet, & vix hoc poterat, præcipitur autem ei vt veluti mater parunlum non super humeros, non super brachia, aut crura: sed in sinu suo & super cor portet eos. Solent enim matres etiam si pedes incedant, non sentire onus infantis, quem super brachia in sinu suo portant, propter amoris singularis affectū quē erga infantem suum gerunt. Vide quæ de his annotauimus Exo. vigesimooctauo. *Vnde est mihi caro?*

Debet prælatus credere se non habere pabulum sufficiens ad oues alendas, & continue illud à Domino postulare: quemadmodum hic sanctus vir, & clamores & fletus subditorum Domino præsentare.

Non possum ego solus ferre vniuersum populum hunc. Vbi sunt prælati illi, qui nunquam sub onere gemunt, qui quotidie onera multiplicant, & qui vix ad vnam ecclesiam sufficiunt, omnes ambire videntur, & nullam per se, sed per vicarios administrant, qui si mali sunt, quo modo conscientia tuta, si verò boni, cur non potius ipsi pastores? Admonui alias neque sæpius admonuisse pigebit, quantum distent serui Dei, à ministris principum: quod illi nullo pacto volūt in ministerio habere consortem: illi verò continuo pro adiutore clamant. Audi sancti Heliæ apud Dominum querimoniam. Altaria (inquit) tua suffoderunt, Prophetas tuos occiderunt, & relictus sum ego solus, & quærunt animam meam. Et Martha apud Christum aduersus sororem expostulat, vt eam solam reliquerit in ministerio suo. Sic & hic sanctus Moseh se solū in prælatura queritur & adiutores admitti senes, ministro reclamante, qui adhuc terrena sapere videbatur, & ægre ferebat alios prophetare. Quid inquit relatū pro me? Quis mihi inquit daret quòd Dominus spiritum suum, non solum his, sed omni populo suo infunderet?

3. Reg. 19.

Luc. 10.

Et si ita tu facis mihi, occide me. Expendant hæc subditi, & videant quantum nephas sit, tales se pastori suo exhibere: vt malit occidi quàm præesse. Audi quid Paulus Hebræis dicat. Obedite (inquit) præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim vigilāt, tāquam rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, non gementes.

Cap. 13.

Congrega mihi septuaginta viros, è senioribus Israel. Cur Domine Deus rectores non eligis, qui eos melius nosti, sed Moseh seruo tuo tradis eligendos? Optimum illud regimen Philosophi esse tradiderunt, in quo vnus omnibus præest. Si enim Moseh istos non eligeret, quando illi vellent ei obtemperare? Consulto ergo Dominus voluit, virum sanctum eos designare, vt postea cognoscerent se ab eo in regimine dependere. Et considera quos eligere præcipit, nempe seniores qui verè senes sunt, & maiores: vt ostendat experientia (quæ in senio designatur) & potētia, opus esse iudice. Sunt senes, qui canis & rugis, præ se senes ferunt, sed facta iuuenum, & quod deterius est puerorum, aliquando habent, non istos eligere præcipit, sed qui verè senes sint. Expendendum etiam est, quòd licet Dominus videret labores Moseh: nunquam tamen ab eo oneris partem, eo inuito auferre voluit, sed petentem expectauerit. Sic & maiores prælati, cùm sentiunt aliquem: bene sibi commissum munus administrare, non debent ab eis inuitis auferre, sed expectare placitum illorum. Non enim boni ministri debent in aliquo molestari. Et considera Deum permisisse Moseh ad eas angustias deuenire, vt sciret & diceret vltra vires esse negotium. Quoties Domine Deus, idē multis prælatis beneficiis & officiis onustis ostendis, neq; tamen vnquam petierunt relenari.

Separabo de spiritu qui est in te, & ponam super eos. Nunquid non habes penes te spiritus sufficientiam Domine, vt his senioribus largiaris, sed opus est à fonte auferre, quem illis tribuas spiritum? Absit. Sed vt dixi vult, vt cognoscant se cuncta à Moseh habere, vt illi facilius subdantur. Sed mirum valde est, quare detur rectoribus spiritus prophetiæ, vt scilicet futura prænoscant & prædicent. Præcipuum munus principis est diuinare, vt scilicet prouideat malis antequàm veniant: quemadmodum de Pharaone somniante famem in libro Genesis capite quadragesimoprimo admonuimus. Similiter est hic aduertendum Deum non plus spiritus rectori dare, quàm sit opus ad regimen quod administrat.

Sanctificate vos in crastinum, & comedetis carnes. Quales nos ad beneficia Dei recipienda exhibere debeamus, pulchre locus iste ostendit: multa enim dominus beneficia hominibus negat, quæ aliàs concederet si hominem capacem ad ea inueniret. Tu ergo cùm ab eo aliquid obtinere volueris, vas tuū munda, & para, & tale exhibe: quo ipse dignetur munera sua fundere. Audi Paulū. Has ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus: perficientes sanctificationem in timore Dei.

2. Cor. 7.

Melius nobis erat in Ægypto. Ægrè valde fert Dominus eius beneficia à nobis non æstimari, & alia maiora reputare: cùm melius sit esse in atriis Domini, quàm habitare in tabernaculis impiorum. Et de duobus conqueritur, alterum quod propter carnes flere non vereantur, & quòd malint esse in Ægypto sub tyranno, quàm in deserto sub Deo. Considera etiam fletus vim in petitionibus apud eum: quòd etiam noxia nobis impetrare apud Deum possit quæ desideramus.

Adnota-

Adnotate etiam hic memento, ea quæ diuus Augustinus super Ioannem ex hoc loco annotauit: sæpe scilicet Deum iratum concedere nobis, quæ negat propitius, neque te statim fœlicem existimes, quum quæ ab eo postulas impetraueris: cum videas istos impetrasse à Deo, quæ sibi erant maximè nocitura.

Vsque ad mensem dierum. Sicut non est certum fœlicitatis inditium obtinere postulata, aut desiderata: ita neque continuatio eorum: quoniā istis ad merū sem integrum carnes conceduntur ad malum eorum: vt scilicet eas per nares eiiciant.

Sexcenta milia peditum sunt, & tu dixisti dabo eis carnem ad mensem. Hæc est hominum conditio, impossibilia facere, quæ Deo facillima sūt, & qui iuuare debuit voluntatem dantis, eam sua difficultate auert ere & retinere conatur. Sic & Philippum apud Ioannem fecisse legimus. Cùm enim Christus misertus multitudinis, eam in deserto pascere disposuisset, & ab eo quæsisset vnde panes emere posset: ille suo responso opus factu difficilius ostendit: & qui omnipotentiam Saluatoris interpellare debuit, ad impotentiam confugere videtur dicens, non posse fieri. Ducentorum (inquit) denariorum panes non sufficiunt eis. Non ex te Philippe pecunia quæritur, sed locus vbi panis inueniatur. Tuum erat dicere Domine in penario potentiæ tuæ, & non in impossibilitate diffidentiæ meæ panis inuenietur ad hanc multitudinem satiandam. Sic non petitur ex te sancte Moseh, quot hominum milia sunt, neque ad quot dies carnes populo dabuntur: sed præcipitur tibi parare plebem ad munus recipiendum. Sed forte sanctus cognoscens iratum Deum, & beneficium populo non profuturum: illud detinere sua difficultate conatur: vt nos docet prudenter beneficia diuertere, quæ nostris aut nobis nouimus non profutura.

Iuan. 6.

Videbis verum euenire tibi verbum meum. Non dicit vtrum eueniat eis verbum meum, sed tibi: vt ostendat nihil se velle malis subditis, eorum gratia dare: sed cuncta bonis prælatis.

Prophetabant in castris. Nihil perdit, qui non sua sponte omittit quod facere præcipitur.

Cucurrit puer. Omnia principibus nuntiantur, præcipue quæ ad eorum iniuriam pertinere videntur, & nuntiat iste quæ animum rectoris aduersus istos mouere poterant. Et quemadmodū multi domini nolunt habere pares, ita & sæpe famuli eorum: neq; tam pro Domino æmulantur & zelant quàm pro se.

Vt quid tu æmularis propter me. Serui Dei, vt dixi omnes volunt sibi similes, & prælatos esse: non sic autem homines sæculi.

Surrexit populus, tota die ipsa & tota nocte. Vix potest humana cupiditas satiari, etiam si non indigeat, & docemur hic temperate vti beneficiis Dei, ne nobis nocent, quemadmodum nocuerunt illis.

Caro adhuc erat inter dentes eorum, & furor Domini iratus est in populo. Cùm timore & tremore suscipienda sunt beneficia Dei: quoniā sæpius dantur nobis ad malum nostrum: afflictiones libenter suscipe à Domino, quoniam si quid mixtum habeant bonum est, non sic autem mala. Det ergo ipse non fastidio habere dona ipsius: neque petere quod nobis noceat, sed quod prosit, cui laus & gloria in sæcula.

IN CAPVT XII. NVMERORVM iuxta literam annotatio.

ET *locuta est Miriam, & Aharon contra Moseh: super causam vxoris Æthiopissæ: quam acceperat, quoniam vxorem Æthiopissam accepit.*

Quid loquuta est textus statim subindicat.

Nunquid, cum Moseh locutus est Dominus? Aduerte Miriam apud Hebræos dissyllabum esse, non trisyllabum: vt communiter legitur. Quod verò sequitur super causam: aduerte hic in Hebræo poni duas dictiones, scilicet al, quod est propter, & odor quod causam aut causas significare dicunt: ad quod probandum eitant illud Geneſis vigesimoprimo. Al odot, id est, propter puteum, aut super causas putei: inuenitur tamen ud, quod videtur eiusdem radicis cum adah vel odot, significare torrem. Hamos quarto & Zachariæ tertio: cuius plurale, scilicet udim, ponitur Isaiæ. 7: vnde quis coniectari posset odah significare nigredinem, aut combustionem; & explicare illud ex Genesi citatum: isto modo. Et arguit Abraham Abimelech, super nigrum puteum. Neque arbitreris ridiculam expositionem: quoniam nos Lusitani, & omnes etiam Hispani solemus vocare nigram rem, super qua est aliqua contentio, vel quæ fuit causa alicuius mali euentus. Quemadmodum si volenti occidere hominem, occurrat gladius quo eum occidat, quem non poterat antea inuenire, dicimus. Deparouilhe Deos ou seus peccados hūa negra espada com que o matou, id est, obtulerunt illi peccata sua nigrum ensem: quo se aut alium occidit. Felejaron sobre o negro poço, id est, rixati sunt super nigrum puteum: quam phrasim fortè Hebræi etiam habent. & si hoc verum est, posset hic verti. Super nigram vxorem Æthiopissam. Sed quia ignoramus Hebræos habuisse hunc loquendi modum: admittamus Hebræorum interpretationem: vt pro vno & eodem accipiatur vtraque particula, aut sit sensus vt vertimus super causam. De causa verò ob quam murmurarunt Aharon & Miriā, aduersus Moseh textus habet: quòd vxoris Æthiopissæ gratia, sed quam ob causam super vxorem murmurarint, non facilè est cognoscere. Videtur tamen textus statim causam exprimere. Quoniam vxorem Æthiopissam ipse acceperat. Et hæc causa multum iuuatur scripturæ consuetudine: quæ (vt sæpius admonuimus) solet statim explicare, quod obscurè dixit. Obiicit tamen Caietanus aduersus hāc expositionem, quia verba murmuris nil pertinent ad hanc causam. Si enim ob acceptam Æthiopissam in vxorē murmut esset, ad quid dicerent. Nunquid per solum Moseh locutus est Dominus? Nunquid non etiam nobiscum? Nihil enim conuenientiæ habere videntur hæc verba: ad hoc quod est accepisse Æthiopissam in vxorem: & ideo sequitur Hebræos dicentes eos murmurasse aduersus Moseh, in gratiam vxoris suæ: quoniam eam à consortio maritali reiiciebat propter crebra quæ cum Deo habebat colloquia, & dicebant. Fortè excusabit se Moseh ab hac vxoris iniuria, ob crebras locutiones cum Deo, sed nōnne nos etiam locuti sumus cum Deo, neque debitum coniugale negamus viris & vxoribus nostris? & illuc tendit Complutensis æditio quæ hic habet: Quoniam vxorem pluchram quam duxit reppulit. Alij dicunt rixam fuisse, inter Miriam & Aharon ex altera parte, cum vxore ipsius Moseh, propter domesticas res vt inter fœminas esse solet, & quia se fortè offensos putabāt ab vxore ipsius Moseh, in ipsum inuebunt: & quia fortè vxor Moseh, iactauerat viri cum Deo locutionem familiarem: dicunt. Nunquid cum solo Moseh locutus est dominus? sed ego non audeo causam reiicere, quam litera tradit, & putarem eos non detraxisse Moseh, sed in faciem ei hæc verba dixisse: quoniam quòd Sanctes, & alij interpretantur contra Moseh: optime verti potest, cum Moseh: quoniam in Hebræo ponitur præpositio be, per quod videtur insinuari, quòd obiectarint illi obprobrium aliquod vxoris, in faciem exprobrantes ei: quòd vxorem Æthiopissam ipse contra morem acceperit: cum alij Hebræas sibi compularent: addentes. Forsitan ipse superbiet, de crebra cum Domino locutione, sed nunquid nobis in hoc superior est? quasi dicant minimè, quoniam nobiscum locutus est Dominus sicut & cum illo: ad quæ verba puto Moseh tacuisse, neque illis vllum dedisse responsum: ideo à Domino commendatur, quòd sit humilior omnibus hominibus, & pro eo arguit fratrem & sororem. Sed huic obstare videtur expositioni, quòd in litera dicitur. Nunquid duntaxat certè, cum Moseh locutus est dominus? Dicendum enim erat. Nunquid tecum solum locutus est Dominus, & non etiam nobiscum? Sed hoc facilè

Universidad de Deusto
Biblioteca

facilè diluitur, quoniam solent sæpius irati de secunda persona quasi de tertia loqui, cum contemptibiliter loquuntur: vt patet primo Samuelis vigesimoquinto vbi Nabal dicit ad pueros Dauid. Hodie multiplicati sunt serui: qui diuidunt se a facie dominorum suorum. Non dicit hodie vos serui multiplicati estis, qui receditis à dominis vestris: sed loquitur ad terciam personam pro secunda. Hoc etiam parui ad expositionem refert, quoniam siue loquerentur præsente, & vidente Moseh: siue absente eo expositio stare videtur. Dupliciter ergo potest hæc litera exponi. Vno modo, vt propter duo, illi aduersum Moseh murmurarent, scilicet quia acceperat Æthiopissam in vxorem, & eleuabat se præ eis propter colloquia Domini. Secundo vt non propterea murmurarent quòd vxorem Æthiopissam accepisset: sed quia causam vxoris agere volebat contra virum quia scilicet separabat se à consortio eius: quoniam ipsi Prophetæ erant, neque à legitimo separabantur thoro. Et priori modo sensus est. Et locuta est Miriam & Aharon, cum aut contra Moseh: propter vxorem Æthiopissam quam acceperat: dicentes, quod scilicet eam accepisset. Secundo modo sensus est. Et locuta est Miriam & Aharon contra Moseh, propter vxorem Æthiopissam cum qua scilicet rixati fuerant. Nam ipse acceperat huiusmodi vxorem. Et videtur iuxta hunc sensum quòd causa murmuris fuerit vxor, sed mutmur fuit. Nunquid dum taxat cum solo Moseh locutus est dominus? sed quam causam huius murmuris dederit vxor Moseh, non facilè est cognoscere. Disquirunt etiam hic tam nostri quàm Hebræi an hæc vxor Moseh fuerit Sephorah, & si fuit cur vocatur hic Æthiopissa, cùm fuerit Midianita. Putat autem Iosephus non fuisse Sephorah, sed aliam filiam regis Æthiopum, ad quem debellandum missus ab Ægyptijs dux, fuerit Moseh: sed quia historia hæc nihil fundamenti in litera aut scriptura habere videtur, timeo fictionem fore Iudæorum ad commendandum Moseh. Neque crediderim Moseh, qui toties ex imperio Domini, alios admonebat, de non accipiendis alienigenis in vxores, accepisse de nouo, contra morem gentis: vxorem Æthiopissam, quam si accepit, putatem eam potius in deserto: quàm in Ægypto accepisse, & forte propter nouum matrimonium cum alienigena fratres murmurarunt. Sed nullo pacto in hanc sententiam adduci possum, quòd scilicet vir sanctus, qui primùm vxorem cum filiis negligebat, neque adduxisset ad se nisi socer detulisset: vellet nunc alienigenam sibi de nouo coniungere: ideo probabiliorem illorum sententiam arbitror: qui eam Sephoram fuisse affirmant. Dicitur verò Æthiopissa cùm fuerit Midianites: quoniam Æthiopia orientalis vicina valde est terræ Midianitarum. Nam propter huiusmodi vicinitatem, Æthiopes aliquando Midianitæ, aliquando verò Ismaelitæ dicuntur: vt patet Geneseos trigesimo septimo vbi dicitur. Et ecce turma Ismaelitarum, veniebat de Gilead, & post pauca dicitur. Madianitas vendidisse in Ægypto Iosephum. Sic quoque Midianitæ contra quos bellum gessit Gidon, quem Gedeon vocamus: Ismaelitæ vocantur. Chaldæus paraphrastes pro Æthiopissa legit pulchram, & dicunt Hebræi talem fuisse Sipphorah, dici verò hic Æthiopissam quodammodo per contrarium, quemadmodum mater solet puellum suum, etiam pulcherrimum vocare Sarracenulum, sicut & Dauid in Psalmo septimo Saulem, qui pulcherrimus fuit, vocat chus, id est, Æthiopem. Sed hoc nihil meo iudicio est, quoniam Psalmus ille non loquitur de Saule, vt isti putant, sed de Chusi filio Iemini, vt titulus præ se expresse fert, quando persequutus est Dauid fugientem Absolon, obiectans illi, quòd sine vlla causa destruxisset domum Saulis. Vnde & Dauid ibidem dicit. Domine Deus, si feci istud, quòd videlicet iste in me obiectat, vnde sequitur. Si retribui degenti mecum pacifice malum, qui erui hostem meum gratis. Dicuntur autè Æthiopes chus in hebraismo, à Chus filio Cham, qui fuit filius Noach, vt patet Geneseos decimo vbi Chus à quo Æthiopes, & Misraim à quo, Ægyptij, describuntur filij Cham. Nam Genesis secundo habes Æthiopiam vocari chus, vbi dicitur de flumine è Paradyso egrediente, quòd circueat terram Chus, id est, Æthiopiæ. Dicuntur etiam ipsi Æthiopes filij Chussi Ieremiæ decimotertio, vbi habetur. Num mutabit chus si, id est, Æthiops pellem suam? Et quia Cham, & posteri eius, in seruos aliis fratribus dati sunt Geneseos nono, nonnunquam serui dicuntur in scriptura Chussi: vt patet Ieremiæ trigesimonono, Hamos nono, vbi Dominus Iudæis dicit. Nónne sicut filij Chussiim, id est, Æthiopum vos mihi, qui scilicet sunt serui, ac si apertius dicat. Nunquid non possum facere de vobis quod volo, quemadmodum fit de filijs Chus quos dedi in seruos aliorum.

Num tantum verè, cum Moseh loquutus est Dominus? Nunquid non etiam nobiscum loquutus est?

Volunt vt videtur, his verbis significare, Moseh nihil prærogatiuæ vel eminentiæ super eos habere, quoniam eis sicut & illi dominus locutus sit. Et de Aharō nullū dubium est, quoniam sæpius legimus deum illum allocutum, vt patuit Exod. 4. De Maria verò credendum est, cum illo allocutam Exodi 15. cùm canticum Domino cecinit, vbi sunt multa quæ non nisi per reuelationem cognoscere poterat.

Et vir Moseh humilis valde, præ omnibus hominibus qui sunt super faciem terræ.

Hoc dicit textus, vt ostendat istos nullam detrahendi habuisse occasionem, quòd videlicet de colloquijs Dei superbiret, cùm esset humilissimus. Sunt qui hic vertunt mansuetus, sed re vera verbum anah significat potius humilem esse quàm mansuetum, & manu humilem.

Et dixit Dominus repente ad Moseh.

Omisit Sanctes dictionem pitom, id est, repente, quòd arbitratus sit eam hic otiosè poni, sed re vera non videtur otiosè positam, sed quia viderat eos fortè paratos ad grauius detrahēdum, & deteriora locuturos de eo, voluit colloquium impedire, & repēte eos vocauit ad tabernaculum, & præcepit exire castra.

In columna nubis. Erat nubes in qua Dominus latebat, columnæ speciem præ se ferens, & crediderim Deum non de cœlo tunc in columnam descēdisse, sed de sede sua, scilicet de propitiatorio, ad ostium tabernáculi venisse: vbi eum eis colloquia miscuit, quod sæpius facere solebat.

Et egressi sunt ambo, scilicet à Moseh cum quo erant.

Si erit Propheta vester Domini, in visione ad ipsum ostendam, scilicet me, *in somnio loquar cum eo,* id est,

Si aliquis fuerit inter vos Propheta, aut si aliquis vestrum fuerit Propheta: vel tertio. Si aliquis fuerit Propheta vester. Quod autem sequitur dupliciter potest exponi. Vno modo. In visione, ad ipsum seu ipsi ostendam, scilicet quæ voluero reuelare. Aut visionem, scilicet rerum, ad ipsum ostendam, & si loquar erit in somnio, non aperte in vigilia, quemadmodum cum Moseh: ac si dicat. Si contingat esse inter vos aliquem prophetam, visionem aliquam ostendam ei, sine locutione, aut si loqui contigerit, erit in somnio. Secūdo modo sic. Si fuerit aliquis propheta vester Domino, & ostendero me illi, hoc est in visione, id est, in aliqua similitudine: quemadmodum patet Isaiæ sexto vbi dicit. Vidi Dominum super solium excelsum, & si cum eo loquar, erit in somnio, & iste secundus sensus ex sequentibus magis probari videtur. Sequitur enim infra. Ore ad os, loquor cum eo, & in visione scilicet propria & non per ænigmata & per figuram Dominum aspiciet: ac si dicat apertius. Propheris vestris, in somnio loquar, sed cum Moseh ore ad os, id est, familiariter, sicut homo ad amicum. Aliis in visione seu in similitudine apparebo, illi verò nō per ænigmata neq; per similitudinem. Colligo ex hoc loco, duplicem esse prophetiæ modum: alterum quo Deus loquitur prophetæ siue in somno siue in vigilia. Alterum cùm illi ostēdit visiones & similitudines sine verbo: in quibus cognoscit quę ventura sunt: quemadmodum Ieremię, Ezo-

Ezechieli, & multis aliis: sed has similitudines alij qui intelligebant vt Moseh, alij non, vt Pharao. Aut aliter, quædam est prophetia qua Deus per se & in propria persona loquitur Prophetæ: alia verò qua in sui similitudine: priori modo loquebatur Moseh. Secundo aliis Prophetis.

Non sic seruus meus Moseh, in omni domo mea fidelis ipse. Tria dixerat Dominus, scilicet. Si fuerit Propheta vester, secundo quòd sese ostenderet illi in aliqua similitudine, tertio quòd in somnio illi loqueretur, & quoad hæc tria, nō est illis similis seruus suus Moseh. Nam ille est propheta vester, ministet vester, neq; manet in domo mea stabilis: Moseh verò est seruus meus mihi ministrans, & stabilis manet in domo mea: ac si dicat. Nihil suum curat sed quæ mea sunt: siue per domum Israelem intelligas, siue tabernaculum. Neque miteris quòd pro fideli vertamus stabilem: quoniam dictio neeman vtrunque significat. Alij etiā propheręs, non erant tam generales sicut Moseh. Nam aliqui in Israel aut Samaria, alij in Iuda, sed Moseh in omni domo Dei. Solebat enim Dominus, ministros stabiles ali quando suscitare, quandoq; verò ad certum tempus, quemadmodum dicit primo Samuelis. 2. ad Heli facer dotem. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem seu stabilem: quemadmodum est in corde meo & in animo meo, & ædificabo ei domum stabilem, & ambulabit coram Christo meo omnibus diebus.

Ore ad os loquor cum eo, id est familiariter, non per somnium, non per interpositam personam, neque per nuntium, sed amicabiliter, & est Hebraismus. Videtur enim hunc Hebraismum explicare cùm dicit: sicut loqui solet homo ad amicum suum. Cùm hoc tamen teneo, cum nunquàm Deum in sua specie clare vidisse: sed vt aliàs dixi, loquebatur Dominus cùm Moseh, quemadmodum loquuntur duo qui sunt in tenebris, seu in loco obscuro: semper enim Dominus nube tectus, cum eo loquebatur. Fuit autem priuilegium Moseh, quod Dominus postquam eum ducem instituit, & post exitum de Ægypto: locutus est cum eo per se ipsum, non per interpositam personam, neque ostendendo illi aliquam speciem seu similitudinem sui: Secundum eius priuilegium fuit, vidisse posteriora Dei, id est, speciei humanæ, in qua sese illi ostendit Deus. Est ergo prius discrimen, inter alios prophetas & Moseh: quod illis loquor per somnium, id est, cùm dormiunt aut ostendendo somnia, Moseh verò in vigilia & familiariter seu amicabiliter.

Et in visione & non per ænigmata & per figuram: Dominum aspiciet.

Ponit aliud discrimen inter Moseh, & alios Prophetas: quòd scilicet aliis prophetis ostendet se in visione, id est, in aliqua specie seu similitudine quā faciet eum videre: quemadmodum Isaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, Danieli, & aliis. Moseh verò non ostendit aliquam similitudinem, in qua cognosceret vel videret, quæ Deus illi volebat ostendere, sed per se dicebat ei quæ dicenda erant: Neque in textu Hebraico habetur, in visione seu per visionem, sed visio, scilicet Moseh non est per ænigmata. Significat autem verbum chod, à quo chidah, id est, ænigma ænigmaticè loqui: vt patet Iudicum decimoquarto vbi dicitur: Chudah chidatecha, id est, Ænigmatice loquere ænigma tuum. Hieronymus problema vertit. Posset etiam locus reddi. Et visionem, & non cum ænigmatibus & similitudine Deum aspiciet. Aut. Et visionem & non ænigmata & similitudinem dei, aspiciet, sed prior sensus planior & simplicior est. Ostendebat ergo Dominus aliis prophetis, similitudines & ænigmata, quibus eis significabat quæ volebat: quemadmodum Ieremiæ succensam ollam, & virgam amigdalinam, & Ezechieli currum, & animalia ferentia illum: quibus ostēdebat velocitatem Chaldæorum, ad vrbem incendendam. Non sic autem Moseh, sed quę volebat, illi amicabiliter dicebat. Constat ergo ex hoc loco, duplicem esse prophetam: alterū cui Deus ipse loquitur, siue per se quemadmodū Moseh, siue per aliquam sui similitudinem, quemadmodum alijs. Alterum cui Deus loquitur, significando illi quæ ventura sunt non verbis suis, aut significando per similitudines, quemadmodum Ieremiæ, & in vtroque modo excessit Moseh omnes alios: quoniam deus per se, & non per aliquam sui effigiem ostendebat se illi: secundo quia loquebatur illi, non ostendendo aliquā similitudinem rerum futurarum: qui verò huiusmodi similitudines non cognoscebant, non dicebantur prophetæ, sicut Parhoh, & nescio quare Theologi hæc membra multiplicarunt.

Et quare non timuistis loqui, contra seruum meum, contra Moseh? Omnia verba hæc emphasim habent, & cum maxima indignatione prolata videntur: ac si dicat. Non debuissetis loqui contra seruum meum quicunque ille esset, quanto magis contra Moseh, qui in domo mea fidelissimus est.

Quæso Domine mi. Vertunt nostri omnes particulam bi, quæso: sed eius propria significatio est in me: vnde verti posset. In me Domine, id est, Domine mi, aut sensus est in me, scilicet sit culpa huius sceleris.

Ne nunc ponas super nos peccatum, id est, pœnam huius peccati seu ne expectas à nobis vltionem huius peccati: *quia stulte egimus & peccauimus,* aut quod stulte egimus, & peccauimus.

Ne nunc fit sicut mortuum, quod dum egreditur de vtero matris: comeditur media pars carnis eius.

Locus vtcunque obscurus est, sed sensus est. Quæso ne hæc, scilicet soror sit ex lepra, sicut infans qui leprosus, mortuus egreditur ex vtero matris, & dum egreditur: comeditur pars carnis eius, scilicet à lepra, aut qui egreditur in frusta discerptus, quasi media pars carnis eius fuisset comesta. Solet enim lepra, hominis partes quasi comedere & corrodere, ita vt quotidie minuantur membra & carnes eius. Si permatrem terram intelligat iuxta illud Iob. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: clarior esset sensus, nempe iste. Ne quæso sit, scilicet soror sicut mortuum, scilicet cadauer, quod dum egreditur de vtero matris suæ, id est, de terra quæ dicitur mater nostra, quoniam ex ea facti sumus, & cùm egreditur seu exhumatur, apparet comesta media pars eius: quo modo leprosi comeduntur. Chaldæus vertit. Ne obsecro alienetur hæc à nobis, prior tamen sensus germanior est. Sed mirum videtur, quòd Aharon cum Miriam fratri detraxerit, vt textus hic expresse habet, & tamen Aharon non fuerit lepra punitus, sed sola Miriam. Ad quod respōdeo hoc ideo factum, quia Aharon erat summus sacerdos, quem oportebat quotidie præsto esse ad tabernaculi ministeria: ad quæ non poterat leprosus accedere. Ideo Dominus illi pepercit. Secundo quia forsè non fuerat tam culpabilis in detractione, sicut Miriam.

Deus quæso, sana quæso eam. Pro quæso, potes vertere nunc, & in Hebræo pro Deo ponitur el, id est, fortis, ac si dicat. Fortis Deus: sana quæso eam.

Si pater eius expuendo expuisset in faciem eius, nonne erubuisset septem diebus?

Aduerte quòd in Hebræo non habetur si, sed. Et pater eius spuendo spuet in faciem eius: similiter quòd verbum iarach significat viridem excreationem, & quasi virulentam. Tertio verbum chalam: id est erubuit: significare pudere & confundi. Et aduerte parentes cùm à filijs offenduntur, maximè indignati, & aliquando in faciem eorum excreationem seu sputum mittere: quasi abominātes eos, ipsi verò pudore suffusi, solent saltem ad aliquot dies, vereri faciem patris, & hoc est quod Dominus vult Miriam nūc facere, & sensus verborū est. Si pater eius indignatus ex eius offensa: eā abominaretur, & in faciē eius excrearet, oportuisset eam suffundi, & saltem diebus septem, eius presentiam declinare: sic nunc facere volo Miriam, & per patrem potes Deum aut Moseh intelligere.

Castrametati sunt in deserto Paran.

Capite decimo huius libri dictum est: eos priori mansione post montem Sinai, mansisse in deserto hoc Paran, quomodo ergo iterum dicuntur post Chaseroth, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

eodem castrametati fuisse? Dicendum desertum Paran, fuisse magnum: in quo pluries populus, manere potuit: cuius omnes partes eodem nomine appellantur, scilicet Paran.

IN CAPVT. NVMERI XII. AD mores annotata.

ET *locuta est Miriam & Aharon contra Moseh.* Fera pessima inuidia est: quæ omnium beneficiorum oblitionem affert, neque solum in detractionem, sed sæpius in apertam iniuriam prorumpit: neq; fratribus aut sororibus parcit, quèadmodum legimus de fratribus Ioseph: qui eum ex inuidia mercatoribus vendiderunt. Non aduertit Aharō, se fratris gratia ad tantam dignitatem euectum: neq; Miriam, q̄ propter illum consequuta fuerit spiritum prophetiæ. Similiter disce, quam periculosa res præfectura sit, quæ non solum extraneos, sed etiā fratres in se prouocare videtur. Nouimus quot fratres oblìti fraternalis amicitiæ, in fratres aliqua dignitate fulgentes coniurarunt cum hostibus. Tertio docemur quot angustias & molestias patiatur vir, suæ vxoris gratia: sine vlla culpa sua.

Nunquid dumtaxat cum Moseh loquutus est Dominus? nunquid non etiam nobiscum? Admittitur inuidia, consortes habere omnes querulosos, & quos eadem causa tangat: quèadmodum infra capit 16. Chorah induxit Dathan & Abiron in suā sententiam vt ipsi sibi sublatam præfecturam quererentur, quemadmodum ipse se sacerdotio priuatum conquerebatur: quare maximè cauendum est, si te aliquando offensum ab aliquo superiori videris: ne socios querulosos quæras, aut admittas. Neque patitur inuidus habere parem, etiam si frater sit. Admonendum etiam hic esset, quod iam crebro admonuimus: principes scilicet maximè aduertere debere, qualiter fauores & dignitates distribuant, ne scilicet alios in eorum quos euehunt inuidiam, prouocare videantur.

Et audiuit Dominus. Mirum valde hoc est. Non audit Moseh voces fratrum detrahentium, aut se audire dissimulat: audit tamen Dominus, & detractores castigat. Nemo putet sanctis se impune detrahere, etiā si ipsi non audiant aut non aduertant, imò æquo animo tolerent & nil curent, quoniam est Dominus qui audiat, & eos defendat, & detractores grauiter pœna castiget. Expende etiam serue Dei, quam bonum Dominum habeas: qui scilicet iniurias tuas magis curet & afliget quàm tu.

Et Moseh vir humilis valde. Noc immerito sanctus Iob afferere videtur, solos paruulos inuidiam occidere. Nā quod humilis Moseh pro nihilo reputabat: isti magnum quid arbitrabantur, & forte habere dolebat, quemadmodum capite præcedenti ostendit. Quibus isti inuidebant considera, Nempe anxietatibus, solicitudinibus, sudoribus, & laboribus, quæ huiusmodi prælaturas sequi solet, sed inuidus solam prælationē in prælato considerat. Docet etiā hic sanctus Moseh pulchre prælatos, murmura dissimulare, iniurias in faciē perpeti: neque ista curare, ac si non in se dicta fuissent. Neq; miteris talem Moseh, quoniam cum eo conuersabatur, qui omnia hæc, & multo deteriora æquo animo nouerat tolerare: nempe cum Deo.

Egredimini tres vos: ad tabernaculum ecclesiæ. Discant ex hoc loco maiores prælati imò omnes, qualiter personas insignes, aut prælatas, arguere debeant & admonere. Non enim in conspectu multitudinis cui sacerdos præerat, cum admonuit ne illorum peccata vulgo traderētur, & minoris fieret sacerdos suus: sed quid? Præcipit exire extra castra, ad domum suam nempe ad tabernaculum venire, & ibi eos redarguit. Sed quare non præsente Moseh? Quia noluit eius causam agere eo presente, qui forsan suis orationibus pœnam poterat impedire. Secundo ne putaret q̄ frater, à se de eis vindictam aut saltē reprehēsionem petiuisset, aut ne Moseh in elationem induceret, si videret deum tam anxie causam eius agere. Vel vltimo quia noluit etiam Moseh cognoscere, quod eos reprehendisset. Vis de hac re aliud pulchrum exemplum habere? Lege vltimum caput Iob. Cùm enim Dominus eum arguere voluisset, quod eum quasi iniustum iudicem arbitraretur: quoniam eum sine culpa flagellasset, scorsum illum conuenit, & arguit multis verbis, postmodum verò eorum amicis commendauit dicens, eos non recte coram se loquutos, quemadmodum seruus suus Iob. Quibus omnibus docemur, prælatorum peccata non esse coram omnibus, sed secrete arguenda: ne propter ea in contemptū veniant. Similiter docemur, non statim propter peccatum, prelatum amouendum, cum videamus Dominum Aharonem non propter hoc ab officio amouisse, imò quod magis mirandum est, neq; propter aurei vituli fabricationem.

Si fuerit inter vos propheta. Nusquam legimus, Deum talia dixisse Moseh de se, qualia iuste de eo fratribus dicit. Non solet dominus aliquem seruum in faciem commendare, sed inimicis suis. Sic & dæmoni, quod nouerat inimicum Iob dicit. Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, simplex & rectus & à malo recedens. Idem Christum fecisse legimus: qui discipulis Ioannis abeuntibus, cœpit dicere turbis de Ioanne. Quid existis in desertum videre? & quæ sequuntur. Hoc flagello solet Deus inuidos torquere: vt plura dicat seruos suos habere, quàm putauerint ipsi qui inuident. Vos dicitis, me per eum loecutum, neque maiora de eo sentitis quàm quod sit communis propheta & similis vobis: ego autem dico vobis, quòd multis gradibus & elogiis, vos excedit. Nam vobis & prophetis vestris, in somnio loquor: illi verò ore ad os. Vobis similitudines & ænigmata rerum prophetandarum ostendo: illi verò sine vlla imagine aut similitudine. Sic & inuido Sauli ostendebat Dauidem regem, antequam esset, & hoc maximè homines ab inuidia deterrere deberet, ne scilicet Dominus eos quibus inuident, maiores quàm illi imaginantur ostendat eis, & disponit vt omnes eorum quibus inuident, semper laudes & præclara facta eis enarrent, quemadmodum Pharisæis qui Christo inuidebant, semper erant aliqui qui miranda Christi gesta, quæ ipsi pro nihilo reputabant extollerent.

Cur non timuistis loqui contra seruum meum Moseh? Timendum valde est, sanctis & seruis Dei detrahere: quorum detractionibus sic occurrere solet Deus. Quod si qui detrahunt timere Deum vindicē debent: quid facient qui non solum detrahunt, sed torquent & male tractant? Tacet Moseh, & Dominus causam eius agit. Sic & Maria cum à sorore apud Christum accusaretur non respondit, sed causam Domino commisit qui pro ea tacente ius dixit.

Iratus est furor Domini contra eos & abiit. Signum iræ, recessus Domini. Timendum ergo valde est, ne Dominus contra te irascatur & à te recedat: quàm primū enim recessit ille, apparuit illa candēs sicut nix: & leprosa facta est.

Quæso Domine ne ponas super nos peccatum. Non orat sacerdos Deum vt pareat neque vt sororem sonet, sed fratrem: quoniam nouit Deum non placandum, nisi fratri esset satisfactum. Nemo ergo sanctis iniurius, putet se à Domino veniam consequuturum: nisi prius seruo Dei fuerit satisfactum. Neque precatur fratrem vt oret Deum, sed solum peccatum confitetur, & ille Dominum pro sororis salute orat. Non immerito vir Dei, adeo de humilitate commendaris, qui tam facile omnia condonas, & pro peccantibus in te oras & obtines: neq; solū orat sed clamat. Sic & Stephanus. *Act. 7.* *Si pater eius sputando sputisset in faciem eius.* Debet peccator faciem Dei vereri postquam peccauit, nec se statim oculis eius ingerere: quemadmodum filius qui patrem grauiter offendit. Vnde & Manasses dicebat se indignum, qui cœlum in quo Deus residebat, videret. Vide quæ de hac re scripserit diuus Bernardus, in sermone Magdalenæ. *2. Paral. vltimo.*

Exclusa est Miriam extra castra. Cōsidera dei seueritatē, licet enim dilectus seruus pro sorore oraret, non obtinuit sanitatem eius statim: sed post septem dies, quo docemur quòd etsi indulgēdum sit pœnitentibus peccatoribus, non tamen sine vlla satisfactione.

Populus non est profectus, donec congregaretur Miriam. Debet populus rationem habere Magnatum, tum in bonis cum in malis: maxime eorū, qui de communitate bene meriti sunt, postquā Dominus eis morem gerere videtur.

IN CAPVT. XIII. NVMERI iuxta literam annotatio.

Mitte tibi viros & explorent terram Chenahan. Rabbi Selomoh & aliqui ex Hebræis, huiusmodi locutiones, Vade tibi, Accipe tibi, exponunt ad vtilitatem tuam, sed sine vlla causa & ratione. Quid enim quæso vtilitatis accreuit Moseh, ex huiusmodi missione? contentio, iurgium, & ferè lapidatio, qua eum voluit populus lapidare. Sic Genesis. 15. cùm dicit Dominus Abrahæ. Accipe mihi vaccam trimam. Non enim video quid vtilitatis Dominus ex vacca acciperet, qui bonorum nostrorum non indiget, & sic in multis aliis scripturæ locis. Credendum est potius esse linguæ phrasim & idiotismum, quàm vtilitatem aliquam significari, cùm dicitur. Ibo mihi aut tibi: Vade mihi aut Vade tibi. Mitte mihi aut tibi: vnde multi Interpretes huiusmodi pronomina sine interpretatione relinquunt, & de his iam diximus super illud Exodi. Præcide tibi duas tabulas. Quod vero sequitur. Vt explorent terram. Aduerte verbum tur quod explorare vertimus hic, significare propriè meditari & cogitare: vt pater Ecclesiastes secundo, vbi dicitur tarthi, id est, cogitaui in corde meo, inde tor, id est, turtur sic dicta quòd quasi semper meditetur, & etiam thorah, id est, lex quod in ea sit iugiter meditandum, quemadmodum in Psalmo dicitur de viro iusto, quod in lege Domini meditabitur die ac nocte: sed quia idem quasi est meditari & explorare & magis tem explicat, admittenda est interpretatio communis.

Virum virum, virum virum, per tribum. Sic in hebræo est: sed bene redditur, per singulos viros de tribu patrum suorum mittetis.

Omnem principem in eis, id est, eos quos miseritis, sint in populo principes seu eleuati: tum vt animosiores essent ad ingrediendam terram, tum vt reuertentibus populus maiorem fidem adhiberet. Misit autem vnum de qualibet tribu, quoniam negotium hoc omnes attingebat, & ne esset contentio inter principes: quod hos & non illos mitterēt. Misit eos Moseh de deserto Paran. Deuteronomij primo & nono dicuntur missi de Chades Barneah, quæ fuit alia mansio à Paran. Ad quod dicunt aliqui, idem esse Paran & Chades Barneah. Alij verò dicunt eos non statim recessisse sed septem dies parasse se, & abisse cùm iam populus erat in Chades. Quod autem sequitur, iuxta sermonem Domini. in hebræo est iuxta os Domini, id est, præceptum. Vsurpat enim hebraismus vt sæpius diximus, os pro præcepto vel sermone.

De tribu Ioseph, de tribu Menasse, id est, de qua erat tribus Menasseh. Reputabatur enim tribus Menasseh, tribus Ioseph, quoniam primogenitus erat Menasseh ipsius Ioseph, vel quia tribus nō erat populosa, fat fuit vnum principē pro illis duabus mississe: sed quia tribus Ioseph nō videtur alia quam tribus Ephraim & Menasseh, & princeps tribus Ephraim per se describitur, credendum est tribum Ioseph & Menasseh pro eadem in litera reputari, vnumque principem ambabus delectum.

Et vocauit Moseh Hoseah filium Nun, Iehosuah. Ante hac sæpius vocatus est Iohosuah, vt paret capite superiori, & cùm ad bellum aduersus Hamalechitas missus est, eodem nomine vocatur, quomodo ergo nunc primum nomen illi mutatum describitur? Posset dici nomen illi inditum cùm aduersus Hamalechitas dimicaturus ille erat. Cùm enim tunc ad populum suum saluandum mitteretur, non mirum quòd nomen Saluatoris ei impositum sit. Hoc enim sonat nomen Iehosuah, id est, Saluator: licet nunc res narretur. Aut melius quia per spiritum Dei nouerat eum sibi surrogandum in ducatu populi: qui bella domini erat bellaturus, & saluaturus ab hoste populum Dei: nunc nomen ei indidit Saluatoris, & ob hanc etiam causam, cum nunc ad explorandam terram, cum cæteris destinauit.

Ad explorandam terram Chenahan. Non videtur hic intelligere per terram Chenaan, omnem terram promissam: sed illam quam natio Chenanæorum incolebat, qui scilicet, habitabant versus Meridiem: vnde sequitur.

Ascendite hac in meridiem. Et qualis sit terra in qua ipse habitat. Potest relatiuum ipse Chenanæum referre, aut populum. Voluit autem eos primum Chenanæos videre qui fortiores esse videbantur aliis: vt magis Deo fiderent, & suis viribus diffiderent, & forte voluit eorum tentare fiduciam hac exploratione.

An in castris vel in munitionibus sit. Verbum basar à quo mibsar, id est, munitio significat propriè prohibere & includere, & secundo munire, quòd munitio sit quædam inclusio, aut locus quo homines includuntur, inueniretur etiam significare vindemiare quod vindemians vuas in canistro includat, ad quas significationes reduci possunt quinque quas Hebræi verbo tribuunt, scilicet, vindemiare, munire, roborare, prohibere, & excidere. Quod enim omnes loci quibus verbum ponitur, possint per includere verti, constat primum Ieremiæ sexto, vbi dicitur Chebocer, id est, sicut vindemians ad canistra, potest verti sicut includens, scilicet, vuas ad canistra, quibus eas includit. Sic quod dicitur Psalmo septuagesimosexto, Iibsor, id est, succidet spiritum Ducum, vt nostri vertunt, tam bene vertas includet, id est, arctabit, vt scilicet, respirare, non valeant. Vocantur ergo hic munitiones inclusiones, vt diximus, & sensus est. Videte an populus habitet in castris, id est, in locis non inclusis muro, quibus habitare solent qui castrametantur, qui, scilicet, sub tentoriis habitant, vel potius in munitis muro locis.

Pinguis ipsa, vel macra. Nomen hebraicum razah constat significare macrum. Ezech. 34. vbi habetur. Ecce ego iudico inter pecus pingue, & inter pecus razalt, id est, macrum.

Et dies erant dies primitiarum vuarum, id est, erat tēpus cùm primæ vuæ maturescere incipiebant, quando, scilicet, missi sunt huiusmodi exploratores: & dicit hoc propter botrum quem reuersi vectē suspensum detulerunt.

Exploraueruntque terram à deserto Sin, vsque ad Rechob, ingrediendo Chamath. Vocatum etiam fuit desertum Sinai, desertum Sin: sed in hebræo scribitur vnum per samech, alterum per tsade, & etiam Sinai scribitur cum Iod in fine, non autem Sin. Ponuntur hic numina quorundam locorum, de quibus variè sentiunt Geographi: credidērim Iudæos tunc temporis ante Iordanem castra posuisse, ad ortum terræ sanctæ vtcunque tamē Aquilonem versus: at verò Chamath cuius hic scriptura meminit, sit illa quæ est terminus terræ sanctæ à parte Aquilonari certum non est. Hieronymus dicit Chamath hanc, fuisse Anthiochiam: sunt qui dicant exploratores istos recta ad Chebron contendisse, & inde reuersos traiecisse Iordanem, atque per Ædomeam & Sin desertum ad castra rediisse.

Ibi erat Achiman Sesai, & Thalmai liberi Hanach. Putant aliqui hunc Hanach tunc temporis fuisse virum celebratissimum, alij verò (quod vero similius est) gigantem habentem illos tres filios arbitrantur: sed mihi videtur hic Hanach pro gigantibus poni, sic denominatis ab Hanach patre eorum: vnde gigantes dicuntur filij Hanachim. Aduerte etiam quòd id quod in textu dicitur. Venerunt vsque ad Chebron in hebræo habetur venit, quia forte non illuc omnes sed solus Chaleb venit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et Chebron septem annis ædificata fuit, ante Sohan Ægypti. Intendit hic Moseh describere nobilitatem, & antiquitatẽ ipsius Chebron, quod fortè essent apud Ægyptios Chronographi, qui Sohan celebrabant & antiquissimam tradierent. De Chebron verò refert Arnius super Berosum ab Adam cœpisse ædificari, quam tradunt aliqui absoluisse Noah, quem Chebronitam fuisse dicunt, quem gentes Ogigen ab Ogigia patria denominatum putant. Putat verò Iosephus Chebron prius Ogigiam dictam. Sohan verò Ægypti, omnes dicunt fuisse Thanaim vrbem Ægypti præclaram, non longè à Memphi sitam, quæ antea dicebatur Titānis, à decem Titanibus filiis Noah cõstructam, sed truncata priori syllaba vt fieri solet, dicta est Thānais in qua etiam putant Hebræi, signa illa miranda facta à Moseh: citantes ad hoc illud Psalmi. 77. Fecit mirabilia in campo Thaneos, id est, Thannais: sed hoc parui refert ad rem, cùm ibi in hebræo habeatur in cãpo Sohan sicut & hic; sed latinus Interpres quoniam arbitratus est Sohan fuisse Thannaim vertit. In campo Thaneos. De hac Sohũ sic scribit Rabbi Selomoch. Sohan (inquit) præclara vrbs Ægypti est, vbi Regum erat habitatio: iuxta id quod dicitur Isaiæ. 30. Fuerunt Principes eius in Sohan, & si verum est in Thanai celebrata fuisse signa à Mose, mirandum non est quoniam scelerum colluuies, ibi potissimum vigebat. Vbi enim regiæ sunt, maiora & celebriora flagitia admittuntur, siue propter frequẽtiam, siue quòd id genus hominum, curias potissimum adeat.

Venerunt vsque ad vallem Eschol. Aliqui hic pro valle interpretantur torrentem. Verbum nachal à quo nachal, id est, torrens seu vallis, significat propriè hæreditare & exinde torrentem, quod soleat diuidere hæreditates seu prædia, & quod nachal torrentem significet constat secundo Regum tertio, vbi dicitur ve ana chal, id est, torrens replebitur aqua, quod verò vallem manifestum est, ex eo quod scribitur Genesis. 26. vbi dicitur: Castrametatus est benachal, id est, in valle, nõ enim videtur potuisse in torrente castrametari, sed hoc parum est ad probandum rem, quoniã torrens in ęstate exsiccatur, aut ponitur in torrente pro iuxta torrentem: vnde sustineri posset, solum torrẽtem significare, quod autem sequitur Eschol, significat botrum. Dicit tamen Rabbi Dauid, grana siue vuas vocari anasim hebraicè, tamuscusum verò in quo vuæ pendent vocari Eschol. Sonat autẽ sachal hebræis orbare, inde Eschol, id est, orbatus quod succisus à vite videatur quasi puellus matre, à qua pendebat orbatus.

Excideruntibi ramum & botrum. Verbum hebraicum zamar, à quo zemorah, id est, palmes vel ramus, multa hebręis significat, scilicet, psallere, putare vineã: nomen verò zemorah putãr significare palmitem, fœtorem propter illud Ezechielis octauo. Mittunt & hazemorah, id est, fœtorẽ, mazmerot verò quod etiam est ex hac radice, vertunt Isaiæ secundo falces, zamer verò nomen animalis esse putant, quod mihi certissimum signum est ignorãtiæ propriæ significationis nominis, quia enim allusiones nominis nolunt aduertere, in huiusmodi vocabulorum distractiones incidunt, vt sæpius exstitisse sumus. Significat ergo verbum zamar solùm duo, scilicet, psallere, & putare: an verò inter hæc duo significata, sit aliqua allusio, putarem quod sic. Solent enim vinitores in vineis cũtare & forte psallere, quando multi in labore cõgregãtur, aut erit alia quæ me modò latet. Significata tamen nominum ab hac radice deriuatorum, eam manifestam habent, & quasi eandem, vt exemplis monstrabimus. Nam quod ipsi Isaiæ secundo vertunt conflabunt lanceas suas in mazmerot, id est, falces, melius vertas in instrumenta putandi, quæ vulgari nostro dicuntur podones & modum falcis habent: vt à zamar quod est putare, sit mazmerot, id est, instrumentum putandi, illud etiam Ezechielis decimoquinto. Quid erit de ligno vitis præ omni ligno hazemorah, bene vertas præ omni ligno palmite aut putationis, quod scilicet putatores putare solent seu à vite scindere? vbi vides hæc duo nomina analogiam quandam, ad sui verbi significationem habere. Quod verò dicitur Ezechielis octauo. Ipsi mittũt & hazemorah, id est, fœtorem (vt nostri vertunt) ad nasum suum, melius vertas cantum seu crepitum ad nasum suum, quæ quidem significatio, allusionem habet ad alteram verbi significationem, qua psallere vel cantare significat. Est enim podicis crepitus, cãtus quidam. Est ergo (vt nomen ad verbum suam habeat allusionem) hic meo iudicio vertendum. Exciderunt ibi palmitem & botrum, potius quàm ramum. Vocatur etiam hic per anticipationem vallis iste Eschol, id est, botri, quoniam nondum nomen hoc illi erat inditum sed à botro inde delato, sic vocata est.

Et portauerunt illum in vecte, etcm duobus. Ad ostendendum quã mirabiles fructus promissa ędebãt terra, botrum illum à duobus portari fecerunt, ob illius magnitudinem & grauitatem. Aduerte etiam nomen hebraicum mot quod vectem omnes vertunt, significare non tam vectem quam baculum. Nam radix eius, scilicet, mut, significat inclinare: vnde mot, id est, inclinatorium seu scipio vel baculus, sic dictus quod eo debilis innitatur: quare verti posset in baculo.

De malogranatis quoque. Vocant Hebræi malogranata rimonim, quod nomen arbitror nos Lusitanos ab eis mutuasse qui vocamus malogranata romãas.

Propter botrum. Hebraicè est al odor, id est, propter causam botri, de quo loquendi modo diximus initio præcedentis capitis, super illud propter vxorẽ Æthyopissam. Nos Lusitani, sæpius sic adiungimus nomen amoris occiose, in locutionibus, dicentes. Por amor de vos me mataram, id est, tui causa occiderunt me, etiam si propter odium quod occisor illum prosequebatur, occiderit me.

Ad desertum Paran, quod est Chadessah. Vides hic idem esse desertum Paran & Chades, quæ hic dicitur Chadessah.

Nisi quod fortis est populus. In hebræo pro nisi, est ęplies à verbo aphes quod est consumere, finire & deficere, quam significationem Hebræi ad libitum mutant & alienant, prout eis videtur loco quo verbum ponitur congruere, nomẽ verò ephes significat finem, sed quia hic non videtur hęc significatio quadrare: mutant eam in nisi: sed meo iudicio sine causa: vt autem rem intelligas, aduerte nos Lusitanos & etiam Latinos, in narrationibus hoc loquendi modo vti: tandem seu vt finem tandem narrationi faciam: sic res habet. Nos verò Lusitani dicimus. Em fim foi isto & isto, quo loquendi schemate arbitror exploratores hic vsos. Postquam enim dixerant se venisse ad terram, ad quam missi erant, & quod vere lacte & melle manaret, & fructum terræ ostenderant dixerunt. Tandem seu finis, ac si dicant tandem terra est optima: sed hoc malum habet, quod populus est fortis & vrbes munitæ. Vnum tamen est, quod hanc expositionem excludere videtur, scilicet, quòd ephes non ponitur in fine sententiæ præcedentis, sed initio sequentis, dicitur enim. Terra ad quam nos misisti, vere fluit lacte & melle, & hic est fructus eius, & ibi est pausa, & sequitur. Ephes chi az, id est, nisi quia fortis est populus: sed in hebræo sæpius huiusmodi locutiones occurrunt. Tum quia finis, seu tandem legi potest in principio sequentis vt si dicas. Re vera terra ad quam nos misisti fluit lacte & melle: tandem cuncta sunt bona, nisi quia populus est fortis: sed quia in multis locis videtur magis quadrare nisi, admittenda videtur huiusmodi interpretatio.

Etiam filios Hanach vidimus ibi. Diximus iam Hanach posse accipi pro homine sic appellato, insignis staturæ, aut pro gigantibus, qui dicebantur filij Hanach, id est, de stirpe illius qui fuerat gigas. Nam Iosuach decimoquarto habes. Quia hanachim, id est, gigantes sunt ibi, seu homines de stirpe ipsius Hanach, & ab Arbab gigante, à quo ciuitas Chiriath Arbeh denominata est dicitur ibidem: maximus inter Hanachim, id est, inter gigantes seu filios ipsius Hanach. Verbum hanach significat circundare ad modum torquis,

quis, & Hanach nomen, torquem dicitur significare: ad quam significationẽ nihil allusionis seu conuenientiæ videtur habere gigas. Deuteronomij decimoquinto habes haaneiich taanich, id est, onerando onerabis illum, aut circundando circundabis illi pecudes tuas, & de frumento aręæ tuæ. Isti verò Hanachim videntur incoluisse Chebron, non multo tempore ante Iudæorum ingressum, quoniam quando Abraham peregrinatus est in ea, quod fuit ante hoc quadringentis annis, nihil tale ibidem fuisse legimus, & crediderim eos, in Babylonia incepisse, vbi regnauit Nimrod qui videtur ex eis fuisse: vt patet Genesis sexto, vbi eorum ortus describitur, & ex Babylonia sparsi sunt in totam terram Chenaan, qui eam mutuis cædibus, latrociniis, & vitiis contra naturam impleuerunt: Deo fortè sic disponente, vt Iudæi minori negotio eam occuparent, & fortè hac de causa exploratores dicunt terram habitatores suos deuorare, quòd videlicet mutuis se cædibus occiderent: de hac re tamen nihil certi est.

Hamalech habitat in terra Meridionali. Si harum gentium initium & ortum habere cupis, lege. 10. caput Geneseos vbi istarum gentium Patres & generationes inuenies, hic verò describitur situs habitationum eorum in terra Chenaan.

Iuxta mare & iuxta ripam Iarden. Per mare non credo hic intelligi mare magnum, quoniam illud erat ad plagam Occidentalem terræ sanctę, Iarden verò ad Orientem licet eius ortus ab Aquilone vtcunque esset, & hic est sermo de mare iuxta Iarden, quare hic per mare, mortuum potius intelligerem, quo se flumen Iarden exonerare dicitur, & in Hebræo pro iuxta Iarden est iuxta, aut super manum Iarden, id est, super plagam seu manum ad quam est Iarden, quemadmodum dicere solemus. Isti morantur ad dextram, illi ad lævam per manus, distinctas plagas significãtes & est sensus Chenanæum habitare iuxta mare & super seu iuxta manum Iarden, id est, ad quam est flumen Iarden.

Tacere fecit Chaleb populum, ad Moseh. Dicunt Hebræi verbum asah, id est, tacuit, significare tacere vt patet Zachariæ secundo, vbi dicitur, As, id est, sile omnis caro à facie Domini, & Hamos sexto. Et dicet as, id est sile: Sic Nechemiæ. 8. asũ, id est, sile te, & quod sequitur, à Moseh, id est, ad verba Moseh, qui scilicet, eum suis verbis voluit in officio continere, aut tacere fecit eum ne loqueretur contra Moseh, seu murmur eorum aduersum Moseh.

Quia prævalendo prævalebimus ei. Verbum iacol significat posse, ideò si latinè fas esset sic loqui, vertendum erat. Quia possendo poterimus.

Quoniam fortiu ipse præ nobis. Carent Hebræi gradu comparatiuo, ideò vt vertimus dicunt fortis præ nobis vel à nobis, pro fortior nobis.

Et eduxerunt infamiam terræ quam exploranerant. Propriam significationem nominis dibah, quod hic infamiam vertimus non plenè norunt Hebræi vt diximus Geneseos trigesimoseptimo, coniecturæ tamen aliquot sunt, quòd significet rumorem malum seu infamiam, aut murmur: vt patet Psalm. 31. vbi dicitur. Quoniam audiui dibah, id est, infamiam vel vituperium multorum. Idem Ieremiæ. 20. & Ezechielis. 36. Certum est significare rumorem oblocutionem, sed an semper malum non ita. Hebræi dicunt, quod quando dibah construitur cum verbo mozi importat falsum rumorem, cùm verò cum alio verbo, verũ, quod an verum sit nescio.

Terra consumens habitatores suos est. Variè tam nostri quàm Hebræi hunc locum intelligunt, quidam acrem ibidem insalubrem fuisse putant & ideò dici deuorare suos habitatores. Viderunt enim ibi multos sepeliri, quod (vt Rabbi Selomoh dicit) Deus fecit: vt hostes Hebręis ingredientibus diminueret: sed cùm Dominus hanc terram maximè commendauerit Iudæis ante ingressum, credendum est auram illius non fuisse insalubrem. Vnde verius videtur, eos dicere eam suos deuorare habitatores, quod, scilicet, in ea essent simultates & ciuilia bella, multoque in huiusmodi dissensionibus interisse, neque mirum, cùm ibidem esset gigantum multitudo, qui huiusmodi cædibus vacabant, vnde statim de gigantibus fit mentio. Est etiam ad hoc alia coniectura quod hebraismus vocat occidere gladio, deuorare seu comedere, & gladium deuorantem seu comedentem, & vocat os gladij quasi gladius comedat homines quos occidit. Vnde lacham quod est propriè comedere, etiam significat bellare quod bellum soleat homines comedere: vt de comedere seu deuorare habitatores est occidere habitatores gladio. Fateor tamen nos Lusitanos, ad significandam terræ penuriam quòd, scilicet, non sufficiant fructus eius, alere habitatores suos ob illorum multitudinem: dicere. Os homens daquella terra, comense hũs com os outros, id est, homines illius terræ comedunt se inuicem: ac si dicatur: alij comedũt quod aliis necessarium est, ob illorum frequentiam sed fortè aliud est, comedunt seu deuorant se inuicem: aliud terra deuorat eos. Videtur tamen malum hoc in terram deferendum, quoniam præcedit eos protulisse infamiam terræ non hominum. Mutuis autem se cædibus occidere, videtur potius in hominum malitiam quàm terræ referẽdum, ideò nõ abiicio hanc vltimam expositionem: ac si dicant terra quã lustrauimus, deuorat suos habitatores, id est, insufficiens est ad eos alendos. Non sufficit tot alere, quot habet, ideò alij alios deuorant, id est, alimenta quæ aliis necessaria sunt.

Viri mensurarum, id est, magni. Vocat enim hebraismus viros mensurarum magnos, sicut virum terræ agricolam, & viros numeri, paucos, & qui possunt facilè numerari.

Ibi vidimus Nephilim, Id est, gigantes. Diximus Genesis sexto de verbo naphal, id est, cadere, vnde nephilim, id est, gigantes sic appellati quòd homines eis visis in terra caderent, aut quod in diluuio omnes ceciderint, vel quòd magna ruina caderent propter proceritatem staturæ eorum.

Filios Hanach de gigantibus. Sensus est. Ibi vidimus gigantes filios Hanach, quod nomen est viri gigantis, qui scilicet, filij Hanach aut qui Hanach fuit de gigantibus, id est, mansit ex gigantibus. Videtur enim hunc Hanach semen gigantẽum seruasse: forte ipse remanserat ex semine eorum, à quo postmodum alij orti sunt.

IN CAPVT. XIII. NVMERI AD mores annotata.

Mitte tibi viros, & explorent terram. Quid quæso tibi vis Domine in hac terræ exploratione? Nonne eam à sęculo elegisti vt dares electis tuis? Audiui sanctum Moseh dicentem. Quando diuidebat altissimus gentes, quando hæreditare faciebat filios Adam constituit terminos populis, secundum numerum filiorũ Israel. Gratitudinis (ni fallor) nos admonet hæc exploratio. Docemur quidem examinare dona Dei, quam bona & copiosa sint, sed summè cauendum est, detrahere donis eius. Et mirum valdè est quàm facilè credamus eis Iudicibus rerum, quos earum artifices putamus, aut rectius nobis de eis iudicium habere arbitramur. Emis margaritum, & cate, si ab artifice cognoueris commendari & in omnibus aliis venalibus, te decipi à perito permittis & eius oculis magis quàm tuis fidis, quare ergo non fides iudicio Dei, vt quod ille bonum & pulchrum iudicauerit, tu eius iudicium approbes & acceptes? Experto crede. Nonne sæpius expertus es, flagella eius quæ tibi dura & aspera videtur, esse expedientia saluti? Si ergo quæ ab eo videntur mala, bona sæpius esse probasti, cur non credes vere bona, quæ tibi bona esse prædicauerit ipse? Si ergo rectè sapias, quæcunque ab eo acceperis siue bona siue mala tibi videãtur, credes omnino salubria. Isthuc vt diximus tendit quod Genesis 14. admonuimus, hac scilicet, de causa fecisse sanctum Abraham terram promissionis lustrare: vt videret

&c

Universidad de Deusto
Biblioteca

& exploraret quanti faciendi essent. Expende quæso hoc. Quidquid nobis Deus tradit, examinari & explorari à nobis vult: nos autem volumus, vt absque oculis ministeria quæ illi facimus pertranseat. Non sic ille qui dicebat. Proba me Domine & tenta me. Audi quid hic exploratoribus dicat Moseh. Videte (inquit) terram qualis sit, vtrum bona vel mala, vtrum pinguis aut macra, vtrum sit in ea arbor vel non. Omnia vult probari, omnia experiri. Si sic ipse nostra scrutaretur, quemadmodum nos vult scrutari sua, quid putas inueniret? Quæ in abscondito ab eis fiunt, ait Paulus ad Ephesios quinto, turpe est & dicere. Non solùm in se turpia sunt, sed neque pudice quidem nominari possunt.

Omnem principem qui est inter eos. Isti sunt, qui populum erga Deum malè affectum, rectè de his quæ dei sunt facere sentire deberent, sed è contrario isti sunt, qui vulgus cogunt, non affici his, quæ Dei sunt. Neque vnico exploratore contentus est, ne fortè eum deceptum in domo causarentur: sed duodecim vult habere sui muneris exploratores, quorum omnium erat, sinè de re iudicare. De re enim omnium tribuum agebatur. Neque mittit Moseh aut Aharon, ne suspectum eorum peo Deo iudicium habere possent.

Vocauit Hoseah Iehoshuah. Nos à rebus prius gestis, præclara nomina imponete solemus hominibus, deus verò nomina, ad præclaras res gerendas imponit. Nos eum qui saluauit Saluatorem vocamus, deus verò eos quos ad saluandum mittit vocat saluatores. Vocabis (inquit angelus) ad Ioseph, nomen eius Iesuah, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Prius res apud Deum sunt, quàm fiant in oculis nostris: nos ex euentibus res vocamus.

Videbitis terram & populum, & quales vrbes.
Solent mali homines bonam incolere terram: sed non diu. Eiicit terra aut eiicere cupit malos habitatores, quemadmodum legimus de Chanaan. Ecce, inquit, eiicis me hodie à facie terræ. Discant etiam ex hoc loco Duces, pro qua terra bellandum sit, Non equidem pro sterili neque pro immunitis vrbibus, neque cum debilibus hostibus.

Dies erant primitiarum vuarum. Nouit Dominus munera sua optimè decorare. Noluit eos terram in hyeme ingredi, quādo terra nuda herbis & arboribus videtur, sed quando vestita est, & arbores suis fructibus abundāt. Sic cùm orbem homini dedit, in Septembri (vt Geneseos primo admonuimus) illi munus terræ contulit, quando suis pomis arbores hominem inuitare videbantur. Omnia pulchra, omnia ornata, omnia plena, mihi domine tradidisti, ego verò omnia macra, vacua, & defectuosa, ne mōstruosa dicam, tibi offerre solco.

Venerunt vsque ad Chebron, & ibi erant filij Hanach. Quid illis Domine in terræ tuæ frontispitio, hęc monstra ostendis? Nunquid eos vis statim deterrere, vt nō solùm non acceptent, sed fugiant munus tuum? Absit, sed eos considerate vis quales propter eos occideris, & quorum illis terram dederis. Non debiles, non effœminatos, propter eos patria pellis: sed gigantes, vt etiam discāt & dicant cum Dauid. Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me, sed brachiū tuum & illuminatio vultus tui.

Chebron septem annis ædificata fuit ante Soban Ægypti. Ad quid hæc Domine Deus? Vbiq; munus commendat suum, & omnibus titulis. Non solùm vobis trado vrbes ad cœlum vsque muratas & fortes, sed etiam nobiles ab antiquitate.

Portauerunt vectē cum duobus. Iustificant verba hęc causam ipsius Dei. Quis enim vnquam tales aut similes fructus terræ vidit, vt scilicet duo in vectē racemum vnum portent? Qua fronte huic terræ, quæ tales producit fructus, detrahere potestis Iudæi, & vltra hæc ficus & malogranata producit in copia?

Fluens lacte & melle est, nisi quod fortis est populus. Vide quàm ad viuum hic, conditio detractorum depingatur. Solent enim huiusmodi rei artifices, rem cui detrahere volunt commendare prius, ne fidem illis ali dientes præstare dedignentur, si omnia mala admixtis bonis referantur, ideò inter mala, bona inserere solēt, vt facilius persuadeant vitia, sic & isti, vt eis populus crederet quod detrahere volebant, terram prius extollere à fructibus curant. Quotiens detractorem audias, si ab eo aliculus mores quæras laudare, & multa prius in eius commendationem dicere, & postea veluti scorpionem, sua cauda pungere. Cāte ergo vir Dei, ne te terra lacte & melle manante decipiat: vt postea referat filios Hanachim. Fili mi (ait Salomon) si te lactauerint peccatores nō acquiescas eis. Non dixit, si apud te detraxerint aut mala aduersus aliquem persuadere voluerint: sed si te lactauerint: ac si diceret apertius, si volentes proximo aut terræ detrahere, dixerint eam lacte & melle manare, quemadmodum & isti. Et considera qui sint isti, exploratores, inquam. Sunt homines quorum inunus est aliena explorare, neq; tamen iussi aut missi, & cùm multa mala & bona videant, sola tamen mala referunt. Prou. 1

Tacere fecit Chaleb populum contra Moseh.
Docet nos sanctus iste Chaleb occurrere detractoribus, etiam si eos plures nobis esse videamus, præsertim cùm eos mentiri nouerimus. Simili modo Iudices & Prælatos, in benè gestis etiam si aliquibus mala videātur, excusare. Cùm ergo querulosum videris aduersus præpositum murmurare, non acquiescas illi, neq; sinas eum linguam detractoriam relaxare: sed cum bono Chaleb compesce.

Non poterimus ascendere ad populum, quia fortior nobis est. Quid dicitis increduli Iudæi. Nunquid vestris viribus aduersus Ægyptios, & alios hostes vestros hucvsque bellastis? Nonne cùm sanctus Moseh manus leuabat, & non quando vos strenuè bellabatis vincebatur Hamalech? Depressis enim sancti viri manibus, vincebat Hamaleh. Quare ergo vires vestras cum viribus inimicorum confertis, postquam non vestris viribus, sed Domini præliandum est? Considera prudentiam Chaleb. Antequam socij suam impotentiam opponerent, ille facilitatem vincendi in medium protulerat, vt videret si posset occurrere detrahentibus: sed qui prius hostium potentiam solum obiiciebant: iam nunc apertè se eis inferiores protestantur. Et qui prius terram de fructibus & pinguedine valdè commendauerant: iam eius infamiam in medium proferunt, & dicunt eam suos habitatores deuorare. Neque pudet eos tam apertè mentiri, neq; hoc solum, sed qui prius asseruerant se ibidem vidisse tres filios Hanach, iam nunc dicunt, omnem populum quem viderant magnæ esse staturæ.

IN CAPVT. XIIII. NVMERI iuxta literam annotatio.

Et lessuit omnis cœtus, & dederunt vocem suam, & fleuerunt populus nocte illa. Sensus est, quòd omnis populus eleuauit vocem suam & statim more suo explicat, quod dederunt vocē, & fleuerūt tota illa nocte, & vt vnico verbo dicatur, fleuerunt eleuantes vocem cum fletu, sicut Geneseos quadragesimoquinto de Ioseph dicitur, quòd dederit vocem suā cum fletu, dum fratribus seipsum ostendit. Posset etiam esse sensus quòd eleuauerint se aduersus ducem & duos explotatores qui suadebant ascensum & dederunt cum fletu vocem, & dare vocem cum fletu est hebraismus, significans eiulare, aut vociferando flere.

Et murmurauerunt contra Moseh. Sæpissimè admonui, verbum lon significare primum manere & permanere, secundo persistere. Hebræi addunt murmurare, & videtur significatio aliquibus locis congruere. Dicunt etiam significare pernoctare, sed vbi ipsi pernoctare vertunt, tam bene quadrat manere & permanere vnde hic dupliciter verti potest verbum lon vno modo. Et murmurarunt & perstiterunt, sed quia sequuntur murmura quæ protulerunt, scilicet, vtinam mortui essemus in Ægypto, videtur melius si murmurare inter-

interpretetis. Exodi enim. 16. murmurare significare videtur: vbi dicitur. Quibus vos malitia, id est, murmuratis, aduersus eum.

Nonne melius est reuerti in Ægyptum? Hebraicè, Nonne bonum est? sed cùm Hebræi comparatiuo gradu careant, per positiuum illud supplere solent.

Vt quid Dominus venire fecit nos in terram hanc, vt caderemus gladio? Iam non murmura in Duces dirigunt, sed in Deum, quasi nihil veriti.

Dabimus caput, & reuertamur in Ægyptum. Licet clarius vertas. Ponamus caput, in Hebræo tamen est dabimus: decreuerat enim populus, ex se caput seu ducem reuersionis in Ægyptum dare: abiiciendo caput à Domino datum scilicet Moseh.

Sciderunt vestimenta sua. Solent Hebræi ob maximam indignationem & tristitiam, superiorem vestem non omnino sed serè vsque ad medium scindere, cuius partes vsque ad aliquod temporis spatium pendere sinunt: sicut cùm nomē domini blasphematur, quēadmodum legimus secundo Regum. 19. de Ezechia; qui cùm audisset verba blasphema, quæ rex Assyriorum in Deum protulerat, vestimenta sua scidit. Sic & Caiphas. Mat. 26. cùm Christum audisset se venturum in nubibus cœli prædicentem. Quod etiam ob aliquam magnam tristitiam fecisse ex multis locis scripturæ constat: scilicet ex priori libro Regum capite. 21. de Achab rege Israel. Iosuah. 7. &. 11. Cauent tamen valdè moderni Iudæi, ne huiusmodi scissio fiat in veste prætiosiori.

Bona terra est valdè valdè. Sic geminato positiuo, hebraismus superlatiuum exprimere solet: vt idem dictu sit. Bona valdè valdè, quòd optima.

Tantum ne contra rebelles. Significat verbum marad rebellare, & deficere, vt patet. 2. Paralipo. 36. vbi dicitur Et etiam contra Regem Nebuchadnezar marad, id est rebellauit. Idem. 2. Regum. 18. Quod verò Hebræi dicunt significare humiliare & attenuare, non recte meo iudicio sentiunt, quoniam quæ humiliarē significant, sunt potius à radice Iarad quod est descendere & humiliari, quàm à marad.

Quoniam panis noster ipsi. Subaudi sunt, & est hebraismus hunc habens sensum, id est, ita eos deuorabimus gladiis nostris, ac si panis essent, ac si dicant, facilè sine vllo nostro præiudicio, quem sensum optimè reddidit vulgatus Interpres dicens, Quia sicut panem, ita eos possimus deuorare.

Recessit vmbra eorum. Id est, protectio. Solet enim vmbra homines ab æstu protegere: ac si dicant. Carent omni præsidio: sed quid per præsidium aut vmbram intelligant non plenè constat. Aliqui Deum intelligunt qui quos protegere voluerit quasi alis tegit iuxta illud Psalmi. Sub vmbra alarum tuarum protege me, & illud Christi apud Matthæum. Volui congregare filios tuos veluti gallina pullos suos sub alis, cuius præsidio tuebantur antea. Alij verò consilia, virtutem & audaciam resistendi, quæ ab eis Dominus abstulerat. Tertij verò per vmbram intelligūt duces & principes, qui erant inter eos, qui aut mortui erant, aut cor debilitatum ad resistendum habebant. Ego autem per vmbram tam viros fortes & bellatores, quàm omne aliud robur intelligenda puto. Nam quemadmodum vmbra homines protegere solet, ita omne robur siue hominum siue mœniorum siue cuiuscunque alterius rei, opponunt enim huiusmodi vmbram Deo qui cum eis est, dicendo Dominus nobiscum est, & sensus meo iudicio est. Recessit vmbra eorum, id est, omne id à quo sperabant se protegendos, præcipuè cor bellatorum & virorum fortiū à quibus se protegendos sperabant, quorum cor emortuum est cùm audierunt ea, quę dominus fecerat Ægyptiis propter Israel. Audi quid dicat Rachab Iosuah secundo, exploratoribus Israel, Noui quòd dederit dominus vobis terram, & quia cecidit terror vester super nos, & quia defluxerūt omnes habitatores terræ, à facie vestra. Audiuimus enim quòd siccari fecerit Dominus aquas maris Suph, à facie vestra. Audiuimus, & liquefactum est cor nostrum & non surrexit vltra spiritus in viro à facie vestra. Habes similem loquendi modum. Iudicum nono, vbi Iotham filius Gidon dicit sub parabola filiis Siechem. Si in veritate vos vngitis me in Regem super vos: venite sperate aut requiescite sub vmbra mea, vbi vmbra ponitur pro protectione. Sic Psalmo quinquagesimosexto. In vmbra alarum tuarum sperabo, id est, in protectione. Idem Canticorum secundo. Sub vmbra illius quem dilgit anima mea sedi. Et clarius Isaiæ. 30. vbi sic habetur. Qui ambulant vt descendant in Ægyptum & os meum non interrogauerunt: vt sperent in vmbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaoh, ad pudorem, & spes in vmbra Ægypti ad ignominiam: vbi vmbra ponitur pro protectione. Et capite quadragesimonono. Cum vmbra manus suæ protexit me. Et Threnorum quarto. In vmbra tua, id est, protectione viuemus in gentibus.

Vsquequo nunc reprobabit me populus iste?
Aliqui vertunt irritabit. Alij contemnet vel spernet: sed verbum naas videtur potius significare reprobare, quàm contemnere. Nam Prouerbiorum. 5. habes. Increpationem naas, id est, reprobauit cor meum. Et capite primo naasti, id est, abiecerunt vel reprobauerūt, omnem increpationem meam.

Vsquequo non credent mihi, in omnibus signis?
Posset etiam verti. Vsquequo non sunt stabiles mihi: sed facilè mutantur hinc inde. Verbum enim aman, non solum credere, sed stabilire & firmare significat. Videntur enim maximam ostendisse inconstantiam volentes constituere sibi Ducem, & eius ducatum reprobare.

Percutiam eum peste. Aliqui vertunt. Percutiam eo morte, vt Chaldæus. Vocat autem Chaldaismus pestilentiam mortem, quòd pestis sit præsentissima mors, & citò hominem è medio tollat.

Et expellam eum. Significat propriè verbum iaras, quod hic expellere Sanctes vertit, hæreditare, aut hæredarē facere, & etiam hæreditate pellere seu exhæredare, vt ex multis scripturæ locis constat. Nam Ieremiæ quadragesimonono habes. Cur iaras, id est, hæreditauit Rex eorum Ghad, & infra vigesimoseptimo. Veiaras, id est, hæreditate accipiet eam. De secundo verò significatione exemplum habes Iudicum vndecimo, vbi dicitur. Omne quod horis, id est, exhæredauit seu hæreditate pepulit Dominus Deus noster à facie nostra: illud possidebimus, licet hic etiam verti posset verbum in priori significatione. Primo Regum vigesimoprimo etiam dicitur. Iuxta omnia quæ fecit Emorræus quem horis, id est, hæreditate pepulit seu exhæredauit Dominus, à facie filiorum Israel, aut quem hæreditare fecit pergens ante faciem filiorum Israel, & sic melius hic vertas. Et hæreditare faciam eum, scilicet ab inimicis. Faciam quòd sit inimicorum suorum præda. Non enim æquo animo fero, verbum à sua genuina significatione distrahi, cùm potest in ea tolerari.

Audient Ægyptii, quoniam ascendere fecisti in fortitudine tua populum Israel de medio eius, & dicent ad habitatores terræ huius, audierunt quoniam tu Domine in medio populi huius, quòd oculo ad oculum videris tu Domine, & nubes tua stans super eos, & columna nubis ambulans ante eos in die, & columna ignis in nocte.

Sic in hebræo est, & est sensus. Conferent Ægyptij liberationem, qua eos liberasti, seu fortitudinem qua eos inde eduxisti & ascendere fecisti, cum hoc quòd occideris eos in deserto, & dicent cùm contigerit colloquia miscere cum habitatore terræ huius, quòd quia non poterās eos introducere in terram, occideris in deserto. Aut melius. Audient Ægyptij, quòd ascendere fecisti in fortitudine tua populum tuum de medio eius. Licet enim exire vidissent, non tamen ascendere, & dicent simul cum habitatore, aut ad habitatorem terræ huius, qui, scilicet, habitator terræ huius aut ipse cum Ægyptio audierunt quòd tu Domine sis in medio populi huius, & quòd oculo ad oculum vi-

vidis

Universidad de Deusto
Biblioteca

visus sis, licet non in aliqua effigie, in columna tamen nubis & ignis, & audient quòd occideris eos sicut virum vnum, id est, tam facilè ac si vnus vir essent, neq; solum Ægyptij & habitatores huius terræ, sed omnes gentes qui audierunt famam seu auditum tuum, dicent.

Quia non potest Dominus introducere populum istum ad terram. Parui refert quòd hebraicè ad literam habetur. A non posse Dominum introducere. Et aduerte quòd Moseh cernens hanc orationem sibi profuisse in peccato vituli, ea hic vtitur, & videtur metum Domino incutere perdèdi famã fortitudinis & pietatis suæ. Nouerat enim quanti faciat Deus potentiam suam, & nomen seu famam suam, ideò periculum perdèdi eam interponit ad placandum Deum.

Magnificetur obsecro fortitudo tua. Verbum hebraicum gadal significat magnificare & crescere. Dicitur autem fortitudo Domini magnificari & crescere, cùm multiplicat opera fortia, tunc enim crescit secundum multitudinem operum fortium, & hoc est quod hic postulat Moseh, vt qui hucusque ostendit opera & signa magna fortitudinis suæ, ostendat adhuc plura introducendo eos in promissam terram. Dicitur secundo Domini fortitudo crescere, cùm diuulgãtur in plures populos, opera fortitudinis eius. Poteit tertio modo dici fortitudinem Domini magnificari, superando iram suã. Maius enim quid est seipsum vincere, quàm alios. Iuxta illud Salomonis Prouerbiorum decimosexto. Melior est vir patiens, viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium, & hunc sensum, sequens sententia probat. Sicut, inquit, locutus es Dominus longanimis. Et nititur sanctus Moseh Deum ex verbis suis obligare ad parcendum populo. Quia enim audierat eum Exodi trigesimosecundo dicentem se esse longanimem & multæ misericordiæ, dicit eum debere vti sua longanimitate in ferenda populi iniquitate.

Portans iniquitatem, & peccatum. Admonui non semel, verbum nasa significare propriè leuare & eleuare, & similiter aon nõ solum iniquitatem, sed etiam iniquitatis pœnam importare, ideò veru posset. Leuãs iniquitatem, id est, auferens pœnam seu punitionem iniquitati debitam, & peccarum, id est, culpam. Posset etiam exponi. Portãs iniquitatem, id est, quo animo iniquitatem ferens.

Et innocentem iudicando, non innocentem iudicabit, id est, nonnunquam in flagellis exhibendis, ita te cum innocente habebis, ac si non esset innocens. Omnia hæc exposita sunt supra Exodi trigesimosecundo, quem locum si placet vide.

Parce quæso iniquitati populi huius. Posset etiã veram, pœnæ iniquitatis populi huius.

Et quemadmodum portasti seu eleuasti populum hunc, aut populo huic ab Ægyptiis & vsque nunc.

Videtur quòd comunctio &, otiose hic ponatur, & sensus sit, quem omnes ferè exprimunt, scilicet. Propitius esto iniquitati populi huius, secundum magnitudinem pietatis tuæ, sicut leuasti populo tuo huic ab Ægypto vsq; huc: ac si dicat. Quemadmodum peperciti populo huic, ab Ægypto vsque ad hunc locum, non delendo eum vt meritus erat: ita & nũc parce seu aufer iniquitatem & punitionem. Et significanter dixit leua. Videtur enim punitio post peccatum capiti peccatoris imminere, quam iam iam descensuram Dominus leuat & auferr, & re vera tulit Dominus Israel, à cunabulis ipsis. Audi quid Isaias de eo dicat cap. qua dragasimosexto. Audite me domus Iaacob, & omne residuum Israel, qui portamini ab vtero, & qui gestamini à vulua, & vsque ad senectam, ego ipse, & vsque ad canitiem ego portabo. Ego feci, & ego ferã, & ego portabo & eruam.

Dimisi secundum verbum tuum, id est, secundum precationem tuam.

Profectò viuo ego, & implebitur gloria mea omnis terra. Modus iurandi Domini est, viuo ego, id est, per vitam meam, quo etiam homines à principio orbis vsi sunt, & iurat per vitam, quoniam res pretiosissima est & quæ pluris apud omnes fit. Quod verò sequitur. Et implebitur gloria mea omnis terra, respondet ei quod dixerat Moseh. Magnificetur fortitudo Domini, id est, diuulgetur & sciatur in toto orbe: vnde per gloriam Domini videtur intelligere famam fortitudinis eius, quæ ex signis quæ fecit expellendo gentes a facie Israel, valdè diuulgata est. Et ex hoc loco aduerte, gloriam Domini nonnunquàm pro fama & bono nomine in sacris literis accipi. Posset etiam esse sensus. Condono, scilicet, iniquitatem, & per vitam meam iuro, quòd ex hoc facto, condonatione scilicet criminis, implebitur terra gloria mea, bene audiam ab omnibus hominibus, qui ex hoc facto cognoscent, quàm pius & misericors sum, qui tam piè, tam graues ferò iniquitates. Sunt qui intelligunt quòd propter huiusmodi peccatum, Deus voluit gloriam suam gentibus manifestare, iuxta illud Pauli ad Romanos 11. quòd iniquitas Israel, salus sit gentibus, sed prior sensus sequentibus probari videtur. Sequitur enim

Omnes viri qui viderunt gloriam meam, id est, famam, per quam glorior in gentibus, *& signa mea,* quæ scilicet illius boni nominis causa sunt.

Et tentauerunt me iam decem vicibus. Verbum nasah tentare significat, vt patet primo Semuelis decimoseptimo, vbi dicitur. Quia non nisah, id est, periculum fecerat, seu tentauerat si armatus incedere posset: sed Hebræi nonnunquam accipiunt tentare pro prouocare ad iram vel vindictam, quemadmodum nos Lusitani ei qui ad iram aut vindictam prouocat vel ad aliud malum, dicere solemus. Nam me tentes, id est, non me prouoces ad vindictam sumendam de te. Posset etiam verbum in propria significatione accipi, & tunc sensus esset. Et tentauerunt me, id est, experiri voluerunt patiẽtiam aut potentiam meã: an scilicet, possem eos punire, aut melius eos ab inimicis defendere, & terram dare. Videntur enim Iudæi huiusmodi tentationibus voluisse experiri potentiam dei, neque illum omnipotentem credidisse, visis tot potentiæ signis. Quod autem additur iam decem vicibus, aduertendum Hebræos istas tentationes hoc ordine supputare. Prior in mari caricoso, cùm dixerunt: Nunquid quia non erant sepulchra in Ægypto? Exodi decimosexto. Altera in Marah contigit vbi murmurantes cõtra Moseh dixerunt. Quid bibemus? Exodi decimoquinto. Tertia in deserto Sin, Exodi decimosexto cùm dixerunt. Vtinam mortui essemus. Quarta cùm reliquerũt man, vsq; mane ibidem. Quinta cùm man quęsierunt in die sabbati ibi. Sexta ad aquas cõtradictionis Numeri vigesimo. Septima in Choreb cùm facerent vitulum Exodi trigesimosecundo. Octaua in Thaberah Numeri vndecimo, vbi dubitarũt an esset Dominus cum eis. Nona apud sepulchra concupiscentię, Numeri vndecimo. Decima cùm miserunt exploratores. Ego autem potius arbitror esse loquendi modum sicut nos dicimus: fez me isto cen vezes.

Omnes irritantes me. Posset verti. Omnes reprobantes me, vt iam hoc eodem capite admonuimus.

Eò quòd fuit spiritus alter cum eo. Dictio ecbeh Hebræis est eo quòd, quia, merces, & finis, vnde verti etiã posset, Et ſero meo chaleb merces scilicet, erit: quòd fuerit alius spiritus, scilicet, meus in eo. Videtur enim Dei spiritu locutus, quoniam quæ Domino cordi erãt locutus est.

Et impleuit post me, id est, non solum antea, sed etiam nunc, sequutus est me. Alij. Impleuit verbum meum. Tertij. Plene me sequutus est, seu in omnibus tenuit partes meas.

Et Hamalechites & Chenanæus habitat in valle. Sensus est. Non ingrediamini terram, quoniam Hamalechita & Chenanæus, habitant vallem. Alij cum Munstero vertunt. Et hæreditabit Chaleb Hamalechitam habitantem in valle: sed prior sensus simplicior videtur. Et verbum amach à quo emech, id est, vallis: significat profundum esse: vnde vallis ratione profunditatis dicitur emech.

Cras

Cras vertite vos. Sunt qui vertunt. Cras respicite, sed meo iudicio non tam rectè, licet verbum panah etiam respicere significet. Volebant enim Iudæi intrare terram, post peccatum, sed Dominus noluit, & præcepit se vertere ad desertum.

Proficiscimini vobis. Peto quæso à Rabbi Selomone, qui pronomen tibi aut vobis, ad vtilitatem tuam aut vestram vertit, quid vtilitatis Iudæis accreuerit, ex huiusmodi reuersione, vt videas quàm bellè huiusmodi exponat locutiones.

Per viam maris Suph, id est, terminati seu finiti: vt iam Exodi. 2. admonuimus, aut iuncosi. Ibi enim diximus quare sic diceretur, quòd scilicet, tipis proximis, ex vtraque parte claudatur.

Viuo ego dicit Dominus. Hebraicè est, Viuo ego dictum domini: sed bene dictio reddita est. Sic Psal. 109. vbi nostri vertunt. Dixit Dominus Domino meo, hebraicè habetur, dictum Domini.

Omnes mouens vestri, secundum omnes mouens vestros, id est, secundum quòd numerati estis, scilicet à vigesimo anno & supra.

Super quam leuaui manum meam, id est, super quam seu pro qua iutaui, quoniam vt sæpius admonuimus solebant homines sic leuata ad cœlum manu iurare, quasi protestantes Deum per cuius vitam iurabant, in cœlis residere.

Quam despexistis, aut reprobastis. Re vera enim eam reprobauerant: volentes in Ægyptum reuerti.

Cadauera vestra, vos. Sic in hebræo est, & dicit Rabbi Dauid dictionem vos, additam explicandi gratia, ac si dicat. Nempe vos, quia fortè putarent verba Domini de filiis intelligenda: sed ratio non multum cogit.

Filij vestri erunt pascentes in deserto, id est, pascentur quemadmodum pecora, aut veluti pastores, qui in deserto oues pascunt.

Et portabunt fornicationes vestras, id est, idolatriarum vestrarum pœnas. Significat enim zanah Hebræis mentis aut corpotis fornicationem, recedendo à vero Deo, & hic significat nõ solum idolorum cultum, sed omnem à vero & legitimo Deo recessum & rebellionem. Dicit autem filios portaturos patrum fornicationes, quoniam solet Dominus visitare patrum iniquitates in filios.

Diem ad annum, diem ad annum portabitis, id est, pro die annum, pro die annum. Et hinc cognoscere licebit, quàm grauis imponatur peccatoribus pro peccatis pœna, vt scilicet, pro quolibet explorationis die, luant annum pœnæ, & sumitur iniquitas pro pœna iniquitatis.

Cognoscetis vltionem meam, id est, pœnam qua peccata vlciscor. Aliqui vertunt irritationem meam, sed dictio tenuah, videtur significare potius contritionem seu fractionem. Nam infra trigesimo capite dicitur. Et si heni, id est, fregerit vel irritauerit patet eius illud, videlicet votum: vnde melius vertas, cognoscetis fractionem meam, qua scilicet frangam vos. Significatio tamen non est omnino certa. Thargũ cognoscetis quòd murmuraſtis aduersum me: sed non multum placet expositio. Nostri Iob trigesimotertio tenuot querelas vertunt: sed melius vertas contritiones, id est, contritionis causas.

Quæ conuenerunt contra me. Est iaad congregari, conuenire siue ad bonum siue ad malum.

Consumentur & morientur. Significat taman finire & consumere, & est sensus, quòd in deserto finientur per mortem omnes huiusmodi rebelles.

Educendo famam terræ malam, id est, qui diuulgarunt famam terræ, quòd mala esset. Diximus de significatione nominis debbat, id est, fama vel infamia, in multis locis, scilicet, Genesis. 27. & hoc eodem libro capite præcedenti.

Percussione coram Domino. Non explicat textus qualis fuerit ista percussio: Complutensis vertit peste, sed crediderim potius eos igne combustos à Domino, quoniam hæc fuit communis plaga qua dominus eos percutiebat.

Quare transgredimini vos præceptum Domini? Parui refert quòd hebraicè habetur. Quare vos transitis os Domini? sed os pro præcepto seu verbo, non rare accipit hebraismus, & transire pro transgredi, & transire os Domini est tre vltra id quod ipse dicit seu præcipit aut prohibet.

Et hoc non prosperabitur, aut & ipse, scilicet, ascensus non succedet. Verbum salach, significat vltra progredi, quare ad literam vertẽdum esset. Hoc vltra non progredietur. Non poteritis vltra transire.

Propterea reuersi estis à post Dominum, id est, cõ quòd euntes post Dominum, reuersi estis, ne scilicet, amplius iretis post eum. Si sequeremini vestigia Domini post quem ibatis, introduceret vos ipse vester ductor in terram: sed quia reuersi estis, id est, reuerti voluistis in Ægyptum, ideò non intrabitis, aut quia reuersi estis à præcepto Domini cuius imperium sequebamini.

Viri fecerunt ad ascendendum. Tam nostri quàm Hebræi ignorant quid propriè significet verbum aphal quod hic vertimus vim facere, sicut neque quid nomen ophel. Aliqui dicunt ophel significare arcem & munitionem, verbum nero eleuare eor, & roborare. Onchelos. Impiè egerunt vertit. Pönitur dictio in aliquot scripturæ locis, scilicet, Isaiæ trigesimosecundo, vbi dicitur. Ophel, id est, arx & munitio fuit in speluncas in seculum, & secundo Regum quinto, sed ex nullo eorum potest certa coniectura sumi, ad venãdam propriam significationem. Nos diceremus emcastellaram se, id est, quasi arx roborauerunt se, & hæc est communior significatio, quæ omnibus locis, quibus ponitur nomen, quadrare videtur.

Et percussertint eos & contriuerunt eos. Aliqui putant radicem secundi verbi esse lachat, quod est contundere & cõterere, Rabbi Dauid dicit esse chatat: sed rectum (inquit) est vt radix sit nachah quod est percutere, quod si verum est, idem est verbum vtroque modo, & sensus esset. Percusserunt eos, percusserunt eos, id est, valdè eos percusserunt. Hoc enim huiusmodi geminationibus in hebraismo significatur. Porrò Chormah locus erat inter Chasinona & Chades Barneach, vt Geographi dicunt.

IN CAPVT. XIIII. AD MORVM elegantiam annotationes.

Dederunt vocem suam & fleuerunt. Non curãt detractores neque aduertunt, quæ mala detractionem sequantur, quæ si aduertissent, non tam facilè detraherent. Ex detractione enim exploratorum, qua terræ detraxerunt, fletus iste, diffidentia, & murmura secuta sunt. Considerent etiam se ad restitutionem teneri, qui alicui iniustum aut fallacem metum incutiunt. Si enim quis vt eum deterreret, alicui diceret, se scire hostem qui eum insequitur, & ille ad sui custodiam stipendiarios quæreret milites qui eum custodiant, quicquid ille illis persoluit, qui metum insustè incussit ei soluere tenetur. Similiter admonemur, quàm prona sint hominum corda ad diffidentiam. Viderant enim isti, regem potentissimum cum omni exercitu suo submersum, Hamalecelitas debellatos, innumerabilia de cœlo signa: Deumque præsentem habent in medio sui, & tamen auditis rumoribus vagis deterrentur & flent. Tertio docentur serui Dei, cautissimè cum eo incedere. Solet enim Dominus suis grauiora sæpius quàm sint pericula depingere, vt eorum fiduciam experiatur: sed tunc oportet eos firmiores fieri, neque vnquam esse securiores, quàm quando nulla videtur euadendi spes, & tunc ad Deum maximè recurrẽdum est.

Murmurauerunt aduersus Moseh & Aharon. Ecce quid prosit indomitæ multitudini præesse. Nam qui iniuriam in Dominum vindicare nequeunt, ad seruos & instrumenta conuertuntur. Sic apud Isaiam legis. Veh Assur virga furoris mei. Sit virga furoris tui, quid eum punis? Nunquid in potestate virgæ est non obtemperare tibi? Minimè, sed quia doleo filium ea percussisse, in eam seruiendum puto.

Vtinam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vtinam mortui essemus in terra Ægypti. Extremæ ingratitudinis est, beneficium maleficium reputare. Minus enim malum isti reputabant, in Ægypto mori: quàm in solitudine cum Domino morari. Et expende, ingratorum morem esse, inconuenientia potius quàm vtilitates in beneficio explorare, quemadmodum gratus vtilitates vt munus adornet. Dicit ingratus paupper: veilem mihi dedit diues: sed veterem, aut si nouam. Non dedit personæ meæ decentem, neque suo loco aut tempore: gratus verò, in munere semper quærit circunstantias, quibus illud extollat.

Vt quid Dominus ascendere facit nos ad terram hanc, vt caderemus gladio? Hoc etiam ingrati animi est, putare sibi beneficium ad malum dari: nam quemadmodum iustus & gratus, putat sibi mala ad bonum suum dari: ita malus & ingratus bona ad malum, neque semper decipitur, quoniam solet Dominus sic sæpius res bonorum & malorum disponere. Audi quid dicat impius Iehoram Iosaphat regi Iehudah. 2. Regum. 3. Vocauit Dominus tres Reges istos, vt traderet eos in manu Moab, & forte sic erat: sed propter pium Iosaphat, in bonum vocati sunt.

Dantur mala bonis ad bonũ eorum & bona malis ad malũ eorum.

Ponamus caput, & reuertamur in Ægyptum. Consuetum malũ est, subditos quotidie velle nouum Prælatum habere, non tam volentes Dominum non habere, quàm saltem mutare, & considera qualiter peccator in malum proficiat: vt tandem Deo subiici renuat & malit super se impium habere hominem quàm pium Deum, quemadmodum Iudæi primo Semuelis octauo & duodecimo, & in Euãgelio potius Cæsarem quàm Christum. Aduerte etiam multitudinem non debere sine capite incedere. *Mat. 26.*

Proiecit se Moseh & Abaron super facies suas. Optimi Ducis & Prælati est cognoscere mala ventura antequam veniant, & malis occurrere venientibus. Similiter docentur Duces, sese Domino irato opponere pro salute suorum, quemadmodum sæpè fecit sanctus Moseh, & etiam Dauid.

Iehosuah & Caleph de exploratoribus scidernnt vestimenta sua. Magna res est, cùm superiores in plebe, Prælati & superioris partes agunt, non indoctæ plebis. Raro enim subditi in suos Prælatos insurgerent, aut eis rebellarent, si maiores eos in officio continerent, quemadmodum eos docent isti boni Duces. Debentq; non solùm Prælati, sed etiam maiores natu signis externis ostendere, quanti faciant offensas Dei, scindendo vestimenta sua. Vbi nos etiam docent, sentire proximorum mala, præsertim peccata. Et expende quàm bonos agant consiliatores, commẽdant terram prius, deinde impedimenta ab eis auferre nituntur: nempe rebellionem ad Deum.

Dixerunt omnis congregatio vt lapidarent eos. Periculosum valde est: indomitæ aut furenti multitudini sese opponere: quæ consilia sana non audit, sed quasi frenesis morbo agitata ad lapides currit, sed non propterea à reprehensione cessandum est, quoniam gloria Domini protexit eos, qui intrepide eius partes zelabant.

Dixit Dominus ad Moseh. Cur Domine non sæuis in eos & percutis, nisi prius apud seruum tuum querelas deponas? O immensa & ineffabilis pietas, vt furenti & excitato, seruus precibus occurreret, apud eum iram proponit.

Vsquequo irritabunt me populus iste? Patitur Dominus æquo animo, si semel atque iterum irrites, sed non sæpius: ideo cauendum maxime est rebelliones multiplicare. Similiter quia signis facile decipi possumus, non ægre fert si non statim eius etiam signis credas: sed non patitur crebris & certissimis non adhibere fidem. Quoniam sicut qui cito credit leuis est corde: ita & qui renuit multis credere, durus. In euangelio inuenies Thomam, non quidem acriter redarguentem, quòd semel narrantibus credere noluerit, exprobrauit tamen illis cordis incredulitatem, qui his qui eum resurgentem viderant noluerunt credere.

Percutiam eum peste: & te faciam in gentem magnam. Non debet dux cupere vt sibi bene sit: & plebs eius patiatur mala, etiam si Dominus bona offerat: sed timere debet, ne forte de dilectione remittatur erga plebem. Pulchre etiam docet prælatos non debere velle prælaturam etiam in meliorem mutare. Miseranda res est in Christianismo non videre episcopum aut prælatum, qui aliam prælaturam maiorem aut pinguiorem non desideret, & ad eam inhiare videatur, quà in re manifeste ostendunt, se non ones sed ouium lac & lanam in prælatura concupiscere, si enim plebem suam veluti sanctus Moseh amarent, non solum si princeps, sed etiam si Dominus ipse maiorem & pinguiorem offerret refutarent. Etiam in hoc considera, quanti faciat Deus boni prælati honorem & nomen: quòd licet plebem interficiat: prælatum seruat ad meliora. Docet etiam satis facere ministris, quibus sine sua culpa munus & ministerium defuerit. Considera etiam iuste, quòd nunquam tibi Dominus munus quod dedit auferret: nisi te ad maius aliquid seruaret. *Aduersus Prælatos qui dolore ambitio non accepta ecclesiã.* *Satisfacientem bonis ministris quantumlibet culpa sua ministerium defuit.*

Audient Ægyptij & dicent. Non curat vir sanctus, & in domo Domini fidelissimus oblatum honorem: sed periculum & malum quod populo imminebat: & vt sæpius admonui, admittur Domino ostendere, se in se potius sequiturum si populum destruat, & sibi malum malum quàm populo facere, ac si dicat. Expende quæso Domine, quid in hac facias, aut potius patiaris punitione. Isti impij vitam qua indigni sunt amittent, tu verò honore immaculatus & sanctus. Considera ergò quid pluris faciendũ sit, honor ne tuus an vita istorũ?

Et quid facies nomini tuo magno? Cogitauit vir sanctus hoc argumentum validum apud Dominum in vituli peccato, & remissionis eius causam fuisse, ideò eo frequenter vtitur erga Deum. Vide quæ Exodi trigesimosecundo annotauimus. Proponit etiam Dominus collata in populum beneficia, ne velit ea perdere. Solent enim homines qui in alios plura & maxima beneficia contulerunt, à dilectione eius cui ea contulerunt, non facile recedere: ne illa omnino perdere videantur: ac si dicat sanctus vir. Et si illi indigni sint quibus beneficia conferantur: dignum tamen est te illa non perdere. Et vide quàm prudenter bona exaggeret & mala. Non enim Dominus oculo ad oculum a populo videbatur quod Moseh dicit, vt munus exaltet & Dominus vereatur tam magnum munus ac nomen perdere, malum verò, quod populum tantum quasi virum vnum occidat: ac si dicat & bonum nomen perdes, & malum, scilicet fœuientis nimium, acquires.

Et nunc magnificetur fortitudo tua. Considera quæso hominum cæcitatem. Arbitrantur homines se suam fortitudinem extendere & magnificare, si in alios fœniant, si illatas iniurias vindicent: & nihil quod illorum nomen offendat patiantur: non sic autem Dominus noster, sed parcendo & non vindicando, sibi nomen potentissimi acquirit. Deus (ait ecclesia) qui potentiam tuam maxime parcendo & miserando manifestas. Vis hoc ad oculum videre? Vindicando iniuriam illatam inimicum superas, parcendo verò teipso superior es, qui iram in te compescere potes. Conuenientissime ergo sanctus Moseh Dei fortitudinem magnificandam dicit, si subditis parcat. Quod si in alterum sensum literam hanc legas, expende quomodo non contentatur vir sanctus Deum placare, sed vrget eum virtutes in populo augere: magnalia & signa multiplicare.

Quemadmodum loquutus es. Nititur vir sanctus, Deum propriis verbis obligare. Si te iactas, quòd sis tardus ad iram, & multus misericordia, cur his non vteris parcendo populo huic? Si medicum te dicis fama: si misericordem miserere, quibus nos docet Deum ex suis promissionibus vrgere. Sic enim sancti eum vrgere solent: quemadmodum Augustinus capite secundo suarum meditationum, & Anselmus in oratione ad diuum Ioannem Baptistam.

Quemadmodum portasti ab Ægypto vsque huc. Solet apud homines, multiplicata iniuriæ illatæ condonatio, esse causa de cætero detinendi veniam. Postquàm

quàm enim semel atque iterum, illatam iniuriam condonauerint dicunt: peperci sed si de cætero peccare cõtingat, non parcam. Non sic autem Dominus Deus noster, sed veniam multiplicasse, causa est nouæ condonationis. Nam quia sæpius Iudæorum peccata ab exitu, scilicet, de Ægypto tulerat, hoc sibi in causam assumit vt præsentem iniuriam & peccatum æquo animo ferat. Feras nunc ait illi sanctus Moseh, quemadmodum iam diu tulisti. Dicendum potius erat sancte vir. Vindica iam iniuriam, quoniã iamdiu tulisti eos: impudentes sunt & veniæ indigni, sed non sic ait, sed potius feras, quoniam tamdiu tulisti: parce quoniam sæpius pepercisti. Solet enim habitus seu consuetudo vt Philosophi dicunt, inclinare hominem ad actus similes. Sic Deus noster quoniam ab initio solet condonare hominibus peccata, inclinatio seu consuetudo quasi vrget eum vt de nouo id faciat.

Peperci secundum verbũ tuum. O vere homo cui deus vias suas reuelare dignatus est, & eui occulta sua benignitate maxima manifestauit, qui tam facilè, tam magnis peccatis veniam obtinet. Ecce quid sanctorum precatio peccatoribus valeat. Abeãt Lutherani in malam crucem, qui rem tam vtilem (vt non dicam necessariam) ab ecclesia auferre conantur.

Implebit gloria mea omnem terram. Audi quæso qua gloria vult Dominus omnem terram implere, non gloria potentiæ suæ qua cuncta creauit, non sapientiæ qua cuncta prudentissimè gubernat, sed misericordiæ qua indefesse peccata remittit. Similiter quàm bene nouerit seruus quàm bene Domino sapiat, gloriæ & nominis boni cibus. Dixerat ille. Magnificetur obsecro fortitudo tua, id est fama roboris tui. Dominus respondet. Viuo ego, quòd implebit gloria mea omnem terram. Multa solet Dominus facere pro gloria nominis sui, aliàs non facturus.

Omnes viri qui viderunt gloriam meam, non videbunt terram pro qua iurauit patribus eorum. Caueant semel atq; iterum à Deo admoniti, iterare peccata, quoniam & si sæpius condonet & multa, tandem castigabit. Et qui sæpius expertus est Dei potentiam, non eam amplius suspectam habeat. Similiter multa insipientibus & paruulis condonanda sunt quę in sapientibus & moribus essent puniẽda.

Et seruum meum Caleph introducã in terram ad quam venit. Non meminit Iosuah sed solius Caleph, quoniam à principio tacuerat Iosuah. Nouit Dominus vnumquemque secundum merita sua remunerare, aut quia eum Ducem populi futurum decreuerat. Et aduerte quàm necessaria sit in bono perseuerantia. Sequitur enim.

Quoniam perfecit ire post me. Parum est si in aliquo spiritum Dei sequaris, nisi perficias. Similiter discе quid sit spiritum Dei habere, nempè ire post Deum & perseuerare in hoc.

Semen eius hereditate accipiet eam. Admonui frequenter quemadmodum & textus sacer, quid filiis valeat iustitia parentum, & quid iniustitia noceat.

Crastinate vos. Horrenda valdè & formidabilis est sententia hæc quòd peccata præpediant hominem in via Dei & retrocedere faciant. Quantumcunque ò homo Deum comitem & ductorem viæ tuæ habeas, time eum offendere: ne contingat à media via reuerti.

Quemadmodum loquuti estis in auribus meis, sic fecero vobis. Sinit sæpius Dominus peccatores in seipsos sententiam damnationis ferre, quemadmodum Dauid, neque ipse tam tæuam, quemadmodum ipsi aduersum se proferunt. Ipsi enim prædixerant se ad hoc in desertum adductos vt gladio caderent, quòd Dominus ex summa benignitate prohibuit.

Diem pro anno portabitis pœnam iniquitatum vestrarum. Causantur sæpius pœnitentes, si grauem pro commissis peccatis pœnitentiam confessor imponat, qui attente deberent hunc locum expendere & videre, quòd pro vnius diei delicto annualis puntio imponatur, neque pro homicidio, adulterio, aut furto, sed pro simplici murmuratione, quæ vtcunque excusabilis erat, labore & itineris squalore deserti. Docentur etiam confessiones non leui pœna delicta grauia punite sed condigna. Et licet apud Ezechielem dies pœnitentiæ pro anni vnius peccato imponatur, meminisse tamen opus est illam pœnitentiam iusto imponi, & vnam diem tam strictæ obsidionis pro anno & duobus posse computari.

Morientur viri inducentes famam malam. Grauius semper animaduertendum est in actores malorum. Similiter aduerte quæ mala ex vna detractione oriantur. Moriuntur detractores, & illi apud quos detractio fit: qui ex auditis commoti detraxerunt, etiam ipsi.

Luxerunt valdè. Non suscipit semper Dominus peccatorum pœnitentiam ad bona temporalia præsidia: licet enim Esau (vt Apostolus dicit) magno ciularn sic rerit, vt suffuratam à fratre benedictionem recuperaret, non permisit Dominus, ideò cauendum valdè est, ne ita Dominum irrites: vt nolit mutare sententiam mortis quam super te tulit. *Heb. 12.*

Surrexerunt mane & ascenderunt. Non debet statim peccator post peccatum, accipere promissiones dei quoniam hoc est Deum magis irritare. Audi quid ad Isaiam Dominus dicat. Me (inquit) de die in diem expectant, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ iusti tiam fecerit, & mandata Dei sui non dereliquerit.

Vim fecerunt vt ascenderent. Miranda est peccatorum impudentia & pertinatia quam à nobis Dominus auertere dignetur, qui est in sæcula benedictus. Amen.

IN CAPVT. XV. NVMERI AD literam annotationes.

Qvum veneritis ad terram habitationum vestrarum, quas ego do vobis, & feceritis ignitum Domino: holocaustum vel mactatum, ad separandum aut thurificandum votum vel spontaneum in statutis seu solemnitatibus vestris, ad faciendum odorem quietis Domino, de bove vel pecude, appropinquare faciet, appropinquare faciens munus suum Domino, minchah similæ decimum permixtum cum quarto hin olei, & vini pro libamine, quarta portion hin faciet super holocaustũ, vel super mactatum pro agno vno. Hebraissimum reddidimus quoniam litera vtcunque obscura est. Pro cuius intellectu aduerte dictionem hebraicam isheh, quam ignitum vertimus ab eo quod est ignis (Authoribus hebræis) ortum habere, ideo non tam rectè Sanctem pro ignito, sacrificium vertisse puto, licet ipse sit sequutus Rabbi Dauid, qui asserit sacrificium dici isheh, quoniam igni comburebatur, sed dictionem non distrahendam à sua significatione propria puto. Aduerte secundo Sanctem pro mactatum vertisse sacrificium, sed dictio zebach propriè mactatum vel iugulatum significat, & ex consequenti sacrificium quod mactari solebat. Tertio aduerte dictionem hebraicam pale quam vertimus separãdum, duo Hebræis significare, vt sæpius diximus, separare & mirificare, quòd id quod mirabile & mirificum est, separatum esse soleat ab eo quod communiter fit vel accidit: vnde verti posset. Ad mirificandum votum. Diximus etiam abundè de sacrificio minchah & specie bus eius Leuitici secundo quòd propriè significaret sacrificium, licet nonnunquam sacrificium seu munus placatiuum significare inueniatur. Intendit autem Dominus hic disponere de his quæ pecudes & animalia sibi oblata sequi seu comitari debebant, quòd scilicet, non offerrent animal solum sine condimentis suis. Statuit autem quòd quotiescunque contigerit aliquod animal Domino offerre siue sit holocaustum siue quodcunque aliud mactatum vel iugulatum, siue fiat ad votum soluendum, siue spontaneum, siue in solemnitatibus oblatum: non offerretur, nisi cum quolibet animali offerretur similia ad minchah permixta cum oleo, & etiam cum vino. Est ergo litera sic explicanda: cùm ingressi fueritis terram habita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionum vestrarum, id est, quam habitabitis, & feceritis ignitum, scilicet, mactatum igni combustum Domino, siue sit holocaustum siue mactatum, id est quodcunque aliud mactatum, quod ponit ad discrimen minchah, olei & vini, quæ cùm victima offerebantur, & comprehendit mactatum: sacrificium pro peccato & hostiam integritatis quam alij pacificam vocant, ad separandum votum, id est, siue illud animal offeratis pro separatione voti qua vos vouendo ab aliis non vouentibus separastis seu aliis mirabiliores fecistis, aut ad soluendum animal quod vouendo separastis à vobis, siue sponte vestra siue illud in solennitatibus offeratis, vt faciatis odorem quietis Domino, id est, ad faciendum quiescere iram Domini contra vos, siue hoc fiat de bobus siue de pecudibus, & quæ sequuntur.

Si quæras quare Dominus cum vnoquoque animali iugulato, offerre præcipit pro minchah decimum similæ, & quartũ olei, cum quarto hin vini. Dixi in Leuitico huiusmodi oblationes & sacrificia fuisse quasi prandia & cœnas seu cibationes Dei, ideò volebat integram sibi mensam ordinari: vt præter carnes, in ea esset farina delicatissima seu minchah loco panis oleo mixti qui sapidior est, & etiam esset potus, moderatus tamen, quartum videlicet hin. Putarem verò decimum similæ, cuius hic scriptura meminit esse decimã partem mensurę ephah quam nostri modium vertunt, Deuteronomij vigesimoquinto, vbi dicitur. Non erit tibi in domo tua Ephah ve Ephah, id est, modius & modius. Erat enim certi generis mensura cuius decima pars erat homer, vt habetur Exodi decimosexto: vnde mensura, scilicet decimũ Ephah, cuius hic scriptura meminit, erat homer cùm esset decima pars ephah. Hin vero vt Hebræi dicunt est mensura liquidorum, continẽs duodecim log seu septuaginta duo oua. Log verò sex oua, sed meo iudicio ignorant hebræi quales fuerint huiusmodi mensuræ.

Et vini pro libamine. Significat verbum nasach à quo nesech, id est libamen, fundere, effundere, & extendere. Fundebatur enim super iugulatam victimam, quando igni comburebatur huiusmodi vini libamen: & etiam oleum.

Vel pro ariete facies minchah, similæ duarum decimarum permixtum oleo tertiũ hin. Cum vnoquoque animali mactato Domino, erant hæc offerenda, scilicet, minchah, quod erat munus ex farina delicatissima, oleum & vinum, sed oleum farinæ miscebatur, vinum verò fundebatur: sed discrimen erat in mẽsura horum trium, quoniam alia mẽsura offerebatur cum offereba tur agnus, nempè decima pars ephi similę cum quarto hin olei & vini. Pro ariete verò duas decimas ephi similæ cum tertio hin olei & vini. Pro vitulo verò, siue mactaretur in holocaustum, siue pro peccato, siue pro hostia integritatis seu pacifica, offerendę erant tres decimæ ephi similæ oleo permixtę, scilicet, cum medietate hin olei, & cum medietate hin vini.

Secundum numerum quem facietis, sic facietis vni secundum numerum eorum, id est, sicut multiplicaueritis victimas, sic multiplicabitis mensuras similæ olei & vini. Si enim pro vno agno erat offerenda decima pars ephah similæ cum quarto hin olei & vini: ergo pro duobus agnis immolatis offerendæ erant duæ decimæ Ephah similæ, & duæ quartæ olei & vini, & sic consequenter de aliis animalibus. Omnia enim hæc erant multiplicanda: prout animalia multiplicabantur. Vnde litera sic explicanda est. Secundum numerum, scilicet, animalium quem facietis, id est, sacrificabitis: sic facietis vni, id est, vnicuique illorum secundum numerum eorum, scilicet, minchah olei & vini: ac si apertius dicat. Multiplicabitis similam oleum & vinum, secundum animalium multiplicationem.

Omnis ciuis faciet sicut hoc & ista, cùm obtulerit ignitum odorem quietis Domino. Vult explicare quod nullum erit discrimen in modo sacrificandi & colendi, inter indigenam & peregrinum, neque immeritò, quoniam peregrinus assuetus sacrificiis idolorum, forsitan vellet eum colere cultu idolorum suorum, quod prohibet, & nomen ezrah quod ciuem vertimus, habet ortum à zarach quod est oriri: vnde ciuis vel indigena dicitur ezrach, id est, ortus, quod sit ibidem ortus, & non aliunde illuc venerit. Quod verò additur. Faciet ista: vult dicere, quod non solùm seruabit ritum in animalibus certis immolandis, sed etiam in aliis adiunctis.

Et si peregrinatus fuerit peregrinus vobiscum vel qui est in medio vestri per generationes vestras. Duplices peregrini poterant esse in Israel, quidam de nouo venientes animo redeundi in patriam, alij qui iam adepti erant incolatum apud Israelitas, neque habebant amplius animum redeundi, & de vtrisque lex dicit, quòd in sacrificiis obseruabunt ritum terræ & leges Domini, & per esse in medio vestri, intelligo esse inter eos vt sępius diximus. Quod verò dicitur. Per generationes vestras, idem est quod succeſſit temporis seu succedentibus generationibus vestris.

O congregatio, statutum vnum est vobis & peregrino. Dicunt Grammatici hebræi hic, literam. H. ante chahal accipi pro litera vocatiua, non demonstratiua: sed hoc oportebat multis exemplis probare vt illis credere mus, sed hic bene quadrare videtur expositio. Est autem chahal congregari vt patet Hester. 9. vbi dicitur. Nichhalu, id est, congregati sunt Iehudæi.

Sic peregrinus erit coram Domino, id est, in his quæ ad Deum pertinent, id est, seruabit ritum colendi à me institutum, non introducet suum.

Lex vna & iudicium vnum erit vobis & peregrino. Potest hoc ad cultum referri: vt, scilicet, eadem sit lex & ius colendi vobis & peregrinis. 2. potest ad alia referri, scilicet, ad iudicia, vt, scilicet, non solum seruarẽt peregrini ritum & legem colendi Dominum quem seruabant Hebræi, apud quos morabantur, sed quod seruarent omnes alias leges forenses quas seruabant Iehudæi, quod in multis iam decretum erat legibus.

Cùm comederitis de pane terræ, eleuabitis eleuationem Domino. De nouo pane in singulis annis sermo est. Posset etiam esse sermo de quacunq; farina in pastam redacta, quod scilicet non possent, ex ea facere sibi panem neque comedere: nisi prius facerent placentam quam Domino offerrent. Et adhuc hodie fœminæ hebreæ quotiens pinsunt, huiusmodi placentam à reliqua pasta separant & quasi Domino consecrant, verum quia non est amplius templum neque Leuitici sacerdotes quibus dabatur, eam hodie in clibanum aut ignem coniiciunt & comburunt, quòd non liceat ea vesci. Cùm autem eam iniiciunt, his verbis precantur. Benedictus sis domine Deus noster rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis, & præcepisti nobis separare placentam de pasta & cœte. Dicit autem textus. Eleuabitis eleuationem Domino, quoniam munera quæ Domino offerebantur, eleuari solebant, vt sæpius diximus: protestando Deum sursum esse, cui ea offerebant. Posset etiam esse sensus. Eleuabitis eleuationem, id est, ab alia massa eleuabitis hanc placentam, & istue respiciunt, qui vertunt. Separabitis separationem.

Secundum eleuationem areæ, sic eleuabitis eam. Id est, placentam de primitiis pastarum offeretis Domino, sicut offerre soletis oblationem iam collectis frugibus, & tritico iam repurgato & collecto in aream. Posset etiam explicari. Eleuabitis eam scilicet placentam, quemadmodum triticum in area eleuatur aut sicut eleuatio manipulorum noui tritici, cùm iam manipuli parantur ad aream, vel in ea congregantur. Dicitur autem placenta hebraicè chalah, à chalah quod est initiari.

Si errauerit is. Est verbum sagag, incertæ significationis apud Hebræos, quidam enim errare, alij ignorare significare dicunt, ad quod citant illud Iob decimonono. Esto quod verè errauerim: mecum morabitur mesagati, id est, error meus aut ignorantia mea: vnde isti putant textum loqui de errore commisso per ignorantiam.

Si ab

Si ab oculis congregationis factum fuerit per errorem: faciet omnis congregatio iuuencum filium bouis vnum.

Hebraicè ad literam est. Et erit. Si de oculis congregationis factus fuerit error, aut factum fuerit per ignorãtiam, & locus est vtcunq; difficilis & difficilem reddunt ignorantia significationis verbi sagag, quod Hebræi vt diximus dicunt significare errare, & cognoscere quid textus intelligat per fieri de oculis aut ab oculis multitudinis. Aliqui vertunt. Si multitudine non animaduertente aut si ab oculis, id est, ex defectu oculorum. Possemus etiam per oculos intelligere sapientes & rectores multitudinis, iuxta illud Iob, oculus fui cæco, & tunc sensus erit. Si ab oculis, id est, rectoribus multitudinis factum fuerit aliquid per errorem seu ignorantiam. Leuitici quarto ponitur simile præceptum aut idem, vbi sic dicitur. Et si omnis cœtus Israel ignorauerit, & occulta fuerit res ab oculis multitudinis, & fecerint vnum ex omnibus præceptis Domini, quod non est faciendum & deliquerint, & cognouerint peccatum suum quod peccauerunt, offerent iuuencum & cætera. Et ex hoc loco videtur quod textus hic loquatur de peccato facto per ignorantiam à multitudine vt prior sensus explicat, vt idem sit ab oculis quod ex defectu oculorum vt quod in Leuitico dicitur, & occulta fuerit vel latuerit res oculos multitudinis, dicatur hic. Si ab oculis congregationis, id est, latens oculos congregationis factum fuerit per errorem, & re vera putarem sagag significare aliquod peccati genus nobis ignotum: si tamen peccatum per ignorantiam commissum intelligas non prohibeo, arbitror tamen hunc locum & Locum Leuitici citatum vsque hodie non fuisse plenè intellecta: diximus ibidem quod nobis videbatur, sed vt iterum quod nobis videtur dicamus, puto verba Leuitici sic esse interpretanda. Si omnis Israel ignorauerit, id est, per ignorantiam peccauerit, aut illud peccati genus ignotum commiserit, & latuerit res ab oculis multitudinis. Hoc videtur explicatio præcedentis sententiæ, & fecerint vnum ex præceptis Domini quod non est faciendum, id est, fecerint vnum ex prohibitis præcepto Domini quod non est faciendum, quia scilicet à Domino prohibitum est & deliquerint & postmodum cognouerint peccatum suum quod peccauerunt: offerent iuuencum. Posset etiam textus loqui de peccato commisso in iudicio, sicut cùm iudicat innocentem mori aut nocentem absoluit: vt sit sensus. Si omnis cœtus Israel ius dicendo ignorauerit, scilicet, veritatem causæ quia res seu veritas causæ latet oculos multitudinis, & fecerint aliquid, id est, iudicauerint contra legem aliquam Domini quod nullo pacto faciendum est & deliquerint, si postmodum cognouerint, & cætera: sed prior sensus simplicior est. Et videtur hæc eadem lex cum illa licet illa explicatior vtcunque sit ista, & parui refert quod hic additur hircus pro peccato. Putarem etiam hoc caput non hic, sed in Leuitico potius locandum, quoniam sine causa hic situm esse videtur.

Et oblationem eius. Admonui crebrò malè Sanctem sæpius in libris legalibus vertisse pro Minchah sacrificium, quoniam licet aliquando significet sacrificium in communi, hic tamen & multis aliis locis certum sacrificij genus quod ex farina fiebat significat, ideò vertendum est. Et Minchah eius.

Quoniam ab omni populo cum ignorantia, id est, peccatum per ignorantiam factum aut quia omnis populus per ignorantiam peccauit.

Anima quæ fecerit in manu excelsa: Dominum ipsa blasphemat, aut ei conuiciatur.

Si constaret quid esset in manu excelsa peccare: non esset difficilè intelligere quid esset peccare per errorem vel ignorantiam, quoniam hæc duo adinuicem conduiduntur. Videtur autem hic per facere in manu excelsa intelligendum peccare ex superbia, vt peccare per errorem sit quasi humiliter peccare & re vera sic est. Quoniam qui ex ignorantia peccat quamprimum docetur respicit neq; defendit peccatum suum, sicut qui ex superbia peccat: sed ostendendum esset quod in sacris literis, manus excelsa superbiam significet, quod illud Psal. probare videtur. Et dixerunt manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Dicitur autem superbus peccare in manu excelsa, seu facere, quoniam solet loqui eleuata manu. Aut per facere manu excelsa intellige peccare ex potentia putando se Deo potentia æqualem, aut superiorem, quòd potentia significetur manu excelsa, scilicet, ad percutiendum, & tunc sensus est. Anima quæ fecerit, scilicet, cõtra præcepta Domini manu excelsa, id est, arbitrando se posse Deo resistere, aut tam potentem vt Deum: moriatur. Chaldęus vertit. Anima quę peccauerit aperto capite, id est, palàm seu publicè, ac si dicat impudicè, quemadmodum vertit illud Exodi, ipsi egressi erant in manu excelsa, id est, aperto capite, vt hic. Ex hoc loco intelligere poteris sententiam obscuram Pauli ad Hebræos sexto & 10. vbi dicit quòd voluntariè peccantibus nobis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. sed terribilis expectatio iudicij: vbi ad hunc locum alludere videtur. Nam hic peccatum ex ignorantia, hostiæ sacrificio expiatur, per superbiã verò, quod videtur voluntarium, non expiatur hostia sed morte plectitur. In eo autem quod sequitur, Dominum ipsa blasphemat, aduerte verbum gadaph, non esse plenè notum Hebræis, videtur tamen significare probris afficere seu conuitiari, vt patet secundo Regum. 19. vbi dicitur. Quem exprobrasti ve gadaphta, id est, probris affecisti? Et Psal. 44. A facie exprobrantis megadaph, id est, & probris afficientis. Hieronymus aliquando vertit blasphemare. Est ergo sensus. Anima, id est, homo qui fecerit, scilicet aduersus legem Domini, in manu excelsa, id est, ex superbia aut eleuando contra Dominum manum talis probris afficit Dominum, & iniurius illi est, & ideò

Excidetur anima ipsa è medio populi sui. Aut à Domino aut à magistratu. Explicuimus sæpè huiusmodi hebraismum: sed videtur vtcunque durum, quòd peccans ex superbia aduersus quamcunq; legem Domini morereturr, sed non apparebit durum si iniuriam aspicias. Nam ei qui iniurius Domino est, non est grauis pœna mors, cùm maiorem mereatur.

Iniquitas eius in ea, Id est, pœna iniquitatis super eam manebit. Dabit, inquam, pœnas iniquitatis suæ.

Quia non erat expositum quid faciendum esset ei. Verbum paras, quod hic exponere vertimus significat propriè diuidere & distinguere. Leuitici vigesimoquarto habes. Et posuerunt eum in carcere liphros, id est, vt distingueret eis, scilicet, Moseh iuxta sermonem Domini. Vocat hebraismus ius dicere diuidere, quoniam hoc est munus iudicis diuidere se dare vnicuiq; quod suum est. Vnde hic melius vertas. Quoniam non erat decisum, scilicet, à Domino seu diuisum quid fiendum esset ei, id est, qua esset pœna damnandus. Sed videtur textus hic, aduersari his quæ dicta sunt Exodi trigesimoprimo, vbi decreta est pœna mortis violanti sabbatum, quare putarem hoc caput ante statutum illud Exodi saltem pro sui parte locandum, quemadmodum constat de multis aliis quod Exodi vigesimoquarto adnotauimus, aut quia ignorabant an esset aliquid excusans crimen, & Deum paratum habebant ad responsa, voluerunt eum consulere, vel tertio, vt deo presenti deferrent.

Facient sibi fimbriam in alis vestimentorum. Significat verbum saias à quo sisit, id est, fimbria Iudæis florere, aut potius egredi ad modum floris vel herbæ, & sisit sicut & sis florem: sed ex varietate significationis verbi & nominum huius radicis, manifestè constat, eos non plenè scire quid propriè significet. Nam Canticorum secundo verbum saias vertunt prospicere: vbi dicitur Mesis, id est, prospiciens è cancellis. Isaiæ verò decimoseptimo exponunt florere, vbi textus habet lasis, id est, florebit & germinabit Israel. Sis verò innenitur significare florẽ, laminam & alam: sisit verò fimbriam vestimenti & cincinum capitis, & de flore patet Isaiæ quadragesimo. Cecidit Sis, id est, flos. De lamina. Exod. 28. Et facies sis, id est, laminam,

De ala Ieremiæ quadrageſimooctauo, date ſis, id eſt, filum Moab: De fimbria hic, De cincino Ezechielis octauo. Et accepit me: beſiſit, id eſt, cincino capitis mei. De hac dictione, ſcilicet, ſiſit quam hic fimbriam omnes vertunt: ſic ſcribit Rabbi Dauid. Siſit, inquit, eſt ala, id eſt, extremitas veſtis aut panni, aut quod remanet de textura, quod eſt ſuſpenſum in ea, aut in eo ſcilicet panno: vocatur ſiſit. Mihi verò expenſis locis vbi tam verbum quàm nomina ab eo deducta ponuntur apparet alterum è duobus verbum ſignificare, ſcilicet, aut ſuſpendere, aut prominere, quicquid alibi dixerimus, & potius ſuſpendere quàm prominere, quoniam hæc ſignificatio optimè quadrat omnibus locis quibus tam nomen quàm verbum ponuntur vt patebit. Nam illud quod dicitur in Canticis. Reſpiciens per feneſtras proſpiciens per cancellos: melius vertas, pendens ſeu ſuſpendens ſe è cancellis aut prominens è cancellis. Solent enim qui aliquem longè venientem videre è cancellis cupiunt, ſuſpendere ſe, & prominere extra cancellos vel feneſtras. Sic Pſal. 152. vbi dicitur. Super eum ieſis, id eſt, prominebit corona, aut ſuper eum ſuſpendetur corona. Nam quemadmodum torques è collo ſuſpendi dicitur, ita è capite corona. Sic Pſalmo nonageſimo. Mane ieſis, id eſt, ſuſpendetur & tranſibit. Solent enim flores cùm incipiunt exſiccari, inclinari, & decidere. Vnde flos dicitur ſis, quoniam ab haſtili pendet & caput eius inclinatur ſeu ſuſpenditur, lamina etiam ſic dicebatur quia è fronte ſacerdotis ſuſpendebatur, ala etiam, quoniam à parte ſuperiori ſeu dorſo auis ſuſpenditur: ſic de fimbriis & cincinis. Parce prudens Lector ſi in his immoramur, quoniam putamus ex horum cognitione ſenſum ſacræ ſcripturæ pendere. Præcipit ergo hic Dominus Iſraelitis deferre fimbrias, id eſt, fila ſuſpenſa, qualia ſolent relinqui in extremitatibus telarum, quę deferenda erant ſeu aſſuenda ad extremitatem veſtimenti. Vocat autem alam veſtis, extremitatem ipſius, quòd ſpeciem alæ habeat, aut per alam intelligit quædam pendula, quæ loco manicarum ſunt in veſte ſuperiori, & putarem Hebræos deferre ſuper omnes alias veſtes capam, quam noſtri rabardo vocant, cuius manicæ habent alarum auis ſpeciem.

Et ponant in fimbria alæ filum hyacinthinum. Non conſtat an huiuſmodi fimbriæ deberent eſſe ex huiuſmodi hyacinthinis filis, vel quod potius credo deberet hoc filum hyacinthinum, ligari ad extremitatem fimbriæ ita quod extenderetur per totam extremitatem fimbriæ: vnde ſiſit, id eſt, fimbria ſonat quid pendens vel ſuſpenſum. Aduerte etiam quòd dictionis petil, quam hic veritimus filum ſignificatio, non plene nota eſt Hebræis, ſicut neque verbi patal à quo deducitur. de cuius ſignificatione abundè diximus Geneſis trigeſimo, ſed omnibus locis expenſis quibus verbum & nomen ponuntur, videtur verbum ſignificare tortuoſe & callide agere. nomen verò filum tortum, & ex conſequenti pannum qui ex huiuſmodi tortis filis conficitur & hic filum huiuſmodi ſignificare videtur. Huius ceremoniæ adhuc eſt veſtigium quodam apud Iudæos, qui inter cæteras veſtes, quandam habent thoraci haud diſſimilem: niſi quòd manicis caret, & ea in precibus ſuis vtuntur, eamque ſuper omnes alias induunt, & eſt quadrata, in cuius angulis pendẽt zizioth, id eſt, fila illa retorta, dicuntque eam peculiarem quandam habere virtutem aduerſus malam concupiſcentiam, quare qui inter eos religioſiores ſunt, ea ſemper vtuntur ſub aliis veſtibus, ſed eos in ſua cęcitate dimittamus.

Et non explorabitis poſt cor veſtrum, & poſt oculos veſtros quibus vos fornicamini poſt eos, id eſt, non ſequemini cogitationes cordis & quæ videritis, ad fornicandum poſt ea. Solent enim homines corde & oculis explorare quæ deſiderent, & ſi viderint idola aut pulchrum & bonum aliquod, ſtatim deſiderant & ſequuntur, & ſic contingit idola pulchra viſa colere, & a deo vero fornicari. Videntes autem ſigna præceptorum in fimbriis, à concupiſcentiis & malis deſideriis retrahebantur. *Sitis ſancti Deo veſtro,* id eſt, ſeparati ab immunditiis tam idolorum quàm aliarum ſordium.

Ego Dominus Deus veſter. Non idolum eſt Deus veſter vt illud ſequamini: ſed ego qui vos ex Ægypto eduxi, vt, ſcilicet, eſſem vobis in Deum.

IN CAP. XV. NVMERORVM AD ad morum compoſitionem annotata.

Offeret offerens Michah ſuum Domino.

Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui te noſtrum conuiuam facere voluiſti, & cibis noſtris te affici oſtendiſti, neque delicatos eſſe voluiſti ſed communes, vt nemo poſſet ex nobis conuiuam reiicere. Nunquid manducabis carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabis? Abſit, neque neceſſitate, ſed tua dignatione, hoc facere voluiſti. Et expende quæſo quàm bene prandium ſoluat. Tu ei carnes taurorum & hircorum ac agnorum in conuiuio ad quod eum admittis paras, & vini ac olei paruam menſuram expendis, nempe. 4. Hin olei & itidem vini: ille verò conſiderat quid conuiuio ad quod te inuitat afferat. Nempè ſeipſum: panem angelorum imò vt Ambroſius dicit ſupra cœlum, vinum verò ſanguinem ſuum prætioſum. Tu illi ſimilæ panem, ille manna de cœlo. Tu illi fellis amaritudinem, & acetum pro vino. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto: ille tibi vinum quod lætificat non corpus ſed cor hominis. Audi quid dicat Matthæus de prandio eius. Tauri mei & altilia mea occiſa ſunt: venite ad nuptias. Conſidera quæſo, ille venit non vocatus ad tuum humile conuiuium, tu verò dedignaris accedere vocatus imò terque quaterq; inuitatus ad ſuum opiperum & pingue. *Pſalm.* *Mat. 22.*

Quemadmodum faciet is ſic faciet. Permittunt frequenter principes Chriſtiani in ſua republica hominet alterius ſectæ, feſta ſua celebrare: ritus colendi extraneorum admittẽtes, ex quo non paruum infirmis ſcandalum oritur, vt his luminibus aliquando vidi. Quare conſultum putarem vt in patria vbi ſunt aliqui imbecilles de nouo ex Iudaiſmo, aut è Sarracenis cõuerſi, hæc fieri nullo pacto permitterentur: ſed ſi conuerſi ſunt, modum colendi ab incolis diſcant, non ad ſuos peculiares noſtros prouocent. Hoc enim eſt in quo ſapientiſſimus Salomon offendit, quod vxores permiſcerit diis ſuis ſuo modo ſacrificare. *3. Reg. 11.*

Eleuabitis eleuationem Domino. Dilexit Dominus Deus omnium bonorum primitias vnde ortum puto deſiderium hominis vt ſit primus: ſed hoc doleo, quod non ita laborant boni vt ſint primi in bonis, quemadmodum mali in malis. Si vindicta ſumenda eſt, quiſque laborat vt primus iniurium accedat, & primum vulnus infligat, ſi puella ſolicitanda, quaſi accipitres ſuper prędam contendunt, quis illorum primus pudorem puellæ rapiet, iuſti verò è diuerſo, ſi eleemoſyna danda eſt, contendunt quis prior pauperem nudum veſtiet, aut eleemoſynam præbeat. Licet proh dolor pauciſſimi ſint hodie iuſti, & ſancti, qui de hac re contendere videantur. Nullus dolet in hac re eſſe ſecundus, cùm in aliis velint eſſe priores. Et aduertant fœminæ optimam hanc legem, vt quotienſcunq; maſſa initianda eſt, primus panis Deo & ſacerdotibus ſeruetur, qui omnia dedit.

Si ab oculis congregationis factum fuerit per errorem. Aduertant hic homines qui ignorantia Deum offendunt, quanti facere debeant huiuſmodi peccata, neque ideò ſe putent à peccato immunes, quòd ex ignorantia peccauerunt. Sunt enim huiuſmodi peccata venia digna cùm ipſa ignorantia fuerit cauſa peccati, ſed ſi peccatum cauſam dederit ignorantiæ, magna expiatione peccatum expiandum eſt. Qui enim dixit miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci, ipſemet dicit, quod ignorans ignorabitur. *1. Tim. 1.*

Qui fecerit in manu excelſa, Dominum probris afficit excidetur anima ipſa è medio populi ſui.

Diſpli-

Diſplicent deo valdè peccata ſtudioſe facta: ita vt probris eum afficere dicatur, & ideo morte plectenda ſunt peccatoria. Ex quo loco Theologi habẽt peccata præſertim quæ fiẽri ex malitia dicuntur eſſe Deo iniuria. *Numer. 15.* Peccatum (ait ſanctus Samuel) diuinationis eſt rebellio, & idolum & Teraphim tranſgredi.

Accedere fecerunt ad Moſen eum, quem colligentem ligna in ſabbato inuenerunt. Non eſt priuatæ autoritatis imò neque publicæ ſine principe delicta punire, neque poteſt quis communem iniuriam vindicare priuatus ſi ſit qui vindicare poſſit princeps, quòd ſi non communem qualiter priuatam?

Quoniam non erat deciſum quid fieret ei. Ex hoc loco colligitur principem eſſe animatam legem, neque omnes caſus lege decidi à principio, ſed prout accidunt leges ſunt ferendæ. Similiter docemur legiſlatorem in omnibus conſidere, ſi facilè habere poſſumus.

Moriendo morietur vir. Qua veneratione colendi ſint feſti dies, hic edocemur, & qua pœna digni ſunt qui eos violant. Et expẽde quòd eduxerunt eum extra caſtra ad lapidandum, vt videas peccatorem præſertim Deo iniurium, indignum qui in cœtu fidelium etiam mortuus commoretur.

Faciant ſibi fimbrias. Diſtincti debent eſſe ſerui Dei intus & extra: vt non ſolùm intus Deum colant & ei noti ſint: ſed etiam bona exempla porrigant proximis ſuis, quemadmodum Iudæi in abſcondito Deo erant circunciſi, exterius verò per huiuſmodi fimbrias, ab hominibus cognoſcebantur. Sed ad quid putas huiuſmodi fimbrias eſſe geſtandas? Videbitis, inquit eam, & recordabimini omnium præceptorum eius. Obliuioſa res homo, Nonne domine tam immenſa & innumerabilia beneficia tua in hominem collata, ſufficerent, vt tui memores eſſemus? Quid fimbriis opus eſt. Vt diſcas ô homo quàm iugiter ad memoriam reuocanda ſunt quæ ipſe præceperit & conſidera quibus te velit ab aliis diſtingui, in memoria & opere præceptorum eius. Aliàs admonui, quã pium & bonum ſit, ſite ad aliquod vitium pronum ſentias, filum aut aliquid ſimile in manu ante oculos habere: vt ſcias tibi continuò aduerſus vitium quo maximè laboras, eſſe dimicãdum. Sed vt ſcias nihil eſſe, ſi ea ante oculos habeas, neq; tamen opere impleas: audi quid ſequatur.

Et facietis, inquit, ea. Sunt enim aliqui licet non multi, qui ſpiritualia præcepta vt dinus Gregorius dicit meditantur, ſed implere negligunt, qui ſciant non auditores quidem aut memores legum, apud Deum iuſtificari ſed factores. Non qui dicit mihi Domine Domine, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt introibit in regnum cœlorum.

Non explorabit cor veſtrum oculos veſtros poſt quos vos fornicamini. Quanta cuſtodia oculi claudendi & cuſtodiendi ſint nobis, hic pulchrè admonemur, quoniam ſolet concupiſcentia cordis, concupiſcentiam oculorum ſequi. Fornicatur enim (vt hic dicitur) cor poſt oculos, quorum concupiſcentia, diuinorum præceptorum memoria reſtringenda eſt. Et expende quæſo quo retinaculo Dominus voluerit concupiſcentias noſtras reſtringere, nempe memoria præceptorum ſuorum. Non deberet opus eſſe ad precepta diuina ſeruanda, grauí mortis aut flagellationis comminatione: ſed quamprimum lex Domini violãda occurreret, aut tentatio titillaret, ſtatim memoriæ occurrere deberet prohibitio Domini, quæ nos maximè à peccato perpetrando deterreret. Sed quibus non ſufficit mortis comminatio & inflictio, quomodo ſufficiet præceptorum fola & nuda memoria, vt retrahantur. Confige timore tuo carnes meas ait ſanctus: a iudiciis enim tuis timui, quem ipſe nobis præſtare dignetur, qui eſt per omnia ſecula benedictus, Amen.

IN CAPVT XVI. NVMERI IVxta literam annotata.

Et accepit Chorach, filius Iezhar filij Chehat, filij Leui, Dathan & Abiron filios Eliab, & On filium Peleth filios Reuben. Noſtet Sanctes hic legit. Et tulit ſe-ipſum ad partem Chorach, quam interpretationem hic habet Thargum & Rabbi Selomoh, ſed prior mihi planior & ſimplicior videtur. Vt ſit ſenſus. Accepit Chorach, ſcilicet, ad partem ſuam Dathan & Abiram filios Eliab, & On filium Peleth filios Reuben, id eſt, qui omnes erãt filij Reuben: vbi ſimul indicat cauſam quare eos ad ſuas partes acceperit. Cùm enim ſacerdotio Aharoni inuideret, induxit etiam filios Reuben vt etiam ipſi monarchiam Moſi ſibi vſurpatam putarent. Neque te terreat ab hac expoſitione coniunctio. Et quæ coniungitur nomini Dathan. Dicitur enim in textu. Et Dathan, quod inſinuat, etiam Dathan accepiſſe, quoniam ſæpiſſimè hęc coniunctio ocioſe ponitur in hebraiſmo. Quod ſi legas omnes iſtos quatuor ſe ad eandem partem tuliſſe, nõ prohibeo, quoniam coniunctio hoc ſuadet: ſed ſenſus eſt quaſi idem, ſiue Chorach illos tres acceperit, ſiue illi ſimul ſeipſos acceperint ſed contextus manifeſtè indicat Chorach authorem totius ſeditionis, quoniam cum eo eſt expoſtulatio Moſeh. Et cauſa conſpirationis videtur, ex parte Chorach quidem, quod eſſet ipſe de filiis Merari, qui erat maior natu Cheath, ſed cùm Gerſon eſſet primogenitus inter filios Leui, ſine vlla ratione ſacerdotium ambiebat. Induxit autem Chorach proceres tribus Reuben, quoniam primogenitis debebatur principatus, quem dicebant Moſeh ſibi ſine Dei mandato vſurpaſſe. Habuit iſte vel potius ſumpſit occaſionem murmurandi aduerſus Moſeh, quoniam nunq̃ Dominus hucuſq; eis prędixerat ſe inſtituiſſe Moſeh in præfectũ populi, neque erat opus cùm ipſe legationem ſuam à Domino magnis ſignis & portentis in Ægypto probaſſet. De ſacerdotio vero, quòd non eſſet traditus Aharoni à Domino, occaſionem ſumpſiſſe videtur: quòd Dominus non illis, ſed Moſeh in Monte dixerat, de applicatione Aharonis & filiorum eius ad ſuum miniſterium. Viderant enim Aharonem & filios eius ſanctificari, & inungi a Moſeh, ſed non audierant Deum ſtatuentem eum ſacerdotem: ſed etiam hoc malitioſe ambiunt, quoniam viderant ignem deſcendiſſe à Domino, & cõſumpſiſſe ſacrificium Aharonis, vnde non erat amplius dubitandum illum eſſe a Domino ſuffectum: ſed cœca ambitio non ſinit hominem iudicare quod rectum eſt. Ægrè etiam ferebat iſte, quòd ipſe & fratres omnes, ſcilicet Leuitæ, eſſent quaſi famuli dono dati Aharoni. Arbitratur autem Aben Ezrah hanc ſeditionem factam in deſerto Sinai, quando facta eſt primogenitorum permutatio.

Surrexerunt coram Moſeh. Non, inquit, in abſentia detraxerunt, vt fieri ſolet: ſed palam & coram eo ſurrexerunt vt eum arguerent.

Quinquaginta & ducenti Principes congregationis maiores concilij, viri nominati. Erant iſti Principes ſeu eleuati in congregatione, neque ſolum Principes ſeu eleuati, ſed de maioribus totius congregationis. Aliqui hoc referunt ad comitia, quòd videlicet in conſiliis iſti eſſent maiores, & ideò vertunt, Maiores conſilii, ſed dictio edah non cogit ad hoc, quoniam congregationem abſolutè ſignificat à iaad quod eſt congregari & conuenire.

Vocati coetus ſeu congregationis. Id eſt, qui ad cœtum ſeu comitia cùm agenda eſſent vocabantur, aut viri noti in congregatione, quod ſtatim ſuo more explicat, vocando viros nominis, id eſt, nominatos & famoſos. Sonat enim vir nominis ſeu nominatus virum ab omnibus notum, cuius nomen omnes ſciunt.

Et congregauerunt ſe contra Moſeh & contra Aharon. Non eſt auſus Chorach ſolus inſurgere aduerſus Ducem: ſed congregauit ſecum omnes iſtos. Quòd enim Chahal ſignificet congregari, conſtat Heſter nono, vbi dicitur: Nichhalu, id eſt, congregati ſunt Iehudæi.

Multum vobis, quoniam omnis congregatio omnes ipſi ſancti, & in medio eorum Dominus, & quare eleuatis vos, ſuper congregationem Domini?

Varię locus iſte exponitur ab Hebræis & noſtris. Primo ſic. Multum eſt hoc vobis: ac ſi dicat cùm ſitis

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliis æquales, multum excedere vultis statum vestrum communem. Aut multum exceditis tribuendo vobis plusquam oporteat. Alij multum est vobis, quod vos soli adscribitis vobis & vsurpatis honorem sacerdotij & alia: cùm tame æqualiter sancti simus: sed prior sensus simplicior est: ac si dicat. Excedits seu plusquã par est tribuitis vobis, vsurpando principatum & sacerdotium & intendit magis ad sacerdotium quàm ad imperium, quoniã sacerdotium ambiebat, & explicat quomodo multum sibi tribuebãt, quoniam quasi sanctiores volebant esse medij inter Deum & populum, & ideò dicit omnem cõgregationem & omnes ipsos sanctos, quia Dominus erat in medio eorum qui eos sanctificabat. Hoseah vndecimo habes. In medio tui sanctus, & nõ ingrediar ciuitatem. Posset etiam dici priorem partem clausulæ ad sacerdotium referendam esse, secundam verò ad principatum: vt simul voluerit eos taxare de vsurpato sacerdotio, & similiter de vsurpato principatu, ac si dicat. Multum est hoc vobis, scilicet, vsurpare sacerdotium inter nos, cùm omnes sint sancti quemadmodum vos, & non egent sacerdote intermedio quasi sanctiori. Neque egent alio Duce quàm Deo, cùm in medio eorum sit Dominus, qui nos docet & dirigit, ideò nõ est opus alio Duce. Et fortè istuc respicit illud Christi apud Lucam. Reges gentium dominantur eorum. Non sic erit inter vos, sed qui voluerit maior esse: sit sicut iunior.

Audiuit Moseh, & proiecit se super faciem suam. Voluit hoc signo seu hac proiectione ostendere sanctus vir suam humiliratem, quod nullo pacto primatum gentis ambisset, ac si diceret. De Duce tam dejecto seu qui tam facilè se iactat ante vos, non deberetis talia sentire. Vel proiecit se, vt oraret Deum: ne sibi illatam iniuriam vindicaret: sed prior sensus magis arridet.

Mane ostendet Dominus, qui eius seu qui illi, id est, eras ostendet quem velit sibi adhærere, & ministrare.

Et sanctum faciet appropinquare sibi, id est, & sanctiorem faciet sibi appropinquare, vt sibi ministret. Dixerat enim Chorach omnes esse sanctos & sacerdotio dignos, & quia Moseh optimè intellexerat mentem Chorach, quod videlicet voluisset dicere se tã sanctum sicut Aharon, licet de tota communitate loqueretur, respondet ad mentem potius quàm ad verba. Tu, inquit, te sanctum iactas, & tam dignum sacerdotio sicut Aharon: non est in hoc standum iudicio tuo sed Dei, qui eras ostendet quis sit sanctus, id est, quem velit sibi tanquam sacerdotem ministrare. Et literam sic verte. Cras, scilicet erit, aut veniet crastina dies, & notum faciet seu manifestabit Dominus qui illi, id est quem sibi potius velit, te videlicet vel potius Aharon, & sanctum, id est, sacerdotem aut sanctiorem ostẽdet. Duo dicit deum ostensurum, scilicet, quis sit suus, & quis sit sanctus vel sanctior.

Et appropinquare faciet ad se quem voluerit, & sanctiorem. Aliqui diuise legunt isto modo. Cras manifestabit Dominus quis sit illi seu quis sit minister eius & ibi punctus. Et sanctum accedere faciet ad se, & sic legit Sanctes.

Et eum quem elegerit, appropinquare faciet sibi, Scilicet de cætero tanquam sacerdotem & ministrum.

Capite accerrat, Chorach & omnis congregatio eius, id est, tu Chorach, & vos omnis congregatio eius. Non erat Leuitarum, sed Sacerdotum munus thimiama offerre, sed quia ipsi tractauerant se dignos sacerdotio, præcipit eis acerras suscipere & munus facere sacerdotum: sed quia non erant sacerdotes & munus non sibi mandatum facere præsumebant, combusti sunt. Dictio hebraica mactot, id est, patellæ aut acerræ, significat proprie instrumentum quo prunæ ab igne extrahuntur, aut quo accipiuntur. Nam a chatah quod est capere, est machtah, id est, acerra seu vas quo prunæ accipiuntur. Prouerbiorum vigesimoquinto. Quia prunas tu choteh, id est, accipis super caput eius. Et Isaiæ trigesimo lachtot, id est, ad capiendum ignem de incendio.

Vir quem elegerit Dominus ipse sanctus, id est, quem signo aliquo sensibili designauerit à se electum: ille sit sanctus, id est, sacerdos eius seu separatus ad ministerium eius, hoc enim sonat chatlas, id est, sanctificare, quod separare, scilicet, ab immũditis, aut à prophanis vsibus & Dei seruitio vel ministerio applicari.

Nunquid parum vobis? Hebraice est. Nunquid parum a vobis, sed sensus bene redditus est.

Vt appropinquare faceret vos sibi. Quatuor munera sibi à Domino collata enumerat, scilicet, separare eos à congregatione Israel, appropinquate facere sibi, facere opus in tabernaculo Domini, & stare coram congregatione & ministrare congregationi aut Deo, ac si dicat. Non deberetis sacerdotium quærere, postquam tot munera consecuti estis à Domino.

Et Aharon quid est? Subaudi à se, ac si dicat. Non ambiuit sibi sacerdotium, non quæsiuit, inscius ad hoc munus à Domino vocatus est. Aut & Aharon quid est? id est, quid culpæ habet in sacerdotio sibi tradito, aut quid est, vt scilicet, vsurpare sibi posset sacerdotiũ sine Dei voluntate? Non est tantus, vt hoc sibi vsurpare posset etiam si vellet. Et hoc dicto illi recesserunt a loco vbi erat Moseh, aut fortè non aderant filij Reuben, quando aduersus Moseh expostulauit Chorach, quod hic Caietanus dicit.

Misit Moseh ad vocandum Dathan & Abiron filios Eliab, & dixerunt. Non ascendemus. Voluit Moseh pacificum reddere Dathan & fratrem, quemadmodum reddiderat Chorach: deferendo controuersiam ad iudicium Domini. Quòd verò dicitur. Non ascendemus putat Caietanus dictum, quod tabernaculum Domini esset vtcunque castris eleuatius.

Numquid oculos virorum istorum effodies? Non sat est tibi, eduxisse nos de terra Ægypti fluente lacte & melle, vt nos mori faceres in solitudine, sed præter hoc facis te Principem, super nos principatum gerendo. Deinde arguit eum mendacij, quod fuerit illis pollicitus terram fluentem lacte & melle, neque solum hanc non dederit sed neque dedisse eis hæreditatem agri & vineæ. Nunc præter hæc mala effodies oculos virorum istorum? Vtimur nos Lusitani nonnunquam hoc schemate. Maximè cùm quis nobis importunus est dicentes. Quid ex me quæris, vis mihi oculos eruere? Eram tantos sobre mim que me tirauaõ os olhos. Tot erant super me, quod oculos eruere volebant, & est methaphora à cornis desumpta, qui importunè animalium oculos eruere volunt, illisque maximè insidiantur, & volunt meo iudicio dicere. Non sat est tibi, fecisse nobis tot mala, sed vis nos afficere extremo malo, nempè oculos eruere? Alter sensus est. Principatum ambitiosus obtinuisti, & putas nos non habere oculos, ad videndam tyrannidem tuam? Aut vis nobis oculos ad hoc tollere, ne scilicet, eam videamus, quem etiam loquendi modum nos habemus dicences. Putas me non habere oculos, id est, me hæc quæ facis non videre? vt habere oculos accipiatur pro videre, & non habere pro nõ videre. Nos dicimus. Quæso me eegar, id est, vis me exæcare, ne hæc videam. Aliqui interpretantur. Vis oculorum præstigium facere, ne isti homines videant tuã ambitionem? sed prior sensus simplicior est.

Non ascendemus. Videtur ex hoc loco, omnia hæc per nuntium relata Moseh, quoniam vt dictum est isti non aderant, & vocari iussi sunt. Sunt inter Hebræos qui hæc ad exploratores referũt, vt sit sensus. Num oculos virorum istorum, scilicet, exploratorum, qui terrã diligenter viderunt & retulerũt, qualis esset, quod, scilicet, habitatores deuoraret, effodere vis?

Ne respicias ad minchah eorum. Posset etiam verti. Ne vertas te, ad sacrificium illorum. Erat minchah sacrificium panis delicatissimi, quod Dominus libenter videbat, quoniã præcipiebat illud eum omnibus aliis offerri: vt patet capite superiori, & ideò posset esse sensus. Licet Chorach tibi offerat delicatissimum munus videlicet minchah, non tamen vertas te ad eius sacrificium, id est, non reconcilieris illi. Nouerat sanctus

sanctus vir Deum propitium & misericordem, & qui facilè sacrificiis placatur, ideò hæc orat.

Non asinum vnum ab eis leuaui, id est, nullam rem quantumcunque vilem, veluti asinum accepi ab eis, neque dono neque mutuo.

Neque contristi vnum ex eis. Hoc enim significat verbum hareti. Solent Principes & Superiores, subditos suos nonnunquam frangere & conculcare, iuxta illud Psalmi. Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.

Et congregare fecit contra eos Corach, omnem congregationem ad ostium tabernaculi. Munsterus hic vertit. Et congregauit iuxta eos Chorach, omnem cœtum, & videtur litera hæc Germanius ab eo reddita. Posset tertio verti. Et congregare fecit super eos chorach omnem cœtum, ac si dicat, voluit Chotach, vt qui partes eius agebant starent in superiori loco quam esset Aharon & ipse Moseh, eis consentientibus: & iste sensus posterior sequentibus consonat, quoniam ignis dicitur à Domino egressus & deuorasse centum quinquaginta viros: quare videtur eos Domino fuisse proximiores. Quia tamen Dominus dicit Moseh & Aharoni, vt à multitudine recedant, & quod eam deuorabit in momento: videtur totam multitudinem fuisse tunc temporis præsentem coram Domino vt ageret partes Chorah saltem maior pars illorum.

Gloria Domini visa est, id est, nebula seu nubes illa nebulosa, qua Dominus delitescebat.

Deuorabo eos in momento. Incerta & occulta est significatio verbi raga, à quo rega, id est, momentum. Verbum verò dicunt significare findere transfigere & quiescere: sed meo iuditio significat propriè scindere non quomodocunque sed quando per se aut ex ardore, aliquid scinditur nõ gladio, nos dicimus areganhar gretaar, & nescio an sermo latinus verbum habeat ad hoc propriè significandum. Nam videtur significare scissuras aut diuisiones quales fieri solent ex ardore ignis aut Solis in pelle hominis, aut in sicu, cùm nimium matura est. Nos eas quæ in pelle fiunt vocamus gretas, quæ verò in sicu aregoas, & ad hoc significatum possunt ferè omnia reduci. Exempla multis scripturæ locis passim obuia sunt. Nã Iob septimo habes. Pellis mea raga, id est, scissa est, ou gretada. Et capite vigesimosexto. Potentia sua raga, id est, diuisit mare. Idem Isaiæ. 51. & Ieremiæ. 50. vbi nostri vertunt vt hirgiah, id est, quiescere faciam terram: tu melius vertas, vt aperire faciam terram seu scindere: vnde sequitur & commouere faciat habitatores terræ, qui solent maximè admirari & commoueri: cùm vident terram magnis hiatibus aperiri. Id etiam quod nostri Isaiæ. 34. vertunt. Ibi hirgiah, id est, quieuit strix, quod Hieronymus vertit. Cubauit lamia: tam bene veritas. Ibi diuisit strix, scilicet, tempus. Solẽt enim aues quædam, in æstate esse in vna terra, & in hyeme in alia, sicut apud nos hirundines & turdi. Aut diuisit strix, id est, fissuram vel diuisionem fecit ad nidificandum. Vnde sequitur. Et inuenit sibi requiem, & videtur germanior expositio. Si illud Ieremiæ trigesimoprimo, quod nostri interpretantur iuit deus ante eum, vt requiescere faceret eum, tu tam bene vertas vt aperire faceret ei, scilicet, ostia ei uitatum munitarum. Sic Isaias. Iudicium meum in lucem populorũ argiah, id est, requiescere facies, tam bene interpretaberis aperire facies, id est, ostendet aut diuidere faciet. Illud etiam Prouerbiorum. 12. quod nostri vertunt. Labium veritatis firmum erit in sæculum, & argiah, id est, ad momentum lingua mendacij: vertẽdum melius puto. Est diuisa lingua mẽdacij quia nunc vnum nunc aliud dicit. Aut ad diuisionem, id est ad parum durat sicut scissio vel diuisio, id est, sicut momentum quo fit scissio vel diuisio, aut apertio scilicet oculi. Vnde illud Iob. 21. quod nostri interpretantur. Vuerega, id est, in momẽto, aut quiete ad sepulchrum descendent: vertẽdum puto. Et in scissione, id est, tam celeriter ac si terra aperiret seu scinderet se ad eos deuorandos, ad sepulchrum descendent. Nomen ergo rega quod hic ponitur significat propriè scissionem &

aperturam, siue terræ siue cuiuscunque alterius rei: vt patet Threnorum quarto. Quæ subuersa est chemo raga, id est, sicut scissio. i. in tam paruo tempore sicut fit scissio vel diuisio. Psalmo septuagesimoseptimo. Quomodo fuerunt in desolationem, cheraga, id est, sicut scissio fieri solet. Sic & hic. Et consumam vel comedam eos cheraga, id est, sicut scissio, id est, tam breui tempore, quàm breui scissio vel apertio terræ fit. Collige ergo ex his, quæ diximus verbum raga propriè significare diuidere seu scindere & aperire, nomina verò à verbo deducta scissionem & aperturam.

Fortis, Deus spirituum omnis carnis. Prius nomen est. El, à fortitudine sumptum. Secundum elohim, id est iudex, & videtur litera legenda vt post el, id est, fortis sit punctus, postmodum sequatur Deus spirituum, scilicet, dator vel distributor. Et vide quàm conuenienter orat sanctus vir, ac si diceret. Non est tuum qui es dator spirituum seu vitæ, tam facilè tantam multitudinem vita priuare. Aut non est tuum, qui veluti Iudex es, omnium spirituum distributor ac dator: occidere omnes pro vnius peccato, Quemadmodum dicebat ei Abraham Geneseos decimooctauo.

Super omnem cœtum iraseeris. Verbum chasaph significat proprie feruere, & quia iratus videtur ira bullire, significat consequenter irasci, vt explicuimus Geneseos quadragesimoprimo.

Separate vos. Hebraicè est. Ascendere facite vos. Erant enim tabernacula Chorach Dathan & Abiron, in loco demessiori quàm tabernacula aliorum, ideò dicit. Ascendere facite. Præcipit enim, vt qui morantur in circuitu tabernaculorum istorum peccatorum, leuent inde tabernacula & omnia sua.

Et discesserunt è tabernaculo Chorach. Hebraicè. Et ascenderunt, sed sensus redditus est.

Egressi sunt, scilicet tabernacula, & manebant à parte exteriori ostiorum suorum.

Et filij & paruuli eorum, id est, filij maiores & etiam paruuli.

In hoc scietis quòd Dominus miserit me, vt faciam opera hæc. Loquitur hic Moseh de opere sequentis vindictæ, quam dicit se facere ex impetu Domini & non ex eos de suo seu sua sponte & voluntate.

Et quod non de corde meo, id est non mea voluntate aut potestate, scilicet, faciam omnia opera hæc, puniendo, scilicet, impios, seu quòd non me ad hæc facienda ingessi.

Si vt moriuntur omnes homines, morientur isti, & visitatione omnis hominis, visitatum fuerit super eos: non Dominus misit me, id est, si naturali morte seu quemadmodum alij homines mori solent, senio, scilicet, vel visitatum fuerit super eos, quemadmodum solet super alios, id est, percusserit eos Dominus, quemadmodum solet alios percutere, scilicet, ægritudine. Solent enim homines dupliciter mori, quidam naturaliter, sicut senes quì dies suos impleuerunt: alij verò immaturè, sicut qui à Domino dum hominum gesta visitat occiduntur, siue ægritudine siue subita morte. Posset etiam pro visitatione legi recordatione. Nam verbum pachad & si visitare significet, frequentius tamen significat recordari. Recordatur enim Dominus peccatorum hominis, & sic punit eos à vita subtrahendo.

Et si creationem creauerit Dominus, id est, si nouam rem produxerit, aut si separãdo separauerit, id est, rem insolitam & separatam ab his quæ communi cursu naturæ fieri solent fecerit. *Descenderint viuentes ad infernũ.* Ecce res insolita, quòd scilicet, homo viuus sepeliatur, vel ingrediatur sepulchrum. Et aduerte quod dictio scheolah aliquando infernũ, & aliquando sepulchrum significat, & si hic infernum vertetis, non malè vertas, quoniam isti ad infernã descenderunt damnatorũ. Verbum scaal à quo deriuatur, significat petere, vnde sceol id est, sepulchrum quòd semper petat cadauera, quemadmodum dixit Salomon Prouerb. 30. infernus seu sepulchrum nunquam dicere sufficit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoniam contempserunt viri isti Dominum. Posset etiam verti: reprobauerunt, quoniam reprobando & contemnendo vicarios eius, eum reprobare videbãtur iuxta illud: Qui vos spernit me spernit.

Deglutiuit eos & domos eorum, id est, tuguria, quoniam in deserto non videntur alias habuisse domos.

Et omnem substantiam. Dubia est significatio nominis rachus, quod hic ponitur, & Hebræi substantiam & opes significare dicunt, & reches quod ex eadem radice est, dicunt significare mulum aut dromedarium propter illud Hesler octauo, vbi dicitur. Misit literas per manum curforum, in equis, equitantes hareches, id est, mulos, dicuntur autem muli reches à rachus quod est substantia seu opes, quòd soleant à mercatoribus in mulis hinc inde deferri. Posset etiam verti. Equitantes hareches, id est, substantia seu expensis regiis: sed quia sequitur, filiis equarum, prior expositio germanior est.

Operuit super eos terra. Non permansit terræ hiatus seu apertura, sed statim terra coniunxit se: ita vt nihil vestigij in ea remaneret hiatus.

Fugerunt à voce eorum, id est, cùm eos clamare audirent dum submergerentur, recesserunt fugientes.

Ignis egressus est à Domino, id est, à loco in quo erat Dominus, aut ab altari holocaustorum, sed primum melius, quoniam cùm Dominus inclusus esset in columna nubis & ignis, poterat ex illa columna ignis exire.

Appropinquare facientes incensum. Sic in hebræo est, quod alij exponunt, per offerentes incensum.

Et ignem dispergat vltra aut *longè,* videlicet à se. Nam verbum bala Michææ. 4. significat elongare, vbi dicitur Et ponam vehondalah, id est, elongatam, scilicet, à patria sua, in gentem robustam.

Et thuribula peccatorum istorum in animas suas. Subaudi. Et lenet ea, scilicet, thuribula peccatorum istorũ, qui, scilicet, peccauerũt in animas suas, id est, causa fuerunt vt animabus suis & vita priuarentur.

Facient ex eis extensas laminas. Dictionis pachim, id est, laminæ, significatio propriè ignota est Hebræis: sicut & verbi puach à quo descendit. Dicut autem Hebræi significare flare & illaqueare.

In opertorium pro altari, scilicet, holocaustorum. Nam à parte anteriori altaris positæ & affixæ sunt huiusmodi laminæ, vt à populo viderentur.

Et sanctificatæ sint. Postquàm enim res semel erat Domino dicata: dicebatur sancta, neque poterat amplius in prophanos vsus verti.

Erunt in signum filiis Israel, quòd scilicet nemo de cætero audeat ambire sacerdotium aut principatũ: sed ille sit sacerdos & princeps, quem Deus designauerit.

Respexerunt ad tabernaculum. Melius, verterunt se ad tabernaculum à quo terga verterant.

Visa est gloria Domini, id est, nubes illa, in qua Dominus occultabat se. Veniebat enim dominus ad protegendum seruos suos, & puniendum rebelles.

Ad aspectum tabernaculi Domini, aut *ad faciem.* Nam timentes impetum multitudinis, fugerunt ad ostium tabernaculi Domini, vt ab eo protegerentur.

Ascendite seu eleuate vos, de medio coetus huius, & consumam eos sicut scisso. Omnes ferè nostri vertunt hic Tollite seu separate, verbum tamen rum propriè significat leuare, eleuare. Similiter pro scissione legunt Sicut in momẽto: sed iam diximus hoc eodem capite, quid propriè dictio significaret.

Pone seu da in eo ignem de super altare. Timuit sanctus Moseh, ne fortè turbatus Aharon, acciperet ignem non sanctum, & moreretur, quemadmodum filij, ideò admonet eum vt ignem de altari, scilicet, holocaustorum sumat.

Expia super eos, id est, offer pro peccato eorum. Posset etiam legi. Linies super eos, id est, tuo sacrificio operies illorum peccata, ne à Domino ad vindictam videantur.

Quoniam egressa est ira. Posses etiam vertere feruor.

A facie Domini incœpit percussio. Significat verbum nagaph, à quo negeph, id est, plaga, cædere ad mortem, & interdum citra mortem.

Ecce cœperat plaga. Non explicat textus qua plaga percussi sint isti de populo, & quia dixerat Dominus, Deuorabo eos sicut apertionem seu scissionem, posset teneri quòd terra absorbuerit eos, aut si malueris dicito eos, ab igne qui deuorauerat ducentos quinquaginta viros esse absorptos.

Stetit inter mortuos & viuos, id est, posuit se in extremitate viuorũ, vt inde sese opponeret iræ Domini.

IN CAPVT. XVI. NVMERI ad mores adnotatio.

ET accepit Chorach Datan & Abiron. Periculosa res valdè, proximum esse rebus, quas possis malè concupiscere. Non solet rusticus concupiscere aut ambire regnum alicuius Regis, neque simplex sacerdos summum pontificatum, sed Dux & Cardinalis ambiunt, quæ sibi videntur proxima esse. Sic & Pharisæi videntes Ioannem parum à Messia distare, offerunt ei aut potius tentant an nomen Messiæ desideret. Sic & Diabolus de monarchia Christum tentat, quia putauit eum magnum virum qui facilè monarchiam ambire posset. Sic & isti quorum alteri ad summum sacerdotium parum deerat, alteri verò ad principatum, cùm primogenitus esset. Hinc sæpè filij Regum post primogenitum occidi solent, ne principatum ambire contingat. Similiter vides quàm facilè peccator, præsertim ambitiosus, socios inueniat similes. Fortè dicebat Chorach Dathano. Quid negligis principatum tibi iure debitum, cùm sis primogenitus, quem iste Moseh sibi vsurpauit, quemadmodum Aharon tulit sacerdotium meum? Quare cauendum maximè est, ne ambitiosis iungaris. Et mirandum valdè est, quàm facilè isti ducẽtos quinquaginta viros inuenerint, qui tam facilè irent in eorum sententiam. Admonemur etiam tenere locum, quem nobis dederit Dominus, & æquo animo ferre si nobis inferiorem prætulerit.

Cur eleuatis nos super congregationem Domini? Solent ambitiosi causam suam peculiarem, communem facere, ne de vitio singularitatis notentur, isti nõ populo, sed ambiebant sibi primatum: sed ne digito monstrentur, communem faciunt causam suam, quasi non suam sed totius populi iniuriam vindicare voluissent.

Omnis populus sanctus est, & in medio illorum Dominus. Quemadmodum (vt Paulus dicit) iusto nõ est lex posita, ita & Prælato non videntur sancti indigere, sed solo Deo rectore, cuius voluntatem sequuntur. Non tamen debet esse vlla communitas sine rectore quantumcunque sit sancta, vel vt doceatur bonos mores, vel vt eos conseruet adeptos.

Multum vobis. Diu, inquiunt, dissimulauimus hãc iniuriam, sed iam non oportet eã dissimulare. Vtinam dissimulassetis, vt non cum omnibus peritetis.

Audiuit Moseh & proiecit se super faciem suam. Considera diligenter prudentiam viri. Nouerat superbos non nisi humilitate vinci, ideò deiicit se, vt videat si sua humilitate posset superbum ad humilẽ animum reuocare. Similiter nihil humiles tam ægrè ferunt, quàm si de superbia notentur.

Mane notum faciet Dominus, qui est suus. Frequenter admonui sanctos, omnes iniurias & causas suas reiicere in iudicium Dei, quoniam probè norunt quàm acriter puniat eos, qui ea iniurij sunt. Similiter instruimur non esse iudicij aut meriti nostri, esse gratos aut ministros Domini: sed electionis eius, quare autem istum alteri præferat qui nobis dignior & melior videtur, non est nostrum iudicare, sed mirari. Videtur enim hoc facere, vt mirabilior appareat.

Nunquid parum vobis est quod separare fecit Deus Israel vos? Summam prudẽtiam callet vir. Extollit dignitatem eorum, ne ambirent maiorem quàm Dominus alteri dederat. Solent enim ambitiosi pro nihilo reputare

reputare quæ habent, cuncta quæ sunt aliorum, sibi maiora & meliora videntur licet non sint: multiplicat etiam elogia, vt animęquiores reddat.

Congregata est contra Dominum. Audient hæc qui ministros à Deo electos deturbant, aut suis officiis deiiciunt: quòd non eis sed Domino iniurij sunt.

Ascendere fecisti nos è terra fluente lacte & melle. Vertunt impij beneficia in maleficia, & solent parua sua exaltare, vt deiiciant magna quæ contulisti. Solent etiam ingrati magna quæ ab eis aufers reputare, parua verò si ad maiora aspirent.

Etiam non ad terram fluentem lacte & melle venire fecisti nos. Admonui Geneseos decimoquinto, hominem pro nihilo reputare magna si dederis, nisi à te accipiat quod desiderat: quemadmodum ibi diximus de Abraham.

Iratus est Moseh valdè, et dixit ad Dominũ, ne aspicias. Ne quæso clausis oculis transeas locum istum, sed expende hic quales sint maiores iræ sanctorum. Iratus inquit est sanctus Moseh valdè, sed quid sic valdè iratus inimico mali infert aut precatur? Nunquid vt à terra absorbeatur quemadmodum fecit Dominus, aut vt moriatur, aut leui corripiatur langore? Absit, sed vide, quid illi precatur mali. Ne respicias inquit oblationem illorum. Audi etiam quid. 9. capite impiis precatur mali Hoseah Propheta. Da inquit eis Domine, sed quid dabis? Da vuluam quæ orbet eos & vbera arentia.

Non asinum ab eis accepi, neque malefeci vni ex eis. Audiant hæc Gubernatores, Reges, Iudices, & qui diligunt munera obœcantia, sequuntur & tributiones: & hæc duo maximè necessaria esse iudici sciant, scilicet nihil ab aliquo accipere, & neminem grauare.

Separate vos de medio congregationis istius: & consumam eos in momento.

Ecce quid valeãt iusti populo & congregationibus in quibus sunt. Videntur enim ligatum habere deum: ita vt eis præsentibus sæuire nolit in malos. Audisti quid angeli qui venerant ad Sodomam subuertẽdam Gen. 19. dixerint sancto Loth. Nõ possumus inquiunt quidquã facere, donec ingrediaris illuc. Neque tamen hoc impij cognoscere vel aduertere volunt.

Proiecerunt se super facies suas. Nota quid sancti malis sibi illatis inferant. Isti volunt eos deturbare & lapidare: ipsi verò sese coram Domino deiiciunt vt illis parcat: à quibus prælati discant quales esse debeant erga turbatos & malos subditos. Mense 8. Absit à me (ait sanctus Semuel) vt pro vobis orare cessem: licet me iudicem reiiciatis.

Deus spirituum omnis carnis. Expende deprecationem. Difficile artifices, artificiata sua destruere volunt, ad memoriã Domino reducit se fuisse spirituum artificem: vt retineat eum ne destruat.

Vir vnus peccauit. Quid Domino dicis sancte vir? Nonne aduersum te & Aharon totam multitudinem solicitauit Chorach? Quare ergo asseris vnum peccasse solum? Excusandi sunt peccatores à sanctis & prælatis suis: cùm viderint Dominum in suos velle animaduertere. Similiter cauendum valdè est, ne autor sit seditionis, quoniam in eos sæuire solet maximè Dominus, & vult vir iustus Deum quasi iniustitiæ arguere, quemadmodum sanctus Abraham Geneseos decimooctauo, vt iram deponat.

Tollite è circuitu habitaculi Chorach. Nocet valdè (vt sæpius me admonuisse recolo) apud te peccatorem habere, quoniam sæpe, te cum eo pœna inuoluit. Disce etiam hic Dei immensam clementiam, qui (vt sæpius dixi) antequàm flagellet admonet, cuius non meminerat Moseh.

Ne attingatis omnia quæ sunt eis. Non solum mali præsentissima pestis sunt bonis, sed etiam omnia eorum etiam quæ bona videntur, à quibus maximè fugiendum est. Et mirabilis est peccatorum nonnunquàm pertinacia, qui audientes mala super se ventura non respiscunt, neque veniam postulant.

Quia non de corde meo. Talis debet esse prælatus vt de corde sub seu sponte beneficiat, sed inuitus puniat.

Si vt moriantur omnes homines morientur isti. Quemadmodum Dominus suis seruat vitam bonum, ita & consuetam mortẽ: vnde coniectutari licebit cùm aliquem videris insolita morte perire: eum non fuisse Domino in vita sua gratum. Habes etiam tripliciter homines mori, quosdam senio confectos, alios ex visitatione Domini, qui in virga visitat peccata eorum: alij quos duris cruciatibus, & insolitæ morti seruat.

Si creationem creauerit Dominus. Quemadmodum Dominus noua bona creat, quibus valdè bonos remunerare solet: ita & noua supplitia, quibus pessimos disperdat. Et considera qualiter Dominus zelat pro sanctis suis.

Et ignis consumpsit ducentos quinquaginta viros. Solet Dominus punitionem distribuere, iuxta culparum merita, & grauiora crimina ac facinora, grauioribus supplitiis punita fuit, apertione scilicet terræ: leuiora verò incendio delere.

Tollat aerras de incendio. Non sunt res sacræ permittendæ in vilioribus iacere locis, sed seruãdæ etiam si impii eis vtantur. Dona enim Dei, etiam apud impios custodienda sunt.

Erunt in signum filiis Israel. Docere nos vult Dominus, vt accipiamus in alieno capite disciplinam, & simul nos admonet pietatis suæ, qui ne de cætero puniat, nos admonet flagellis peccatorum.

Murmurauerunt omnes filij Israel in crastino. Sunt qui flagellis Domini emendantur. Bonum mihi Psal. Domine quòd humiliasti me, sed etiam sunt qui flagellis Domini fiunt deteriores. Super quo perculiam vltra, addẽtes prævaricationem? Dissecti sunt, sed non Isaiæ 1. Psal. compuncti. Et admiranda est hominum peccatorum impudẽtia *socios* absorptos & combustos viderant in momento, quia ducibus rebellarant, neque tamen timent sed impudentiores fiunt, & quos Dominus veluti impios deleuerat, isti vocant populum Domini. Et expende quantum sit malum, eum bonum iudicare, quem Dominus castigauit veluti malum. Et vide qualiter culpam suam in seruos Dei vertant: vt mortuos propter scelera sua, dicant sanctos occidisse.

Et respexissent ad tabernacula ecclesiæ. Videbant isti Deum sese sibi opponere & paratam vindictam. Neque tamen sæuitiam deponunt. Impius cùm in profundum descenderit malorum contemnit.

Venit Moseh & Aharon ad tabernaculum ecclesiæ. Ecce sanctorum refugium fugere videlicet ad tabernaculum Domini, cùm ab impiis persecutionem patiuntur. Esto inquit mihi in Deum protectorem & in domum refugij vt saluum me facias. Docemur etiam furori aduersariorum cedere.

Proiecerunt se super faciem suam. Hæc sunt sanctorum viscera pietatis plena, vt scilicet pro malis bona reddant: quemadmodum impij mala pro bonis.

Cape acerram & pone in ea ignem. Considera quæso huius viri mentem, & qualiter mala præuidit antequàm veniant, & illis occurrit. Turbatus erat Aharon timore lapidum, & licet esset sacerdos, oblitus tamen erat pro inimicis orare, sed non sic sanctus Moseh, qui ex amicitia ad Deum iam viscera pietatis induerat, & docentur prælati iram Domini aduersus suos diuinare, illique occurrere, quemadmodum sanctus iste. Quo in loco etiam expende, quantum valeant sacerdotum preces & sacrificia, quibus tam facilè ira Domini mansuescit, & quàm bene norunt sancti ea, quibus Deus placari potest.

Stetit inter mortuos & viuentes. Quemadmodum industrius equi sessor, ad metam equum quiescere cogit: ita & iustus sacerdos Deum: stetit iste inter viuos & mortuos, & restrinxit ita Domini iram, vt amplius ire non sineret, vt autẽ vno verbo cuncta concludam: docemur fugere simultates & contentiones, maximè cum seruis Dei: neque ambire illorum ministeria, sed esse nostra sorte contentos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN CAPVT. XVII. NVMERORVM
ad literam annotationes.

ET *loquutus est Dominus ad Mosèh dicens.*
Viderat Dominus quæ mala orta fuerant ex ambitione Chorach, qui summum sacerdotiũ ambierat, & voluit futuris occurrere ambitionibus, ne in posterum oriri possent: quod fecit inditio florentis virgæ amigdalinæ.

Accipe ab eis virgam, virgam ad domum patris, ab omnibus principibus eorum, ad domum patrum eorum: duodecim virgas.
Si quæras quare Dominus voluit fascem virgarum fieri, & sibi in tabernaculo præsentari: aduerte quòd quemadmodum qui sortiri volunt, fascem faciunt paruarum virgarum, & vni præsentant: vt quam libuerit accipiat, & ipse accipit quam mauult: ita & nunc voluit Dominus huiusmodi fascem sortium fieri, & sibi in tabernaculo præsentari, & inter sortium virgas, elegit virgam Aharon, & tribum Leui, & hinc arbitror sacerdotium sortem dici. Quod verò Dominus sortibus huiusmodi aliquando vteretur constat Leuitici de cimosexto: vbi duæ sortes mittebãtur, altera pro Domino, atque altera pro capro emissario. Gaudet Hebraismus huiusmodi geminationibus, & idem est, quòd accipe ab eis singulas virgas, aut à singulo eorum virgam vnam: quod autem sequitur per domum patris, sensum hunc habet: accipiendo vnam virgam pro domo vniuscuiusque patris, non à singulis illius domus patris, sed à principe vniuscuiusque domus, & hoc pro domo patrum illorum quæ videlicet sint duodecim. Dicitur autem virga Hebraice matech à natah quod est inclinare reclinare, quòd super eam homo maximè senex inclinari & reclinare soleat.

Viri nomen scribes super virgam eius.
Posset etiam verti. Virum & nomen eius scribes: quoniam in Hebræo ponitur coniunctio &, & pronomen eius, & sensus tunc esset. Describes in virga non solum nomen, sed alias viri qualitates quæ virum indicare possunt. Vnde videtur virgas habuisse nomen tribus, & nomen viri qui erat princeps huius tribus, & scriptũ fuisse. Pro tali tribu talis vir. Nam si solius tribus nomen scriptum in virga esset, non possent scire quem Dominus in sacerdotem designasset, cum in tribu Leui essent multæ domus. Tum quia nomen Aharon erat scriptum in virga Leui, præter nomen ipsius Leui, sed incertũ est an huiusmodi nomina essent in papyro scripta vel potius incisione in cortice ipsius virgæ.

Quoniam virga vna est pro capite domus patrũ eorum.
Videtur hic per caput intelligere priorem partem illius tribus, vt Leui pro capite tribus Leui & sic de Reuben Iudah & aliis.

Et relinquet eas in tabernaculo. Aliqui vertunt. Et dabis, alij repones, sed verbũ iauach quod hic ponitur: significat proprie relinquere: vt patet Iudicũ tertio vbi dicitur, Istæ sunt gentes quas hinjach, id est, reliquit Dominus. *Coram testimonio.* Videntur relictæ ante velum post quod erat area testimonij, quæ vt diximus dicebatur testimonij, quoniam in ea erat lex quæ testabatur pactum inter Deum & Iudæos.

Quo congregabor vobiscum. Munsterus vertit, vbi vos conuenio: te scilicet & Aharonem fratrem tuum. Sic quoque Sanctes vertit. Verbum tamen in passiua ponitur, in textu Hebraico.

Virga eius florebit. Melius vertas germinabit, quoniam verbum patach non proprie significat florere, sed potius germinare: nos dicimus brotaar, & sic Munsterus vertit, aut pullulare, vnde ab hac radice est ephroach, id est, pullus, vt patet Deuterono. vigesimo secũdo vbi dicitur. Cùm occurrerit nidus ephrochi, id est, pullorum.

Faciam quiescere à me querimonias filiorum Israel.
Aliqui querimonias vertunt, alij murmura. Verbum lon, à quo telunot, id est, murmura duo significat Hebræis, scilicet pernanere seu vt alij dicunt pernoctare, & murmurare: vnde potes vertere murmura, & persistentias seu pertinaciam qua mihi obsistere volunt.

Dederunt ei omnes principes eorum, virgam principi vni, virgam principi vni, aut vnam. Sic est in Hebræo, sed sensus bene ab interpretibus redditus est, id est, singulo principi virgam vnam. Per domos patrum suorum, scilicet numerando illos aut pro domo patrum suorum virgam dabit.

Et reliquit Mosèh virgas, scilicet in fasce colligatas vt fieri solet. Sic melius ad literam vertas, quam & dedit aut reposuit, vt alij vertunt, vt Dominus ex eis acciperet quam maluisset, vt diximus.

Ecce floruerat virga Aharon domui Leui.
Iam admonui verbum parach significare potius pullulare aut germinare quàm florere: ideo melius vertas. Et pullulauit virga Aharon pro domo Leui, id est, quæ posita erat pro tribu Leui.

Et protulit germen, & floruit florem & festinauit amigdalas. Sensus est quòd virga Aharonis prius protulit ramusculos, scilicet nouos, quos solet arbor emittere, quos vocat pullos, quèadmodum nos vocamus poldras. Secundo protulit flores. Tertio festinauit seu cito produxit amigdalas. Aduerte quòd multi ex nostris non multum expendentes verborum & nominum discrimina: faciunt sine vlla ratione inutiles repetitiones. Nam Sanctes vertit. Et protulerat florem, & floruerat flos, vbi vides eum inutiliter repetere. Idem enim est proferre florem & florere. Vnde Munsterus magis ad literam accedens vertit. Et proferẽs germen & erumpens in florem, sed neque ipse verbum verbo reddidit. Est etiam aduertẽdum verbum gamal, quod hic festinare vertimus, duo Hebræis significare, scilicet festinare, & cito redde seu retribuere: addunt etiam ab lactare. Inter has tamen, communior est reddere seu retribuere: vt ex multis locis scripturæ constat: vt Psalmo decimotertio. Cantabo Domino, quoniam bona gamal, id est, retribuit super me. Et Prouerbiorum tertio. Si non gemalecha, id est, retribuit tibi malum, & ab hac radice est gamul, id est, ablactatus, meo iudicio sic dictus, quòd matri incipit retribuere educationis beneficium. Nam ex eo tempore, incipit matri ministrare vt potest, aut iam festinans ad virum. Vnde de Semuele legimus matrẽ Annam eum in templum detulisse ad ministrandum sacerdoti, postquàm ablactauerat eum, aut quia tunc si erat primogenitus, Domino reddebatur. Ab ea etiam est nomen gamal, id est camelus sic meo iudicio est dictus, quòd Domino suo optimè pabulum & alimẽta quibus nutritur restituat: quoniam eis frequentissime vtitur quèadmodum nos asellis. Hanc tamen allusionem non omnino decerno: quoniam non certis coniecturis moueor. Est ergo sic textus reddendus. Et reddidit amigdalas seu tribuit. Nomẽ verò sached, id est amigdala, est à verbo sachad quod significat proprie festinare, quoniam amigdala inter omnes arbores festinat fructum suum producere. Ieremiæ. 1. Quia soched, id est, vigilo ego, aut melius quia festino ego, super meo verbo, vt scilicet illud impleam aut perficiam.

Ad seruandum in signum filiis amaritudinis seu amaritudinem.
Dicunt Hebræi verbum marah, à quo meri quod amarum vertimus, significare mutare, transgredi rem & præceptum, rebellare, & non obedire, sed re vera si quis solicite rem hanc expendat deprehendet significare amaricari seu amarum reddere, quèadmodum marari: vnde illud. 1. Reg. 15. quod nostri vertunt. Qui marah, id est, rebelles fuerunt ori Domini, tu germanius vertas: qui amari fuerunt ori Domini, aut qui os Domini amaricarunt, Vnde illud Threnorum primo, quod moderni vertunt. Maro mariti, id est, inobediendo inobediens fui. Hieronymus melius vertit, amaritudine plena sum. Vocantur autem filij amaritudinis, rebelles seu non obtemperantes: quoniam amari sunt patri vel Domino suo.

Ecce deficimus & perdimur, omnes pro perditi sumus. Omnis qui appropinquando appropinquauerit ad tabernaculum Domini morietur. Nunquid consumendi sumus vt deficiamus?

Audientes

Audientes filij Israel Dominum dicentem, vt de cætero nullus accederet ad eius ministerium qui non esset de semine Aharon, ne fortè moreretur. putarunt sibi periculosum valdè esse, habere apud se tabernaculum Domini: quoniam difficile esset aliquando non accedere, ideo dicunt se mortuos seu omnes morituros, si sic res habeat, quòd omnis alienus à semine Aharonis accedens moriatur. Isto modo omnes deficiemus moriendo. Aduerte hic quòd significatio verbi gana, id est deficere seu mori, non plene nota est Hebræis. Dicunt tamen significare obire seu leniter mori, quod est (vt dicit Rabbi Dauid) non longa ægritudine ante mortem detineri. Est locus Psalmo octuagesimooctauo, quo videtur significare deficere, vbi dicitur. Pauper ego, vegoa, id est, & deficiens ab adolescentia mea. Mihi vero videtur verbum significare, ita mori, vt nullum cadaueris vestigium appareat seu vt amplius non videatur: rem tamen non diffinio quoniam non plene compertam habeo.

IN CAPVT. XVII. NVMERORVM
ad morum compositionem annotationes.

CApe ab eis singulas virgas. Nonne satis est Domine Deus noster, vt verbo tuo nobis & eis indicares, te aliquem velle habere ministrum, vt quisque nostrum esset sua sorte contentus, quid virgis & miraculis opus est? Nunquid non sat est, terram apertam vidisse clamores & voces impiorum ab ea deuoratorum audisse, vt nemo de cætero auderet, aduersus te os aperire, nisi simul videant virgam eadem nocte ramos flores fructumque protulisse? Nouit Dominus infidelitatem & inuidiam nostram, & quàm facilè pacta frangimus, datamque mentiamur fidem, ideo miraculis & testibus vtitur, testesque seruat aduersum nos, quemadmodum me sæpius admonuisse recolo. Admonemur etiam hic non esse omnium, ministerio se diuino ingerere, sed qui ab eo vocatur & eligitur vt Aharon: vt Apostolus ad Hebræos admonuit. Si enim principes, qui sæpius ignorant, quos ad ministerium vocant, ministros pro sua voluntate deligunt: non curantes an alij sint eis habiliores aut prudentiores: pro solo beneplacito voluntatis suæ, cur hoc non licebit Deo, qui optimè scrutatur & nouit, quos ad suum ministerium eligit? Matthæi octauo legis quendam (prompto animo vt videtur) Christum sequi voluisse. Domine (inquit) sequar te quocunque ieris, nunquàm tamen ad consortium Christi admissus est, semel pulsam passus. Alios verò ad eius ministerium vocatos, nihil minus cogitantes. Si quæras quare periculum in virgis potius quàm in alia re factum sit, dico hoc ideo factum: quoniam tribus virgis assimilantur, imò quòd plus est sic ab Hebræis vocantur. In amigdala verò quæ cæteris arboribus maturius producit fructum adumbrari puto: quanta celeritate & diligentia, à sacerdotibus Deo ministrandum sit, & quàm fructuosus debeat esse sacerdos, & in medio populi florere quemadmodum virga Aharon in medio aliarum. Positæ sunt etiam simul huiusmodi virgæ in quodam fasce, quemadmodum sortes, & inter omnes virga Aharon à Domino est electa: iuxta illud Salomonis in prouerbiis. Sortes in vrna mittuntur, sed à Domino temperantur. Qua in re considera Dei æquitatem. Ne quis diceret eum accepisse personas: voluit rem cõmittere iudicio sortium: quoniã de his quæ nobis forte accidunt, non conquerimur, sed quisque patitur infortunium sortium æquo animo. Vt ergo omnes scirent Aharonẽ sacerdotium sorte adeptum fuisse: voluit omnes in virga, suam experiri fortunam.

Ecce morimur, omnes nos perimus. Et si Deus iustas non audiat querelas: æquo tamen animo rationabiles ferre solet, & rigorem temperare.

Omnis qui accedit ad tabernaculum Domini moritur. Quàm reuerenda & timenda sint à nobis templa, locus iste describit. Si enim qui accedit moritur, quid erit ei, qui ex eis fecit speluncas latronum? qui violae aut in eis aliquid turpe committit? Vt ergo vnico dicamus verbo his duobus capitibus docemur aliena munera & officia non ambire, præsertim ea quæ à Deo nouerimus distributa.

IN CAPVT. XVIII. NVMERORVM
rum iuxta literam annotationes.

ET *dixit Dominus ad Aharon.* Tutatus fuerat dominus sacerdotium Aharoni & filiis suis, propter quos ducentos quinquaginta viros occidetat præter Chorach. Nunc verò ad eum reuertitur, admonens eum quod quemadmodum alios ambientes sacerdotium eius occiderat, ita faceret ei si quid commisserit in sacerdotio suo.

Tu & filij tui & domus patris tui, portabitis iniquitatem sanctuarij. Hæc verba non solum ad sacerdotes sed etiam ad omnes Leuitas diriguntur, quoniam omnes in sanctuario ministrabant, quisque in ministerio suo, & dicit dominus, quòd ipsi omnes tam sacerdotes quàm Leuitæ, portabant pœnam omnium iniquitatum commissarum in sanctuarium. Nam illorum erat, scilicet sacerdotum, sacrificia offerre: leuitarum, sacra custodire, populum à sacris arcere, si quid ergo erratum in his esset, ipsi omnes erant pœnas criminis daturi. Ad Aharon verò diriguntur verba sequentia, scilicet.

Tu & filij tui portabitis iniquitatem, id est, pœnam iniquitatis sacerdotii vestri. Si quid enim in sacerdotio commissum esset, isti qui sacerdotes erant puniebantur. Et sæpius admonui dictionem aon, non solum iniquitatem seu peccatum significare, sed etiam peccati pœnam vt sæpius ex scripturis probauimus, quemadmodum ex eo quod secundo Semuelis duodecimo dicit Nathan Dauidi, deum videlicet transtulisse peccatum eius, id est, pœnam in filium quem ex adultetio susceperat. Si enim sacerdos immundus, ad munus sacrificandi accessisset, aut portionem suam in loco sacro non comederet, aut animal non immolãdum immolaret, horum omnium erat pœnas daturus.

Tribum patris tui appropinquare facies tecum. Subaudi ad ministrandum mihi.

Et copulent se tibi. Significat verbum leuah quod hic copulare vertimus Hebræis proprie mutuare, & mutuo accipere: ad quod multa ex scripturis citant exempla, scilicet illud Nechemiæ quinto vbi dicitur. Lauinu chesèph, id est, mutuauimus argentum. Item illud Psalmi trigesimiseptimi. Loueh, id est, mutuò accipit impius & non reddit. Et Prouerbiorum secundo. Seruus est loueh, id est, mutuum accipiens: viro mutuanti. Addunt & alteram significationem, quæ meo iudicio verbo propria est, scilicet coniungere, adhærere: cuius in scripturis multo plura quàm alterius exempla sunt, scilicet Ecclesiastes octauo. Hoc illuenu, id est, adhæsit sibi de labore suo. Item Psal. octuagesimotertio. Etiam Assur niluah, id est, coniunctus est eis. Et Gen. 29. lilaueh, id est, copulabitur mihi maritus meus: vbi de verbi significatione disputauimus. Mihi verò videtur verbum proprie significare augere, augmẽtare aut copulare: quod videtur esse idem quod augere. Nam quod alicui copulatur, augmentare facit id cui copulatur. Mouent ad hoc ex duabus coniecturis: altera ex significato nominis leuiathan seu liuiathan quod est quidam magnus serpens, quod est ex hac radice secundũ Hebræos, sic meo iudicio dictus ab augmẽto, q̃ videlicet sit augmẽtatus & longus valdè. Secũda quia altera verbi significatio, scilicet mutuare aut mutuo accipere, maiorẽ habet conuenientiam cum augere, q̃ cũ coniungere adherere. Nã fœnerari nihil aliud esse videtur, quàm augere id quod mutuo traditur. Ne autem me putes hanc significationem ex meo capite fingere, audi Hieronymum interpretantẽ illud Prouerbio. quarto quod nostri vertunt. Dabit capiti tuo liuiat, id est, copulationem gratię: dabit capiti tuo augmentum gratiæ, & loco magis conuenire videtur. Illud etiam prioris capitis Prouerbiorũ. Quia liuiat:

id

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est, copulatio gratiæ erunt tibi, ipse vertit. Vt addatur gratia capiti tuo. Non tamen damno si teneas secundam significationem, & tunc dicēdum esset leuiatha sic dici, quia coniunctum & inuolutum est quemadmodum alij serpentes. Poteris ergo iuxta hanc vltimam significationem hic vertere: augebuntur tibi seu addentur tibi, & videtur tam bonā expositio sicut præcedens.

Tu & filij tui tecum coram tabernaculo testimonij. Dikribuit Dominus ministeria, vt scilicet Leuitæ ministrent sacerdotibus, vnde dicit. Addantur tibi, & ministrent tibi. Sacerdotes verò ministrent coram tabernaculo testimonij. Aut sensus est. Leuitæ ministrabunt tibi, & erunt ante te & filios tuos veluti ministri, tu verò & filij tui eritis coram tabernaculo testimonij parati, scilicet ad ministrandum Domino.

Custodient custodiam tuam, & custodiam omnis tabernaculi. Admonui superius hoc eodem libro, custodiam aliquando sumi pro præcepto custodiendo, vt idem dictu sit custodi custodiam, quod serua præceptum, quod dicitur custodia quia obseruandum & custodiendum sit: aliquando verò dicitur custodia res aliqua pretiosa custodienda & seruanda, & sic dupliciter possunt hæc verba exponi. Priori modo sic. Et custodient custodiam tuam, id est, præcepta & mandata quæ illis præceperis, & custodiam tabernaculi, id est, quæ à me præcepta sunt in tabernaculo custodiri. Secundo modo potest secūda pars interpretari de vasis, cortinis, & id genus aliis rebus tabernaculi custodiendis & seruandis. Erat enim Leuitarum munus hæc seruare, vt dictum est capite quarto huius libri, & sic sensus erit. Obseruabunt seu custodient Leuitæ quæ illis præceperis, & custodiēt custodiam. i. res quæ custodiendæ sunt in tabernaculo, scilicet vasa, cortinas, & alia.

Non poterant autē tangere sacra vasa ministerij, neq; altare, vt statim dicitur, & hoc videtur secundum sensum probare: ac si dicat. Licet illis, scilicet Leuitis sit commissa custodia vasorum & altaris, non tamē ideo poterunt ista contingere. Aut custodient custodiam tuam, id est mundiliam, ne aliquis immundus tangat te, & custodiam sanctitatis: ne quis immundus aut prophanus accedat aut tangat sacra.

Ne moriantur ipsi & vos. Hoc est portare sanctuarij iniquitatem, quoniam dabat sacerdos pœnas pro his quæ errabant Leuitæ in suo ministerio.

Et adhærebunt tibi & custodient custodiam tabernaculi ecclesiæ in omni opere tabernaculi, aut ad omnem seruitutem tabernaculi. Hic etiam melius vertas. Et addentur tibi sicut in præcedentibus: similiter per custodiam tabernaculi intellige præcepta à Domino circa res tabernaculi, aut sacerdotis circa omnia opera in tabernaculo facienda, & hæc secunda expositio videtur melior.

Alienus non appropinquabit ad vos.
Vt scilicet iuuet vos in ministerio tabernaculi. Solū enim sacerdotes & Leuitæ erāt Domino ministraturi.

Custodietis custodiam sanctitatis, id est, præcepta quæ data sunt circā ministeria sanctitatis.

Et custodiam altaris, id est, præcepta data circa altaris ministeria.

Non erit amplius ira super filios Israel.
Iratus fuerat Dominus super filios Israel, & consumpsit multos ex eis vt patet capite superiori, eo quòd Leuitæ munus sacerdotum præstare Domino voluerunt.

Vobis dono donati Domino, id est, à Domino, aut pro ministerio Domini. Fuerunt enim Leuitæ oblati Domino à populo, loco primogenitorum, & à Domino donati sacerdotibus, vt illis circa diuina ministrarent, vt cap. 3. huius libri dictum est.

Tu & filij tui tecum, custodiēt is sacerdotium vestrum, ad omnem rem altaris, & ad intra velum, & seruietis.

Sic ponitur clausula in Hebræo & sensus est. Tu & filij tui tecum custodietis sacerdotium vestrum, id est, præcepta quæ pertinent ad vestrum sacerdotium, scilicet qualiter litandum est & ministrandum in altari holocaustorum, & etiam circa ea quæ facienda sunt intra velum, sicut erat proponere panes, lucernas suo tempore accendere, & seruietis, scilicet ministrando in omnibus his. Aut ad omnem rem altaris, scilicet thimiamatis & intra velum in die expiationis, & seruietis etiam in aliis, scilicet circa altare oblationum.

Seruitus est doni, quod dabo pro sacerdotio vestro: & alienus appropinquans morietur.

In Hebræo ad verbum est. Seruitus, doni dabo sacerdotium vestrum. Et licet media pausa clausulæ sit post nomen seruitus, vt iam diximus: posset tamen litera aliter legi isto, scilicet, modo. Seruitus est, id est, præmium seruitutis, & donum quod dabo pro sacerdotio nostro. Potest autem clausula sic intelligi alio modo. Et seruietis seruitutem, dono dabo sacerdotium vestrum, id est, sacerdotij dono dati vobis, aut seruitutem sacerdotij, quod dono dabo vobis. Si tamen rigorem literæ sequendum contendas, poteris literam isto modo reddere. Et tu & filij tui tecum, custodietis custodiam vestrā, id est, præcepta quæ vobis custodienda tradita sunt, ad omnem rem altaris, id est, ad omne ministeriū altaris, quod, scilicet ministerium altaris extra tabernaculum exercendum est, & omne ministerium quod est intra velum, scilicet ostij, aut quod intus erat ante arcam peragendum, & seruietis seu ministrabitis ibidem, ministerium doni quod dabo vobis, scilicet sacerdotij vestri, ac si dicat. Ministerium quod estis ministraturi: est ministerium doni sacerdotij quod dabo vobis pro quod dedi vobis. Aut seruietis seruitutem doni, id est, propter donum seu dona, quæ ego dabo vobis propter sacerdotium vestrum, id est, propter oblationes quas tradidi vobis iure sacerdotij, & istæ duæ extremæ expositiones mihi magis arrident.

Et ego. Ecce dedi tibi custodiam eleuationum mearum: omnes sanctificationes filiorum Israel.

Quia sæpius in Hebraismo transponuntur verba, posset exponi. Et ego ecce, pro, Et ecce ego dedi tibi custodiam, id est, munus custodiæ eleuationum mearum, id est, sacrificiorum meorum: nempe omnia quæ filij Israel sanctificant, id est, à se separant ad munus meum ac si dicat. Et ecce ego dedi tibi præmium custodiæ seu obseruantiæ præceptorum meorum quę ad munus tuum pertinent eleuationes meas nempe omnia quæ filij Israel sanctificant mihi, id est, applicant ad cultum meum. Vocat autem oblationes eleuationes: quoniam vt sæpius dixi eleuabātur sursum quando Domino offerebantur. Posset. 2. esse sensus. Et ecce ego dedi tibi custodiam eleuationum mearum, id est, præcipio custodire omnia quæ mihi in sacrificium eleuantur & sanctificationes filiorum Israel, sed prior sensus germanus est qui ex sequentibus probatur. Sequitur enim.

Propter vnctionem & filiis tuis statuto perpetuo.
Quod dicitur propter vnctionem, intellige quia vnctī estis mihi in sacerdotes. & clausula integra sic reddenda est. Et ego ecce dedi tibi custodiam, id est, sanctificata à filius Israel propter custodiam hanc: eleuationes meas, id est, sacrificiorum partes, quod statim suo more explicat dicens:

Omnes sanctitates filiorum Israel, id est, omnia quæ ipsi mihi sanctificant: *tibi dedi propter vnctionem*, scilicet sacerdotij, aut, *in vnctionem* seu in munus vnctionis, *et etiā filiis tuis statuto perpetuo.* & nomē lechoch, significat proprie statutum scriptum.

Hoc erit tibi de sanctitate sanctitatum, nempe, *de igne seu ignitis. Omne munus* seu *appropinquans eorum, omne minchah*, seu farinaceum munus *eorum omne peccatum*, id est, sacrificium pro peccato *eorum, Omne delictum eorum quæ reddent mihi sanctificatio sanctificationum tibi est & filiis tuis.*

Per sanctitatem sanctitatum intelligit omnia sacrificia de quibus non comedebant prophani quæ erant sanctissima & aliis de quibus illi comedere poterant sanctiora. Vnde sensus est. Hæc est portio tua de rebus sanctissimis, quæ igne offeruntur, seu super altare holocausto-

locaustorum: nempe omne appropinquans eorum, scilicet filiorum Israel seu omne munus quod ipsi appropinquare altari faciunt, & statim explicat quæ sint huiusmodi munera. Nempe minchah, id est, munus ex farina, de quo diximus Leui. 2. omne etiā sacrificium pro peccato eorum, & omne delictum eorū, id est, oblatio pro delicto eorum. Et habes hic tres species sacrificiorum de quibus omnibus in Leuitico diximus abunde, & species sunt manifestæ præter delictū quod non plene constat pro qua re offerebatur, neque quid proprie sit, & de duobus nostri Theologi nihil dixere, scilicet de minchah, & de hostia pro delicto.

Sanctum sanctorum hoc tibi, & filiis tuis.
Sanctum, id est, sanctissimum seu ita sanctū, vt nullus alius illius partem habeat, aut possit de eo comedere.

In sanctitate sanctitatum comedetis illud, id est, in loco in quem non licet alios ingredi: qui hac de causa dicitur sanctissimus. comedebant enim sacerdotes huiusmodi partes sactificiorum Domini, in quibusdam domunculis ad hoc in atrio tabernaculi constructi.

Sanctum erit tibi, id est, non reputabis hæc quasi prophana: sed sancta seu separata à prophanis.

Et hoc tibi eleuatio doni, id est, de eleuationibus donorum aut hoc erit tibi. Nempe omnis eleuatio doni: loquitur modo de aliis donariis & sacrificiis quæ non incendebantur Domino neque ascendebant altare holocaustorum. Vnde ex hoc loco constat dupliciā in genere fuisse veteris legis sacrificia: quędam quę in altari comburebantur quę distinguntur in minchah seu sacrificium farinaceum, & in sacrificium pro peccato, & in sactificium pro delicto, & ista dicūtur chorbā, id est, munus seu appropinquantia, quoniam ad altare domini appropinquabant. Alia erant quę non accedebant ad ignem seu ad altare quemadmodum primitiæ fructuum. redemptiones. f. animaliū, primogenitorum & hominum, succisiones eorum quæ perpetuo quasi mortua dominis suis tradebantur domino: de quibus nunc est sermo, quæ dicebantur mathan. i. donū, & ex hoc loco possumus colligere discrimen inter chorban & mathan, quod chorbā importat id quod ingreditur aut appropinquat ad ignem vel ad altare, mathā verò quod nō appropinquat sed donatur domino, & seruare discrimē memēto: quoniā alibi mihi hoc negotium fecit. Non meminit autē hic sacrificii pacifici seu integritatis, quoniam non videbatur plene sacrificium cuius aliqua pars ad prophanos pertineret vsus.

Omnem eleuationem filiorum Israel, tibi dedi, id est, omne quod filij Israel leuant à bonis suis vt illa Domino offerant: dedi tibi. A verbo nuph quod est eleuare & suffire, est tenuphah, id est, eleuatio & videtur hic significare sacrificium, quod non accedebat ignem, & eleuatum offerebatur Domino, neq; vt diximus plene constat in quo distinguebatur à terumah quod etiam hic ponitur, misi quod terumah videtur genus & significare omne eleuatum siue combureretur siue nō, thenuphah verò significat quod nō eleuatur ad cōburendum, sed alias. Hoc tamen discrimen non semper in sacris literis seruatur. Omnia ergo quæ filij Israel Domi nō eleuabant præsentando illa domino, & quæ per sacerdotē eleuabant pertinebant ad Aharon & ad filios & filias eius, & ad omnem mundum domus eius, & per mundum intelligit eum qui non tetigisset aliquid immundum aut comedisset, & hoc erat aliud discrimen inter doc sacrificij genus & præcedens, quoniam de hoc fœminæ domus sacerdotis comedebāt & in domo sacerdotis comedi poterat, prius verò soli masculi & in loco sancto.

Omnem pinguedinem olei, omnem pinguedinem musti & frumenti. Vocatur hic pinguedo, omne quod præcipuum est in vnoquoq; re: quēadmodum in animali id quod præcipuū esse videtur, est pinguedo. Si enim animal pingue est, ab omnibus æstimatur & in pretio est, si verò sit macilentum videtur esse despectum & quasi nullius momenti, tenebantur autē filij Israel domino offerre primitias harum rerum scilicet olei frumenti & musti. quæ quidem primitiæ erant de præcipuis istarum rerum. Et aduerte quòd dictio cheleb, id est pinguedo, non solum pinguedinem, sed etiam lac significat, vt patet Exodi. 3. Ad terram fluentem chalab, id est, lacte & melle. Et Canticorum. 5. Bibi vinum meum cum chalabi, id est, lacte meo. Dictio etiā Iishar id est, oleum est à sathar quod est lucere & iishar significat oleum quia lucidum: quemadmodum sohar lucernā quoniā lucet & illuminat. Dictio verò thiros. i. mustū deriuatur à iatas quod est hereditare aut heredi tate pelli, & videtur mustū significare quod sit ab vua expulsum, Dagan verò secundū Hebræos significat omnes frumēti species. Est ergo locus sic efferēdus. Omne pretiosum olei, & omne pretiosum musti, & frumenti primitias eorū, quas dabūt domino: tibi dedi. Vnde cōstat per pinguedines musti & olei, primitias harū rerum intelligi. *Primitiæ omniū quæ sunt in terra eorum.*

Per hæc iudicio meo intelligit omnium rerum primitiuos fructus qui Domino offerebantur.

Omnis succisio in Israel, tibi erit. Quidam ex nostris verterunt, omnem cōsecrationem. Alij omne quod velut anathema. Sed dictio cherem significat proprie succisionem aut occisionem, quemadmodum verbum charā à quo deriuatur succidere & occidere, & per succisionem intelligit quòd domino ita offerebatur ac si offerenti occisum esset: quia nunquam amplius poterat redimi aut restitui, ideo vocatur occisio vel succisio. significatio propria dictionis non est omnino certa, & fortè significat irretiri aut infrenari. Diximus quod nobis de ea videbatur Leui. 27. quē locum consulere licebit. Et nunc inspecta significatione nominis cherem cum quinq; punctis, quod significat rete vel sagenam, non errare illum putaremus qui diceret verbum significare irretiri. & sic cherem cum sex punctis significat rem irretitam seu ita obligatam domino vt vltra nō possit ad dominū suū redire: rem tamen non certo diffinio, quoniam incertis coniecturis moueor.

Et redemptiones eius, à filio mensis redimes secundum æstimationem tuam: argenti quinque siclis, id est tempus redemptionis cuiuscunque hominis vel animalis. erit posīq; fuerit vno mense natus, pretium verò redēptionis eius erunt quinq; sicli, de siclo. f. sanctuarij, qui erat duplus ad vsualē. Dicit autē secundum æstimationem tuam quia ad sacerdotem pertinebat animal discrete an pingue esset aut magis pingue an robustius vel minus robustum etiam in his quæ erant eiusdē ætatis in quibus æstimabat sacerdos: aut quia in potestate sacerdotis erat videre an tēpus redēptionis esset aliquantulum prorogandū post mensem: neq; prohibet lex ante mensem redimi, poterat fortè post quoniam iam tunc animal aut homo robustiora erāt. Sechel verò à sachal quod est libtare & ponderare ortū habet, valoris. 20. obolorū & videtur fuisse argēteus vt habetur Gen. 23 cuius verò valoris fuerit obolus: non constat, nomen Hebraicū gerah quod obolū significat sonat quid mixtum à garah quod est miscere aut succidere, & si à miscere, significabit nummum mixtū exære & argēto, qualis in multis locis vsq, hodie fieri solet quemadmodum in Gallia solidi, & in Flādria stupheri, & in Italia quatrini. Apud nos nullus nūmus mixtus est ex diuersis metallis nisi fortè Pardalli, quos nostri vocant pardaos. Si verò à succidere, tūc significabit gerah numisma diuisum in multa, aut est minima pars diuisionis ipsius sicli. *Sancta ipsa*, id est, ita applicata ad Dei obsequium & sacrificium: vt non possint redimi.

Quemadmodū pectus eleuationis: et sicut armus dexter.
Admonui sæpius verbū ehazah significare videre, cuī significationi nullam videtur habere allusionē nomen chazeh. i. pectus nisi dicas sīe vocatū quod sit pars quę videntibus primum occurrit in animali: vel quia illud aruspices gentilium aspicere solebant ad suas diuinationes. Dicitur verò eleuationis, quoniā sursum eleuabatur cùm offerebatur domino, vt sæpius diximus, aut quia ab animali eleuabatur, vt sacerdoti daretur. Dictio verò soch quā (sequētes interpretū turbā) vertimus armū, est à sachach quod est currere discurrere, aut à soch qđ est desiderare, & si armū significat, erit quia

carnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

carnes eius sint desiderabiles: si verò à sachach quod est currere, significabit potius coxam, à cursu quàm arcum: disputauimus de verbi & nominis significatione Gen. 3. super illud. Ad virum tuum tessuchatech, id est, desiderium vel discursus tuus.

Omnes eleuationes sanctificationum, quas eleuare facient filij Israel Domino dedi tibi.

Vocat eleuationes omnia sacrificia quæ eleuabantur ad offerendum domino aut quæ filij Israel eleuabant & separabant à bonis suis: vt darent domino, prior tamen interpretatio videtur melior.

Pactum salis, sempiternum ipsum coram Domino, tibi & semini tuo tecum.

Dixerat ante hæc verba. Omnes eleuationes quas eleuabunt filij Israel domino, dedi tibi & filiis tuis & filiabus tuis tecum statuto perpetuo, & sequitur. Pactum salis sempiternum hoc coram domino & cætera, quasi his verbis voluerit explicare quid sit dictu: statuto perpetuo vt videlicet sit idem quod pactum salis, sed quare pactum salis dicat perpetuum, vel quid sit pactum salis, difficile est explicare. Ex textu constat sacerdotium & oblationes domini esse traditas & donatas Aharoni statuto perpetuo, & quod pacto salis perpetuo pertineret ad eum & ad semẽ eius coram domino: erit ergo explicandum hic quid sit pactum salis & quare dicatur perpetuum. Aliqui per pactum salis intellexerunt legem quæ homines inter se & inter deum integros conseruat. Sepharadi verò per pactum salis intelligit pactum perpetuum, & interpretatur quod sicut sal omnia conseruat & stabilia facit: sic sacerdotium Aharonis firmum & stabile, durabit in perpetuum. Caietanus dicit ignotum esse quare pactum firmum & stabile dicatur pactum salis, sed meo iudicio res non est tam difficilis si aduertantur quæ de sale dicta sunt Leuiti. 2. vbi dominus expresse dicit sic. Omnis oblatio sacrificij tui, sale salietur, & non cessare facies sal pacti dei tui, à sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal. Erat ergo pactum inter deũ & Israel, quod in omni sacrificio eius poneretur sal, & quia hoc pactum erat perpetuum inde pactum salis perpetuum dici puto. Vult ergo dominus dicere se dare Aharoni sacerdotium in pactum salis seu perpetuum vt scilicet quemadmodum pactum eius de sale ponendo in sacrificiis erat perpetuum, ita & pactum sacerdotij & oblationum erat perpetuũ inter eum & ipsum Aharonem. Idem est ergo dicere pactum salis quod pactum perpetuum, & quod dicitur sempiternũ nihil est aliud quàm explicatio eius quod dictum est pactum salis, quare verò pactũ salis perpetuũ diceretur, diximus quia pactus fuerat dominus cũ Israelitis de sale perpetuo admiscẽdo sacrificiis ipsius. Si verò quæras quare dominus volebat in omnibus suis sacrificiis offerri sal, iam loco Leuitici citato diximus sacrificia veteris legis vocari cibationes seu prandia & cœnas domini: vnde omnia illa quæ sunt ad mensam necessaria, in huiusmodi sacrificiis interueniebant: vt panis delicatissimus, carnes & vinum, & quia mensa male absque sale ponitur, voluit dominus in sacrificiis omnibus sal interesse. 2. Paralipomenon. 13. dixit Abiiah rex Iehudah Iarobham regi Israel, deum dedisse Dauidi regnum Israel in perpetuum, in pactum salis: vbi etiam pro eodem reputat pactum perpetuum & pactum salis ratione iam dicta. Credidetim etiam tunc temporis sal in omni pacto interuenisse ad significandum eius incorruptionẽ & forte propter hoc, pactum sempiternum dicebatur salis, quod in omni pacto sal interueniret.

Ego pars tua et hæreditas tua, in medio filiorum Israel, id est, oblationes meæ & omnia quæ mei iuris sunt: erunt pars tua & hæreditas tua, inter filios Israel: ac si dicat. Quemadmodum vnusquisque filiorum Israel habet partem suam inter alios filios Israel, ita tu me.

Et filiis Leui dedi omnem decimam in Israel.

Iure dominus decimas ab Israelitis habere voluit, quoniam Iaacob eas sibi deuouerat Gen. 29. sed dubium est an per decimam intelligat veram quotam, cum alij putent per decimas selectiora intelligi, sed quia scriptura super decimã addit pinguedinẽ siue id quod melius est, oppositum puto esse verum, & fuisse eas à principio Domino solutas, id quod Gen. 14. dicitur argumento est: vbi legimus Abrahamum eas soluisse Melchisedeco sacerdoti dei altissimi.

Pro ministerio eorum. Doleo quòd tam nostri quàm Hebræi nolunt verborum & nominum significationem expendere, ne tam facilè eas pro suo cerebro mutarent. Verbum Chalaph eis authoribus significat transire mutare, vt multis exemplis probat Sanctes in lexico pagina. 631. cheleph verò quod hic ponitur dicunt significare pro, & illud hic uertunt pro ministerio, sed si parum expendissent allusionẽ, viderent quòd à chalaph quod est trãsire, est cheleph, id est, transitus, vnde locus restituendus est. Pro transitu seruitutis eõrum, id est, pro ministerio quod hincinde discurrentes faciunt. Si de hac expositione diffidis lege Lucam cap. 12. & probabis quæ dicimus, vbi de Christo loquens sic habet. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Quod autem Lucas dixit. Transiens ministrabit, dixit hic Moseh pro transitu ministerij: quia solent ministri diligentes hincinde causa ministerij transire. Tu ergo qui textum sacrum interpretaris, non sis facilis in mutandis verborum & nominum significationibus, sed prius expende an propria possit conuenire.

Ad portandum peccatum, & moriendum.

Sic in Hebræo est: quod verti potest ne portent peccatum, scilicet appropinquando sacris, & moriantur in pœnam huius præsumptionis. Sanctes vertit: vt ferant pœnam peccati & moriantur, & placet expositio.

Et serui & Leuita seruitutem tabernaculi Ecclesiæ, & ipsi portabunt pœnam iniquitatis suæ.

Quia prohibuerat filios Israel à ministerio tabernaculi, & à sacrorũ contactu, dicit modo, hoc esse munus Leuitarum: qui si male ministrauerint, portabunt pœnam iniquitatis suæ, & ob huiusmodi ministerium præcipiebat illis decimas dari. Dicit autem decimam quam leuabunt Domino, aut quia à bonis suis eam leuabat seu separabat populus: aut quia eleuabatur sursum quando Domino offerebatur.

Eleuabitis ex ea eleuationẽ Domini: decimam è decima. Tenebantur hac lege Leuitæ ex decimis quas à populo colligebant: soluere decimam summo sacerdoti: vt statim explicatur. Et per eleuare intellige aut separare aut leuare sursum vt sæpius diximus sed primum germanius.

Et reputabitur vobis eleuatio vestra: sicut frumentum de area: & sicut plenitudo de torculari, id est, decima hæc quam vobis præcipio dare summo sacerdoti, perinde erit: ac si daretis decimas de area vestra quemadmodum alij: & ac si daretis vinum de torculari pleno: aut vocat plenitudinem decimam ipsam vini, vel quod verius puto, vocat decimam plenitudinem: quia ex pleno aceruo dabatur antequam ab eo quidquam auferetur.

De omnibus decimis quas accipietis. Potest hoc esse plenior explicatio præcedentis legis: & potest esse sensus quod non solum ex decimis frumenti & vini soluant decimam summo sacerdoti, sed etiam ex decimis omnium aliarum rerum. Vnde sequitur.

Et omnibus donis vestris eleuabitis eleuationem Domini: de omni adipe eius sanctificationem eius, de eo, id est ex omnibus his quæ dederint vobis filij Israel, separabitis aliquam partem Domino, qua si rem sanctam seu consecratam Domino: nempe id quod in ea re fuerit pretiosius, quod hic vocat pinguedinem, & meo iudicio est sermo de donis datis Leuitis tanquã ministris dei. Nam si quis illis amicitiæ gratia daret aliquid: non tenebantur ex eo aliquid sacerdoti dari. Et quando eleuaueritis huiusmodi pinguedinem donorum vestrorum, id est, pretiosius in eis reputabitur vobis ac si esset de area aut torculari: quemadmodum dixerat de decimis, & vbi Sanctes vertit fructus, in Hebræo est prouentus quod idem est.

Et comedetis illam aut illum in omni loco vos et domus vestra:

vestra: quoniam merces est hoc vobis, pro transitu ministerij vestri in tabernaculo ecclesiæ. Potest relatiuũ asseri. qui, referre decimã & sic verte illam, aut fructũ & sic vertendũ est illum, aut illud si referat donũ: melius tamen quadrat si referat decimã, & ponit discrimẽ inter ea quę Leuitis & sacerdotibus dabãtur, quoniã sacrificia quę sacerdotes offerebant, erãt comedenda in loco sacro, decimæ verò poterant à Leuitis comedi vbique locorum. Secundum discrimen est, quod decimas poterat comedere omnis domus Leuitarum, non sic autem domus sacerdotum sacrificia, sed quędã erant quę ipsi soli comedere poterãt, alia ad quæ masculi domus eius admittebantur, alia ad quæ omnes. Vertimus autem pro transitu ministerij, quoniã hoc dictio cheleph significat vt iam hoc eodem cap. adnotauimus, & verti posset pro discursu ministerij, quo hincinde ministrantes discurrunt.

Et non portabitis super illo peccatum: quando eleuabitis vos pinguedinem eius ex eo.

Sensus est. Non dabitis pœnas si soluetitis id quod pretiosius est ex decimis vestris summo sacerdoti.

Et non polluetis sanctificationes filiorum Israel, & non moriemini, id est, non polluetis decimas, & alia vobis gratia ministerij donata à filiis Israel: quæ dicuntur sanctificationes filiorum Israel, quoniam ab eis erant separata Domino seu ministris eius, quæ polluebant non soluendo ex eis quod erat sacerdoti soluendum. Aut non polluetis sanctificationes filiorum Israel, volendo illa quasi sacerdotes offerre: quoniam si hoc feceritis moriemini quemadmodum Chorach & socij, qui ambierant sacerdotum munera. Alij putant Leuitas polluere sanctificationem filiorum Israel, si ex decimis sibi datis à filiis Israel, non darent id quod pretiosius & melius erat, quoniam in hac re minoris ficbat dominus quàm oportebat fieri: neque displicet interpretatio.

IN CAPVT. XVIII. NVMERORVM ad morum reformationem adnotatio.

TV & filij tui & domus patris tui, portabitis iniquitatem sanctuarij. Sunt proh dolor hodie multi sacerdotes, qui pro nihilo reputant, quæ suæ sunt functionis ignorare qui vix etiam in tota vita sua, Domino ministrant: comedentes imò quod est deterius luxuriantes in bonis, quæ pro solo ministerio sibi à Domino tradita sunt: qui attentis auribus audiant, quod sint omnium errorũ in ministerio suo commissorum, pœnas daturi. Et si hij qui male ministrant, seu in ministerio erãt, vapulant: quid illis fiet, qui sudores & labores ministrantiũ: sine vllo labore comedũt? Æquum enim est, vt qui bonis sanctuarij & sacerdotij honore fruuntur, iniquę administrationis suę domino suo dẽt pœnas. *Et etiam fratres tuos tribum Leui, appropinquare fac tecum.* Superbiunt nonnunquam superiores ministri alioſque inferiores despiciunt: quasi suo marte & labore sacerdotij dignitatẽ acquisiissent: quare voluit Dominus hic sacerdotes, quasi fratres Leuitas habere. Rectorẽ (ait Ecclesiasticus) te posuerũt, noli extolli: sed esto inter eos quasi vnus ex eis. Similiter attende dei sapientiam, qui omnes ministros suos ex eadem tribu habere voluit, vt maior esset in ministerio concordia, & melius se inuicem ministri iuuarent. Cap. 32.

Custodiant custodiam tuam. Summa debet esse obedientia inferiorum ministrorum Dei ad maiores: ne in ministerio Domini vlla possit oriri dissonantia: neque putent se inferiores ministri hominibus subditos sed Deo, aut hominibus propter deum. Antequam enim dominus Leuitis præciperet custodire custodiam summi sacerdotis, sacerdotem admonuit fraternitatis & consanguinitatis Leuitarum ad eum: vt si eum aliquando prælatura super Leuitas extolleret, fraternitas memorata æquaret. Similiter postquam dixerat, Custodient custodiam tuam, ne sacerdos eos in omnibus sibi subditos putaret adiecit, & custodiam omnis tabernaculi. Sic inferius cùm diceret. Vobis dono dati, adiunxit domino, vt faciant opus tabernaculi ecclesiæ: ac si diceret. Nõ sunt vobis dono dati pro vobis, sed pro Domino & pro eius ministerio non pro vestro.

Ad vasa sanctitatis & ad altare non appropinquabunt. Non debent esse in tabernaculo Domini confusa ministrantium ministeria, sed quisq; ministrorum ita exequi debet munus suum, vt ministerium alterius non attingat, sed sunt homines qui cum ad sua munia minime sufficiant omniũ aliorũ officia facere volunt, & sic aliquãdo cõtingit ministeria domini in ecclesia cõfundi, & oriũtur rixæ & discordiæ maximę inter ministros. *Vt non moriantur tam ipsi quàm vos.*

Debent superiores ministri inferiores docere, eosq; rebelles in officio continere: ne pro eorum excessibus pœnas dare contingat.

Ego dedi tibi custodiam oblationum mearum.

Æquissimum est, vt qui altario seruit ex altario viuat, & audis hic quàm opulente quàm delicate, Dominus nutriat ministros suos: vt illis præcipiat dare selectiora, & comedant ipsi partes domini. Et licet à sacerdotibus & Leuitis posset gratis ministeria exigere noluit tamẽ, quoniam nouit hominẽ nihil sine mercede facere solitum, & quàm inculta sunt ministeria gratuita.

Hoc erit tibi de sanctificatione. Quemadmodum distributa debẽt esse ministeria in ecclesia, ne inter ministros sit confusio, ita & distincti debẽt esse ministrorum prouentus, ne lis inter ministros oriatur. Solent enim ministri, sæpius propter huiusmodi distributiones litigare. *Omnis oblatio pro peccato, et omnis oblatio pro delicto.* Sis quæso memor bone sacerdos, te comedere peccata & delicta populi Dei: & quod à te exigenda sunt illius peccata & delicta: si aut pro eis non oraueris Deum, aut Deum illis propitium non reddideris. Si enim sacerdotes considerarent se peccata potius populi quàm panes comedere, felle amariores essent illis delitiæ domini. Et aduerte quòd quatuor genera rerum dãtur hic sacerdotibus. s. sacrificia ignita, primitię omnium rerum, primogenita omnium animalium cum suis redẽptionibus, & succisiones seu anathemata. Est tamen hic aduertẽdum quòd non poterat sacerdos comedere animalia quę poterant sacrificari vt nos doceat Domino seruare meliora, neq; in nostros vsus conuertere ea, quibus arbitramur dominũ delectari.

Omnes eleuationes Domino, dedi tibi et filiis tuis: in pactum salis. Duo legimus dominum dedisse in pactum salis seu perpetuo. s. sacerdotium Aharoni vt constat hoc loco, & Regum Dauidi, vt patet ex. 13. ca. prioris libri Paralipomenon, quoniam licet melius sit sacerdotes & reges eligi, tamen propter hominũ ambitionem successio in huiusmodi videtur esse securior.

De terra eorum non hæreditate accipies, & pars non erit tibi in medio eorum. Curant nunc sacerdotes domini terram colere, lucris inhiant, mercaturis vacant, & omnia sæcularia negotia administrant. Considera quæso sacerdos quare dominus noluerit te partem & sortem cũ fratribus habere. Nonne vt liberius ministerio eius vacares & operibus templi semper præsto esses? Quid ergo te implicas huiusmodi negotiis, cùm tibi hoc solum negotium curæ esse deberet?

Ego pars tua & hæreditas tua. Magna dignatio domini, si tamen eam sacerdos cognoscat: quod velit dominus deus tuus esse pars tua & hæreditas tua. Quid non habebis si deum habeas quæso? Audi quid dicat sanctus Dauid. Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Et alio in loco. Pars inquit mea Deus in æternum. Et mirum valdè est (ait diuus Cyprianus) quod te solo sit deus tuus contentus, neq; velit aliam præter te hęreditatem habere, tu verò eo nõ contẽtus, ad terrenas inhies diuitias & hæreditates. Sufficiat quæso tibi Deus tuus, sicut tu sufficis Deo tuo.

Et filiis Leui ecce dedi omnem decimam.

Tenetur populus non solum superiores ministros domini sustentare, sed etiam minores, quemadmodum ex hoc loco apertissime constat, sed considerent ipsi sibi pro opere tabernaculi dari: quare indigni sunt hæc recipere qui Domino non ministrant.

Eleua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eleuabitis ex ea eleuationem Domini, decimam decimæ. Colligũt ex hoc loco doctores summũ pontificẽ posse exire ab aliis sacerdotibus & ministris decimas suorũ prouentuum, licet textus non dicat eos leuare eas ab aliis sacerdotibus sed à Leuitis, sed postquam inferiores ministri sunt, iuste soluunt decimas superiori. Discant etiam ex hoc loco agricolæ qui semen tanquam iam decimatum à fructibus auferunt se in hoc opere peccare. Si enim ex ipsa decima, alia soluitur sacerdoti, cur non potius ex decimato semine? Omitto semen sub terra fuisse corruptum, & quicquid fructuum sequitur, tanquam nouum dono Domini datum habendum, & decimandum.

Non portabitis super illo peccatum. Pulchrè nos admonet locus iste, nihil fructuum comedere, quin illius pinguedinem Domino nostro in sacerdotibus largiamur. Vbi similiter aduerte illum polluere Dominum, qui non illi meliora offert: quare dicit hic Leuitas polluere eum & pœnas mortis daturos si decimæ sitæ pinguedinem non offerant summo sacerdoti. Minoris enim quam par est Deum reputas, si illi non offeras selectiora.

IN CAPVT. XIX. NVMERORVM iuxta literam annotationes.

LOquere ad filios Israel, & accipiant ad te vaccam rufam, in qua non sit macula: super quam non ascendit iugum. Difficile valdè est cæremoniarum quæ in huius vaccæ mactatione fiebant, rationem literalem inuenire. Res quidem in se nota est, sed quare fieret, non ita manifestum est. Putant tamen Hebræi ea peccatum adumbrari maximè ratione rubei coloris: qui apud Isaiam peccatum significare videtur vbi dicitur: Si fuerint peccata vestra vt coccinum: velut lana dealbabuntur. Mihi verò potius videtur eã fuisse perfectissimum pro peccato sacrificium. Erat autem præcipuum inter omnia veteris legis sacrificia, sanguis animalium. Dixit enim Dominus, cum sanguinis esum Iudæis prohiberet Leuitici. 17. se eis dedisse sanguinem, in expiationem animarum. Quoniam sanguis ipse (inquit) animam expiabit: quare voluit eam rufam, vt rubedine sua sanguinem adumbraret, & quasi tota sanguis esse videretur. Erat etiam mundissima & perfecta, quoniam opportebat sacrificium omnino mundum esse: quo peccata mundabantur. Putarem etiam fuisse totius populi huiusmodi sacrificium: quoniam in textu præcipitur Moseh populo dicere: vt afferat sacerdoti vaccam rufam. Dicitur autem in textu quod sit integra & in qua nõ sit macula, & si esse sine macula non est explicatio huius quod est esse integra, vt sæpissime fit in Hebraismo. Per perfectam intellige quantum ad ætatem aut vt Hebræi dicunt integre & perfecte rufam: in qua nullus sit pilus cuiuscunque alterius coloris. Per sine macula verò intelligendum puto, vt in ea nullus sit defectus cuiuscunque rei, videlicet membrorum, aut sanitatis. Vel per integram possumus interpretari quod nullum illi membrum desit, per sine macula vt in ea nullus sit alius defectus.

Dabitis eam ad Elhazar sacerdotem. Noluit Dominus eam tradi Aharoni vt maneret sacerdos mundus, qui in templo tunc temporis ministraret. Immundus enim reddebatur qui vaccam offerebat: vel hoc factum est post mortẽ ipsius Aharonis.

Mactabit eam ante eum. Intellige mactans. Nam inferius dicitur quod comburens vaccam lauabit vestimenta sua: vnde constat sacerdotem non combussisse vaccam, & credendum est eam etiam non iugulasse sed iugulatam ab eo qui eam comburere debebat obtulisse. Est ergo sensus. Et iugulabit eam, scilicet iugulator seu lanio, ante eum, scilicet Elhazar. Posset etiam relatiuum eum referre populum qui vaccam tradebat sacerdoti, & teneri sacerdotem eam mactasse & alteri comburendam tradidisse, & tunc sensus est: Et iugulabit, scilicet sacerdos eam, scilicet vaccam ante eum videlicet populum.

Et sparget ad directum faciei tabernaculi ecclesiæ. Admonui Exodi. 40. & Geneseos. 25. significationem nochach quod hic directè seu directum vertimus non esse perfectè notam Hebræis, nostri communiter vertunt contrà è regione, videtur tamẽ (eis etiam authoribus) significare rectè seu directè.

De sanguine eius septem vicibus. Dixi Exodi. 40. quare huiusmodi aspersio fieret versus templum seu locum in quo erat dominus, & quare septem vicibus, vt autem iterum repetamus aduerte, peccata nostra præsertim grauia deum ad vindictam ex nobis sumendam prouocare: sed sacerdotem sanguine immolatæ victimæ qui peccatoris reputabatur: irato Domino occurrisse ac si ostenderet iugulatum & occisum peccatorem quem ille volebat occidere: qui eum iam pœnas dedisse repetiens, gradum sistebat, neque amplius puniebat, & isto modo sanguis victimæ iugulatæ peccatum expiabat. Fiebat autem septem vicibus ad ostendendum quot mortibus dignus esset, qui Deum suo peccato offendebat: quod, scilicet dignus esset qui septies occideretur. Nam Gen. 4. habes eum septies pœnas daturum, qui occidisset Cham, & eũ qui Lemech septuagies septies, aut septem vicibus propter septimam diem cui maximè dominus afficiebatur, ideo volebat illo numero aspersionum peccata deleri: vt videlicet homines illi afficerentur, scientes sibi eius virtute peccata donari.

Combuet vaccam in oculis eius, scilicet sacerdotis aut populi vt diximus: videlicet comburens.

Cum finxo eius comburet. A paras quod est dividere & separare est paras, id est, eques, quod crura diuisa habeat dum equitat, & sit quodammodo diuisus: inde etiam peres, id est, stercus sic dictum, quoniam à domibus & oppidis soleat eiici & separari.

Et capiet sacerdos lignum cedrinum & hyssopum et coccum vermiculi. Non plene ex textu constat, an hæc tria essent missa in rogum quo vacca comburebatur diffigata, vel potius ex eis aspersorium fieret ad sanguinem spargendum, & postmodum fasciculus ille combureretur, & putarem per lignum cedri, ramum cum foliis esse intelligendum, & idem puto de isopo quod videlicet acciperet sacerdos ramum ipsius: per seni coccum, Hebræi intelligunt colorem rubeum qui vulgò dicitur charmesinus, ego verò intelligo filum duplicatum tinctum sanguine illius vermis, quo tingitur grana. Nam radix seni, id est cocci videtur esse sanah quod est iterare duplicare, & inde seni, id est, duplicatum, scilicet filum aut color, & videtur quod huiusmodi fila duplicata intrarent fasciculum cedri & isopi, vt melius aspersorium sanguinem vaccæ accipere posset, aut erant fila quibus ipsum aspersorium ligabatur. Quod verò tholeah vermen significet constat Isa. 14. vbi dicitur. Operimenta tua tholeah, id est vermis quod autem rubei coloris manifestatur Isaiæ. 1. vbi habetur. Si peccata vestra fuerint rubra chatholah, id est, sicut vermis ille. Comburebat autem sacerdos huiusmodi aspersorium aut omnia hæc tria simul cum vacca. Puto autem fuisse aspersorium quoniam Exod. 12. ex his aspersorium factum fuisse lego, & Psal. 51. habes. Purificabis me beezob, id est, cum Isopo. Nos vulgari etiam nostro aspersorium vocamus Isope.

Et ponet extra castra. Verbum nuach quod nostri hic ponere vertunt: significat propriè quiescere & requiescere, & in Hiphil requiescere facere, quare melius vertas. Et requiescere faciet scilicet huiusmodi cineres extra castra in loco mundo. Reponebãtur enim cineres in vase aliquo mundo, in loco quieto: quo à vento dispergi non possent, & in loco mundo.

Et erit congregationi filiorum Israel ad custodiam: in aquam separationis pro peccato erit.

Incerta est Hebræis & nostris significatio verbi nadah, quod hic Sanctes vertit separationis. Dicunt tamen Hebræi significare elongare & separare: ad quod citant illud Hamos. 5. qui hamnadim, id est, elongatis diem malum, id est, distare adhuc putatis multum, & illud Isaiæ. 66. Dixerunt fratres vestri odio habentes vos:

vos: menadechem, id est, elongantes vos, sed turbat hanc significationem, nominis nedeh significatio: quod significat donum quod nihil allusionis habere videtur ad separationem vel elongationem, sed posset dici nomen nedeh esse à nadad quod est donare & iuxta hanc duplicem significationẽ: dupliciter reddi potest locus iste. Vno modo sic. Et erit videlicet aqua ista seu cineres, filiis Israel ad custodiã, i. custodiẽt & obseruabunt eã ad aquas elongationis peccatis, i. ad aquas quarum aspersio faciet elongare eos à peccatis aut peccatum ab eis, i. ab immũditiis ex contactu cuiuscunq; rei immundæ. Pro huiusmodi enim immunditiis videtur hic peccatũ accipi. 2. modo potest sic explicari. Erit ad custodiã ad aquã cõdonationis peccati ipsum, & debet litera sic distingui. Et erit huiusmodi cinis ad custodiã, ad aquas cõdonationis peccati: ipse. s. cinis, & cinis non erat aqua commistus, sed commiscebatur quando immundus erat purificãdus. Tunc enim pars cineris aqua miscebatur, & super mundãdum aspergebatur, & virtute continebant huiusmodi cineres sacrificium pro peccato, & ideo quẽadmodum sacrificia poterant huiusmodi peccata mũdare, ita & cineres: cùm essent vaccæ oblatæ pro peccato.

Tangens mortuum omnis animæ hominis, id est, tangens eã dauer in quo fuit anima humana.

Purificabit se in eo, scilicet cinere die. 3. Verbum chata quod proprie peccare significat, hic sicut multis aliis locis ponitur pro expiari à peccato: quod vt in regulis admonuimus aliquot verbis Hebraicis vsu venit. Reseruasse etiã videtur Dominus huiusmodi mũditiam septimæ diei, vt sabbati sanctitatem commendaret, aut vt ostendat, hominem septies pœnas pro peccato daturum, nisi sibi huiusmodi lustratione occurreretur.

Tabernaculum Domini polluit, id est, perinde est, ac si polluisset, aut si sic pollutus accederet tabernaculum sine huiusmodi purificatione, talis polluit tabernaculum Domini.

Excidetur anima illa de Israel, scilicet per immaturam mortem. Aliqui interpretantur. Non pertinebit amplius ad populum Israeliticum, sed hunc sensum explosimus per similem locutionem de præcepto circuncisionis Exodi. 4.

Immundus erit donec immunditia eius fuerit in eo. Male meo iudicio hic vertit Sanctes quoniam od, significat adhuc, potius quàm donec, & textus sic restituendus est. Quia aqua elongationis aut condonationis peccati, non est aspersa super eum, immũdus erit, adhuc immunditia eius in eo, subaudi est, & lex hæc statuta videtur pro his qui extra domum seu in agro morticinum tetigissent: postea statuit de pollutis ratione morticini in domo.

Omne vas apertum super quo non est operculum affixum: immundum est. Dictio samid quam hic Sanctes vertit affixum significat potius coniunctum à samad quod eo authore in lexico significat coniungere & sociare: licet quasi idem sit coniunctum & affixum. Sequens verò dictio, scilicet patil, ignotæ significationis est Hebræis vt diximus Gen. 30. vbi satis de verbi significatione disputauimus, & omnibus locis inspectis videtur patal significare propriè tortum & involutum esse, vnde patil etiam significabit filum tortum, aut tortum quodcunque illud sit, & videtur significare frustrũ panni ex tortis filis contextum. Posset etiam verti inuolutum, vt sit sensus: Omne vas apertum super quo non est cõiunctum inuolutum, scilicet inuolucrum: immundũ est. Ponitur dictio Gen. 38. vbi abunde de verbo diximus, & videtur textus loqui de vase quod apertum est in domo in qua est cadauer hominis, aut melius de quocunque vase.

Qui tetigerit super faciem ægri occisum gladio, vel mortuum. Ansam præbet locus iste & coniecturam, ad venandam propriam significationẽ verbi chalal. quod in multis locis sequentes Hebræos diximus significare polluere & ex consequenti occidere: modo verò cernimus vnicam esse verbi significationem, & significare proprie incipere initiari, & ex consequenti vulnerare, percutere citra mortẽ: quod percussio quædam initia seu initium quoddam ad mortem sit, similiter prophanari quod sit initium quoddam, quo res antea intractabilis, cõmunis & tractabilis fit: vnde pro occiso ut verte percussum. Nam hic postquam posuit bachalal, id est, percussum gladio, addidit betmet. i. mortuum. Posset tamen hic per percussum gladio intelligi occisum, per mortuum verò eum qui esset alia morte mortuus, sed re vera prior interpretatio est verior.

De pulueri combustionis pro peccato, id est, vitulæ quæ pro peccato combusta est, aut quæ pro expiatione peccati combusta est.

Et dabunt super ipsum. s. cinerem *aquas viuas ad vas.* Intelligit Hebraismus per aquas viuas, aquas currẽtes, quales sunt fontium & fluminum, nõ puteorum, quæ non videntur extra fluere. Et quod dicitur super ipsum, scilicet cinerem, posset verti super ipsum, scilicet immundum.

Ad vas, in quo scilicet est cinis. Volebat enim dominus vt aquæ currentes, vaccæ cineribus immiscerẽtur, vt possent aspersorio effundi super immundum.

Et accipiet hyssopum. Crediderim cum aliis accipiendum, cedro videlicet & cocco vermiculi, aut si malueris ramum hysopi.

Et super animas quæ fuerunt ibi, id est, homines. Nam vt sæpius admonui, vocat Hebraismus homines animas, id est flatum: quod animam ex flatu dei conseq̃uuti sint.

Vel occisum vel mortuum. Tu melius vertas: percussum vel mortuum, vt iam diximus. *Die tertia & die septima.* Non constat quare die tertia iubeatur immundus aspergi aqua illa lustrationis.

Lauabit vestimenta sua, & lauabit se aqua. Ponũtur hic duo verba, scilicet chabas & rachats, quæ ambo significant lauare, sed innuitur hic prius significare lauare vestimenta, secundum verò corpus.

Quia sanctuarium Domini polluit. Quod scilicet est inter eos immundos. Aut quantum in se est sanctuarium polluit. Dicitur autem sanctuarium Domini pollui, polluto homine: quemadmodum princeps alicuius communitatis & prælatus dicitur malus, si subditi mali sint, quoniam qualis rex tales præsumuntur ministri eius, & sicut Dominus dicit: sancti estote quoniam ego sanctus sum: ac si dicat. Quemadmodum reputabor ego sanctus si vos sancti sitis, ita reputabor prophanus & pollutus si vos qui estis ministri mei non fueritis sancti.

Aqua separationis non est aspersa super eum. Expone vt supra hoc eodem capite. Potest enim etiam verti. Aqua condonationis, cuius aspersione dominus peccata condonat. Sic cum dicitur:

Spargens aquã separationis, vbi pro separationis etiã legere potes condonationis, sic cum dicitur:

Tangens aquam separationis. Sed mirum valdè est quomodo ex eisdem cineribus aqua mixtis, contrarij oriantur effectus vt scilicet immundos super quibus sparguntur, mundos reddant, mundos verò qui eos tetigerint inquinent, & alios mũdent, sed varius modus tangendi sacra, admirationem tollit. Si quis enim prophanus aut sæcularis quibus sacra contingere prohibitum est: sacrum cõtingeret oleum vel chrisma, peccaret & suo modo pollueretur, quod tamen oleum alios sanctificat: ita & huiusmodi cinis, sed adhuc de sacerdote admiratio non tollitur, qui cùm sacra tangere sine peccato posset, tangendo huiusmodi cineres polluebatur, vt hoc eodem capite dictum est. Sed harum cæremoniarum exactam reddere rationem, solus ipse qui instituit reddere potest, nisi dicamus sacerdotem in huiusmodi pollui, quoniam cadauer vel cineres rei mortuæ contrectabat, & licet animalium cadaueta quæ ad litandum occidebat tangeret, non tamen cineres.

IN CAPVT. XIX. NVMERORVM ad morum compositionem annotationes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LOquere ad filios Israel: vt adducant ad te vaccam rufam. Benedictus sit Domine Deus noster, qui semper cogitas qualiter nos à peccatis abluas, & sacramenta quibus nos lustres, incessanter instituis, & in simplicibus & paruis (vt ita dixerim) rebus: tuam virtutem ad nostram vtilitatem includis, vt nemo caiusquam, se difficile posse consequi peccatorum suorum remissionem.

Integram in qua non sit macula, super quam nullum venit iugum. Qualia debeant esse sacrificia quæ de nostro offerre debemus, præsertim illa quæ ad peccata expianda offeruntur, pulchre ostendit locus iste: vbi vacca rufa, integra & sine macula, & quæ nunquam iugum traxit offerri mandatur. Integer enim & immaculatus & qui nunquam peccati iugum portauerit debet esse vir ille seu sacrificium: per quod hominum peccata expiari debent. Sed quis potest inter homines dicere integer & mundus à peccato sum: nunquam peccati iugum traxi: cùm cœli in eius conspectu mundi non sint, & in angelis suis reperierit prauitatem ac superbiam? Solus ergo ille qui peccatum non fecit, agnus immaculatus, qui peccata abstulit mundi, qui hoc integro & immaculato vaccæ rufæ sacrificio adumbratus est, neque vnquam peccati iugum traxit, pro omnibus mactatus est & crucifixus: vt nos suo sanguine velut aqua lustrationis ablueret, Qui (inquit Ioannes) dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris: in sanguine suo. Si enim summus deus sanguine pecoris immolati mouetur ad pietatem: vt aliam vltionem à peccatore non quærat, quanto magis placabitur sanguine filij sui, qui pro nobis illum tam abunde effudit. Et considera qualiter omnia conueniant. Iubetur vacca extra castra immolari, & ibidem mactari & comburi, & Apostolus de Christo dicit, eum extra portam passum vt mundaret populum suum. Exeamus ergo fratres extra castra, & cineres vitulæ nostræ reuerenter colligamus: vt eis aqua baptismatis nostris, à peccatis nostris postmodum abluamur. Victima hæc traditur immolãda sacerdoti, nostra verò est ipse sacerdos. Admonuit etiam alias ex huiusmodi colligi, quàm mala res peccatum sit, vt sacrificia etiam quibus expiatur extra castra debeãt immolari: quo admonemur longè à nobis esse peccata separãda, & ita cõburenda igne diuino, vt sola cineres remaneant, quemadmodum olim fecit sanctus Moseh, qui vitulum peccati combussit, & pulueribus eius aqua commixtis, peccatores ipsos potauit.

Apoc. 1.

Hebr. 13.

Spargens de sanguine eius contra faciem tabernaculi septem vicibus. Voluit Dominus nobis ad viuum depingere, quoties sumus prò peccatis pœnas daturi: nempe septies, & si innocentem occidas, septuagies septies. Si enim dominus bona opera remunerat ad mille generationes, cur non punict peccata saltem ad septem? Sed misericordia eius non sinit eum nisi in tertios & quartos animaduertere, si parentum suorum scelera imitentur.

Abluet sacerdos vestimenta sua, & lauabit aqua carnem suam. Contagiosa & immunda valdè res peccatum est: cuius expiatio non solum vestes sacerdotis, sed carnem eius immundam reddit. Et si solus contactus corporalis immundarum rerum, sic homines inquinat, quid faciet animæ, contactus ipsius peccati in se? qui etiam hominem inhabilem reddit: qui cum aliis conuersetur, vnde extra castra manere iubetur, vsq; ad purificationem suam.

Peccati contactus malus.

Sed & qui combuxit illam lauabit vestimenta sua, & carnem suam. Quemadmodum qui picem tangit inquinabitur ab ea: ita omnes qui peccatum cõtingunt, inquinantur in eo.

Expiabit se ille tertia & septima die. Sunt peccatores, qui cum innumera peccata perpetrauerint, de ablutos & expiatos putẽt, si pauculas preces effuderint, si semel suspirauerint, aut duas vel tres lachrymulas ab oculis effuderint, cùm videant istos propter mortui cõtactum corporalem, aut alterius rei immundæ: vsque ad septimam diem expectare purgationem. Lauabo (ait Psal.) per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo.

Qui tetigerit morticinum animæ humanæ et se non expiauerit, polluit tabernaculum Domini.

Mirum valdè est quàm curiosi simus, ne templum Domini illuris (vt aiunt) manibus ingrediamur: vt nemo nostrum ecclesiã cum macula in facie in veste vel calceo audeat introire. si verò animus sit odio, homicidio, furto, & infinitis criminibus infectus, non curamus: mundanites solum ea quæ hominũ oculos offendere possunt, quæ verò mundissimos oculos Dei, parùm aut nihil curamus. Audi quæso quæ hic dicũtur. Non tetigi immũdus tabernaculũ Dei, non accessi peccator ad sacra, & quia nõ mundaui me, sacra polluere dicor. Nunq; auditi & vidisti totã domum alicuius nobilis imò & ipsum aliquando male audire, propter crimen vnius ex seruis eius. Quid ergo mirũ si domus dei pollui dicatur, propter pollutionem vnius è seruis eius?

Qui ingressus fuerit tabernaculum, & qui fuerit in tabernaculo: immundus erit septem diebus.

Cur quæso Domine Deus, sic nos præcipis morticina fugere? Nõne tu solus es qui mortificas & viuificas deducisad inferos & reducis? Crediderim summũ Deum sic à cadaueribus abhorrere voluisse nos vt nos ab homicidiis valdè deterreret, & vt harum corporearum immunditiarum fuga, nos doceret quantum fugienda essent peccata mortifera.

Accipient pro immundo de cinere combustionis pro peccato. Non sunt malæ imò valdè bonæ reliquiæ oblationis pro peccato, eis qui illis mundari volunt. Quod enim ex pœnitentia peccati manet salutiferum est, nempe displicentia voluntatis, cautio in futurum, & id genus alia, reliquiæ verò quæ ad delectationem manent pestiferæ sunt. Deridet Lutherani aquæ benedictæ piam ceremoniam, quemadmodum omnes alias ecclesiæ, cur non etiam hanc subsannãt, à qua sancta ecclesia mutuauit suam?

Sparget mundus super immundum.

Audiant hæc sacerdotes qui alios absoluere & purgare debent: ac sacramenta populo Christiano ministrare, vt sese purificent & mundent, antequam alios purgare & à peccatis absoluere præsumant. Licet enim ipsi impuri sacramenta vera aliis tribuant, ipsi tamen sibi sæpius in huiusmodi administrandis, dãnationem acquirunt.

Qui tetigerit aquam, immundus erit vsq; ad vesperam. Considera quæso quid interfit, si vt prophanus sacra cõtingere præsumas, aut vt religiosus. Qui enim sacra velut prophanus contrectat, fit immundus: qui verò velut religiosus, huiusmodi contactu mundatur.

IN CAPVT. XX. NVMERORVM iuxta literam annotationes.

ET *venerunt filij Israel, omnis congregatio in desertum Sin.* Non est quòd te lector, qui Hebraicam calles linguam hic admoneam, aliud esse desertum Sin quod hic cõmemoratur, & aliud cuius scriptura capite decimosexto Exodi meminit: cum prima huius litera sit tsade, alterius verò prior sit sameh. Illud etiam vocatur Chades, illud verò non. Istud terminus est terræ Chenahan ab australi ortu: fines extremos habẽs Edõ, quo loco vrbs est eiusdem nominis, vnde nuntios exisse legimus, qui transitum ab Edomeis exorarent. De priori verò nihil tale legimus. Quod verò dicitur omnem cõgregationem illuc venisse, dictum crediderim: quod exercitus non simul omnis illud appulerit, cùm in eo multi parnuli, fœminæ ac debiles essent, sed mense primo congregatus est illuc omnis exercitus.

Mense primo. Non expliciat textus cuius anni fuerit iste primus mensis. Putat autem Caietanus & alij multi fuisse anni quadragesimi egressionis populi ex Ægypto, quoniã mors Aharon, vt constat capite trigesimotertio huius libri, quadragesimo anno egressus illorum accidit, quæ capite sequẽti describitur. Et verè puto hęc aut quadragesimo anno aut circiter accidisse. Non conuenit etiam inter nostros & Hebræos, an hęc Chades

Chades sit eadem cum ea cuius mentio facta est cap. decimotertio, & Caietanus noster eandem fuisse æstimat, iuxta quam bis putat fuisse Israelitas: primum ex latere deserti Paran. Secundo ex latere deserti Sin. Hebraice enim scribitur: in desertum Paran in Chades, & similiter in desertum Sin in Chades: tanquam vtriusq; deserti pars illa describatur: quæ erat prope ciuitatem Chades. Mouetur autem Caietanus ex duobus. Altero quia circuitus Edomeę hoc cap. subiunctus, fuit ex illa Chades, vt scribitur in fine prioris capitis Deutero. Et ex hac Chades fuisse missos nuntios ad regem Edom, hoc capite describitur. Ziglerius tamen & Vuolfangus disertissimi terræ sanctę geographi diuersam fuisse senserunt ex duobus. Tum quia altera nominatur sine vlla additione Chades, alteri verò additur barneh, & dicitur Chades barneah. Secundo quia altera describitur in deserto Paran, hæc verò in deserto Sin. Ego verò in hac re potius cum Caietano, q̃ cũ illis sentirem:

Et mortua est ibi Miriam & sepulta est ibi.

Crediderim Iudæos illi ædificasse sepulchrum, tanquam personæ in populo notabili. Solebant enim Iudæi huiusmodi sepulchra nobilibus construere, vt ex multis scripturæ locis conuincitur.

Et murmurauit populus cum Moseh.

Verbum rub quod hic ponitur significat proprie litigare: vt patet Threnorum tertio, vbi dicitur. Rabta id est, litigasti Domine litem meam: seu partes meas egisti. Et Gene. 26. Et non rabu, id est, litigauerunt propter illum, scilicet puteum.

Vtinam obiissemus, quando obierunt fratres nostri, coram Domino.

Capite decimoseptimo huius libri admonui, significationem verbi gauah non esse plene notam Hebræis, communiter tamen putant significare obire seu leniter mori. non diu in ægritudine detineri: quemadmodum sequenti capite de Aharone dicitur, quod viderit omnis cõgregatio quòd obiisset Aharon, vbi idẽ verbum ponitur & loquũtur de fratribus mortuis propter seditionem Chorach.

Vt moriamur ibi nos, & iumenta nostra.

Nomen heir, id est, iumentum, est à verbo baar quod Hebræis est pascere & tondere: videntur enim iumẽta herbas tondere, cùm eas depascunt: vnde bestia dicitur heir, quasi tondẽs herbas: significat etiam verbũ comburere, quòd combustio sit quasi depastio (si sic latine loqui licet) Videtur enim ignis depascere ea quæ comburit. Diximus satis de verbi significatione capite. 11. huius libri: vbi textus dicit. Vocauit nomen eius tabeerah, id est, combustionem.

Non locum seminati, id est, non potest seri.

Venit Moseh & Aharon à facie congregationis.

Erant enim ante congregationem, & timẽtes lapidari ab ea, aut vt pro eis preces domino funderent accesserunt ad tabernaculum: proiecerũt autẽ se, super facies suas orando dominũ: vt daret illis aquam. Et fortè nõ venerunt fugientes, quoniam nulla punitio hic describitur, sed potius ponitur desiderij consequutio.

Ceciderunt super facies suas. Habet hic vulgatus interpres multa, quæ non habentur in textus Hebraico: nempe omnia hæc. Et corruerunt proni in terram, clamaueruntq; ad dominũ atq; dixerunt. Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ: vt satiati cesset murmuratio eorum. Et quidam putant vulgatum hæc addidisse explicandi gratia. Possibile etiam est eum hæc in aliqua Chaldaica paraphrasi legisse. Sunt tamen quædam latina exemplaria, in quibus hæc non habentur.

Conspecta est gloria Domini. Per gloriam Domini (vt sæpius admonui) intelligitur nubes illa qua Dominus tectus loquebatur Moseh: quæ aliquando non apparebat, cum scilicet manebat tabernaculũ, quãdoq; verò ostendebatur ad ostium: aliquãdo super tectum, ad admonendam profectionem, & visa est populo gloria, ad protegendum duces: vt videret populus Deum adesse ad eos protegendos, aut ad dãdum aquã, quam ipsi postulabant precibus suis.

Accipe virgam, scilicet illam qua in Ægypto miracula fecisti, illa enim erat coram Domino reposita ad rei memoriam: quemadmodum altera Aharonis quæ eius sacerdotium indicabat.

Illa dabit aquam suam. Videtur quòd lapidis inclusam haberet aquam. & ad præceptum Domini dederit eam: vel est loquendi modus, quemadmodum in Psal. legimus. Dominus dabit benignitatem, & terra dabit fructum suum, id est, qui in eius virtute latet, aut quem dare solet.

Congregare fecerunt cœtum ante petram. Hebraice est. Ad faciem petræ, sed sensus redditus est.

Audite nunc rebelles, contendunt Hebræi verbum marah, significare rebellare, rebellem & inobedientem esse, sed videtur potius significare amarum esse quemadmodum marar. Nam duplicantia vltimam radicalem, & quiescentia lamed he: vt plurimum sunt eiusdem significationis, & cum marar significet amaricari seu amarum esse, videtur marah idem significare.

Tum quia vbi isti vertunt rebellare, vt plurimum tam bene quadrat amarum esse: vt primo Regum decimotertio. Pro eo quod matita, id est, rebellis fuisti ori Domini, vt nostri vertunt, tam bene veritas amara fuisti: quare posset etiam hic verti. Audite nunc amari, id est, qui semper amari fuistis ori Domini, quasi vos gustare nõ potuerit. Nos etiam dicimus: nunqua pude gustaar dellé: ou nunqua o pude gostaar, quemadmodum res amara gustari nequit.

Percussit petram virga sua, duabus vicibus.

Vocatur aliquando hæc virga dei, quòniam mirabilia Dei per eam fiebant: nonnunquàm verò Moseh, quia ipse ea vtebatur ad miracula, & quia fuerat baculus eius, dum ipse oues in deserto pasceret. Quod verò in textu dicitur duabus vicibus. Hebraice est vicibus, sed solent huiusmodi nomina numeralia, in plurali duplicare significationem suam. Nam esset in singulari significat decem: plurale verò eius, scilicet asserim significat viginti, sic maah in singulari centum, plurale verò eius, scilicet mathaim ducenta. Arba quatuor, arbaiim quadraginta, sic paam vicem, scilicet vnam: pamaiim verò duabus vicibus.

Pro eò quòd non credidistis mihi, aut in me: vt sanctificaretis me, in oculis filiorum Israel: idcirco nõ introducetis congregationem istam in terram quam dedi eis.

Difficile valdè est, huius loci genuinum sensum inuenire & explicare: in quo sanctus dux Moseh, & frater eius summus sacerdos peccarunt quòd tanta seueritate à iustissimo iudice puniti sunt. Non enim facilè apparet quomodo non crediderunt verbis Domini, aut in quo non sanctificauerint Deum coram filiis Israel: vt ea de causa à Domino punirentur priuatione ingressus terræ, & credidetim multa in hoc facto interuenisse quæ hic subticentur. Psal. enim centissimus quintus tractans rem hanc multa dicit, quorũ hic nulla fit mentio. Habet enim sic. Irritauerunt eũ ad aquas contradictionis, & malũ fuit ipsi Moseh propter eos: quia exacerbauerunt spiritum eius, & protulit labiis suis. Ex quibus innui videtur Moseh, ex acerbitate spiritus verba aliqua indigesta protulisse: quibus Deum offenderit. Deuteronomii verò tertio dicit ad eos Moseh Dominum iratum in se propter eos, eumque non exaudiuisse. Ex Psalmo septuagesimoseptimo aliquid colligitur ad intellectum huius loci, ex cuius verba videntur hæc accidisse ante datum man de cœlo. Sic enim ibi habetur. Tentauerunt deum in corde suo: petendo cibum animæ suæ, & loquuti sunt cõtra deum: & dixerunt. Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Ecce percussit petrã & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Nunquid etiam panem poterit dare, num parare carnem populo suo? Ideo audiuit Dominus & iratus est, & ignis accensus est in Iacob, & furor ascẽdit cõtra Israel, quia nõ crediderunt deõ: neque speraverunt in salute eius. Ex quibus verbis colligitur, eos Deum tentasse, scilicet non credendo eum posse dare cibum. Secundo non speraſſe in salute ipsius. Videtur ergo populum non credidisse quòd vi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficet deus posset eis aquam & alia necessaria in deserto dare, prouocasseq; eum ad iram, eoq; exacerbasse simul spiritum Moseh, ad aliquot verba indigesta proferenda. Excessisse enim eum in verbis locus Psal. vitatus expressit dicens. Et protulit labiis suis. Verba autem quæ protulit videntur ea esse, quæ hic habetur. Audite rebelles & cætera. De duobus autem à Domino ambo accusantur, scilicet quòd nō crediderint verbis eius, & quòd eum coram Israelitis non sanctificauerint, & difficile est vtrumque explicare & inuenire, scilicet quibus verbis non crediderint, & in quo eum non sanctificauerint, & varię sunt doctorum expositiones, sed antequàm nos iuxta mentem nostram locum explicemus, præmittendum est eandem esse aquæ eductionem quæ hic describitur, cum ea quæ scripta est Exodi decimoseptimo, quod ex eo apparet, quòd hij qui aduersum Moseh & Aharon contendebant, erant illi qui ex Ægypto egressi sunt, vt ipsimet fatentur: Miriam verò mortua est anno quadragesimo post egressum ex Ægypto quando iam nullus illorū viuebat præter quatuor, scilicet Moseh, Aharon, Iosuah & Chaleb. Nunc verò examinabimus more nostro vocabula quæ hic ponuntur, præsertim tria, scilicet iaan quod vertimus quia vel propterea, quam Hebræi dicunt significare quia aut propterea: quoniam in multis locis videtur hoc significare, sicut Leuitici vigesimoquinto, vbi dicitur. Iaanwbeiaan, id est, eo quòd, & propterea. Et Genesis vigesimosecundo. Iaan asser, id est, eo quòd fecisti rem hāc. Et Isai. 60. iaan, id est, eo quòd vxerit Dominus me. Inuenitur etiam significare auem desertā incolentē quam aliqui putant vlulā, alij verò struthionem vt patet Isaię decimotertio, vbi habetur. Habitabunt ibi filiæ iaannah, id est, vlulę, aut struthionis. Et Micheæ primo. Faciam planctum sicut dracones, & luctum sicut filiæ iaannah, id est, struthionis vel vlulę: de qua abunde diximus Leuitici vndecimo. Secunda dictio examinanda, est verbum aman quod vertimus credere, quod significat proprie stabilire & firmare, similiter credere: quòd credens videatur se firmare in verbis eius cui credit. Nam. 2. Samuel. habes capite septimo. Veneman, id est. Et stabilietur vel firmabitur domus tua. Item Psal. septuagesimooctauo. Non veennu, id est, stabiles fuerūt in pacto tuo. Tertium verbum explicandum est chadas, quod vertimus sanctificare quod proprie significat separare, aut ab immunditiis aut à prophanis vsibus cultuique diuino applicare: quibus præmissis aduertēdum est Deum in hæc verba præcepisse Moseh. Accipe virgam, & cōgregare faciem tuam: tu & Aharon frater tuus, & loquimini ad petram in oculis eorum, & dabit aquam suam'. Ex quibus viderunt. Deum voluisse eos glorificare eum coram filiis Israel, postquàm præcipiebat multitudinem ad miraculum vocari: voluisseque vt ei miraculum tribueretur: non ducibus aut ministris. Credibile etiam est Moseh verbum aliquod diffidentiæ dixisse, quemadmodum dixisse videtur, cū Dominus carnes ad mensem se daturum polliceretur Numeri vndecimo, ipsi verò in miraculo faciendo, sibi honorem & gloriam tribuere videntur dicentes. Nunquid de petra hac educemus vobis aquam? Applicando ergo sensum verbis: sic locus interpretandus est. Pro eo quòd non credidistis mihi, dubitando scilicet an possem aquam ex petra educere: neque me sanctificastis, id est, separatum ostēdistis in miraculis faciendis. Non inquit me ostendistis singularem in operibus, sed vobis tribuistis miraculum: non introducetis hos populos. Interuenisse verò in hoc negotio aliquid incredulitatis: præter verba ipsa Dei de ea arguentis eos: ipsa bina silicis percussio testatur. Nisi enim aliquid interuenisset incredulitatis, quàmprimum ipse Moseh in verbo Dei percuteret lapidem, laticem ex se copiosum emitteret iuxta verbum Domini. Alij verò dicunt eos peccasse, quoniam sub dubio protulerunt: quod dominus absolute faciendum præceperat. Dixerat enim Dominus. Loquimini ad petram, & illa dabit aquas. Non erat ergo alio modo opus quàm dicere. Petra da aquas. Ipsi verò sub dubio proferunt dicētes. Nunquid de petra hac aquam poterimus vobis educere? & fortè ex modo dubio loquendi, dubitare fecerunt populum. Tertius sensus est. Quia non credere fecistis, scilicet populum verbis meis, id est, fuistis causa, proferendo verba dubia ex quibus ipsi occasionem infidelitatis suæ sumpserūt quòd populus non crederet neque sanctificastis me, ostendendo opera mea separata ab omnibus aliis diis; non introducetis & cætera, & iste sensus non ponit in eis incredulitatem, sed in populo, & ostendit eos occasionem populo incredulitatis dedisse & placet sensus: quoniam vt citauimus ex Deutero. videtur Moseh in populum peccatum reiicere, dicēs Deum in se propter eos iratum. Sunt inter Hebræos qui putant eos peccasse, in eo quòd vocauerint Iudæos rebelles seu amaros; sed non puto eos in hoc vllo modo peccasse, cùm populus amarus & rebellis domino esset. Sunt etiam qui eos peccasse asserunt, quoniam nō sunt loquuti ad petram: sicut Dominus imperauerat. Alij verò sensus indigni sunt qui hic referantur. *Iste sunt aquæ litis, quas litigauerunt filij Israel & Dominus, & sanctificatus est in eis.* Constat ex his verbis litem fuisse inter Deum & populum, & putarem fuisse super potētia Domini, an videlicet posset aquas de petra educere, & fuit in eis sanctificatus: scilicet ex miraculo, quoniam videntes eius potentiam laudauerunt eum, aut quia non obstante illorum incredulitate, dominus dedit illis aquas: in quo se sanctissimum ostendit, quemadmodum dicit Apostolus ad Romanos tertio, deum esse veracē, omnem verò hominem mendacem: quoniam non obstantibus eorum peccatis, promissis suis steterit. Sic & Paulus secundæ ad Corinthios septimo dicit illis. In omnibus exhibuistis vos incōtaminatos esse negotio, ac si dicat sanctos & inculpabiles. Aut sanctificauit se in eis, id est, puniendo eos se sanctum ostendit: quemadmodum dixit in Leuitico capit. 10. Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, id est, sanctum me ostendam & à peccato separatum & immunem: puniendo peccatores, præsertim de domo mea.

Sic dicit frater tuus Iaacob. Quoniam pater Edom, s. Esau & pater Iehudæorum. s. Iaacob fuerant fratres: vocant Iehudæi Edomeos fratres, vt eos prouocarent ad concedendum transitum per terram suam.

Tu cognouisti omnem laborem qui inuenit nos. Dictio Hebraica thalaah, id est, labor, videtur potius significare grauamen, quemadmodum laah grauare: vt patet Iob quarto. Nonne si tentauerit quispiam loqui ad te, tileh, id est, grauaberis seu ægre feres?

Afflixerunt nos Ægyptij. Melius vertas, Confregerunt: quoniam verbum roa significat proprie frangere: præsertim cum sonitu. Fuerant enim Iudæi ab Ægyptiis confracti laboribus & dura seruitute.

Misit Angelum, & eduxit nos ex Ægypto. Quidam hic pro Angelo nuntium vertunt, & dictio malach consentit, quæ tam angelum quàm nuntium significat, per quem intelligūt Moseh, sed licet Prophetæ angeli aliquando vocentur & nuntij, vt habetur. 2. Paralipome. trigesimosexto, & Aggæi primo, melius tamen videtur angelum intelligere qui Ægyptiorum primogenita occidit, & Israelitas duxit. Audi Isaiam sexagesimo. 3. cap. In omni (inquit) angustia eorum, ei fuit angustia, & angelus faciei eius, saluos fecit eos: propter dilectionē suam, & indulgentiā suam redemit eos, & portauit eos, & tulit eos cunctis diebus sæculi. Et post pauca. Et recordatus est dierū lōgi tēporis Moseh & populi sui. Vbi est qui ascendere fecit eos de mari, cum pastore pecorum suorum? quo in loco mentio fit vtriusque, scilicet angeli & Moseh, licet ibi quidam vtroque loco putent textum loqui de Moseh.

Ecce simus in Chades ciuitate finis termini tui, id est, quæ est in extremitate termini tui. Significat nomen cheseb finem & extremitatem vt patet ex multis scripturæ locis: vt Exodi vigesimosexto, vbi dicitur. De ha chaseh, id est, extremo ad extremum. Idem Genesis decimonono, & Iosuah. 3.

Non pertransibimus per agros aut vineas, scilicet fatos, aut in quibus sit messis. Hebraice magis ad literam est. Non transibimus in agros & in vineas, quasi dicat: non diuertemus à via publica, in agros aut vineas: vt ā nobis nocumentum timere possis.

Et non bibemus aquas putei, id est, puteorum tuorum, intellige sine pretio, vt infra explicatur.

Via regia ambulabimus. Non plene constat quare via publica seu communis dicatur regia, & putarem ea quæ non habent certum Dominum esse communitatis, & quia rex gerit personam ipsius communitatis, ea quæ sunt communia dicuntur regia, quēadmodum via: vnde idem dictu est via regia, quod via cōmunis. Nos etiam dicimus strada real, id est, viam regiam & vicum, & omnia communia regia appellamus.

Non transibis in me. Sic in Hebræo est. Aliqui vertunt per me, id est, per terram meam, sed prior litera potest sustineri, cuius sensus est. Non intrabis terrani meam ad transeundum ad tuam.

Per tritam ascendemus. Omnes nostri hic verterūt per viam ascendemus, sed meo iudicio non bene, quoniam verbum salal à quo mesilah, id est trita, significat proprie terere & loco magis quadrat: licet Hebræi dicant significare eleuare vt patet Ieremiæ quinquagesimo, vbi dicitur Salauah, id est, calcate eam sicut acceruos, scilicet manipulorum, & in omnibus locis quibus nostri eleuare vertunt, tam bene quadrat calcare seu conculcare: vt patet Prouerbiorum decimo quinto, Semita rectorum sellulah, quod nostri vertunt eleuata, tu melius vertas trita, in qua nullus possit errare. Et Isaiæ quinquagesimoseptimo. Et dicet sol lu sollu, id est, terite terite, scilicet viam. Disputauimus de verbi significatione Exodi nono quem locū consulere licebit.

Tantum non quicquàm detrimenti erit: pedibus meis transibo. Paraphrasi vsus est hic noster Sanctes: Hebraice sic est. Tantum non verbum, in pedibus meis trāsibo, sed sensus videtur esse à Sancte bene redditus. Posset etiam esse sensus. Tantum nullum erit verbum super pecunia sed solum pedes transibo. Aut tantum, scilicet transibo, nullum erit verbum cum tuis disceptando, sed trāsibo pedes. Vel tertio cūm pedibus meis transiero, nullum erit verbum, id est, nullam cum tuis miscebimus litem. Nihil loquar, sed solum transibo pedibus meis. Similem loquutionem habes infra Deutero. secundo.

Egressus est Edon in occursum eius, cum populo graui, & cum manu forti. Per populum grauem intellige multum: per manum verò fortem, intellige exercitum viribus potentem, ac si dicat: cum populo multo & forti.

Congregabitur Aharon ad populum suum. Tropus Hebraicus est, id est morietur, aut coniungetur ad statum mortuorum vt dicit Aben Ezrah. Si cupis scire quare de aliquo mortuo dicatur esse congregatum seu collectum ad populum suum, quemadmodum de Abraham dictum est Geneſis vigesimoquinto, & de Ismaele filio eius: dico quòd quia solebant homines eiusdem ciuitatis aut loci, habere communem locum sepulturæ, scilicet aliquem agrum: ita quod quemadmodum viuentes in eadem ciuitate vel loco aggregabantur, ita & post mortem in eodem agro sepeliebantur, & hac de causa dicuntur colligi ad populum suum, etiam si seorsum sepelirentur, quemadmodum Dauid primo Regum dicit se ingredi viam vniuersæ carnis. Quidam ex nostris interpretantur in fide parentum mortuus est, quod si verum esset sequeretur Abraham in idololatria mortuum, de quo dicitur fuisse collectum ad populum suum. Fuerant enim parentes Abrahæ in idololatria mortui, vt dicitur Iosuah vigesimoquarto, vbi dicitur. Patres Israel trās fluuium fedisse ab antiquo Terah, patrem Abraham & patrem Nahor & seruisse diis alienis. Alij ex huiusmodi locutionibus statuere voluerunt immortalitatem animarum, sed melius & clarius eam statuisse ex verbis vltimi capitis libri Ecclesiastes vbi dicitur. Reuertetur pulvis in terram quemadmodum fuit, & spiritus reuertetur ad Deum qui dedit illum, & fortè in toto veteri testamento non offendes locum ex quo illam clarius & euidentius firmare possis.

Eo quòd amari fuistis ori meo: ad aquas litis. Aliqui ex nostris vertunt. Eò quòd rebelles fuistis ori meo, sed vt alias probaui vetbum marah quemadmodum marar, significat amarum esse, & qui rebellis est præceptis, amarus est ori præcipientis: ideo potest tolerari interpretatio. Dicuntur autem fuisse ori Domini rebelles aut amari, quoniam Deus præcepetat eis: ad petrā loqui nomine suo, ipsi verò non nomine dei, sed suo loquuti sunt, neq; sunt ad petram, sed ad populum loquuti dicentes. Audite nunc rebelles.

Spoliabis Aharon vestibus suis. Crediderim eum tunc indutum sacerdotalibus vestibus, quibus exutis, filium induit. Et aduertę Deum noluisse aliquem de populo vidisse summi sacerdotis excessum aut sepulchrum, vt ostendat non esse detegenda sacerdotum infirma.

Aharon congregabitur, & morietur ibi. Videtur hic textus explicare quid sit dictu congregare ad populum suum, quòd videlicet sit idem quod morietur, *in oculis omnis cœtus*, id est, cunctis videntibus. Omnes enim viderunt eos ascendentes, sed non descendentes.

Mortuus est in vertice montis. Non explicat textus qualiter sit mortuus aut sepultus, & crediderim neminem hoc vidisse, & putarem post denudationem eum à Moseh & filio vtcunque recessisse in loco secreto montis, & ibidem manibus angelorum sepultum, quemadmodum de Moseh credendum est. Vel aperuit Dominus terram quæ eum recepit, & statim coniuncta est, ita vt neque vestigium sepulturæ ibidem amplius videretur.

Videns populus quòd obisset Aharon. Diximus de verbi gaua significatione quomodo sit Iudæis incerta: qui dicunt significare obire seu leniter mori. *Eleuerunt Aharon triginta diebus.*

Varius fuit olim lugendorum mortuorum ritus, & crediderim tanto pluribus fleuisse diebus, quanto honorabiliores essent illi pro quibus flebant. Commune erat luctum mortui extendere ad septem dies: vt patet Ecclesiastici vigesimosecundo vbi dicitur. Luctus mortui septem dies: quasi illud esset cōmune, quod etiam viri Iabes Gabaad fecerunt pro morte Saulis. Nam de eis dicitur secundo Semuelis trigesimoprimo. Tulerunt ossa eorum, scilicet Saulis & Ionathæ, & sepelierunt sub arbore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus, quibus credendum est eos fleuisse. Gentiles verò pro virorum nobilium excessu, lugebant septuaginta diebus, vt constat ex quinquagesimo capite Geneseos de luctu quo Ægyptij luxerunt Iaacob. Crediderim ego Israel insignes viros ad triginta dies luxisse, vt patet hic de Aharon, & Deutero. trigesimoquarto de Moseh: populares verò ad septem tantum dies solitos deplorari: vt ex Ecclesiastico deductum est, & constat de amicis Iob capite secundo libri eius. Solebant etiam ieiunare vt constat de viris Iabes, & de Dauide primo Regum primo, qui ieiunauit vsq; ad vesperam: alij verò septem diebus. Scindebant etiam vestimenta sua, vt patet Iob. 2. & primo Regum primo. Vocabant etiam lamētatrices cātores & tibicines qui prouocarent ad fletum. Nam secundo Paralipo. trigesimoquinto habes. Et lamentatus est Irmiahu seu Ieremias, super Iosiahu seu Iosiam, & dixerunt omnes cantores & cantatrices in lamentationibus suis super Iosiahu vsq; hodie, & dederunt ea in statutum super Israel, & ecce ipsa scripta sunt in lamētationibus. Item Ieremiæ 9. Docete filias vestras lamentum, & in huiusmodi lamentationibus, solebant repetere præclara gesta defuncti: vt patet Ezechielis trigesimosecundo vbi Dominus Ezechieli dicit. Et tu fili hominis, leua lamētum super Parhoh regem Ægypti, & dic ad eum. Catulo leonis gentium assimilatus es, & tu sicut cœtus in maribus, & educebas flumina tua, & turbabas aquas pede tuo, & conculcabas flumina eorum, & pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

infortunio habebant homines, si mortuis non fierent huiusmodi lamentationes: vt patet Psal. 77. Iuuenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ: licet veritas Hebraica habeat. Non fuerunt lætificatæ, scilicet in die desponsationis.

IN CAPVT. XX. NVMERI AD morum compositionem annotata.

Mortua est ibi Miriam, & sepulta est ibi. Solet Dominus aliquando pios de medio subtrahere, ne incidant in aliquod peccatum quod immittunet, quēadmodum legimus Deum subtraxisse Enoch, ne malitia intellectum aut mētem eius mutaret. Instabat peccatum fratrum, & tam graue coram Domino: quòd ad mortem ante terræ promissę ingressum damnati sunt. Ne ergo mulier sancta doleret fratrum suorum peccata & punitionem è medio sublata est.

Et congregati sunt contra Moseh & Aharon. Admonui frequenter, neq, frequentius admoniusse pigebit: quid incōmodi sit, indomitæ præesse multitudini, vt videā si homines ab ambitione huiusmodi prælatiarum possim auertere. Si enim propriū cōmodum in munere quęrit, indignus eo est, si autē non quærat hæc frequēter patienda sunt incōmoda, securius est ergo eam non quærere, & si possibile sit, non acceptare.

Vtinam obmutuissemus quando obmurmurarunt fratres nostri. Summa ingratitudo est desiderare non esse, aut non recepisse beneficium, ne illud referre cogaris. Considera quæso istorum mentem, qui mori cupiunt aut potius se cupere mentiuntur, ne pro sua redemptione gratias agant Deo: quo in loco etiam aduerte, quantum sit malum cum desperatis agere. Nouerant isti se non ingressuros terram promissionis, & ideo nihil verentur dicere vel facere.

Venit Moseh & Aharon ad ostium tabernaculi. Hoc est piorū ab impiis refugium, cōfugere ad Deum, ad lachrymas, & ad orationes. Eripe (inquit) me, de inimicis meis Domine: ad te confugi.

Proiecerunt se super faciem suam. Videtur hunc apud priscos fuisse orandi modum, præsertim cum in aliqua magna essent tribulatione, vt scilicet se coram Domino prosternerent. Vnde in Euangelio legimus Christum seruatorem nostrum, dum passionis agonia vrgeretur: in terram proiecto corpore, patrem orasse.

Accipe virgam: & congregate hic cœtum. Pulchre hoc in loco docentur sancti viri, ad quid miracula facere debeant in conspectu omnium, non vt ipsi exaltentur à populo aut glorificentur, sed ad gloriam Dei: & considera quàm bene occurrat Dominus vanitatibus nostris. Ne putaret Moseh se propria virtute miracula facere, iubetur virgā Domini in manu sua gestare, & videtur locus iste adumbrare quod postmodum Christus discipulis dixit. Videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Mat. 6.

Petra dabit aquam suam. Omnia etiam insensata dant Deo suo & creatori, quicquid ab eis postulauerit, etiam si id sua natura non habeant: solus homo negat Deo suo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem & præcordia sua. Ferreus & plusquam lapideus es: si dante petra aquas Deo & populo: tu non des domino Deo tuo cor tuum.

Nunquid de petra hac, educemus vobis aquas? Canales sumus fratres mei: per quos transeunt opera & mirabilia Dei, sed quemadmodum aquæ ductus nullus est, qui saltem ab aqua quę per eum transit non humectetur: ita rari homines sunt per quos Deus sua mirabilia operetur, quibus aliquid non adhæreat vanitatis. Plus omnibus (inquit Paulus) laboraui, sed humanum fortè aliquid passus adiūxit, non ego solus sed gratia Dei mecum. Et si homo opera sua bona, Deo & non sibi adscribere debet, multo magis opera Dei, in quibus nihil nostri esse videtur. 2. Cor. 15.

Percussit petram virga, duabus vicibus. Nouit Dominus cibo seruorum suam amaritudinem miscere, vt ex amara mixtione cognoscant, quòd in opere vel petitione deliquerint. Vt ostenderet seruo in opere diffidentiam suam, permisit eum bis silicem percutere, vt ei ostenderet quātum operibus miris nocerat infidelitas operantis.

Pro eo quod non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel. Tremenda potius quā interpretanda sunt verba hæc. Quis non stupescat & miretur, videns hominem cui abscondita sua reuelauerat Deus: qui cum eo loquebatur facie ad faciem sicut homo ad amicum suum, tam facilè deliquisse, & qui tam facilè iratum Dominum aliis placauerat, non potuisse obtinere remissionem & rem quam aliis concesserat ipse Deus, Nemo ergo quantūcunq, sanctus & iustus præsumat de se: nemo sibi fidat, vidēs turres ipsas cecidisse. Similiter aduerte, quanti faciat Deus, si gloriā eius obscurare velis, aut eū in operibus suis non glorifices. Et quia deum priuauerāt gloria sua, priuauit etiā deus eos gloria introducēdi populum in terrā promissam. Considera etiā hic quanti faciat deus honorē suorum prælatorum. Peccauit Moseh peccauit & Aharon & peccatū grande vt videtur, sed nō statim munus quod contulerat ademit & credideris hæc illis etiam dixisse neque nisi per Moseh hæc populo innotuisse.

Misit Moseh nuntios de Cades ad regem Edom. Quid hoc est Domine deus, vt nō audeas intrare cum populo terrā Edom, nisi à rege permissus? Docet nos summa potentia nunquā violentia vti, & suauiter omnia disponere. Et considera quàm blandis vtatur verbis, fratrem vocat eum, inuitat ad gaudendum de bono pupuli. Discant etiam ex hoc loco reges patiētiam, videntes quanta hic vtitur Deus: vt cogatur circuire terram Edom, ne puniat regem Edom.

Misit angelum. Considera quam caute iam loquatur Moseh suo periculo edoctus. Nam licet ipse etiam populum ex Ægypto eduxisset, non tamen iam audet sibi hoc tribuere sed angelo.

Non transibimus per agrum. Doceantur hic qui exercitum ducunt, sine præiudicio ducere. Sed quis ex ducibus nūc aliquid horū cōsiderat, cum per alienam terram transire contingit? Similiter quàm morigerum sanctus Moseh ducebat exercitum, vt auderet polliceri, eum non intraturum agros aut vineas alienas.

Non transibis per me. Formidādus valdè est transitus exercitus alicuius per terram: quoniam indomita multitudo & potens, vix potest in officio contineri. Dissimulat dominus, quoniā tēpus dissimulandi erat: quēadmodum fecit cūm Hamalech, sed postmodum pœnas suæ impietatis dederunt vtriq,. Et habetur ex hoc loco, vias debere esse omnibus communes.

Congregabitur Aharon ad populum suum. Dissimulat sæpius dominus mala quæ iustis & impiis cōminatur, ex sua maxima pietate, sed tandē vt verax, ex eis vindictam comminatam sumit. Tu ergo qui Deum tuum offendisti, non putes deum vindictæ aut culpæ tuæ immemorem si vindictam ipse distulerit: quoniam non tradit obliuioni ea quorum vult recordari, & mirum valdè est non posse sacerdotem Deum quem omnibus aliis placabat, sibi propitium reddere, quæ tu sacerdos quæso expende, vt scias quanto difficilius sacerdotibus quā aliis, dominus peccata cōdonet.

Tolle Aharon & Elhazar filium eius. Considera quomodo optimus animæ & corporū consolator, in medio iræ, misericordiæ memoretur ne pater se omnino mortuum putaret, voluit filium primogenitum adesse: eumque patre viuente in eius ministerio sufficere, vt videt se filiū in sua functione & dignitate relinquere, non se omnino mortuum putaret: & æquo animo mortem sustineret. Solent enim parentes animæquiores in sua morte esse: cùm filios relinquūt, tum personæ tum etiam suæ dignitatis hæredes. Hac ergo causa voluit dominus Elhazar ante patris obitū vestimentis sacerdotalibus patris indui: vt ex aspectu eius pater in morte gauderet. Bonus consolator est qui primus moritur.

Mortuus est Aharon in vertice montis. Quid hoc ministerij est domine deus mi, quē nō vis sacerdotem

cerdotem neque ducem in media congregatione mori, sed ad moriendum montis verticem conscendere iubes, vt ibi moriatur? Non vult Dominus seculares cernere aut scire defectus sacerdotum aut magnatum, sed quoad potest abscondere & occultare nititur, & absconditos eos in abscondito faciei suæ: à conturbatione linguarum.

Fluxerunt super Aharon. 30. diebus. Colligimus ex hoc loco, publicas personas quales sunt summi sacerdotes & reges publico luctu esse deflendas: vt omnes sentiant eorum defectum, qui eorum præsentia & vita gaudebāt. Docentur etiam sacerdotes se populo amabiles exhibere, vt de eorum excessu omnes doleant.

IN CAPVT. XXI. NVMERI AD literam annotatio.

Et audiuit Chenaanæus rex Arad, habitans in meridie. Mortuis omnibus qui ex Ægypto egressi fuerant, reuersus est populus ad locū à quo Moseh olim miserat exploratores, & Chenaanei qui tunc Israelitas volentes contra imperium domini ascendere ad promissam terram contriuerāt, nunc etiam voluerunt eis ingressum impedire. Et crediderim Arad esse vrbis potius quàm regionis nomen: quoniam tunc temporis quęque ciuitas suum regem habebat, quemadmodum Genesis. 14. adnotauimus, & vsque hodie apud Harabes fieri solet, vt quæque ciuitas suum habeat regem. Erat ergo quidā ex Chenaanæis rex huius vrbis Arad. In terra verò habitabant non solum Chenaanæi sed etiam Hamalechitæ vt dictum est cap. 14. huius libri, & isti incolebant meridiem terræ sanctæ: vtcunque tamen versus ortum solis.

Quod venisset Israel per viam exploratorum. Aliqui intelligūt regem Arad per viam exploratorum, id est, medio exploratorum seu exploratoribus refertibus quos ad hoc sciendum miserat: audiuisse aduentum Israel, sed melius videtur vt audiret Israel venisse per viam per quam iuerant quondam exploratores quos miserat Moseh, id est, per viam meridianam. Lege cap. 13. huius libri, & offendes exploratores intrasse terram per meridiem. Septuaginta nomen Hebraicum atharim sine interpretatione reliquerunt vertentes per viā atharim ac si atharim sit nomē propriū loci

Et captiuauit ex eo captiuitatem. Multi ex nostris verterunt hic. Prædatus est ex eo prædam, sed re vera verbum Hebraicum sabah significat captiuare captiuum ducere, vt patet Ieremiæ. 41. vbi dicitur. Et verterunt se omnis populus, quem sabah, id est, captiuum duxerat Ismael: vnde sebi: idem est quod captiuitas. Qualis autem fuerit huiusmodi captiuitas hominum scilicet an aliarum rerum, in textu non explicatur: crediderim tamen fuisse hominū. Vertēdum ergo est vt vertimus. Captiuā duxit ex eo captiuitatē.

Si dederis populum istum in manu mea. Hebraismus est significans. Si tradideris populū hunc sub potestate mea, quæ manu designari solet.

Succidam vrbes eorum. Diximus Leuitici vltimo de hoc genere votorum: quod est cùm quis ita rem de uouet Deo, ac si sibi & vsibus suis mortua & succisa esset: aut cùm vouet eam propter Deum succidere: & solebat etiam de hominibus fieri, cùm ipsi erant inimici Dei aut populi sui: quemadmodum ex hoc loco constat. Vide quæ de verbi significatione annotauimus loco citato.

Vocauit nomen loci chormah. Significat chormah succisionem seu exterminium: vbi vides votum fieri de vrbium & hominum destructione, non quidem absolute seu solitarie, sed de homine aut vrbe quæ Domino inimicantur: sic enim materia sunt voti.

Profecti sunt de Hor monte, per viā maris terminati. Sæpissime in hoc opere admonui præsertim Exodi. 2. nomen suph significare finem vel terminum aut iuncetum: quod terminet inter terram & aquam, & videatur finis terræ & aquæ, vt ibidem multis exemplis ostendimus, & cùm dictio nusquam significet rubedinem, miror aliquot interpretes rubrū vertere, sed credendum est vulgatum interpretem apud aliquem hāc inuenisse significationem: cuius interpretationem licet non sequamur, eam tamē nullo pacto putamus reiiciendam. Et aduerte quod voluit Dominus Iudæos retrocedere versus mare, vt scilicet circuirent terram Edom quēadmodum textus expresse dicit. Voluimus autem hūc circulum describere, sed in hac re sunt tam incerti geographi & varij, quòd satius putauimus hoc silere, quam incerta pro certis tradere.

Et anxiatus est anima populi. Videtur verbū chasar, proprie significare stringere angustiari: quoniam stringitur spiritus eius qui angustiatur vel angustiis afficitur: ex consequenti verò metere, quòd messis soleat metere, sit scissos manipulos stringere seu manipulos facere, & horum multa sunt in sacris literis exempla: vt Isai. 28. Quia chasar, id est, strictum seu angustum est stratum. Et Micheæ. 2. Hachasar, id est, Nunquid strictus est spiritus Domini seu abbreuiatus? De alia significatione exempla sunt Iere. 12. vbi habetur. Seruerunt triticū, & spinas chasaru. i. messuerunt aut strinxerunt. Idē Hoseah. 10. Iniquitatē chesartem. i. messuistis. Et Leuitici vigesimotertio Vchesartē, id est, cū messueritis messem eius, vbi de hac significatione fusius diximus. Est ergo sensus horū verborū. Et angustiauit se anima populi, seu strinxit se. i. nō habuit illā spiritus latitudinem quam antea habebat, & sumirur anima pro halitu seu spiritu vitali. Nam homines fessi, non habent illam spiritus latitudinem & respirationem, quam habent quieti, & quod dicitur in via, idem est quod propter viam, aut lege vt in textu est. Aliqui non tam germane interpretantur. Abbreuiata est anima populi: hoc est impatiens facta est, seu à longanimitate recessit, & à murmure se continere non voluit.

Anima nostra anxiatiis affecit se propter panem leuissimum. Pro angustiis affecit se, ponitur in Hebræo verbum chasah quod Hebræi dicunt significare præcidere & decorticare: sed re vera puto potius significare finire & finiri ac deficere: cui rei duo argumento sunt. Alterum quod nomen chaseh quod est ab hac radice, ipsis authoribus significat finem seu extremum vniuscuiusque rei: vt patet Exod. 26. vbi dicitur Min hachaseh, id est, ab extremo ad extremum. Et Gen. 19. Michaseh. i. ab extremo. Alterum quod vbi isti vertunt de corticare, tam bene quadrat finire & deficere. Non tamen inficias imus significare præcidere, quod id quod præciditur in ipsa præcisione finiatur. Quod enim nostri Abachuch. 2. vertunt confusisti pudorem domui tuę chesot. i. eò q; succideris populos multos: potest verti. Eo quod deficere seu finire feceris populos multos. Sic quod Prouerbiorum. 26. interpretātur Mechaseh, id est, succisus pedibus, sic iniquitatem bibit, qui mittit nuntium per manū stulti: tam bene vertas. Sicut deficiens pedibus, licet etiam succidere conueniat. Illud etiam Leuitici. 14. quod vertunt Proficiet pulue rem quem hichissu, id est, abraserunt seu decorticauerunt, posset verti: quem succiderunt seu à fine abraserunt. Vocat autem finem parietis, corticem ipsius: vnde Rabbi Dauid vertit, quem proficisci fecerunt ad extremum domus, vt scoparent illum. Et Sanctes dicit chasas & chasah eiusdem esse significationis, cùm autem chasas significet finire, sequitur etiam chasah hoc idem significare. Est etiā obseruādum significationem nominis chelolochel. i. leuis, non plene notā Hebræis: sicut neq, verbi chalal à quo descēdit. Dicunt enim significare cōtēnere, velocem esse & maledicere leuem atq, velocē esse: vnde aliqui hic vertunt, leuem panem, alij vilē, alij maledictum, iuxta varias verbi significationes. Mihi tamē omnibus pēsatis videtur proprie significare leuē esse & ideo vertimus leuē aut leuissimum: vnde sensus meo iudicio est. Et anima nostra deficit seu finitur, eū pane leui, & sumitur anima aut pro vita, aut pro flatu vitali ac si dicāt. Vita nostra aut flatus deficit cum pane leuis concoctionis & digestionis: quę non implet ventrem, & nimis delicatus & tenuis est.

Et misit Dominus in populum serpentes ignitos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Admonui freqñter à verbo nachas quod est voce aut tonitu incantare, descendere nachas, id est, serpens, sic dictus quòd voce soleat incantari, iuxta illud Virgilium in bucolicis. Frigidus in pratis, cantando rumpitur anguis. Diximus de verbi significatione abunde Genesis. 44. Verbum verò saraph a quo nomen saraph quod ignitum vertimus, certum est significare vrere & incendere: vt patet Leuitic. 8. vbi dicitur. Et simum eius saraph, id est, combussit igni. Idem Ierem. 21. & multis aliis locis. Hinc etiam est nomẽ seraphim significans angelorum speciem seu genus, sic dictum, quòd sint igniti & inflammati de quibus Isai. 6. habes Seraphim stabant, & iterum ibi. Et volauit ad me vnus è seraphim. Dicuntur autẽ serpentes isti igniti, quoniam flatu oris sui vrebant, aut quia calidissimi erãt, & mor sus eorum adurebat hominem & eum æstuare faciebat. Vel fortè dicuntur igniti ratione coloris, quia scilicet speciem ignis præ se ferebant.

Quoniam locuti sumus in Deum & in te. Id est, contra Deum & contra te.

Ora Deum vt recedere faciat à nobis. seu à super nos. serpentem. Difficile est cognoscere propriam significationem verbi palal quod orare vertimus, Hebræi dicunt significare iudicare & orare & bene dicunt, sed non explicant analogiam significationis alterius ad alteram. Nã verbum proprie significat ius alicui vel pro aliquo dicere, & ex cõsequenti ius petere quod est orare. Solent enim mœsti aut iniuriam passi, orare sibi ius dici. Discussimus satis, verbi significationem Gen. 20. &. 25. Et de priori significatione exemplum habes. 1. Semuelis. 2. vbi dicitur. Si peccauerit vir in virum: vpi lalo. i. ius dicet illi Deus, & si in dominum peccauerit vir, litpalel lo. i. quis illi ius dicet seu pro illo? De secũda verò significatione habes. 1. Reg. 8. Ad orationem quam seruus tuus mitpalel, id est, orat coram te.

Orauit Moseh pro populo. Hebraicè est in vsq; ad populum & est sensus quod orationem vsq; ad populum extendit. Videtur enim orans, orationẽ à se vsque ad eum pro quo orat extendere.

Fac tibi serpentem igneum seu ignitum, & pone illum super lignum. Per serpentem igneum intellige, coloris ignis: quod enim fuerit æneus textus statim ostendit cùm dicit fecisse Moseh serpentem æneum & re vera crediderim eum fuisse ignitum, vt scilicet æs ex quo factus est candens & ardens esset: quoniam non videtur frustra textus dicere. Fac tibi serpentem ignitum, neque color igneus satisfacere videtur locutioni: si tamen ad colorem referas, non erraßi. Quod autẽ sequitur. Et pone illum super lignum: aduerte significationem verbi nasãs à quo nes quod lignũ vertimus non esse plene cognitam Hebræis, dicunt tamen significare eleuare & exaltare præcipue vexillum Psal. 60. habetur. Dedisti metuentibus te vexillũ, leuit noses. i. vt exaltentur seu eleuẽtur scilicet in eo aut vt eleuent illud. Item Isã. 59. Spiritus domini nosasah. i. eleuauit eum. Etiam Zachariæ. 9. Quia lapides diadematis mit nosesot, id est, eleuantur super terrã eius. Inde nes, id est, eleuatio aut vexillum sic dictum, quod soleat eleuari super lignũ, hic verò videtur significare perticam aut lignum super quo serpens eleuatus est. Quoniam in Hebræo habetur. Pone illum al nes, id est, super eleuationem aut perticam vt vertit Lyranus: vbi non tam bene quadrat super vexillum aut super signũ nisi mutes al in bet seu super in in. Thargum vertit super signum vel in signum Rabbi Selemoh in commentariis super columnam seu furcam. Quod autẽ pro vexillo accipiatur cõstat Isai. 5. vbi dicitur. Eleuabit nes, id est vexillum in gentibus procul, & cap. 11. Eleuauit nes, id est, vexillum. Et cap. 18. cum eleuauerit nes, id est, vexillum aut eleuationem in mõtibus, videbitis. Item cap. 20. Donec relinquamini sicut malus super verticem montis vechenes, id est, & sicut eleuatio super collem aut sicut vexillum. Adnotarunt hic Hebræi æneum hunc serpentem plane morbo contrarium fuisse remedium, ita vt nihil minus quam curare morsos à serpentibus posset, sed potius illis præsentissimam mortem adferre debebat. Eam enim æris candentis naturam esse dicunt, vt si quis à serpente morsus illud intueatur, statim moriatur, Deum ergo per cõtrarium & cõtra naturam, quodãmodo eos eo curare voluisse, vt ista ratione, illustriorem, magisque mirandam faceret saluificam suam virtutem atque potentiam. Eadem quoque dicunt de ligno illo in aquas amaras proiecto: vnde dulcorabantur. Similia adferunt de massa ficorum quo Ezechiæ regis vlcus curatum est; quæ omnia vide in Rabbi Dauidis radicibus, sed ea vera sint medici consulendi essent.

Cæstrametati sunt in cumulis Abarim. Non plene constat quid proprie significet aiah seu aie, quod cumulos vertimus: coniectura tamen non parua est ex. 17. capit. Isaiæ significare cumulum: vbi dicitur. Et erit mei, id est, tumulus seu cumulus ruinæ, id est, congregatio quæ ex ruina alicuius rei aggregasi solet. Aliqui putant desolationem significare propter illud Iob. 30. vbi habetur. Veruntamen non bei, id est, in desolationem mittet manum, sed ibi etiam germanius vertas, veruntamen non in cumulũ seu tumulum sepulchri mittet manum, & sic vertit Sanctes ibidem, & isti cumuli videtur aut colles aut cumuli solutæ terræ, & erant prope montes Abarim. Sonat autem Abarim transitus ab abar quod est transire.

Quod est super faciem Moab, id est, in loco eminenti ex quo videri potest terra Moab: aut è regione terræ Moabitarum.

Cæstrametati sunt in valle, zared. Aliqui hic vertunt in torrẽte pro in valle, quoniam nachal virũq; significat scilicet vallem & torrẽtem. radix. f. nachal significat hęreditare & possidere. Videtur autẽ significare torrentẽ, quoniã solet terminare hęreditates seu possessiones. Quod enim torrentẽ significet cõstat Iehosuah. 13. vbi dicitur. Ab Haroer quę est iuxta ripam nãchal. i. torrẽtis Arnon, zared verò nomen certi loci est.

Trans Arnon. Est Arnon fluuius diuidens à Moabitis Hamorreos vt statim explicat textus.

Propter quod dicetur in libro bellorum Domini. Antequam de libro hoc bellorum Domini aliquid dicam explicabo vim & significationẽ verbi sapar, à quo sepher, id est, liber. Significat autem proprie verbum saphar numerare, vt patet. 2. Semuelis. 24. vbi sic habetur. Postquam siphar, id est, numerãuit populum. Et Leui. 15. Cùm mundabitur fluxus à fluxu suo: vel saphar lo, id est, numerabit sibi septem dies. Et. 25. Sapharta, id est, numerabis tibi. Et quia qui narrat aliquid, dicit vnum post aliud, quasi numeret res quæ acciderunt; significat secundo narrare: vt patet Psalm. 44. vbi dicitur. Patres nostri sipperu, id est, narrauerunt nobis, quem loquendi modũ nos Hispani habemus hodie dicentes. Conta me isto, id est, numera mihi hoc, pro narra mihi hoc. Et quia Hebræi per literas numerant, supputantes Aleph, id est, vnum, Bet duo, Gimel tria & sic consequenter vt in grammatica docetur: inde est quod sepher significat literas, ac si significaret numeros & sephor numerationem. Potest ergo sepher hic significare librum, & numerationem & tertio narrationem, & si librum vertas incertum est quisnam sit iste liber præliorum Domini, & si non est Exodus aut Iosuah, credendum est Moseh aut Iosuah scripsisse omnia mirabilia Domini quæ ab exitu ex Ægypto vsque ad possessionem terræ fecit. quemadmodũ Dominus præcepit Moseh Exodi. 17. vt in libro scriberet pro memoriali, quòd esset deleturus Hamaleech de sub cœlo: qui liber cũ aliis multis quorum sacra scriptura meminit dolendum est periisse: quemadmodum liber Iustorum. Si verò vertas narrationem sensus est. Propter quod dicitur in narratione bellorum Domini & cætera: ac si dicat qua de causa dicunt qui bella Domini narrant: vbi narratur quod fecit in torrentibus Arnon, & in mari termini. Vt autem totum ac integrum reddamus sensum sic intellige. Diximus Iehudæos venisse ad fluuiũ Arnõ qui diuidit Moabitas ab Æmorreis. Propter quem fluuium Arnon. dicitur in libro bellorũ domini, quod fecit præclara gesta in mari Rubro

De verbis sapar quid proprie significet.

De libro bellorum Domini.

Rubro & in torrentibus Arnon, aut ob quam causam dicitur in libro bellorum Domini quæ bella fecit in suph, id est, mari termini aut cannæ, & quæ fecit in torrentibus Arnon. Aduerte tamẽ quod litera hebraica hic sic habet.

Propter quod dicetur in libro bellorum Domini, & fecit in terminato seu fine & torrentibus Arnon.

Et dictio vaheb quam vertimus fecit, ignotæ significationis est apud Hebræos, & Sanctes putauit esse à radice Iahab quod significat dare vt Hebræi dicunt, de cuius significatione diximus satis Genesis vndecimo, & multis aliis locis, quem sequentes vertimus & fecit seu & dedit. Alij verò integram radicem putant vahab & esse proprij loci nomen sic explicantes. Et à vaheb scilicet venerũt in suphah, id est, ad mare suph: Kimmi dicit dictionem esse imperfectam, & addendum esse (Et) vt integra dictio sit, Et vaheb, & sic se in libris correctis inuenisse dicit. Vides certè quales Duces habeamus in veteri instrumento, & quam bene norunt dictionum significata. Aduerte etiam quòd supah nusquam inuenitur significare mare Rubrum, seu suph quod sciam: licet dictio suph significet illud mare, quod filij Israel traiecerunt. Significat autem suphah turbinem vt Grãmatici dicunt, & multis exemplis scripturę probant: Nam Isaiæ decimoseptimo habetur. Et sicut stipula ante suphah, id est, turbinem. Et Iob vigesimoprimo. Sicut gluma quam furatur suphah, id est, turbo. Et trigesimoseptimo. A meridie venit suphah, id est, turbo. Item Prouerbiorum decimo. Quum transierit suphah, id est, turbo, & multis aliis scripturæ locis, quæ tibi ob oculos ponimus, ne clausis oculis cum interpretibus facilè transires, & putares nihil in loco esse difficultatis. Vnde posset locus aliter reddi sic. Propter quod, id est, propter hunc fluuium Arnon, dicitur in libro aut narratione bellorum Domini. Et dedit turbinem in torrentibus Arnon, & effusio torrentium qui declinant ad habitandum Ar, quæ est ciuitas Moabitarum, & recubuit ad terminum vel in termino Moab, & vt explicatiorem reddamus sensum, expone. Et dedit Dominus turbinem in torrentibus Arnon, & effusio torrentium declinauit propter turbinem Domini ad habitandum ciuitatem Ar, & recubuit seu innixus est fluuius terminis Moabitarũ, vt, scilicet, fluuius propter turbinem Domini decursum antiquum mutauerit, & recesserit ad ciuitatem Ar Moabitarum. Et re vera contextus hunc sensum probare videtur. Si tamen communem sensum tenere volueris expone sic. Propterea dicetur in libro vel narratione bellorum Domini, quæ fecit in suph, id est, in mari suph. & ad torrentes Arnon, & in defluxu torrentium, qui defluxus declinauit, id est, declinat ad habitationem Ar quæ est ciuitas Moabitarum, & innititur seu inclinatur ad terminum Moab. Aduerte etiam nomen esse d quod vertimus fluxum, dubiæ significationis esse apud Hebræos, & qui sequuntur Chaldæum paraphrastem, cum eo vertunt decursum: Thargum enim pro sapach quod est effluere, habet assad quod hic ponitur. Hieronymus scopulum interpretatur. Iosuah tamen. 12. nomen reliquit hebraicum sine interpretatione. Ponitur nomen Deutero. septimo, vbi dicitur, subter Asdod, id est, effusiones Pisgah. Et Iosuah. 10. Percussit Iosuah omnem terram montanam & australem & campestrem, & haasedot, id est, effusiones. Verbum etiam scam, id est, inniti non plene Hebræis notum est, ex exemplis tamen videtur significare inniti aut recumbere: vt patet. 2. Semuelis. 1. vbi dicitur. Et Saul nissan, id est, recumbebat aut innitebatur super hastam suam.

Et inde in Beer. seu in puteum. Iste est puteus quem aut de quo dixit Dominus ad Moseh. Congrega populum, & dabo illis aquam. Vult litera significare quòd ab Arnon fluuio, venerunt Iudæi ad puteum, & quis fuerit iste puteus, statim suo more explicat, quòd videlicet sit puteus litis, cuius scriptura meminit Exodi 17. & capite 20. huius libri, & constat ex hoc loco Iudæos bis fuisse in hoc loco. Nam cùm contenderent versus terram Edom transierunt per hunc locum postmodum cùm iam ingrediendum esset in terram promissam, ob causam exploratorum iussi sunt reuerti & circuire terram Edomeorum, & redierunt ad hunc puteum: quem cùm à longe cerneret in laudes domini proruperunt: & hoc est quod sequitur:

Tunc cecinit Israel carmen hoc. Quamprimum enim (vt diximus) viderunt puteum, cœperunt canere carmen hoc.

Ascende putee cunite ei. aut respondete seu humiliate vos ei. Hoc est carmen quod cecinerunt loquentes ad puteum, quemadmodum sæpius accidit in scripturis, vt in Psal. Quid est tibi mare quòd fugisti, & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? & sensus est, Ascende putee, id est, ostende te, manifesta te. Verbum autem anah potius significat respondere & humiliare quàm canere: & si canere vertas sensus est. Canite ei, scilicet, Domino, qui puteum dedit. Prorumpite in vocem laudis. Si verò vertas respondete ei, sensus est. Respondete vos filij Israel Domino gratiarum actionibus, qui vobis puteum dedit, aut respondete ad canticum nostrum. Solebant Cantores in Israel sibi inuicem respõdere repetendo thema cantici, vno prosequente, quemadmodum constat Exodi decimoquinto, vbi hoc admonuimus, & Psal. Confitemini Domino quoniam bonus quoniam in seculum misericordia eius, & prosequente vno aut duobus, quæ in illo Psalmo sequuntur, scilicet. Qui facit mirabilia magna solus, omnes repetebant, quoniam in sæculum misericordia eius. Si verò humiliare vertas sensus est. Humiliate vos ei, scilicet, Domino Israelitæ qui puteũ aquarum contulit. Tunc cantores seu canticum prosequentes, adiungunt quod sequitur:

Puteum foderunt Principes, aut speculati sunt principes. *Foderunt eum liberales populi, in præceptore*, vel legislatore *in baculis suis.* Aduerte quod hic in hebreo ponuntur duo verba dubiæ significationis apud Hebræos, scilicet chapar quod vertimus fodere, & charah quod idem videtur significare, & videtur significare fodere cum maximo labore, quemadmodum in petra fieri solet sicut cùm sepulchra in lapidibus fodiuntur & putei: vt Psalmo septimo habes. Cisternam charah, id est, fodit. Et secundo Paralipomenon decimosexto. Sepelierunt eum in sepulchris illius, quæ charah, id est, fodie sibi. Significat etiam Hebræis comedere seu mordere panem, quod sit quasi fodere, & etiam cum labore acquirere, quemadmodum res defossa. Dictio etiam nadib seu nedibe quam vertimus liberales, est à nadab quod Hebræis est sponte aliquid elargiri & significat spontaneum seu liberalem, & qui sponte aliquid elargitur. Est ergo huius loci sensus. Principes scilicet, Moseh & Aharon foderunt puteum, perforarunt eum liberales populi, per quos eosdem intelligit, qui sponte largiebantur populo, quæ necessaria erant, in legislatore, id est, non sua virtute, sed Dei legislatoris: in baculis suis, id est, ministerio virgæ quam Dominus præcepit Moseh accipere vt ponatur pro singulari plurale vel fortè quisque suam virgam ad miraculum cepit, scilicet, Moseh suam qua mirabilia in Ægypto fecerat. & Aharon illam quæ froduerat, & fortè hac de causa dicitur in textu capitis vigesimi, eos bis silicem percussisse quoniam quisque illorum sua propria virga percussit.

Et de deserto in Mathanah, & à Mathanah in Nachaliel, & de Nachaliel in Bamoth, & de Bamoth in vallem quæ est in agro Moab. Nomina sunt propria locorum, licet quidam Mathanah interpretentur donum & Bamoth excelsa loca: vt sit sensus. Ex deserto in Mathanah. id est, in locum quo dono aquas acceperunt. Et de Nachaliel in loca excelsa, & de locis excelsis in vallem. Aduerte tamen quòd dictio gaie quam hic omnes ferè vallem interpretantur, vallem videtur significare Isaiæ quadragesimo, vbi dicitur. Omnis ge, id est, vallis eleuabitur, capite tamen. 28. eiusdem videtur locum significare eleuatum, vbi dicitur. Quæ erant sis per verticem ge, id est, vallis pinguium, concussi vino,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſui valli verticem tribuit, neq; mirum, quoniam ſunt quædam valles quæ in aliqua parte caput collis habent. Clauſula integra ſic eſt in hebræo.

De Bamoth Valle, qui eſt in agro Moab, caput Happiſggah, & reſpicit ſuper faciem Haieſſimon.

Et poteſt eſſe ſenſus quòd de Bamoth valle qui eſt in agro Moab, venerunt in caput mõtis vel collis Happiſggah, vt Piſggah ſit nomen proprium loci, aut ſi magis appellatiuum putes, verte in caput collis, quod quidem caput Happiſggah ſeu collis, reſpicit ſuper faciem Haieſſimon. Eſt autem Haieſſimon nomen loci proprium, & pro reſpicit in Hebræo eſt reſpicitur: ſed vbique actiuè ab Interpretibus redditur vt Pſalm. 85. Iuſtitia è cœlis niſchaph, id eſt, proſpexit: vbi etiam in paſſiua ponitur. Idem Prouerb. 7. & is meo iudicio eſt ſenſus germanus huius loci.

Neque bibemus aquas putei. Intellige gratis, quod verò ſequitur.

In Via regia pergemus. Iam hoc eodem capite admonui quare via publica dicatur regia, quoniam loca publica ſunt loca communitatis cuius vices Rex gerit.

Et venit Iahſah. Iahſah nomen eſt loci proprium, ad quem cum populo ſuo venit Sichon.

In ore gladij, id eſt, in acie, quæ dicitur os, quia videtur homines comedere, quem loquẽdi modum iam in hebraiſmis explicuimus.

Vſque ad Iabboch. Videtur Iabboch nomẽ fluuij ſecernentis Hammonitas ab Amorreis.

Quoniam fortis terminus filiorum Hamon. Videtur velle explicare, quare Iſrael debellatis Amorreis, non deleuerit filios Hamon, quoniam terminus illorum fortis erit: aut ratione fluminis Iabboch aut ratione præſidij. Sed ratio quare Iſrael nõ eſt ingreſſus terram filiorum Hamon eſt, quia Dominus tradiderat eam filiis Loth, vt dicitur Deuteronomij ſecundo.

In Chesbon & in omnibus finibus eius. Eſt Chesbon nomen vrbis Amorreorum, & per filias intellige oppida & villas, nam vt in hebraiſmis admonuimus, vocat hebraiſmus filias alicuius vrbis, oppida & villas eius, quòd à ciuitate nutriantur & protegãtur, quemadmodum filiæ à matre, aut quia ad latera eius ſunt & ab ea pendent. Sic Zachariæ. 9. Dicit filiæ Sion.

Quare Vilæ dicantur vrbiũ filiæ vt filia Sion

Quoniam Chesbon ciuitas. Non accipitur hic dictio Chi cauſaliter, quoniam nullius rei cauſam reddere videtur: ſed ſenſus eſt. Et fuit Chesbon ciuitas regia, in qua Reges Amorreorum morabantur.

Et ipſe pugnauit cum rege Moab ut principio, id eſt, olim aut prius, vt Sanctes vertit.

Propter quod dicent parabolizantes. Significat verbum maſſal aſſimilari, vt patet Pſalmo. 49. Ninſſal, id eſt, comparatus ſeu aſſimilatus eſt animalibus. Solent enim qui parabolicè loquuntur, quaſdam res aliis rebus comparare, imò ipſa parabola ſimilitudo eſt.

Venite in Chesbon, ædificetur & firmetur ciuitas Sichon, quoniam ignis egredietur de Chesbon: flamma de ciuitate Sichon, deuorabit Ar Moab, principes aut ſuperiores res Mabot aut excelſorum Arnon.

Verba ſunt Amorreorum exhortantium ſe inuicem & alios, ad extruendam ſeu ampliandam & firmandam vrbem ſuam, ſcilicet, Chesbon Regis Sichon, & iactãtium victoriam olim aduerſus Moabitas partam, & per ignem intelligunt bellatores regis Sichon, qui depopularunt vrbem Ar Moabitarum, & ſuperiores ſeu principes excelſorum Arnon, id eſt, commorãtium in excelſis, iuxta quæ fluit fluuius Arnon. Vertimus autem verbum Chiin firmare, quoniam hoc propriè ſignificat. Dictio etiam baale, ſuperiores ſignificat, à bet quod eſt in, & al ſupra, quaſi inſuper.

Væ tibi Moab, periiſti populo Chemos: dedit filios ſuos euaſores aut ereptos ſeu fugientes & filias ſuas in captiuitatem regi Amorrei Sichon. lucerna eorum periit, Chesbon vſque ad Dibon, & deſolare fecimus vſque ad Hophach, quæ eſt vſque ad Medeba.

Antequam integrum reddamus ſenſum, quædam explicanda ſunt, & primo Chemos quod fuit idolum Moabitarum vt patet primo Regum vndecimo. Vocatur autem populus idoli, quoniam ſub eius præſidio viuebant Moabitæ. Significat etiam peletim euaſorem vel ereptum à gladio, vt patet Ieremiæ quadrageſimoquarto. Et non erit palit, id eſt, euaſus vel ereptus. Eſt ergo ſenſus. O populo Moab væ tibi, Populo Chemos, id eſt, qui colis deam Chemos, periiſti. Dedit, ſcilicet, Moab aut Chemos filios ſuos euaſores, ſcilicet, gladij qui, ſcilicet, à gladio euaſerant: ac ſi dicat. Dedit illi filios tuos fugientes gladium vt cuaderent & filias in captiuitatem regi Amorreorum. Quod autem ſequitur lucerna eorum periit. Miror cur noſtri relinquentes hic propriam nominis ſignificationem, ſequũtur Onkelos qui vertit regnum cùm Nir nuſquam inueniatur illud ſignificare, ſed ſignificat lucernam aut arationem agri antequam ſeratur, & prioris ſignificationis ſunt multa exempla. Prouerbiorum. 24. Ner, id eſt, lucerna impiorum extinguetur. Et Pſal. 119. Ner, id eſt, lucerna pedibus meis verbum tuum. Item ſecũdo Semuelis vigeſimoprimo. Et non extingues ner, id eſt, lucernam Iſrael. Neq; mihi obiicias, ner ſignificare lucernam & non nir quod hic ponitur, quoniã Prouerbiorum trigeſimoprimo habes. Vaniram, id eſt, lucerna eorum, vbi cum iod ponitur pro lucerna. Dupliciter ergo poteſt verti quod ſequitur, ſecundum duplicem nominis ſignificationem. Vno modo ſic. Aratio eorum ſeu agrorum cultus periit & Chesbon, id eſt, homines ſeu exercitus Chesbon venit vſq; ad Dibon, & deſolare fecimus vſque ad Hophach quæ portenditur vſque ad Medeba. Dicit autem arationem Moabitarum periiſſe, quoniam agri ab exercitu Amorreorum cõculcati aut ſegetes combuſtæ ſunt: vt fieri ſolet cùm exercitus per eos tranſit. Secundo modo ſenſus eſt. Lucerna eorum periit, id eſt, ſucceſſio Regum aut ciuitatis. Nam quemadmodum rex regi ſuccedit, ita ciuitatis populus, populo priori. Quod enim ſucceſſio Regum dicatur lucerna conſtat ex Pſalmo. 132. Paraui lucernam Chriſto meo, id eſt, ſucceſſionem ſeu filium patri ſuccedentem. Vocatur filius vel ſucceſſor lucerna patris, quoniam patrem repræſentat & oſtendit, quem admodum lucerna id quod ad eam accedit, aut propè ipſam eſt. Et ſecũdo Semuelis vigeſimoprimo. Et non extingues ner, id eſt, lucernam in Iſrael, vbi de Rege ſermo eſt, & fortè ad hoc reſpexit Chaldæus qui hic pro lucerna regnum vertit. Sed cùm dictio in propria ſignificatione tolerari poſſit, non eſt opus eam mutare. Quòd autem nir arationem ſignificet, conſtat Ieremiæ quarto, vbi dicitur Niru lachem nir, id eſt, Arate vobis arationem. Poſſet etiam eſſe ſenſus ab eo loco Chesbon vſque ad Dibon, vt loquatur Moſeh de depopulatione quam Iudæi fecerunt in regno Sichon vt ſit ſenſus. Non ſolùm periit Moab, ſed etiam aratio vel ſuperna aut regnum Amorreorum, nempè ciuitas Chesbon vſque ad Dibon, & nos Iudæi deſolare fecimus vſque ad Hophach, quæ eſt vſque ad Medeba, & ſi hoc eſt verum, conſtat ex hoc loco Authorem huius libri fuiſſe aliquem de ſocietate Iudæorum in deſerto, & quod ſequitur firmare videtur vltimum ſenſum. Nam ſequitur. Et habitauit Iſrael in terra Amorrei.

Aliqua ſic eſt conditio ad cognoſcendum authorẽ libri.

Et Miſit Moſeh ad explorandum Iahazer, & ceperunt filias eius. Verbum ragal ſignificat propriè ambulare inde ragel, id eſt, explorator vel ambulator quod hinc inde diſcurrat Pſalmo decimoquinto habes. Non ragal, id eſt, ambulauit in lingua ſua, id eſt, non detraxit, vocat autem detrahere ambulare in lingua, quoniam detractor ab vno in alium locum diſcurrit: vt quod hic audiuit alibi referat: Vnde Ezechielis trigeſimoſexto, de montibus Iſrael dicitur pro eo quod aſcendiſtis in labium linguæ, id eſt, quia de vobis detraxerunt. Et Geneſis. 42. Meragelim, id eſt, exploratores ſeu ambulatores eſtis. Eſt autem Iazer nomen vrbis Amorreorum, & per filias eius oppida & villas intellige, & cauſam quare filiæ nuncupentur, hoc eodem capite diximus.

Ambulare in lingua, hebraiſmus eſt detrahere.

Et hæreditauit Emorreum qui erat ibi. Omnes noſtri hic vertunt. Et expulit, ſed verbum propriè hæreditare ſignificat vt patet infra. 27. Veiaras, id eſt, Et hæreditate

tate accipiet eam, & multis aliis locis, & hæreditare Emorreũ eſt hæreditare omnia bona eius. Vnde quod noſtri vertunt Iudicum. 11. Omne quod oris, id eſt, expulit Dominus à facie noſtra tu verte. Omne quod hæreditare fecit Dominus ante nos, aut quod Dominus dux noſter hæreditauit, & nobis dedit.

Aſcenderunt per viam Baſſan. Erat terra hæc fertiliſſima, in qua pecora innumera alebantur. Vnde in Pſalmo habes. Circundederunt me vituli multi, tauri Baſſan inſtar coronæ circundiderunt me.

In Edrebi. Nomen eſt loci.

Percuſſerunt illum, & filios eius, & omnem populum eius. Erat iſte Hogh rex Baſſan gigas & filij eius: vt patet Deutero. tertio, vbi dicitur quod ipſe ſolus remanſerat ex reliquis gigantibus, cuius lectus ferreus nouem cubitorum longitudinis & quatuor latitudinis oſtendebatur, in ciuitate Rabbath filiorum Hamon, & ideò dicitur hic quaſi aliquid ſingulare, quod occiderunt cum & filios eius.

Rex Hogh occiſus.

IN CAPVT. XXI. NVMERORVM ad morum elegantiam annotatio.

Pugnauit cum Iſrael & prædatus eſt ex eo prædam. Solet Dominus permittere impios prædam à piis excutere: vt hac de cauſa omnia bona auferat impiorum. Sunt enim bona iuſtorum inter bona impiorum, ſicut minuta quædam rotunda, quæ ægris porrigunt Medici ad euacuandos malos humores, quæ noſtri pirolas vocant. Hæc enim quàmprimum hominum viſcera ingrediuntur, omnes reuoluunt humores & cuncta quæ intus ſunt egredi faciunt. Sic res alicuius iuſti, quamprimum miſcetur rebus impiorum, eas ita turbat & reuoluit, vt ſtatim diffundantur & extrahantur. Diuitias ait Iob. 20. quas deuorauit euomet. Intrant enim ſicut aqua interiora eius, & ſicut oleũ oſſa eius, & ſicut fermenti modicum, totam maſſam corrumpit, ita & ſubſtantia iuſti, omnes opes impiorum. Quare valdè timendum eſt, penes te habere aliquid ex opibus iuſtorum, ne cogaris illas cum tuis magno dolore euomere. Putarunt Chenanæi ſe felices valdè, quòd prædam excuſſerint ab Iſrael, ſed ſtatim coacti ſunt pro parua captiuitate, omnes in captiuitatem ire, & omnia bona ſua, pro parua præda permutare.

Adiuare in hoc.

Vouit Iſrael votum Domino. Ecce ad quid Dominus ſæpè permittit pios anguſtiari, vt, ſcilicet, vota voueãt & ſoluant ei. Vbi etiam docemur vota, etiã in maxima anguſtia & cum magno metu facta, eſſe valida & ſoluenda. *Si tradendo tradideris populum iuſtum in manus meas: perdam vrbes eorum.* Sunt multi qui iniqua ducti pietate, timent in impios ſæuire, putantes ad pietatem pertinere, neminem caſtigare, quantum verò placeat Deo vindicta malorum: præmium datum hic Iſraelitis argumento eſt, quibus pro ſolo voto delendi impios, datur impiorum poſſeſſio. Similiter diſce quid valebit voti ſolutio apud Deum, cùm tanta impetret ſola promiſſio. Diſce etiam vota bona eſſe. Cuperem ſumme, Reges & Iudices, & omnes quorum intereſt mala vindicare, hæc aduertere, vt diligentius in malos animaduerterent, & putarẽt ſe maximum obſequium præſtare Deo, ſi impia geſta vindicent. Audi de qua re ſe iactet ſanctus rex Dauid Pſalmo centeſimo. Singulo (inquit) manè, ſuccidebam impios terræ: vt exterminarem omnes operarios iniquitatis.

Vota execranda Iſrael vt ea Mala & ſolutenda.

Loquutus eſt populus contra Deum & contra Moſeh. Qui Deo ob temporalia ſeruiunt, his deficientibus murmurare de eo coguntur: quos canibus ſimiles Pſalmus manifeſtat. Conuertentur (inquit) ad veſperam, & famem patientur vt canes: & ſi non fuerint ſaturati murmurabunt.

Murmur de victu ſordido & malo, ſignificat res noſtras ſummis murmurationibus proſequendas.

Vt quid nos aſcendere feciſti ex Ægypto, vt moreremur in deſerto? Extremum malum eſt, malis aſſueſcere. Nam qui in ſeruitute nati & nutriti ſunt, pro libertate ſeruitutem amplectuntur: & qui in tenebris, pro luce eas facile computant. Accidit nobis (ait Bernardus) quemadmodum puero in carcere nato, qui quoniam lucem ignorat, in tenebris ſedet, in tenebris ludit, in tenebris gaudet: ſed mater quæ lucem & libertatem aliquando nouit: plorat, dolet & triſtatur, & ſe captiuam conqueritur. Sic & nobis quoniam parum aut nihil de ſpiritualibus & æternis cognouimus, hęc tranſitoria & ſenſibilia pro veris bonis amplectimur, & exilium noſtrum patriam arbitramur: quemadmodum Iudæi qui in captiuitate Ægyptia nutriti, pro nihilo reputant ſuam libertatem.

Anima noſtra deficit, propter panem leuiſſimum. Audis quibus nos Deus noſter veluti paruulos alere voluit: & quibus nos velimus ſaturari. Vult ipſe nos vt filios, cibis delicatiſſimis enutrire, nos autem veluti ruſtici volumus potris & alliis ſaturari ac impleri: ille nos cibat pane angelorum, nos ventrem implere volumus ſiliquis porcorum.

Miſit Dominus in populos ignitos ſerpentes. Optimè pœna, perpetratæ reſpondet culpæ: Mordet detractor veluti ſerpens in abſcondito eum cui detrahit, & quaſi ignis deuorat famam eius: quare Dominus in eum immittit ignitos ſerpentes, qui & carnem mordeant & præcordia incendant. Cauenda ergo maxime eſt detractio præſertim in Dominum, quæ tam ſæua pœna à Domino punita eſt.

Væ tibi detrahenti Deo & ſanctis eius.

Fac tibi ignitum ſerpentem, & pone eum ſuper perticam: omnis qui morſus fuerit videbit eum, & viuet. Expẽde quæſo quomodo Dominus eodem malo quo Iſraelitas propter peccatum puniuit, eodem eos ſanare curauit. Serpente momordit, & ſerpente à morſibus ſanauit. Bona ſunt & ſalutifera mala, quibus nos Domino noſtro præſentare. Nihil vtilius, nihil ſalubrius, iſta potione amara: ſi modo ea æquo animo lata, Deo tuo noueris offerre. Audi quæſo quid fecerint gentiles quidam de Philiſtæis. Cùm enim arcam Domini in bello cepiſſent à Iudæis, & Dominus eos hac de cauſa muribus omnia corrodentibus & ſicis ſecretas natium partes vexantibus flagellaſſet, à ſuis ſatrapis edocti, mures aureos & podicum imagines faciunt, Deoque præſentant: vt his quibus flagellati erant, Domino præſentatis, plaga immiſſa ceſſaret. Cognouerunt enim nihil plus in nundinis Dei valere, quàm mala ab eo immiſſa ei cum patientia qua tolerantur præſentare. O impij Philiſtæi quis vos docuit talia facere? Nunquid locum hunc legiſtis, quo Dominus mala quæ inflixerat eiſdem malis ſanauit? Si ergo te pudet ô homo à gentibus hanc diſcere philoſophiam, vel ſaltem à fidelibus, imò ab ipſo Deo, eam ex hoc loco diſcere non pudeat. Eſt & aliud quod hic conſideres & à Iudæis tanquam ab iniuſtis auferas poſſeſſoribus, qui hic annotarunt qualiter Dominus his quibus homo occidi ſolet, cum viuificauerit & ſanauerit. Solet enim homo à ſerpente percuſſus ſtatim mori, ſi æs candens videri contingat, ipſe verò æris candentis aſpectu iſtos ſanat, vt videas quàm mira & ſeparata ab aliis ſint opera Dei, quæ ſi altius penetrare velis, & quod ſerpens iſte ſuſpenſus adurebat, cernes te morte viuificatum, paſſione à paſſionibus liberum. Et conſidera quàm pulchrè ſerpens ſerpentem adumbret. Quod enim in hoc ſerpente externum erat, æs erat ſed quod intus, ignis erat comburens, ſic & in Chriſto extra, corpus erat, ſimilitudinem ſerpentis habens, quoniam in ſimilitudinem carnis peccati: intus verò erat ignis deitatis, omnia peccata noſtra conſumens & deuorans. Addemus & tertium quod hic annotare poſſis. Habet textus eos qui ſerpentem à quo morſi fuerant intuerentur, ſanatos, ita vt ſerpens qui antea mordens occiderat, conſpectus viuificaret, qua in re nos docere voluit, quid valeat poſt perpetratam culpam eius conſideratio ad deteſtandum. Quantumcunque enim à ſerpentibus peccatorum ſis morſus, ſi poſtmodum ea quadam animi pœnitudine conſideres, facillimè ſanaberis. Recogitabo (ait quidam) omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Tu verò dic. Conſiderabo omnes ſerpentes meos, ad ſanitatem animæ meæ. Neque ſerpens ille qui occiderat, ſed eius ſimilitudo ſanabat: quo-

Mala quis Iſraelitas propter peccatum puniuit, eodem eos ſanare bus nos deo curauit. Serpente momordit. & ſerpente à morſibus us viſitat ſanauit. Bona ſunt & ſalutifera mala, quibus nos Do ſalubria, ſi minus ſæpius viſitat, ſi ſciamus ea cleuare, & Deo ea leuemus noſtro præſentare. Nihil vtilius, nihil ſalubrius, & Domino iſta potione amara: ſi modo ea æquo animo lata, offeramus Deo tuo noueris offerre. Audi quæſo quid fecerint ad ſalutem, gentiles quidam de Philiſtæis.

Zebius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoniam non peccatrix caro: sed eius similitudo nos a peccatis absoluit, quemadmodum non serpens qui non momorderat suspenditur, sed eius imago, ita neque diabolus suspenditur pro peccatis nostris, sed Christus cuius caro, peccatricis carnis gerebat similitudinem.

Idcirco dicitur in libro bellorum Domini.
Ad quid quæso Domine, vis librum scribi bellorum tuorum? Nunquid quemadmodum homo vanitatibus præliorum tuorum, & hostium debellatorum delectaris? Non miteris eum olim operibus iustitiæ delectari, quoniam deus vltionum erat, & liberè agebat, sed iam nunc libros mirabilium suorum cõscribi vult, non quæ fecit ad Rubrum mare, aut in torrẽte Arnon aut dimicando aduersus hostes suos, neque iam nunc opera potentiæ suæ, sed misericordiæ iactat. Et fortè ideò voluit hunc bellorum librum petire, vt solùm nunc iactaret opera misericordiæ, quæ in humanitate fecit pro nostra salute. Non enim in Euangeliis legis qualiter debellauerit homines hostes: sed qualiter ab infinitis & incurabilibus morbis inimicos homines peccatores sanauerit. Considera etiam quantum memoriæ commendare debeas beneficia Dei, postquàm vides eum librum scribi voluisse bellorum suorum.

Tunc cecinit Israel carmen hoc. Pulchrè docemur hic, vt quotiescunque memoriæ nostræ occurrerint beneficia Dei nobis exhibita, toties in eius laudes cum lætitia prorumpamus. Sed vide malitiam nostram. Si enim ab aliquo læsi sumus, quotiescunque ille nobis occurrit, in mala prorumpimus verba, & vindicare si possumus volumus illatum malum: sed si benefactor obuius sit, non solùm laudibus temperamus, sed nos abscondimus ne illum videamus, aut honoremus.

Ascende putee. Vides quemadmodum beneficium exaltant, & vt eleuetur, puteum precantur, ac omnes muneris accepti circunstantias repetunt.

Cum legislatore. Vnicuique tribuunt quod suum est. Commendant enim & laudant eum cuius virtute munus acceperunt, & ministros quorum precibus illud impetrarunt, imò & instrumenta quibus silex percussus est.

Transibo per terram tuam. Admonemur hic, sicut dixi de Rege Edom, patientiæ Dei, qui ita Regibus impiis morem gerere dignatur. Secundo cùm transimus, non nocere eis per quos transimus.

Percussit eum Israel. Qui uolunt dare communia, sæpius accidit perdere propria.

Ipse pugnauit cum rege Moab. Quare nobis quæso vir sanctè ista bella commemoras? victoriam & iactantiam Amorreorum prædicas? Ne quis glorietur vt puto, de perpetrato malo, & iniuria quam alteri intulit. Audi quid Dominus dicat per Abdiam aduersus filios Esau. Non debebas (inquit) lætari super filiis Iehudah in die qua perierunt, neq; debebas magnificare os tuũ in die angustiæ. Et Ieremias in Threnis. Noli lætari inimica mea quoniam cecidi, consurgam.

Peristi chemos. Mira valdè est hominum vanitas, & superbia, qua non solùm homines, sed deos se superare gloriantur.

Ne timeas eum quia in manu tua dedi illum.
Considera Domini diligentiam, & qualiter curat suos securos reddere, vbi viderit eos maximam timendi habere rationem. Erat rex iste gigas, ad cuius aspectum se formicas arbitrati sunt exploratores, quem maximè meruebat Moseh, sed Dominus antequam traderet, securum reddidit neque voluit seruum suum formidare. Similiter docemur hic nullum regnum rapinis & violentiis partum, posse diu stare.

IN CAP. XXII. NVMERORVM iuxta literam annotationes.

ET *profecti filij Israel, castrametati sunt in campestribus Moab.* Vltima hæc fuit profectio filiorum Israel, scilicet, à terra Emorreorum ad vada Iordanis, seu ad campestria Moab. Miror cur hic omnes Interpretes campestria vertunt, cùm radix nominis à rabah quod vertimus (turbam sequentes) campestria, quæ est arab significet propriè miscere & coniungere, vnde ereb, id est, mistio, & ereb vespera, sic dicta quòd in ea misceatur cum die nox, & arob, id est, mixtum. Inde etiam arabon, id est, pignus sic dictum quòd coniungat eum qui pignus tradidit, creditori obligãdo eum. Hinc etiam marab & maarabah, id est, occidens, quòd ibi sit vespera seu mistio diei & noctis. Ex quo etiam ereb, id est, negotiatio & maarab idem significans ratione superius data, quòd videlicet sit coniunctio mercatorum. Vnde etiam oreb, id est, cornus aut aliud animal mixtum. Ex quo etiam arabah vt diximus, quod re vera non campestria neque solitudines, sed cõmixta. Vbi, scilicet, termini diuersorum miscentur, quare hic potius vertendum puto, in cõfinibus Moab. Erat enim Iordanis fluuius, terminus diuersorum regnorum. Nam ibi terra Moab terminabatur, & trans Iarden incipiebat terra Ierecho.

Citra transitum Iarden Ierecho, id est, pertinens ad ciuitatem Ierecho. Dicitur autem fluuius Iarden Ierecho, quia erat propè eam, & ad eam pertinere videbatur.

Et timuit Moab à facie Israel. Significat verbum gur, propriè colligere se & congregari, vt patet Isaię quinquagesimoquarto, vbi habes. Quisquis gar. i. congregauerit seu collegerit se tecum. Et Iudicum decimonono. Vir leuita gar, id est, collegit se seu habitauit in latere mõtis Ephraim, & quia homines timidi solent colligi & contrahere se, extenditur ad significandum timere, vt videtur ex Psalmo vigesimosecundo probari, vbi dicitur Gúru, id est, timete ab eo omne semen Israel. Sed tam bene retenta propria significatione veritas. Contrahite seu colligite vos, omne semen Israel. Est enim tanta eius maiestas, vt homo debeat ob eius timorem contrahi. Si enim homo timidus contrahitur à facie maiestatis cuiusdam mortalis Reguli, quare non magis à facie eius qui postquam occiderit, potestatem habet mittere in gehennam? Posset ergo hic verti Et contraxit se Moab à facie, id est, ex præsentia Israel quem timebat ob multitudinem, vt statim explicatur. Si tamen vertas timuit non erraßi.

Et angustia affectus est Moab, à facie Israel.
Disputaui sæpius de significatione verbi chuts, quod hic Sanctes vertit angustia affectus est, cui Hebræi omnes istas tribuunt significationes, scilicet, expergisci, detestari, æstiuare, affligi, & deniq; illud vertunt prout locus in quo ponitur exigere videtur, quasi in eorum arbitrio situm sit, significationes verborum mutare, quod vt sæpius testatus sum, accidit, quia propriam ignorant, neque locos multum expendunt vt cognoscant: mihi autem videtur verbum significare æstiuare aut æstuare, significatio ab æstate sumitur, vt constat ex significatione nominis chatis quod significat æstatem, & meo iudicio confundunt Hebræi tres radices, scilicet chus quod est æstiuare vel pungi quasi spinis, & chasah quod est præcidere & finire, & chasas quod etiam præcidere significat: vnde hic verti posset. Et æstuauit aut punctus est Moab à facie Israel, neque sum de hac significatione certus, ideò eam non plenè diffinio.

Dixit Moab ad seniores Midian. Erant Midianitæ vicini Moabitis, & quia causa erat communis, pariter consiliati sunt. Aut vocauerunt Moabitæ eos, quia sapientes erant & magiæ dedit.

Sicut lambit germen agri. Significat nomen ierech, id est, germen quod hic pro viridi ponitur, aliquid viride, quemadmodum verbum larach à quo derivatur, exercare aliquod viride.

Misit nuntios ad Bilham filium Beor in Pethorah.
Quantum ex verbis textus colligitur, videtur Pethorah nomen proprium loci vbi agebat Bilham: Chaldæus vertit in Pethor Syrię quę est ad Euphratem: vbi expressit regionem in qua erat vrbs Pethor, & nomen fluuij, quod videlicet esset Euphrates. Author vulgatæ æditionis latinæ hanc vocem appellatiuè reddidit, hariolum legens. Misit (inquit) nuntios ad Balam filium Beor

Beor hariolum, hinc fortè motus, quòd patar Hebręis sit interpretari & ænigmata soluere. Septuaginta nomen hebraicum ac si significet proprium locum relinquere. Fuit ergo iste Bilham, si Chaldæo paraphrasti credamus, Chaldæus ex vrbe Pethorah quæ est propè fluuium Euphratem & iuxta Mesopotamiam. Fuit autem Prophetes, quemadmodum apud Ægyptios Mercurius trismegistus, & Sibillæ apud alias nationes. Neque mirandũ apud gentes veros fuisse Prophetas, quoniam multis iniquis in die iudicij Christo dicentibus. Nõne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus? se dicturum pollicetur: Discedite à me operarij iniquitatis, quia nescio vos.

Quæ est super fluuium terræ filiorum populi sui.
Setmo est de ciuitate Pethor, cuius situs describitur super fluuium, scilicet, Euphratem, si Chaldęo fidem adhibeas, & quod dicitur filiorum populi sui, potest referri ad Bilham, quòd videlicet esset ex ea vrbe quę sita erat super flumen filiorum populi sui, & ad Balach quòd videlicet esset inde oriundus ex illa, scilicet, vrbe quæ sita erat super fluuium filiorum populi sui, quia fortè non erat Moabita sed Midianita. Prior tamen intellectus mihi magis probatur.

Operit superficiem terræ. Hebraicè est, oculum terræ, quoniam vtur pat, vt sæpius admonui, hebraismus potentiam pro obiecto sicut oculum pro re oculo visa, & est sensus operit id, quod de terra videri oculo potest.

Habitat è regione mei. Alij vertunt, manet contra me. Verbum iasab propriè sedere significat, sed sensus in idem redit, & dictio mul, quod hic contra aut è regione vertimus, est à mul quod est circuncidere, cuius allusionem ad verbi significationem nondum inueni.

Veni & maledic mihi populum. Significat verbum arah maledicere aut cõtrahi, quoniam qui maledictus est, videtur esse contractus, ne, scilicet, crescat, & quod dicitur, maledic mihi, significat maledic in fauorem mei, seu gratia mei.

Et abierunt seniores Moab & seniores Midian, & divinationum pretium erat in manu eorum. Quoniam causa communis erat Moabitis & Midianitis, vtrique missi sunt à Rege. Aduerte autem quod in hebræo nõ est pretium, sed diuinationes in manu eorum, & credideram hos senes nuntios, etiam fuisse diuinos, & secum detulisse instrumenta diuinandi, & licet non essent diuinatores, deferebant tamen secum quædam necessaria ad huiusmodi diuinationes. Aben Ezrah putat eos huiusmodi instrumenta secum detulisse: vt viderent an Bilham eos deciperet aut moras traheret, quod si verum est, necesse fuit eos esse diuinos.

Manete hic nocte hac. Sanctes vertit. Pernoctate, sed melius vertas manete, quoniam verbum lon potius manere, quàm pernoctare significat, vt sæpius probauimus. Voluit autem eos noctem expectare, quoniam huiusmodi apparitiones & diuinationes, noctu fieri solent, quemadmodum capite duodecimo huius libri Dominus dixit. In somnio loquar ad eum. Sic enim Dominus etiam veris Prophetis loquebatur.

Quid viri isti tecum? Sic est in Hebræo, quod quidam ex nostris vertunt, Qui sunt viri isti, qui sunt tecum? Alij qui sunt viri isti, apud te? Sed hebraica interpretemur, quorum sensus est. Qui, scilicet, sunt viri isti qui sunt tecum? aut quid viri isti faciunt tecũ? vel ad quid viri isti sunt tecum? Posset etiam verti. Quis, scilicet, misit viros istos qui sunt tecum? ad quod videntur respondere verba Bilham.

Operuit superficiem terræ. Hebraicè oculum terræ, id est, quod oculis videri de terra potest.

Veni & maledic mihi, seu mei gratia. Videtur Chabah quod vertimus maledicere, significare detestari, execrari quemadmodum detestamur turpia: vnde chubah quod est ex hac radice significat infra vigesimoquinto locum turpem aut turpia membra, & est aliud verbum ab arah, quod supra positum est, quod diximus significare contrahere seu contrahi.

Non eas cum eis. Nouerat Dominus hominem auarum, & qui facilè munere corrumpi posset, ideò desinere voluit eum, & si contingat ire, *non maledicas populo,* aut è loco isto non maledicas: ac si dicat. Non solùm non vadas cum eis, sed neque hinc maledicas populo.

Et honoratos præ illis, aut honorabiliores illis. Significat verbum chabad grauare, onerare, diuitem esse & honorabilem. Vocat autem hebraismus diuites onerratos, quòd bonis onusti sint, misit ergo Balach nuntios ditiores seu honorabiliores ad Bilham, putans se eum sic facilius allecturum ad veniendum.

Quoniam honorando honorabo te. Posset etiam verti. Onerando onerabo tẽ, scilicet, diuitiis, quia verbum vt diximus, vtrumque significat.

Non potero transire os Domini. Sic in hebręo est, sed optimè ab Interpretibus redditur per nõ potero transgredi sermonem Domini.

Manete obsecro hic etiam vos nocte, id est, quemadmodum mãserunt priores nuntij apud me, ad noctem vnam: sic & vos nunc manete.

Quid addat Dominus loqui mecum. Putabat enim quòd Dominus aliquid mutaret ad verba priora, quibus non ire præceperat.

Surge vade cum eis. Mirum valdè videtur, quòd hic concedat eundi copiam, & statim quòd iret irascatur. Nunquid Deus est veluti homo vt tam facilè mutetur? Nouerat Dominus eum habere animum eundi & maledicendi, & permisit ire, sed non maledicere, vt ostenderet potentiam suam faciendo eum inuitum benedicere. Dicunt enim Hebræi & bene meo iudicio, quòd concessa abeundi licentia Bilham animum mutauit, & ob promissa munera maledicere populo decreuerat. Infra enim ei dicit angelus. Ecce egressus sum in aduersarium, quia diuertit per viam quæ est contra me. Caietanus dicit deum permisiuè loquutũ: sed prior solutio melior & germanior est.

Et cinxit asinam suam. Sic melius vertas quàm & strauit, quoniam verbum chabas cingere & ligare significat, vt patet Exodi vigesimonono vbi dicitur. Chabasta, id est, alligabis eis mitras. Et Isaiæ tertio. Non ero chobes, id est, alligator vel Chirurgus, qui solet vulnera alligare. Item Ionæ secundo. Alga chabus, id est, alligata est capiti meo. Benè tamen per sternere verbum reddi potest, quoniam iumentum non dicitur perfectè stratum nisi sit cinctum.

Stetit angelus Domini in via, vt aduersaretur illi.
Licet verbum iasab significet stare, propriè tamen videtur significare erigere in secunda coniugatione & sequentibus. Quod autem sequitur. In aduersarium, seu vt aduersatetur illi: ponitur hic sathan quod propriè significat aduersari, & nonnunquam dęmonem vt Iob. 1. quòd nobis continuò aduersetur.

Ipse equitabat super asinam suam.
Significat rachab sedere & equitare. Inde etiam techeb id est, mola superior quæ latinè catillum vocatur, sic dicta quòd quasi equitet super inferiorem, & serua allusionem quoniam bona est. Posset tamen verti. Non accipies in pignus molam & currum, scilicet, pauperis hominis.

Vt declinare faceret eam ad viam, id est, vt eam diuerteret ab errore ad viam.

In semita vinearum. Ignota est meo iudicio significatio missol, quod vertimus semitam. Dicunt autem Hebræi saal significare pugillum, propter illud Isaiæ quadragesimo. Quis mensus est besaalo, id est, pugillo suo aquas? Missol verò quod hic ponitur semitam, sual verò vulpem, propter illud Nechemiæ. 4. Si ascenderit sual, id est, vulpes. Et Threnorum quinto. Sualim, id est, vulpes ambulauerunt in eo. Videtur tamen dictio significare propriè mensuram, & iuxta hanc significationem verti possunt, quæ citata sunt ex Isaia, pro quis mensus est pugillo suo, quis mensus est semita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

semita pro semitis suis aquas: ac si dicat. Quis super aquas incessit, vt eas posset suis semitis metiri? Solemus enim domos & alia magna ædificia pedibus metiri. Quod verò habetur primo Regum 20. scilicet. Si suffecerit puluis Samon Iissalim, id est, semitis pugnatorum meorum: vbi nostri vertunt pugillis peditum meorum, ac si dicat. Tanta erit copia bellatorum meorum, vt non sufficiant viæ in Samaria ad eos: tem tamen non plenè diffinio, quoniam coniecturis ducor, non plenè certus, & est locus Ezechielis. 13. vbi nullo modo videtur semita quadrare, vbi dicitur bellaale, id est, propter pugillos hordeorum. Et forte sual vulpem significat quod semitam incedendo sua cauda operiat. Est ergo sensus, quòd angelus Domini stetit in semita vinearum, id est, in semita quæ erat inter duas macerias, quod statim textus explicat dicens, maceria hinc & maceria inde.

Arctauit se ad parietem, vt scilicet, ab angelo diuerteret & illi cederet, & verbum lachats, Hebræis significat opprimere, vim inferre & arctare, sed re vera solum significat arctare & coarctare, vt ex nomine lachas quod significat arctum constare potest, Isaiæ. 30. Dabit vobis Dominus aquam lachas, id est, arctam seu arctationis.

Et addidit angelus Domini transire, scilicet, à loco in quo erat, ad alium locũ vbi asina nullo modo posset eum declinare.

Percussit asinam virga. Dictio machel significat virgam & baculum, & prioris significationis exemplum habes Genesis trigesimo, secundæ verò, eiusdem trigesimosecundo.

Quoniam percussisti me iam tribus vicibus. Dictio regalim quam hic nostri vertunt vicibus significat propriè pedes, & fortè quod Latini dicunt tribus vicibus, Hebræi dicunt tribus ambulationibus.

Quia illusisti mihi. Dubia valdè est Hebræis & nostris significatio verbi alal, vt iam sæpius admonui, & vsque hodie me fateor de ea dubitare. Est tamen coniectura quòd propriè significet reuoluere, inuoluere, præsertim ad detegendum aliquid. Nam Iob decimosexto habetur. Vcolalti, id est, reuoluisti aut inuoluisti in puluere cornu meum, id est, honorem. Hinc etiam significat racemare, (liceat mihi explicãdi gratia sic latinis auribus loqui) id est, relictos racemos post vindemiam inuestigare, quod nostri vocant rabiscar ou rebuscar, id est, iterum quærere, vt diximus Leuitici decimonono vbi significationem tractauimus. Est etiam locus primo Samuelis trigesimoprimo, qui significationem hanc etiã firmare videtur: vbi dicit Saul armigero suo. Ne fortè veniant incircuncisi isti, & transfigant me vehithallelu, id est, inuoluant aut reuoluant me, scilicet, turpitudinem meam, aut scrutãdo, si quid pretiosi penes me habeam, aut in puluere inuoluant. Idem Iudicum decimonono, vbi dicitur de vxore Leuitæ in Gabba Biniamin constuprata cognouerunt eã, id est, rem cum ea habuerunt veiithallelu, id est, reuoluerunt eam ostendendo, scilicet, pudenda eius. Et primo Samuelis sexto dicunt Satrapæ Philistinorum de Ægyptiis à Deo percussis loquentes. Nonne quando hithallel, id est, racemarũt in eos seu racemare fecit in eis, dimiserunt eos? ac si dicant. Postquam non manserunt in eis nisi viles seu extrema, túc dimiserunt eos: & si malueris dicere verbum primum significare racemare, & ex consequenti reuoluere placet mihi, sed rem non quasi omnino certam statuo. Potes ergo hic vertere. Quoniam reuoluisti me, id est, fecisti pudenda mea in casu detegi, aut vili pendisti. Solent enim ea quæ racemantur seu requiruntur post vindemiam, vilia & quasi relicta reputari, & fortè hoc prætedit Isaias capite tertio cùm dicit. Dabo pueros principes eorum, vc tahallulum, id est, derelicti quasi qui à vindemia racemi relinquuntur, dominabuntur eis, seu viles, nos dicimus. Dar vos ei o rebotalho, id est, quod quasi reiicitur.

Super me equitasti, à tempore præcedenti vsque ad diem hanc. Hebraicè sic ad verbum habetur. Quam equitasti super me, ab adhuc tu, vsque ad diem hanc: sed distio quam, videtur in hebræo redundare vt sæpius accidit, & est sensus. Nonne sum asina tua, super quam equitasti? Super me, scilicet, ascendisti ab esse tuo, id est, postquam fuisti, vsque ad diem hanc, ac si dicat: postquam fuisti, semper vsque ad diem hanc equitasti me.

Nunquid consuescendo consuetudi facere hoc tibi? Tribuunt Hebræi verbo sachan omnes istas significationes, scilicet, prodesse, increpare, allicere, thezaurizare, nocere, pauperare, & depauperare, quod vt sæpius dixi, mihi præsentissimum signum est, eos propriam ignorare: illa tamen qua significat includere videtur esse communior, & fere omnibus locis quibus verbum ponitur conuenire nisi hic: vbi si vertas. Nunquid claudendo clausi facere tibi hoc? nullo modo conuenit, nisi vertas. Nunquid claudendo clausi me in viis, faciendo tibi hoc quod modo coacta facio? Sed si vertas, faciendo tibi hoc, optime videtur conuenire, ac si dicat. Nunquam claudendo clausi, scilicet, pedem ad parietem, faciendo tibi quod modo feci, nondum tamen hanc significationem quasi certam trado. Vide quæ de ea Exodi. 1. annotauimus.

Inclinauit se & incuruauit se super faciem suam. Significat verbum chadad inclinare, verticem præsertim: vnde chidah, id est, cassia sic dicta, quod in extremitate sit curua, quasi caput habeat inclinatum, & chodchod, id est, vertex sic dictum quòd inclinetur. Sequens verò verbum, scilicet, sachah significat toto corpore curuare, & aliquando deiicere se causa humiliationis, quæ duo hic fecit Bilham angelo. Prius enim caput curuauit, deinde deiecit se super faciem suam. Isaiæ. 51. habes. Sechi, id est, incurua te, deiice te, & transibimus.

Quia diuertit per viam quæ est contra me. Reddit angelus rationem verborum suorum. Quæsierat enim quare asinam percussisset ter. Non erat, inquit, percutienda, quoniam declinauit à via seu viam quę erat ante me, id est, noluit se mihi obiicere, aut mihi occurrere vt te saluaret, & quod locũ obscurum reddidit fuit, quod multi putant illud chi reddere rationem clausulæ immediatè præcedentis. Sic enim habet litera hebraica. Quare seu super quo percussisti asinam tuam, iam tribus vicibus?

Ecce ego egressus sum in aduersarium, scilicet tibi, quoniam declinauit, scilicet, asina viam quæ erat ante me, & relicta media clausula, legẽdum est. Quare percussisti asinam tuam iam tribus vicibus? quoniam declinauit viam quæ erat ante me. Et ex hoc loco colliges dictionem causalem, nõ semper reddere rationem clausulæ immediatè præcedentis, vt iam in regulis admonuimus, & videbis Munsterum quia forte hæc non aduertit mutasse tertiam personam in secundam vertendo. Eo quod peruerterem iter coram me, quare consulerem Interpretibus nunquam textum mutare, quoniam aliquando quod ipsi non aduertunt, alius aduertet. Hebræi etiam variè hunc locum interpretantur. Rabbi enim Dauid eum sic reddit. Dixit, inquit, angelus. Vir iste declinauit via, & corde suo ad maledicendum, & non ambulat per viam rectam coram me. Hieronymus vertit. Quia peruersa est via tua, & mihi contraria. Thargum. Quia manifestum est coram me: quòd vis ire per viam contra me: sed meo iudicio vides quàm benè mentem literæ huiusmodi expositiones assequantur.

Si malum in oculis tuis, id est, si iudicas malum, me ad Balach ire: reuertar mihi.

Verumtamen Verbum quod loquar ad te illud loquere. Varias significationes Hebræi assignãt dictioni ephes, quam dicunt significare finem sicut verbum aphas à quo ortum habet, consumptionem, terminum, non, nequaquam, nihil, frustra, gratis, temerè, præter, nisi: sed in multis locis vbi propriam significationem mutant, videtur posse tolerari: vt hic, vbi verti potest, finis seu tandem, verbum quod loquar ad te loqueris. Nos Lusitani isto modo loqui consuetimus. Postquam enim

enim multa diximus, adiungimus Em fim, quasi epilogum dictarum rerum faciendo: volo hoc & hoc, ac si dicamus cum Latinis tandem, hoc & hoc volo. Diximus de significatione dictionis capite decimotertio huius libri.

Quæ est super terminum Arnon, qui est in fine termini. Omnes nostri vertunt hic, quæ, scilicet, ciuitas Moab est in fine termini, sed nõ video quare non referat Arnon fluuium, qui vt dictum est capite præcedenti terminus seu limes erat inter Moabitas & Amorreos. Cùm autem dicitur qui est in fine termini, intellige Moabitarum, & crediderim ab hac ciuitate, scilicet, Moab, totum regnum sic vocatum: vt aliquando fieri solet.

Nunquid certè non potero honorare te? Posset etiam verti. Nunquid vere, non potero onerare te seu ditare te? quoniam verbum chabad vtrumque significat.

Nunquid omnino potero loqui quicquam? Hebraicè ad literam est. Nunc nunquid possendo potero loqui quicquam? sed sensus bene redditus est.

Venerunt in ciuitatem platearum. Aliqui ex Hebræis putant chutot, quòd plateas vertimus esse à radice chus, quod significat extra, foris, & plateam, & itti vertunt in ciuitatem platearum, id est, in qua multæ erant plateæ, vt dicit Rabbi Selomoh, qui eam dicit fuisse populosam. Alij verò quibus potius subscribam, sequentes Chaldeum interpretem, à chasah quod est diuidere, seu dimidiare nomen deriuant vertentes in ciuitatem diuisionum, vel confinium, quæ fortè diuidebat terminos. Inde enim videre poterat castra Israel, quæ vt diximus erant in confinibus Moab.

Mactauit Balach bouem & ouem, id est, boues & oues, neque constitit si sacrificauit hæc, vel potius mactauit ad conuiuium, quod verius credo.

Ascendere fecit eum ad excelsa Baal, id est, ad montem quo colebatur idolum Baal.

Vnde videre poterat finem populi, id est, extremam ipsius partem.

IN CAPVT. XXII. NVMERORVM ad morum ornatum adnotatio.

VIdit Balach omnia quæ fecerat Israel Emorreo, & timuit valdè. Quis daret vt impij, mala quæ Dominus aliis impijs infligit, attente considerarent, & in capite alieno disciplinam acciperent, ac vera remedia sibi quærerent relinquendo mala sua? Audi quid Dominus dicat Ieremiæ tertio. Et vidi (ait Dominus) quod vident quòd secundum omnes causas quibus fornicata est rebellis Israel, dimisi eam, & dedi ei libellum repudij, & non timuit prauaricatrix Iehudah soror eius, sed abiit & fornicata est etiam ipsa. Volebat enim Dominus Iehudah, in repudio Israel, timere suum, & emendare mala sua, quod quia non fecit, periit etiam ipse. Et vide quibus consulit malis suis, nempè superstitionibus, & execrationibus populi. Istæ enim solent esse medicinæ impiorum, quæ vtinam non sint etiam Christianorum. Ægrotat puer: currit ad carmina mater. Dolet caput & mulier superstitiosa aut maga vocatur, quę capitis dolorem execrabilibus verbis mulceat.

Rudemur male re- ferri- tur ma- lis.

Veni obsecro, & maledic propter me populo. Efficacissimæ sunt valdè, iustorum maledictiones. Maledixit Christus ficulneæ, & statim aruit. Et Iob quinto dicit quidam. Vidi stultum radicantem, & maledixi habitaculo eius statim. Elongabuntur filij eius à salute, & conterentur. Imprecatus est Helias combustionem militibus impij regis Achab, & statim ignis de cœlo descendit, & consumpsit eos. Sic & Heliseus pueris malum imprecatus est, & ab versis statim denorati sunt. Si enim Deus tanti facit, viri impij imprecationes, quare non magis Prophetarum & Sanctorum? Et si maledictiones tam efficaces reperiuntur, quid putas facient benedictiones? Quamobrem arbitror Patres antiquos tanti fecisse priorum & senum benedictiones.

1. Reg. 1.

2. Reg. 2.

Si fortè possim percutere eum. Expendè quàm forti præsidio tueantur boni, quòd videlicet nemo possit eis nocere, nisi prius à Domino maledicantur, aut facultate à Domino accepta, quemadmodum constat de Iob capite primo. Neque solum non possunt sine Deo lædi, sed neque maledici.

Nemo possest sanctos nocere sine Deo licere aut illis nocere.

Et diuinationum pretium in manu eorum. Vtinam sic homines soluerent beneficia, sicut maleficia, quantò melius solueretur patronus iniustæ causæ, quam iustæ? Audi quid Dominus per Ezechielem capite. 16. dicat Israeli, Omnibus, inquit, meretricibus, fornicantes mercedem dabunt: sed tu dedisti dona tua, cunctis amatoribus tuis, & remunerabas illos vt intrarent ad te. Antequam quicquam lucri à peccatis habeamus, abundè ea soluimus, bona verò etiam accepta soluere negligimus.

Respondebo vobis, quemadmodum loquetur Dominus ad me. Quis mihi daret Domine Deus, sic tibi obtemperare quemadmodum iste, vt nihil dicere, cogitare, aut facere te inconsulto voluissem, & si te ad manum non haberem, saltem consulerem legem tuam, quemadmodum ille qui dicebat: Consilium meum iustificationes tuæ.

Nihil incorsulto Domino agẽdum.

Psalmo.

Non pergas cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est. Mira valdè est solicitudo Domini erga suos, & quã benè eos admonet antequam quicquam faciant quo eum offendere possint. Genesis. 20. habes Deum regi Abimelech cùm vxorem Abrahæ contingere decreuisset. Ego (inquit) prohibui te, ne peccares in me, & idcò non permisi vt tangeres eam. Dauidem quoque prohibuit ne in sanguinem iret Nabal, cùm illatam ab eo iniuriam putaret vindicãdam. Aduerte etiam qualiter Deus mala seruorũ suorum auertat, quæ eis imminent ab inimicis, eis ignorantibus & quandoque renuentibus. Tertio aduerte frustra eum laborare qui maledicere aut malefacere eis nititur, qui à Deo benedicti sunt.

1. Samue. 25.

Addidit vt mitteret principes multos et honorabiliores. Quid in negotiis quæ precibus agũtur, valeat esse molestum ac importunum, pulchrè locus iste demõstrat. Similiter docemur multa facere ob multitudinem & propter nobiles, quæ non essemus alias facturi.

Omnia quæcunque dixeris mihi faciam. Optimè nouit iste hominum ingenium. Sunt multi qui pro eo quod facturi sunt, nolunt sibi pretium aut pecuniam nominari, quam tamen cupiunt & libenter accipiunt. Sic iste non dicit, Dabo tibi pretium pro maledictione, neque taxauit, sed taxam in eius arbitrio posuit, polliceturque se facturum quicquid dixerit ille.

Si daret mihi Balach domum suam plenam argento & auro. Mirum valdè est videre ethnicum hominem, tam constantem in sermone Domini, vt non solùm se non transgressurum Domini sermonem profiteatur, sed se hoc non posse facere suis verbis ostendat: sed postmodum sine argento & auro cõsilium dedit in populi destructionem, & præ se fert iste, illorum hominum speciem, qui Deo & Mammonæ seruire cupiunt, & in ore Deum, in corde verò pecuniam & lucrum ferunt.

Surge vade cum eis. Docet locus hic primum, quid valeat assidua precatio apud Deum, quòd eum tam facile mutet. Secundo docemur Deum non solicitari in his quæ semel negauerit nobis, quoniam vt Augustinus dicit aliquando negat propitius, quod concedit iratus, & qui cor suum Deo aduersum habet, non debet fidere his quæ sibi concesserit Deus: sed magis illa timere. Adhuc escæ eorum erant *in ore* eorum, & ira Dei incubuit super eos. Nouerat Dominus huius hominis fragilitatem & inconstantiam, ideò prohibuit iter, ipse verò suæ inconstantiæ ignarus, ire cupit.

Iratus est furor Dei, quòd pergeret ipse. Pulchrè nos admonet locus iste, quoties Dominus Deus hominem euntem ad peccatum reuocat, & redditum admonet. sed superba mens nostra surda ad admoniciones Dei, etiam frequenter admonita, non resipiscit.

Stetit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stetit in via, in alterſaruon ſibi. Vide quoties hominem Deus admoneat antequam puniat, & qualiter ſe & ſuos angelos peccatoribus opponit vt reuocet. Audi quid per Hoſeam dicat. Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis & ſepiam ea materia, & ſequetur amatores ſuos, & non inueniet eos, & dicet. Reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi tunc erat melius quàm nunc.

Vidit aſina angelum Domini. Mirum valdè eſt, quòd angelus Domini prius ſe aſinæ quàm ſeſſori oſtenderit, vt, ſcilicet, per iumenti vocem admoneret, qui Dei neglexerat admonitionem. Doceris etiam quàm pie iumenta tua tractare debeas, cùm videas hic aſinam Dominum ſuum à morte liberaſſe.

Quid feci tibi? Non ſolùm peccas ſi hominem ſine cauſa percutias: ſed etiam ſi immeritum iumentum. Arguit hac de cauſa angelus Bilham, quòd, ſcilicet, immeritam ter percuſſerit aſinam.

Nónne ſuon aſina tua, ſuper quam equitaſti? Nullo modo præſumendum eſt malum de eo, qui nunquàm alicui nocuit, neque nocere conſueuit. De fœmina illa præclara Suſanna legimus Danielis decimo tertio ſuos fleuiſſe, cũ illa de falſo crimine accuſaretur, quòd nunquam dictus fuiſſet ſermo huiuſmodi de Suſanna. Quemadmodum enim de aſſueto malis, facilè mala ſuſpicamur: ita de eo qui ſemper benè operatus eſt, non facilè mala credenda ſunt. Debent etiam Domini ſe permittere à ſuis ſubditis admoneri, imò & ali quando lædi, ſcientes quòd pedem aſtringunt, vt caput ſeruent.

Propter quid percuſiſti aſinam tuam? Curant angeli à Domino ſuo edocti, maximè pietatem. Prius arguit eum de impietate erga animal ſubiugale, quàm quòd animum damnatum haberet in via qua ibat.

Niſi à facie mea declinaſſet, te occidiſſem. Cauendum valdè eſt peccatori, ne ſe ſua ſpõte iniiciat in gladium Dei, & ſe perditum eat, & qualiter ſæpius Dominus homini parcit propter iumentum ſuum. Aduerte etiam quàm neceſſarium ſit homini, qui parnum animum habet: terrorem incutere: vt animus quem bonis mentitur verbis, à malo quod in eo latet auertatur. Niſi enim angelus Domini gladio & minis iſtum deterreret, facilè ad Regis placita inclinaretur.

Egreſſus eſt in occurſum eius. Solent Reges & Principes cùm egent operis alicuius pauperis aut religioſi viri, magnam illis oſtendere affabilitatem, quod cùm fuerint conſequuti non amplius eos norunt.

An non mittendo miſi ad te, vt vocarem te? Volunt Reges vt feſtinè omnes illis obediant, neq; curant an altioribus impeditus ſis, ita vt velint ſibi potius quàm Deo obediri: ſed ſeruus Dei optimè nouit cui primum debeat obtemperare.

IN CAPVT. XXIII. NVMERI annotatio ad literam.

Aedifica mihi hic ſeptem altaria, & para mihi hic ſeptem iuuencos & ſeptem arietes. Non ſatis conſtat cui ſacrificium offerebat Bilham, an Deo quem colebat Balach, vel potius Deo vero, & indubiè credo eum Deo vero ſacrificaſſe, quoniam ab eo ſperabat reſpõſa ſibi dari. Offerebat autem ſeptem quia fortè nouerat Deum diligere numerum ſeptenarium. Quod autem ſequitur. Et para mihi ſeptem iuuencos. Eſt aduertendum, verbum chun, Hebræis duo ſignificare, ſcilicet, firmare & parare. Videtur tamen frequentius ſignificare firmare & certificare quàm parare: vt ex multis ſcripturæ locis cõſtat. Prouerbiorum decimoſexto habes. In iuſtitia iichon, id eſt, firmabitur ſolium. Et vigeſimonono. Solium eius in ſeculum Iichon, id eſt, ſtabilietur. Primo Semuelis vigeſimo. Non tichon, id eſt, ſtabilieris tu. Vnde etiam hic verti poſſet. Et certifica mihi hic ſeptem vitulos, ita quòd non ſint plures neque pauciores aut ſint omnino certi ac ſi dicat. Non deficiant, ſed prior expoſitio communis melior & germanior eſt. Dictio etiam aiil, id eſt, aries ſignificat arietem qui annum tranſierit: vt dicit Rabbi Dauid Kimhi.

Obtulit Balach & Bilham iuuencum. Hebraicè eſt aſcendere fecit, ſcilicet, in altare offerendo illud, & putarem accipi, iuuẽcum pro iuuencos & arietem pro arietes, quoniam in conſtructione alterius altaris, iubet alios ſeptem parari, & eſt hic coniectura eum idolo litaſſe, quoniam Balach dicitur eum iuuaſſe, ſed oppoſitum verius eſt.

Sta hic ſuper holocauſtum tuum. Hoc dicit, ne aues aut ferę venirent & raperent holocauſtum. Hoc etiam probare videtur Bilham vero Deo obtuliſſe cùm obtuleritholocauſtum Domino, licet nonnunquam gentiles illud ſuis idolis offerrent.

Si fortè occurrat Dominus in occurſum meũ. Ponitur hic nomen domini ineffabile quatuor literarum quod etiam oſtendit Bilham Deo vero ſacrificaſſe.

Abiit ſolus. Ignorant tam noſtri quàm Hebræi quid propriè ſignificet vox ſephi quã hic quidam vertunt ſolus, ſequentes Chaldæum, Kimhi locum excelſum, Rabbi Iehudah mœrore affectum. Author fasciculi mirrhæ leuiter incedentem. Hieronymus velociter: ſed eius pr0ptia ſignificatio, a radice petenda eſt vt ſæpius diximus. Radix eius, ſcilicet, ſaphah (ſi tamẽ ea eſt) Hebræis ſignificat conterere & ſtangere, & in niphal eleuare. Citant autem exempla ad vtramque ſignificationem, ad priorem illud Iob. 32. Veſuphu, id eſt, & contundentur oſſa eius, non fuerunt viſa. Quod Hieronymus vertit. Oſſa quæ tecta fuerunt, nudabuntur. Ad ſecundam verò (quæ mihi magis probatur) citant illud Iſaiæ. 13. qui dicit. Super montem niſpeh, id eſt, eleuatum ſeu excelſum eleuate vexillum, quod Hieronymus caliginoſum vertit deducens à neſſeph quod eſt crepuſculum nox: error vt Sanctes dicit præſpicuus, in quem multi alij inciderunt. Thargum ſuper munitionem: Rabbi Selomoh: Super montem quietum & fidentem in altitudine. Sed videtur potius ſignificare eleuare quàm contundere, & illud quod ex Iob citatum eſt poteſt verti. Et eleuabuntur oſſa eius ſcilicet, ſurſum: nõ fuerunt viſa, ſcilicet, amplius, quare hic vertendum puto. Et iuit in excelſum. Solebat enim Deus in locis excelſis alloqui familiares ſuos, quemadmodum Moſeh in monte Chõreb. Eſt etiam coniectura ex verbis Iob citatis, ſignificare occultare, quia ſequitur, Non fuerunt viſa, vt ſit ſenſus occultabuntur oſſa eius ſeu abſcondentur, non fuerunt, ſcilicet, amplius viſa, & tunc vertẽdum hic eſſet, & iuit occultus: vnde Hieronymus fortè ad hoc reſpiciens vertit illud Iſaiæ. 13. Super montem niſpeh, id eſt, caliginoſum ſeu obſcurum: res incerta eſt. Nanciſcemur meliores coniecturas aliquando, vt poſſimus veram & propriam explorare & diffinire ſignificationem & tradere tibi.

Et occurrit Deus ad Bilham, & dixit ad eum. Non intelligas quòd Deus dixerit ad Bilham ſequentia verba: ſed quòd cùm Dominus occurriſſet illi ipſe Bilham Domino ea dixerit. Sunt enim re vera verba ipſius Bilham & non Dei: vt multi ex noſtris male intellexerunt. Non enim Deus firmauerat vel ordinauerat altaria: aut iuuencos & arietes obtulerat ſed Bilham, & pro obtuli, in hebræo eſt aſcendere feci.

Poſuit verbum in ore eius. Hebraiſmus eſt pro ſuggerere alicui quid dicat.

Et leuauit ſimilitudinem ſuam, & ait. Non ſumitur hic propriè parabola aut ſimilitudo cùm nulli aſſimiletur populus aut Deus, ſed ſumitur pro cantilena ſeu cantico. Crediderim enim Bilham hæc cantando dixiſſe ac prophetaſſe, quemadmodum Iſaias capite quinto dicit, cantabo nunc propter dilectum meum, aut ſumitur pro prophetia quæ aliquando fiebat in parabolis.

De Aram adduxit me Balach rex. Duas legimus eſſe Aram ſeu Syrias, quædam vocatur Aram ſoba & hæc eſt in agro Damaſceno, qui ager antea dicebatur terra Hus: vbi quondam poteſtate habuit Hus filius Aram, vnde regio nomen accepit vt in longam poſteritatem, terra

terra Hus vocaretur: qui Hus in patris honorem ciuitatem condidit, cui & nomen ipſius indidit, vocans eam Aram, & ab hac Syria aliqui putant veniſſe Bilham. Alia eſt Aram Meſopotamiæ in qua peregrinatus eſt Iaacob apud Laban Syrum, & ab hac tam Septuaginta quam Ioſephus arbitrantur eum veniſſe, dicuntque eum fuiſſe Aramæum quod conſonare magis literæ videtur, quoniam hæc Syria eſt prope fluuium Euphratem à quo textus dixit Bilham veniſſe, & vtcunque orientalis eſt, Aliqui dicunt Syriam dictam à Sem. De Aram dicit Ioſephus primo antiquitatum Aram Arameos inſtituit, quos Græci Syros appellant, in ſcriptura nominatur quadruplex Syria, ſcilicet, Narim, id eſt, fluuiorum inter Tigrim & Euphratem. Secunda Syria Padan. Tertia Sobba. Quarta Maachah. Eoo puto ab Aram Armeniam denominatã & ab Aſſur Syriam, quemadmodum Aſſyria ab Aſſur.

Deteſtare Iſrael. Ignorant Hebræi propriã ſignificationem verbi zaam, id eſt, deteſtari, ideò illud vertunt prout locus quo ponitur exigere videtur. Nam inferius hoc eodem capite vertunt. Quid contemnam. Iſaiæ ſexageſimoſexto ſpernere. Danielis vndecimo iraſci. Prouerbiorum vigeſimoquarto deteſtari. Sed omnibus locis expẽſis videtur ſignificare deteſtari, præſertim verbis iniurijs.

Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Hebraicè ad verbum eſt. Quid maledicam, non maledicere Deus vel fortis? quod verti poſſet. Quid maledicam, quem Dominus non præcipit maledicere? Sic quod ſequitur. Quid deteſtabor, non deteſtatus eſt Deus? Ad quid deteſtabor cùm Deus non ſit populum deteſtatus? Si tamen priorem ſenſum teneas non erraſſi.

De vertice petrarum videbo eum. Non ſunt hæc ad populum referenda: ſed ad Bilham qui de loco eminenti intuebatur Iſrael. Significat propriè verbum ſur ſtringi, anguſtiari, & nomen ſur ſaxum quod ſtrictum ſit aut potius antrum quod arctum & ſtrictum ſit. Vide Iſaiæ. 51. habes Aſpicite ad ſur, id eſt, ad antrum vn de exciſi eſtis. aut ſi mauis ad petram. Et cap. 2. Ingredere baſur, id eſt, in antrum aut in petram. Et quia dixerat. Quomodo maledicam, cui non maledixit deus, addit. Quia de vertice petrarum videbo, ac ſi dicat. Non ſolùm non maledicam, ſed loca altiora conſcendam vt videam.

In gentibus non reputabitur. Verbum chaſſab ſignificat propriè cogitare, putare, & ex conſequenti ſupputare, quod ſupputans cogitare ſoleat, & ſecundum vtramque ſignificationem poteſt locus explicari, & ſecundum priorem ſenſus eſt. Omnes aliæ nationes dicentur & putabuntur gentes, ſed non Iſrael, quoniam ſolus Iſrael ſeu ſoli Iſraelitæ non dicentur gentiles. Secundus verò ſenſus iuxta ſecundam ſignificationẽ eſt. Cùm aliæ gentes ſupputabuntur ſeu computabuntur, non ſupputabitur inter illos Iſrael. Et hoc eſt quod dominus illis dicit Exodi. 19. Vos eritis mihi theſaurus dilectus præ omnibus populis, & hoc eſt quod prædixit. Solus habitabit, quoniam nõ commiſcebitur aliis gentibus in ritibus & moribus. Poſſet etiam explicari. Et aliæ gentes cum non reputabunt, ſed prior expoſitio germana eſt.

Quis numerabit puluerem Iaacob? Videtur alludere ad id quod Geneſis. 15. dicitur. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris, & eſt ſenſus. Quis numerauit multitudinem Iaacob, quæ eſt ſicut puluis?

Et numerabit quarteon Iſrael. Non ſolum totus populus eſt innumerabilis, ſed vix poterit quis eius quartam partem dinumerare.

Moriatur anima mea morti ſeu morte rectorum, & erit nouiſſimum meum ſicut illius. Sumitur hic anima pro vita ac ſi dicat. Finiatur vita mea quemadmodum finietur vita iſtorum. Et aduerte quòd Bilham nouerat populum Iſraeliticum maxima quiete fruiturum, & ideo deſiderat mori ſicut ipſi, ſcilicet, in maxima quiete. Quòd autem ſancti hoc pro felicitate reputquerint conſtat ex verbis Iſaiæ quinquageſimoſeptimo. Ingredientur in pace, requieſcent in cubilibus ſuis, qui ambulauerint coram Deo. Et meo iudicio alludit ad extrema tempora, ſcilicet, Meſſiæ quando eccleſia futura erat in maxima pace. Et quod vertimus. Nouiſſimum meum ſicut illius: poſſet verti, ſicut ipſe, ſcilicet, Iſrael erit in nouiſſimo ſuo. Omnia etiam vaticinia vaticinantur bona Iſraeli non carnis ſed Dei in nouiſſimis temporibus, quando erit Deus omnia in omnibus: vt Paulus habet.

Illud cuſtodiam vel loquar. Id eſt, cuſtodiam loqui illud, ſcilicet, duntaxat.

Vnde videas eum, ſed extremum eius videas. Putabat Balach Bilham non poſſe aliquem in abſentia maledicere quemadmodũ regulus putabat Chriſtum abſentem filio non poſſe ſuccurrere, & precabatur eum in domum ſuam deſcendere, & putauit Balach Bilham in eam prorupiſſe benedictionem. Quis numerabit puluerem Iaacob, quoniam viderat omnia caſtra Iſrael, & quaſi innumerabilem multitudinem, ideò nititur eum ducere ad locum vbi ſolum extrema videat.

Duxit eum in agrum ſpeculatorum. Significat verbum ſapah propriè operire & tegere, vt patet Exod. 36 vbi dicitur, Tabulas ſipah, id eſt, texit ſeu operuit auro, inde ſopim, i. ſpeculatores ſic meo iudicio dicti, quòd ſoleant ſe tegere & operire dum ſpeculantur, aut ſi malueris dic ſignificare propriè ſpeculari & ex conſequenti tegere, ratione iam dicta. Addunt autem Hebræi ſignificare expectare ad quod citant illud Threnorum. 4. belippiiatenu ſippinu, id eſt, in expectatione qua expectauimus gentem quæ nõ erat ſeruatura nos, & hoc ideò quia ſpeculatur ſemper hinc inde, qui aliquem expectat, & videtur ager iſte ſpeculatorum fuiſſe in loco eminentiori, vnde ſpeculatores ſpeculabantur eos qui veniebant.

Ad caput Piſgah. Videtur ex hoc loco Piſgah fuiſſe certum locum, fortè mõtem aut collem. Poſſet tamen verti. Ad caput collis, accipiendo Piſgah appellatiuè.

Ego occurram hic, ſcilicet, Domino, ac ſi dicat. Non hinc inde diſcurram, aut non longè abibo ad reſponſa quærenda. Aliqui pro hic, vertunt illic.

Auſcultaverba mea. Dictio adai quam omnes hic vertunt verba. non propriè videtur per verba ſignificare, ſed ſignificat vſque, vnde ad literam vertendum erat. Auſculta vſque ad me ſed benè vertas. Auſculta ad me ſeu me.

Non Vir Deus, & mentietur, & filius hominis & pœniteat eum? Homines ſolent mentiri, cùm ergo Deus non ſit homo, conſequens eſt quòd non mentietur. Filium etiã hominis ſolet factorum ſuorum pœnitere, non autem Dominum, quod ſtatim explicat dicens.

Numquid ipſe dicit & non faciet, & loquitur & non ſtare faciet? Sed nõnne primo Semuelis ſecundo dicitur, idcirco dixit Dominus Deus Iſrael. Dicendo dixi, & loquitur contra Heli ſacerdotem: Domus tua & domus patris tui, ambulabunt coram me vſque in ſeculum. Et nunc dicit Dominus. Abſit mihi: Quia honorantes me honorabo, contemnentes autem me, contemnam. Et Ionah tertio dixit Dominus Ionah. Surge vade Niniuch, & prædica in ea prædicationem quam loquor ad te. Et clamauit & dixit. Adhuc quadraginta dies, & Niniuch ſubuertetur. Poſtmodum verò non eſt ſubuerſa. Et Ieremiæ. 18. Repente, inquit, loquar aduerſus gentes & regna vt deſtruam & euellam, & conterretur gens illa à malo ſuo, contra quam locutus ſum, & pœnitebit me de malo quod cogitaui facere ei: idem de bono. De pœnitentia verò legimus Geneſis ſexto. Deum pœnituiſſe quòd homines feciſſet ſuper terram. Et de Saule. 1. Semuelis. 15. dicit textus pœnituiſſe Deum quòd eum regem conſtituerit. Et Pſal. 110. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, quaſi ipſum aliquando alicuius facti pœniteat. Ad primum dicendum quòd Deus aliquando loquitur abſolutè, aliquando vero ſecundum cauſarum diſpoſitionem & rerum, quemadmodum homo qui aliquando dicit ſe

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquid absolutè facturum, aliquando verò secundum rerum dispositionem hic & nunc: sicut cùm iratus dicit se de aliquo inimico durante inimicitia vindictam sumpturum, postmodum verò eo humiliante se, & poenitente veniam eam omittit, quoniam comminatio illa erat rebus sic existentibus tunc, sicut tempore comminationis. Sic & Deus fecit. Niniuitis præsertim cùm huiusmodi admonet & mentem suam explicat, quemadmodum loco Ieremiæ citato. Sicut si vir verax dicit. Si dixero inimico meo quod destruam eum, intelligitis quòd eum destruam si nō pœniteat, & si postmodum eum penituerit, & ego à malo comminato abstineam, nemo me mendacem appellabit. Ad secundum dicendum quòd Deum nunquam pœnitet propriè suorum factorum. Cùm pœnitentia importet dolorem & humanum affectum qui in Deo esse non potest formaliter, quia tamen Deus effectus aliquos similes effectibus pœnitentis facit, dicitur pœnitere sicut cùm delet quod fecerat vt patet loco Geneſis citato, & similiter ex libro Semuelis. Sed hic est sermo de mendacio in promissis. Ratio quare Deus nullo pacto potest promissa mentiri, est. Quia mendacium in promissis seu defectus, aut est ex parte promittentis quia, scilicet, est fallax & mendax in se, & prætendit decipere, aut impotens efficitur ad promissa reddenda. Aut ex parte eius cui promittitur, quia, scilicet, se mutauit in malum, & fecit se indignum cui promissa reddantur: vtpote si offendat promittentem. Aut ex parte rei promissæ quia defecit aut ablata est, Deus ergo nunquam promissa negat quantum est ex parte sui. si absolute promittat, quia cùm sit verax & bonus non potest aliquem fallere, sicut Paulus dicit ad Romanos tertio. Est Deus verax, omnis autem homo mendax. Similiter non deest ei potentia, cùm sit omnipotens. Ex parte etiam rei promissæ, non potest deficere, quoniam nulla res potest ei deesse, cùm possit eam de nouo creare si velit. Si ergo aliquando promissa non reddit, est ex parte eius cui promisit, si non implet conditionem sub qua Dominus promisit illi, quemadmodum constat de Heli sacerdote cuius patri Dominus promiserat sub conditione, si scilicet, rectè cum eo ambularet. Est tamen tam verax & bonus vt reddat promissa iutata sub conditione, non extante etiam conditione, quemadmodum [illegible] de promissione regni facta Dauidi, quæ fuit sub ea cōditione quam expressit Psalmo 131. vbi dicitur. Iurauit Dominus Dauid veritatem, non auertetur ab ea, de fructu ventris tui ponam super solium tuum, si custodierint filij tui pactum meum. Postmodum tamen illud sine conditione promisit secundo Semuelis septimo. Duo enim Dominus promisit perpetua, etiam si conditio non extaret aut tria, scilicet, terram Chenaham quam promisit Abrahæ Geneſis decimoseptimo, sub cōditione. Si, scilicet, eum pro Deo haberet, eis tamen ad idololatriam in deserto & postea declinantibus, pacto stetit. Similiter sacerdotium Aharoni & filiis eius seu tribui Leui. Tertio Regnum Dauidi. Vnde hęc duo dicit se dedisse in pactum salis. Quomodo autem Dominus nobis promissa implet non obstantibus peccatis nostris, pulchrè descripsit Paulus ad Romanos. 4. vbi dicit Deum noluisse suas promissiones inniti legi aut factis nostris sed fidei, vt firma esset promissio omni semini.

Difficilis locus. *Ecce benedicere accepi, & benedixi, & non reducam.* Id est, à Domino accepi vt benedicerem populo, & benedixi implendo Domini præceptum, neque benedictionem retractabo.

Non aspexit iniquitatem in Iaacob, & non vidit præuaricationem in Israel. Difficilem reddit locum, ignorantia significationis duorum terminorum, scilicet, auen, quod Sanctes iniquitatem vertit, & amal, quod vertit præuaricationem. Dicunt autem Hebræi prius nomen, scilicet, auen, omnia hæc significare, scilicet, mendacium, laborem, afflictionem, fatigationem, luctum, iniquitatem, & peruersitatem: quod mihi præsentissimum signum est, eos propriam ignorare. Ponuntur hæc duo nomina simul Iob. 5. vbi auen videtur fatigationem seu laborem significare: amal verò laborem vbi sic habetur Quia nō egredietur de humo aut puluere auen, id est, fatigatio, neque de terra oritur labor, quia homo ad laborem natus est. Quòd verò amal significet laborem, constat Ecclesiastes 6. vbi dicitur. Omnis amal, id est, labor hominis in ore eius, id est, ad sustentandum se: seu os suum, & de hac significatione mihi hæsito, cùm videam verbum amal significare laborare in multis locis scripturæ. Nam Ecclesiastes secundo habes. Et homini qui non amal, id est, laborauit in ea dabit partem suam. Et ibi iterum. Et in labore quo amalti, id est, laborauit ad faciendum. Item Ionah quarto, in quo non amalta, id est, laborasti. Sic Psalmo. 127. Frustra amelu, id est, laborauerūt qui ædificant eam, & multis aliis locis. De nomine verò amal etiam constat laborem significare Psalmo. 107. Et humiliauit beamal, id est, in labore cor eorum. Item Ecclesiastes secundo Beamal, id est, in labore quo laborauit. Et Iob. 5. Quia homo leamal, id est, ad laborem natus est Psalmo. 105. Veamal, id est, Et laborem populorum possederunt. Et. 73. beamal, id est, in labore hominum non sunt. Alterius verò dictionis significatio obscurior est, & in multis locis vbi ponitur auen, videtur quadrare mendacium: vt Isaiæ. 58. vbi dicitur. Si remoueris de medio tui iugum: vt non mittas digitum in rem alienam neque loquaris auen, id est, mendacium: sed non possum aliquam bonam coniecturam habere ad propriam significationem venandam. Puto tamen vanitatem aut mendācium significare, neq; fatigationem reiiciam. Si ergo prius nomē vertas fatigationem & secundum laborem sensus est. Non videre fecit, scilicet, Dominus fatigationem in Iaacob, & non vidit laborem in Israel ac si apertius dicat, Non permisit eum plus æquo in itinere laborare, neque fatigari. Nam Deute. 8. habes. Vestimentum tuum non veterauit super te, & pes tuus nō tumuit iam. 40. annis. Et in Psal. habes quòd non erat in tribubus eorum infirmus. Et huic sensui videtur concordare sequens textus dicens. Dominus Deus eius est secum, quasi reddat rationem quare in eis non esset labor, quia, scilicet, Deum suum præsentem & amicum habebant. Si verò cum Sancto vertas iniquitatem & præuaricationē, intellige, quam non statim remittat. Mihi tamen germanius vertēdum videtur si in primo loco vertas vanitatem seu mendacium & secundo laborem vt sit sensus. Non aspexit vanitatem, id est, idolum quod vanitas & mēdacium est: in Iaacob, neque laborem vidit in Israel quantum ad corpus vt dictum est, & causam subiungit. Quoniam Dominus Deus eius est secū, id est, quia habent deum suum præsentem, & ideò non habent vanitatem seu idolum, & quia habent Regis sui amicitiam, ideò non est in eis labor quem ipse nō statim auferat, & iste sensus seruat propriam significationem vocabulorum, & melius literam explicare videtur. Si tamen vtrunq; ad idolum vertas, non prohibeo, & placet expositio. Neq; obest Iudæos idolum fabricasse, quoniam statim consumptus & commolitus est, vt eius nullum remaneret vestigium. Tum quia textus dicit. Non videre fecit ac si dicat. Et si viderit, se tamen non reputauit vidisse, cùm statim condonauerit. Eugubius pro labore vertit opus seu opificium, sed significatio non multum arridet. Sic enim textus redderet. Non declinabit vanitas ad Iaacob, neque vidit opificium, id est, idolum in Israel. Septuaginta. Non erit labor in Iaacob, neque videbitur labor in Israel. Chaldæus verò sic. Non auguria placent in domo Iaacob.

Et amicitia Regis est secum. Aliqui vertunt, & societas, quod idem cum amicitia est. Ponitur in hebræo teruat quod nostri putant significare amicitiam & societatem, sed cùm verbum roa etiā significet frangere & conterere maximè cum fragore, potius puto significare tubā seu tubæ fragorem, & vertendum: Et fragor regis seu tuba quæ regē adesse demōstrat, est secum, & loquitur de tuba quæ regem in bello comitatur ad hostes deterrendos. Quòd autem terruah significet tubæ clangorem constat ex capite. 29. sequenti, vbi dicitur.

In mense septimo in prima mensis, erit vobis conuocatio sancta: nullum opus seruile facietis, quia dies terruah, id est, clangoris erit vobis, & vult per hoc significare Dei fortitudinem ad hostes populi debellandos vnde sequitur.

Dominus eduxit eos ex Ægypto, sicut fortitudo Vnicornis est ei. Aduerte hic quod si radix thoaphot quod Sanctes vertit fortitudines, sit iaaph quod est laſſare: non videtur nomē thoaphot, vllam ad suum verbum habere allusionem: sed quia verbum iaaph etiam volare significat, videtur melius vertere eleuationes, per quas cornua huius animalis arbitror intelligenda.

Quòd autem verbum volare significet constat Danielis nono, vbi dicitur. Gabriel quem videram in visione, in principio, muaph biaph, id est, volare factus, volando tetigit me. Est ad hoc authoritas Septuaginta Interpretum qui hoc nomē Psalmo centesimoquinto verterunt vethoaphot, id est, & altitudines mōtium ei. Et iuxta hanc significationem posset locus reddi. Et eleuationes Vnicornis seu Rhinocerotis, per quæ cornua intelligit: sunt ei. Si tamen fortitudines vertas: non displicet expositio, quoniam locis in quibus nomen ponitur: etiam illa significatio potest conuenire, vt patet Iob vigesimosecundo, vbi dicitur. Et argentum Thoaphot, id est, fortitudines tuæ seu tibi. Et Psalmo. 105. etiam conuenit si vertas Vethoaphot, id est, fortitudines montium ei, & sic hic vertere licebit. Fortitudines Vnicornis ei. Non tamen ita libere in hanc eo interpretationem, quia nunquam nomen in hac significatione reperi. De animali verò quod nomine Reem significatur, quod nostri vertunt Rhinocerotem nihil certi habeo, quoniam Hebræi (vt in canonibus admonuimus) ignorant huiusmodi nominum significationes: si tamen delectat aliquid de huius animalis natura nosse, aduerte illud duo habere fortissima cornua, hostem Elephanto natum (vt Plinius dicit) cornu verò ad saxa limato, præparat se pugnæ: in dimicatione maximè aluum petit, quam scit suis ictibus peruiam. Solinus dicit cornu eius repandum seu curuum, & attritum cautibus in mucronem excitare, pugnare cum Elephantibus, longitudine patem, breuiorem ceteribus. Pausanias affirmat Rhinocerotam duo habere cornua, alterum insigni magnitudine, ex naribus exeans. Alterum quod supernè erumpit, exiguum quidem, sed validissimum. Ex sacris literis de hoc animali tria constant. Primum quòd cornua habeat vt patet cùm ex Psalmo vigesimonono, vbi dicitur. Et cornibus remijm, id est, Rhinocerotis aut Vnicornis afflixisti me, idem Psalmo vigesimo. Et Deuterono. trigesimotertio. Et cornua Reem, id est, Rhinocerotis cornua eius. Secundum quòd sit indomabile, quod constat ex verbis Iob capite trigesimonono. Nunquid volet Rem, id est, Rhinoceros seruire tibi? Et versu septimo eiusdem capitis. Nunquid ligabis Rem, id est, Rhinocerotem fune tuo? Tertium quòd sit animal forte, si hic fortitudines vertas. Aliqui discrimen ponunt inter Rhinocerotam & Monocerotam, & hic potius Monocerotam quàm Rhinocerotam vertendum putant, quàm feram asperrimam. Plinius dicit: quamque viuam capi posse negant, reliquo corpore equo similem, capite verò & pedibus, Elephanto, cauda apro mugitu grauem: sed an textus eam hic velit significare nescio. Hoc animalis genus, ex India ad serenissimum Emmanuelem regem nostrum delatum est, quod ipse dono misit ad Leonem pōtificem maximum cum aliis pretiosissimis rebus.

Quia non est incantatio in Iaacob, & non est diuinatio in Israel. Admonui quodam canone operi præfixo, clausulam non semper continere causam sententiæ immediate præcedentis sed alterius quæ longo interuallo præcessit: vt ibi exemplo primi capitis Proverbiorum monstraui quod etiam hic fieri manifestum est. Videtur autem textus hic reddere rationē aut potius explicare id quod supra dixerat. Non aspexit iniquitatem in Iaacob, & non vidit præuaricationem in Israel intelligendo per hæc idola seu idololatriam, sed dominus Deus est secum & strepitus regis etiam est secum: & sequitur. Quia non est incantatio in Iaacob, neque diuinatio in Israel, quæ apud Deum sunt magnæ præuaricationes. Explicat etiam sequenti sententia, id quòd dixerat. Et strepitus seu clangor Regis cum eo. Dominus enim eos de Ægypto eduxit, cuius fortitudines seu cornua sicut Rhinocerotis seu Vnicornis. Non vertimus hic augurium cum aliis, quoniam iam sæpius admonuimus verbum nachas, significare proprie incantare, voce sonora, aut susurrio, vt diximus Geneſis trigesimo. Sequens verò dictio chessem, significat propriè diuinare præsertim per mortuos, vt per Phitonem: vt primo Semuelis. 28. habes de Saule qui Phitonissæ dixit Chasomi, id est, Diuina mihi quæso in Phitone. Erant autem isti inter gentes, quasi Prophetæ in Israel. Dæmones enim honoris diuini cupidi, suos voluerunt Vates habere, qui eis occulta & futura prædicerent, quemadmodum verus Deus, quos Dominus sæpenumerò decipiebat, præsertim cùm volebat regna punire, cuius punitiones isti ignorabant. Vnde Isaiæ 44. dicit Vethosemim, id est. Et diuinos insanire fecit. Et quòd isti essent quasi Vates inter gentes constat primo Semuelis sexto, vbi de Philistęis dicitur. Et vocauerunt Philistęi sacerdotes velaachosemim, id est, & diuinos seu Vates.

Secundum tempus dicetur Iaacob & Israel: quid operatus est Deus. Assignat causam quare non est incantatio in Iaacob, & diuinatio in Israel, quoniam secundum tempus, scilicet, oportunum, dicetur ipsi Iaacob, scilicet, futurum, & etiam Israeli secūdum tempus seu in tempore conuenienti dicetur quid Deus sit operatus tempore occulto præcedenti: vt fuit mūdi initium Isaiæ. 48. assignat Dominus causam quare hæc Iudæis reuelauerit, vbi sic habet. Priora ex eo tempore annuntiaui, & ex ore meo exierunt, & audire feci ea: repentè feci & venerunt. Iam noui quod durus es, & vt neruus ferreus ceruix tua & frons tua vt æs. Et annuntiaui tibi ex eo tempore, antequam venirent audire feci te, ne fortè diceres, idolum meum fecit ea, & sculptile meū, & conflatile meum præcepit ea. Sumitur autem hic meo iudicio præteritum pro futuro, operatus pro operaturus.

Ecce populus sicut leo surget, & sicut leo scilicet, minor leuabit se. Ponuntur hic in hebræo duo nomina, scilicet, labi & ari, quorum vtrumque leonem significare Hebræi dicunt: sed vt dicit Rabbi Dauid. labi significat leonem magnum, ari verò minorem siue catulum. Hieronymus verò quandoque prius vertit leenam, secundum verò Leonem, & putarem prius significare aliam feram potius quàm Leonem, sæuissimam quidem, sed nobis ignotam. Radix nominis ari est arah quod significat colligere, vnde ari puto Leonem significare à collectione quod, scilicet, colligatur nimis dū cubat. Est autem sensus huius loci. Ecce populus Israel sicut leo aut fera sæua surget, scilicet, cōtra hostes suos qui sunt occupātes terram sibi à Domino promissam: & sicut leo eleuabit se, scilicet, super hostes, neque cubabit, id est, quiescet in terra, donec comederit prædā, id est, gentes has sibi datas in prædam, & sanguinem occisorum biberit, id est, omnem substantiam eorum vsurpauerit: aut donec eos vita priuauerit. Vita enim animalis in sanguine est, & est methaphora à leone sumpta, quod quemadmodum leo aut alia fortis fera, ex accubitu surgit & sine vllo timore eleuat se, neque iterum cubat quousque comederit prædam & sanguinem biberit: sic faciet populus Israel omnibus hostibus suis occupantibus sedes eorum.

Si fortè placeat in oculis Dei, vt maledicas ei. Hebraicè est. Si fortè rectum sit in oculis Dei. Verbum enim laſar significat propriè rectum esse & rectificare.

In verticem Peor. Peor nomen est montis. Dicit autem Vuolphangus geographus hanc solitudinem dictam Habarim ad Austrum montanæ sitam contra Orientem Moab. Sic etiam Ieſſimon nomen loci est, sed quis ille sit ignoratur.

Et para mihi hic septem iuuencos. Aut stabilire fac.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN CAP. XXIII. NVMERORVM ad morum compositionem annotatio.

Non solum non nocent impiorum maledictiones pijs, sed in benedictiones conuertuntur.

Edifica mihi hic septem altaria. Quàm cassæ & vanæ sint impiorum preces ac sacrificia, aduersus pios, pulchrè locus iste manifestat, quoniam dum iste nititur suis imprecationibus & maledictionibus populo Dei nocere, è diuerso benedicit & bona precatur. Audi quid in Psalmo dicat sanctus rex. Maledicent (inquit) illi, & tu benedices: quare non videntur pij meliores corã Deo habere & efficatiores benedictiones, quàm maledictiones impiorum

Quod videre fecerit me, nuntiabo tibi. Admonui sæpius iusto Dei iudicio, Deum velle nuntiari malis bona iustorum: vt hoc nuntio eos maximè torqueat & deterreat.

18. Capite.

Dixit ad eum. Septem altaria ordinaui. Expende quæso quid impij Deo occurrenti offerant: & quæ sint illorum coram Domino precationes. Nempè iactare si quæ fecerint bona, & qui mala sananda, Domino occurrenti offerre deberent, bona remuneranda iactant. Sic & Pharisæus ille, cuius Lucas memi-nit, id quod primum Deo, cùm templum esset ingressus obiecit, fuerunt bona opera sua. Sic & Billã hunc, victimas & earum numerum deo obiicit, quasi iniquorum sacrificia ille probaret.

Non debemus amicorum auxilio vti ad malũ inimicorum nostrorum, sed ad bonũ nostrum.

De Aram adduxit me Balach. Emunt impij mala quibus aliis nocere cupiunt, sed statuit Dominus, eos oleum & operas perdere: imò suis se mucronibus iugulare. Ad malum suum iste adduxit, quod ad malum piorum se adduxisse putauerat. Aduerte etiam & disce ab hoc impio viro, nemini propter amicum nocere. Sunt homines qui ad hoc solum amicos habere volũt vt eorum copiis auxiliaribus, aduersus inimicos vtantur, tu verò si fapis amico vtere ad bonum tuum: non ad malum alicuius, quemadmodum Balach fecit.

Cur maledicam, cui non maledixit Deus & Nihil mali aduersus iustos precandum est. Debemus enim diligere quos diligit ipse, & detestari quos ille detestatur. Similiter discis quanti faciendũ est vt à Domino benedicaris, quoniam nulla maledictio efficax est contra benedictiones Domini.

Quia de vertice petrarum videbo illum. Admirabilis res valdè impiis iustus. Considerant enim ordinem viæ, morum compositionem: virtutes admirantur.

Luc. 19. Cùm audiret semel Zacheus Christi famam, Consce-dit (ait Lucas) arborem sichomorum. Cùm enim esset statura pusillus, non poterat eum propter turbam videre, vidit & admirabatur. Sic & iste montes conscendit, & ad petrarum verticem reptando ascendere nititur: vt eum videat, quem Dominus benedixerat. Quid

Cant. 6. inquit, Salomon videbis in Sunamite hac nisi choros castrorum? Reuertere reuertere, inquit, Sulamith: reuertere reuertere vt intueamur te. Fugiunt iusti terga impiis vertentes, imò quod plus est si fieri posset nollent à Deo bona sua videri: ita vt post eos Dominus currat & vt reuertantur adhortatur vt eos videat.

Moriatur anima mea morte iustorum & fit nouissimum meum sicut ipse. Volunt homines viuere vt peccatores, & mori vt iusti, sed Dominus non nouit aut cõsueuit dare mortem iustorum nisi iustis, sicut neque mortem impiorum nisi impiis. Viuite ergo (ait Augustinus) benè, ne moriamini malè, quoniam sicut non potest esse mala mors, quam bona vita præcessit: ita non potest esse bona, quam mala vita anticipauit. Omittimus nunc miracula Dei, tractamus communem ordinem eius. Audierunt. Impij dicere, quoniam pretiosa est in conspectu Domini, mors sanctorum eius, & quod pessima sit mors peccatoris. Vtinam diceres potius, Viuat anima mea vita iustorum, quã vt moriatur anima tua morte iustorum, quoniam naturali ordine sequitur mors bona, vitam immaculatam.

Vt maledicerem inimicis meis accepi te. Licet nos amici pro instrumento ad malum accipiant: nos tamen debemus illis esse instrumenta bonorum. Tenetur etiam bonus amicus admonere amicum, si iniustè aliquem odio prosequatur, neque eum in causa mala iuuare.

Veni obsecro mecum in alium locum. Pertinaces sunt valdè impij, in nocendo, neq; cessant etiam si res non vt sperabant succedat, sed mille modos quærunt, mirabiles artes inueniunt, ad nocendum, in quibus omnibus sibi mala maiora parant & bonis bona. Incusant tempus, modum taxãt & alias circunstantias ad opus requisitas se omisisse dolent. Hoc summè à malis expeterem, vt quamprimum inceptum non successerit malum, desistant, cuius oppositum in bonis operibus desiderarẽ. Cœpisti ieiunare, eleemosynas elargiri, casas piorum agere, non successit res primum, ne quæso dimittas: sed tenta septies & millies opus bonum quo usque perducas ad debitum finem. Quæsiuit Dauid

2. Sereui.6. semel arcam Domini reducere in domum suam, non successit res: occisus est Hozah quia tetigit eam: sed nunquid cessauit quærere? Minimè, sed iurauit & votum vouit, se non accepturum quietem, donec inueniret locum Domino, tabernaculo Deo Iacob.

Locus obscurus.

Posuit verbum in ore eius. Sunt impij psitaci Dei: vt non loquantur aut faciant aduersus bonos, nisi quæ ipse voluerit. Sic voluit Labã verba iniuria dicere Iacob, & eius sudores & labores auferre: sed non permisit illum Deus in eum sæuire, aut verbum aliquod indigestum loqui.

Non est vir Deus, & mentietur. Arbitrantur impij Deum sententiam eorum in melius mutaturum, ipse verò semper in ea permanet & eam semper in deterius mutat, postquam viderit eos à malis nõ resipiscere, & quia eum mitiorem expectant, se verum experiuntur: boni è contrario quia terribilem timent, mitem experiuntur. Arguit etiam hic locus hominum mendacia, qui pro nihilo habemus promissa mentiri. Conditio enim quasi propria, licet nõ naturalis homini est mentiri, Dei verò etiam mentientibus pollicita reddere.

Ecce vt benedicerem accepi, & non retrahã. Seruiunt inuiti impij bonis, quia à Domino coguntur ad hoc. Cupiebat iste populo Domini maledicere, sed non permittebat eum Deus: imò cogebat eum benedicere ei.

Non aspexit iniquitatem in Iacob Dominus Deus eius est secum, terror regis secum est. Expende hic quæ sit causa quare homo non offendit Deum, nempè quia Deum secum habet & terrorem eius: in plura enim & grauiora peccata cecidissent Iudæi, si Deum præsentem non haberent in nube visibili. Similiter aduerte quanti facienda sit vera fides, quoniam istis Deus promissa seruat, quia licet sæpius amiserint, semper tamen in aliquibus bonis permãsit fides eius. Considera etiã sapientiam Dei: vt populus minori negotio Chananæos deleret, timorem incutit per Prophetã Ariolum. Docemur etiam quàm sint auguria & aliæ superstitiones vitandæ: ob quæ Dominus à suis recedere solet, & qui hæc non quærit à diuinis audire, Deum ad hæc reuelanda paratum habet.

Si fortè placeat in oculis Dei vt maledicas. Volunt impij aduersus iustos, vires suas experiri, & videre an possint eis nocere: postquam autem viderint se non proficere, Deum patronum suæ turpitudinis faciunt, & quærunt in malis adiutorem habere: sed Deus non consueuit patrocinium iustorum dare iniquis. Simili modo considera hic vt iam diximus hominum pertinatiam ad malum, qui toties Deum aduersum fuerat expertus: iterum atque iterum nititur ad malas preces suas inclinare.

Vtilia mala facere diuinum non est. Lorum Virgilianum.

IN CAP. XXIIII. NVMERI AD literam adnotatio.

Vt benediceret Israel, & non ambularet sicut semel & iterum in occursum incantationum.

Aliqui legunt. Non ambulauit, scilicet, amplius sicut prima & altera vice, in occursum incantationum, sed prior lectio simplicior est, & in hebræo est. Sicut vice cum vice, quod rectè redditur per prima & altera vice, vel per semel atq; iterum. Noluit enim Dominus vt ipse

vt ipse amplius quæreret suas incantationes, sed statim populo benediceret, & videtur ex hoc loco quòd ipse faceret incantationes suas, vt aliquid ei appareret, quæ admodum Mãgi faciunt vt mortui aut dæmones eos alloquantur, sed Dominus occurrebat illi loco horũ, & prædicebat veritatem aut quod volebat, & fortè sic factum est cùm Saul Phitonissam consuluit, cui Deus voluit Samuelem loco dæmonis occurrere, & veritatem casus sui indicare.

Posuit ad desertum faciem suam, id est, vertit eam versus desertum, vnde venerant filij Israel.

Dixit Bilham filius ipse Beor, & dixit vir apertus oculo. Dixit audiẽs verba Dei: qui visionem omnipotentis videbit cadens & apertos habet oculos.

Locus obscurus.

Parui refert quod in hebræo pro dixit Bilham habetur dictum Bilham, quod in hebræo frequentissimè accidit vt Psalmo 110. pro. Dixit Dominus Domino meo: habetur hebraicè. Dictum Domini Domino meo. Dictio etiam geber, quam interpretati sumus virum, est à gabar quod est præualere, fortem esse. Dicitur autem vir geber quod sit fœmina fortior Deutero. vigesimosecundo dicitur. Non erit instrumentum geber, id est, viri, super mulierem, & non induet sc geber, id est, vir vestimento muliebri. Psal. 88. Fui sicut geber id est, vir, aut fortis cui non est fortitudo. Item Isaiæ vigesimosecundo. Migrare faciet Dominus te, migratione gaber, id est, viri aut forti, quæ durior est migratione mulieris, & pro viri posset verti fortis aut præualentis. Dictio etiam sequens, scilicet, setum, quam nostri & Hebræi omnes apertum vertunt, eis etiam autoribus significat clausum & obturatum. Dicunt enim ibidem significare satam cum prima radicis est sciin, & cum prior est samech: & cum satam priori samech, significat obturare & claudere, sequitur etiam satam cum priori schin, idem significare. Quod autem satam priori samech significet claudere & obturare, constat primum secundo Paralipoménon trigesimosecundo, vbi dicitur. Et ipse ehizchiahu seu Ezechias satam, id est, obturauit seu clausit exitum aquarum. Et Threnorum tertio. Satam, id est, clausit orationem meam: ne videlicet ingrederetur ad illum vbi venit cum sin vice samech. Item secundo Paralipoménon trigesimosecundo. Iisdem, id est, vt obturaret aquas fontium, & multis aliis scripturæ locis, quod cùm verum sit, mirum valdè est, quòd vocabulum omnes vertant in contrariam significationem. Cùm enim claudere & obturare significet, apertum vertunt, & ratio est propter ea quæ sequuntur. Nam sequitur. Qui visionem omnipotentis videbit, cadit, & aperti sunt oculi seu apertis oculis. Hieronymus vertit vt est in hebræo, & dicit Eugubius sibi videri Hieronymum vertisse. Dixit homo cuius non est obturatus oculus. Septuaginta & Chaldæus vertunt. Cuius est apertus oculus, quem omnes sequuti sunt hic. Ego autem licet possem transire cum expositione omnium istorum, ægrè tamen fero huiusmodi mutationes. Non enim puto esse in potestate alicuius Interpretis situm, mutare significationes vocabulorum hebraicorum, præsertim in contrarias significationes. Quare securius puto vocabulum in sua significatione relinquere, & quærere an rectè possit in propria significatione exponi, quod meo iudicio hic facilimè fieri potest, si teneamus quòd cum Bilham exciperet reuelationes Dei, clausis oculis corporis, aperiebantur illi oculi mentis. Cùm verò ei fienda erat diuina reuelatio, cadebat in terra, vt ipse hic dicit & oculi corporales claudebantur, quoniam non poterat spiritum ferre & tunc aperiebantur oculi mentis & præuidebat futura quæ prædicabat, & secundum hoc sic exponendus est textus. Dixit Bilham filius ipse Beor. Dixit vir seu fortis obturatus oculo, id est, cui oculus corporis obturatur, dum ei fiunt reuelationes aut cui clauditur oculus, dum accipit diuina à Deo. Dixit audiens eloquia fortis, scilicet, Dei, qui visionem omnipotentis seu conterentis videbit, cadit & apertus est oculis, id est, aperiuntur illi oculi mentis. Posset etiam verti. Dictum Bilham filij ipsius Beor & dictum viri clausi seu obturati oculi. Dictum audientis eloquia Dei, qui visionem omnipotentis videbit cadens, id est, dum cadit, & apertus est oculis, id est & tunc aperiuntur oculi eius, quæ litera germanior est. Potuit etiam fieri quòd Bilham esset altero oculo corporali priuatus, & talem se hic describat cùm dicit. Dixit vir priuatus oculo aut clauso oculo. Posset & tertio exponi. Dictum viri obturati oculi, id est, qui antequàm ei fiat reuelatio, oculum cordis obturatum habet, non videns aliquid diuinum: sed dum cadit reuelantur & aperiuntur oculi eius, scilicet, mentis. Aut si vtrumque ad corporaleni referas, qui dum cadit oculum corporis obturatum habet, sed postquam ecciderit oculi ei aperiuntur etiam corporales: vt constat dum veniebat è domo sua. Nam antequam ecidisset non vidit angelum gladio euaginato in eum, sed postquam ecidit, vidit: vt capite. 22. dictum est, & videntur omnia hæc esse epitheta Prophetæ, quemadmodum & alij Prophetæ solebant initio suorum sermonum præfigere nomina Patrum suorum, vt Isaias. Visio Isaiæ filij Hamos.

Quàm pulchra fuerunt tabernacula tua Iacob, habitacula tua Israel: sicut torrentes extensa sunt, sicut horti, iuxta flumen, sicut tabernacula quæ plantauit Dominus, sicut cedri iuxta aquas.

Verbum tob, id est, pulchrum fuit, propriè significat bonum esse, ex consequenti verò pulchrum & suaue esse. Disputauimus abundè Genesis sexto de eius significatione vbi videre licebit. Habes etiam hic discrimen inter obel & mischan, quod videlicet obel significet tabernaculum pastorum, & quasi superius tectum: mischan verò domum seu habitaculum inferius aut alterius modi, & nisi sit geminatio eiusdem rei significatæ, putarem dixisse tabernacula propter tentoria ad modum pastorum, habitacula verò propter domos tabularum, quas diuites ad morandum seu habitandum habebant. Crediderim enim pauperes tentoria habuisse seu tabernacula ad modum pastorum, diuites verò tabulas ex Ægypto adduxisse, ex quibus habitacula faciebant. Commendat autem hic Bilham castra Israel ex quinque, scilicet, ex pulchritudine seu bonitate cùm dicit. Quàm pulchra tabernacula tua, aut quàm bona Iacob. Secundo ab extensione, cùm dicit. Sicut torrentes extensa sunt. Tertio ab amœnitate, cùm dicit. Sicut horti iuxta flumen. Quarto à firmitate & permanentia, cùm dicit. Sicut tabernacula quæ plantauit Dominus. Dicuntur tabernacula plantata, quoniam ligna super quæ extenduntur conficiuntur, in terra figuntur ac si plantarentur, quòd verò tabernacula quæ Dominus plantauit dicantur firma, patet Isaiæ trigesimotertio, vbi dicitur. Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem quietam: tabernaculum quod non transferetur, neque proficiscentur claui eius in sæculum, & omnes funes eius non rumpentur. Et secundo Samuelis septimo. Ponam locum populo meo Israel, & plantabo illum. Quæ enim homines plantant, facilè euelluntur, quę autem Deus, manent & non erta dicantur. Exodi. 15. Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ: loco habitationis tuæ, quem operatus es Domine sanctuarium Domine, quod firmauerunt manus tuæ. Sic & Paulus ad Hebræos. 8. Talem (inquit) habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus & non homo. Quinto ab eleuatione seu altitudine, cùm dicit. Sicut cedri iuxta aquas. Comparat autem eos hortis & cedris iuxta aquas, propter Iordanem fluuium ad cuius ripas castrametabantur.

Fluent aquæ è situla eius, & semen eius in aquas multas. Et ascendet præ Agag rex eius, & eleuabit se regnum ipsius. Commendat modò Israel, à seminis copia & multitudine. Verbum nazal quod fluere vertimus, significat fluere aut stillare, vt patet Isaiæ quadragesimoquinto, vbi dicitur. Et nubes lizelu, id est, stillent aut fluere faciant iustitiam, quod Hieronymus vertit pluant. Sic Ieremiæ nono. Et palpebræ nostræ lizelu, id est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

stillent aquas. Idem Psalmo centesimo quadragesimoseptimo. Flabit spiritus eius aut flare faciet spiritum suum seu ventum, & fluent aquæ. Quòd verò significet fluere in copia & cum impetu, videtur constare ex eo quod dicitur Isaiæ quadragesimooctauo. Aquam de petra hizil, id est, fluere fecit eis. Est etiam aduertendum nomen deli, id est, situla, ortum habere à dalach quod Hebræis est eleuare, & ex consequenti haurire, quòd sit eleuare quodam, quò aqua sursum leuatur: vt patet Exodi secundo, vbi dicitur. Daloch dalach, id est, hauriendo hausit nobis: aut leuando leuauit aquam nobis è puteo. Item Psalmo trigesimo. Exaltabo te Domine, quoniam dilitani, id est, exaltasti seu eleuasti me: vnde deli, id est, situla sic dicta quòd aqua plena eleuetur sursum, aut quòd ea aqua hauriatur, & crediderim potius ab eleuando quam ab hauriendo dici. Si ergo accipias verbum nazal vt significat stillare, & vertas. Stillabunt aquæ è situla eius: sensus est. Quemadmodum è situla guttæ aquæ defluunt in magna copia: sic ex Israelitis filij, ac si dicat fructificabunt in magna copia: vnde quasi explicans addit, & semen eius in aquas multas, id est, multiplicabitur sicut aquæ multæ. Si verò accipias nazal vt significat absolutè fluere, sensus est. Fluent aquæ è situla eius, id est, sicut aquæ in magna copia fluunt ex situla plena, sic fluet semen Israel ex vasis seminariis parentum, & semen eius ibit in aquas multas, id est, multiplicabitur sicut multitudo aquarum.

Et ascendet præ Agag rex eius. Putant Hebræi omnes reges Hamalech vocatos Agag à primo rege, quemadmodum Imperatores Romanorum vocantur Cæsares à Iulio Cæsare primo Imperatore, & sensus loci est. Ascendet rex Israelitarum magis quàm Agag, id est, magis quàm omnes reges Hamalechitarum, & eleuabitur regnum ipsius. Si verò sit nomen proprium illius regis Hamalech, quê cepit Saul, vt dicitur primo Semuelis decimoquarto: sensus erit. Et ascendet præ Agag rex eius, id est, eo superior erit debellando ipsum, & ex eo tempore eleuabitur regnum ipsius, scilicet, Israel, & ita accidit, quoniam ex eo tempore cœpit rex & regnum Israelitarum eleuari. Aliqui interpretantur. Et leuabit, scilicet, rex Israel ab Agag regnum eius, id est, spoliabit Saul regem Agag regno suo, & eleuabitur ex hoc regnum eius, & litera consentit in hanc expositionem.

Sicut fortitudines Vnicornis aut Rhinocerotis illi. Expone vt supra hoc eodem cap. Potes enim pro fortitudine vertere eleuationes.

Comedet gentes angustatores suos, & ossa eorum exossabit. Non vertimus hostes quoniam sar significat propriè angustatorem, quemadmodum verbum sur, stringere. Quod autem sequitur. Et ossa eorum exossabit. Aduerte nomen gerem propriè significare dorsum seu spinam dorsi, vt conuincitur ex capite nono, secundi Regum, vbi dicitur. Accepit vnusquisque vestimentum suum, & posuit super eum al gerem, id est, ad dorsum seu gradum. Habent enim scalæ formam dorsi. Voluerunt enim illi facere ipsi Iehu regium stratum, ad quod per gradus conscenditur, quare arbitror verbum garam significare vsque ad dorsum corrodere. Solent enim canes & feræ cùm aliquod animal comedunt, omnia corrodere vsque ad dorsum, relinquentes spinam ipsius nudam: iuxta quem sensum vertendum puto illud Sophoniæ tertio. Principes eius in medio eius vt leones rugientes: Iudices eius veluti lupi vespertini: non garemu, id est, exossabunt seu vsque ad dorsum pertingent: vsque mane. Sic & hic vertere licebit. Et ossa eorum dorsabit, si sic loqui liceret latinis auribus, id est, vsque ad dorsum comedet. Non tamen damnabo si legas exossabit, id est, carne nudabit.

Et sagittas eius conteret. Posset etiam verti. Et sagittis suis transfiget, quoniam verbum machats, non plene notum est Hebræis, & videtur significare transfigere Psalmo centesimodecimo, vbi dicitur. Machats, id est, transfiget in die furoris sui Reges. Et iterum ibidem. Machats, id est, transfiget caput eius super terram, seu confodiet illud cum terra.

Accubuit vt leo, & sicut leena. Dixi de his dictionibus capite præcedenti, scilicet, ari, id est, leo & labi, id est, leo maior aut leena. Significatio secundi nominis: non est plenè nota Hebræis.

Iratus est furor Balach, ad seu *contra Bilham & percussit manibus suis* aut *manus suas.* Non est significatio verbi sapach, id est, percussit plenè nota Hebræis: vt patet Ieremiæ quadragesimooctauo, vbi dicitur. Vesapach quod aliqui vertunt. Plaudet Moab in vomitu suo. Alij. Inuoluit, scilicet se. Hieronymus. Alliidet. Quidam alij complodet. Videtur tamen expensis locis vbi verbum ponitur, significare palma percutere siue alteram palmam, siue fœmur, siue quemcunque alium locum, tristitiæ aut admirationis causa: Ieremiæ trigesimoprimo. Sapachti, id est, percussi fœmur meum, scilicet, tristitiæ causa. Item Threnorum secundo. Sapechu, id est, plauserunt super te palmis, scilicet, præ admiratione omnes transeuntes viam. Et Iob. 26. Iispoch, id est, percutiet super eum manus suas. Quare etiam hic vertendum puto. Percussit manibus, scilicet, id est, altera alteram in signum vehementis tristitiæ & doloris.

Et nunc fuge tibi ad locum tuum. Significat verbum barach propriè fugere cuius sunt multa exempla in scriptura. Nomen etiam beriach, id est, vectis subindicat etiam illud significare transire. Dicitur enim vectis beriach quòd transeat annulos illos quos intrat: de cuius significatione abundè diximus Exodi vigesimosexto. Si ergo vertas. Fuge tibi, sensus est: festina ad locum tuũ, ne moreris hic. Si verò accipias verbum vt significat transire sensus est. Transi tibi, scilicet, fluuium Euphratem vltra quem morabatur.

Petit à Rabbi Selomone quomodo interpretatur hic fuge tibi, id est, ad tuam terram.

Dixi honorando honorabo te, aut decreueram grauando grauare te muneribus, scilicet, & diuitiis. Iam enim sæpius admonui verbum chabat etiam onerare significare.

Veni consulam tibi, quod populus iste faciet populo tuo, posteris diebus. Non video hic consilium aliquod quod dederit Bilham Balach. Quare putarem supplendum verbum vt sit sensus. Vade seu veni, scilicet, mecum & consulam tibi, cuius consilium scribitur infra capite trigesimoprimo à Moseh, quòd, scilicet, offerret Iudæis fœminas pulchras quæ eos allicerent ad sacrificia idolorum, & sic Deus iratus percuteret eos, & postea suppleatur. Et dicam tibi. Quod si tibi durum videtur aliquid supplere, accipe consulam tibi, pro dicam tibi. Aduerte etiam quod achar significat postea, & acharit posterum, quare vertimus in posteris diebus potius quàm in nouissimis, & etiam quia horum multa ante Messiæ aduentum fuerunt impleta: vt destructio Moabitarum & Hamalechitarum. Quæ autem sequuntur, scilicet, dixit Bilham, hoc eodem capite sunt exposita.

Videbo eum & non nunc: intuebor eum & non propinque: Incessit stella ex Iaacob, & surget virga de Israel, & transibit terminos Moab, & destruet omnes filios Seth, & erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Sehir inimicis eius, & Israel facit diuitias. Et dominabitur de Iaacob, & perdere faciet superstitem de ciuitate.

Aduerte hic, posse etiam legi videbo illud quod, scilicet, vaticinor, sed non nunc, sed in mea posteritate intuebor illud etiam quod prædico, sed non propinque seu quasi propinquum his temporibus, & quod illud sit subiungit. Incessit stella ex Iaacob. Sed si legas eum, locus de Messia intelligendus est: vt ad literam intellixit Chaldæus, qui sic in hoc loco habet. Cùm surrexerit Rex ex Iaacob, & natus fuerit Messias ex Israel, interficiet duces Moab, & dominabitur in omnes filios hominum. Aduerte etiam verbum sur, quod hic intueri vertimus, significare frequentius canere, quàm intueri vel aspicere, & posset hic verti canam ei, sed non propinque: prior tamen lectio germanior est. Iudæi moderni locum intelligunt de Dauid, qui dicitur stella à præclara fama, iuxta illud.

Feci

2 Sumitur. 7. Feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum qui sunt in terra: & dicitur virga, quoniam ea percussi sunt Moabitæ, aut dicitur stella quia quemadmodum stella radiis suis penetrat, ita & sanctus Dauid penetrauit Moabitas: quod autem sequitur. Et perdet omnes filios Seth, id est omnes qui descendunt à Seth, qui forte erant populi tunc temporis noti, qui nunc nobis ignoti sunt, quemadmodum filij Chaim, de quibus infra sit sermo, quæ autem sequuntur bene vt dicunt, possunt conuenire Dauidi. Quod verò non sint intelligenda de nostro Messia probare nituntur ex eo, quòd nunquàm transierit terminos Moab, neque destruxerit filios Seth, neque hæreditauit Edom, neque montem Sehir: neque perdiderit superstitem de ciuitate. Sed hæc non sunt carnaliter intelligenda: satis enim est quòd fuerit omnium horum Dominus, & omnium istorum terras subegerit, & suo iugo subiecerit. Nostri per filios Seth, intelligunt omnes homines, quoniam ab eo descenderunt. Posteritas enim Chaim in diluuio tota periit vt dicunt. Mihi verò magis probatur quòd fuerit natio aliqua seu nationes quæ illo tempore vt diximus notæ erant, & finitimi erant Iudæis. Neque verum puto omnes filios Chain in diluuio periisse, quia nusquàm hoc probatur in sacris literis sufficienter: & infra hoc eodem capite dicitur. Quia si fuerit ad remouendum Chain, id est semen Chain. Nota etiam quòd verbum darach quod hic vertimus incessit, significat propriè calcare seu conculcare: vt patet Deutero. vndecimo. Ipsi dabo terram per quam darach, id est calcauit sen quam calcauit. Et Threnorum primo. Torcular darach, id est, calcauit Dominus, virgini filiæ Iudah. Et Chabbachuch tertio. Darachta, id est calcasti in mari equis tuis. Ex consequenti verò significat extendere, quoniam id quod conculcatur extenditur: vt patet Psalmo septimo vbi dicitur. Arcum suum darach, id est, extendit seu tetendit. Et Zachariæ nono. Quia darachti, id est tetendi mihi Iehudah tanquàm arcum: & meo iudicio huic loco magis quadrat extendere aut tendere, quàm incedere vt sit sensus. Extendet se stella ex Iaacob, id est, radios suos: aut tendet ac si esset arcus, radios suos ac si spicula essent. Secundo addet te quòd verbum machats, id est, penetrabit seu transfiget, non est hebræis neque nostris plene notum: quantùm tamen ex coniecturis nosse datur, videtur significare percutere potius quam trãsfigere: quoniam vbicunque ist verfunt transfigere, tam bene quadrat percutere, & sic illud Hieronimus vertit Psal. centesimo decimo vbi dicitur. Machats, id est, percussit in die furoris sui. Reges. Aduertes etiam dictionem paate, quam terminos hic ferè omnes vertunt, propriè significare extremitates potius quam angulos, quos etiam hic aliqui vertunt. Attende etiam quòd verbum charchat quod vertimus destruere est à chir quod est paries, & dicunt hebræi significare destruere seu diruere parietem: vt ex hoc loco probant & ex Isaiæ capite vigesimosecundo vbi dicitur. Mecharchar, id est, diruens parietem. Posset etiam dici quod potius significat pariete includere, quod ex loco Isaiæ citato colligo. Sic enim habet Isaias in eo loco. Dies enim contritionis & conculcationis, & coarctationis Domino Deo exercituum, in valle visionis: diruens parietem, & clamor ad montem, vbi quia præcessit dies coarctationis, verti posset pro diruens parietem, claudens pariete, id est eõ cludens seu obsidens. Est etiam aduertendum Seth aliquando esse nomen proprium tertij filij Adam primi patris omnium, nonnunquam verò appellatiuum, & significare fundamentum: a sur quod est ponere, vt patet in lexico in radice sur. Et licet iuxta hanc significationem verti posset. Et destruet omnes filios, scilicet Moab fundamenti, id est à fundamentis, germana tamen interpretatio est filios Seth, vt est nomen proprium tertij filij Adæ. Est ergo textus sic germane reddendus. Extendet se stella, aut tendet radios suos stella ex Iaacob, & surget virga de Israel: & percutiet extremitates, id est vsque ad extremas regni partes Moabitarum: & claudet seu obsidebit omnes filios Seth, id est populos illos qui originem dũcunt à Seth. Forte Chenanæos quoniam inter filios Seth connumeratur Chenan Geneseos quinto. Nam quemadmodum infra Chain, videtur esse nomen gentis à Chaino filio primogenito Adæ: ita & Seth. Non tamen damnabo si per filios Seth omnes homines accipias. Sed quia prius locutus est de certo populo, scilicet Moabitarum & statim post filios Seth de Edomeis Hamalechitis & aliis: prior expositio magis arridet quod videlicet filij Seth sint certi populi.

Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Sehir inimicis eius, id est, hæreditabit Israel Edomeam & mõtem Sehir: vbi est habitatio Edomeorum.

Et Israel faciens exercitum, aut fortiter. Hoc significat nomen chail, scilicet, exercitum & robur vt patet Geneseos quadragesimoseptimo Et sint inter eos viri chail, id est, exercitus seu robusti. Quoniam tempore Messiæ Israel Dei fortissime egit aduersus gentes gladio spiritus. Si tamen diuitias vertas non erraßi, quoniam quiete egit Israel Dei, dum principes mundi dimicabant inuicem. Aut melius faciet diuitias, ex præda gentium.

Et dominabitur de Iaacob, & perdere faciet superstitem de ciuitate. Non est vsquequaque certa significatio verbi radah, id est, quod hic dominari vertimus, & licet Hebræi dicant significare dominari, suspectam tamen reddit hanc significationem, id quod habetur Iudicum decimoquarto, vbi dicitur. Nescierunt, scilicet, parentes Sinsonis, quòd de cadauere leonis radah, id est, accepisset mel, vbi non benè quadrat dominari, neque nanciscì potui aliquam certam coniecturam, qua eius propriam possem venari significationẽ: nisi quòd comprimere seu premere videtur illi magis conuenire, quoniam omnibus ferè locis quibus verbum ponitur conuenire videtur. Et quod dicitur. Perdere faciet superstitem de ciuitate, idem est quòd depopulabit Israel ciuitates, scilicet, vicinorum: aut Edomeorum de quibus prædixerat. De Moab sic habes. Sephaniah secundo. Audiui obprobrium Moab, & obprobria filiorum Hamon, quibus exprobrauerũt populum meum & magnificabant os suum super terminum eius. Propterea viuo ego dicit Dominus Deus exercituum Deus Israel, quia Moab sicut Sedon erit, & filij Hamon sicut Hamorah. Exitus vrticæ & fodina salis, & desolatio vsque in seculum seculi. Residuum populi mei capiet eos, & residuum gentis meæ, possidebit eos. Isaiæ vndecimo. Volabunt, inquit, super humerum Philistiim ad Occidentem: simul prædabuntur filios Orientis Edom & Moab missio manus eorum, & filij Hamon auditus seu obedientia eorum. Abdiæ vnico in fine sic dicitur. Erit domus Iaacob vt ignis, & domus Ioseph vt flamma, & domus Esau vt stipula, & succendent eos & consument eos, & non erit superstes domui Esau: quia Dominus loquutus est. Et hæreditabunt habitantes in meridie montem Hesau. Et post pauca. Ascendent seruatores in monte Sion: ad iudicandum montem Hesau, & erit Domino regnum. Super illud Israel facit diuitias aut exercitum, audi Ezechielem capite trigesimooctauo vbi loquitur de gentibus Gog & Magog. Dices, inquit. Ascendam super terram villarum, veniam ad quietscentes: habitantes confidenter. Omnes hij habitant absque muro, & vectes & portæ non sunt eis. Vt spolies spolia & præderis prædam: vt reducere facias manum tuam super desolata, habitabilia effecta, & super populum congregatum è gentibus, facientem pecudes & opes: habitantes in vmbilico terræ. Vnde quidam ad Israel hoc referunt qui Dauidis tempore multos horum depopulauit. Sed melius hæc ad Messiam referas qui omnia verbo suo ad se traxit. Sunt quidam ex nostris qui illud. Videbo eum, sed non nunc, vsque ad illud: Erit Edom hæreditas, de Messia intelligunt, quod verò sequitur de Dauide: sed re vera omnia possunt de Messia intelligi. Obiiciunt autem nobis Iehudæi locum hunc, quando, scilicet, Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ius Messias noster, subegit terminos Moab, quando Edomeam in possessionem accepit, quando sibi subdidit omnes filios Seth, quando Israelitæ egerunt exercitum aut diuitias vt hic dicitur? Ad quæ dicimus veros non carnales Israelitas hoc fecisse, & sibi totum orbem subegisse, non armis carnalibus sed spiritualibus, quoniam vt Paulus habet arma militiæ nostræ, non sunt carnalia sed spiritualia. Et si te Iudæus vrgeat, dicito hoc futurum in secundo aduentu quando (vt Paulus dicit) Christus spoliabit principatus & potestates. Vnde omnia meo iudicio, sunt de Messia intelligenda.

Principium gentium Hamalech, & postremum eius vsque perient. Aliqui vertunt. Fuit Hamalech vnus è prioribus totius orbis populis: sed postremum eius periit in seculum, id est, omnino deletum est tempore, scilicet Saulis regis Israel, vbi vides non omnia quæ in hac prophetia dicuntur esse reducenda ad vltima tempora. Posset etiam esse sensus. Hamalech in suo initio fuit gens & populus: sed postremum eius nō erit gens sed peribit in seculum. Qualiter autem Hamalech esset delendus diximus Exodi. 17. & etiam habetur Deuteronomij vigesimoquinto, & Psalmo octuagesimosecundo.

1. Semue. 14

Et vidit Chenæum, & assumpsit parabolam suam, & dixit. Robustum est habitaculum tuum, & pone in petra nidum tuum. Quia si fuerit ad remouendū Chaim, donec Assur prædetur te. Fuerunt isti Chenei populi, qui à Chobab cognato Moseh originem duxerunt, & videntur habitasse inter Hamalechitas aut in terra Israel quam Hamalechitæ aliquando occuparunt. Admonet enim eos Saul primo Semuelis decimoquarto, vt ab Hamalechitis recedant, ne cum eis in punitione inuoluantur. De progenie autem huius Chobab fuit Cheber vir Iahelis, quæ occidit Sisarah de quo Iudicum quarto habetur. Cheber autem Chenæus, separauit se à Chaiin, de filiis Chobab cognati Moseh, & tetendit tabernaculum suum vsque ad quercum, in Sahananim quæ est in Chedes, ex quo loco habemus originem huius populi cuius hic scriptura meminit, similiter prope Chedes ad meridiem: vtcunque tamen versus ortum terræ Israel habitasse, si hæc Chedes sit illa ad quam filij Israel venerunt, dum egrederentur ex Ægypto. Similiter aduerte Chaiin esse populum prope Chenæos habitantem, à quo separasse se Chenæos ibi dicitur. Est quidam ex nostris qui dicit tunc temporis Moabitas & Hammonitas & Hamalechitas, scisse vocare semen sanctum, & à Seth per sanctos Patres oriundos, cæteros verò vocari Chainitas, à Chaino videlicet ortos, inter quos erant isti Chenæi, neque displicet annotatio. Dicit ergo ad istos Chenæos Bilham, sumpta parabola sua. Robustum seu forte est habitaculum tuum. Vbi aduerte quod dictio ethan, id est, forte aut robustum, non plenè nota est Hebræis: videtur tamen forte aut profundum significare: hic tamen magis videtur quadrare forte quia sequitur. Pone in petra nidum tuum: ac si dicat forti præsidio teneris, quoniam horum habitatio fortis erat: sed si fuerit ad remouendum Chaiin, id est, si populus à Chaino ortum habens, fuerit remouendus à terra sua: tu non diu manebis, sed solum vsquequo veniat Assur qui prædetur te, id est, in captiuitatem ducat. Aduerte tamen hic verbum baar quod nostri hic vertunt remouere seu ad remouendum, non esse plenè notum Hebræis, videtur tamen primum significare comburere, secundo verò depascere, aut vice versa, quoniam id quod comburitur videtur depastum: vnde in Psalmo legis. Iuuenes eorum comedet ignis, & apud Ioelem. Quoniam deuorauit ignis speciosa deserti, quare hic verti posset, Quoniam si fuerit depascendus aut comburendus Chaiim: hoc erit vsquequo Assur prædetur te, aut captiuum ducat.

Chaiin populos à Chaino esse ortos.

Chenæi qui

Heu quis viuet, cùm posuerit hoc Deus? id est, quis tunc desiderabit viuere, cùm Deus huiusmodi strages fecerit destruendo hos populos? Aut quis tam diu viuet? sed prior sensus germanior est.

Et naues de littore Chittim: & humiliabunt Assur, & humiliabunt Hebræos, & etiam ipse vsque in æternum periens. Hebraicè pro littore, est de manu & pro Hebræos est heber, neque est in æternum sed etiam ipse vsque periens. Aduerte etiam ignotam esse significationem nominis sim, quam vetimus naues, quoniam cuius sit radicis ignoratur. Dicunt autem Hebræi esse à saiah vnde Si, & dicunt auem significare maximè desertā incolentem: ex consequenti verò triremem seu nauem, quòd formā auis videatur habere, & ea velocitate qua auis à ventis per mare feratur. Et de priori significatione exemplum habes Isaiæ trigesimotertio. Vesi, id est, Et nauis fortis seu trieris (vt Hieronymus vertit) non transibit eum: sed hic posset verti auis. Item Isaiæ vigesimotertio. Assur fundauit eam lesijm, id est, ad naues seu vt portus nauium esset. De secunda verò significatione exempla sunt triremem apud eundem Prophetam, scilicet, capite decimotertio, vbi dicit. Et cubabunt ibi sijm, id est, aues deserta incolentes. Et Ieremiæ quinquagesimo. Idcirco habitabunt ibi sijm, id est, aues cum vlulis. Videtur etiam desertum significare vel homines deserta incolentes: vt patet Psalmo septuagesimoquarto. Dedisti eum escam populo lesijm, id est, deserta incolenti. Et septuagesimosecundo. Ante illum incurvabunt se sijm id est, homines deserti, aut potius maritimi seu insulares. Ab hac etiam radice est siiah, id est, ariditas, siccitas: vt nostri dicunt, & ex aliquot scripturæ locis conuinci videtur, vt ex Isaiæ quadragesimoprimo. Ponam desertum in stagnum aquarum, & terram siiah, id est, ariditatis. Item Psalmo sexagesimotertio. In terra siiah, id est, ariditatis & sitis, absque aqua, & fortè significat aridam à cursu seu velocitate currendi, aut quia locus est nauium. Et inter has significationes ea qua nauem significat videtur esse certior, vt exempla monstrarunt. Est etiam aduertendum quòd iad quod littus hic omnes vertunt propriè significat manum, & ex consequenti sinum maris aut terræ, iuxta illud Psalmi. Hoc mare manum & spaciosum manibus, id est, sinibus seu diuerticulis. Et Genesis trigesimoquarto. Exercete terram quæ lata est manibus, id est, diuerticulis seu vallibus. Significat etiam plagam, vt patuit supra capite decimotertio huius libri: vbi dictum est. Et Chenaneus habitabat iuxta mare, & iuxta iad, id est, manum seu locum Iarden, & est communis loquendi modus, talis habitat ad dextram, talis ad manum sinistram. Solemus etiam viatoribus dicere. Cùm peruenieris ad talem locum, cape manum dextram, relinque sinistram. Nihil etiam certi est, de populo Chittim, & quantum ex scriptura colligitur videtur quòd sint Græci, aut qui Insulas maris Mediterranei incolunt: vt Rodij, Samij, Cyprij & alij Insulares qui etiam Græci sunt. Nam Genesis decimo dicitur. Et filij Iauan à quo Græcia vsque hodie dicitur Ionia. Elisah & Tarsis, Chittim & Dodanim: quòd verò isti fuerint Insulares constat ex verbis Ieremiæ secundo capite, vbi sic habet. Transite in Insulas Chittim, & in Chedar mittite. Isaiæ etiam vigesimotertio contra Sor dicitur. Vlulate naues Tarsis, quia vastata est Sor: vt non sit domus introitus de terra Chittim, silete habitatores Insulæ. Videtur autem fuisse prope Sidon, quia eodem Isaiæ capite dicitur. Non adijcies vltra vt exultes virgo filia Sidon: Chittim surge transi. Etiam ibi non erit requies tibi, id est, nauibus tuis. Et Danielis vndecimo habes. Venient cum eo naues Chittim. Et dicunt Rabbini Chittim esse singulare non plurale vt colligitur ex nomine Chittim Genesis decimo, quare indubiè crediderim aut esse Insulares aut Maritimos populos. Iudæi per Chittim Romanos intelligunt sine vllo fundamento, nisi quia se de eis vindicandos sperant: sicut de Hispanis à quibus se affligi putant. Est ergo locus iste sic reddendus. Naues sic à cursus velocitate appellatæ aut aues de plaga seu sinu Chittim, id est, Insularum Græciæ, scilicet, venient, & humiliabunt Assur, id est, Assyrios seu Babylonios. humiliabunt etiam Hebet, id est, Hebræos aut

Qui in scripturis declaratur Chittim

Dan. 11.

aut eos qui sunt trans flumē, videlicet Euphratem, & etiam ipse, scilicet populus Chittim, vsque in sæculum periens, & crediderim per istos Chittinos, imperium Græcorum & Rômanorum esse intelligēda: quoniam pro vno reputantur à multis Rabbinis Danielis septimo: quorum imperium iam diu periit: qui prius Assyrios & Hebræos humiliarunt. Et de magno Alexandro habes Machabeorum primo venisse de terra Chittim, quare videtur per Chittim potius imperium Græcorum quàm Rômanorum intelligendum. Post Alexandrum autem Anthiochus humiliauit Hebræos & sanctam vrbem destruxit. Parce prudens lector, si tibi hæc non satisfaciunt, quoniam in tam abstrusis rebus, diuinare potius opus est, quàm exponere: locum pro virili expendimus, sed an scopum attigerimus ignoramus.

IN CAPVT. XXIIII. NVMERI AD morum ornatum annotata.

ET *vidit Bilham quòd bonum esset in oculis Domini vt benediceret Israeli, et non perrexit in occursum augurationum.* Admonet nos primum locus iste, impios freno Domini retineri, ne faciant piis mala quæ illis facere cupiunt. Secundo admonentur impij respiscere & mala sua non iterare, postquàm ob oculos viderint, & cognouerint voluntatem Domini, eumque sibi aduersari.

Eleuauit Bilham oculos suos. Subtiles valdè & perspicaces Dominus oculos impiorum reddit, ad speculanda bona iustorū, & indies magis aperit, vt inuidia & dolore tabescāt, & maiora quam sint, sibi videātur.

Dixit vir obturatos habens oculos. Quales esse debent qui à domino de arcanis misteriis docentur, pulchre locus iste describit: qui videlicet oculos corporis ad omnia terrena obturatos habeant, & sola cœlestia contemplentur. Debent etiam cadere, id est, humiles esse. Tales enim qui scilicet nihil terrenum vident, & humiles omnino sunt: apti & digni sunt, qui intima Dei cognoscant, & futura præuideant.

Quàm pulchra sunt tabernacula tua Iacob. Immunda & aëris inclementiæ exposita erant Israelitarum tabernacula, hoc præsertim tempore, cùm iam quadraginta annis in deserto morata veterauerant, in oculis tamen huius, bona & pulchra videntur: ad designandum quàm pretiosa & pulchra in oculis Domini sit terrena inhabitatio nostra: licet spurca & fœda impijs & his qui sola terrena sapiunt videatur. Cùm enim sanctus Samuel Eliab primogenitum Isai, in regem Israel voluisset inungere, corporis specie & membrorum venustate deceptus, audiuit. Ne respicias ad aspectum eius & ad altitudinem staturæ eius: quia reprobaui eum. Homo enim videt, quæ sunt præ oculis: & Dominus videt quæ sunt in corde. Et licet puer Dauid esset rubeus, & pulcher oculis, & decorus visu: dominus tamen hanc externā in eo pulchritudinem non considerabat. Quod si tabernacula & externa iustorum tegumenta talia sunt in oculis domini, qualia putas erunt apud eum interna?

1. Samuel. 16.

Nunc fuge tibi ad locum tuum. Ecce retributio improrum quam iustis pro suo labore retribuunt: non enim reputant bona, sed mala ministeria, nisi enim in his quibus ipsi afficiuntur ministrauerit, oleum & opera perdes. Ministrabat sedule sancta fœmina Martha Saluatori, ita vt in eo turbaretur nescies quid primum pro eo faceret: audiuit tamen fororem illa meliorem elegisse partem: quæ quasi otiosa, verba Domini ad eius pedes sedens audiebat, sed quare putas? Quia ministrabat ei in his quibus non delectabatur, nempe in cibo & potu. Solent enim principes vt sepius diximus, eos ministros diligere, eorumque ministeria plene solere, qui in his quę ipsi diligunt, & quibus afficiuntur seruiunt, vt si gulosus sit dominus, diligit seruum qui gulæ administrat si lubricus, illum qui in his diligens est, & sic de omnibus aliis vitiis dicendum erit. Fuit ergo Bilham male remuneratus, quoniam non obtem-

perauit regi in his quę volebat. Aduerte etiā hic quàm facilè Domini occasiones quærunt ad non soluenda sibi exhibita ministeria.

Si dederit mihi Balach plenam domum suam argento et auro. Discant ex hoc loco regum & principum ministri & maximè Dei constātiam, neque munera accipiant: postquàm iste ethnicus, tanti animi fuit, vt domum auro & argēto plenam respuerit, propter deum.

Veni consulam tibi. Rarus est sanctus qui à se omnino preces regias reiiciat, licet enim in multis constantiam seruet, vix tamen in omnibus. Sic liuius prudens, sit Theologus, sit monachus, vix aliquis est, qui se abscondat à calore eius: qui tandem leges humanas & diuinas non conformet beneplācito regis. Voluit semel sanctus Dauid domum nomini Domini ædificare: ad quam rem prophetam Domini consuluit, qui statim inconsulto Deo, sese regis animo adæquans ait: Omne quod bonum est in oculis tuis fac. Quid dicis Nathan? Nōnne nosti, quàm iniqua sunt aliquando beneplacita regum? Cur illi consulis facere, omne quod bonum fuerit in oculis eius? Cantabis, velis nolis psalmodiam, vt discas de cætero esse cum regibus cautior, & in verbis strictior. Coactus est Propheta sequenti die, verba sua restringere, & forte cum magno suæ authoritatis dedecore, reuocare: in quibus plusquàm par erat fuerat liberalior.

Videbo eum & non modo. Vident aliquando impij aliorum mala, neque datur illis conspicere, quę ventura sunt super eos. Vidit iste excidium multatum gentium in longum tempus, ita vt etiam nouissima Messiæ tempora præuiderit: neque tamen vidit excidium vrbis suæ, neque quàm breui esset exterminandus. Neque solum mala aliorum, sed etiam bona, nempe Messiam, neque profuit vidisse ac aliis prophetasse.

Extendet se stella ex Iacob, & transfiget extremitates Moab. Nemo cùm proximos suos læserit, putet se non daturum tandem pœnas, etiam si viderit Deum diu secum dissimulare. Vides enim hic quàm diu deus post peccata tolerauit omnes istas gētes, quas tamen postmodum cum maxima seueritate castigauit. Bonum mihi Domine quòd nunc humiliasti me, ne mihi iram ad nouissimum seruares. Castiga me Domine, veruntamen in misericordia, ne forte postmodum ad nihilum redigas me.

Robustum est habitaculum tuum: sed si posueris in petra nidum. Si malus es, nulli quæso fidas, non habitaculo robusto, non nido in petra: quoniam inde te Dominus deiiciet.

Etiam ipse in sæculum periit. Non superbias si te Dominus flagella faciat quibus alios castiget. Audisti dicentem Dominum apud Isaiam. Contriuit dominus baculum impiorum, virgam dominantium, percutientem populos in ira, percussione indeclinabili. Et cap. 10. O Assur, virga furoris mei, & virga ipsa quę est in manu eorum, est ira mea. Ipse non sic æstimabit, & cor eius non ita putabit, sed ad perdendū se missum putabit in corde suo. Sed quid tandem illi fiet? Cùm inquit impleuerit dominus omne opus suum in monte Sion & Ierusalem, visitabo super fructum magnitudinis cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. Sic & hic Macedonas quos Chittim appellat, postquàm ceperunt & destruxerūt istos, periere etiam ipsi.

IN CAPVT. XXV. NVMERI iuxta literam annotata.

ET *habitauit Israel in Sittim.* Est Sitthim nomen loci, in quo fuit vltima mansio Iudæorum, ante transitum Iarden. Si enim habes capite trigesimotertio sequenti. Et castrametati sunt iuxta Iarden à Bethesimoth vsq; ad Abel sittim in cāpestribus Moab.

Cœpit populus fornicari, cum filiabus Moab. Significat verbum zalal proprie incipere, & ex consequenti vulnerare & prophanare: quòd vulneratio sit inceptio occisionis & prophanatio inceptio vsus hu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mani, quo homines incipiebant re aliqua vti. Similiter zanah, id est, fornicari, significat non solum corpore sed etiam mente, idola colendo fornicari & hic pro vtraque sumitur fornicatione, quoniam populus mulieribus Moabitis commixtus est carnaliter, & cum eis idolum adorauit.

Et vocauerunt populum ad sacrificia deorum suorum. Dicunt Hebræi hoc factum fuisse consilio ipsius Bilham, quod dedit ipsi Balach Moabitarum regi ante discessum suum: cuius verba si Iosepho fidem adhibeas, 5. cap. 4. libri antiquitatum sunt hæc. Vos inquit quandam victoriam ad breue tempus aduersus eos luerari desideratis: quod impetrabitis, si hæc quæ moneo feceritis. Filiarum vestrarum speciosas, præcipue virgines, quibus subdi & deinceps castitas posset inspicientium, propter pulchritudinis honestatem, circa eorum exercitum, proxime destinate, & supplicantibus eorum iuuenibus, vt earum amplexibus misceantur, præcipite, quatenus dum eos viderint concupiscentia obligatos, deserant: rogantibusque manere eas, non primitus annuant, quàm eos patrias leges relinquere iubeant, simul & honorem Dei qui eas posuit eis, & Midianitarum atque Moabitarum colere ritum cogant. Sic enim illis indignabitur Deus. Cùm hæc ille dixisset, ipse ille Midianite vero dum misissent filias suas, sicut ille monuerat: Hebræorū iuuenes decepti sunt, pulchritudine puellarum, & ad earum colloquia venientes rogabant quatenus earum pulchritudine frueretur: neque consuetudinis proximitate recederent. At illæ libenter hæc verba audientes, consenserunt eis, obligantes eos amore suo. quibus dum concupiscentia crepuisset, eos illæ cœpere deserere. Dumque illos angustia de mulierum discessu crudeliter inuasisset vberrimis fletibus exorabant, ne eos illæ desererent sed futuras vxores, & dominas omnium substantiarum suarum manere poscebant, quæ iurisiurandi religione firmabant. Deumque mediatorem, promissione faciebant flentes, & vndique semetipsos misericordia, dignos mulieribus ostendentes. Illę verò dum eos seruitute iam captos esse cognoscerent & omni vinculo fidei consuetudinis obligatos, eis talia dicere ceperunt. Nobis quidem ò fortissimi iuuenes domus paterniæ sunt, & bonorum magna possessio, parentum ac domesticorum fauor atque dilectio: nihilque horum egentes, venimus ad vestrum alloquium: neque quæsitum speciosi corporis requirentes, vestram nobilitatem adiimus, sed viros bonos & iustos existimantes, honorare vos xeniis, quibus indigetis aduenimus.

Consilium quod dedit Bilham regi Moabitarum secundum Iosephum.

Nunc verò quando dicitis, circa nos habere dilectionem & nostro contristari discessu: neque nos vestras preces abijcimus, sed tantummodo fidem volumus fauoris vestri percipere: per quam nos credere, dignissimum iudicamus, vt vestram conuersationem diligentes, vxores esse possimus. Formidamus etenim, ne dū fueritis satietate nostrę consuetudinis adimpleti, deinceps contumelijs affectas, nos ad parentes proprios remittatis. Rogantibus autem illis, & vt vellent, fidem daturos se pollicentibus, & ob amorem in nullo contradicentibus, dixerunt illæ. Quomodo quidem hæc vobis placent, moribus autem & vita vtimini omnibus alienata vt etiam cibos proprios habeatis & pocula cum nullo communia: necesse erit, volentibus vobis habitare nobiscum: etiam & Deos colere nostros, neque erit inditium aliud circa nos vestri fauoris: nisi eosdem deos quos nos, adoretis: nullusque culpabit vos, si terræ ad quam venistis, eius colatis & numina: vtque dum dij nostri sint omnibus communes: vester verò in nullo sit talis. Dicebantque eis, vt aut quæ essent omnium ea facerent, aut aliam quærerent terram, in qua possent legibus propriis conuersari. Illi verò earum amore deuincti, optima illas dicere iudicantes, & semetipsos tradentes voluptatibus earum, patria transgressi sunt iura: deosque plurimos iam putantes, & immolare eis lege prouinciæ proponentes, cibis etiam extraneis cōgaudebant, & omnes ad mulierum libidinem, cōtra leges proprias insurgebant: ita vt per omnem exercitum, iuuenes iam agerent cōtra legem & seditio, priore multo peior incideret: cum omnino solennitates iam proprie deperirent. Nam dum semel iuuenes, mores extraneos attigissent: eos vberius appetebant. Sed & si qui, priorum virorum, propter virtutes patrum nobiles erant, eum eius vitio subiacebāt. Denique Samaria, princeps tribus Simeon: dum haberet Chorumi Midianitem mulierē, Ducis cuiusdam filiam, viri inter illos valdè potentis: vxore iubente ante Mosaicas solennitates, quod illam magis delectare effecit, non immolando lege patria, sed alienigenæ nuptias eligendo. Hactenus ille quæ timeo saltem pro magna parte fictitia, confirmant tamen hæc quæ infra dicuntur cap. 31. vbi Moseh illis dixisse habetur. Nunquid viuas reseruastis omnes mulieres? Ecce istæ fuerunt quæ filios Israel per cōsilium Bilham tradiderunt in præuaricationem coram Domino, in causa Peor: factaque est plaga in congregatione Domini.

Item locus qui est in Apocalipsi cap. 2. Sed habeo, aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam: qui docebat Balach mittere scādalum coram filiis Israel: edere ex his quæ simulachris immolantur, & scortari & quæ sequuntur.

Et coniunxit se Israel ipsi Baal Peor. Sonat baal insuper, à bet quod est in, & bal super, & significat superiorem, quacunque causa quis superior aliquo sit, siue vt Dominus siue vt maritus. Vocabantur autem sic idola, quod suorum cultorum Domini & superiores essent. Peor verò sonat apertionem, à paar quod est aperire, vt patet Psal. 119. vbi dicitur. Os meum paarti, id est, aperui, quare baal peor sonat dominum apertum seu habētem apertionē, & putarem sic dictum aut quia os apertum habebat, aut quia denudatus esset seu quod verenda & aperta haberet. Vocant enim Hebræi nudos apertos, Hebræi dicunt fuisse idolum spureissimum Midianitarum: cuius cultores in eius venerationem foramen podicis distendebant, atque ante eius conspectum cacabant, quod non credo, quoniam ipse apertus dicitur nō cultores. Sunt enim Iudæi mendaciorum mali artifices, non ēdarantes an facilè eorum mendacia depræhēdi possint.

Quid sibi ad peor vult dici.

Accipe omnia capita populi, & suspende illos Domino coram sole. Aliqui dicunt principes ex præcepto Domini vocatos, non vt suspenderentur, sed ad consilium, vt eorum consilio culpabiles suspenderentur: quem sensum Sanctes sua versione prætendit: qui hic vertit. Accipe principes populi, scilicet tecum, & suspendere fac eos qui, scilicet malum perpetrarunt. Huic etiam sensui multum arridet textus sequens. Sequitur enim. Et dixit Mosch ad iudices Israel. Occidite vnusquisque viros suos. Vnde videtur quod vocauerit iudices qui erant capita populi: vt præciperet vnumquenque eorum facere examen in homines suæ iurisditionis, & suspendere culpabiles. Posset etiam teneri capita fuisse ex præcepto Domini suspensa, quod videlicet subditos suos, in officio non continuissent. Sed prior sensus germanior est. Quoniam non est credibile viros ad regimen populi electos, tale facinus perpetrasse, qui etiam vix poterant indomitam multitudinem continere. Aduerte autem verbum iacha, id est, suspendere, duo Hebræis significare, scilicet suspendere & recedere: licet aliqui Hebræorum grammatici dicant, ea quæ significant recedere, esse à radice nācha, non à iachal. Prioris significationis exemplum habes. 2. Semue. 22. Vehochianum, id est, Et suspendemus eos Domino. Secundæ verò significationis Ezechielis. 23. Vatheca, id est, recessit anima mea ab ea. Diximus de huius verbi significatione Geneſis trigesimosecundo. Dicit autem. Et suspende eos Domino, quoniam quasi Domini sacrificium, erat suspendium hoc. Quod verò sequitur, coram sole, Hebraismus est ac si dicatur in propatulo seu publice & manifeste, quoniam sol sua præsentia, omnia occulta manifesta facit: cuius simile habes. 2. Semue. 12. vbi Nathan dicit Dauidi. Tu enim fecisti abscondite, & ego faciam hoc corā omni Israel, & coram sole, id est, publice & aperte seu manifeste.

Facere alia quid cum sole. Hebraismus est facere palam et manifeste.

Et reuer-

Et reuertetur ira furoris Domini. Hoc dicit quum cœperat iam punitio grassari in populum.

Occidite vnusquisque viros suos, qui coniunxerunt se ipsi Baal pehor, id est, facite vindictam, vnusquisq; in viros sibi subditos. Ad hoc enim videntur iudices vocati, vt, scilicet eorum quisque in culpabiles sibi commissos animaduerteret. Iubentur autem occidi, & crediderim suspendio, si iudices non sunt ipsi suspensi.

Dixit autem qui coniuncti sunt Baalpehor, quoniam fornicatio coniunctionem exigit: vel fortè quia colendo idolum, osculabantur illud, in signum venerationis & reuerentiæ.

Et appropinquare fecit fratribus suis Midianitidem in oculis Moseh, id est, non fuit contentus ad eam extra castra exire, quemadmodum alij. sed eam inducere intra castra in oculis omnium veritus non est: eamque in suum tabernaculum introduxisse credendum est. Eugubius quoniam Hebraice habetur. (Et appropinquare fecit ad fratrem suum) putat hunc non fuisse eri minis authorem, neq; cū Midianite fuisse congressum, sed illam alteri ex filiis Israel adduxisse vt alter rem haberet cum ea, & litera hunc sensum admittit: prior tamen germanior meo iudicio est.

Et vidit Pinechas. Hunc nostri corrupte vocant Phinees. *Accepit hastā in manu sua.* Non puto romach lanceā significare quia ea nō facilè potuisset vtrunque in tabernaculo transfigere, quare putarē potius esse bipennē, quam nostri alabardā vocant. Itali rōcham, & nomen cōsentire videtur. Hieron. septuaginta sequutus, pugionem vertit, licet in multis aliis locis verterit lanceam, & licet dictio sit in scripturis frequens, vix tamen ex eis est aliquis locus ex quo certa coniectura ad significationem venandam accipi possit.

Ingressus est post virum Israelitam in tabernaculum. Dictio chubah quā Hebræi tabernaculū vertūt, ignotæ significationis est apud eos, & si radix eius est chabah quod est maledicere & execrari, videtur significare locum execrabilē, & significatio videtur loco optimè conuenire, siue per locum execrabilem pudenda intelligas: siue domunculam meretritiam. Si radix etiam sit chub à quo chebab, id est, ventriculus, non longè à textu est. Melius tamen puto eos sentire, qui eam deriuāt à chabah, id est, execrari. Thargum ventrem vertit inferius, hoc eodem capite: vbi dictio repetitur. Sic ergo locum reddendum puto.

Ingressus est post virum Israelitam in execrabilem. Scilicet locum quo, scilicet cum ea congredi voluit: si tabernaculum fuit viri Israelitæ: vt ex prædictis apparet. Dictum est enim virum Israelitam appropinquare fecisse Midianitem fratribus suis. Quia tamen textus nnon dicit eam in tabernaculum suum introduxisse: posset etiam intelligi eam non induxisse in castra, sed prope ad locum quo ab omnibus fratribus videri poterat, & fortè erant domunculæ ex ramis & frondibus ad hoc paratæ à Midianitis, & tunc per locum execrabilem intellige locum congressus extra castra. Et sic illud quod inferius dicitur.

Et perfodit ambos el chobatah. Vertendum puto, ad locum turpitudinis seu execrabilem, vel in loco execrabili ipsius fœminæ in quo, scilicet manebat ipsa quoniam pronomen fœmininum nomini iūgitur, vbi turpiter operabātur. Quod si per Chubbah intelligas locū turpitudinis & per Chobatah ventriculū seu pudēdum, nō damno expositionē. Mihi tamē magis arridet vt vtrobiq, vertamus execrabile: sine sit locus congressus, siue locus pudēdus corporis, & sic omnia cōsonare videtur, & nominis ad suum verbū alluſio seruatur. Dicit ad pudēdum mulieris, quoniam si in congressu erant vir ad pudendum fœminæ confodiendus erat.

Fuerunt mortui plagæ viginti quatuor millia. Non explicat textus plagę genus, crediderim incendio præter suspēsos, quoniā textus habet plagā fuisse restrictam, quā videlicet dominus immiserat, propter factū Pinechas. *Et non finiui eos.* Sic melius vertendum puto, quā cōsumpsi, quoniā verbum chalah hoc significat, & significātius est. Erat enim omnes deleturus, nisi Pinechas furenti occurreret facto suo. Et per zelum Dei intellige emulationē, qua ęgrè fert in cultu consortium, & iste zelus in nobis inuidia est.

Quid zelus.

Ecce do illi fœdus meum, pacem. Quidam vertunt. Do ei fœdus meum pace & quiete sempiterna: vt nemo, scilicet auferre possit, & de tāto gradu eum deturbare. Possemus etiā interpretari & melius iudicio meo Ecce do illi pactū meum. f. sacerdotij pacificum, ac si dicat. Do illi sacerdotium ex pacto meo cum eo, pacificum. Sed dices. Nónne iā patri dederat sacerdotium in pactum salis? Quid ergo opus erat iterum dare illi? Ad quod dico primum, hanc esse Domini consuetudinem, pollicери sæpius eandem rem, quando magni momenti est, ad cōsolationem eius cui promittit: vt patet de regni perpetuitate, qđ sępius Dauidi pollicitus est: vt cōstat Psal. 131. Iurauit dominus Dāuidi veritatē. De fructu ventris tui ponā super sedem tuā. Et. 88. in sæculum custodiā misericordiā meam: & pactū meum fidele erit ipsi. Ponā in sæculū semen eius, & thronum eius sicut dies cœli. Idē. 2. Semue. 7. Secūdo dico posse sacerdotiū esse perpetuum Aharoni & semini eius, sed non per eundē filium. Esset enim sacerdotiū nihilo secius perpetuū, si per Ithamar secundū Aharonis filium successio fieret, ideo promittit dominus Pinechas, quod per ipsum continuetur sacerdotiū: licet enim per primogenitos communiter fieret huiusmodi sacerdotij successio, inuertebat tamen dominus propter sacerdotum peccata huiusmodi ordinem, vt patet de Heli primo Semuelis secundo: vnde Exodi. 29. non dicit Dominus, vestes summi sacerdotis relinquendas primogenito, sed quod vestes ipsius Aharonis erunt filiorum eius post eum ad vngendum cum eis. Neque credo alicubi præceptū vt primogenitus summi sacerdotis patri succedat, licet communiter sic fieret. Posset etiam addi tertius sensus, si teneamus salom non pacem sed integritatem (vt res habet) significare: vt sit sensus. Ecce do illi pactum meum integritatis, vt, scilicet nullo modo deficiat à semine eius. Adiungi potest quartus iste, scilicet. Ecce do illi pactum meum pacificum mc illi exhibendo. Offendebatur enim sæpius Dominus à sacerdotibus, vt patet de Heli loco citato, & deturbabat eos à ministerio, quod se non facturum pollicetur Pinechas. Inter has tamen secunda quæ non longè à prima est: videtur germanior, quam sequens sententia approbat dicens. Et erit ei & semini eius post eum, pactum sacerdotij perpetui.

Cap. 18. huius libri.

Pro eo quod zelatus est pro Deo suo. Est iste zelus quędā vt ita dixerim inuidia ex amore nascens nimio, qua quis dolet amicum offendi, aut in persona aut in honore putans se maximè lædi si amicum lædatur, & verbum etiam inuidere significat. Dolebat enim maximè Pinechas, quod iste princeps tam impudēter propter vile scortum: honorem Domini prestaret idolo, & sua fœda libidine, illi esset iniurius.

Et expiauit filios Israel. Verbum etiam significat linire & quasi operiri: vnde verti posset. Liniuit super filios Israel seu texit: ne, scilicet Dominus videret eorum peccatum ad vindictam: iuxta illud Psalm. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata, ne scilicet ad vindictam videantur.

Princeps domus patris Simonis, id est, princeps in domo Simonis qui erat pater in Israel. Aut princeps domus patrum qui à Simone ortum habebant. Sic quod sequitur.

Filia Sur, principis gentium. f. illarum & princeps domus patris, pro patrum in Midian angustias affice.

Significat sarar proprie ligare & astringere, & similiter angustiis afficere: quod qui angustiis afficitur videatur ligatus & astrictus animo suo.

Quoniam angustiis affecerunt ipsi vos fraudibus suis. Dicunt Hebræi verbum nachal à quo nichlehem, id est, fraudibus suis significare cogitare malum cordis ex quo prouenit factū malum astute. Et licet verbum ponatur in aliquot scripturæ locis, significatio tamen eius non est plene nota Hebræis. Diximus aliquid

de eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

de eius significatione Geneſis trigeſimoſeptimo vbi dicitur. Vajit nachelu, id eſt, cogitauerunt contra eum videlicet Ioſeph: vt interficerent eum. Hieronymus vertit. Hoſtiliter egerunt. Et Malachię primo Maledictus nochel, id eſt, doloſus.

Super rem Pehor, id eſt, in cauſa idoli, quod vobis colere fecerunt.

Et ſuper verbum Cozbbi filiæ principis Midianitarum ſororem eorum, id eſt, & ſuper cauſam fornicationis carnalis illius fœminæ Midianitidis: quę fuit filia principis Midianitarum & ſoror eorum ac ſi dicat. Percute Midianitas, quoniam non aperto marte, ſed ex inſidijs vobiſcum egerunt in idololatria & fornicatione: præſertim cum Cozbbi filia principis.

Et percuſſa eſt in die plagæ ſuper cauſam Pehor. Sermo eſt de Cozbbi quæ fuit occiſa à Pinechas, in die qua Dominus plagam in Iſraelitas miſit.

IN CAPVT. XXV. NVMERORVM ad morum venuſtatem adnotatio.

Cœpit populus fornicari cum filiabus Moab. Et ſi omni tempore ſeruus Dei, debeat fornicationem & vitia alia quantum poteſt vitare, & ſibi proſpicere: tunc tamen maximè, cùm ſibi offertur occaſio peccandi. Sunt enim multi viri religioſi, qui religioſiſſime agunt, dum ſeſe illis nulla offert peccandi occaſio: qui facillimè nacta occaſione cadunt.

Temperandus amor etiã vxorius

Vocauerunt populum ad ſacrificia deorum ſuorum. Peccatum (ait Gregorius) quod mox per pœnitẽtiam non diluitur: mox ſuo pondere ad aliud trahit. Sunt enim vitia quædam ſic colligata, vt quamprimũ vnum admittas: aliud te inuadere neceſſum eſt. Trahit luxuria & libidinis ardor hominem, ad omnia quæ vult, etiam ſi maxima vitia ſint & peccata: quẽadmodum
1.Reg.11. legimus de Salomone, qui cùm ſapientiſſimus eſſet, Deos Moabitarum & Hãmonitarum coluit, quoniam fœminis harum gentium ardentiſſimo amore copulatus eſt. Qua in re etiam docentur viri, non nimiũm vxores diligere: præſertim cũ ſciuerint eas ad aliquod vitium pronas eſſe. Legimus etiam de eodem populo Exodi. 32. quòd poſtquam ſederãt ad manducandum & bibendum ſurrexerit ad ludum.

Comedit populus, & adorauit Deos eorum. Non dir eſſe poſſunt diuerſæ religionis & cultus, vir & vxor. Colere etiam ſolent homines eos, qui ſibi neceſſaria adminiſtrant: ſiue ſit alter homo ſiue ſit deus. Videtur enim manus Dei & principum eſſe, ſuis prouidere. Audi quid populus hic, dicat apud Hoſeam ca. 2. Vadam inquit poſt amatores meos, dantes panem meum & aquas meas: lanam meam & linum mœum, oleum meum & potum meum. Et apud Iſaiam cap. 3. Apprehendet (inquit) vir fratrem ſuum, familiæ patris ſui: dicens. Veſtimentum tibi eſt: princeps erit nobis. Et dicet Non ero Dominus & in domo mea non eſt panis neque veſtimentum. Et Pſal. 22. Manducauerunt & adorauerunt, omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram. Sic nunc populus famelicus: cùm ſibi à Moabitis cibaria oblata eſſent comederunt & adorauerunt deos earum. Duæ ſunt viæ (ait beatus Bernardus ſuper Pſal. qui habitat) quibus homines facilè perduntur, ſcilicet via concupiſcentiæ & via propriæ indigentiæ ſeu neceſſitatis: quare ſapiens conſulit non ire poſt concupiſcentias, & Pſal. inſtantiſſimè petit à ſuis neceſſitatibus liberari. Neque nunc Iſraelitis neceſſaria deerant, quoniam ſingulis diebus manducabant panem de cœlo miſſum, ſed quia delitiari voluit, in peccatum maximum prolapſus eſt: quare docemur non querere ciborum delitias, ſed contenti his eſſe, quibus nos Deus voluerit enutrire.

Accipe omnes principes populi, & ſuſpendere faciunt eos Domino. Non ſunt tractandæ graues cauſæ ac negotia ſine maturo conſilio, etiam à ſapientibus: præſertim vbi interuenit cauſa mortis. Licet Moſes eſſet ſapientiſſimus & Deum ad manum haberet, poluit tamen ſine cõſilio, homines occidere peccatores. Quod ſi principes ipſos ad ſuſpendium à Domino dãnatos intelligas attende, quantum ſit malum malos non puniri, quoniam propter huius rei negligẽtiam fuerunt gubenatores ſuſpenſi. Quod autem ſequitur, Domino, admonet, ſacrificium acceptiſſimum Domino deo offerre: qui malefactorem & reum morti tradit ac ſuſpendit. Solebant enim gentes cùm Dominus aliquã communi plaga caſtigaret orbem: homines facinoroſos ac maleficiis famoſos, diis ſuis iugulatos aut combuſtos offerre, tanquam ſi reipubhcę ſcoriam à cõmunitate reiicerent, ne eam amplius inficerent.

Sacrificium domino acceptiſſimũ eſt peccatores punire.

Occidite vnuſquiſque viros ſuos. Oſtendit locus iſte vnumquenque iudicem plenam facultatem habere debere ad puniẽdum ſuos etiam extremo ſupplicio modo prius tractet rem cum aliis iudicibus.

Appropinquare fecit fratri ſuo Madianitem in oculis Moſeh. Et ſi omnes peccatores à iudice puniendi veniant: maximè tamen impudentes, & qui non verentur in oculis omnium peccare. Simili modo diſce, quã ſit fera libido: quod eo tẽpore peccata admittat, quo viderit ea, in aliis caſtigare, & qui flagellis aliorum debuerat cohiberi, is viceuerſa audaciõr fit.

Et ipſi flebant ad oſtium tabernaculi Eccleſiæ. Sunt multi qui cùm peccata viderint aliorum: non dolent non flent, ſed quòd deterius eſt rident, & gaudẽt, ſed conſiderent iſti illud Ezechielis, quo viri aliorum peccata gementes, ſignari iubentur à Domino: vt illis in die furoris Domini parcatur. Hoc enim debet eſſe munus piorum cum peccata viderint, flere, ſcilicet & pro peccatoribus ipſis orare. Audi quid huiuſmodi faciebat ſanctus Dauid. Pro dilectione mea aduerſati *Pſalm.* ſunt mihi, & ego vir orationis eram. Et conſidera hic quanto fortiora ſint vitia impiorũ ad irritandũ deum, quàm piorum lachrymæ ad placandum.

Et vidit Pinechas. Expende quæſo quanto plus valeat ad placandum Dominum vindicta & punitio, quàm lachrymæ: vt illa placuerit Dominum & ab ira reuocarit, quod lachrymæ facere non potuerunt. Docentur etiam hic ſacerdotes præ cæteris zelare honorem Dei, ac punire eos, qui illi iniurij ſunt: maximè vbi miniſtri iuſtitiæ negligentes ſunt. Si quis amico tuo iniurijs eſſet, egre ferres & ſi poſſes iniuriam vindicares: iniurias verò Dei tui facile diſſimulas: quo eum minus amico amare conuinceris.

Non conſumpſi filios Iſrael in zelo meo. Omnia peccata maximè fugienda ſunt, illa tamen præ cæteris, quæ Dei honorem è regione tangere videntur, veluti idololatria, ob quam pereunt iuſti cum impiis.

Ecce ego do ei pactum meum pacem. Ecce quid ſacerdos lucraberis zelando honorem Dei: nempe ſacerdotij perpetuitatem. Nam quemadmodum qui iniurij ſunt, à ſacerdotio adepto deturbantur vt patet de filijs Heli: ita qui honorant, in ſacerdotio firmantur. Habes etiam hic quod quemadmodum impij ſibi & ſuis poſteris nocent, ita & pij ſibi & nepotibus bona lucrantur. Eſt & aliud quod aduertas, quàm cito Dominus retribuat honoris ſui miniſteria, & præclara geſta, vt diſcas in his quæ ad eius honorem pertinent miniſtrare ei.

Et nomen viri Iſrael percuſſi Zimri. Solent ſæpius fama cõmunitatis, propter vnius membri vitia periclitari: dum vitiorum auithõr & patrator ignoratur, ideo ſæpius expedit nomẽ eius ſcire, ne omnium fama propter illum male audiat.

Angiſtia affice Madianitas. Audis hic quàm meritas pœnas det qui alios in vitia & peccata trahit, præſertim fraudibus, vt non ſe immunes putent, qui alios ad peccandũ decipiunt: ne tamẽ propterea excuſantur, qui aliorum fraudibus ſe decipi facilè permittunt.

IN CAPVT. XXVI. NMERI: iuxta literam adnotationes.

Leuate

Leuari eo ipſo eſt Hebraice numerare.

LEuate caput omnis congregationis filiorum Iſrael. Hebraiſmus eſt leuare caput idem ſignificans quod numerare capita: de quo priori huius libri capite diximus abunde. Solemus autem oues boues & alia pecora per capita numerare, ac dicere. Habeo tot capita boum & ouium, & putarem tunc temporis homines etiam per capita numerari eleuando ea. Vocat etiã dominus ſæpius in ſcripturis Iſraelitas oues Pſal. Qui deducis velut ouẽ Ioſeph. Et apud Ezechielem ſæpius oues appellat, vnde non mirum quòd eos per capita pecudum more iubeat numerare.

A filio 20. annorum & ſupra. Loco etiam citato diximus cauſam, quare Iſraelitæ numerabantur à 20. annis & ſupra & non infra, quam ſcriptura reddit. 1. Paralip. 27. quia promiſerat dominus ſe multiplicaturum Iſrael ſicut ſtellas cœli Numerabantur verò à 20 & ſupra, quia tunc erant apti ad bellum.

Per domos patrum. Solebat enim fic numeratio fieri. In domo Reuben qui vnius familiæ pater eſt, ſunt duo aut tres viri qui exceduñt annũm. 20. vel attingũt illum. Vel vocat domos patrum, domos principum qui erant veluti capita familiarum.

In confinibus Moab. Admonui ſæpius nomen arbot, non ſignificare campeſtria, vt omnes tam noſtri quàm Hebręi, hic & vbiq, interpretati ſunt, non expẽdentes verbi arab (quod eſt miſcere) ſignificationem à quo ereb. i. mixtio, & quia in confinibus ſeu extremitatibus regnorum, videtur eſſe mixtio vnius ad aliud, vocantur confinia, arbot, id eſt, mixtiones, quod ibi termini diuerſorum regnorum miſceantur. Et ideo vbicunque dictio occurrerit, interpretare confinia vt diximus. Si quæras huius numerationis cauſam, textus in fine capitis eam reddere videtur dicens hos eſſe numeros Moſeh & Elhazar ſacerdotis, qui numerarũt filios Iſrael in confinibus Moab iuxta Iarden Ierecho, inter quos nõ fuit quiſquã de numeris Moſeh & Aharon, qui numerarunt filios Iſrael in deſerto Sinai. Dixit enim dominus eis. Moriendo morientur in deſerto & quę ſequũtur. vnde videtur numeratio facta vt viderent an inter eos eſſet aliquis ex his qui ex Ægypto fuerant egreſſi, vt expectaretur illius mors. propter iuſiurandum Domini, quod, ſcilicet nemo illorum præter duos, eſſet promiſſam terram ingreſſurus. Inuenitur etiam numerus iſte Iſraelitarum minor, quã fuerit illo rum qui in deſerto numerati ſunt: quem diminutum dicunt Hebræi ob ſequentes plagas & incendia, quibus à domino conſumpti ſunt in deſerto. Tribus verò Simhon imminuta videtur ferè triginta ſeptem millibus virorum, quoniam hij fuerunt præcipui in cauſa cultus Pehor & fornicationis cũ Midianiis, quoniam vt videtur ſequuti ſunt principem tribus: cuius textus meminit, & ab eo interfecti ſunt. Alios verò in aliis peccatis periiſſe credendum eſt.

Quemadmodum præcepit Dominus Moſeh, & filii Iſrael qui egreſſi ſunt ex Ægypto. Sanctes noſter paulò aliter vertit hunc locum, ſua priori æditione ſic. Quẽadmodum præcepit dominus Moſeh, & filiis Iſrael qui egreſſi ſunt ex Ægypto & ſecundum priorem interpretationem, clarus eſt textus: iudicans Iſraelitas nunc numerandos à 20. annis & ſupra, quemadmodum iuſſi ſunt numerari in deſerto quando ex Ægypto egreſſi ſunt, Sanctis verò textum ſic interpretare. Et filij Iſrael qui egreſſi ſunt de Ægypto, id eſt, cùm egrederentur de terra Ægypti numerati ſunt, ſcilicet antea, ſed prior ſenſus germanior eſt.

Reuben primogenitus Iſrael. In ſupputationibus primogenitus vbique appellatur, ſed in bonis trãſlata eſt eius primogenitura ad duos filios Ioſeph, ſcilicet Ephraim & Menaſſeh: vt habetur primo Paralipomẽnon cap. 5. principatus verò ad tribum Iehudah: quia cæteris viribus fortior erat.

Nominati Synagogæ. Vocantur viri nominati Synagogæ, proceres, quorum nomina in plebe erant nota. Nos vſque hodie dicimus He hum homen no meado, id eſt, eſt vir famoſus & notus: quomodo noſter vulgatus vertit Gen. 6. Iſti ſunt potentes à ſæculo, viri famoſi, quod Hebraice habetur viri nominis. Alij vertunt. Qui per ſua propria nomina, ad comitia vocabantur, ſed prior expoſitio ſimplicior eſt.

Qui leuauerunt ſe contra Moſeh & contra Aharon. Aut ſupra Moſeh & Aharon. Quidam ex noſtris vertit Qui diuiſerunt ſe, ſed meo iudicio nõ recte, quoniam verbũ nazah proprie ſignificat leuare & eleuare. Ierc. 48. Date alam Moab, quia no ſe teſe, id eſt, eleuando eleuabit ſe. Hebræi quia volando volabit, inde noſeh, id eſt, pluma ſic appellata quòd auem leuet, vel facilè à vento leuetur. Et nes, id eſt, accipiter, ſic dictus quòd volando valdè eleuet ſe, & nullibi quod ſciã inuenitur ſignificare diuidere. Hebræi dicũt ſignificare volare in 1. cõiugatione, in. 2. verò &. 3. contendere & deſolare, ſed prior omnibus locis quibus verbũ ponitur conuenire videtur. Dixi de ſignificatione huius verbi Exo. 2, &. 21. Et Leuitici. 24. Dicuntur etiam ſe contra dominum eleuaſſe: quoniam inuertere voluerunt quod dominus ſtatuerat: de duce & ſacerdote.

Fuerunt in eleuationem. Aliqui vertunt. Fuerunt in ſignum, ſcilicet alijs, ne de cætero auderent ſacerdotium ambire, & principatum. Aut fuerũt in ſignum non ipſi quidem, ſed eorum thuribula: quoniã ca. 16. huius libri dicitur. Quoniam ſanctificatæ ſunt. ſ. laminæ, & erunt in ſignum filijs Iſrael, & videtur melior interpretatio: quoniam licet nes ſignificet proprie eleuationem, ſignificat etiam vexillum ſeu ſignum, quod ſoleat eleuari vt videatur. Poſſet etiam eſſe ſenſus. Et fuerunt ad eleuationem: quoniam thuribula corũ eleuata ſunt & poſita ſuper altare holocauſtorũ, ſed prio rem ſenſum videtur litera amplecti.

Filij Chorach non ſunt mortui. Videtur ex hoc loco colligi Chorach non periſſe, quemadmodum Dathan & Abiron, qui fuerunt à terra abſorpti, Chorach verò combuſtus videtur cum ducentis quinquaginta viris, quoniam Moſeh præceperat illi, vt ipſe cum ſuis ducẽtis quinquaginta ſuffitum offerrent. Nam textus cap. 16. dicit. Et aperuit terra os ſuum, & deglutiuit eos & domos eorum, & omnes homines qui erant ipſi Chorach, & omnem ſubſtantiam, vbi inſinuare videtur, homines & ſubſtantiam domus Chorach, periiſſe in hiatu terræ, ſed non ipſum, & fortè ideo dixit homines domus eius periiſſe, vt oſtendat filios non fuiſſe à terra abſorptos vt hic explicatur. Si verò teneamus eum cum omnibus ſuis fuiſſe abſorptum: miraculoſe filij videntur ſeruati, ſed litera hæc magis applaudit priori expoſitioni, vt. ſ. non fuerit Chorach à terra cum cæteris abſorptus. Sic enim habet. Iſte eſt Dathan & Abiram, qui nominati erant in congregatione, qui leuauerunt ſe contra Moſeh & Aharon in congregatione Chorach, quando leuauerunt ſe contra Dominum, Et aperuit terra os ſuũ, & deglutiuit eos, ſcilicet Dathan & Abiram. Et Chorach dum moreretur cœtus dũ comederet ignis ducentos quinquaginta viros. ſ. combuſtus eſt, & fuerũt. ſ. ipſi aut eorũ thuribula in ſignum. Et quia filij eius non obtulerant cum iſtis. 250. viris incenſum domino euaſerunt incendium. Vnde textus duo hic nobis explicat. Alterum Chorach fuiſſe cõbuſtum, non abſorptũ à terra. Alterũ filios eius nõ fuiſſe mortuos cum eo, quoniam non fuerant participes criminis, & tunc non eſt opus miraculum quo euaſerint fingere, & hæc meo iudicio eſt veritas. Qui verò dicunt eum abſorptum, hunc textum ſic ſegunt. Et aperuit terra os ſuum, & deglutiuit eos. ſ. duos, & etiam Chorach: dum moreretur cœtus & dum comederet ignis viros illos. 250. ſed litera Hebraica proculdubio magis fauet ſuperiori expoſitioni, quã Sanctes & Munſterus ſequuntur in ſuis æditionibus. Nam Munſterus vertit Chorach verò fuit in morte illius congregationis, quando ignis deuorauit. 250. viros.

An Chorach fuerit à terra abſorptus vel potius combuſtus.

Iſti ſunt numeri filiorũ Iſrael. 600. milia et mille. 700. 30. Priori capite huius libri ſcriptum eſt, Iſraelitarum numerum aſcendiſſe, vſq. ad ſexcenta triginta milia quingentorũ & quinquaginta: quare conſtat nunc numerũ priorem diminutum ad. 28. milia octingentos viginti? qui vt diximus mortui ſunt in cladibus deſerti.

Iſti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Istis dividetur terra per hæreditatem: secundum numerum nominum, scilicet in terra Chenaham secundum numerum nominum, scilicet, scilicet patrum familiarum & videtur quod isti diuidebant aliis particularibus. Iosuah enim decimoquinto habetur sortes fuisse per familias eorum.

Multo multiplicabis hæreditatem, & pauco diminues hæreditatem eius. Sensus est quod secundum quod familia erat magna vel parua: multiplicabatur aut minuebatur hæreditas: vt par erat.

Vero secundum os numerorum eius: dabitur hæreditas eius. Sic in Hebræo est & est sensus. Vnicuique familiæ dabitur hæreditas: prout exegerit vel petierit numerus ipsius. Aut prout fuerint ora comedentia seu numerus eorum comedêtium, sed prior sensus simplicior est. Nos vsque hodie dicimus, agrum exigere aut petere tot modios seminis. Istum hominẽ exigere tot vlnas seu mensuras panni vt vestiatur de quo schemate diximus in Hebraisinis.

Tamen cum sorte dividetur. Non dabatur vnicuiq; illa terræ portio quam volebat, sed sorte accedebat ei: vt, scilicet illam portionem quisque haberet: quæ illi sorte contigisset. Sors autem secundum Hebræos hoc modo fiebat. Scribebantur in. 12 schedis. 12. nomina filiorum Israel, in aliis verò. 12. termini terræ promissionis, & hæ duplices schedæ mittebantur & permiscebantur in scrinio: tollebantq́ue singuli principes tribuum duplicem schedam, & qui terræ terminus cum scheda suæ tribus: illi obueniebat: is illi decernebatur tribui.

Per nomina tribuũ patrum suorũ: hæreditatem accipiẽt. Dicebatur enim. Ista est sors filiorum Reuben: ista filiorum Simonis. Vide practicam huius præcepti Iehosuah. 15. & sequentibus: vbi describuntur sortes omnium tribuum.

Iuxta sors ita dividetur, id est, prout sors exegerit, aut prout sors dixerit diuidetur, aut sicut sorte contigerit vel euenerit: neq; solum in communi, sed etiam inter particulares sorte diuidebatur.

Inter multum & paucum. Id est, inter magnam & paruam multitudinem: seu inter multos & paucos homines.

Iochebet in Ægypto genitam. *Quam peperit ipsi Leui in Ægypto.* Subaudi vxor eius. Constat autẽ ex hoc loco, Iochebet fuisse in Ægypto genitam & Leui in Ægypto genuisse.

Dum appropinquare facerent ipsi ignem alienum, Non tam proprie vertas. Dum offerrent, quoniam ignis non offerebatur deo sed thimiama quod in igne comburebatur, & verbum Charab proprie significat appropinquare potius quàm offerre, licet possit sustineri dum offerrent.

A filio mensis & supra. Alio modo numerabantur Leuitæ in Israel, & alio alię tribus: quoniam aliæ à. 20. annis & supra, Leuitæ verò in filio mesis: vt plures viderentur, aut quia à pueris erant domino sanctificati. Aut melius quia erant dati deo pro primogenitis, quæ domino post mensem offerebantur.

Isti sunt numeri Mosèh, & Elhazar, id est quos supputarunt Mosèh & Elhazar. Nam alij numeri dicebantur Mosèh & Aharon, quoniam illi fuerant authores seu ministri alterius supputationis.

In campestribus Moab. Sic melius vertas, quàm in campestribus Moab vt sæpius admonuimus.

Super Iarden Ierecho, id est, Super Iarden qui pertinebat ad Ierecho aut prope eam erat.

In istis non fuit quisq; de numeris Mosèh & Aharon, id est, inter istos numeratos, non fuit vir de numeratis à Mosèh & Aharon in deserto: quoniam voluit dominus ostendere se implesse quod iurauerat, quod, scilicet nemo illorum qui mirabilia eius in Ægypto viderat, esset ingressurus promissam terram: duobus exceptis.

IN CAPVT. XXVI. NVMERI AD morum compositionem adnotata.

ET *fuit post plagam. Dixit Dominus ad Mosèh loquere summam.* Summe Dominus desiderat vt soli boni in mundo sint: qui ei dum viuunt seruiunt & administrant: malos verò, cupit è mundo eliminari. Ad hoc pestes, ad hoc fames, & aliæ hominum clades, vt ablata rubigine ex argẽto, exustatis ex area paleis, triticum maneat, quod in horreo Domini cum gaudio colligatur. Similiter discant ex hoc loco mali, non esse numerandos sed segregandos à bonis: tanquam hœdos ab ouibus. Hac de causa, non numerantur hic boni nisi post impiorum mortem & ablationem: quibus in ira sua iurauit: quod non essent in requiẽ suam intraturi.

A filio viginti annorum & supra: omnem egredientem ad pugnam. Non vult Dominus ignauos, & qui ad pugnandum non valeant: pueros & effœminatos respuit, neque ad numerum venire permittit. Nolite ait Paulus pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Et Isaiæ. 3. Dabo pueros principes eorum, & pueri dominabuntur eis. Expendit etiam hic Rabbi Salomoh quantum Deus dilexit plebem suam: quam tam frequenter iusserit numerare. Vtinam Domine Deus, me in numeris tuis iubeas tandem inueniri: vt te me curare sentiam quasi rem dilectam. Considera etiam hic, ad quid isti numerentur: ne videlicet rebelles Domino, promissam ingrediantur terram. Quid aliud insinuare videtur locus iste, quàm vt tollatur impius, ne videat gloriam Dei? Non intrabit illuc aliquid inquinatum, omnia numerabuntur & expendentur & eligentur: ne contingat malos bonis admixtos intrare.

1. Cor. 14.

Quidam ad bonũ alij ad malũ suum numerantur. Apoc. 21.

Ipsi sunt Dathan & Abiram. Audis ad quid mali in computum veniant, si contingat eos aliquando inter bonos numerari: nempe vt illorum peccata refricentur & commemorentur, & sicut bonis dum ad memoriam reuocantur, sua præclara gesta iunguntur: ita malis sua facinorosa. Audi quid beatus Ioannes dicat de Maria, cùm post facinus præclarũ quo suorum peccatorum veniam obtinuit, eius in sua historia meminit. cap. 11. Cùm enim dixisset fuisse quendam Lazarum ex castello Mariæ & Marthæ sororum eius: addidit. Hæc (inquit) est Maria quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur. Et iterum de malis habes Gen. 26. Iste (inquit textus) est Sibbeon, qui inuenit mulos in deserto, dum pasceret asinas patris sui. Et infra de Her & Onan. Et mortuus est Her & Onan in terra Chenahan. Idem de Nadab & Abihu filiis Aharon: de quibus dicit. Et mortuus est Nadab & Abihu dum offerrent ignem alienum.

Quando diuiserunt se contra Dominum. Non dicit textus eo loco quo simultatem istorum aduersus Mosèh & Aharon tractat, istos aduersus Dominum, sed aduersum duces se erexisse, sed vt cognosceres, idem esse cum seruis, & cum Domino simultatem exercere explicuit hic, eos cum Domino ipso contendisse: vt intelligas quòd qui eos audit, audit eum, & qui eos spernit Deum spreuisse.

Et fuerunt in signum Non solum in vita prosunt impij piis & bonis sed etiam in morte. Audi quid ethnicus poëta dixerit. Biblis (inquit) in exemplo est, vt ament concessa puellæ. Et Isaiæ. 65. Ecce serui mei clamabunt præ iocunditate cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis, & interficiet vos dominus Deus.

Ouidius.

Et filij Chorach non sunt mortui. Commendat locus iste misericordiam & pietatem Domini, qui in medio iræ suæ recordatur misericordiæ. Est etiam magna filiorum & nepotum consolatio, si sciãt se nõ daturos pro parentũ sceleribus pœnas, nisi sint eorum in malo imitatores. Nam quemadmodum iustorum semen, non recipit aliquid lucri, ex iustitia suorum parentum, si non sit iustum: neque prodest iniquis filiis, parentum suorum iustitia: ita non obest piis iniustitia maiorum.

Multo multiplicabis hæreditatem, & pauco diminues.

Sic æqui-

Sic æquitas & iustitia exigere videntur: nunc verò vnus vult omnia habere. Veh (ait Isaias) qui coniungunt domum domui, & agrum agro appropinquare faciunt, adeò, vt non sit locus aliis. Et num habitabitis vos soli in medio terræ?

Verum tamen per sortem dividetur terra. Considera sapientiam domini. Solent homines etiam iudices, hominum acceptare personas, & inæqualiter bona & mala diuidere: sors verò humanorum affectuum expres est: ideò æquius quàm homo diuidit & partitur. Hac de causa sapientes gentium, voluntudices legibus potius quàm placitis iudicare, quoniam leges huiusmodi passionibus non afficiuntur.

Omnis masculus à filio mensis & supra. Quid hoc est domine, vt prophanos iubeas supputari à filio. 20. annorum & supra, sacerdotes verò & Leuitas à filio mensis: neq; vis eos inter sæculares supputari? Vt nos doceas quid interſit inter ministeriũ tuum, & ministerium mundi. Paucis homo eget vt mundo seruiat, multis verò vt seruiat deo suo. A pueritia discẽdum est qualiter deo seruias: sufficit verò si ab homine discas mundo administrare: nũc verò omnia inuersa sunt. Nutriuntur à pueris homines in aula regia: vt principi postmodum melius seruiãt: ab aula verò iam viri & senes vocãtur ad domini ministeria. Postq̃ enim vires absumpserint in domibus regum: senes mittuntur ad ministeria Dei, & regias cæremonias in Ecclesiã introducunt: ita vt hodie Ecclesias, regum potius aulas quàm cultus diuini domos iudicare possis. Non sunt autem ministri domini inter alios numerati, vt discant quàm longè mores illorum ab istorum moribus debeant separari. *Non fuit eis data hæreditas in medio filiorum Israel.* Qui nunc, sacerdotum & ministrorum Dei auaritiam taxabit. Inhiant temporalibus lucris, prædiis & sæculares ambiunt honores, & est sicut populus sacerdos. Vaca sacerdos deo, neque timeas indigentiam. Nõne amplissimam deum hæreditatem habes? Quid aliam vis habere?

Inter istos non fuit quisquã de numeris Mosèh et Aharõ. Seruat dominus huiusmodi discrimen ad ingressum in terram. Cauẽdum valde est, ne cùm ad vitæ ingressum peruenieris moriaris, neque tibi ingredi permittatur. Memento virginum fatuarum, quæ cùm sero ad portam venissent audierunt. Amen dico vobis nescio vos. Mat. 25. Gignit etiam desertum filios cœlesti hæreditati, non autem Ægyptus.

IN CAPVT. XXVII. NVMERORVM iuxta literam annotatio.

ET *appropinquauerunt filiæ Selopchad filij Chepher filij Cilhad filij Machir.* Quia Dominus superiori capite dixerat. Istis, scilicet numeratis diuidetur terra, neq; fuerant nisi viri numerari: manebant fœminę quarũ pater non haberet masculos filios sine hæreditate parẽtum, ideò istæ fœminę accesserunt ad Mosèh inquirentes an deberent hęredes fieri: postquàm non habebant alios fratres.

De familiis Menasse, id est, qui Selopchad erat de familiis Menasseh & sensus est, istas stetisse coram Mosèh: vt agerent causam familię Menasse. Sed quia sequitur. Et hęc nomina filiarũ eius. prior sensus simplicior est. *Ad ostium tabernaculi conuentionis.*

Aut quia ibi sedebat Mosèh ad iudicandum, aut vt deferret Domino causam illarum? voluerunt coram Domino suam agere causam. Solebat enim dominus ostium tabernaculi accedere: ad colloquium cum Mosèh & ad iudicium.

Quoniam in peccato suo mortuus est: & filij non fuerunt ei. Non constat quo peccato iste mortuus fuerit, licet Hebræi dicant fuisse illum, qui lapidatus est, quoniam ligna colligebat in sabbato, vt patuit capite decimoquinto huius libri. Alij dicunt eum ob murmura in Deum fuisse à serpentibus morsum. Fortè etiam mortuus est in peccato infidelitatis, quoniã de eo, simili loquendi modo loquitur Christus Ioannis octauo. Nisi (inquit) credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro, scilicet infidelitatis. Aut in peccato suo quo cum aliis peccauit murmurãdo cum exploratoribus ob quod omnes qui de Ægypto exierant, priuati sunt ingressu terræ promissionis. Et nititur ostendere eum non fuisse indignum hæreditate neque emeruisse vt sic ea priuaretur, quoniam seditiosi digni erant qui hæreditate priuarentur tanquam maiestatis diuinæ læsæ rei. Posset etiam accipi peccatũ pro peccati pœna, vt sępius in scriptura accipitur, & sensus erit: quoniam in peccato suo, id est, in clade qua alij mortui sunt, mortuus est. Germanior tamen sensus est, intelligere cum aliquod priuatum peccatum commisisse ob quod ille mortuus sit. Vnde sensus verborum eorum est. Licet pater noster mortuus sit propter peccatum suum priuatum: non tamẽ fuit mortuus propter seditionem, aut cum Deo simultatem, ob quam mereamur nos hæreditate eius priuari.

Vt quid diminuetur nomen patris nostri: de medio familiæ eius, quia non est ei filius? Veruntamen hic aliquis pro minuetur auferretur, sed non tam germane: quoniã in qualibet familia nominabantur omnes qui de tali familia erant, vt illis hæreditas daretur, & qui sine filiis obiisset, minuebatur nomen eius, seu deerat à numero aliorum. Et verbum gara, significat proprie minuere. Dum verò nomen in familia deficeret, deficiebat etiam hæreditas.

Date nobis hæreditatem. Melius possessionẽ. Verbũ acham proprie significat comprehendere, & achuzzah tentionem seu comprehensionem: vt Exod. 15. multis authoritatibus probauimus.

Appropinquare fecit Mosèh iudicium coram Domino. Accipitur hic iudicium pro causa seu petitione iusta: qua sibi ius dici petebant in causa sua.

Rectum filiæ Selopchad loquuntur. Verbum chun à quo etiam quod hic Sanctes rectum vertit: proprie significat certificare vel certum ac firmum esse seu firmare: Iob trigesimoprimo. Vaiuchnonu, id est, firmauit nos in vulua vna. Et Genesis quadragesimoprimo. Quia nachon, id est, certa seu firma est res. Idem Exodi octauo. Et Prouerbiorum duodecimo. Non iichon, id est, firmabitur seu stabilietur homo in impietate. Et capite decimosexto. In iustitia iichon, id est firmabitur seu stabilietur solium: vnde hic verti posset. Certum filiæ Selopchad, ac si dicat: non mentiuntur. Sumitur etiam aliquando certum pro iusto: quoniam quod iustum est adæquat rem quæ iusta dicitur. Alij vertunt. Sicut loquutæ sunt filiæ Selopchad: sic dando dabis eis possessionem in medio fratrum patris sui, & litera acceptat hanc expositionem, sed prior mihi magis arridet. *Dabitis hæreditatem fratribus eius.*

Æquissima lex, vt frater fratrem hæreditet, & non relinquat extraneis hæreditatem.

Dabitis hæreditatem eius, propinquo eius: qui est propinquus ei, de familia eius, & hæreditate accipiet eam. Dictio Hebraica schaer, significat residuum potius quàm propinquum, quemadmodum scaat verbum, remanere, residuum esse. Vocat autem Hebraisinus (vt Leuitici. 18. admonuimus) omnes consanguineos vnam massam seu carnem: quæ in tot diuiditur, quot fuerint consanguinei, & quisque illorum vocatur residuum illius massæ seu carnis. Addit autem post residuum, propinquum, quoniã quanto propinquior esset ille consanguineus, tanto magis ad ipsum pertinebat hæreditas. Vnde melius clausulam vertas. Dabitis hæreditatem eius residuo eius, seu ei qui residuus fuerit de carne eius, nempe propinquiori eius.

Et erit filiis Israel in statutum iudicij, id est, in legem per quam iudicabũt de cętero iudices, aut in statutum ad iudicandum: vel in statutum iustum. Aliqui vertunt firmum & inuiolabile: quòd nullus iudicum poterit immutare.

Ascende ad montem Habarim istum. Sunt Habarim montana secundum Iordanis tractum, ab oriẽte Ierecho, à Moabitis incipiẽtes, & versus mõtes Gilead in longum protendebantur, atque suo sinũ

se terram

Universidad de Deusto
Biblioteca

re terram Amorreorum, quam duabus tribubus Moseh distribuit, ab Hammonitis seiungunt.

Videbis eam, & colliges te ad populum tuum: etiam tu, quemadmodum collegit se Aharon frater tuus.

Admonuimus capite vigesimo huius libri, vbi de morte Aharon loquutus est textus: colligi ad patres suos, aut ad populum suum, Hebraismum esse: significans congregari ad statum defunctorum, vnde sensus est, morieris quèadmodum omnis populus tuus mortuus est, aut colliges te ad sepulchra tuorũ, quoniam illo tempore, omnes qui erant ex eadem familia: sepeliebantur eodem sepulchro. Quod verò sequitur. Etiam tu: statim clausula sequenti explicatur, scilicet. Quemadmodum Aharon frater tuus. Non eris eo maior in hac re, sed sicut ille mortuus est & non intrauit terram: sic neque tu. Et verba videntur emphasim habere: ac si dicat. Etiam tu qui mihi tam charus & familiaris es, & forte protulit Dominus verba hæc concussis suæ misericordiæ visceribus.

Eò quòd amari fuistis ori meo, in deserto Sin.

Nostri fere omnes verterunt. Quemadmodum rebelles fuistis ori meo, sed dictio marah & marar proprie significant amarum esse, & amaricari. Nos dicimus. Destes me desgosto, & videtur Hebraismus significãs. Non fecistis quod præcipiebam vobis, quod est esse rebellem, & tunc sensus à nostris redditus est. Et rebellare plus significat quàm non obedire: quia significat obsistere præcipienti.

In contentione cœtus, ad sanctificandum me in aquis in oculis eorum, id est, dum cœtus contenderet vobiscum, super sanctificatione mea. Aut melius. Quemadmodum rebelles seu amari fuistis ori meo in deserto Sin, in contentione cœtus: ad sanctificare faciendum me, id est, non faciendo me sanctificari à populo. Nam vt capite vigesimo diximus attribuendo miraculũ potestati suæ, minus sanctificarunt dominum: non ostendendo opera eius separata ab omnibus aliis. Vide citatum caput, vbi verba exactè exposita sunt, licet obscura sint, & est hic negatio supplenda. Fuistis inquam amari aut rebelles, ad sanctificandum me, id est, non faciendo me sanctificare ab eis, aut non sanctificando me vos, ostendendo opus miraculi esse meum.

Præficiet Dominus Deus spirituum, omni carni: virum super cœtum, id est, præficiat Dominus Deus qui dat spiritum aut author est spiritus omni carni: virum super cœtum. Et vocat dominum spiritum omnis carnis, seu authorem spiritus vniuersæ carnis: quoniam spiritum postulabat viro præficiendo. Solebat enim dominus cum aliquem præficiebat populo suo, dare illi spiritum suum: vt patet de septuaginta senioribus, quos præfecerat vt capite vndecimo huius libri dictũ est, & de Sinsone, Saule & Dauide. Aduerte autem hic, quòd verbum pachad quod hic vertimus præficiat, significat proprie recordari & numerari: quòd numerantem oporteat recordari numerorum præcedẽtium, quibus sequentes adiungit. Vnde optimè hic vertas. Postquàm Dominus meus decreuit me hic occumbere: recordetur viri quem ponat super hanc congregationem. Quia tamen Hebræi addunt præficere, admitenda etiam erit hæc significatio.

Qui egrediatur ante eos: & qui ingrediatur ante eos.

Hebraismus est, id est, qui sit dux, cuius est egredi & ingredi ante suos, & est quasi methaphora à pastoribus desumpta, qui egrediuntur & ingrediuntur ante oues, vt patet Ioan. 10. & hic statim explicatur.

Et qui educat eos, scilicet hinc *& introducat eos* in promissam terram.

Cape tibi Iehosuah filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, id est, coniunge eum ad te. Dicit autem in eo esse spiritum dei: quoniam in exploratione terræ, alius spiritus fuit in eo quàm fuerit in aliis exploratoribus, vt patet de Chaleb cap. 14. huius libri.

Et coniunges manum tuam super eum, id est, iunges manus tuas, seu coniunctas manus tuas pones super eum, scilicet ad ministrandum illi spiritum meũ, quem admodum faciebant Apostoli cùm daturi erant alicui spiritum sanctum. Aut coniunges manum tuam, scilicet capiti eius, & videtur melior sensus. Aduerte autem quòd iste spiritus, erat spiritus prophetiæ, quemadmodum legimus de senioribus capit. 11. & de aliis quos diximus: cum quo intellige sibi dari spiritum fortitudinis, vt patet de Sinsone, & prudentiæ & sapientiæ ad rempublicam gubernandam.

Præcipies ei, scilicet quæ acturus sit, docendo quomodo ea faciat quibus opus fuerit.

Et dabis de laude tua super eum. Verbum iadah duo Hebræis significat, scilicet proiicere & laudare seu confiteri confessione laudis, & iuxta vtramque verbi significationem potest locus dupliciter reddi. Primo sic. Et dabis de laude tua, id est, de gloria & authoritate tua illi, & per gloriam aliqui intelligunt insignia quædam dignitatis: vt solent gestare duces, sed melius per gloriam authoritatem intelligas, vt eum quasi populo designet suum successorem. Secundo. Et dabis ei de descensu tuo, id est, de spiritu qui descendit super te, quando te ducem constitui, & videtur sensus germanior. Quidam tamen interpretantur. Dabis ei de deiectione tua, id est, humilitate, quæ virtus Moseh laudabilem & gloriosum valdè reddidit, neque sensus displicet. Quod autem verbum significet proiicere & deiicere, constat Ieremiæ. 50. vbi dicitur, Iedu, id est, proiicite in eam: ne parcatis iaculo.

Vt audiant eum omnis cœtus filiorum Israel.

Videns enim populus Moseh omnem suam authoritatem illi datæ ex mandato Domini: audierunt eum & obedierunt ei.

Et ingredietur ille, cum iudicio Sacerdotis iudicio Vrim.

Collegerunt ex hoc loco aliqui Rabbini, quòd in pectorali iudicii, in quo erant Thumim & Vrim cognoscebat sacerdos responsa domini & voluntatem eius: quorum sententiam refellimus. Exodi vigesimooctauo, sed cum sacerdos Dominum consulebat, oportebat eum habere pectorale iudicii, in quo erant illuminationes, id est, lapides illi pretiosi rutilantes, & quasi illuminantes. Neque textus dicit hic. Petet vel interrogabit Vrim seu iudicium Vrim, sed petet vel interrogabit illi, scilicet Iehosuah, id est, pro eo, cum iudicio, id est, pectorali iudicij Vrim, id est, in quo sunt illuminationes seu lapides pretiosi rutilantes. Figmentum enim Iudæorum puto, dicere quòd sacerdos in lapidibus videbat responsa, quoniam lapides, non erant tam magni vt in eis possent omnia scribi aut legi. Tum quia legimus deum dixisse sacerdoti aut consulenti, quod volebat, non scripsisse in lapidibus pretiosis: ac si dicat. Cùm aliquid arduum illi agendum fuerit, stabit ante Elhazar: qui petet illi, id est, pro illo cum pectorali iudicij, in quo est Vrim coram Domino responsum Domini. Debebat enim sacerdos deum, eo stante & præsente consulere. Et aduerte deum noluisse eum admittere ad eam familiaritatem qua Moseh, cui nõ per sacerdotem sed per seipsum loquebatur.

Et iuxta os eius, scilicet Domini, & per os intellige præceptum: ac si dicat ad eius imperium egredientur & ingredientur, scilicet Israelitæ & ipse Iehosuah. Aliqui hoc ad sacerdotem referũt: ad cuius imperium princeps & populus debebat egredi & reuerti, quod etiam verum est: quòd ad eius imperium pendens à consultatione Domini non absolute. Quod autem sequitur. Et omnis congregatio: vult dicere quòd non solum singuli obtemperabunt præcepto domini & Iehosuah, sed etiam totus populus simul.

Et contraxit manus suas super eum, id est, admouit manus suas capiti eius. Et putarem hinc ortam impositionem manuum quæ fiebat in primitiua Ecclesia, ne rem nouitiam putes ceremoniam illam. Neque constat quid ei mandauerit, sed credẽdum est mandasse illi, vt semper sequeretur imperium Domini, & populum in officio contineret, & id genus alia, quemadmodum homines morituri mãdare solent filiis & successoribus suis: vt patet primo Regum primo de Dauid cum moreretur.

IN

IN CAPVT. XXVII. NVMERI
ad morum ornatum annotata.

ET *appropinquauerunt filiæ Selophchad.*

Taxant aliqui principes, quòd non omnia legibus suis statuant & disponant: cùm videamus etiam Deum non omnes casus qui poterant accidere decidisse: consulto enim noluit multiplicare leges: quòd ipse ad manum esset: quem facilè per sacerdotem consulere possent: quod etiam docet principes facere: occurrentibus tamen casibus decisione & lege debere succurrere. Admonentur etiam iudices audire non solum viros, sed fœminas, & ad omne hominum genus paratos esse. Neque debet fœmina etiam iuuencula cùm veram souet causam & iustam: vereri faciem iudicis, eiusque tribunal accedere.

Ipse non fuit in medio congregationis qui conuenerunt aduersus Dominum, sed in peccato suo mortuus est.

Habes hic primum, hominem ob crimen lęsæ maiestatis diuinæ, perdere omnia bona sua, neque filios, talibus in suis bonis succedere. Secundò esse alia peccata, quæ filios non priuant hæreditate parentum. Tertio quàm magnum malum sit simultatem cum Domino exercere, esseque illi rebellem: quod hominem retrahit ne audeat à Domino aliquid petere, aut coram eo apparere. Habes quarto filias parentibus succedere in defectu filiorum.

Accedere fecit Moseh iudicium eorum coram domino.

Timidi valdè esse debent iudices in iudicando, maximè cùm facilè superiorẽ consulere possunt. Vbi etiam considera Moseh humiliratem & Dei nostri dignationem, ille neque minimam causam ineonsulto deo voluit iudicare, Dominus verò etiam ad minima decernenda dignatus est respondere.

Rectum filiæ Selophchad loquuntur. Vide quàm bonum sit iustam causam ad Dei iudicium deferre, quoniam laudantur istæ fœminæ quòd recta coram Domino loquantur: tu verò cùm iniustam causam foueris, time eam deferre ad iudicium dei, time dicere. Videat Dominus & iudicet. Sunt enim aliqui qui tam facilè mendacia sicut veritatem: verbis deferunt ad iudicium Dei.

Si non fuerint fratres patri eius, dabitis hæreditatem eius, propinquo eius.

Est lex hæc ipsamet æquitas. Non enim parum tranquillitatem promouet, si hæreditates impermixtę manent, & quæuis familia, suas possideat. Et putarem leges illas non esse statuendas, quibus homo non habẽs ascendentes vel descendẽtes potest bona sua cui libuerit relinquere. Cur frater potius fratrem non hæreditabit quàm extraneus?

Ascende in montem Habarim istum, & vide terram.

Non potest pietas illa ineffabilis, seruum sine consolatione permittere mori: postquàm non erat possessurus, ad minus videat & cõsolatus sit. De his Paulus dicit ad Hebræos vndecimo. Hij omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, deo pro nobis aliquid melius prouidente: vt non sine nobis consummarẽtur. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes, & confitentes quòd peregrini & hospites essent super terram. Sed expende sancti viri mentem, & quomodo in omnibus se deo conformat. Non lachrymatur, non suspirat, non orat vt transire liceat Iarden, non exponit viæ laborem, non ministerium quadraginta annorum: Quid facitis qui vix ad horam seruitis, & Deum iniustum vocatis, si non omnia quæ postulatis & desideratis conferat? Admonui in Geneſi quid dixerit sanctus Abraham. domine deus meus, quid dabis mihi? Et Petrus. Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Quid bone Petre reliquisti? Quę sunt illa omnia? Qui sudores, qui labores, quæ deniq; ministeria? Nunquid per decẽtũ. 40. annis ambulasti, contradictiones & rebelliones tot millium hominum tulisti, quemadmodum sanctus Moseh? Minimè. Sed iste sola dilectione

Hebr. 11.

Deut. 15.

Domini contentus moritur, sciens Deum multò meliora seruis suis mortuis q̃ viuis parasse & præstare. Et considera quàm æquo animo ferat peccatum sibi obstari, quod tamen sibi durius erat nuntio mortis. Fortè apud se dicebat. Putabam Domine te iã peccati mei oblitum, mihiq; iam condonatum, & adhuc illius memoraris? Time quæso valdè peccator peccata tua. Si enim Deus dilecti sui peccatum fortè non graue, tam diu seruat & tandem vindicat, quid putas faciet tuo, aut quomodo illius obliuiscetur? Expende hæc. Videbis eum nonnunquam innumerabilia peccata peccato ri cõdonare, iustum verò pro vno peccato grauiter punire, vt nemo de iustitia sua præsumat, neq; peccator de multorum peccatorũ venia desperet. Propter vnum peccatum (ait Chrysostomus) damnatus est Adam, & propter vnã fidei vocẽ latro saluatus est. Similiter audiant sancti, quãta fœueritate dominus sanctorum peccata puniat qui propter gratiam & beneficia exhibita, deberent caute ambulare cum deo suo.

Præficiat Dominus, Deus spirituum omnis carnis: virum super congregationem.

O virum admirabilis sanctitatis. Vide de quo solicitatur, non est solicitus pro vxore, non pro filiis aut consanguineis, sed ne populus sine pastore maneat: neque saltem cum Martino dicit. Domine si adhuc populo tuo sum necessarius: non recuso laborem: fiat voluntas tua. Audiuit sanctes vir tria, quorum quodlibet giganteum etiam animum deiecisset. Quod videlicet esset mortem obiturus: quòd principatum tam amplum relicturus, non filiis: non consanguineis, sed cui ignorabat. Vltimum quòd nõ esset terram intraturus, pro cuius ingressu tot ac tanta sustinuerat: quo in loco taxantur illi: qui filios aut nepotes in officiis sufficere volunt, etiam si partes necessarias non habeat ad ministeria eorum administranda, quemadmodum legimus de Semuele qui ægre tulit, populum non per- 1. Semue. 8.
misisse filios suos illi succedere. Discant ex hoc viro pastores, quàm soliciti esse debeant super gregem Domini in vita, postquàm iustum sic videnti in morte pro eo sollicitari: vbi etiam pulchre deliniat munus boni pastoris, scilicet egredi & regredi ante oues. Sic audisti illum eximium inter pastores, bonum pastorem depingere capite decimo Ioannis, quòd cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit. Nouerat enim vir Dei quid periculi esset, si ad horam oues sine pastore essent: cùm vidisset eas in pessimum idololatriæ vitium incidisse, ex quadraginta dierum absentia, quibus ab eis abfuerat, ideo de ea re tantum solicitatur. Similiter considera Dei sapientiam erga ducẽ, qui licet illi mortem proximam nuntiasset, nihil tamen de successore sibi dando loquitur, sed hoc in sua dispositione relinquere vult. Sicut enim non dedit coadiutores, nisi eo petente: ita neque successorem nisi eo postulante.

Accipiet ibi Iehosuah. Considera quem præficiat Moseh. Nempe virum in quo iam erat spiritus, & qui optimè nouerat munus quod erat administraturus: quod à suo magistro didicerat. Non nominat aliquem Moseh, quoniam dominus melius nouerat quem esset suffecturus. Attende etiam quam solam conditionem in eo commendet, nempe esse virum in quo est spiritus. Hoc est primum quod in prælato summe expetendum est, quòd videlicet habeat spiritum Dei, & spiritualia promoueat.

Coniunges manum tuam super eum.

Non sunt ridendæ ecclesiæ ceremoniæ: postquàm audis quid efficaciæ habeat, manuum impositio. Vbi similiter aduerte, quomodo Dominus etiã in hoc seruũ consolatur, vt patet Iehosuah à se degenerãtum, & à se post Deum dignitatem illam accepisse.

Pones de decensu tuo super eum. Dignus est locus iste qui summa consideratione expendatur. Non dicit. Pone de tua dignitate, maiestate, aut potestate super eum, sed de tua humilitate. Nonne videtur illi dicere. Die ei, vt discat à te, quia mitis es & humilis corde? Quòd si gloriam legas, discant ex hoc loco principes cùm ministros & officiales instituunt, eis de sua gloria

GG tradere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tradere, coram omnibus quibus præfsiendi sunt summe honorare: vt subditi videntes quanti eum faciat superior, cum reuerentur, illique obediant, cumque honorent. Cùm enim pater Christum doctorem cœlitum in orbem misisset, audi qualiter eum commẽdat. Hic (inquit) est filius meus dilectus: in quo mihi bene complacuit, ipsum audite. Sic & ipse Christus cũ apostolos ad prædicandum misisset dixit: Trado vobis potestatem calcandi super serpentes.

Coram Eliezar sacerdote stabit. Non dicit sedebit sed stabit: vt discant reges & principes, superiores se habere sacerdotes, & standum sibi esse coram sacerdotibus Domini. Nunc verò, tunc se reges putant principes esse, cùm sacerdotes, & quod grauius fetẽdum est, episcopos: coram se genuflexos vidẽt, aut incuruatos. Medium esse voluit Dominus sacerdotem inter se & principem, ti ergo medius est, altior te est.

Iuxta sermonem eius egredientur. Caueat princeps ne quicquam inconsulto faciat Ptopheta aut sacerdote: quoniam facilè errabit si eum nõ habuerit ducem: caueat etiam sacerdos ne principi suadeat, quod illi non dixerit Deus, quemadmodum diximus de Nathan erga Dauid.

2. Semue. 7.

IN CAPVT XXVIII. NVMERORVM iuxta literam annotationes.

ET *loquutus est Dominus ad Moseh.*

Statuit Dominus hoc capite, quid quibuslibet festiuitatibus illi offerendum sit, & putarem alio in loco hæc tria capita esse locanda, quoniam non illhuc pertinere videntur, sed ad locum vbi sacrificia tractantur. Et putarem locandum hoc caput post caput decimumquintum huius libri, vbi traditur quæ sunt offerenda cũ vitulo hirco & ariete: licet hoc parui referat.

Præcipe filiis Israel: & dices ad eos. Oblationem meam, panem meum, ignitum meum, odorem quietis meæ, custodietis: vt adducatis mihi statuto tempore suo.

Aduerte hic primum dictionem chorban, quam vertimus oblationem, esse à verbo charab: quod proprie appropinquare significat vnde chorban, id est, appropinquans, seu oblatio, quòd eam Domino appropinquare faceret, offerens. Dictionem verò isseh, id est, ignitum, Sanctes vertit sacrificium, sed male meo iudicio, quoniam proprie significat ignitam oblationem: ab es quod est ignis, & hic videtur poni pro sacrificio carnis. Est ergo sensus literæ. Oblationem meam, nempe panem meum, per quem intelligit omnia illa quæ ex farina fiebant, & ipsam farinam: ignitum meum, id est, omnia illa quæ igne comburuntur aut decoquuntur, per quæ præcipue intelligit carnes, quæ scilicet offeruntur in odorem quietis meæ: custodietis, vt appropinquare faciatis mihi in tempore suo. Ac si dicat. Curabitis offerre mihi oblationem meam, nempe panem & carnem ignitam in odorem quietis meæ, id est, quo ab ira quiesco. Posset etiam esse sensus. Curabitis adducere mihi statuto tempore oblationem meam quæ est veluti panis meus: nempe omnia ignita, siue sit farina siue massa fricta vel cocta: siue carnes quocunque modo ad ignem paratæ: quæ offeruntur in odorem quietis meę, id est. vt suo odore delectatus, quiescam ab ira qua in peccata & peccatores moueor. Et iste sensus mihi magis placet. Vocat autẽ dominus sacrificia panem suum, quoniam (vt sæpius diximus) erant huiusmodi sacrificia veluti cibus Dei & potus: vnde omnia illa quæ concurrunt ad prandium hominis, Dominus habere volebat in omni sacrificio suo: vt panem vinum sal & carnes.

Hoc est ignitum quod appropinquare facietis Domino. Hic incipit statuere, quod sacrificium illi offerendum sit singulis diebus, nempe holocaustum. Secundo de sacrificio hebdomadæ videlicet sabbato. Tertio de sacrificio faciendo in Kalendis seu mensium initiis. Quarto de Pesach. Quinto de sacrificio faciendo in festo hebdomadarum. Sequenti verò capite de sacrificiis faciendis in aliis solennitatibus. Tractat ergo primum de sacrificio faciendo singulis diebus, quod dicebatur holocaustum, & sacrificium iuge.

Agnos anniculos immaculatos duos per diem: in holocaustum iuge. Pro agnos anniculos Hebraice habetur filios anni, id est, qui sint vno anno nati, & est Hebraismus, & pro immaculatos, tu lege integros, perfectos, quibus scilicet nihil desit, neque talus, neq; membrum aliquod, aut aliquid quod sit de integritate eius. Nam verbum tamam a quo temimim quod hic ponitur significat proprie perficere, finire, complere: ideò pro immaculatos lege vbique perfectos, completos, finitos, id est, quibus nihil desit, & sint omnibus numeris absoluti, & quod sequitur. Holocaustum, iam explicuimus prioti capite libri Leuitici, quid proprie esset holocaustum. Non enim est sacrificium totum incensum, vt Theologi multi sequentes Græcos putarint, sed dicitur totum ascendens, quoniam totum in fumum sursum ad Dominum ascendebat. Nam verbum halah, à quo holah, id est, holocaustum: non incendere sed ascendere significat. Inde elion, id est, excelsus, inde etiam maal & mimaal, id est, supra, & oleh, id est, gradus, quòd illis ascendamus domum, & aleh, id est, folium, quod à vento facilè eleuetur. Sequens verò dictio, scilicet tamid, significat semper, iugiter, vt patet Psalmo decimosexto. Posui dominum coram me thamid, id est, semper aut iugiter &. 25. oculi mei tamid, id est, semper aut iugiter, ad dominum. Erit ergo litera sic reddenda. Hoc est ignitum, id est, sacrificium combustum quod appropinquare facietis aut offeretis Domino. Agnos filios anni, id est, vno anno natos integros, id est, quibus nihil desit, *per diem*, id est, singulis diebus: *holocaustum iuge*, id est, qui erunt ascendentes sursum in fumum: quod quidem holocaustum iugiter fiet: suspecta tamen mihi est significatio hæc, propter duo. cùm quia iã dixerat duos per diẽ, id est, quotidie, & sine vlla causa addere videtur iugiter quod est quotidie: tum quia tau in dictione tamid videtur seruile & dictio videtur deriuari à madad quod est mensurare. Si tamen dictio significet iuge aut semper, dicendum est quòd per diem significat singulos dies, sed non explicat quamdiu hoc debeat fieri, an ad mensem, vel ad annum, & hoc explicat dictio tamid, quòd scilicet semper seu perpetuo debeat holocaustum per singulos dies fieri.

Agnum vnum facietis mane, & agnum secundum facietis inter vesperas. Est bocher, id est mane, ab achar quod est inquirere aut discernere, quòd mane res quærantur aut potius discernantur. Non explicat textus quota hora: crediderim tamen oblatum inter noctem & ortum solis, in spatio illo quod nos mane vocamus. Nam quemadmodum alter agnus immolari iubetur inter vesperas, id est, inter occasum solis & noctem, ita & iste inter noctem & ortum solis, quãdo non est nox neque clara dies. De vesperis verò sæpius diximus, binam apud Hebræos esse: alterã occasum solis, alteram verò noctem ipsam: de qua dicitur Gen. 1. factum esse vespere & mane, id est, ex vespera & manc, diẽ vnam, scilicet naturalem, & quemadmodum mane dicitur tempus quo res discerni incipiunt, ita & vespera dicitur tempus quo incipiunt confundi: ita vt non possint bene discerni.

Et decimam partem Ephah similæ in minchah permixtæ oleo contuso: quartum hin.

Diximus de omnibus his sæpissime, scilicet de Ephah, de Hin, de simila, & de minchah. Erat autem Ephah mensura aridorum, quæ secundum Rabbi Dauid, continebat tria sata, cuius decima pars erat chomer. Chomer verò Hieronymo teste, continet tres chenices Atticas. Iosephus dicit continere, tres semicotilas. Rabbi verò Selomoh dicit Ephah continere tria sata. Satum autẽ sex cabos. Cabum quatuor sextarios. Sextarium sex oua: vnde colligitur decimam partem Ephah continere quadraginta tria oua. Hin autẽ mensura liquidorũ secundũ Rabbi Dauid cõtinebat septuaginta duo oua. Continebat enim duodecim log. Log verò sex continebat oua, sed arbitror de his nihil certu

Hebræos

Hebræos habere. Minchah verò aliquando significat munus seu oblationem in genere, quandoq; verò est genus certi sacrificij quod fiebat ex flore farinæ, quam Hebræi vocant solet, & quandoque frixa vel coctaide quo abunde diximus Leuitici secundo quẽ locum cõsulere licebit. Erat ergo quilibet agnus offerendus Domino in holocaustum cum decima parte Ephah similæ, quæ continebat quadraginta tria oua vt diximus, & cum quarta parte mensuræ Hin, olei contusi. Miscebatur enim farina illa cum oleo quando Domino offerebatur vt esui suauior esset.

Holocaustum iuge quod factum est in monte Sinai, id est, quod iussum fieri ibi est. Neque putes tunc primum oblatum hoc sacrificij genus Domino: quoniam Genesis capite nono legimus Noach illud antea Domino obtulisse.

Et libamen eius, quartum Hin per agnum vnum, id est, cum quolibet istorum agnorum offeretur quarta pars mensuræ Hin vini, & pro libamine vertendum puto effusionem. Fundebatur enim hæc vini mensura super holocaustum, dum erat in igne aut in loco sancto, vt inferius dicitur.

In sanctuario fundere facies, effusionẽ sechar Domino. Sensus est quòd libamen illud vini, debeat fundi non in loco prophano, sed in loco sancto, & vt dixi, fortè fundebatur super altare, aut satis erat illud loco sacro fundi ad honorem Dei, & quod antea vocauit vinum, nunc vocat sechar, non vt proprie siceram significat, quam credo non fuisse Domino oblatam propter impuritatem, sed accipitur vt significat porum præsertim vini.

Sicut minchah mane, & secundum effusionem eius: facies ignitum, odor quietis est Domino.

Sensus est. Cùm agno qui inter vesperas offerendus est. Offeres etiam minchah, id est, munus ex simila & effusionem vini, quẽadmodum fecisti cum agno, qui mane oblatus est, & per ignitum intelligit sacrificium vespertinum quod Domino comburebatur.

In die sabbati duos agnos filios anni integros.

Duplicabatur sacrificiũ in die sabbati, præter holocaustum iuge. Nam singulis diebus offerebatur agnus vnicus mane & alter vesperi cũ decimo Ephah similæ: die verò sabbati duo agni, cũ duabus decimis & duplici libamine. Et quod Sanctes vertit in sacrificium, tu verte in minchah: quoniam hic certam sacrificij speciem significat.

Holocaustum sabbati, in sabbato eius: super holocaustum iuge, & minchah eius.

Duplex est huius sententiæ sensus. Prior est quòd sacrificium sabbati offerebatur vltra seu præter sacrificium iuge. Alter est quòd non prius offeratur oblatio sabbati quàm iuge sacrificium sed post illud, ita quòd oblato sacrificio iugi, tũc offeratur sacrificiũ sabbati.

In capitibus mensium vestrorum, Vocat capita mensium initia mensium. Agebãt enim Iudæi festũ diem: priorem diem mensis cuiuslibet, & iubebantur offerre duos iuuencos, hircum vnum & arietis septem. Dicitur autem chodes, id est, mensis, à chadas quod est innouare, quasi innouatio: quoniam quolibet mense Luna innouatur. Iudæi autem menses inchoant per nouilunia: ità quòd dies quo primum luna innouatur, est apud eos prima dies mensis. Cùm autem hic fit decimarum mẽtio, intellige decimam partem Ephah: quæ (vt diximus) erat mensura aridorum, & vbi Sanctes vertit de simila in sacrificium, tu verte in minchah vt sæpius diximus.

Hoc est holocaustum mensis in mense eius per menses anni, id est, hoc est holocaustũ quod fiet in initio mensis. in vnoquoque mense.

Dupliciter Hebræi auspicantur.

In mense primo quartadecima die mensis Pesach est domino. Iam sæpius admonui duplici modo Hebræos annum auspicari, scilicet pro sacris, & sic primus mensis fuit Nisan, qui Martio & nonnunquàm Aprili nostro respondet. Alio modo pro cõtractibus & prophanis rebus, & sic incipiebant à bul qui aliquando respõdet Octobri aliquando pro sui parte Septembri. Alij bul vocãt marchesuan. 14. autem die huius primi mensis erat Pesach, quod nostri corupte Pascha vocant. Significat autem Pesach Hebræis saltum: quòd ea nocte saltauerit Dominus domos Hebræorum quæ erãt inter domos Ægyptiorum: relinquẽdo primogenita Hebræorum, & occidendo primogenita Ægyptiorum: ex quo saltu festum nomen accepit, & magis beneficium exprimit quam phase seu transitus, licet in idẽ redeat. Et quod dicitur. Pesach est domino, idem est quod domini, id est, ad honorem Domini. *Pesach quid sit Hebræis.*

Et decimaquinta die mensis huius, solemnitas.

Posset etiam verti festum aut festiuitas. Iam enim sæpius dixi, verbum chagag: significare Hebræis diem festum agere, tripudiari, ac saltare: vt probauimus Exo. duodecimo, & Leuitici. 23. vnde chag, id est, solennitas, tripudium, cõmotio, & dies illa erat celebris qua populus gaudebat & tripudiabat.

In die prima conuocatio sancta vel sanctitatis.

Exposui sæpius hanc loquendi formam: præsertim Exodi duodecimo Leuitici vigesimotertio. Et vnus sensus est quòd illa die erit conuocatio, scilicet cum tubis ad sanctitatem seu ad locum sanctum. Crediderim enim tunc temporis tubis illis quas dominus fieri præceperat, populum ad sancta conuocari. De tubis enim dictum est capite. 10. huius libri. Et erunt tibi lemichra, id est, ad conuocationem seu proclamationem congregationis. Aut eis clamabitur sanctitas est. Alter sensus est. Vocabitur illa prima dies quæ erat decima quinta, id est, separata ab aliis diebus prophanis, quẽadmodum sabbatũ vocatur sanctum, quod in eo non liceat operari, quemadmodum in aliis, & huc sensum id quod sequitur probare videtur, scilicet omne opus seruile, non facietis in eo.

Et oblationem eorum similam permixtam oleo.

Hebraice est. Et minchah eorum, & posset quod sequitur explicatiue sumi, vt sit sensus. Et minchah eorum nempe similа aut ex simila: quia tamẽ vt diximus minchah significat aliquando munus in communi: potest Sanctis interpretatio tolerari.

Decimam decimam facies arieti vno, id est, singulam decimam facies ad agnum vnum. Aut clarius, pro vno quoque agno, facies vnam decimam.

Hircum peccati vnum: ad expiandum super eos, id est, pro peccato, & verbum chapar etiam limire significat: vnde verti posset. Ad liniendum super vos. Videbatur enim (vt sæpius diximus) oblatio operire offerentem, ne illius peccata à Domino viderentur ad vindictam. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Sicut ista facietis per diem: septem diebus, id est, sicut hæc quæ vobis præcepta sunt singulis diebus, facietis septem diebus festi.

Panis ignitus, id est, igne combustus *erit vobis.*

Vocatur autem panis sacrificium ratione iam dicta hoc eodem capite.

Et in die primitiarum, quando appropinquare facietis minchah nouam Domino. Loquitur de festo hebdomadarum: quando duos panes ex illius anni nouis frugibus offerre tenebantur in minchah Domino: vt dictum est Leuitici. 23.

In hebdomadibus vestris, id est, transactis septem hebdomadibus: vt loco citato dictum est.

Conuocatio sancta erit vobis. Expone vt supra hoc eodem capitẽ, id est, vocabitur sancta seu separata ab aliis diebus, quibus operari licet vnde sequitur. Omne opus seruile non facietis in eo. Aut erit conuocatio seu proclamatio, scilicet cum tubis ad sancta, seu conueniet tunc populus ad locum sanctum. Et festum Pentecostes vna die sola celebrandum erat.

Et oblationem eorum. Melius & minchah eorum: vt sæpius diximus. *Decimam decimam agno vno,* id est, singulum decimum, per agnum singulum.

Septem agni, id est, vnicuique è septem agnis, *integra erunt,* id est, nihil eis deerit eorũ quæ ad perfectionem animalis, & dispositionem sunt necessaria: aut in his animalibus nullus erit defectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et effusiones eorum, id est, mensuræ vini quæ effundi debent cum vnoquoque agno, vt dictum est. Et habes in hoc capite genera sacrificiorum quinque festorum seu dierum scilicet iuge, Kalendarum, sabbatorum, Paschæ & Penthecostes.

IN CAPVT. XXVIII. NVMERI AD morum ædificationem admotatio.

Secundum quod festa sunt maiora vel minora: debent sacrificia multiplicari vel minui.

Oblationem meam, panem meum: sacrificia mea custodietis. Admonet nos dominus hic quemadmodum debeamus eius festa celebrare, & vt potioribus beneficiis, maioribus gratiarum actionibus respõdeamus. Expendere etiam memento, Dei dignationem: qui ex tuis rebus sibi cibum voluit præparari. Nunquid domine deus, manducabis carnes taurorum, aut sanguinem hircorũ potabis? Absit, sed vt pius & vt affabilis, te apud nos ac nobiscum comedere fingis: vt tanquã socium nostrum & amicũ summũ diligamus.

In odorem quietis meæ. Ecce alia maior dignatio: vt scilicet se fumo adipum odorari & quiescere sinat: ne in nos propter peccata nostra, sæuire cõgratur. Considera quam facilè tunc erat Deo irato occurrere: vt sat esset adipem incendere vt Deum quantumcunque iratum placares.

Holocaustum iuge. Admonui in Leuitico, quòd quemadmodum homo bis in die reficitur scilicet prandio & cœna: ita & dominus voluit ostendere se non solum apud nos voluisse prandere, sed cœnare. Illuc enim tendebat hoc iuge sacrificium, quo agnus mane quasi ad prandium, & vesperi quasi ad cœnam: cum suo pane & vino offerebatur. Et quemadmodum homo præsertim dominus diebus festis lautius comedere solet, ac fercula multiplicare: ita etiam suo modo dominus, & crediderim hanc hominum consuetudinem hinc ortam.

In die sabbati & in capitibus mensium vestrorum. Nouimus Deo docente, quid nobis significet festum sabbati, quòd videlicet in eo nos admonnerit creationis nostræ & omnium aliarum rerum in nostrum ministerium productarum, & voluerit gratiarum actionibus beneficium reddere, sed cuius beneficij nos Kalendis voluerit admonere, non facilè dixerim, quoniam nõ memini hoc alicubi in scriptura explicatum.

Quare in Kalendis festum agere Iudæis præceptum.

Sed memento vt iam hoc capite, cum literam tractaremus tetigimus: mensem Hebræis innouationẽ significare: quòd eorũ initiis luna innouari soleat. Gratiarumi est, non solum beneficia referre, cùm primum dantur, sed plus cùm eadem repetuntur & multiplicantur. Memento autem tibi pro maximo munere, luminaria cœlestia donata. Et quòd quëadmodum propter maxima hominũ scelera, subtracta sunt tempore diluuij: ita maxima domini misericordia tẽpore sancti Noach restituta. Si ergo obnoxius beneficio es, quia tibi semel restituta sunt: cur non eris cùm tibi singulis mensibus exhausta quasi reparantur. Cùm ergo luna quolibet mense deficere videatur: voluit dominus te gratũ esse eius restitutioni. Sic cùm alimenta exhausta sunt, & ea tibi repetit: voluit te gratũ esse in festo Penthecostes: vt illa die memineris tibi cuncta defecisse, eiusque beneficio tibi de nouo restitui.

Præter holocaustum iuge facietis ista.

Multa Dei beneficia, nõ sunt vnica gratiarum actione soluenda.

Filij Adam genus auarum, multa beneficia eodẽ numero soluere volunt: multaque debita vnica solutione, ideò volebant holocaustum iuge sibi in aliis solucdis debitis computari, sed Dominus, qui eos gratissimos voluit ad commodum suum: non permisit eos tam auaros esse, sed vnicuiq; muneri, suam taxauit solutionem. Nõne vidisti aliquãdo hominẽ, cui cõfessor duo aut tria ieiunia imposuit, velle eis soluere quadragesimalia, aut alia ad quæ ex præcepto ieiunare tenetur.

Conuocatio sancta erit vobis: omne opus seruile non facietis. Putant homines ideò sibi ab operibus seruilibus vacare præceptũ: vt liberius saltationibus, ludis & id genus aliis se dedãt. Nõ ita se habet res fratres mei, sed ideò vacare iubemur, vt ea die vocemur ad sancta.

Aliàs me admonuisse memini, dixisse deum Iudæis vt meminissent sabbatum sanctificare: neque dixisse memento diei sabbati ad gaudendum ludendum & id genus aliis, sed ad sanctificãdum: vt sciamus ad quid nobis dati sint festi dies.

Hircum caprarum vnum: ad expiandum vos. Qualiter festa domini debeas celebrare, hic à domino admoneris, vt, scilicet simul cum aliis sacrificiis, memineris sacrificij expiationis, neque spurcum & immundum festa Domini celebrare.

IN CAPVT. XXIX. NVMERI iuxta literam admotationes.

In mense septimo: vna mensis. Putarem hoc caput non esse à præcedenti seiungendum quoniam eadem cum eo omnino tractat. Agit nunc de sacrificiis Deo offerendis in diebus festis mẽsis septimi, & quod dicitur vna mensis, idem est quod prima mensis: quem admodum vna sabbati idem est quod prima dies post sabbatum.

Conuocatio sancta, id est, vocabitur sancta seu separata ab operibus seruilibus quëadmodum sabbatum dicitur sanctum, aut erit vocatio seu cõuocatio ad sancta loca seu ad templum: ideò vacandum ab operibus seruilibus, quæ conuocatio fortè fiebat sono tubarum quoniam sequitur hic dies clangoris erit vobis. Et constat ex hoc loco nomen terruah significare clangorem seu sonitum, qui cum fragore & fractione est, vt capite vigesimotertio admonuimus. Si quæras quare Iudæi hunc diem festum agebant, aut cuius rei gratia non facilè dixerim. Aliqui ex eis putant propter duo, scilicet propter liberationẽ Isaach à iugulatione qua pater eum voluit iugulare: cuius loco aries occisus est. Ideò cornibus sonabant arietinis, sed non video aliquid in scripturis, quòd huic causæ faueat, ideò timeo Iudæorum figmentũ esse. Secundo dicunt, ideò tunc cornibus populum insonuisse, vt homines pararent se ad festa ventura, quæ illo mense præcipua erãt: quemadmodum festũ expiationis & tabernaculorum, & hæc aliquid veritatis magis habere videtur. Quotiens enim solenne ieiunium indicendum erat, solebant tuba canere in Sion vt patet Ioelis. 2. Clangite buccina in Sion, sanctificate ieiunium. Posset etiam dici hoc festum fieri, ad gratiarum actiones pro fructibus illius anni, qui illo tempore colligebantur, quemadmodum festum hebdomadarum in gratiarum actiones fiebat pro nouo tritico illius anni: quare eo mandabantur duo panes eiusdem noui tritici offerri, licet etiam fieret pro legis munere, ea fortè die datæ: vt colligitur ex capite. 19. Exodi. *Gen. 22*

Et minchah eorum. Sic melius vertas quàm & oblationem eorum: quoniam hic (vt superiori capite admonuimus) accipitur pro peculari sacrificij specie, quæ aliis admixta offerebatur, & per tres decimas intellige tres decimas mensuræ Ephah.

Decimum vnum per agnum singulum: septem agnis, id est, per quemlibet septẽ agnis, offeretur decima vna mensuræ vt diximus Ephah. E per aiil. i. arietem intellige (vt Hebræi dicunt) agnum qui iam annum transierit dictio à fortitudine nomenclaturam habet. Nam cial Hebræis est fortitudo, & fortè nõ significat agnũ, sed aliud animal agno fortius. Chebes verò, agnum anniculum. Nam sæpius dictioni adiungitur filium anni vt hic, & tolerandum est discrimen Hebræorum quandiu dictio non est nobis magis nota.

Et hircum caprarum vnum pro peccato. Vt plurimum offertur pro peccato hireus, ad ostẽdendum fœtorem & horrorem peccati. Et quòd dicitur ad expiandum, potest verti, ad liniendum super vos.

Præter holocaustum mensis, id est, quod initio mensis offertur: vt capite superiori dictum est.

Secundum iudicia eorum. Sic Hebraice est, & per iudicia intelligit iam statuta vt. s. cũ holocausto offerretur tantum similę & vini: ac si dicat, præter ea quæ holocaustum & iuge sacrificium exigunt secum offerẽda.

Affligetis animas vestras. Cap. 23. Leuiti. admonui, verbum

verbum anah quod hic & ibi, omnes fere affligere vertunt, significare proprie humiliare: ideò melius vertas: humiliabitis animas vestras. Si quæras quid sit animã humiliare, puto esse corpore inclinato incedere, aut curuato capite, quòd signũ est humilitatis internæ, & fiebat hoc à Iudeis in die ieiuniorum suorum. Nam ex ieiunio languebat corpus, & curuabatur caput. Solebant enim Iudæi ieiunare vsq; ad vesperam, quëadmodum Sarraceni vt patet. 2. Semu. 1. Audi quid cap. 58. Isaiæ dicant Iudei domino. Quare ieiunauimus, & nõ vidisti, humiliauimus animas vestras & nescisti? vbi animas pro corporibus accipere videntur. Nam infra paucis interiectis, dicit dominus. Nũquid tale est ieiunium quod elegi, per diem vt affligat homo animam suam? Nunquid vt curuet sicut iuncum caput suum, & saccum & cinerem sternat? Vbi per ieiunium videtur intelligere affligere animã, & per humiliare animã, caput sicut iuncũ incuruare. Sic & hic per humiliare animam possumus intelligere humiliare caput & corpus: ita vt homo curuato capite incedat & etiam ieiunare, quoniã hæc humiliatio corporis ex ieiunio causari videbatur. Non tamẽ reprobo si interpreteris. Humiliabitis animas vestras. i. vitas ieiunio: quoniã ieiunium strictum, solet vitam & halitum debilitare.

Præter oblationem pro peccato expiationem. Hebraice præter peccatum expiationũ, sed sensus redditus est. Solebat enim tunc hircus pro peccato immolari, & alter in desertum pro emissario mitti: vt dictum est Leuitici. 16.

In quintadecima die mensis septimi, conuocatio sancta erit vobis. De festo tabernaculorum est sermo: quod hac die celebrabatur. Aduerte hic in hoc festo, singulo die sacrificium iuuencorum minui. Nam prima die tredecim offerendi erant, secunda duodecim, tertia 11, & sic consequenter minuebantur vsque ad septem. Dicunt autem Hebræi hos iuuencos, pro gentium dominio fuisse oblatos, & diminutionem eorum significare diminutionem dominij eorum, vsque ad tempus Messiæ, quando omnino cessare debebat quod nihil veritatis habere videtur nisi in Christo

In die octauo collectio erit vobis. Difficilis est huius loci sensus, propter incertitudinem significationis verbi azar & nominis ezer: quod hic quidam vertunt collectionem, alij verò retentionem, de cuius significatione abunde disputauimus Leuitici vigesimotertio. Dicunt autem Hebræi verbum azar, omnia hæc significare, scilicet prohibere, retardare, claudere, dominari, congregare seu colligere, inter quæ, duo scilicet retinere & colligere videntur omnibus locis conuenire. Vnde ezer aut significat retentionem, aut collectionem, & videtur secunda significatio alludere ad priorem, quoniam qui colliguntur in aliquo loco, videntur quodam modo inclusi seu retenti. Et si hic vertas, retentionem sensus est. In die octaua, retentio erit vobis scilicet ne quisque abeat in locum suum, aut retinebimini ab operibus seruilibus, quia sequitur statim. Omne opus seruitutis non facietis, & iste sensus placet Rabbi Abraham: qui in hunc modum scribit Leuitici vigesimotertio. Sunt qui dicunt quòd asseret est cœtus seu collectio, propter illud Ieremię nono. Vniuersi ipsi adulterium committentes asseret, id est, collectio præuaricatorum: quia congregabatur vniuersus Israel, tribus vicibus in anno, & non sunt locuti verbum tectum, quia scriptum est de Pesach. & septima die Deutero. 16. Sex diebus comedes infermentata, & die septima asseret Domino Deo tuo non facies opus: vbi asseret videtur retentionem ab operibus seruilibus significare, & asseret videtur à retinendo deduci, vt patet primo Semuelis. 21. vbi dicitur. Et ibi erat vir de domo Saulis in die illa: vesaar, id est, retardatus coram domino, quia cessabatur ab omnibus occupationibus mundi. Vnde textus videtur hic nomen exposuisse cùm dicit. Omne opus seruile non facietis. Hæc ille. Si tamen placet vertere collectionem, nõ damno, & sensus erit. In die octaua collectio erit vobis, id est, colligemini ad locum sanctum, & quia collectio debet

esse ad locum sanctum, ideò ab operibus seruilibus vacabitis. Lyranus dicit tunc pecuniam pro necessariis templi collectã fuisse ab omnibus qui ad festum conueniebãt, & hac de causa dictam fuisse octauam diem collectæ: quod mihi non multũ arridet. Et licet Asar frequentius significet reunere quàm colligere, sunt tamen aliquot loci quibus non bene vertas retinere: sicut Hamos. 5. Non odorabo beaserote chem, id est, collectiones vestras seu cœtus.

Præter vota vestra & spontanea vestra, in holocaustis vestris, & farinaceis vestris, & effusionibus vestris, et pacificis vestris. Non impediebant hæc necessaria sacrificia, alia spontanea ac deuota quę voluissent offerre in holocaustum & in sacrificia minchach seu farinacea, aut libamina aut pacifica de quibus Leuitici primo secundo & sequentibus agitur. Alia missa facimus quoniam Leuitici. 23. & superiori capite sunt exposita.

IN CAPVT. XXIX. NVMERI, ad morum venustatem admotatio.

Conuocatio sancta erit vobis Neglectus maximus apud Christianos est in præparãdo se ad festa ventura: cùm tamen Dominus eos semper voluerit ad ea celebranda præparari. Cùm enim Iehudæi Domino datturo legem, occurrere deberẽt ad duos ante dies, iubentur præparari, maximè mundando se. Hic verò ante decem dies admonentur cornuum sonitu, vt se parent ad festum expiationis, & hinc ortum arbitror quòd aliqui Iudæi vsque hodie solent hoc festum decem dierum ieiunio præuenire, vt afflictione purgati, facilius à Domino, peccatorum suorum veniam impetrent. Ex hoc etiam puto consuetum illud in ecclesia ortum habuisse, vt populus campanarum sonitu, ad ecclesiam & ad sacra conuocetur. Aduertes etiam hic, ad quid populus diebus festis à seruilibus arceatur, nempe ad sactificandum Domino, ad legem audiendam, & non vt epulis, canticis prophanis, aut saltationibus vacet. Postquam enim hic opus prohibuit seruile, adiunxit. Et facietis holocaustum Domino.

Et libamina eius, secundum normam eorum. Integra esse debent sacrificia Domini: ità vt nihil eis desit de his quæ ipse offerre præceperit, & sunt multi qui hãc integritatẽ parũ curãt, putantes deum non curare hæc, sed quã hæc curet: ex hoc loco videre licebit.

In decima mensis septimi conuocatio sancta. Non est absque oculis prætereundum: cur Dominus Iudæos animas affligere præceperit, potius mense septimo q̃ aliis, cùm potius deberet tuno sinere eos, nouis fructibus, musti copia, & aliis animum dilatare. Solet enim Dominus vanitatibus nostris occurrere afflictionibus: quoniam optimè nouit quàm facilè in copia defluamus, & pertrahamur ad vitia, & quatuor in hac die fieri præcipit: primum conuocari ad sancta. Secundum animas humiliare. Tertium à seruilibus abstinere. Quartum holocausta offerre: vt nos doceat quæ facere debeamus, cùm voluerimus à peccatis à domino expiari. Frequentanda sunt loca sacra ad orandũ dominũ, ieiunandũ & affligendũ corpus nobis est, & nihil aliud illa die curare, quàm vt peccata deleamus. Laudanda etiã victima est cum protestatione quòd tu potius ob peccata tua debuisses à domino iugulari.

Hircum caprarum vnum pro peccato. Quid quæso in tantis solennitatibus Domine, agit sacrificium pro peccato? Nõne domine nosti, inter gaudia, triste fore peccatorum recordationem? Nullum gaudium, nulla solennitas est ô homo, in qua nõ grata Domino sit memoria peccatorum. Non putes te deo ingratam facere rem, si inter epulas lachrymas fundas: si ante quàm comedas pro peccatis suspires: si lugeas ea in præcipuis domini festiuitatibus, vbiq; decent, vbique nitent, vbiq, acceptæ sunt lachrymæ prò peccatis. Fleuit peccatrix illa euangelica, & inter epulas lachrymas fudit, sed nunquid hæc de causa ejecta aut repulsa est? Absit sed recepta, sed maximè commendata quòd pro pedum lotione lachrymas in copia fuderit. Felicet *Gaudet dominus nos etiam in die sue Letitiæ nostræ peccatorum recordari.* *Luc. 7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nehemias populũ in festo à lachrymis compescuerit, non tamen eos ileuisse damnauit, sed consolatus est.

Celebrabitis festum Domino, septem diebus. Hinc ortum puto festiuitates in Ecclesia, cum suis octauis celebrari. Et in huius festi tabernaculorum ceremonia aduerte, nou satis Domino fuisse præcipere beneficium acceptum memorari, sed voluit eos illud rebus externis gestire: vt discas quomodo debeas eius beneficia memoriæ commendare.

In die octaua collectio erit vobis. Non debent collecte pro his quę pertinent ad Dei cultum aut pauperum subuentionem taxari, sed cum hilaritate persolui. Non improbat Paulus collectas fieri, sed commendat, neq; debet populus ægre ferre, si aliquãdo ad aliquot dies à suis operibus retineatur: vt diuinis vacet. Et memento non omittere deuota & spontanea sacrificia & opera propter ea quæ ex præcepto facere teneris.

IN CAPVT. XXX. NVMERI iuxta literam annotatio.

Locutus est Moseh ad capita tribuum filiorum Israel. Agit Dominus hoc capite de votis & iuramentis, admonens Iudæos ne facilè rescindant, quæ illi vouerint vel iurauerint. Quã faciles sunt homines cùm se angustiatos vident vota Deo emittere, & faciliores in votis non adimplendis: putantes Deum nunquam mentita vota petiturum. Dirigit autem sermonem ad capita tribuum, quoniam horum intererat vota filiorum & vxorum irritare, ac facere soluere.

Vir cum vouerit votum Domino vel iurauerit. Distiuguunt Hebræi votum à iuramento, quòd votum fiat Domino, iuramentum verò per Dominum. Theologi verò dicunt iuramentum esse vocare Deum in testem illius quod dicis, votum verò promissionem factam deo de bono aut meliori bono. Dicunt etiã Hebræi bonum esse vt homo votis non assuescat, sed satis esse si faciat ea quæ lex præcipit fieri, & vitet quæ fieri prohibet, si tamen vouere contingat eleemosynam dare, aut sacrificia offerre, vota omnino esse reddẽda iuxta illud Psal. Reddam tibi vota mea quę distinxerunt labia mea. Admonent etiam vota non esse facienda de his quæ non sunt ad honorem Dei: quod colligunt ex eo quod dicitur. Votum vouerit domino, id est, ad honorem domini. Distingunt autem triplex votorum genus. Primum sacrum, quod est oblationum de quo putant legem loqui. Secundum abstinentiæ quo quis vouet carnem suam macerare: vt abstinentia à carnibus vino & aliis quibus caro delectatur. & de huiusmodi votis dicunt hic esse sermonem. Aliud coactum vocãt, quod aut per ignorantiam ad alicuius persuasionẽ fit, quæ vt dicunt non egent sapientum dissolutione. Sed hæc vota: licet non plene libera sint: non tamen debẽt dici coacta. De dissolutione votorũ statuũt. Tenendã in primis patriæ consuetudinem & communem interpretationem hominum, loci & temporis. Pater inquiunt dissolvit votum filiorum, quandiu propiij iuris non sunt: maritus verò perpetuo dissoluit votum vxoris. Ea etiam quæ bona fiunt ratione, posse dissolui putant, si voti pœniteat eum qui vouit. Sed in hoc errant, quia hoc esset illudere Deo. illud tamen attemperant, posse scilicet per sapientem irritari, aut per tres viros idiotas, cùm vir sapiens haberi non possit. Puerum verò dicunt cuiuscunque ætatis si non sit sub cura parentũ, teneri ad sua vota, sed male: si enim nõ fiat præuia deliberatione non valet votum. Posse autem vota relaxari ex eo colligunt quod hic dicitur. Non violet verbum suum. Alij ergo possunt votũ eius retractare.

Ligando ligamen super animam suam. Explicat voti rationem quod, scilicet, sit ligamen seu obligatio quæ super animam imponitur. Cùm enim quis vouet aut iurat, obligat & ligat se ad faciendum quod vouet vel iurat. Sumitur autem hic anima pro persona.

Non polluet verbum suum. Vocat hebraismus mentiri iramentum vel votum: polluere verbum. Vtdetur enim mẽdacium res polluta, quæ addita verbo polluit ipsum Psal. 88. habes. Non prophanabo pactum meum: & egressum labiorum meorum non mutabo: vbi videtur idem esse mutare egressum à labiis, & prophanare pactum.

Secundum quod egressum est ex ore suo faciet, id est, implebit promissa vel iura.

In pueritia sua. Non explicat textus vsque ad quod tempus, vnde colligunt & bene Iehudæi patrem posse filiæ votum irritare, quandiu filia apud eum manet.

Et tacuerit ei pater eius. Id est, dissimulauerit seu pertransierit, & nõ irritauerit scilicet statim cùm audierit.

Firma erunt vota eius. Aduerte hic quod verbum Charas quod hic tacere vertimus, non est plene notũ hebræis. Dicunt enim significare silere obsurdescere, taciturn cogitare & arare: sed meo iudicio verbum proprie significat arare & ex cõsequenti fabricare intus vel extra seu cordè vel manibus. Puto enim Hebræos quemadmodum nos Lusitanos vti arare pro fabricare Videntes enim aliquod opus pulchre constructum & elaboratum, dicimus Ó quam bem laurado estaa isto. Quam bene exaratum hoc est. Et quia laboratores propter incudũ ictus, aut quia nimis intenti sunt operi suo, vix aduertũt vel audiunt quę sibi dicuntur. Tertio significat surdescere seu surdum agere, & horũ omnium exempla in scripturis passim obuia sunt. Et prioris quidem exemplum habes Psal. 129. Supra dorsum meum charesũ, id est, arauerunt peccatores, aut fabricarunt, malleãtes scilicet super dorsum meum quemadmodũ artifices super incudem. Et Iudi. 14. Nisi Charastem. i. arasseris cum vitula mea. Itẽ Hosch. 10. charastem. i. arastis impietatem. De secũda significatione exemplum est. 1. Reg. 7. Pater eius vir Soræus seu Thirius chores, id est, fabricans es. De tertia est exemplum Psal. 28. Ne techaraas, id est, taceas seu surdum te mihi exhibeas. Et 35. Vidisti Domine ne techaraas, id est, sileas seu fabrum agas. Nos dicimus eum qui non vult audire. Faz orelhas de mercador. Auribus, mercatorem agit aut agit mercatoris aures

Stabit omne votum eius. Id est, firmum erit, ac si dicat, rea voti erit.

Si autem irritauerit pater eius illud, in die quo audiuit. Verbi naua significatio, non plene nota est Hebræis. Dicunt enim significare frangere & infringere verba, aut cogitationes: vt dicit Rabbi Dauid. Hieronymus vertit contradicere. Est tamẽ locus Psal. 141. vbi nulla harum significationum conuenire videtur, quo loco sic habetur. Et vnguentum præcipuum ne lanai. id est, frangat caput meũ. Non enim solet oleum caput frangere vnde putarem potius vertendum dissoluat vel resoluat: quæ significatio non multum distat ab irritare, & omnibus locis videtur conuenire.

Si essendo fuerit viro. Id est, si fuerit coniugata. Sic enim Hebraismus coniugatam describit: quod videlicet sit viro

Et vota eius super eam, vel promissio labiorum eius: qua ligando ligauit se super animam suam. Id est, habuerit aliquod votum vel ligamen, quo se ligauit super vitam suam. Significatio verbi bata, à quo nomen mibtah, id est, promissio: non plene nota est Hebræis, licet dicant significare proferre pronuntiare, os aperire & promittere. Diximus de eo Leuitici. 5. vbi dicitur Anima cùm iurauerit lebate, id est, proferendo labiis suis. Dubiũ, est hic, an si mulier antequam esset coniugata vouisset, postmodum verò coniugium subiret habens vota: an vir eius sciens vota eius, posset ea rescindere quãprimũ audierit: vel potius loquatur textus solum de votis quæ facit mulier in domo mariti: quod videlicet sola illa possit irritare: & putarem legem vtrumque casum decidere. Dicit enim. Si fuerit maritata & vota eius super eam, id est, vota habuerit antequam coniũgatur: vel protulit labiis suis scilicet in domo mariti: quia tamẽ textus non habet quod protulit sed vel promissio eius in labiis suis: possumus etiam oppositum tenere.

Dominus parcet ei. Scilicet fœminæ.

Et vo-

Et votum viduæ & electæ, omne quo ligauit se super animam suam, stabile erit super eam. Vidua & electa sunt sui iuris, ideò vota & intramẽta earum stabilita sunt, & ea tenentur implere. Et dicitur Hebraice vidua almanah ab alam quòd est ligare quasi ligata, quod viro mortuo ligata videatur ne audeat loqui, aut quicquam facere.

Omne votum & omne iuramentum ligaminis, vt affligat animam suam: vir eius stabiliet illud, & vir eius irrita bit illud. Ex hoc loco colligunt Iudæi textum loqui solum de votis & iuramentis, quibus fœmina vouet carnẽ macerare, quod omnia hæc & nõ alia possit pater eius aut vir irritare, & pro affligere animã, Hebraice est humiliare siue hoc fiat ieiunio, siue verberibus, siue quacũq; alia carnis maceratione. Adnotabis etiam ex hoc loco, semper Deo placuisse ieiunia & alias adflictiones corporis modo hæc, pietas animi comitetur: scientes tamen ei magis placere opera pietatis vt Isai. 58. expressit & postmodum Paulus.

Si tacendo tacuerit ei vir eius de die in diem: stabiliet omnia vota sua. Id est, si postquam audiuit vir vota vel iuramẽta vxoris, & non statim irritauerit sed tacuerit, quasi differens irritationẽ de die in diem: sua dissimulatione stabiliet vota eius, aut ipsa firmabit vota sua.

Et si irritando irritauit ea postquam audiuit: luet pœnas iniquitatis suæ. Sensus est. Si non statim irritauit sed postquam audiuit ad vnam aut alteram diem dissimulit irritationem, & tunc voluit irritare, ipse luet pœnas suæ iniquitatis. Aut vt Hebraice habetur, Portabit pœnam suam aut iniquitatis suæ.

IN CAPVT. XXX. NVMERI AD morum compositionem adnotatio.

Vir cùm vouerit votum Domino. Placuisse Domino semper pia vota & iuramenta, quibus se homo ad bona opera facienda astringit: locus iste aperte demonstrat, cum multis aliis sanctorum virorum exemplis, qui Domino vouentes & iurantes, vota & iuramenta sua præstiterunt. Hoc tamen malum hominibus habet, quòd opera mala cum maxima animi firmitate faciunt: milleque ligaturis se ad ea facienda astringunt, opera verò bona maxima animi laxatione. Audi quid de eis Salomon dicat. Vult & non vult piger: dicitque Leo est in via. Et de Nebuchadnezar dicitur in libro Iehudith eum iurasse per thronũ suum, quòd se ab omnibus nationibus defenderet. Idem de Herode & multis aliis. Sed hoc inter bonos & malos interest: quod boni ad bona se iuramentis & votis astringunt Psal. Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculũ domus meæ: si ascendero in lectum strati mei. Et alio Psal. Iurauí & statui: custodire iudicia iustitiæ tuæ. Ad mala verò ita animum laxant, vt facilè ea relinquere possint: vt patet de Dauide cùm iurauit se vindicare de Nabal carmelo. Impij verò vt dixi, mille se iuramentis & votis ad mala astringunt: à bonis verò, quauis leui occasione oblata recedunt.

Non polluet verbum suum. Considerent hæc mendaces viri, non esse mẽdacio sua verba polluenda: præsertim cùm domino pollicẽtur aliquid: qua in re nunc deplorandus esset mũdus, ac nostra infœlicissima tempora quibus vix aliquis reperitur, qui veritatem curet, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum.

Mulier cùm vouerit votum Domino. Quanta debeat esse subiectio filiarum ad parentes suos, & coniugatarum ad viros suos, docet locus iste. Similiter quid iuris istî habeant in subditos suos, quorum vota sine eorum consensu à Domino irritantur. Quod si in votis tanta est subiectio filię ad patrẽ & vxoris ad virum, quanta erat in aliis, quæ domino non fiunt? Aduerte etiam legem nihil de filiis statuere: vt videatur ex hoc loco haberi filios posse sese domino votis obligare, ne que parentes illorum vota irritare posse.

Si audierit & tacuerit, firma erunt omnia vota sua. Hinc ortum habuisse crediderim regulã illam, vt qui tacet, consentire videatur. Neque dicit regula omnem qui tacet consentire, sed videri consentire, ne ex silentio statim consensum arguas, & regula intelligẽda est eum posse & debere loqui ac prohibere. Sunt aliquando puellæ & fœminæ faciles in vouendo & indiscrete occidunt potius carnem quàm castigent: quare voluit dominus eorũ indiscreta vota parentibus & viris subdi. Quod etiam aduertant qui iuuẽtutem in cœnobiis informant. Solent enim iuuenes in monasteriis, feruore nouitio ducti, subire maxima ieiunia, sæuaque flagra: quibus prudens pedagogus occurrere debet: neq; hæc illis permittere, ne se indiscrete occidant, aut inhabiles ad maiora reddant. Simili quoque modo, coniugatæ discant suis nimiis abstinentiis matrimoniũ non reddere viris onerosum.

Et votum viduæ & repudiatæ, stabile erit super eam. Constat ex hoc loco omnes promissiones, eorum qui sunt sui iuris esse stabiles & firmas. Possunt tamen pensatis rationibus vouendi ac personarum: per superiores dispensari. Constat etiam ex hoc capite eos qui non sunt sui iuris posse quidẽ Domino vouere & iurare, si tamen is cui subiiciuntur irritauerit eorum vota & iuramenta: non ad ea amplius tenebuntur. Vota enim viduæ & repudiatæ quæ fecerunt in domo virorum suorum: quæque illi non irritarunt: stabilia hic iudicantur post obitum illorum.

Omne votum & iuramentum quo se ligauit vt affligat animam suam. Placuit Domino semper vt nostra sponte affligamus animas nostras seu corpora: ne caro spiritui rebellis, eum ad culpam trahat, inter eos enim qui in tabernaculo domini sunt peregrinaturi, annumerat sanctus Dauid eum qui seipsum iurauit affligere neque mutauit, scilicet quod iurauerat. Psal. 15.

Si irritando irritauerit ea postquam audierit: portabit iniquitatem suam. Amittit homo ex sua negligentia ius suum in multis rebus: simili modo dat pœnas: qui sibi vsurpat, quę sunt alterius iuris præsertim dei: quare aduertant parentes & coniugati viri: ne falcem immittant in alienam messem: neque vota & iuramenta dissoluant quæ non sunt in sua potestate, sed ius suum Domino inuiolatum relinquant.

IN CAPVT. XXXI. NVMERORVM iuxta literam annotationes.

Locutus est Dominus ad Moseh dicendo. Continuandum putatem caput hoc, capiti. 27. præcedenti vt dixi, quoniam altero loco locãda erant capita inter media. Agit autem hoc capite de vltione facta in Midianitas: eò quòd populũm Domini seducentes: ad vtriusque fornicationis crimen, suis artibus pertraxerunt.

Quid sit dicere collectus est ad populos suos.

Postea congregaberis ad populos tuos. Explicui sæpius huiusmodi locutiones: quod idem sit, colligi ad populos suos: quod congregari ad statum defunctorum quemadmodum patres. Sunt tamen qui ex similibus locutionibus, statuere volunt animarum immortalitatem: quoniam Moseh corpus nõ erat colligendum ad maiorũ suorum cadauera, cũ nullus eorum ibidem fuisset sepultus, vnde relinquitur eius animam animabus illorum colligendam: quod non reprobo. Omnia enim quæ ex veteri instrumento colligere possumus ad stabilienda dogmata fidei nostræ, magna diligentia congreganda sunt.

Accingant se ex vobis, viri ad pugnam. Incerta valdè est Hebræis significatio verbi Chalas, id est, accingere. cui omnia hæc tribuunt significata scilicet recedere. Hoseh. 5. Ibunt ad quærendum Dominum, & non inuenient, chalas mehem, id est, recessit ab eis. Secundo educere. Threnorum. 4. Etiam serpentes chalesuãd, id est, eduxerunt Isiæ. 20. Calciamentum tachalos, id est, discalceabis seu solues. Quinto eruere Prouerbiorum. 11. Iustus ab angustia nechelas, id est, erutus est. Et ab hac radice est etiam chalasim, id est, lumbi, & chalisah, id est, vestis mutatoria Sed revera expensis locis omnibus quibus verbum ponitur, videtur verbũ solum significare separare seu recedere

Universidad de Deusto
Biblioteca

facere & diuidere. Omnes enim citati loci, iuxta has duas significationes optimè vertere possis, & primum verba Hoseh sic. Et non inuenient quoniã recessit aut separauit se ab eis. Sic quod ex Threnis citatũ est. Serpentes diuiserunt mammam. i. filiis suis, dantes vnam vni, aliã alij, lactauerunt catulos suos. Verba etiã Isaiæ sic vertere potes. Calciamẽtum separabis seu recedere facies. In Prouerbiis etiam optime quadrat: si vertas. Iustus ab angustia separatus est. Quę in eum finem adducimus, ne tam facilè significationes verborum multiplices, & sine vlla ratione æquiuoca facias. Vnde hic pro accingere posses vertere separare vt sit sensus. Separentur ex vobis viri ad pugnam. Fuerũt enim vt textus statim explicat, à qualibet tribu separati mille viri.

Et dent vltionem Domini in Midian. Vocatur hæc vltio aduersus Midianitas, vltio Domini, quoniam Domino iniurij fuerant, prouocando Israelitas ad idolorum culturam, aut quia seruos eius corruperant. Nam Exodi. 17. habes. Bellum Domini cum Hamalech, à generatione in generationem: qui tamen non prouocauerat populum ad idololatriam, sed contra eum pugnauerat aperto marte aut quia seruis Domini fuerant iniurij.

Mille de singulis tribubus. Hebraice est Mille ad tribum, mille ad tribum, sed sensus bene redditus est. Et quod dicitur.

Tradidi sunt ex millibus Israel. Verbum masar, quod vertimus tradere. Hebræis est dedere: & dicit Rabbi Dauid esse tradere se toto corde, & ponere seipsum in potestate alterius, & dicitur tam de corpore quàm de rebus: quod etiam sentit Chaldæus paraphrastes. Ego verò puto significationem eis esse ignotam.

Duodecim milia accincti ad pugnam. Posses etiam vertere, separati ad pugnam vt supernis diximus. Ponitur enim hic chalas quod superius diximus hoc eodẽ capite, significare separare & diuidere.

Et vasa sanctitatis, & tubæ fragoris in manu eius. Non conuenit inter expositores, quænam vasa sint hæc, & aliqui dicunt esse arcam & frontale seu laminam quæ erat in fronte summi sacerdotis: quibus non assentior, quoniam non arbitror arcam abiisse sine Moseh, neque est verò simile Dominum noluisse omnia castra moueri, & permisisse arcam ire cum eis ad pugnam, & puto per vasa sanctitatis ipsas tubas intelligi, aut si distincta hæc à tubis sunt, putarem vestes vel ornamenta sacerdotalia. Quj dicunt arcam deductam ad prelium. Hoc firmant ex eo quod supra cap 14. huius libri dictum est de his qui volebant terram intrare, & pugnare contra imperium Domini, & dicitur arcam Dei non fuisse tunc motam de loco suo: quasi fuerit solita moueri cũ pugnandũ cũ hostibus esset. Sicut factum est tẽpore Heli sacerdotis, cùm pugnauit Israel aduersus Philistęos. 1. Semue. 4. Deducta est etiã tempore Saulis. 1. Semuelis. 14. Et tempore Dauidis cõtra Hammonitas. 2. Semuelis. 11. Nam quemadmodum gentes solebant idola sua ad bellum deferre, vt patet secundo Semuelis. 5. ita & Catholici arcam, quod licet verum sit: quia tamen nusquam inuenitur præceptum posset dici, aliquando deduci ad eos fortificandos, aliquando verò non. Parui tamen refert, vtramuis teneas opinionem.

Et pugnauerunt contra Midian. Inquirunt Hebręi quare nõ pugnarunt aduersus Moabitas quemadmodum cõtra Midianitas, soluunt autem quod ratione prohibitionis sibi factæ à Domino supra capite vigesimoquinto. Fuerant etiam Midianitæ in casu Peor Moabitis deteriores, qui nobiles filias miserunt ad prouocandos & allicièdos iuuenes Israel ad idololatriam & scortationem: alias causas missas facimus, quòd nullius momenti esse videantur.

Occiderunt cum occisis eorum. Verbum chalal vt iam aliàs admonuimus, nõ proprie significat occidere sed primũ inchoare & incipere. Secũdo prophanare. 3. vulnerare quòd sit quędam inchoatio occisionis: vnde hic vertendũ puto. Et reges Midian occiderũt cũ vulneratis eorũ, aut cũ fœdatis eorum, vocãdo fœdatos eos qui occisi sanguine & puluere fœdati super terram iacebant. *Et Bilbam filium Beor occiderunt gladio.*

Aliqui dicunt cũ fuisse de populo illo, ideoq; cum eo occubuisse. Alij verò cum reuersum illuc vt populo malediceret. Sunt enim qui dicunt Israelitas, vsque ad terram quam incolebat Bilham perductos: vt eum occiderent. De hac re nihil certi habeo, probarè tamen illorum sententiam, qui eum asserunt Midianitem.

Omnem substantiam eorum prædati sunt. Significat nomen chaiil & etiam chel, proprie exercitum & robur: secund opes seu substantiam, quod sit robur ei qui eam habet. Posset tamen verti. Exomnem exercitum eorum prædati sunt. Expoliatũ enim interfectos, qui in congressu mortui sunt.

Omnes vrbes eorum cum habitationibus earum, & omnes ædes eorum, combusserunt igni.

Per habitationes intelligit oppida & pagos. Quid verò significet tir quod hic ædes vertimus, & alij palatium, non plene constat, & si tir & tur sunt eadem radix vt putat Rabbi Dauid contra Rabbi Ionah: significabit proprie ordinem & pinnas illas quæ super murum qui circuit ingressum domorũ nobilium poni solent: quas nostri vocãt ameas: ita quod proprie significat ordinẽ aut ordinatũ ædificiũ. Quod enim tur ordinem significet apud omnes in confesso est, sed probandum est etiã tir, ordinẽ significare vt exempla monstrabunt. Nam Cantico. 8. vbi nostri & Hebræi vertunt. Si murus est: ædificemus super eum thirah, id est, parietem argenteum: quod nullo modo quadrare videtur, cùm murus paries sit neque soleat murus argẽteus super lapideum ædificari, melius vertas ordinem argenti, id est, ordinem pinnarum argẽtearum. Solent enim huiusmodi pinnæ ad decorem super murum ædificari, & si dictio palatium significat, putarem non nisi ratione harum pinnarum quæ in muris per circuitum palatiorum ædificari solent. Et sic illud Psal. 69. verti potest. Sit thiratam. id est, palatium eorum desolatum. Sic illud Genesis. 25. Per villas suas vbethirotam, id est, & per palatia sua: quod Hieronymus vertit. Per castella & melius, quoniam huiusmodi pinnarum ordo maximè in castellis poni solet, & sic hic vertendum puto. Illud verò Ezechi. 25. vertendum arbitror. Et inhabitare faciẽt thirotehem, id est, ordines suos in te, per quos caulas ordinatas intelligit, & sic Hieronymus vertit, aut ordines ipsos gregum.

Et acceperunt omnia spolia, & omnem prædam. Nomen salal, id est, spolium, est à verbo salal quod Hebręi multa significare dicunt scilicet prædari, spoliare, dimittere & remittere: cùm re vera non significet nisi spoliare & spoliari ac spolia dimittere. Hoc enim in Hebręis doleo, quòd quamprimũ significatio nominis aut verbi, non prima fronte eis arridet, statim aliã addunt, nõ multum expendentes an propria conueniat. Nam illud Ruth secundo quod vertunt. Et etiam soltasulah, id est, dimittendo dimittetis de manipulis: melius vertas spolia dimittẽdo spolia dimittetis ei, de manipulis. Diximus abunde de significatione nominis Gen. 49. Et quod sequitur. Omnem prædam, verti posset & omnem acceptionem: quoniã malchoach. 1. præda & à lachach quod est accipere. Sic & infra vertere licebit, captiuitatem & acceptionem.

Ad campestria Moab. Melius ad confinia seu extremitates Moab: quoniam vt dixi, nomẽ ereb, & arab verbum: coniunctionem & mixtionem significant, vt sæpius admonuimus.

Omnes principes eorum extra castra. Erant bellatores immũdi propter mortuorum cadauerũ cõtactum: ideò nõ intrauerũt castra quię erãt mũda, sed Moseh & Elhazar & principes ad eos egressi sunt extra castra.

Et iratus est Moseh contra præfectos. Posset etiam verti. Et efferbuit ira in præfectos. Et aduerte quòd pechudim. i. præfecti, est à pachad quod est proprie numerare, & præfecti dicuntur pechudim, id est, numerantes quòd soleant eos quibus præsunt numerare: vnde infra dicitur huiusmodi præfectos numeraſſe suos, neque vnum illis defuisse.

Nónne

Nónne ipsæ fuerunt filiis Israel propter verbum Bilã: vt darent præuaricationem in Dominum, in re Phegor?

Constat ex hoc loco Bilam consuluisse. Vnde facile secunda vota mittere in Israel.

Sensus est. Nónne huiusmodi fœminæ fuerunt causa filiis Israel, vt præuaricarentur in Dominum, in peccato Pehor, propter consilium Bilham, quo consuluit Balach hoc scandalum mittere in Israel? Et ex hoc loco videtur constare, huiusmodi scandalum ex consilio Bilham ortum habuisse. Et significatio vẽrbi masar, quod vertimus vt darent, non plenè nota est Hebræis & rarum est in scripturis, licet sit frequens in vsu Hebræorum. Similiter dictio masal, id est, præuaricatio; nondum plenè nota est: vide quid de ea Leuitici sexto diximus.

Omnis qui tetigit occisum. Melius percussum aut fœdatum, scilicet, sanguine aut puluere. Consultò hic omittimus mendacium Rabbi Selomonis inquirentis qualiter cognouerint quænam essent virgines, & quæ corruptæ: respondentis feciſſe eas Moseh transire coram arca Domini, ab eoque tunc datum signum quo eas cognoscerent, quòd verò hoc apertum mendacium sit constat, quoniam arca Domini erat in medio castrorum: hoc autem extra castra gestum est, vbi bellatores manebant. Tum quia scriptura hoc miraculum nón tacuisset, quæ minutiora describit. Ad eius inquisitionem facilè responderi potest, virgines ex ætate cognouisse. Sunt enim quædam puellæ, quæ feræ virum nequeũt, & si de aliqua esset dubium, sunt alia experimenta quibus hoc facilè dignosci possit. Vnde textus manifestè hoc indicans dicit. Et omnes parvulos inter mulieres, quæ non cognouerunt concubitum masculi, quasi dicat. Omnes paruulas, quas nõ est præsumendum, masculi concubitum fuisse expertas, reseruate vobis.

Purificabitis vos in die tertia. Sic à Domino statutum fuerat capite. 19. vt immundus purificatet se aqua lustrationis die tertia, & septima, prædam verò satis erat die septima purificari, aut vtrumque purificare iubentur illis duobus diebus.

Et omne vas pelliceum. Vocat vas pelliceum omne indumentũ quod è pellibus factum est, & omne quod ex pilis caprarum cõtextum est. Fiebant enim pulchra vestimenta ex pilis caprarum: vt de cortinis tabernaculi superioribus dictum est in Exodo.

Omne vas ligneum. Fiunt in multis locis pulchra ex ligno vasa, vt apud Indos, quæ ad nos deuehuntur inde, & talia apud illos fieri credibile est.

Omne quod ingreditur ignem, transire facietis per ignẽ, id est, omne vas quod ferre potuerit ignem ingrediẽs ignem, transibit per illum, & sic purificabitur.

Aqua separationis purificabitur. Dixi aquam cineribus combustæ vitulæ conspersam: vocari separationis, quoniam immunditias separabat tam ab homine quàm ab aliis rebus.

Cape summam prædæ captiuitatis. Hebraicè ad literam est. Leua caput acceptionis captiuitatis, id est, numera per capita aut seorsum, quæ accepta sunt in captiuitate. Nam vt sæpius diximus, leuare capita numerare est Hebræis.

Dimidiabis prædam inter bellatores, id est, diuides omnia bello accepta, & medium partem dabis bellatoribus: altera verò medietas diuidetur inter omnes alios qui non iuerunt ad bellum. Aduerte autem hic quòd dictio thopele quam hic (turbam Interpretum sequentes) vertimus bellatores, ignotæ significationis est apud Hebræos: dicunt tamen significare capere, & apprehendere, citantes ad probandam hanc significationem illud secundi Regum. 12. Tapas, id est, apprehendit Ioas regẽ Israel. Et Iehoshuah octauo. Et regem Hahi tapessũ, id est, comprehenderunt vivum. Videtur tamen verbum proprie significare comprehendere seu apprehendere complectendo, vnde magis ad literam verti hic posset: inter comprehendentes, id est, inter eos qui hæc in bello acceperunt seu comprehenderunt. Dixi de verbi huius significatione Genesis quarto: super illud. Fuit pater omnis thophes, id est, comprehendentis citharam.

Lenabis partem Domino. Sic melius quàm censum vertas, quoniam verbum chasas significat proprie partiri, de cuius significatione abunde diximus Exod. 12. licet census pars sit, qui census, ex parte seu portione bellatorum erat auferendus.

Elevationem Domino. Vocabatur id quod Domino offerebatur leuatio, quoniam offerens, illud ex bonis suis leuabat vt daret Domino.

Capies vnam portionem. Verbum achas à quo achus, id est, portio significat proprie cõprehendere, & achus comprehensionem seu id quod manu aut brachio aut quouis alio comprehenditur. Nam. 1. Regum. 1. dicitur de Ioab. Ecce achas, id est, comprehendit cornua altaris. Neque te deterreat ab hac significatione, id quod habetur. 1. Regum. 6. vbi dicitur. Et ieechos, id est & contignauit eam, quoniam contignare domum nihil est aliud quàm comprehendere eam lignis, ne cadere possit.

Dedit eam Leuitis custodientibus custodiam habitaculi Domini, id est, qui custodiebant tabernaculum Domini, scilicet, portãtes vasa sacra, arcentes etiam seculares à rebus sacris, aut custodientes circa tabernaculum quæ sibi à Domino erant præcepta. Explicui enim sæpius hunc hebraismum, custodire custodiam, quod sit idem quod facere quod præceptum est.

Custodire custodiam quid significet Heb.

Sertu tui leuauerunt caput virorum præsij, id est, numerauerunt bellatores. Et leuare caput est numerare, & vir belli est miles, sicut vir terræ agricola.

Et non defuit ab eo vir. Hebraicè & à numero non defecit, seu non denumeratus est, si sic Latini loquerentur, quoniam pachad significat numerare, & ponitur hic in passiua coniugatione.

Armillam, brachiolum, annulum, inaurem, & murenulam. Ignotæ sunt significationes ferè omnium nominum quæ hic ponũtur, solum tabaat certum est annulum significare, à radice taba, quod est mergere, figere, vel infigere, vt Hebræi dicunt, & dicitur annulus tabaat quòd digito infigatur vel figatur vt inde vix auelli possit. Diximus abunde de verbi significatione Exodi trigesimoquinto, quòd enim annulum significet constat Hester tertio. Et signauit atabaat, id est, annulo Regis. Et Genesis quadragesimoprimo. Et amouit Pharaoh rabbato, id est, annulum suum. De aliarum verò significatione dictionum, dicemus quod nobis visum fuerit, & prior, scilicet, efaidah quam vertimus armillam, est à radice saad, quod Hebræis significat incedere, vt patet secundo Semuelis sexto, vbi dicitur. Cùm saadu, id est, incederent qui portabant aram Domini sex scadim, id est, passus, quare videtur ornamentum pedum, quibus incedimus, aut quod viri aut fœminæ portabant, cùm irent ad recreandum animum. Est tamen locus secundo Semuelis primo qui cõuincit esse ornamentum brachij vbi habetur. Et accepi diadema quod erat super caput eius, veefadah, id est armillam quæ erat super brachium eius, & possibile est fuisse ornamentum vtriusque. Solent enim Orientales circulos aureos & argẽteos brachiis & cruribus gestare, quæ nos vocamus manilhas. Secunda verò dictio scilicet samid, est à samad quod Hebræis est coniungere, & videtur significare ornamentum coniunctum: sed quod illud sit ignoratur. Constat tamen ex verbis Ezechielis decimosexto esse ornamentum manus, quoniam ibi dicitur. Et dedi semidim, id est, armillas super manus eius. Et Genesis vigesimoquarto. Ut duas semidim, id est, armillas super manus eius, aut in manibus eius, & iudicio meo erant duo ornamenta similia, quorum alterum alterã ornabat manum, alterum verò aliam, quemadmodum chirothecæ. Significat enim dictio coniunctum ad modum iugi, seu eorum quæ in iugo coniunguntur: vt patet Iudicum decimonono, & primo Semuelis vndecimo, vbi dicitur semel bachar id est, par boum. Quartum verò nomen, scilicet, agil ab agal seu agol quod Hebræis rotundum significat, ortum habet, quod verò significet inaurem cõstat Ezechielis decimosexto, vbi dicitur. Ve agilim, id est, & inaures in auribus tuis. Quintum verò, scilicet, chumaz

Nomina significantia ornamenta quædã explicantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omittitio ignotum est, neq; est certa coniectura ad eius proprium significationem veniendam, quoniam dictio nusquam nisi hic in scriptura reperitur quòd sciam. Aliqui dicunt subligaculum seu fœmorale ornamentum, auro gemmisque redimitum. Alij verò ornamentum pudendorum arbitrantur seu typum vulvæ, quod vt dicit Rabbi Selomoh filię Midian fecerāt ad expiandum propitiandumque cogitationem cordis, quemadmodum Philistæi murium similitudines. Thargū subligaculum aut dextrale interpretatur.

Omne vas operis, id est, quo opus fieri poterat aut fiebat, & potest intelligi, quo opus fiebat apud Midianitas, aut quo fieri poterat opus in templo.

Et viri bellatores prædati sunt, vir sibi. Vult textus ponere discrimē inter Principes & alios milites, quòd videlicet Principes omnia vasa aurea & argentea & ornamenta quæ prædati fuerant, Domino obtulerunt: viri verò alij bellatores, qui rapuerant seruauerunt sibi, ac si dicat. Principes Domino prædati sunt, bellatores verò sibi, & quia hoc parum erat, nō obtulerunt ex eo quicquam Domino.

Memoriale filiis Israel coram Domino, id est, vt Dominus illorum memor esset semper, & illos coram se haberet, aut vt ex oblatione, memoriam sibi compararent, & prior sensus literæ magis adhæret.

IN CAPVT. XXXI. NVMERI ad componendos mores annotatio.

Vt leiscere vltionem filiorum Israel de Midianitis. Dare solent serui Dei pœnas pro peccatis suis, & ab eis Dominus iudicium incipit vt Petrus dicit: non tamen impunè transeunt, qui eos ad peccata deducunt. Decepit serpens callidissimus fœminam, per quam etiam virum ad peccatum traxit. Punitus est Adam, vxor etiam meritas pœnas dedit, & gladium vltorem prius experti sunt, quàm qui eos in peccatum pellexerat, sed nūquid euasit serpens qui incautos decerpat astutia suâ? Minimè, sed eis grauiores pœnas dedit: vt timeas seruos Dei decipere, aut ad peccata perducere. Docentur etiam hic priuati homines, non se vindicare, sed à Principe communitatis expectare vindictam, cuius est iniuriam eis factam vlcisci. Sed quid sibi vult hoc Domine Deus, vt seruum tuum Moseh non velis ab hac luce subtrahere, nisi vindictam hostium suorum prius accipiat? Solent homines, quibus alij iniurium fuerunt, maxima mœstitia affecti discedere: si dum viuunt non videant hostium suorum vltionem, quemadmodum legimus de Sinsone, & lętissimè moriuntur, si vindicati discedant: noluit ergo dominus seruum suum Moseh accepta iniuria à Midianitis, ab hac vita diffungi, ne tristis moreretur, sed lętum voluit ab hac vita migrare. Qua in re docentur Principes vindicare iniurias, quas aliqui subditi ab aliis passi sunt, antequam ipsi qui sunt iniuria affecti, ab hac luce discedant, vt cum iocunditate moriantur.

2. Petri. 4.

Quas pœnas dat qui seruos Dei ad peccata trahant.

Vt dent vltionem Domini in Midian. Quam antea vocauerat vltionem filiorum Israel, nunc vocat vltionem Domini: vt ostendat eum qui alicui ex proximis iniurius est, non solum illum sed Principem populi ac Deum ipsum iniuria afficere, & ab vtroque pœna afficiendum. Audi de hac re pulcherrimum scripturæ sanctæ exemplum. Occiderat Ioab princeps militiæ Dauid duos principes sine vlla causa Abner, scilicet filium Ner & Hamasam, neque propter hoc pœnas vnquam dederat homicidiorum perpetratorum, quoniam potens erat, qua de causa dissimulauerat Rex cum eo. Postquàm verò ex hac vita Regi abeūdum esset, & deo administrationis regni esset rationem redditurus, accersito Selomone regni hærede, dixit illi. Tu nosti quę fecerit mihi Ioab, & quomodo occiderit duos viros meliores se, & quæ sequuntur. Non fuerat mortuus rex, neque iniuria affectus in persona sua: dicit tamen. Tu nosti quæ fecerit mihi Ioab, vt ostendat iniurias priuatis personis factas, prius ac magis illatas principi ac Deo, quàm illis. Et expende verba. Prius enim præcipit vindicare iniuriam Israel, quàm suam. Prius fiat vltio Israel, postea verò fiet vltio Domini.

Mille de singulis tribubus. Debet Princeps quoad potest vitare discordias inter subditos suos. Solet autem de his rebus sæpè discordia oriri: dum aliqui mittuntur & eliguntur, alij reprobantur. Audi quid Gedeoni dixerint viri Ephraim Iudicum. 8. Cur (inquiunt) hoc fecisti nobis, vt non vocares nos, cùm pergeres ad pugnandum contra Midian? Et iurgarunt contra eum fortiter. Et nisi eos molli responsione leniret, occidissent eum.

Et traditi sunt ex millibus Israel mille per tribum. Solent aliquando Principes cum viro ad aliquod obeundum munus egent, eos à cōmunitate deligere, neque expectare vt illi à cōmunitate quæ eos melius nouit sibi tradantur, vnde sæpè sæpius miserrimè decipiuntur. Princeps enim, homines vt plurimum, ex sola nouit hominum relatione, quæ talis erit qualis fuerit affectus commēdantium: ipsa verò communitas cùm eos enutriuerit & aluerit, melius quid in eis lateat cognouit, ideò eius iudicium & electio à Principe expetenda esset, non præcipitandum, quemadmodum sanctus Moseh facere solitus erat.

Misit Pinechas filium Elhazar cum eis ad pugnam. Quid pugnæ & sacerdoti? Nouerat vir Dei Pinechas virum audacem, qui dei zelo accensus principem cum Midianite in stupro confoderat, ideò ad exercitum mi sit, vnde non nouum videri debet, si summus Pontifex aut Rex ex Pontificis facultate, clericum in bello strenuum ad cohortem mittat. Docentur etiam principes sæculares non pugnare sine ministris Dei, qui ex eius parte milites adhortētur, tubis canant, vt cor militum ad pugnam & victoriam accendant.

Tulerunt omnia spolia, & omnem prædam. Non debent sibi milites vsurpare quę in bello capiunt & prædantur, quoniam non suis sed populi stipendiis militant, & quemadmodum mercenarius non sibi laborat, sed illi qui ei mercedem soluit: ita & miles, vnde omnia debet principi præsentare vt ipse habeat partem suam.

2. Sentus 15

Nónne reseruastis omnem fœminam? Timere suis valdè debet prælatus, quæ illis scandalo esse possunt: & omnia hæc interdicere illis, neq; ira in prælato damnanda est, cùm videt subditos præceptis suis ac Dei nō obtemperare.

Occidite omnem mulierem cognoscentem virum. Accepta fuit Domino semper virginitas, neque solum cordis sed etiam corporis munditia illi semper placuit ob quam solam istæ seruatæ sunt à morte.

Vos maiete extra castra. Putarem ex hoc & similibus scripturæ locis, ortam in ecclesia irregularitatis pœnam ex homicidio causatam, quare maximè errāt, qui hæc aut damnant, aut pro nihilo reputant.

Hoc est statutum legis. Duo sunt hic annotanda. Alterum, munus esse sacerdotis populum leges Domini docere, & de ea homines admonere, cùm viderit ad eas non aduertere. Alterum relinquendum vnicuique esse munus sibi demandatum. Non admonuit Moseh (licet Doctor legis esset) bellatores de lege seruanda purificationis, sed suum munus summo sacerdoti reliquit.

Dimidiabis prædam inter bellatores, & inter omnem congregationem. Ecce cuius sit prædæ media pars, nempe populi, & hæc est lex quam Dauid suis seruare præcepit, vt æquam portionem bellātibus tradiderit, cum illis qui ad seruandas sarcinas præliantium remanserunt. Simili quoque modo docentur milites suam partem spoliorum, Domino qui victoriam concessit seruare. Quod autem Leuitis dari iubentur ex portione populi, docet omnes ministros Dei à populo fore nutriendos.

Et offerimus oblationem Domino. Debent Duces & maiores, peculiarem ostendere domino gratitudinem & gratias agere si Dominus suos incolumes seruet. Et vide ingratitudinem. Qui seruantur nihil Domino offerunt, sed Duces quibus seruati sunt, gratias Domino

mino referunt.

In memoriam filiis Israel coram Domino. Debent magnificæ aliquorum dona in templis seruari ac prædicari: vt alij ad similia facienda prouocentur: vnde ortum puto in templis vasa ac munera suspendi, vt eis visis alij æmulentur.

IN CAPVT. XXXII. NVMERI iuxta literam annotationes.

Et pecudes multæ fuerunt filiis Reuben & filiis Gad multæ valdè. Parui refert quòd in hebræo pro pecudes habetur pecus, & pro multæ habetur multum singulare pro plurali, vt in multis aliis locis. Et aduerte quòd dictio hebraica asum, quam secundo loco multum vertimus, non est eadem quæ ponitur in præcedenti sententia, & ortum habet ab asam, quod est roborare & fortificare, & addunt Hebræi augere in quantitate seu multiplicare: sed revera non significat multiplicare, nisi quia multitudo solet esse fortis, & sunt aliquot loci quibus quadrat multiplicare ratione iam dicta, vt Psalmo quadragesimo, vbi dicitur. Asemu, id est, plura sunt vt possint narrari. Et clārius paulò inferius eodem Psalmo. Asemu, id est, multiplicatæ sunt præ capillis capitis mei. Diximus de verbi significatione Geneseos vigesimosexto. Nomen verò asum, significat propriè robustum, forte, vt patuit capite vigesimosecundo huius libri. Quia asum, id est, robustior me est. Et Geneseos decimooctauo. In gentem magnam ve asum, id est, & robustam. Posset etiam hic verti. Et filiis Gad robustum aut forte valdè, & erit sensus quòd non solùm his fuit pecus multum, sed etiam forte seu robustum valdè aut bene nutritum.

Et viderunt terram Iahazer, & terram Gilhad. De Iahazer nihil certi habeo: nisi quòd ex inferius scriptis videtur esse vrbs, quemadmodum Dibon & Chesbon. Gilhad verò vt Ieremiæ vigesimosecundo habetur montes sunt trans Iarden, qui à Libano sumentes initium, per duo regna, scilicet, Bassan & Æmorrei protendebantur: separantes hæc regna à reliqua Arabia: pascuosi valdè & odoriferi.

Et ecce locus, locus pecoris. Sic in hebræo est, id est, aptus alendis pecoribus, aut in quo multa erant pecora ante. Abundabat enim herbis & aquis, quæ duo, rei pecuariæ commodissima sunt.

Hatharoth & Dibon. Nomina vrbium sunt sicut & sequentia.

Terra quam percussit Dominus, ante cœtum seu congregationem Israel. Non intelligas ante congregationem, id est, antequam congregarentur filij Israel: sed quòd Dominus eos percusserit ante exercitum Israel: quasi dux prælij.

Terra pecudis ipsa. Expone vt supra hoc eodem capite, id est, fertilis & apta ad alenda pecora.

Si inuenimus gratiam in oculis tuis. id est, si tibi grati & accepti sumus, & est hebraismus. Refertur autem gratia ad oculos, quia in eis maximè ostendi solet, quemadmodum supercilium.

In possessionem. Dictio hebraica potius comprehensionem seu portionem significat.

Ne transire facias nos Iarden. Cōstat ex hoc loco istos voluisse citra Iarden manere, & has occupare sedes.

Vt quid remouetis cor filiorum Israel? Admonui capite trigesimo huius libri, significationem huius verbi nana, nō esse plene notam Hebræis, ibidem nostri verterunt irritare seu frangere, & sic posset hic verti melius quàm remouere, vt Sanctes vertit. Quadraret etiā hic dissoluere vt ibidem vertimus.

Si videbunt viri qui ascenderunt ex Ægypto. Vtuntur frequentissimè Hebræi si pro non, vt Psalmo. Semel iuraui in sancto meo, si Dauidi mentiar, id est, quod Dauidi non mentiar. Sic & hic. Si videbunt homines, id est, quòd non videbunt. Quem loquendi modum aduertere oportet eum qui Euangelia & Pauli epistolas lecturus est, quoniam ea phrasi sæpius vtuntur.

Quoniam non impleuerunt post me. Hebraismus est significans quoniam non plene in omnibus me sequuti sunt. Nam implere post aliquē, est cum in omnibus seu plene sequi, non implere verò est non plene & in omnibus sequi: & hebraismum & eius explicationem seruare memento.

Præter Chaleb filium Iephunneh Chenizeum. Putarem cum Hieronymo esse Chenizeum familiæ nomen: quod etiam nominis forma indicat: quemadmodum Israeli, id est Israelita, Romigi Romanus, Nozri Nazareus,

Quoniam impleuerunt post Dominum, id est illū plene seu in omnibus sequuti sunt: vt iam diximus superius. *Non implere post aliquem quid sit Heb.*

Et vagari fecit eos in deserto. Verbum nua, significat propriè mouere: vt patet Sephoniæ secundo vbi dicitur. Iania, id est mouebit manum suam. Item Psalmo vigesimosecundo. Ianiu, id est mouebunt caput. Idem Threnorum secundo Et Isaiæ vigesimonono. Nau, id est moti sunt, & non à sechar seu vino: vnde hic vertendum est. Et mouere fecit eos per desertum; quod idem est quòd vagare fecit.

Vt adderetis adhuc: super iram furoris Domini. Non plene nota est hebræis significatio propria verbi sapah, quod addere vertimus. Sanctes verò apponere. Hebręi dicunt quòd significat etiam consumere & perdere: ad quod citant illud Geneseos decimooctauo. Nun etiam tispeh, id est, perdes iustum cum impiis? Verbum videtur significare aut addere aut deficere: & meo iudicio magis proprie addere quàm consumere seu deficere: sed est aduertendum quòd non significat, qualitercunque addere: sed addere vel addi ad statum aliorum qui mala passi sunt: & iuxta hanc significationem multa verti possunt in scripturis quæ ab hebræis & nostris aliter vertuntur: vt Psal. quadragesimo. Quærentes animam meam iispotah, id est ad perdendam eam vt nostri vertunt: quod tam bene vertas. Ad addendam eam, scilicet aliis interfectis & mortuis. Sic illud Geneseos citatum pro Nun perdes iustum, tam bene vertas. Nun addes iustum impiis, perdendo vrbem? Et Prouerbiorum decimo tertio. Et est nispoh, id est consumptus absque iudicio, verti posset. Est additus, scilicet impiis absque iudicio, id est qui additur statui impiorum seu damnatur velut impius: absque iudicio. Sunt tamen aliquot loci quibus hæc significatio non bene quadrat vt primo Paralipo. vigesimoprimo vbi dicitur. Aut tribus mensibus nispeh, id est consumptus eris à facie inimicorum tuorum: idcò transeundum est cum significatione quam nobis Hebræi suppeditant, quousque detur propriam inuenire. Munsterus dicit verbum quod hic ponitur esse à, iasaph & multiplicatio significationū vtcunque ostendit radicum confusionem: quod videlicet Hebræi confundant iasaph cum sapah.

Quoniam reuertemini à post ipsum: & addet adhuc vt quiescere faciat eum seu requiescat ipse in deserto. Sensus est, non putetis vos nihil mali facere proximis vestris, in ea re: quoniam vos quidem reuertemini, ne eatis post Dominum: & Dominus propter peccata vestra quiescere faciet populum totum in deserto & reuerti à post aliquem, est retrocedere ab eo quem antea sequebaris: & est hebraismus ac si dicat: propter peccata vestra, non dabit Dominus paratas sedes populo: sed faciet eum quiescere in deserto. Non vertimus cum aliis dimittere, quoniā verbum nuach quod hic ponitur, significat proprie quiescere & requiescere. Non tamen damno si vertas cum aliis, dimittere. Et quod sequitur. *Reuerti à post aliquem quid sit Heb.*

Et perdetis omnem populum istum. Verbum sachat, id est perdere, non est hebræis plene notum: communiter tamen vertunt perdere & corrumpere.

Caulas pecudum ædificabimus hic. Significat proprie nomen gader, omnem clausuram quę non est fortis: vt est maceria vinearum, vallum, sepes, & id genus alia: vt hebræi dicunt. Diximus de nominis significatione capite vigesimosecundo huius libri.

Nos accincti erimus, festinantes ante filios Israel.

Ponuntur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Poruntur hic duo verba, quorum significatio non est Hebræis vsquequaque nota, scilicet, chalats, quod vertimus accinctum esse, & chus, id est, festinare. Videtur tamen prius significare diuidere, separare, ac soluere: alias verò significatio, scilicet, accingere mihi vtcunque suspecta est, quoniam non est tam frequens sicut aliæ. Admittitur tamen quousq; propriâ certò sciam: posset tamen hic verti. Nos separati, scilicet, à familia nostra seu expediti ab omnibus, festinabimus ante filios Israel, & videtur melius quadrare. De significatione vero secundi verbi, quòd videlicet significet festinare: sunt exempla primo Samuelis vigesimo, vbi dicitur, Chussah, id est, festina vestes. Et Psalmo vigesimosecũdo. Ad auxilium meum chussah, id est, festinà: res tamen nondum mihi omnino certa est. Sic quod infra dicitur.

Si accincti fueritis ante Dominum: Poteris vertere. Si expediti seu separati fueritis ante Dominum, id est, ante arcam Domini.

Donec expellat ipse omnes inimicos suos à facie sua. Posset etiam verti. Donec hæreditare faciat ipse, scilicet, vos inimicos vestros à facie sua, aut donec hæreditet ipse omnes inimicos suos, qui sunt ante ipsum: seu capiat illorum hæreditatem. Hanc addo expositionem, quoniam verbum iarash propriè hereditare & exhæredare seu hæreditate pellere significat.

Et subiugata terra coram Domino. Non est vsquequaque recta significatio verbi chabas, quod subiicere cum Hebræis vertimus: acceptanda tamen est, quoniã multis locis quibus verbum ponitur cõuenit. Et quod dicitur coram Domino, idem est quod coram arca domini, de qua Dominus loquebatur.

Eritis innocentes à Domino, & ab Israel, id est, non eritis culpabiles aut puniendi ante Dominum, neque ante Israel.

Et erit terra hæc vobis in portionem coram Domino, Alij vertunt in possessionem: sed prior expositio germanior est.

Scitote quoniam peccatum vestrum inueniet vos, Admonui sæpissimè, peccatum sumi frequenter in sacris literis pro pœna ipsius peccati, & sic sumitur hic. Quamprimum enim peccator peccat, pœna quæ eue-stigio peccatum sequitur quærit eum, donec inueniat & puniatur. Sic enim habes Deute. 4. Cùm fuerit angustia tibi, & inuenerint te omnia mala ista.

Quod egredietur de ore vestro facietis. Hebraismus est, id est, implebitis promissa. Sumitur enim egredi ex ore, pro promittere hic. In Psalmo etiã habes. Et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

Et præcepit eis Moseh. Sic in hebræo est, quod nostri vertunt. Et præcepit pro eis Eliazar & reliquis. Posset etiam esse sensus, quòd non solùm Moseh præceperit eis, sed etiam Elhazar: vt scilicet, promissa compierent: sed prior interpretatio sola germana est. Et quod sequitur.

Omnes accincti. Verti potest melius, expediti ad bellum.

Et subiecta fuerit terra coram vobis. Licet significatio verbi chabas, id est, subiicere, nõ plenè nota sit Hebræis, loco tamen congruere videtur.

Si non transierint accincti vobiscum: hæreditatem accipient in medio vestri, in terra Chanaan. Posset etiam verti. Si non transierint expediti vobiscum, comprehendent, scilicet, portionem suam: in medio vestri, id est, inter vos, quoniam vt sæpius diximus, capitur aliquando medium nõ pro eo quòd re vera medium est, sed vt est idem quòd inter.

Quod loquutus est Dominus ad seruos tuos, sic faciemus. Vide quàm humiliter iam isti Duci loquantur. Postquam enim incœperunt cõsequi promissiones: humilius loquuntur, Ducemque magis venerantur.

Nos transibimus expediti ante Dominum in terram Chanaan, & nobiscum erit portio seu comprehensio hæreditatis nostræ, à trans Iordanem. Alij vertunt. Nos transibimus accincti ante Dominum, id est, ante aream in qua erat præsentia Domini, & nobiscum erit possessio hæreditatis nostræ citra Iordanem, neque refitio interpretationem.

Terram cum vrbibus suis cum terminis: vrbes terræ per circuitum. Munsterus pro cum terminis vertit in extremitatibus, & est sensus quòd dederit eis ciuitates quæ erant in terminis, scilicet, Æmorrei & Sichon regis eorum & Hog regis Basan.

Ciuitates munitionis & caulas ouí. Dictio mibzar, id est, munitio ab includendo dicitur, ab azar quod propriè significat includere, vt probauimus Leuitici vigesimoquinto: vnde verti posset, vrbes inclusionis quibus homines ad sui munimen includuntur. Et istæ vrbes fuerant à Iudæis destructæ, sed postmodum restauratæ.

Verso nomine & Sibmah, & vocauerunt nominibus, nomina vrbium quas ædificarunt. Putant Hebræi huiusmodi vrbes appellatas prius nominibus idolorum: postea verò vocatas nominibus ędificatium: sed primum nulla ratione fultum est: secundum verò ex eo quod infra habetur, quòd videlicet Nobah mutauit nomen vrbis Chenath in suum: aliquid veritatis habere videtur. Et prò verso nomine, ad literam vertendum esset reuoluto nomine seu reuolutis nominibus. Psalmo enim. 114. habes. Iarden lisob, id est, reuertetur retrorsum. In hebræo ad literam est. Et vocauerunt cum nominibus nomina ciuitatum quas ædificauerunt: sed sensus redditus est.

Expulerunt Emorræum qui erat in ea. Posset etiam verti. Et hæreditate acceperunt Emorræum qui in vrbibus Gilhad habitabat.

Accepit villas eorum, & vocauit eas Chauuot lair, id est, *villas lair*. Non satis constat cuius radicis sit chauah, quod villam hic dicitur significare. Significat autem chauah Hebræis indicare, annuntiare, & si chauah id est, villa sit ab hac radice, significabit villam quòd sit manifesta. Vrbes enim muratæ, muris suis occultantur: villæ verò manifestæ. Hebræi tamẽ dicunt esse à radice chaiah quod est viuere: ad quod non video allusionem, nisi dicamus dici à vita, aut quia ab vrbibus vitam habeant, & ab eis sustententur sicut filiæ à matre: aut quia homines ibi liberius & libentius, quàm in vrbibus viuant. Vel quia homines ex eis viuant quod verius credo.

IN CAP. XXXII. NVMERI AD componendos mores adnotatio.

ET pecudes multæ erant filiis Reuben & filiis Gad. Solent diuitias comitari inutilia desideria, multa, & nociua, vt Paulus habet primæ ad Timotheum sexto, quæ mergunt homines in perditionem maximam. Sic & istos in irrationabilia desideria induxit, pecudum multitudo. Est tamen in istis valdè commendabile nisi hoc exuaritia fecerint, quòd licet pecorum copiam haberent, non comedebant tamen ex eis, ne fratres ad inuidiam prouocarent, sed ab eis quemadmodum alij abstinebant, & penuriam cum sociis patiebantur. Similiter aduerte eum qui alicui rei nimis afficitur, non tantum sibi quàm ei cui afficitur desiderare. Diligebant isti pecudes suas, & ideò terram illis potius gratam quam sibi desiderant & potulant.

Dedit terra hæc seruis tuis. Cùm dues ex te aliquid habere cupiti verbis humillimis vtitur, cùm verò aliquid ab eo exigeris, imperiosè valdè.

Ne transire facias nos Iarden. Debiles, timidos, ac pusillanimes, reddunt diuitiæ diuites: paupertas verò audaces. Quot sunt diuites qui illatam iniuriam propulsare timent, ne aliquid de suis diuitiis amittant. Verba iniuria nõ curant, nõ quidem ea propter Deum ferentes, sed ne suam quietem aut opes perdant.

Solent diuitiæ diuites facere formidolosos, paupertas verò audaces.

Fratres vestri ingredientur bellum, & vos manebitis hic? Non debent aliqui à communitatis laboribus à principe sine vlla causa & ratione excusari: sed qui à sociis adiuti in suis laboribus sunt: debent etiam ipsi sotios adiuuare.

Quid remouetis cor filiorum Israel? Nocent valdè gerendis

gerendis bellis viri formidolosi, quibus non sat est timere, sed alios fortes, reddunt formidolosos, cuius rei gratia Dominus formidolosos à bello excusat Deute. 20. Vbi similiter dicit, quid communitatibus noceant viri formidolosi, maximè qui sunt aliis formidinis causa. Hac ratione moti Iudæi voluerunt occidere sanctum Ieremiam, quòd ciuitatem tradendam Chaldæis vaticinaretur, & formidinem ingeneret militibus tuentibus vrbem.

Addet vt dimittat eum in deserto. Valdè cauere debet ille cui promissio facta est, offendere promissorem, quoniam facile qui ex liberalitate promisit, reuocat promissionem: præsertim cùm iam ad fores promissa esse videntur.

Nos expediti festinabimus ante filios Israel. Expeditos requirit homines bellum: ab vxoribus, liberis, & opibus, quoniam impedimento esse solent bellatoribus hæc omnia, modò pro eis non solicitentur, ideò isti volunt hæc relinquere in vrbibus munitis.

Si feceritis hoc. Non debent semper principes, iniusta suorum desideria reiicere, sed rectificare. Solent enim homines maximè nobiles dolere valdè: si principes quibus seruiunt in omnibus postulata ab eis reiiciant. Sic fecit Dominus sancto Moseh cùm facié eius videre cuperet & petiisset. Posteriora, inquit, mea videre dabitur: sed non faciem.

Scitote quoniam peccatum vestrum inueniet vos. Considerent & aduertant hæc peccatores, vt à peccatis caueant, quòd quamprimum peccauerint, peccati pœna eos cuestigio sequitur, & licet quandoque non statim inueniat, eos tamen tandem tenebit.

Serui tui facient, quemadmodum præcepit Dominus meus. Multa pia docet locus iste. Primum quàm promptos faciat subditos concessio eorum quæ postulant: licet omnia non concedas. Secundo quomodo subditi debeant Prælatum suũ in honore habere, quod & Augustinus in regula docuit. Et expende istorum astutiam, qui ea quæ ipsi sua sponte facere promiserunt: dicant se ex præcepto ducis facturos: vt eum obligent. Non enim hoc illis præceperat Moseh, sed iniustiæ arguerat: ipsi verò sibi vinculum hoc iniecerant.

Serui tui expediti transibunt ante Dominum ad bellum. Nituntur isti quoad possunt, causam suam iustificare, vt videlicet qui priores portionem peterent hæreditatis, priores sese bellorum diserimini obiectarent.

Si transierint filij Gad & filij Reuben. Debent principes dum illorum imminet interitus, bene meritos seruos remunerare, & si in vita nequeunt, commendare hoc successoribus suis. Nam quemadmodum eis punitiones impunitorum malorum, memorari tenentur, quemadmodum fecit sanctus Dauid cùm diem clauderet extremam vt historia prioris Regum libri enarrat, ita & remunerationes optime meritorum. Dux verò Moseh non solum præclara gesta, sed gerenda præcipit munerari, & vt verius loquar remuneratur vt statim sequitur, quod eam illis dedit, quod principes aduertant vt non solum bene gesta, sed bona promissa remunerent. 1 Reg. 2.

Et si non transierint vobiscum expediti, possessionem habebunt in medio vestri. Maxima punitio, punire hominem in his quæ improbè cupit, & expende Ducis prudentiam & mansuetudinem, qui non alia pœna eos afficit, quàm priuare eos hæreditate quam cupiũt, non tamen eos hæreditate omnino ptiuant.

Ædificauerunt filij Gad Dibon. Nihil peccatorum debẽt iusti appetere, & si aliquibus eorum vsuri sunt, non nisi purificatis prius & euersis: vt non iam eorum bonis, sed nouo acquisitis vti videantur.

Vocauit eas, secundum nomen suum. Neque vocabula cum impiis communia debent boni habere, neque his nominibus res appellare, quibus eas antea impij appellarunt, neque solum rebus, sed etiam nominibus cum eis communicare impium reputatur.

IN CAP. NVMERI. XXXIII. iuxta literam adnotationes.

HÆc sunt profectiones filiorum Israel, qui egressi sunt de terra Ægypti. Gaudent posteri audire: non solùm præclara gesta maiorum, sed etiam discrimina, labores, & id genus alia, etiam laboriosa: crediderim tamen Moseh ex imperio Domini hæc tam serio scripsisse: vt qui Iudæis succederent audirent, per quæ discrimina Dominus eos ex Ægypto eduxisset: & in promissam terram induxisset. Similiter quas pœnas rebelles dederint in deserto, & mansionibus suis.

Per exercitus suos. Incedebant filij Israel diuisi in turmas, vt secundo huius libri capite dictum est.

In manu Moseh & Aaron. Explicui in hebraismis hunc, quòd videlicet idem sit, quòd sub potestate seu opera eorum. Aut quas Dominus fieri fecit per manum Moseh & Aaron. Infra enim statim dicitur Moseh huiusmodi profectiones, ex imperio Domini scripsisse.

Et scripsit Moseh exitus eorum, ad profectiones eorum. Est hic magna coniectura, Moseh scripsisse Pentateuchum, quoniam scribendo profectiones: credendum est omnia gesta scripsisse, & est sensus literæ quòd scripsit Moseh exitus quo egrediebantur ad proficiscendum. Nam dum manebant etiam egrediebantur castra, sed huiusmodi egressus non describitur, quoniam non erant ad proficiscẽdum, sed ad alia necessaria peragenda. Posset etiam verti. Per profectiones. Supputantur verò hic quadraginta duæ profectiones, neque tamen omnes, sed in quibus aliquid contigit memorabile, quas scripsit iuxta os Domini, id est, non ex suo cerebro, sed ex Domini imperio. Ex quibus priori anno quatuordecim aut quindecim cõfecerunt, reliquas verò triginta nouem annis sequentibus.

Argumentum & coniectura magna quòd Moseh scripserit Pentateuchum.

Profecti sunt è Rhameses. Est Rhameses vrbis nomen, in qua manebant multi ex filiis Israel, à qua fuit prima profectio eorum, & est altera earum duarum, quas Israelitæ ædificasse dicuntur Pathoni Exodi primo capite.

Mense primo, scilicet, Nisan, qui vt diximus respondet nostro Martio & nonnunquam Aprili, qui prior est apud Hebræos quod festa attinet. Et prima lunatio quam Sol signum Arietis ingressus replet, est prima dies anni, quoniam Sol in eo signo incipit motum suum.

In crastino Pasch. Dixi in Exodo Pasch significare saltum, nempe tam propriè transitum, licet quasi sit idem. Dubium mihi est an per Pascha seu Pasch intelligat agni cœnam & sit sensus quòd dies sequens seu mane sequens cœnam agni, profecti sint Israelitæ, vel potius transacta nocte cœnæ cum die artificiali sequenti. Cùm enim Iehudæi numerent diem à vespera in vesperam sequentis diei, seu ab occasu Solis præcedentis diei, vsque ad occasum sequentis: videtur quòd dies Pasch seu decimaquarta luna inciperet ab occasu Solis quo agnus comedebatur, & duraret vsque ad occasum Solis sequentis diei artificialis, & sic Iudæi ex Ægypto fuissent egressi post diem artificialem lunæ decimæ quartæ, & hoc mihi verius apparet. Diximus de ea re abundè Exodi. 12. & 15.

Egressi sunt filij Israel in manu excelsa. Solet potestas ac robur manibus designari, vt in hebraismis diximus: vnde videtur quòd egredi in manu excelsa sit egredi in potestate omnibus superiori: vnde sequitur in oculis omnium Ægyptiorum: ac si dicat. Tam valida & suprema fuit potestas qua Israelitæ ex Ægypto egressi sunt, vt exierint in oculis Ægyptiorũ seu eis videntibus nemo tamen ex eis ausus est eos impedire & detinere. Aut in manu excelsa, id est, eleuata ad percutiendos Ægyptios, si vellent eos impedire. Vel tertio in manu excelsa, i. eleuata, ad quam nemo posset attingere. Dicit enim dominus Exod. 19 eduxisse eos super alas aquilarum. Prima tamen expositio germanior est. Quod verò additur in oculis omnium Ægyptiorum, seu eis aspicientibus: ostendit eos exisse non quasi fugientes sed liberè & inuitis Ægyptiis.

In dijs eorum fecit Dominus iudicia. Non solùm in hominibus iudicia fecit, occidendo eos & puniendo

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo plagis, sed etiam in idolis quos colebant, & creditertim eorum statuas subuertisse & aras, truncasse capita, pedes, ac manus, quemadmodum postmodum Dagonis idolo fecit, cuius pedes & manus amputauit Posset etiam pro diis legi, & in proceribus eorum seu magnatibus fecit iudicia: persequendo eos aliqua plaga quæ non est scripta: sed prior sensus germanus est. Vocat verò hanc punitionem idolorum iudicia, quia à iusto Iudice ac merito eis inflicta fuerunt. Dicitur enim sæpius pœna iudicium, cùm iuste à Iudice infligitur. Solet enim Dominus vindicare non solùm in peccatores ipsos, sed etiam in ea quæ sibi peccandi occasio vel materia fuerût: vt patet de vitulo quem combussit Moseh & comminuit ac contriuit in puluerem. Exodi trigesimotertio. Loca verò quæ sequuntur alia suo loco descripta sunt, alia verò ignota. Nominantur etiam hic aliquot mansiones, aliis nominibus quam suis locis sint nominata. Fuit etiam populus bis in multis mansionibus ex his, propter regressum quo à Domino retrocedere iussi sunt: vt diximus de puteo aquarum capite vigesimoprimo huius libri. Aduertendum etiam textum nõ describere mansiones à quibus statim recesserunt: sed eas quibus ad aliquod tempus permanserunt.

Profecti sunt filij Israel de Rahameses, & castrametati sunt in Succoth. Dissat si Geographis credas: Succoth secunda mansio à priori, scilicet, Rahamases itinere voius diei, & contendebant Iehudæi recta versus terram sanctam, ac si ire deberent per terram Philistinorum: sed ne populus egressus videns aduersum se venire Philistæos, reuerteretur in Ægyptum, fecit eos redire ad mare Rubrum seu finitum, & putarem eos recto calle contendisse vsque ad Etham, qui locus est in fine ipsius deserti: vbi incipit mare Rubrum, seu vt diximus terminatum, & non sum longè ab eis qui putãt Etham, finire seu esse terminum deserti & terminum maris Rubri, quod de cætero vocabimus terminatum. Est tamen non parua grauis coniectura, quod huiusmodi desertum non sit in fine maris termini, quia si fuisset, non esset opus populum Rubrum mare traiicere: sed ad ripam alterius littoris iter facere: vnde verius puto desertum Etham finiri ante finẽ maris, imò aliquantulum descendere ad longum littoris maris ex parte Ægypti. Et videtur quod in Suchot erat viarum diuisio & quòd ibi reliquerunt viam rectam qua incedebant, & reuersi sunt ad mare: vnde Exodi. 14. dicit Dominus Moseh vt faciat filios Israel redire & castrametari ante Pihachiroh Et locus iste Pihachiroh erat medius inter Migdol & Bahal sephon, & post Bahal sephon erat mare.

Ambulauerunt viã trium dierum per desertum Etham. Exodi decimoquinto dicitur eos traiecto mari, venisse in desertum Sur, quod aliqui dicunt idem esse cum deserto Etham & hoc est magis probabile, & fortè eius proprium nomen erat Sur, & dicebatur Etham, quia coniungebatur deserto Etham quod erat ex parte alterius littoris quod erat à parte Ægypti.

Castrametati sunt in Chaseroth Hic Maria soror Moseh leprosa facta est & curata, à quo loco quot mansiones interfuerint vsque ad Chades barnea nescitur: hoc solum certum est, populum, scilicet, anno secundo egressus ex Ægypto venisse in Chades, vnde misit exploratores. Et à profectione ex Chades vsque ad transitum torrentis zared, fluxerunt anni trigintaocto.

Castrametati sunt in Rithmah. Est Rithmah quintadecima mansio in deserto Paran, à qua populus retrocessit via maris terminati: à quo populus ascendit, pugnaturus contra Dei præceptum contra Chenanæum.

Aharon erat filius centumuiginti trium annorum quando mortuus est. Constat ex hoc loco eodem anno mortuum Moseh, quo & Aharon, quoniam mortuus est centumuiginti annorum Moseh, quem tribus annis excessit Aharon. Et per filium. 123. annorum intelligenatum. 123. annis.

Et profecti sunt è Punon & castrametati sunt in Oboth Videtur litera hæc aduersari his quæ dicta sunt superius eapite vigesimoprimo. Nam ab hac mansione trigesimaprima in Obeth quæ est trigesimaseptima in ordine, vsque ad Iarden supputantur tantum quinque mansiones: capite verò citato octo. Ad quod dicitur quod hoc capite numerantur solum mansiones quibus Israel diutius mansit: capite verò vigesimoprimo enumerantur omnes: siue stabiles fuerint siue non. Scrupulum etiam ingerere potest quod hoc capite non meminit textus torrentis zered, nulla etiam sit mẽtio torrentis Arnon de quibus capite. 2. huius libri tam diffuse textus tractat. Ad quod dicendum videtur, huiusmodi loca hic sub aliis nominibus numerari.

In montibus Abarim. Crediderim eos sic vocatos à principali inter eos. Sonat autem Abar transitus. Et pro campestribus vbique verte: in confinibus seu mixturis terminorum.

Vsque ad Abel sittim. Aliqui putant Abel nomen esse appellatiuum, non proprium, & vertunt vsque ad planitiem.

Et eieceritis omnes habitatores terræ. Posset etiam verti. Et possederitis omnes habitatores terræ qui sunt ante vos, quoniam verbum significat propriè possidere: tolerari tamen potest alia significatio.

Perdetis omnes titulos eorum. Alij vertunt picturas, & sic vertit Sanctes in lexico. Sed meo iudicio tam nostri quàm Hebræi ignorant propriam significationem verbi sachah. quod dicunt significare aspicere & pingere, quòd res pictas omnes aspiciant: sed si quis rectè expendat locos quibus verbum ponitur, deprehendet significare includere seu claudere, in qua significatiõe ipsimet vertunt illud Exodi. 33. vbi dicitur. Ve sachoti id est, Et claudã seu operiam manu. Dixi ibidem abundè de significatione nominis maschit quod hic ponitur, & arbitror significare elausum vel opertũ & si ida, non nisi quia opertæ sunt vestimentis aut parietibus clausã seu inclusã. Vide etiam quæ de nominis significatione diximus. Leuitici. 26. Si verò Hebræorum significationem sequaris, verte. Perdetis omne spectabile eorum seu lapidem spectabilem, per quod idola intelligit, quæ erant ex ligno & lapide, & eminenti loco ponebantur vt ab omnibus inspicerentur.

Imagines statuarum eorum perdetis. Significat nomen selem quod hic nostri imaginem vertunt figuram non plenè distinctam qualis est vmbra, quod ex eo loco Psal. coniector quo dicitur. veruntamen beselem, id est, in vmbra seu veluti vmbra pertransibit homo: ac si dicat. Tam breui hominis vita pertransit, sicut vmbra quæ recedente corpore velociter recedit. Et pro statuarum, vertendum puto fusilium, quoniam radix masecot est nasach quod est fundere vel extendere, & pro perdetis tu verte confringetis.

Per familias vestras, id est, secundum familias: ac si dicat. Secundum maiorem vel minorem familiam augebitis vel diminuetis hæreditatem vt statim explicat.

Ad quem egredietur illi, ibi sors: illi erit. Sic habet Hebraismus, & est sensus, quod: in quo loco exierit alicui sors, ibi, scilicet, in terra promissionis, talis illi erit sors, seu ibi illi erit sors. Posset etiam legi. Ad quem scilicet, locum seu in quo loco egressa fuerit illi, id est, ali cui, scilicet, sors: ibi sors illi erit.

Secundum tribus patrum vestrorum hæreditabitis, id est, in ordine distribuendi, seruabitis ordinem tribuum patrum vestrorum: vt, scilicet, prius Reuben postea secundogenitus & sic consequenter sicut & factum est Iehosuah. 14. 15. & sequentibus.

Erunt qui residui fuerint ex eis in claues in oculis vestris & in spinas lateribus vestris. Ignorant Hebræi & nostri, quod propriè significet sichim: vnde alij cultros alij verò clauos vertunt. Dixi hoc eodem capite putare, quòd verbum sachah significaret claudere seu includere, vnde hic vertendum putarem. Et erunt inclusa in oculis vestris, id est, veluti quædam minuta oculis inclusa, quæ nostri vocant argueiros, quæ non sinunt oculum vllo pacto quiescere. Dictionis etiam sequentis, scilicet, sanan, à qua sinim, id est, spinas significatio incerta

incerta est, & si rectè est sanan seu sinah quod est scutum, non video quam allusionem ad illud habeat spina. Sunt tamen aliquot loci quibus spina quadrare videtur: vt Prouerbiorum vigesimosecundo, vbi habetur. Sinim, id est, spinæ laqnei, in via iniqui. Et Iob. 5. Misenim, id est, è spinis tollet eam. Sic Iehosuah vigesimotertio. Et si certum esset significare frigus quemadmodum Hebræi dicunt: posset verti. Et vt frigora in lateribus vestris.

Et angustias afficient vos. Verbum sarar, stringere significat & ex consequenti angustiis afficere seu angustiari, quod est quasi stringere & arctari.

Quemadmodum cogitaui facere eis. Verbum damah significat propriè assimilari aut imaginari, id est, quasi facere imaginem eorum quæ facere vis in cogitatione. Ezechielis trigesimoprimo habes. Non damah, id est, fuit ei similis in pulchritudine eius. Et Psalmo. 144. Homo vanitati damah, id est, assimilatus est: vnde & hic verti posset. Quemadmodum imaginatus sum facere eis.

IN CAPVT. XXXIII. NVMERI
ad componendos mores annotatio.

Istæ sunt profectiones filiorum Israel, qui egressi sunt de terra Ægypti. Pauca admodum sunt, quæ hoc capite ad mores annotanda occurrunt, ideò transcorrendum breuiter est. Hoc tamen in eo occurrit, quam bene, scilicet, nouerit Dominus iter iustorum, vt illud tam curiosè scribi voluerit, ac omnes mansiones & egressus, ad minutum notari. Nouit (ait Dauid) Dominus viã iustorum, & iter impiorum peribit. Et alio Psalmo semitam meam & accubitum meum ventilasti & omnes vias meas intellexisti.

Scripsit Moseh exitus eorum. Munus Ducis est, scribere itinera & gesta suorum. Et mirum valdè est sancto fuisse viro otium, cùm tot negotiis esset distractus: vt etiam hæc scriberet, neque statim damnandi sunt Principes, qui Chronographos habere volunt ad narranda bona vel mala, quæ sibi & suis acciderunt, modo fide qua oportet hæc describant.

Expellite omnes habitatores à facie vestra. Admonet Dominus hic suos, quod aliis multis locis admonuit: quid, scilicet, periculi sit cum impiis commorari, ideò iuber eos de terra expelli, similiter quàm sit periculosum penes te occasiões habere peccatorum aut eorum reliquiarum, quæ te iterum ad peccata perducant: vt sunt idolorum imagines, tituli, delubra, & id genus alia. Et prius præcipit habitatores expellere. Secundo perdere titulos. Tertio imagines. Quarto delubra. Prius homines quoniam nihil citius hominem peruertit, quàm alter homo.

Si non expuleritis habitatores terræ, erunt qui remanserint ex eis in claues oculis vestris. Vix potest seges bona coalescere, nisi eradicatis spinis & nocuis herbis. Et colligunt ex hoc loco, qui reformandis rebus operam dant: non posse bene proficere nouas plantas, nisi extirpatis & electis veteribus: sed si illa possunt reformari & in bonas plantas verti: non essent vllo pacto eliciendæ.

Erit quemadmodum cogitaui facere eis, sic faciam vos. Considerent: hæc qui malorum loca occupant, quoniã non est acceptio personarum apud Dominum. Auferetur (ait Christus Iudæis) à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius: filij verò regni eicientur in tenebras exteriores. Sic enim postmodum Iudæis accidit qui cùm multo deteriores gentilibus essent: electi sunt etiam ipsi à Domino de terra sua, ad quam vsque hodie non sunt reuersi.

IN CAPVT NVMERI. XXXIIII.
iuxta literam annotationes.

Et Loquutus est Dominus ad Mosẽh. Quia iamiam erant terram promissam ingressuri, voluit Dominus Deus indicare terminos possessionis suæ, qui variis diuersis locis scripturæ describuntur, sed hic & Ezechielis quadragesimoseptimo videntur ampliores poni. Ponuntur etiam Genesis decimoquinto, à flumine Ægypti, vsque ad magnum fluuium Euphratem, & isti sunt termini longitudinis secundum rectam lineam, scilicet, à Meridie vsque ad Aquilonem. Et fluuium Ægypti aliqui putarunt Nilum, sed verius putatur alter qui dicitur Riuocorula. Iosuah primo capite ponitur terminus latitudinis à parte Aquilonari à deserto & Libano, vsque ad Euphratem & vsque ad mare magnum, quod est ab occasu Solis.

Ista est terra quæ cadet vobis in hæreditatem. Hebraismus est cadere in hereditatẽ, cadere in sortem, id est, euenisse seu contigisse & casu: si de sorte loquamur. Sic Actuum primo habes sortem super Matthiam cecidisse, id est, illi casu euenisse apostolatum, quoniã illi sorte euenerat. Non Lusitani vsq; hodie dicimus. Em mim cayo a sorte, id est, in me cecidit sors, seu mihi hoc sorte euenit, & vocamus sortem id quod nobis sorte euenit.

Terra Chenahan per terminos suos. Terra, inquit, quæ vobis cedet in hæreditatem: est terra Chenahan. Quis fuerit Chenahan, à quo terra denominata est, habes Geneseos decimo. Fuit enim filius Cham & nepos Noach. Genuit autem Chenahan Sidon à quo Sidonij Ethet à quo Chitei, & Iebussei & Emori à quo Emorrei Girgassi, & Chiuij & Harchi, & Sini Aruadi & Semari & Chamati. Qui omnes sunt populi incolentes terram promissionis, & omnes communi vocabulo appellabantur Chenanæi.

Erit vobis terminus meridiei: à deserto Sin vsque ad terminos Edom. Quod dicitur vsque ad terminos Edom, hebraicè est iuxta manus Edom, seu super manus Edom, sed accipit hebraismus frequentissimè manum pro plaga quemadmodum ferè omnes linguæ vtuntur, ad manum dextram, id est, ad plagam, & sic ad sinistram. Describitur autem hic terminus plagæ australis, non quidem linea recta, sed prout locorum exigit situs: vnde in litera dicitur statim. Et circuibit terminus ad meridiem. Describitur autem iste terminus australis Ezechie. quadragesimoseptimo à Thamar vsque ad aquas contradictionis Chades torrentẽ, vsque ad mare magnum. Hoc certum est quòd terminus meridionalis erat a mari magno vbi flumen Riuocorura illud intrabat, & transibat per Edomeam & desertum Sin, vsque ad mare Mortuum. Hic verò priori loco ponitur media pars termini meridionalis, quæ erat desertum Sin, vsque ad Edom, & putarem desertum Sin esse inter Edom & terram sanctam. Vocat autem mare Mortuum, mare Salis, non quia falsum est, sed quia omne mare dicitur falsum ab Hebræis.

Ad ascensum Scorpionum, & transibit ad Sin. Ignoratur an dictio acharabim, id est, scorpiones, sit proprium loci nomen vt Munstero placet, vel appellatiuum significans scorpiones. Et adhuc est mihi dubium an eos significet, vel potius spinas. Ponitur dictio primo Regum duodecimo, vbi dicit Roboam rex. Ego corripiam vos bachrabim, id est, cum scorpionibus vel spinis. Sic Ezechielis secundo habes. Inter achrabim, id est, scorpiones vel spinas: tu habitas. Dicitur verò hic locus ascensus scorpionum, quoniam scorpionibus & serpentibus abundabat, aut alia de causa nobis ignota. Deuteron. 8. videtur dictio, scorpionem significare vbi dicitur. Qui ambulare fecit te per desertum magnum & terribile, serpentis adurentis, ve achtab, id est, scorpionis & sitis.

Transibit Sinah, id est, *desertum Sin, & exitus eius à meridie in Chadesbarneah.* Sensus est quòd extremitas termini versus Orientem, erit ascensus scorpionum: medius verò limes ad meridiem, Chades barneah, & finis versus Occidentem, mare magnum. Alia loca quæ in litera ponuntur, sunt media inter extrema & medium. Munsterus dicit australem terræ sanctæ terminum, tribus terminis concludi, scilicet, Ægypto quæ est versus latus occidentale, Edomea quæ est media, & est australis: terra verò Moabitarum versus Orientem. Iudæi verò ex Ægypto egredientes non

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctis contendentes, ex ea versus Orientem iter fecerunt, & ferè totum latus orientale peragrauerunt, ante terræ promissæ ingressum.

Vsque ad fluuium Ægypti. Non intelligas Nilum: sed vt dictum est aliud paruum, quod dicitur Riuocorara, quod si Geographis credimus egreditur à fine deserti Sin, & intrat mare magnum: loca verò Addar & Hasinon, ignota sunt nobis.

Et terminus occidentalis erit vobis, mare magnum. Hebraicè pro occidentali, est mare. Vocat enim hebraismus occidentalem plagam mare, quoniam mare magnum erat terminus occidentalis terræ sanctæ: vocat autem mare occidentale magnum, cõparatiuè ad mare Mortuum & ad mare Tiberiadis, quæ huius comparatione sunt parua. Erat ergo terminus occidentalis promissæ terræ, mare magnũ, ab eo loco quo flumen Riuocorura illud intrat, vsq; ad illam maris oram, quę erat eregione mõtis Hor vbi occubuit Aharon, & vbi est chamat quam aliqui putãt Antiochiam. Vnde Ezechielis capite citato, ponitur terminus occidẽtalis mare magnum, vsque ad ingressum Chamath, quæ vt diximus est Antiochia.

Et iste vobis terminus Aquilonaris. Incipiebat terminus Aquilonaris terræ sanctæ à mari magno versus montem Hor, quo (vt diximus) Aharon occubuit, deinde versus Chamath quam diximus Antiochiam, deinde vsque ad Sedad: versus Zipron, ex quo versus villam Henan, quæ duo loca nobis ignota sunt. Apud Ezechielem loco citato describitur iste terminus Aquilonaris à mari magno via Chethlon, ad veniendum in Sedad quod hic ponitur: deinde ponitur Chamat, Berothali, Sibraim, quæ est inter terminum Damesech quæ à nobis vocatur Damascus, & terminus Chamath, scilicet, Sibraim. Deinde ponitur Chaser Hathicon, quæ est in termino Chauran.

Et erit terminus à mari Chasar Henon, terminus Damesech & terminus Aquilonaris terræ Israel, & ad aquilonem mundi, & terminus Chamath & plagam Aquilonarem. Hæc ex Ezechiele.

Describere facietis vobis terminum ad Orientem. Erat terminus Orientalis à villa Henan, vsque ad Sepham. Erat autem villa Henan extremus terminus plagæ Orientalis versus Aquilonem, quoniam ponitur terminus etiam Aquilonaris versus Orientem. Portendebatur autem à Sepham versus Riblah, quæ erat ab Oriente fontis, scilicet, Iordanis, seu à qua fluit Iarden & more hebraico ponit fontem pro fontibus, quoniã duæ sunt fontes à quibus flumẽ Iarden ortum habet: deinde descendebat limes ad latus maris chineret: quod Eugubius putat Genesared dictum in Euangeliis: licet in hoc à Munstero carpatur: sed revera mare est, quod nostri vocant mare Tiberiadis. Deinde veniebat limes ad flumen Iarden, quod perueniebat ad mare Mortuum, quod hic dicitur mare Salis, & constat ex hoc loco, superius per mare Salis intelligendum mare Mortuum. Apud Ezechielem loco citato, describitur ista plaga sic. Et plagam Orientalem, inter Chauran & Damesech, & inter Galhad & terrã Israel. Iarden, à termino, vsque ad mare orientale metiemini, & vocat mare Mortuum orientale.

Ad Orientem ad ortum. Posset etiam verti ad orientem vbi est ortus Solis, aut à principio ortus Solis.

Ista sunt nomina virorum qui hæreditare facient vobis terram. Non vertimus cum aliis, qui diuident, quoniam verbum nachal propriè significat hæreditare, & vocat facere hæreditare, mittere in possessionẽ vnumquemque portionis suæ.

Principem vnum: principem vnum de tribu. Sic est in hebræo & sensus bene redditur, per Principem vnũ de qualibet tribu. Creditur verò filios Israel, nũquam omnes istos terminos possediſſe, quos Iudæi decepti tempore Messiæ se possessuros sperant, quoniam vt diximus non frustra iterum apud Ezechielem ponuntur, & præcipitur terra illis distribui. Sed illos relinquamus quoniam cæci sunt & cæcorum Ducer.

IN CAP. XXXIIII. NVMERI AD componendos mores annotatio.

Et loquutus est Dominus ad Moseh. Non multa quæ moribus componendis applicari possint, nobis suppeditat caput hoc: nullum tamen est, quod non nobis aliquid boni suadeat. Dixerunt multi, terræ diuisionem esse de iure gentium: sed luce clarius ex sacris literis constat aliquot regna & terras à Domino certis gentibus concessas, vt ex hoc capite manifestum est, & ex eo quod dicitur Deuteronomij trigesimosecundo, in illo celebratissimo cantico. Audite cœli, vbi sic ad literam habetur. Quando diuidebat altissimus gentes, seu hęreditare faciebat filios Adam: constituit terminos populis, iuxta numerum filiorum Israel. Et de terra Edom quam constat dedisse filiis Esau: similiter de terra Moab & Hamon quam dedit filiis Loth.

Erit vobis terminus Meridionalis. Diuisit Dominus terras & regna, non solùm linguarum diuersitate, sed etiam altissimis montibus & rupibus, vt constat de alpibus inter Italos & Germanos, & de Pirinęis inter Gallos & Hispanos, sed tanta est quorundam hominum ambitio, vt terminos quos Deus & natura posuerunt, euertere velint, & vnam Monarchiam facere ex multis regnis. Audite Principes quid Dominus apud Isaiam dicat regi Syriæ & regi Israel, qui dilatare cupientes terminos suos: terram fœhudali occupare volebant. Non stabit (ait Dominus) neque erit, sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Resin. Et caput Ephraim Somron siue Samaria, & caput Somron filius Romeliæ. Aduerte etiam hic non esse signum dilectionis diuinæ terminos tibi extendere, largas possessiones dare & amplas domos: sed solet Dominus suos, terminis concludere.

Ista sunt nomina virorum qui diuident vobis terram. Considera diuinam prouidentiam quę omnia ordinauit, & disposuit ante mortem ducis, ne postmodum controuersia inter diuisores posset oriri. Similiter aduerte primum ducem Moseh, ferè vbique summo sacerdoti præponi: non sic verò Iosuah: sed ante ipsum nominatur Elhazar summus sacerdos. Decreuerat enim Dominus rempublicam suam per Vicarios sacerdotes gubernare de cætero potest Moseh.

IN CAPVT NVMERI. XXXV. iuxta literam annotationes.

Et Loquutus est Dominus ad Moseh, in campestribus Moab. Præcipit Dominus hoc capite dare vrbes Leuitis ministris suis, ne postmodum esset quæstio de ea re inter tribus.

Et suburbana vrbium per circuitum earum. Omnes ferè nostri verterunt hic suburbia, sed verbum significat eiicere, vt patet Exodi trigesimoquarto. Ecce ego gores, id est, eiicio hodie à facie tua Emorreum. Et Leuitici vigesimoprimo. Vgeruffah, id est, eiectam & repudiatam non accipiet. Vnde migras quod hic ponitur, significat potius exitum quàm suburbia, & vertendum esset. Dabis Leuitis vrbes & exitus vrbium per circuitum. Diximus de ea re Leuitici. 25.

Erunt iumentis eorum, & substantiæ eorum, & omni bestiæ eorum. Dubia valdè est significatio verbi rachas, & nominis rachus, quod hic vertimus substantiam. Capite enim octauo libri Hester, significare videtur reches quod est ex eadem radice certum animalium genus quod aliqui putant mulum esse. Ibi enim sic habetur. Et misit literas per manum cursorum, in equis equitantes hareches, id est, mulum aut dromedarium, filium equarum: rachus verò dicitur significare opes ac substantiam, vt habetur primo Paralipomẽ non vigesimooctauo, vbi habetur. Et principes omnis rechus, id est, substantię & pecoris. Diximus de verbi & nominis significatione Genesis decimoquarto super illud. Da mihi animam, ve harechus, id est, substantiam, scilicet, reliquam cape tibi, & sensus huius loci est. Erunt exitus seu iectiones iumentis eorum, & reliquæ

reliquæ substantiæ eorum, quæ intrare & exire debent per huiusmodi exitus. Posset etiam dici rachus significare substantiam & opes, reches verò animalia oneraria, quibus opes vehi solent.

Et metiemini extra vrbem plagem Orientalem. Antea dictum est quòd à pariete vrbis & forinsecus mille cubiti esse deberent per circuitum: nunc verò dicitur metienda duo milia cubitorum ad vnamquamque vrbis plagam, in quibus repugnantia esse videtur, sed non est si intelligas vrbem à pariete ipsius vsq; ad præfixum terminum habuisse mille cubitos, sed per circuitum inter plagam & plagam, duo milia: ita quòd ambitus seu circuitus totus continebat octo milia cubitorum & longitudo lineæ rectæ à muro vrbis erat mille cubitorum: ambitus verò vniuscuiusque tribus, duo milia. Dictio etiam peat, quam hic Sanctes plagam vertit, significat proprie extremitatem.

Erunt sex vrbes euasionis. Verbum chalat, à quo michlat, id est, euasio, significat proprie contrahere & diminuere: vnde michlat, id est, contractus aut diminutus, & verti posset. Sex vrbes contractionis, id est, ad quas contrahatur homicida. Videbatur enim ibidem contractus cùm inde non posset egredi.

A multo multiplicabitis, & à pauco diminuetis, id est. à tribu habentem plebem copiosam, pauciores auferetis vrbes: sed ab ea quæ habuerit minorem copiã plures, aut à tribu multas vrbes habẽte, multas auferetis, ab ea verò quæ habuerit pauciores, paucas.

Vnusquisque secundum hæreditatem suam. Posset verti, secundum portionem suam. Et hebraicè habetur Vir secundum os hæreditatis seu portionis suæ, quam locutionem, in hebraismis explicauimus, & est sensus prout exegerit hæreditatem suam.

Constituetis vobis vrbes, vrbes euasionis. Dubia valdè est significatio verbi charah, quod hic aliqui vertũt constituere, alij ordinare. Verbum meo iudicio significat occurrere seu accidere, vt patet Hester. 4. Et narrauit ei Mardochai omne quod charahu, id est, acciderat seu occurrerat ei, quare hic vertendum putarem. Occurrere facietis vobis vrbes euasionis, id est, facietis vt paratæ sint huiusmodi vrbes ad occurrendum homicidis volentibus euadere. Vide quæ de verbi significatione scripsimus Genes. 44. Dicunt etiam Hebręi significare contignare.

Percutiens animam per errorem. Sumitur anima pro vita, & error sumitur pro ignorantia, nollens videlicet occidere. Dictionis tamen sagag, id est, error significatio non est bene nota Hebræis: de qua Leuitici. 5. & Numer. 15. nonnihil diximus.

Erunt vobis ciuitates ad euasionem, à redemptore, id est, erunt huiusmodi ciuitates, vt homicida euadat eum qui redimere vult sanguinem occisi occidendo ipsum. Nam sicut erat apud Israelitas redemptor personæ in captiuitatem seu seruitutem redactę, & agrorum in pignus traditorum aut venditorum, ita erat redemptor sanguinis hominis occisi, scilicet, propinquus, qui eius vindicabat mortem, & poterat homicidam occidere, si eum extra vrbem refugij inuenisset.

Et non morietur homicida, vsquequo steterit coram cœtu ad iudicium. Lex noua est decernens, nullum homicidam interficiendum, donec steterit ante iudices, qui discernant, quomodo occiderit proximum suum an errore vel insidiose. Potest etiam loqui de homicida qui non sua sponte occiderat, & iturus erat ad vrbes refugij.

Tres vrbes dabitis trans Iarden. Videtur terra trans Iarden fuisse magis populosa, & plures habuisse vrbes quàm omnis alia citra flumen, postquam tot ciuitates accipiebãtur in eis ad refugium, sicut in tota alia terra Israel. Aut quia voluit Dominus huiusmodi homicidas agere, in fine totius terræ Israel, & à templo elongari, quemadmodum expectare summi sacerdotis mortem.

Peregrino & incolæ in medio eorum. Pro incola in hebræo habetur habitator, qui, scilicet, ad tempus aut perpetuo habitabat inter Israelitas, neq; sumitur medium pro vere medium: sed vt idem est quod inter eos: vt sæpius admonuimus.

Et si lapide manus, quo moriatur percusserit eum, & moriatur. Per lapidem manus, intellige lapidem à manu missum aut quem in manu habuerit, sic quod sequitur. Vel si instrumenti ligni manus, id est, ex ligno quod ex manu iniserit: vel in manu habuerit.

Propinquus sanguinis ipse interficiet homicidam. Hebraice est redemptor sanguinis: sed quia propinquus redimere solebat potestiverti propinquus pro redemptore. Et volebat lex propinquum occidere homicidam, vt saltem sic iusto dolori satisfaceret: quemadmodum iustus lætatur cùm videt vindictam. Secundo quia studelius illum torqueret. Volebat enim Dominus homicidas grauius punire cæteris.

Et si cum odio impulerit eum. Id est, si non per errorem seu ignorantiam, sed ex odio quo eum antea prosequebatur impulerit eum scilicet à loco eminenti aut vt tali modo cadat quod moriatur.

Vel proiecerit in eum. Scilicet aliquod missile, *per insidias.* Non est vsq; adeo certa significatio verbi sadah, quod Hebræi dicunt significare insidiari, à quo sidah, id est, insidiæ, quia tamen non est coniectura certa ad propriam, acceptanda est quam nobis Hebręi tradunt.

Et si casu absque inimicitijs impulerit eum. Alij vertunt si subito. Verbum patah à quo peti, id est, casu aut subito, significat proprie declinare inclinare: & peti simplicè quod facile declinet & decipiatur. Prouerbiorum primo. Vsquequo simplices, diligetis peti, id est, simplicitatem, vnde hic vertendum puto. Et si simplicitate impulerit eum: absque inimicitijs: & significatio videtur magis loco congruere.

Vel omnem lapidem quo moriatur. Scilicet miserit: eum non viderit. Id est, non aduerterit.

Iudicabunt inter percutientem & propinquum: aut redemptorem.

Quem vnxit oleo sanctitatis. Scilicet Deus, aut imperauit inungi, id est, iudicabit sacerdos.

Et occiderit propinquus sanguinis homicidam, non erit obnoxius morti. Pro non erit obnoxius morti scilicet homicida habetur in hebræo: non illi sanguis scilicet occisi homicidæ imputabitur, scilicet redemptori aut propinquo. Et ex hoc loco intelliges id quod dictum est capite 22. Exodi de occidente furem cum perfossorio inuentum, quod illi sanguines aut non illi scilicet imputabuntur. Sed discussione dignum videtur cur homicida inuoluntarius, cogebatur manere in ciuitate refugij, vsque ad summi sacerdotis obitum. Quoniam hinc periculum sacerdoti imminebat quod homicida procuraret eius mortem, aut saltem optaret. Et dicendum quòd summus sacerdos Dei vicarius, agebat partes iustitiæ diuinæ qua Deus vindictam ab homicidis expetit: & eo mortuo videbatur pars aduersa extincta, quæ vltionem pro Deo petebat, & ideo tunc omnino absoluebatur.

Omnis qui percusserit animam, secundum testes occidet homicidam. Sensus est. Omnem homicidam pereutientem animam seu personam, occidet, scilicet, Iudex secundum testes, id est, testibus adhibitis, neque sufficiebat vnicus ad damnationem mortis, & in hebræo pro secundum testes, habetur ad os testium, id est, prout testes deposuerint, occidetur.

Non accipietis pretium pro anima homicidæ. Id est, nulla erit redemptio pro vita ipsius homicidæ. Sunt aliquot Principes qui homicidæ pretio donant quod iustitiæ est, satisfactione facta partibus, quam pecuniam in captiuorum redemptionem & in alios pios vsus expendunt sed timeo hanc indulgentiam, ansam homicidis ministrare, ideò non audeo eam probare. Et in hebræo pro pretio habetur non accipietis copheir linitionem seu opertionem, quod alij vertunt expiationem. Vocat pecuniam qua redimitur occisio, operculum, quoniam operit homicidium ne videatur ad punitionem.

Qui ipse est impius, ad mortem, id est, qui impius est, & morte dignus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoniam moriendo morietur, Id est, omnino morte cur absque vlla redemptione.

Et non accipietis expiationem ad fugiendum ad ciuitatem collectionis ipsius. Id est, non accipietis pecuniam ab homicida inuoluntario vt possit fugere ad ciuitatē, sed gratis permittetis eum illuc fugere & euadere. Aut si de voluntario homicida sit sermo sensus est. Et non accipietis expiationem, scilicet, à voluntario homicida vt fugiat ad ciuitatem euasionis, aut si de inuolūtario vtrobique sit sermo sensus erit. Et non accipietis expiationem ab homicida inuoluntario, ne fugiat ad ciuitatem, neque vt ante tempus reuertatur. Sed solus primus sensus germanus videtur.

Quia gratie malū homicidium fit aduerte.

Non polluetis terram in qua estis. Multiplicant sine vlla ratione Grammatici significationē verbi chanaph id est, polluere, dicentes significare impiè agere, accipereq; personam, & polluere, cùm polluere cōgruat omnibus locis quibus verbum ponitur.

Et terra non expiatur à sanguine qui effusus est in ea nisi in sanguine effundentis ipsum. Aduertant hoc summè homicidæ ac principes mundi, & qualiter homicidia vindicent, & considerent terram sanguine humano fœdatam non expiari, nisi sanguine ipsius homicidæ.

IN CAPVT. XXXV. NVMERI
ad morum compositionem adnotatio.

Præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de hæreditate possessionis suæ. Quis non summa auiditate & voluntate, non administrabit tibi Domine Deus noster, qui tanta solicitudine procuras seruis tuis necessaria vitæ: vt eis tacentibus neq; petentibus, tu eis petas vrbium habitacula, & campos ad recreationem? Aduertant etiam seculares quomodo de bonis suis teneantur dare ministris dei, non solùm decimas ad comedendum, sed etiam vrbes ad habitandum. Est & aliud quod hic minister Dei aduertere debeas, qualiter voluerit Dominus, ministros suos seorsum vrbes habere, ne sese negotiis seculatibus implicarent, quare non immeritò solas vrbes ad habitandum non prædia non vineas aut olineta, concessit: vt scirent soli Domino vacandum eis esse, solumque colendum. Sit ergo bone sacerdos Deus tuus ager tuus, vinea & prædium tuum, quem summa diligentia colas, quādo nihil terrenum est, vnde tam copiosos fructus colligere possis sicut ab eo. Et licet prædia subtrahantur Leuitis, non tamen necessaria iumenta. Qua ex causa deploranda esset nunc sacerdotum auaritia, qui maiori solicitudine quàm seculares diuitias quærunt & turpis quæstus gratia, omnia venalia faciunt.

Ex vrbibus quas dabitis Leuitis, sex vrbes erunt euasionis. Fuerunt semper & esse debent loca sacra, & sacri viri, præsidio huius qui sine culpa diuexantur. Similiter crederem in hoc factum, vt huiusmodi homicidæ ex Leuitarum conuersatione fierent meliores, vt sciāt Dei ministri tales esse debere, quibus facile credantur homines impij, vt eos ad meliorē conuertant frugem.

Fugiet illuc homicida, qui hominē occiderit per errorem. Detestatur dominus maximè homicidia, vt eum etiam qui per errorem occideret hominem, exilio relegādum putet, & si homicidia quę quis sine vlla culpa commisit, sic, à Domino castigantur, quid faciet illis, qui insidiose & studiose fratrem occiderint?

Quanta gratitate homo ad mortem damnandus

Non morietur homicida, donec steterit ante congregationem ad iudicium. Admonemur hic quanta grauitate & maturitate, tractanda sit hominis etiam facinorosi occisio: vt nullo pacto non præuio iudicio & consilio fiat. Nam quemadmodum voluit occisorem occidi: ita noluit eum inconsideratè pœnas dare, neq; voluit in re tam graui, vnicum sufficere testem.

Filiis Israel & peregrino. Quemadmodum peregrinus onera vrbis & loci in quibus viuit, subire cogitur, ita æquum est vt locorum gaudeat immunitatibus & priuilegiis.

Et si instrumento ferreo. Solent homines peccata sua in instrumenta iactare. Ferrum, inquiunt, aut lignum fecit, quæ omnia hic excluduntur. Parui enim ad peccatum refert, quo illo instrumento operetis.

Redemptor sanguinis, ipse interficiet homicidam. Quemadmodum propinquus tenetur propinquū protegere, nutrire & fouere, ita & vindicare, volūtq; Dominus eum iusto dolori, vindicta inimici satisfacere. Et videtur illo tempore consanguineis ac propinquis concessum, occidere homicidam propinqui, si alicubi eis occurrisset, neq; propterea propria authoritate occidebat, sed legis, quæ non solum permittere sed etiam hoc præcipere videtur.

Et ipse non erat inimicus ei. Præbet hic lex coniecturas, ex quibus animum nocentis vel innocētis cognoscas. Ex quibus constat Iudicem aliquando ex coniecturis, iudicare debere.

Eruent congregatio homicidam, de manu propinqui sanguinis. Quemadmodum Iudicis est, culpabilem homicidam punire, ita & innocentem à periculo seruare: præsertim quando inimicus ad manum est, qui potest nocere.

Manebit in vrbe euasionis, donec moriatur summus sacerdos. Quid Domine sacerdoti summo, cum homicida: vt eius mortem debeat expectare ad sui liberationem: Ostendere voluit Dominus quantum abhorrere debeat sacerdos homicidia etiam inuoluntaria. Similiter quā polluat hominem homicidium perpetratum: vt nullo pacto esse possit, vbi est Domini sacerdos.

Si egrediendo egressus fuerit homicida terminos vrbis euasionis suæ. Hinc ortam puto apud Christianos ecclesiarum immunitatem, cum terminis suis, neque esse damnandam: modo non admitterent nisi eos qui merito admittendi essent: aut qui ex errore peccarent, quemadmodum dicitur hic.

Ad os testium occidetur homicida: & testis vnus non testificabitur in animam vt moriatur. Habes hic primordia legum, omnium principum: de testibus adhibendis in causis & de numero eorum: esse que de iure diuino neminem sine testibus damnare, neq; alterum sufficere ad alicuius damnationem.

Non accipietis expiationem pro anima homicidæ, qui est impius, vt moriatur: sed moriendo morietur.

Valde timendæ sunt huiusmodi expiationes: in locis & regnis vbi cędes multiplicantur, ne in immēsum crescant. Audi quid actum est cum rege Achab, quoniam non occidit Syrię regem qui mortem commeruerat. Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius. Sic & Saul pœnas meritas dedit, quoniam pepercerat Hamalechitarum regi & rebus: priori Semuelis. 15. Quidam ex nostris nuper de hac re, vulgari Lusitano tractatū edidit, in oppositam partem decernens, quem miror hanc omisisse legem, & timeo ne fortè hoc egerit ad conniuendum principi, ex cuius beneficio viuebat. Non tamen damno posse in casu fieri particulari, in quo interficiendus, reipublicę necessarius esset. Neq; in solis homicidiis nō admittit & reiicit lex diuina redemptionem: sed neque in proscriptione vel exilio, vt statim sequitur: vnde videtur lex diuina sentire, nullo pacto esse redimendas pœnas ac punitiones delinquentium, ne iustitia fiat venalis, & pro nihilo reputetur.

1. Reg. 20.

Quām periculosa caussa vindicatio.

Terræ non erit expiatio, propter sanguinem qui effusus est in ea: nisi per sanguinem illius qui effudit illum.

Dura & terribilis valdè est sententia hæc, & quam maximè principes formidare deberent, ne permitterēt homicidas viuere. Lubet tamen hic ex Hebræis afferre, quę ipsi de huiusmodi refugij vrbibus, scriptis mandauerunt, de quibus tradunt omnia hæc. Primum debere esse sex, tres videlicet citra Iarden & tres alias vltra illum, vt colligunt ex hoc capite, & ex. 19. Deuteronomij. Vltra Iarden fuerunt Basar in deserto Chamoth, Gilhead & Golen in Basan, tres verò in terra Chenāan fuerunt, Sichem in monte Ephraim, Chadesch in mōte Nepthalim, Chebron in Iehudah. Secundò distabāt hæ ciuitates æqualiter adinuicem. Tertiò viæ quæ ad eas ducebāt complanatæ erant: vt nullum esset obstaculum quod homicidam in via impediret.

Quartò

Quartò in biuio aut triuio, stipes erat erectus, in quo scriptum erat miliar vt fugientem dirigeret in eam viam, quæ ad refugij ducebat ciuitatem. Quintò has vrbes oportebat non nimis amplas esse neque paruas, non quidem paruas ne necessaria ad vitam deficerent, non nimis magnas, ne inter frequentiā hominum latere posset sanguinis occisi redemptor. Sextò oportuit eas esse in loco, quo esset aquarū copia. Septimò erant in loco vbi nundinæ frequenter habebantur, quo necessaria facilius habere possent: sed hæc falsa videtur, quoniam inter huiusmodi veniētes ab omni parte ad nundinas facilè latere posset sanguinis vltor. Octauò oportuit multos in vrbis vicinia pagos fuisse, ad arcendum aduersarium si venire contingeret. Nonò accersendi aliundè erant sacerdotes & Leuitæ incolę, si ciuitas incolis esset destituta. Decimò non licebat in his vrbibus arma fabricare venatoria aut bellica, neq; retia aut funes, ne fortè redemptor sanguinis, illuc intraret gratia aliquid emēdi, sed hæc etiam fictitia est, quoniam oportebat eos habere arma ad defendendum homicidam, quæ melius ibi fierent quàm aliundè deferrentur, & si non licebat ibi arma fabricare, ne vindex sanguinis illuc veniret gratia emendi, quomodo oporteret ibidem nundinas frequēter celebrare, ad quas facilius & magis simulatè venire possent vt aliquid emerent? Vndecimò oportebat vrbis ciues opificium aliquod homicidæ parare, vnde posset viuere. Duodecimò, si homicida erat discipulus, oportebat simul cum eo magistrū exulare, modò discipulus studiosus esset. Sed hæc etiam fictitia est. Si verò fuisset Rabbi, omnis sua schola eum sequi tenebatur. Terciodecimò iungebantur homicidæ duo aut tres viri sapientes vię comites, qui eum verbis defenderent. Sed etiam hęc nullius momenti esse videtur. Quartodecimò omnis homicida siue voluntarius siue per errorem occidisset, admittebatur vsque ad causæ discussionem. Sed etiam hanc arbitror fabulosam & contra textum hic, quoniam ad eas debebat cōfugere qui per errorem occidisset, & putarem prius causam discuti, quàm iste iret ad ciuitatem refugij. Quintodecimò dicunt consilium quo causa discutiebatur fieri in loco vbi homicidium patratum fuerat, ad quam è ciuitate refugij accersebatur homicida, & si studiosè occidisset, statim à magistratu occidebatur, sin minus, ad vrbem refugij securus mittebatur. Sextodecimò homicida non solùm in vrbe: sed etiam intra vrbis terminos poterat ambulare. Decimo septimò, non poterat ex ea vrbe, ante summi sacerdotis obitum ad suos redire. Decimooctauò, ad suam vrbem homicida reuersus, ad omnia munia & officia admittebatur. Tradunt etiam Hebræi, summorum Pontificum matres, exulantibus homicidis frequenter munera misisse, & alia contulisse bona, quo minus summi sacerdotis obitum optarent, quòd si homicida in ciuitate refugij aliquem occidisset, inde in aliam migrare tenebatur statim. Dicunt etiam Deum ideò nō fuisse homicidā agere in eo loco quo ageret summus sacerdos, quoniā homicida abbreuiat hominum dies: summus verò Pontifex prolongat: vnde nō est æquum vt simul versentur prolongator & abbreuiator viræ. Item quia homicida contaminat terram, & remouet maiestatem diuinæ presentiæ: summus verò Pontifex mundat eam, & occasio est præsentiæ maiestatis diuinæ. Hæc ex Hebræorum scriptis in quibus meo iudicio multa conficta ac mentita habentur, quæ breuibus retulimus, vt videas quales harum rerum artifices sint nostri temporis Iehudæi: sed iam ad alia.

IN CAPVT. XXXVI. NVMERI
iuxta literam annotationes.

ET accesserunt principes patrum. Deciditur hic à domino casus dubius, quoniam fraudati videbantur filij Manasseh hæreditate sua, & proponunt causam suam coram Mosch & patribus.

Domino meo præcepit Dominus. Iam Moseh dominum vocant, quoniam de hæreditate agebatur. Et aduerte istos causam suam ideò proposuisse, quoniam videbant cæteras tribus contendere super matrimonio istarum fœminarum, vt earum haberent hęreditatem. Et potest legi Domino meo præcepit Dominus, & Domine mi, præcepit Dominus, & secunda lectio magis mihi probatur, quoniam in litera non additur Lamed nomini Adonai, quod est Dominus.

Et diminuetur hæreditas earum. Verbum gāra, potius significat auferre, quàm diminuere & sic verbum Hieronymus vertit Ezechielis. 16. vbi alij vertunt. Et egra, id est, diminuā statutum cibum tibi, Et auferam statutum cibum. Sic Ieremiæ. 48. vbi alij vertunt. Omnis barba geruah, id est, diminuta, ipse vertit rasa seu ablata. Et Iob. 36. Non ligra, id est, prohibebit vel auferet à iusto oculos suos, quod magis quadrat quàm non diminuet. Idem eodem capite. Quum iegara, id est, prohibuerit vel abstulerit stellas aquarum. Si tamē diminuere vertas non contendam, melius tamen vertendum puto. Et deficiet seu auferetur hæreditas earum, de hæreditate patrum nostrorum.

Et ciam fuerit Iobel. Sensus est. Tolerabile esset hæreditatē harum à nostra tribu modò tolli, si esset spes quod tempore Iobel restitueretur nobis: sed cùm istæ fœminæ ire debeant ad alienam tribum, nunquam earum hæreditas restituetur nobis. Ideò dicunt illarum hæreditates perpetuò auferendas à tribu sua. Dicitur autem Iobel à iabal quod est ducere, fortè sic dictum quasi ductum seu extensum: siue pro cornu accipiatur siue pro anno: sed melius pro anno quoniam ad quinquaginta annos extendebatur, cornu verò sic dictum puto, quòd eo anno cornibus arietinis clangebatur, aut quia vt diximus extensum est, qua de causa appellatum puto riuum aquarum Iebel à productione & iabelet, id est, verruca quod producta sit.

Vt bonum est in oculis earum, erunt in vxores, id est, vt eis placuerit viros accipient, aut cui libuerit erunt in vxores, modò sint de earum familia.

Et non vertetur. Aut circuibit, quoniam sabab hoc significat: licet etiam significet verti.

Quoniam vir in hæreditate tribus patrum suorum adhærebunt, in filios Israel. Non præcipitur vt omnis Israelita accipiat vxorem de tribu sua, quoniam hoc nō fuit præceptum Israelitis: sed redditur ratio prioris legis qua dictum est. Tātum in familia patrum suorum erunt in vxores: vbi præcipitur quod fœminæ habentes hæreditatem, non solùm nubant viris suæ tribus, sed familiæ suæ, quo facto vir adhęrebit in Israel in hę reditate tribus patrum suorum. Si enim acceperit vxorem familiæ suæ, habentem hæreditatem isto modo non recedet hæreditas à familia sua.

Et omnis filia hæreditate accipiens hæreditatem, de tribubus filiorum Israel alicui de familia tribus patris sui erit in vxorem. Non extenditur lex ad quamlibet filiam, sed ad habentem hæreditatem & hęc iubetur virum accipere de familia sua, ne hæreditas vnius tribus in aliā transeat. Et quia secundum legem, filia non erat hęres extante filio, non prohibebantur fœmine vnius tribus nubere viris alterius, nisi essent hæredes, sicut neque masculis prohibetur hic, accipere vxores de tribu aliena. Vnde Leuitæ quia non habebant hereditates, vxores ex aliis tribubus accipiebant, sicut legimus de Aharone qui cùm esset de tribu Leui, vxorē accepit filiam tribus Iehudah, scilicet, Iochabeth vt Exodi. 6. dictum est. Aliqui voluerunt ex illa lege. Quoniam vir hæreditati tribus patrum suorum adhærebunt habere, viros non posse accipere vxores ex aliis tribubus, quem sensum videtur sequi vulgatus Interpres, sed prior videtur germanior, quem etiam probat vsus Israelitarum.

Ista sunt præcepta & iudicia. Admonui sæpius nomen sauah, id est, præceptum, sonare limitationem & coarctationem, mispat verò, iudicium quatenus aliquid decernit.

In manu Moseh, id est, eo intermedio, seu eius opera.

In campestribus Moab. Melius in confinibus seu coniunctionibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceur, id est, explicatio, declaratio, & beer, id est, puteus seu fons, sic dictus à claritate aquæ aut ab apertione quòd videlicet omnibus sit apertus.

Multum vobis habitare in monte isto. Id est, diu in hoc monte, scilicet, Sinai aut Choreb, habitastis, seu morati estis. Manserant enim ibi ad annum cum mense & viginti diebus computando tempus quo venerunt ex Ægypto vsque ad Sinai, vt dicitur Numeri decimo.

Vertite vos & proficiscimini vobis, & ite in montem Æmorræi. Diuerterant Hebræi vtcunq; à recta via, venientes versus montem Choreb, quoniam voluit Dominus eos ducere in desertum, vt ibidem sine vllo bellorum strepitu, & cum maxima tranquillitate, legem eis daret, & eum eis paciscereturr, ideò fecit eos vtcunque diuertere: expletis ergo his quæ in monte agenda erant anno, minus decem diebus: præcepit Dominus eos vertere se ad rectam viam, à qua diuerterant. Venit enim Israel ex Ægypto vsque ad Sinai duobus mensibus. Nam mense tertio, scilicet, inchoãte vt reor, peruenerunt ad desertum Sinai vt dicitur Exodi, 19. & inde recesserunt anno. 2. mense. 2. vigesima mensis, vt dicitur Numeri. 10. vnde constat Deum post annum & duos menses ab egressu ex Ægypto voluisse tradere Iudæis terram promissam, si illi ingressum suis peccatis non impedissent. Cum enim mense secundo secundi anni ab exitu ex Ægypto 20. mensis à monte Choreb discessissent versus promissam terram, & inde ad Chades barneah vnde incipit mons Æmorræi, sit iter vndecim dierum vt hic explicatur: sequitur Deum eis tradere voluisse post annum & duos menses vel circiter promissam terram.

Et ad omnia vicina eius. Verbum sachan à quo sachen, quod hic vicinum Interpretes vertunt, significat proprie habitare: vnde posses hic vertere. Et ad omnes habitationes eius seu cohabitatores, quia tamen hebraismus vocat vicinos cohabitatores. Exodi. 12. non improbo si vicina vertas. Habes Prouerbiorum. 27. Melior est sachen, id est, cohabitator propinquus, quã frater longinquus.

In solitudine. Dictio arabah significat proprie confinium, seu locum vbi coniunguntur & miscentur termini, ab arab quod est miscere & cõiungere: vnde verti posset *ad confinia ad montes ad valles.* Dictio sapal humiliare significat, & sapelah vallem ab humilitate.

In portu maris. Id est, ad portum, & putarem melius vertendum ad sinum maris, quoniam verbum hapah significat tegere, operire. vt patet infrà. 33. vbi dicitur copheph, id est, tegens eum, & inde coph, id est, sinus maris sic dictus, quòd tegat & protegat naues & nautas. Dicit autem ad sinus maris, scilicet, magni, de quo est sermo, quoniam vna pars terræ promissionis quæ cessit tribui Zabulonis: erat ad sinum maris magni: vt patet Genesis. 49.

Ad Libanum. Mons fuit in terra promissionis, protensus à mari magno versus Orientem terræ sanctæ, & etiam versus flumen Perat.

Vsque ad flumen flumen Perat. In hebræo non ponitur magnum, quod tamen hic omnes addunt, fortè propter geminationem. Significatur autem per nomẽ Perat flumen Euphratem quod termimat terram promissam à parte Aquilonari licet extendatur vtcunque vltra flumen.

Vide, Dedi coram vobis terram. Vtuntur Hebræi verbo vide ociosè aliquando, quemadmodum nos Lusitani. Dicimus enim. Olha, faze isto desta maneira, id est, Vide & hoc isto modo fac: vbi aut ociosè aut pro considera seu attende ponitur. Sic & hic. Vide, id est, attende, quod videlicet dedi coram vobis terram vt, scilicet, possideatis eam.

Dominus Deus patrum vestrorum addat super vos, sicut vos, mille vicibus. Sic in hebræo est, sed sensus bene effertur per sicut estis. Posset etiam explicari, addat super vos sicut vos, id est, alios vobis similes in multitudine. *Quomodo feram solus, laborem vestrum, & onus vestrum, & lites vestras?*

Non plene cõstat quid proprie significet tarach à quo thorah, id est, labor. Iob. 37 videtur significare grauare, vbi dicitur. Etiam propter irrigationem iat riach, id est, grauabit vel laborare faciet nubes, scilicet, pluuia. Et nomen Isaiæ primo. Fuerunt mihi latthorach, id est, ad fatigationem. Hieronymus. Facta sunt mihi molesta, & vertit hic negotia vestra: vnde thorah videtur significare grauamen, aut laborem, quia grauat homines. Sequens verò dictio, scilicet, massaachem, id est, onus vestrum, propriè onus & id quod portatur significat: à nassa quod est leuare, portare. De tertia, scilicet riuechem, id est, litem vestram nulli dubium est significare litem & cõtentionem, & putarem per laborem intelligere laborem in ducatu eorum, per onus verò importunitates eorum, per lites autẽ contentiones & rixas. Putant autem Hebræi per istas tres voces officiũ principis & magistratus significari, quorum primũ est vt ius dicat litigatoribus, quæ prouincia, plena molestiæ est. Alterum est de cõmeatu prospicere, & victui vt de carnibus & aliis vitæ necessariis. Postremum curare vt priuati, sine mutuis iniuriis & tranquille viuãt, quę omnia molestiis & angustiis plena sunt.

Date ex vobis viros sapientes & intelligẽtes & peritos Difficilè est horum trium nominum, scilicet, chacham id est, sapiens, nebonim, id est, intelligentes, & ieduim id est, scientes discrimen explicare, quantum tamen ex coniecturis nosse datur videtur prius significare prudentem, scilicet, ad consilia. Secundum verò eum qui penetrare nouit res & scit inter eas discrimina constituere, vnde ben, id est, inter quod discrimen importat. Tertia verò videtur sapientem ex experientia seu eum qui multa expertus est significare, vnde fit sapiens, & de his diximus quod nobis videbatur in fine canonum quos operi præfiximus. Latini autem dicunt prudentem, qui sua scientia aliquid cognoscit: scientem verò qui alterius indicio rem percipit longo sermone. Rabbini horum discrimina inuenire laborant, sed quia nõ ex radicibus à quibus petenda est petũt toto errãt cęlo.

Ponam eos capita vestra. Vocat Hebraismus principes capita, quoniam quemadmodum capitis est cetera membra corporis gubernare: ita & Principis subditos suos, qui sunt veluti membra in humano corpore, aut quia sunt cæteris superiores quemadmodum caput cæteris membris.

Bonum est verbum quod loqueris ad faciendum, id est, bona est res, aut bonum est facere quod loqueris vel dicis. *Et præfectos de tribubus vestris.* Non plenè constat quid proprie significet nomen soter, quod hic vertimus Præfectum, quod enim non sit proprie Iudex constare videtur ex capite. 16. huius libri, vbi dicitur. Iudices vesoterim. i. prefectos, nisi dicamus significare minores seu inferiores Iudices. Ex verbis scripturæ Iosuah. 3. vbi dicitur. Transierunt sotherim. i præcones aut præfecti per medium castrorum, videtur istos fuisse præcones. Et meo iudicio agebant isti quod apud nos agũt illi quos dicimus alcaides, meirinhos qui scilicet, homines capiunt & ad carceres ducunt, & implẽe ea quæ à Iudicibus imperantur, tamen ex loco citato Iehosuah videtur fuisse inferiores Iudices, quoniã ibi dicitur. Iudices & prefectos ponẽs tibi in omnibus portis tuis, & iudicabunt populũ, secundum iudiciũ iustũ vbi dicitur eos iudicaturos & cõstat revera fuisse Iudices. *Non cognoscetis faciem in iudicio.* Hebraismus est: cuius sensus est. Non peruertetis iudicium alicuius intuitu. Hoc est enim faciem in iudicio cognoscere, alicuius faciei gratia vel intuitu iudicium inuertere, aut facere discrimen in reddendo iure aliquibus, cùm iustitia debeat esse æqualis: vt si ex eo quod quis est diues aut pauper, des palmam in iudicio, aut quia cõsanguineus vel extraneus, aut quia amicus aut inimicus, quæ te Prouerbiorum. 24. dicitur Hacher panim, id est, cognoscere faciem in iudicio, malum est, id est, iudicium inuertere, intuitu alicuius personæ. Aduerte etiam, verbum nachar, id est, agnoscere contraria habere significationes, quemadmodum chataa, id est, peccare. Sicut enim chata significat peccare & à peccato expiare, ita &

ita & nachar significat agnoscere, & occultare se seu occultari. Exempla habes primo Regum vigesimotertio, vbi habetur. Et dixit Saul Nichar hotho, id est, clausit eum Dominus in manu mea, aut occultauit. Et primo Regum. 14. Et ipsa mitnacherah, id est, occultauit se ne agnosceretur. Nos dicimus desconheceose. Idem Gene. 42. Contrariæ verò significationis exemplum hic habes & Iob. 34. vbi dicitur. Non nichar, id est, agnitus est dines ante pauperem. Et Threno. 4. Non nicheru. i. fuerunt agniti in plateis. Et infra. 33. Fratres suos non hichir, id est, agnouit. Et Gene. 27. Non hichiro, id est, agnouit eum.

Sicut paruum, sic magnum audietis. Non timebitis à facie viri, quia Dei iudicium est. Explicat hic textus hebraismum precedentem, quid sit dictu. Non agnoscetis factem in iudicio, quod, scilicet, sit audire paruum sicut magnum, & neminem timere: & aduerte causam quia Dei iudicium est. Cùm enim Iudex iudicat, debet considerare se agere vices Dei, qui est omnium Iudex, & quemadmodum Deus in iudicando non respicit faciem seu personam hominis. Cùm apud eum non sit personarum acceptio, neque timet aliquem: ita debet facere Iudex dum iudicat: quod vtinam Iudices considerarent, ne iudicium peruerterent. Puto autem hic Hebræos grammaticos duas radices confundere, scilicet, gur quod est peregrinari, & iagar quod hic ponitur, & significat timere: vnde taguru, id est, timebitis quod hic ponitur, potius pertinere videtur ad iagar, id est, timere quam agur, id est, peregrinari: vbi nota duas optimas Iudicis conditiones, scilicet, non respicere alicuius personam, neque timere alicuius potentiam.

Quæ grauior vobis, referetis ad me. Id est, causa quæ aut scientiam aut potentiam vestram superauerit, referetis ad me, aut quam ob sui difficultatem decernere non potueritis.

Ne timeas, & ne frangaris. Significat proprie verbum chatat frangere & cõterere: vt patet Iere. 50. vbi dicitur Chat, id est, fractus animo est. Et capite eodem Chatu, id est, fracta sunt idola eius. Quidam addunt significare etiam pauere, quod non probo.

Mittamus viros ante nos, qui explorent nobis terram. Numeri. 13. dicitur Deum Mosch præcepisse viros mittere: hic verò hanc culpam in populum reiicere videtur Mosch, quasi eorum victus importunitate, exploratores miserit. Ad quod dicitur eos primum importunè hoc petiisse à Mosch, postmodũ verò Deum hoc permisisse. Aduerte autem verbum chapar quod hic explorare vertimus, significare propriè scrutari, & ex consequenti effodere, quod nihil aliud esse videatur quàm terræ scrutinium. Significat etiam erubescere, quòd erubescens scrutari soleat loca quibus se abscondat, & velit quasi effodere se. Iob. 39. vbi de aquila sermo est dicitur. Inde, scilicet, ex alto chapar, id est, scrutatur escã. Et Gene. 21. Chaparti, id est, effodi puteum hunc. Item Psal. 34. Facies eorum non Iechparu, id est, sunt essossæ seu non erubuerunt.

Et verterunt se, scilicet, à nobis aut versus terram Chenãan.

Et attulerunt ad nos. Melius & descendere fecerunt ad nos, quoniam verbum iarad descendere significat potius quàm afferre.

Et irritastis os Domini Scilicet, non volendo ascendere vt ipse imperauerat, ac si dicat, Irritum fecistis imperium Domini. Sed aduerte quòd verbum marah quemadmodum marar, significat propriè amarum reddere aut amarum fieri: vnde vertendum est. Et amaritudine affecistis os Domini. Amarum enim valdè est imperanti, cùm eius imperio non obtemperatur.

Vt perdere faceret nos. Posset etiam verti: vt consumere faceret nos. 2. Semue. 21. Qui cogitauit de nobis quod nisi madnu, id est, cõsumeremur. Et infra ca. 6. Hismidecha, id est, consumet te à facie terræ.

Etiam filios Hanachim vidimus ibi. Diximus de Hanach & filijs eius supra Numeri decimotertio, quem locum consulere licebit.

Ne paueatis & ne timeatis ab eis. Verbum arar quod pauere vertimus, significat timere & secundo rigescere, quòd homines ex metu aliquando rigescãt: vt Psalmo decimo. Non addet vltra Iaaros, id est, roborare se homo de terra, scilicet, contra deum Et Isa. 47. Si forte taarossi, id est, roborare fàcias te. Significatio tamen non plenè nota est Hebræis: vnde hic verti posset. Ne indures te seu robores te, scilicet, contra Dominum, resistẽdo eius imperio & ne timeas, scilicet, hostes, aut non rigescas ex timore, neque paueas, scilicet, hostes.

Quemadmodum portat vir filium suum. Portat vir filium suum prouidendo illi necessaria, & ducendo ipsum, & si paruulus est super brachia sua, quæ omnia fecerat Dominus Iehudæis.

Vt videretis viam per quam ambularetis. Constat ex hoc loco Israelitas, nonnunquam noctu per desertum incessisse præuia columna ignis.

Quia impleuit post Dominum. Id est, perfectè Deum sequutus est, seu in omnibus Deum sequutus est. Explicuimus locutionem Numeri decimotertio. Alij enim exploratores laudarunt simul & vituperarunt: seu male audire fecerunt terram, ille verò commendauit solum. *Implere post Dominum quid.*

Etiam in me iratus est Dominus propter vos. Difficultatem habet sententia hæc, quia dominus non propter populum sed propter propriam incredulitatem in Moseh iratus dixit: cum non ingressurum. Dicendum quod propter vos, nõ est hic idem quod propter peccatum vestrum, sed idem quod propter regimen & ducatum quo vos rego & dirigo, aut quod verius credo quia consensi in missione exploratorum rogatus à populo, & fortè propter hoc non intrauit ipse & propter propriam incredulitatem non introduxit populum.

Etiam tu non intrabis ibi. Videntur verba Mosch sonare sibi ingressum terræ denegatum propter peccatum populi in Chades barneah: sed credẽdum est non solum propter eos sed propter propriam incredulitatem vt dictum est Numeri. 20.

Iehosuah filius Nun qui stat coram te. Aduerte hebraismum per stare, aut stare coram aliquo, intelligere ministrare. Nam stare coram aliquo Hebræis est ministrare. Solent enim ministri Dominis astare, parati ad omne ministerium, quod vulgarus Interpres optimè intellexit & reddidit dicens. Sed Iehosuah filius Nun minister tuus. Vnde cum Gen. 18 dicitur de Abraham quod stabat iuxta angelos, nõ intelligas eum ibi otiose stetisse, sed quasi ministrum ad omnia ministeria paratum, vnde verti posset, ministrabat, quod Onchelos ibi optimè reddidit vertens. Ipse verò ministrabat eis, sub arbore.

Ipsum robora. Schema hebraicum est roborare aut confortare aliquem, significans verbis & admonitionibus eum animare ad aliquid strenue agendum. Solẽt enim admonitiones, hominem fortificare vt audeat ea quæ antea formidabat vt habes apud Iob. Ecce docuisti plurimos & manus lapsas roborasti cadentem erexerunt sermones tui. *Iob. 4.*

Filij vestri qui non cognouerunt hodie bonum et malũ. Etiam hæc locutio ad schemata hebraica pertinet, significans non habere vsum rationis seu discretionẽ ad discernendum, & vult dicere quòd illi quos illi prophetabant occidẽdos neq; intraturos. s. parulos intraturi essent: non autem ipsi qui se ingressuros sperabant.

Voluistis ascendere in montem. Ignorant Hebræi quid propriè significet haian quod vertimus voluistis, putant autẽ significare velle quia textui quadrare videtur Dictio non alibi quã hic in scriptura reperitur. Aliqui putant esse à radice Hen, id est, ecce, & significare animi promptitudinem. Est etiã ab eadem radice. Hin liquidorum mensura. Onchelos vertit Cœpistis ascendere: sed prior significatio magis arridet, siue radix sit Hin siue Hanah. *Amaritudine afficistis os Domini. ne afficere*

Sic melius & germanius vertas, quàm irritastis, vt *os Dominũ* hoc eodem capite admonuimus, & amaritudine affi- *est illi re-*
cere os Domini, est imperio eius non obtemperare. *bellare.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et superbè egistis, & ascendistis in montem. Significat verbũ zud intumescere & superbire, quod probat nomen azedonim quod ponitur Psal. 124. vbi dicitur. Aquæ hazedonim, id est, intumescentes Et Exodi. 18. Eò quòd hazedu, id est, superbè egerunt contra eos, Sanctes vertit, Temeratiè egistis.

Perfecuti sunt vos quemadmodum faciunt apes. Explicatur hic quomodo Æmorræi persecuti sunt Israelitas, coniungendo se simul aduersus eos quemadmodum faciunt apes, ei qui mel earum accipere vult Sic Psal. 118. habes. Circundederunt me chidborim, id est, sicut apes, Et aduerte dabar esse radicẽ deborah quod apem significat cuius allusionem ad verbi significationem quæ est loqui, nõ aliam video, quam quòd sibilationem seu sibilum emittunt ad modum murmuris.

Mansistis in Chades diebus multis, secundum dies quibus mansistis. Putant Hebræi populum tot annis mansisse in Chades, quot mansit in omnibus aliis mansionibus, nempè annis decem & nouem, vt dicit liber Seder Olam. Possumus tamen literam simpliciter intelligere vt sit sensus. Diebus multis mansistis in Chades, & tot quotquot illi fuerunt, neque illos numerare refert nunc.

IN CAP. I. DEVTERONO. AD ad morum compositionem annotatio.

Hæc sunt verba quæ locutus est Moseh, ad omnem Israel, trans tarden. Quid bone Deus, tam curiosè vis, hæc loca describi, quibus seruus tuus ad populum tuum locutus est? Admonui in Exodo neque sæpius admonuisse pigebit, voluisse cùm dominum rum sanctos loca quibus populum admonuerunt ex parte Dei describere & adnotare, vt si postmodum rebelles causarentur, se non admonitos, loca ipsa quæ tam ambitiosè describunt, in testes vocarentur: ac eos admonitos testarentur. Si enim homines lapidum cumulos & statuas quas erigunt in testes fœderis vocant quemadmodum legimus de Iacob & Laban Gene. 31. qui cumulum lapidum quem statuerãt, cumulum testimonij vocarunt, quare hoc non licebit Deo?

Vndecim dierum iter est à Choreb vsque ad Chades barneah Est aliqua voluptas, merita ingratis exprobrare vt Poëta dicit quemadmodum ei, qui sua culpa bona magna amisit, vt ea de cetero manu teneat & cõseruet. Poterant illi quàm citissimè sedes sibi a Domino paratas acquirere, nisi sua culpa perdidissent. qua in re etiã docemur beneficia tam hominum quàm dei acceptare quamprimum nobis offeruntur, quoniã postmodum contingit benefactorem manum suam retrahere & beneficia multis modis impediri.

Postquam percussit Sichon regem Æmorræi. Disce ex hoc loco prudentiam sancti viri, vt quem volueris legibus astringere & obligare, prius beneficiis exhibitis disponas. Facilè enim homines illorum iugum admittunt, quos prius beneficos sentiunt.

Satis habitastis in monte isto. Expende quæso pietatem Dei, vt non patiatur bona promissa differri, aut suos in malo loco detinere. Non petit ipsi locum mutare, deserto contentantur & squalore: ipse vero curat eos inde educere, & ad amœniora loca perducere, & vide quomodo eos inuitat. Venite, inquit, & possidete terram, quam iurauit Dominus Patribus vestris. Sic & in Euangelio Christus. Venite, inquit, benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis ab origine mundi paratum est. Sed expende discrimen. Illi Iudæi vocantur ad terram & terrenam mansionem post promissionem seruandæ legis, illi vero post adimpletam, vocantur ad cœlum. Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare. Sitiui & dedistis mihi potum: vbi vides quàm distinctum sit præmium promittẽtis & implentis legem. Sed licet illi vocentur ad promissam terram promissa lege, non tamen ob solam promissionem sed propter obseruantiam Patrum. Audi quid Dominus dicat sancto Isaach. Multiplicabo (inquit) semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis vniuersas regiones istas, & benedicetur in semine tuo omnes gentes terræ. Sed quare? Nunquid ob promissam legis obseruantiam? Minime. Sed quare? Eò (inquit) quòd obedierit Abraham voci meæ & custodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legesque seruauerit.

Matt. 25.

Gene. 25.

Dominus Deus vester multiplicauit vos. Omnia hæc auditorum benevolentiam conciliare solent & amorem, quæ inter doctorem & eos quos docet, summe necessaria sunt.

Quomodo solus feram laborem vestrum? Licitum est Principi ac Prælato, onus ac solicitudinem suam diuidere, & in alios partiri: præsertim cùm hoc viderit reipublicæ suæ expedire.

Date viros sapientes. Non debet Princeps, populo quos voluerit ipse præficere: sed quos populus peticrit & obtulerit, qui eorum mores nouit, & etiam vt amore ducantur, & expende. Populus offert Principi coadiutores, sed Princeps statuit & prefigit illis conditiones quas debẽt habere qui prefeiendi sunt, vt scilicet, sint viri sapientes, intelligentes & periti.

Non agnoscetis faciem in iudicio. Causas hominum diligentissimè cognoscere debet Iudex: sed omnium hominum facies ignorare. Claudere (vt ita dixerim) hominibus litigantibus debet oculos Iudex, sed causis eorum aperire.

Non timebitis à facie viri, quia Dei iudicium est. Hæc summè Iudices aduertere debent vt se non homines sed deos in iudicando arbitrentur, neque hominem sed solum Deum reuereantur & timeant. Istuc pertinet quod in Psalmo dicitur. Ego dixi dij estis. Præcesserat enim Deum stetisse in Synagoga deorum, & eos in medio diiudicasse. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?

Accessistis ad me omnes & dixistis, Mittamus viros. Quemadmodum audére sine Deo fatuitas est: ita timere Deo vrgente negligentia magna, & vide istorum dementiam, modo iussi intrare negligunt introire, postea verò a domino prohibiti ingredi cõtendunt Nihil ergo timendum nihil cunctandum est postquam deus aliquid facere iubet, quoniam mille siniſtri casus succedunt.

Placuit in oculis meis res. Non debet Prælatus suis subditis conniuére, cùm viderit eos iniqua appetere, aut quæ sibi sunt nocitura. Fortè etiam hac de causa non introiuit Moseh terram, quia populum non diuertit ab hac exploratorum missione.

Præcedebat vos in via, ad explorandum vobis locum pro castris vestris. Solent serui dominos suos præcedere in via, & explorare ac parare illis hospitia: hic verò vides Deum seruis hospitia ac quietem quærere. Hoc est quod Christus apud Ioãnem dicit. Si quis (inquit) mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, ibi & minister meus erit. Et si hæc magna Dei tui dignatio sit, maior tamen est quæ sequitur, vt, scilicet, eos quasi puer, lumine præcederet.

Ioan. 12.

Etiam contra me iratus est Dominus propter vos. Periculosa valdè res præfectura malorum: vbi omni hora in discrimine maximo sunt Prelati, quibus sæpius propter malas oues indignatur deus, & luit bonos pro latus, malarum ouium pœnas quod si homines ad meliorem reuocarent: non tam festini ad prelaturas curarent. *Iehoshiah qui stat coram te ipse ingredietur illuc.* Audis quàm bonum & lucrosum sit, seruis Dei ministrare, quoniam propter eos euehit Dominus ministros eorum. Fuit etiam fortè hæc magna Sancti Moseh tentatio, cùm videret seruum suum sibi subrogari non filium, & concessum illi, quod sibi negabatur, omnia tamen æquo animo tolerat sanctus vir.

Filij vestri qui non cognouerunt hodie bonum neque malum, ipsi intrabunt illuc. Bona semper fuit apud Deum paruulorum conditio. Nisi (ait Christus) conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quemadmodum enim soli paruuli promissam ingrediuntur terram, ita qui conuertuntur & malitia sunt paruuli, cœlorum regnũ intrare à Christo prohibentur. Similiter ex hoc loco aduerte quid valeat non esse criminis participem.

Mat. 18.

Peccatis.

Deseruimus Dominum, Nos ascendemus. Non omnem pœnitentiam Dominus acceptat, vt propter eam donet quæ postulantur: quemadmodum legimus de Saule & de Esau. Similiter vides quàm seuerè Dominus nostram punit incunilitatem, qui pro nihilo reputamus Dei mandatis primum non obtẽperare, si postmodum obediamus.

Iudic. 15. Hebr. 12.

Dic eis. Ne ascendatis. Admonitiones multiplicat peccatoribus Dominus, ne omnino corruant, sed tanta est eorum pertinacia, vt tam frequentes paruipendant admonitiones, & sua via incedere velint.

Non sum in medio vestri. Considera signum quo cognoscas an Deum apud te habeas. Si enim offenderis, scito te eo destitutum, si non offenderis, eum credo in medio tui esse.

Circuiuimus montem Seir. Quandiu dirigit Deus hominis gressus, recta graditur, si verò dimittat circulum faciet, quoniam in circuitu impij ambulant. Pessima res peccatum, quod non solum hominem in via salutis remoratur, sed etiam retrocedere facit.

IN CAPVT. II. DEVTERONO. iuxta literam adnotatio.

Per viam maris Suph, id est, recta contendentes ad mare terminarum quod nostri Rubrum appellãt.

Et circuiuimus montem Seir, Quoniam non concesserant Æmorræi transitum per terram suam illis.

Multum vobis circuire montem istum. Duplex est horum verborum sensus. Prior Multum vobis, id est, dispendiosum vobis aut difficile, & hunc sensum aliqui sequuntur putãtes quòd Israelitæ transierint per terram Edom emendo quæ necessaria erant sibi ab Edomeis, & sensus est, q̃ Iudæi multo tempore circuierunt terram Edom seu montem Seir contendentes versus orientem, dominus verò laboris eorum misertus, iussit vt non amplius montem circuirent, sed verterent se ad aquilonem transeuntes per extrema terræ filiorum Edom: vnde secundum istos sensus literæ, est. Multũ vobis, id est, graue vobis aut multus labor est vobis, circuiere montem Seir, scilicet totum: veritas verò est quòd filij Esau nunquã permiserunt Israelitas transire per terram suam, neque per terminos suos sed per terminos iuxta terram suam & circuierunt totum montem Esau & verterunt se in fine mõtis Seir versus aquilonem, vt inferius magis explicabimus & sensus literæ est. Multum vobis circuire montem istum, id est diu illum circuistis: nunc verò vertite vos.

Nosse autem alicuius quid sit Hebraice.

Timebunt à vobis. Quod scilicet velitis illorum occupare sedes: ideò cauete vobis ne scilicet misceamini litem cum eis.

Ne miscearis litem contra eos. Licet significatio verbi garah quod miscere litem vertimus, non perfecte nota Hebræis sit, quia tamen communior est & omnibus ferè locis quibus verbum ponitur conuenit: placet eam hic acceptare.

Vsque ad calcationem plantæ pedis. A verbo darach quod est calcare comprimere, est midrach, id est, calcatio. Significat etiam verbum calcando viam incedere: vt Numeri. 24. annotauimus super illud Darach, id est incedet stella ex Iacob: quod etiam verti posset calcabit aut conculcauit.

Dominus Deus benedixit tibi, in omni opere manuũ tuarum. Admonui non semel benedicere dei esse benefacere, hic autẽ significat substantiã & opes augere. Solet enim homo laborare & ex parte sua facere quod suũ est, Deus verò laboris eius secundare, & illis fauere: vt ex eis luerũ habere possit. Cassus enim & vanus esset omnis labor noster, si dominus illis nõ apponeret manũ auxiliatricẽ. Est ergo horũ verborũ sensus: Dominus deus fecit, vt ex laboribus tuis magnũ haberes lucrum. *Nouit ambulare tuũ per desertum magnũ istud,* id est, nouit laborem quem ambulando per hoc desertum passus es, & Hebraismus est sicut illud Psal. Quoniam nouit dominus viam iustorum, & nosse Dei accipitur tam in bonam quàm in malã partem, & quòd in malam accipiatur: constat Isa. 37. vbi aduersus rẽgem Assyriorum dominus dicit. Habitationem tuam & egressum tuum & introitum tuum, noui, Neq; denotat simplicem cognitionem, sed cognitionem cum miseratione, seu ad subueniendum in bonis, aut cum intentione seu affectu puniendi in malis.

Non caruisti aliquo. Multa illis defuisse legimus, sed dominus deus statim illis subueniebat: vnde cum dicitur, Non caruisti aliquo, intelligendum est tãdem, quoniam vt diximus dominus statim illis prouidebat. Aliqui Hebræorũ sic locũ intelligunt. Nihil tibi defuit quoniã deus dedit tibi pecunias ad alia emẽda: eũ bene dixerit tibi, & sic nihil tibi defuit neq; displicet sensus iste. *Transiuimus à fratribus nostris, filiis Esau* i. discessimus ab eis transeundo per cõfines eorum vt dictum est, *et etiam transiuimus seu diuertimus à via solitudinis.* non sequentes amplius cum scilicet à Belath & ab Hesion gaber: nomina sunt locorũ à quibus diuerterunt, & videtur quòd cùm peruenissent ad hæc loca, diuerterunt versus aquilonem. Nam hæc via solitudinis contendebat versus ortũ, & hęc Hesion gaber videtur esse illa, cuius meminit historia libri regũ, quæ est ad oram maris terminati vel prope. Nam. 1. Reg. 9. in fine habes. Et nauem fecit rex Selomoh in Hesion gaber, quę erat iuxta Eloth (quæ hic dicitur Elath) iuxta ripam maris Suph, in terra Edom. Aduerte etiam hic, quod id quod Sanctes vertit, à via solitudinis, alij vertunt à via plana: dictio tamen arabah vt sæpius diximus neque planum neque solitudinem sed mixtionem significat: ab arab quod est miscere: vnde melius vertas à via mixtionis, id est, qua nos possemus illis in prælio commiscere cum hoc tamen stat quod irent per terminos ipsius, sed non per terram eorum, & ab eis aquam & alia necessaria emebant.

Terrarũ diuisiones non esse iuris gẽtium sed diuini ex hoc loco constat.

Transiuimus per viam deserti Moab. Est Moab in finibus Arabiæ petreæ ad latus orientale terræ Edom, atque inde super Asphaltidem lacum protensa, vsque ad fluuium Arnon, quam Iudæi circuierunt, quia Dominus congressum cum Moabitis eis prohibuerat. Et Iepte Iudicum. 11. affirmat Israel circuisse ex latere terram Edom & Moab: licet aliqui dicant eos transisse inter Edom & Moab.

Ne stringas Moab & ne misceas. scilicet litẽ *cum eis.* Verbum sur quod vertimus stringere significat ligare stringere & angustiari: quare non tam bene vertas, ne oppugnes, & præcipit ne obsideant vel astringant eos aut vrbes eorum: quod vero significet ligare aut astringere, ex multis scripturæ locis constat. Nam infra. 14. habes. Ve sarta, id est, & ligabis seu stringes argentum in manu tua. Et cap. 20 Ve sarta, id est, obsidebis seu stringes eam scilicet vrbem. Sequens verò verbum, scilicet garah, vt iam hoc eode diximus capite, significat litem miscere. Nos cùm aliquem admonere volumus ne cum alio litiget, dicimus. Non te trahues comelle.

Filiis Loth dedi Har. Est Har nomen vrbis regiæ Moabitarum, cuius Prophetæ frequẽter meminerunt, aduersus quam sæpius vaticinantur. Deprehendes etiam ex hoc loco, non esse in vniuersum veram Theologorũ sententiam dicentium, rerũ diuisionem esse de iure gentium: cùm Dominus regna hæc dederit filiis Esau & Moabitis filiis Loth, & terram Chenahan Iudæis vt asserit Moseh Deutero. trigesimosecundo. Quando inquit hæreditare fecit excelsus gentes, quando separare fecit filios Adam vel hominum: statuit terminos populorum, secũdum numerum filiorũ Israel. Ex quo loco non solum istis, sed omnibus videtur diuisisse hæreditates, quoniam dicit, cùm hæreditare faciebat altissimus gentes.

Emim antea habitabant in ea scilicet Har Moabitarũ. Putant aliqui Hebræorum & etiam nostrorum, istos populos dictos Emim, ab amah quod vt dicunt significat terrere aut terrorem incutere: quòd prodigiosa corporis proceritate atq; robore, omnibus ipsos aspicientibus, terrorem incuterent. Emah enim vt dicunt terrorem significat. Sed salua eorum reuerentia, nõ ita res habet. Nusquàm enim (q̃ occurrat) in scripturis

Universidad de Deusto
Biblioteca

offendi emah significare terrorem, sed amah ancillam, quare dictionem potius arbitror ortum habere ab eo quod est mater à qua amah, id est, mensura quæ quasi mater, continet alias paruas: vnde nomen Emim potius à mensura quàm à terrore dici puto, & hunc populum dici Emim quod magnarum mensurarum essent homines illi de quibus Genesis decimoquarto habes habitasse in planitie chiriataim.

Populus magnus, multus & excelsus. Putarem magnum referri ad nobilitatem. Non enim ad corporis vastitatem referri potest, quoniam rum, id est, excelsus ad hoc refertur, & nihil aliud habemus de his populis quod veritatem contineat, quàm quod erant sicut filii Hanachim. Fuit Hanach gigas, cuius tres filij nominibus suis describuntur Numeri decimo tertio, quos Iudæi percusserunt vt habetur primo Iudicum & ab eo postmodum omnes gigantes dicti sunt filij Hanachim: de quibus hic & Iehosuah 11.

Gigantes etiam reputabantur & ipsi sicut Henachim. Hebraice est Rephaim etiam reputabantur. Sonat rapha à quo rephaim, id est, gigantes Hebræis, sanare. Isaiæ sexto. Et conuertatur ve rapha, id est, & sanem eum. Item secundo Regum vigesimo. Ecce ego rophe, id est, sano te: vnde si rephaim est à rapha cũ aleph in fine: rephaim significat gigantes, à sanitate quia fortes erant sicut homines sani: vnde Thargum pro rephaim, fortes interpretatur. Si verò à raphah quod est remissum esse & debile: rephaim significabit gigãtes, quòd homines alij videntes eos debiles fierent & viribus destituerentur. probabilius tamen est esse à radice rapha cum aleph in fine. Illorum multis locis scriptura meminit, scilicet primo Paralipomenon. 20. & secundo Semuelis vigesimoprimo, Geneſis decimoquarto, & decimoquinto. Infra tertio, Iehosuah duodecimo, Psal octuagesimosecundo, Prouerbiorum secundo & nono & vigesimoprimo. Item Isaiæ decimoquarto. Et fortè quemadmodum gigantes dicti sunt Henachim ab Hanach patre eorum: ita & rephaim à quodam gigante sic appellato, à quo multi orti sunt. Quod enim fuerit gigas sic vocatus, videtur colligi ex vigesimo cap. prioris libri Paralipomenon vbi dicitur. Isti nati sunt le barapha in Gad quæ est vrbs Philistinorum. Quidam tamen ibi giganti vertunt.

Moabitæ vocabant eos Emim. Sunt qui putant Emim non esse nomen proprium sed commune ac si dicat. Vocauerunt eos mensuras seu homines magnarum mensurarum, & sic superius cùm dicitur Emim antea habitabant in ea, sed verius puto populum fuisse certum: vt ex Gen. 14. deduximus.

In Seir habitauerunt antea Chorim. Ante ingressum filiorum Esau, habitauerunt montem Seir isti populi qui vocabantur Chorin, de quibus nihil aliud habemus, quàm quod hic scriptura refert, nisi quod Geneſis decimoquarto dicitur Chedorlaomer percussisse Choreum in montanis Seir, & crediderim istos significari. Si nominis radix sit charah quod est exeandescere & irasci, chorin dicerentur sic ab immensitate iræ quasi irati seu inflammati.

Filij Esau expulerunt eos, & deficere fecerunt eos. Posset etiam verti hæreditarunt eos, seu hæreditate acceperunt eos, aut hereditate pepulerunt eos. Sequẽs verò verbum, scamad potius significat deficere & consumere, quàm perdere. Iudicum vigesimoprimo, Quia nisi medah, id est, consumpta est seu defecit de Biniamin mulier, si tamen vertas disperdere non contendam.

Transite vobis torrentem Zared. Alij vertunt vallem, quoniam dictio vtrumque Hebræis significat: mihi tamen videtur magis proprie significare torrentem. Est autem torrens aut vallis, iuxta montes Habarim.

Dies quibus ambulauimus de Chades Barnea, donec transiremus torrentem Zared triginta octo anni. Loquitur textus de prima mansione in Chades anno secundo egressus de Ægypto: quando exploratores miserunt: ab illo enim anno vsque ad transitum Zared triginta octo anni supputantur quibus si duos iã transactos ab exitu ex Ægypto addas, perficies annos quadraginta ab exitu de Ægypto. Aliquo tamen modo supputatio hæc non videtur vera, quoniã mense quinto anni quadragesimi venerunt in montem Hor vbi occubuit Aharon, & inde circuierunt Moab vsque ad Zared: postmodum vsque ad vndecimum mensem expugnarunt terram Æmorræorum & Midianitarum: vnde videtur quod triginta octo annis & sex aut septem mensibus hoc iter confecerunt, & quod litera loquatur de annis completis.

Donec consumeretur omnis generatio virorum bellatorum. Vocat Hebraismus vt Hebræi putant viros bellatores, omnes qui annum vigesimum excedunt. Sic enim supputabantur ad bellum.

Etiam manus Domini fuit in eos. Non solum communi modo obiére, sed plaga aut punitio Domini, quæ hic per manum significatur, perdidit eos. Omnibus enim plagis multa milia mortui sunt, scilicet viginti tria milia propter vituli peccatum, postea in plaga Chorch & serpentum & multis aliis, quas Dominus in eos immisit: qua in re etiam pensanda est Dei misericordia, quæ non pueros aut iuuenes in his plagis consumpsit, sed senes & viros bellatores. Et manum Domini esse in aliquem Hebraismus est sonans in bonum & in malum. Nam de beato Ioanne Baptista legis Lucæ primo. Nam & manus Domini erat cum eo, id est, auxilium ad iuuandum eum: hic verò in malum sonat, vt statim explicatur. *Manum domini esse cũ aliquo vel in quẽ quid sit.*

Ad conterendum eos donec consumeretur vel finiret eos. Tu transis hodie terminum Moab Har. Præcipit modo non bellare aduersus Moabitas, & Har est nomen vrbis regiæ Moabitarum, cuius mẽtio frequens apud Prophetas sit.

Ne stringas eos, aut ne obsideas, & ne litiges cum eis, scilicet super pecunia seu pretio rerum venalium, aut melius in prælio, quoniam nolebat eos cum Moabitis bellare.

Terra gigantum reputabatur etiam ipsa. Hebraice est, tetra rephaim, de quibus hoc eodem capite diximus.

Hammonitæ vocabant eos zamzumim. Ignorant Hebræi quid proprie significet zamam à quo zamzumim, dicunt autem significare cogitare: ad quod probandum citant illud Threnorum secundo vbi dicitur. Fecit Dominus quod zamam, id est, cogitauit: quod si verum est isti dicentur zamzumim, id est, cogitati seu excogitatæ magnitudinis aut quia videns eos cogitabat se illico moriturum. De his habes Gen. 14. quòd habitauerint in Ham.

Et Hauuim. Isti videntur fuisse illi quos nos vocamus Hiueos quos Chaphthorim expulerunt & habitauerunt pro eis. Isti verò chaphthorim qui egressi hic dicuntur de Chaptor insula, & vt Geneſis decimo dicitur orti sunt à Mizraim, id est, à patre Ægyptiorum, erant consanguinei Philistinorum habitantes prope eos in insulis maris magni. Aliqui putant esse Capadoces & nomen vtcunque eos iuuare videtur.

Transite fluuen Arnon. Diximus de eo libro superiori quòd videlicet diuidat Amorræos à Moabitis. Iosephus dicit quarto libro antiquitatũ fluere ex montibus Arabicis & per totam solitudinẽ labẽs in Asphaltitem lacum erumpere & sciungere Moabitidem ab Amorræorum gente. Hieronymo rupes est excelsa inter Amorræos & Moabitas.

Litiga cum eo in bello. Melius misce te cum eo, aut misce cum eo bellum.

Incipiam dare pauorem tuum & timorem tuum. Plus significat nomen pachad quod pauorem vertimus, quàm iara quod significat absolute timere.

Sub omni cœlo. Non absolute, sed cum sequenti modificatione, scilicet qui audient auditum tuum, id est, famam eorum quæ me authore fecisti.

Pauebunt & timebunt. Melius vertãs. Commouebuntur & languescent seu debilitabuntur à facie tua seu ante te.

Verbis integritatis, aut appositiue verba integritatis, id est,

id est, quibus illi integritatem optabam. Sic melius vertas quàm pacificis.

Per viam per viam pergam, id est, omnio per viam: quod statim explicat dicens. Non declinabo ad dexteram, neque ad sinistram. Munsterus vertit. Per iter tritum incedam, sed non tam germane.

Quid sit Hebr. cum pedibus transire.

Tantum transibo cum pedibus meis. Exposuimus similem loquutionem Numeri vigesimo id est, non ducam exercitum aut non ad modum exercitus incedam, sed pedes omnes transibimus, & quod dicitur cum pedibus, potest verti in pedibus, aut omnia mihi pretio vendes, sed solum transitum quo pedibus meis transibo, gratis concedes, ac si dicat solum transitum pedũ gratis concedes, aut solum in pedibus meis trãsibo gratis, vel supplendũ erit illud quod additur loco citato Numerorum, scilicet tantum non verbum: pedibus meis transibo, id est, tacẽs transibo cum pedibus meis: nullam cum tuis miscebo litem.

Sicut fecerunt mihi filij Esau. Numeri vigesimo habetur filios Esau negasse Iudæis transitum per terram suam, hic verò oppositum videtur Moseh dicere. Quidam hæc conciliant, quòd videlicet à principio non permiserit rex Edom, quando ex Ægypto egressi sunt: postmodum verò timens sibi, concesserit, sed mihi verisimilius apparet, quòd licet non concesserit per terram suam, concessit tamẽ per extremitatem terræ suæ, ita tamen quòd non ibant per terram Esau sed extra eam per viam quæ erat circa eam, & ibidem vendebant Edomici illis necessaria: quòd enim non transierint per cõfines terræ Edom, ita quòd via esset in terra Edom constat Numeri vigesimo vbi dicitur. Et renuit Edom, permittere Israeli, vt transiret per terminum suum, quod verò permiserit per terminum extra terram, constat ex principio huius secundi capitis vbi dicitur. Vos transitis per terminum fratrum vestrorum filiorum Esau. Posset nihilo secius sustineri, quòd prius non concesserint etiam per huiusmodi terminos conjunctos terræ suæ transire, & postmodum permiserint. Petit ergo Israel Sichoni regi Æmorræorum vt concedat transitum per confines, eo modo quo concesserãt Edomei vendẽdo sibi necessaria ex ciuitatibus quę propę terminum erant: quod ille cõcedere noluit, & ideò ab eis debellatus est.

Et indurauit Dominus Deus tuus spiritum eius, & roborauit cor eius. Est cor hominis suapte natura molle & facile mutabile, sed aliquando durum, cuius duritiam, quæ facilẽ in mollitiem verteretur, Dominus aliquando manu tenet, ne cædat suadenti vel præcipienti, & hoc est Deum cor alicuius indurare, id est, tenere induritia ne sicut suapte natura solet molleſcat & mutetur. Disputauimus abunde de sensu huius loquutionis Exodi quarto & decimo, quæ loca consulere licebit, id est, manu tenuit illud positiuum nolle, quo nolebat eis transitum concedere, & per spiritum intelligit fortitudinem, determinationem intellectus, & per cor voluntatem, aut per spiritum intelligit animam vel iram, quam concepit aduersus Israelitas, & fortè hæc vltima est melior interpretatio nominis spiritus, iuxta veritatem Hebraicam.

Vt est dies hæc, id est, vt præsens dies testatur.

Cœpi dare coram te Sichon, id est, cœpi tradere illum in tua potestate, & est Hebraismus.

Et spolium vrbium quas cepimus. Videtur verbum salal, id est, spoliare, à quo selal, id est, spolium, contrarias habere significationes, aut actiuam & passiuam, scilicet spoliare & spolium dimittere seu spoliari, & prioris significationis exempla sunt Ezechielis vigesimonono vbi dicitur. Ve salal salalah. id est. Et spoliabit spolium. Et capit. trigesimonono. Quia tu salota, id est, spoliasti gentes multas. Idem cap. 26. Et Zachariæ secundo. Misit me ad gentes quæ hasolelim, id est, spoliauerunt vos. Idem Isaiæ, 10. & Ierem. 50. Alterius verò significationis. f. contrariæ exempla sunt Ruth secundo. Et etiam soltasolulah. i. dimittendo dimittetis ei, de manipulis, vnde salal, id est, spolium sic dictum est, quòd dimittatur & relinquatur à victis.

Ab Aroer quæ est super extremitatẽ torrentis Arnon. Hebraice pro extremitate est, super labium. Vocat enim Hebraismus vniuscuiusque rei extremitatem labium, quòd extremitates & ripę, modum labij habeãt. Videtur enim mare aut flumen os, deuorans & absorbens ea quæ in ea proiiciuntur: ripa verò habet modum labii huius oris.

Ad omnem locum torrentis Iabboch. Hebraice ad literam est, ad omnem manum torrentis, sed vt diximus in Hebraismorũ explicatione, vocat Hebraismus manus fluminis vel maris, sinus ipsius: iuxta illud Psal. centesimotertij. Hoc mare magnum & latum manibus similiter diuerticula terræ iuxta illud Gen. 34. Negotiamini terram quæ lata est manibus. Hic verò sinus ipsius torrentis vocat manus: in quibus vibes erant sitæ, vt fieri solet.

IN CAPVT. II. DEVTERONO.
ad morum honestatem annotatio.

Sufficit vobis circuisse montem istum. Hæc re vera sunt hominum viæ, nempe circuire & deflectere. In circuitu (ait Psalmus) impij ambulãt: Domini verò est, vias nostras dirigere, ac rectas facere, & duo hic aduerte, alterum quanta patientia Israelitæ tolerarunt montem Seir tanto tempore circuire, non conquerentes, neque postulantes à Domino vt viam rectificaret: alterum ipsius Dei misericordiam, qui eis non petentibus, sed tacentibus viam direxit & ad recta perduxit quæ ideò admonui, vt non fatigeris neque murmures, si te Deus ducat per vias difficiles. Audi quendam. Propter verba labiorum tuorum, ego *Psal.* custodiui vias duras.

Vos transitis per terminum fratrum vestrorum, & timebunt à vobis. Sunt homines qui si aliquem audacem viderint, non audent illi nocere, neq; vllum dicere verbũ: si verò viderint meticulosum, audaciores in eum fiunt: non timent lædere neque spoliare: quos locus iste arguit qui docet, non esse metum meticulosis incutiendum: vnde dicit, & cauebitis vobis valdè: ne, scilicet tales lædatis. *Meticulosis non est metus incutiendus.*

Non dabo vobis de terra eorum, vsque ad conculcationem pedis. Sine pœnitentia (ait Apostolus) sunt dona Dei: neque vt homo solet dare & statim auferre, & licet isti indigni essent quibus munus datum conseruaretur: non tamen abstulit sed conseruat, quo nos docet non retrahere quod semel dederimus: neq; eandem rem multis conferre.

Cibum ab eis emetis argento. Audiant hæc qui exercitum hinciude ducunt: depopulantes omnia per quæ transire contingit: nihil soluentes, nihil curantes quetelas: eorum quorum prædantur bona. Non vult dominus nos transeuntes, alicui esse iniurios, nihil vi ab aliquo auferre: omnia suo pretio comparare, & considerare æquitatem, vt aquam quæ omnibus gratis dari solet: velit à suis iusta pecunia comparari.

Quia Dominus benedixit tibi. Libenter diuites gratis à pauperibus sibi oblata accipiunt, nihil dantes, nihil soluentes: quos locus iste merito arguit, docens nihil quod possis pecunia emere gratis accipere, neq; sit auarus ille, cui Dominus copiosè benedixit.

Nouit ambulare tuam per desertum quadraginta annis: non caruisti aliquo. Conqueruntur in tribulationibus sancti, q; videlicet dominus nõ videat, non consideret labores illorum. Obliuisceris (ait quidam) inopię nostræ, & tribulationis nostræ. Et alius quidã. Circa cardines cœli perambulant, neq; nostra considerat. Videt hic quàm perspicaci oculo cuncta rimetur, & locum & tempus consideret, vt non sit opus illi ista iactare. Sed mirum valdè est, eum dicere nihil eis defuisse. Nihil sanctis deest, nisi q; non decet eos habere, & si aliquando deesse incipiat, statim dominus ea suppediat. Cùm vos (ait Christus apostolis) misi sine pera, nunquid *Luc. 22.* aliquid defuit vobis? Respondẽt. Nihil. Sine pera incedunt & sine pecunia, & tamẽ nihil eis defuisse certo affirmãt. Quid dubitas modicę fidei? Qui te mittit diues

est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, misericors est, seruum mittit, quomodo ergo necessaria non administrabit? Audi quid apud Isaiam dicat. Cap. 3. Populus Sion habitabit in Ierusalem, plorando non plorabis: miserendo miserebitur tui: ad vocem clamoris tui, cùm audierit respondebit tibi.

Filiis Loth dedi Ar hæreditatem. Admouui frequenter quid boni parentes valeant, etiam malis filiis.

Enim antea habitabant in ea. Optimum agit chronographum Moseh, qui omnia non solum præsentia quæ narrare instituerat ostendat, sed velut scriba doctus in regno cœlorum, de thesauro suo profert noua & vetera. Similiter ostendit nobis locus, quomodo populus propter mala quæ in terra operatur, præsertim propter violentias & illatas proximis iniurias: perdit habitationem suam, & sedibus suis pellitur.

Triginta & octo anni, donec consumeretur tota generatio. Expende Dei clementiam. Ad quid putas populum suum ad quadraginta annos in deserto velut oues facit errare, nisi quia durum illi erat, eos vita tam breui tempore spoliare? Licet enim mille mortibus digni essent, indignum tamen iudicauit, eos tam breui, dulci vita priuare. Vbi simul aduerte quod malum sit, oculos claudere ad munera, & mirabilia dei, qui enim claudit oculos ad recepta beneficia, indignum se reddit recipiendis.

Etiam manus Domini fuit contra eos ad perdendum. Quemadmodum Dominus iuuat pios ad vitam, ita manum apponit ad mortem impiorum: vt consumantur & pereant. Audi Dauidem. Nisi Dominus iuuisset me, proculdubio ad vitam: paulò minus habitasset anima mea in sepulchro.

In die ista incipiam dare pauorem tuum super faciem populorum. Ecce quàm timendi sunt iusti, quos nos Deus ipse timere vult. neque tam ipsi quàm Deus qui cum eis & in eis habitat timendus est.

Misi nuntios ad Chesbon verbis pacificis. Multa hic habes quæ aduertere potes. Primum neminem bello esse solicitandum, quem non prius verbis pacificis admoueris, etiam si iustam bellandi causam habeas. Secundo nemini pacificum transitum, per publicam viam, esse negandum: modo fideiubeat se mihi mali illaturum. Inde. 3. ortam puto legem, vt vicini teneantur viam mihi dare ad prædia mea: si non habeam aliam per quam intrare & exire possim. Est quartum, quod discas à Domino, non vti violentia, quoniam verbis pacificis istos ad transitum hortatur, neq; dedignatur circuire Deus: quia populus aut rex homo, transitum negat. Quis audiuit vnquàm talia, quis potens, vnquàm tanta patientia vsus est? Diuertit à recta Deus: quia homo non permittit ea incedere.

Vide incepi dare coram te Sichon. Aduerte quæso verba. Antequàm donet & in potestate tua regem tradat: te oculos habere vult & videre præcipit: vt antequàm beneficium accipias illud videas, neque sine oculis transeas quod te Dominus voluit tam oculate videre.

Dedit eos Dominus ante nos. Non vult Dominus iustorum & seruorum suorum inimicos occidere, sed eos illis tradit occidendos, vt vindicta satientur: quoniam nouit quòd licet iustus in vindicta gaudeat, magis tamen lætabitur, cùm manus suas lauerit in sanguine peccatoris.

Destruximus omnem vrbem: viros & mulieres, sed iumenta prædati sumus. Pluris facit Dominus iniquorum substantiam quàm impios ipsos, vt eos mori velit & opes bonis seruari.

IN CAPVT. III. DEVTERO. AD literam annotatio.

VEstimus nos, & ascendimus via Bassan. Continuat Moseh narrationem suam, & dicit vertisse se, scilicet à via qua contendebant adhuc vt cunque versus orientem, & aquilonem versus promissam terram, & inter desertum vnde veniebant & Iarden, erat terra horum duorum regum. Erat autē vrbs Bassan regia, cuius solum fertilissimum fuit & animalia pinguia reddebat: vnde Psal. 22. habes. Tauri Bassan, id est, pingues circundederunt me.

Omnem regionem Argob. Verbum chabal à quo chebel, id est regio, omnia hæc Hebræis significat, scilicet pignerari, mutuare, corrūpere, gubernare nauē, & dissipare: quod mihi præsentissimum signum est, eos propriam significationem ignorare: vt sæpius testati sumus. Quantum autem ex coniecturis locorum quibus verbum ponitur colligi potest: videtur significare ligare, obligare, & ex consequenti in pignus tradere, quod sit obligare quodam. Ezechielis decimooctauo: Chabol lo chabal, id est, pignus non pignorauerit, obligando scilicet eum qui pignus tradidit. Aut obligatione non obligauerit. Dicitur autem pignus obligatio, quia obligat eum qui tradidit ad soluendū. Item Nechemiæ primo. Chabol chabalnu, id est, obligando obligauimus nos, aut obligatione obligati sumus tibi. Est etiam locus apud Zachariam capite vndecimo, qui hanc significationem conuincere videtur. Accepi mihi duas virgas, vnam vocaui iocunditatem alteram vocaui colligationes: quod nostri dissipantes vertunt; sed quod magis quadret colligationes, ex verbis inferius eodē capite positis constat. Dicitur enim inferius. Et præcidi virgam meam secundam colligationes, vt dissungerem fraternitatem inter Iehudah & Israel. Munsterus dicit significare funiculum distributionis. sed non nisi ratione ligationis quia, scilicet ligat. Significatio non est plene nota: hæc tamen communior est, vnde hic vertendum puto. Omnem collectionem Argob. Erat enim multitudo oppidorum, vrbium & pagorum in ea terra quæ dicebatur Argob. Et videtur Argob nomen loci proprium: si verò sit appellatiuum à regeb, dubię significationis est: quemadmodum regeb quod videtur riuum aut extremitatem significare: quod ex verbis Iob capite vigesimoprimo apparet, vbi sic habet. Dulcuerunt ei rigbe, id est, riui torrentis: quod alij vertunt glebæ torrentis. Ponitur etiam nomen capite trigesimooctauo eiusdem libri, vbi dicitur. Num nosti, dum roboraret terram, in medio centri, vregabim, id est, & riui aut glebæ coniungerentur, scilicet ipsi terræ? Ex quibus non facilè percipitur nominis significatio.

Præter vrbes non muratas multas valde. Incertum est quid proprie significet paraz, à quo perazi quod nostri vertunt non muratum seu absq; muro, & licet hæc significatio multis scripturæ locis quibus nomen ponitur conueniat: est tamen locus Chabachuh tertio, quo hæc significatio nullo modo quadrare videtur: vbi dicitur. Perfodisti baculis eius caput, perazau quod nostri vertunt, vrbium eius absque muro, sed non multum conuenit, neque apparet quid sit caput vrbium absque muro, neque quomodo possit baculis perfodi. Quare Rabbi Dauid non multum tribuens huic significationi, vertit loco citato: Caput exercituum eius. Chaldæus apertas interpretatur, à quo Hebræi acceperunt suam significationem: quoniam idem videtur vrbs aperta quòd vrbs absque muris. Ex hoc loco coniectura est significare villam, sed non talis: cui certo fidamus.

Viros mulieres & paruulos. Ignoratur quid proprie significet dictio matah à quo methim, id est, viri. Aliqui eius ortum putant mut, quod est mori: cuius sententiæ fuit Hieronymus Isaiæ quadragesimoprimo, qui vertit mete, id est, qui mortui estis ex Israel, quod alij vertunt viri Israel, sed quòd non sit à mut quod est mori constat, quia metim vt est à mut scribitur cum sere sub mem, sed vt est à matah est cum scheuali, & viros significare videtur: vt patet Gene. 34. vbi dicit Iaacob. Et ego mete, id est, viri numeri, id est, & nos sumus pauci, & si sit à mut, significabit homines quia mortales sunt.

Vocauerunt Sidonij Chermon Sirion, & Æmoræi vocant Senir. Montis Sirion meminit Psalmus vigesimosextauus dicens. Vox Domini confringens cedros, & confregit Dominus cedros Libani. Et saltare faciet eas,

eas, scilicet cedros, sicut vitulus Libanum & Sirion sicut filium vnicornium: vbi per Sirion, hunc intelligit montem, scilicet Chermon. Item Psal. centesimotrigesimosecundo sicut ros Chermon, qui descēdit in montem Sion. Dicunt autem Cosmographi montē Chermon toto ferè anno niuibus operiri, quarum pars dissoluta in æstate, fœcundat campos & vicinos agros. Estque pars montis Libani, qui Libanus terminus est terræ sanctæ à parte septentrionali, fuitque quondam terræ Eueorum: quorum terra dicebatur Maspa, vt patet Iehosuah vndecimo.

Æmorræi vocant eum Senir. Putat Rabbi Selomoh Sanir aut schnir vocem esse germanicam, ac Chenanæam quæ niuem significat, quem Munsterus arguit dicens germanos vocare niuem schneę non schnir, sed sæpe in vocibus sit magna aut saltem aliqua mutatio, dum à populis non omnino diuersis mutuantur: quēadmodum nos dicimus homem, Castellani hombre, nos molher, illi muger.

Omnes ciuitates planitiei. Hebraica vox missor, à iassar quod est rectum esse ortum habet, & videtur rectitudinem importare, sed Hebraismus etiam plana recta vocat, quod in planitie nullus sit gibbus. Posset tamen verti, omnes ciuitates rectitudinis, id est, quæ si tæ erant in recta via per quam transiuimus: melior tamen est prior interpretatio. *Quoniam tantum Og rex Bassan remanserat ex reliquiis Rephaim.*

Nonnihil scrupuli & difficultatis habet sentētia hęc: quoniam decimotertio capite Numerorum dicunt exploratores, se vidisse in terra filios Henach, vnde constat aliquot fuisse in terra & non solū Og, vt hic habetur. Conciliat hæc Caietanus noster, quod ibi fuerit sermo de gigantibus in terra Chenaan quæ est vltra Iarden, hic verò de gigantibus citra eum. Secundo dicit exploratores non dicere se vidisse gigantes, sed homines procere staturæ, ex eis ortum habentes, hic verò de verè gigantibus literam loqui. Sed iam superiori capite diximus ex duobus gigantibus, scilicet Hanach & Rapha ortum habuisse istos qui terram promissionis incolebant: qui quidem Raphah habitauit in Gath vrbem Philistinorum. Habes enim. 1. Paralipomēnō. 20. Isti nati sunt de Rapha in Gath, sed quia ididem dicitur tunc temporis fuisse Rephaim, & occisos à seruis Dauidis, & etiā quia capite superiori dictū est, Emim reputatos Rephaim, & incoluisse terrā Moabitarum: verius puto tantum Og, remansisse ex gigantibus seu ex Rephaim in illa terra. Nam in Gat remanserunt Sipai, frater etiam Goliath, & alius tertius qui senos habebat digitos in singula manu & pede, additur his quartus secundo Regum vigesimoprimo. Fit etiam eorum mentio Geneseos decimoquarto, vbi percussi describuntur, & etiam capite decimoquinto & Iehosuah duodecimo. Et aduerte quòd gigantes primum dicti sunt Nephilim, à cadendo quòd videlicet homines eos videntes, non possent ante eos subsistere, sed caderēt, aut quòd in diluuio omnes ceciderint vt dicitur Gen. sexto, post diluuiū verò vocati sunt Henachim & Rephaim, forte à parentibus prioribus. Posset tamen dici Rephaim esse commune nomē significans gigantes, aut homines multarum mensurarum. Est autē sensus literæ. Solus Og rex Bassan remansit, scilicet in terra Moab ex reliquiis Rephaim, id est, gigantum: ab illa destructione quam fecerant filij Loth seu Moabitæ.

Ecce lectus eius, lectus ferreus. Dicunt Hebræi eres significare lectum, quod firmant ex his quæ dicuntur Psal. 41. Lachryma mea arsit, id est, lectum meū liquefaciam. Item Canticorum. 1. Arsenu, id est, lectus noster floridus, sed fateor intellectum meum nondum in hac significatione quieseere.

Gigantibus.

Secundum cubitum viri. Quemadmodum apud nos duplex est cubitus, scilicet brachij & ligni aut ferri, ita arbitror fuisse apud Hebræos. Vocatur apud nos cubitus brachij, longitudo à cubito ipsius brachij, vsque ad extremitatem maioris digiti, extenso brachio cū digitis, & crediderim antiquos huiusmodi cubito mensurasse, sed quia ille in diuersis hominibus est inę-

Duplex cubitus apud Hebræos.

qualis mensuræ, institutus est cubitus omnino æqualis ex ligno aut metallo, & ille cubitus brachij vocatur cubitus viri. Aliqui putant cubitū viri referri ad cubitum eiusdem gigantis, vnde Chaldæus vertit hic. Secundū cubitum regis, scilicet Og: quod author Complutensis editionis explicans vertit. In cubito eiusdem regis, sed prior expositio, huic præferenda est. Aduerte etiam nomen ammah, id est, cubitus, ortum habere ab (em) quod est mater, vnde ammah mensuram significat non qualemcunque, sed quę veluti mater alias minores veluti filias sub se contineat. Caput etiam multarum viarum à qua veluti a matre aliæ strictiores seu semitæ oriuntur dicitur em, id est mater: vt patet Ezechielis vigesimoprimo vbi dicitur. Stetit rex Babel ad em, id est ad matrem viarum: quod Hieronymus transtulit in binio. Cōsulto hic omittimus fabellas Iudæorum de hoc gigāte, quoniā à re tā seria & vera. lōge debēt esse fabulæ, q̄ si legere animus est vide Mūsterū hic.

Omnem regionem Argob. Posset etiā legi omnem coniunctionem Argob seu terram coniunctam.

Vsque ad terminum Gessuri. Fortè hæc est Gesur, ad cuius regē fugit Absolon postquàm occidit Amon fratrem: vt dicitur secundo Semuelis decimo tertio.

Vocauit illas secundū nomen suū Bassan Chauuoth iahir, id est villas Iair. Si radix chauuot, id est, villæ est chaiah quod est viuere, dicentur villæ à viuendo, quòd homines ibi liberius & libentius viuant. Si verò à chauah quod est annūntiare, nō video quid allusionis habeat significatio nominis ad verbum: nisi quod ibi annuntientur quæ in vrbibus dicuntur.

Vsque ad torrentem Arnon: medium torrentis: & terminum vsque ad Iaboch.

Posset etiam esse sensus. & dedi eis medium torrentis, scilicet Arnō. Secudo & torrens erit medius & terminus, vsque ad torrentem Iaboch, vt scilicet torrens Arnon esset medius & limes vsq; ad Iaboch: deinde verò torrens Iaboch limes esset diuidens regiones.

Et planitiem & Iarden. Posset etiam verti pro planitie coniunctionem, id est terram coniunctam ipsi Iarden. Significat enim arabah potius cōiunctionem, quàm planitiem.

Et terminum à Chinnereth vsque ad mare cōiunctionis: mare salis sub effusionibus Hapisgah, ad orientem.

Vocatur hic Chinneret lacus ille in Euangelio celebratissimus qui dicitur Genesaret, per mare verò salis intelligitur mare mortuum: quod dicitur salis ad discrimen alterius laci, scilicet Genesaret & cuius aquæ erāt dulces, dicitur verò more hebraico mare, quemadmodum omnis aquarum congregatio. Dicit autem Augustinus Eugubinus Numeri trigesimoquarto hunc lacum Chinneret corrupte apud nos legi & vocari Genesareth: cuius sentētia hic improbat Munsterus, asserēs lacum tēpore Christi vocatum Ginosar à Chaldæo interprete. Sed re vera parum aduersus Eugubium probat: licet enim tēpore Christi Chaldęi vocauerint eum Ginosar, non mirum tunc temporis apud Hebræos & Chaldęos vocabulū fuisse in vulgari corruptum. Non enim dicit Eugubius nomē post Christi tēpora depraua tum, sed à sua origine, temporis successu depraua tū. Cuperem hominem in re tantilla modestiorem in fratrē, sed nusquàm benè inter Italos & Germanos cōuenit. Quod verò sequitur. Sub effusionibus Hapisgah, aliqui legūt sub effusionibus collis ad orientem. Nomē etiam esse quod vertūt hic omnes effusionem, nō plene notum est. Nam Hieronymus aliquando vertit radices vt hic ad radices Pisgah. Hæc tamen significatio communior est.

Armati transibit is ante fratres vestros.

Potest etiam verti separati seu diuisi transibitis, aut melius soluti seu expediti transibitis. Significatio tamen nominis chalus nō est plene nota Hebræis.

Omnes filij robusti. Hebraice omnes filij exercitus, id est, omnes viri bellatores.

Et orauit ad Dominum in tempore illo.

Dicūr Hebręi verbū vaethhanan quod orare vertimus significare orare pro gratia: seu offensum precibus placare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

placare, nō meritis niti: dicētes verbum deduci à chen quod est gratia, sed meo iudicio, verbum non deducitur à nomine, sed nomen à verbo, sed verbo tot tamq; varias Hebræi tribuunt significationes: vt homo nesciat inter eas veram ac genuinam deligere. Dicunt enim significare misereri, largiri, rogare, parcere, gratificari, rem gratam facere, aut gratis dare, sed inter has omnes communiores puto, parcere, condonare, & misereri: hic verò videtur significare, misericordiam vel gratiam petere. Dixi abunde de verbi significatione Exodi trigesimotertio.

Cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, id est, quod sit excellior omnibus diis, & per manum potentiam intelligit qua Ægyptios percussit, & pro quis est Deus: melius vertas quis est fortis? quoniam ponitur hic nomen el, quod à fortitudine dicitur.

Transeam quæso & videam terram bonam. Nititur quantum potest sanctus vir, Iudæos gratos Deo reddere, ostendens se summe desiderasse intrare terram promissam, neque mirum quoniam volebat rem videre pro qua tot labores sustinuerat.

Montem bonum istum: & Libanon. Quidam volunt duos montes hic intelligere, scilicet Moriiath & Libanon propter coniunctionem (&) sed cùm sæpius illa otiosè ponatur in textu, non mirum quòd etiam hic, & sit sermo de solo Libano qui pinguissimus & fertilissimus erat.

Et iratus est Dominus contra me. Verbum abar significat proprie transire transgredi & dissimulare: nam qui dissimulat, videtur transire id quod dissimulat: ac si illud non curasset. Michæa enim septimo habes. Obet, id est, transiens super præuaricatione, seu dissimulans punire præuaricationem. Vnde Hieronymus Prouerbiorum decimoquarto quod alij vertunt. Stultus mit haber, id est, irascitur & fidit. vertit transiuit & confidit, id est, non curat: dissimulat confidens. Quem loquendi modum nos Lusitani habemus dicentes. Pedi isto a el Rey, & elle passou por isso. Amoestei foão, que nam fizesse isto, & elle passou por isso, id est, petij hoc à rege & ipse transiuit, id est, dissimulauit, non curauit petitionem meam. Admonui talem, & ipse transiuit meam admonitionem, id est, dissimulauit & non curauit: quare verbum in hitpael etiam significat transire, accipiendo transire pro dissimulare & non curare. Et quod isti Psalmo septuagesimooctauo vertunt. Et in hæreditatem suam hitaber, id est, iratus est, tu verte & hæreditatem suam præteriit, id est, non curauit, ac si ad eum nō pertineret. Sic illud Psal. octuagesimononi. Hit abarta, id est, distulisti Christum tuum, aut iratus es: melius veritas dissimulasti seu non curasti, quod scilicet fedes eius esset in terra, & multa alia passus. Sic Prouerbiorum vigesimo. Mithabero, id est, qui irascitur cum eo, meljus vertas, qui transit seu dissimulat cum eō, peccat contra animam suam. Sic & hic verteudum est. Et transiuit Dominus me, id est, dissimulauit mecum seu preces meas, non annuendo eis neque curando eas: vnde sequitur, & non exaudiuit me, & valdè doleo Hebræos tam facilè mutare verborum significationes proprias. Quamprimum enim prima fronte, propria non arridet significatio, statim aliam cudunt, ac si in eorū arbitrio situm esset significationes verborum pro suo cerebro immutare.

Multum tibi, scilicet concessum est, aut sat sit tibi. Ponitur loquutio in multis scripturæ locis, scilicet supra capite secundo huius libri. Multum vobis circuisse montem istum, & Numeri decimosexto dicit Chorach. Multum est vobis, quòd omnis congregatio est sancta.

Ascende cacumen Pisgah. Sanctes vertit ascende vericem collis. Dicunt etiam aliqui Pisgah montem esse accliuem, cuius fastigium dicebatur Nebo, quo Moseh tandem mortuus est.

IN CAPVT. III. DEVTERO. AD morum ornamentum annotationes.

Egressus est Hor rex Bassan, in occursum nostrum. Sunt homines qui se lædi putant ab aliis, etiam si nihil ab eis mali patiantur, & sic propulsare volunt mala quæ suspicantur, ac si iam essent sibi illata: qui non nocendo aliis, dant pœnas ac si nocuissent: quem admodum iste Sichon. Docemur etiam concedere proximis nostris ea, quibus ipsi nullo pacto nocent nobis. Multi enim perdiderunt propria, quia negarunt proximis communia: quemadmodum isti reges Æmorræorum.

In manu tua tradam eum: omnem populum eius, & terram eius. Traditur populus & terra sæpius in manu hostium, propter peccata regum, quemadmodum saluantur omnia hæc propter iustitiam & bonitatem eorum.

Sidonij vocant Chermon Sirion, & Æmorræi vocant eum Senir. Docet hic Sanctus Moseh tanquam peritissimus Chronographus, in historiis ea esse clare explicanda quæ lectori confusionē facere possunt: quoniam huiusmodi explicatione, multa alioqui obscura: faciliora fiunt.

Quia tantummodo Hogh remanserat ex reliquis gigantibus. Audis hic quē finē gigantes, qui alios sua potestate & violentia opprimebāt habuerint, & quæ mala eos sequuta sunt, vt discas neminē cōcutere, neminēq; opprimere: quoniā summe deo displicet violētia. Terra verò horum, humili & miti populo conceditur.

Oculi tui vident omnia quæ fecit Dominus Deus. Debēt prælati subditos suos admonere, de magnis dei operibus, & oculos eorum quasi aperire ac corda excitare, vt ea aduertant. vnde ad spem excitentur.

Transeam quæso & videam terram bonam quæ est trans Iarden. Considera quæso huius hominis prudentiam, ac fidelitatem: vt enim eos gratos Domino reddat, & dignos ad maiora recipienda: commendat valde terram præsertim ex desiderio suo ad eam videndam, & quod summis precibus apud eum egerit, ad hoc munus consequendum: neque tamen obtinuerit, quo nos admonet, commendare aliis beneficia Dei, potissimum his qui ea ante oculos habent, neque tamen considerant.

Et pertransiuit Dominus me, neque exaudiuit. Quid tu serue Dei aduersus Deum tuum querulus di eis, cui me non exaudit Dominus, cùm audias hominem valde notum ac familiarem, pro tantilla re, non fuisse exauditum, quē totiēs pro peccatis populi orantem Dominus exaudiuit? sed aduerte ob quam rem non fuerit exauditus. Propter vos (inquit.) Incurrit sæpius prælatus iram Domini, propter peccata & importunitatem subditorum.

Multum tibi, ne addas vt loquaris ad me amplius de re hac. At si ille (ait Christus) perseueraverit pulsans: propter importunitatem tamē dabit illi quotquot habuerit necessarios. Permittit Dominus homines sibi esse importunos, raro tamen familiares, & aspera vt videtur ad eos loquitur, non tamen sine consolatione relinquit. Nam & si Moseh non concesserit quod postulabat, concessit tamen id quo poterat consolari: neque tamē sernus iactat merita, non sudores ac labores proponit: non conqueritur, quòd tam paruam rem à Domino non assequatur, sed omnia suffert, omnia æquo animo fert: ac sola terræ promissiæ visione contentus moritur. Qua in re aduerte Deum in hac vita non satiare suos, sed bonis à longè ostensis desiderium excitare.

Licet Dominus non concedat suas voluntates, concedit tamen ea quibus possimus satisfieri.

Præcipe Iehosuah: conforta & robora eum. Tenentur superiores cùm ab hac vita decedunt roborare eos quos sibi sufficiunt: ac docere qua via eis incedendum sit, & expende quod præcipit roborare, quoniam hoc maximē necessarium est nouitio prælato, qui timet vitia arguere, potentes subigere, ac alia quæ suæ sunt functionis facere.

IN CAPVT. IIII. DEVTERONO. iuxtā literam annotationes.

ET

ET *nunc Israel, audi statuta & iudicia.* Repetit hucusque sanctus Moseh, viam, & quæ illis in via acciderant, nunc autem incipit legem Domini explicare, & prius inculcauit eis omnia beneficia Domini, vt eos promptiores redderet ad legem audiendam & faciendam. Habebat etiam populus iam quietē aliquam debellatis duobus regibus Æmorræorū, & incœperat iam beneficio Dei terram possidere, & aptior erat ad audiendam legem, ideò dicit & nunc.

Statuta iudicia. Dixi sæpius nomen choch, id est, statutum, significare proprie legem quatenus arctat & præfigit terminum homini quem non licet præterire: à chachach quod significat limitare, terminum præfigere ac describere. Prouerbiorum octauo bechucho, id est, quando describebat circino superficiem voraginis, id est, limitabat, & iterum ibi. Quando describebat fundamenta terræ. Et Ezechielis quarto. Accipe tibi laterem, & pone illum coram te vechachota, id est, & describes super illum ciuitatem Ierusalem. Item Isaiæ 30. Ecce super manus chachotich, id est, descripsi te: vnde videtur proprie significare scribere celando, seu quemadmodum celatores scribunt vel sculpunt: vnde choch videtur significare legem quatenus sculpta seu scripta tabulis æreis: vel quia arctat & limitat homines obligando eos ad sui custodiam. Sequens verò dictio scilicet mispath, significat iudicium: à directione rationis aut ratione executionis seu vt Theologi loquuntur actum iustitiæ seu iudicium in actu.

Vt faciatis, vt viuatis. Conferebat legis executio facienti vitam, & alia multa bona: vnde dicitur. Quæ faciens homo, viuet in eis.

Non addetis super verbum quod ego præcipio vobis, & non diminuetis. De præceptis non de præceptorum explicatione sermo est. Non possunt Iehudæi aliquod præceptū addere aut subtrahere à lege Domini: possunt tamen legem Domini explicare. Iudæi tamen putant hoc esse addere vel detrahere verbo seu præceptis dei, quando plura vel pauciora quàm quatuor capitula in signis Thipillim ponuntur, aut quando plures aut pauciores vittæ, in oris vestimenti affiguntur. Vel quando quinq; species adhibētur ramo illi, quem in festo tabernaculorum circumferunt, quum quatuor esse debeāt. Docent etiam licere Rabbinis suis, prohibere aliqua, etiam alias lege licita, quæ vocant seiaus Iethorah, id est, legis sepem quo scilicet homines arceantur ne perueniant ad legis veram trāsgressionem, quod etiam nos dicimus licere principibus Ecclesiasticis & temporalibus: quemadmodum statuerunt Rabbini non esse cum ethnicis bibendum vinum, ne eò mutua compotatione veniant, vt mutuam amicitiam contrahant, & connubia iungant. Aduerte etiam hic verbum garah quod minuere hic omnes vertūt: significare potius auferre, & loco magis quadrare videtur, quoniam huic quod est addere, opponitur potius auferre quàm diminuere. Ex multis etiam scripturæ locis probatur, verbum significare potius auferre quàm diminuere Ieremiæ. 48. vbi nostri vertunt. Omnis barba geruab, id est, diminuta. Hierony. vertit rasa, quod idem est quod ablata. Sic Ecclesiastes tertio. Illi non est addendum, & ex illo non est ligroa, id est, minuēdum, melius reddas, & ex illo non est auferendum. Et Iob 36. Cùm iegarah, id est, abstulerit stillas roris, vbi nostri vertunt ab ipsa veritate coacti. Cùm prohibuerit, quod idem est quod auferre.

Quæ fecit Dominus in Bahal Pehor. De punitione ibidem facta loquitur, quæ Numeri. 25. descripta est: vbi quid sit bahal pehor explicuimus.

Custodite & facite. Videtur verbum custodire, pertinere ad negatiua præcepta: vt idem sit quod cauete, facite verò ad affirmatiua quæ præcipiunt facere: licet hoc discrimen non semper obseruetur.

Ipsa sunt sapientia vestra, & intelligentia vestra. Videtur nomen chochmah quod sapiētiam vertimus, proprie significare scientiam agendorum, finis & principiorum considerationem: sequens verò dictio scilicet binathechem, quod vertimus intelligentiam, videtur importare discretionem: vnde ab hac radice est ben præpositio, quæ significat inter: quasi importet inter vnum & aliud discrimen. Confunditur tamen hæc in sacris literis differentia. Est ergo sensus literæ. Hęc scilicet præcepta aut hęc leges, sunt sapientia & intelligentia vestra, id est, ostendent manifeste vos prudētes & discernentes: quoniam sunt à sapientissimo legislatore lata, per quas si actiones vestras dirigatis, videtes vestra opera recta & cum prudentia factā, commendabunt sapientiam vestram.

Tantum populus sapiens, & intelligens. Vt prudens & discernens, scilicet est populus iste, inter omnes nationes videlicet, propter regimen & directionem legum. Omnes aliæ leges aliquid mali admixtum habebant aut saltem permittebant impunitum: non sic autem lex Domini. Et quod sequitur.

Gens magna ista. Intellige in sapientia: Reputantur enim sapientes magni, apud omnes. Aut melius Gens magna, propter id quod sequitur.

Quæ est Gens magna: cui sint dij propinqui, Quia tamen postea sequitur. Quæ est gens magna cui sint statuta: potest prior sensus bene tolerari. Ex duobus autem commendat eorum magnitudinem. Primo ex eo quod Deum habent propinquum inuocationibus suis, quod nulla natio habet scilicet potentissimū. Secundo ex legibus sapientissimis. Scrupulo tamen non caret, quomodo sit verum eos Deum exteris gentibus habere propinquiorem, cum etiam gentibus penes se habuerint idola sua, etiam sibi respondentia ad ea quæ ipsi ab eis petebat. Ad quod dupliciter respondemus. Primo quòd licet idola gentium respōsa consulentibus darent, non tamen subueniebant omnibus inuocationibus eorum: propter suam impietātem, & hoc est quod textus dicit. Sicut Deus noster, in cunctis quibus inuocauerimus eū. Secundo posset dici idola sępius non respōdisse consulentibus, & multa mendacia illis dixisse, quod Deus Israelitarum non faciebat. Clamabāt enim serui Baal, à mane vsque ad vesperam illum inuocantes, vt sacrificium absumeret, neque absumpsit: vt patet secundo Reg. 18.

Cui sint statuta & iudicia iusta. Licet enim aliæ nationes haberēt statuta & iudicia multa iusta: habebāt tamen aliquot iniusta intermixta. Soli verò Iehudæi omnia iusta. Vnde sequitur.

Sicut omnis lex ista. Ne fortè obliuiscaris eorum quæ viderunt oculi tui. Quæ sint hæc statim explicat dicens. In die qua stetisti coram Domino Deo tuo. Volebat enim eis ad memoriā reuocare terrores quos habuerant quando primum lata est lex, & hæc docere filiis suis qui ea non viderant, vt Deum timerent.

Mons ardebat igni: vsque ad medium cœli. Hebraice habetur vsq; ad cor cœli, sed vsurpat Hebraismus sæpius cor pro medio, quòd cor sit in medio corporis humani: vt in cor maris, id est, in medio seu intra mare. Videbatur enim ignis ille, qui Dominum præcedebat & circundabat, vsque ad cœlum pertingere illudque penetrare. Aut sumitur aer pro cœlo, vsq, ad cuius medium flamma illa eleuabatur.

Obscuritas nubis & caligo. Id est, nubes obscura & caligo, & videtur Chossech significare obscuritatē, sed non nimiam, araphel verò intensissimam: hic verò per obscuritatem intellige, obscuritatem non nimiam sed qualis esse solet obscuritas nubis: per caliginem verò intensiorem.

Imaginem non videbatis præter vocem. De significatione nominis temunah, id est, imago diximus satis Exod. 20. & Leuit. 12. Dicūt Hebræi dici de re tam corporea quam incorporea, & meo iudicio significat proprie id quod fit ad alicuius similitudinē: licet aliquando dicatur de re ipsa, vt cùm hic dicitur. Imaginem non videbatis sensus est. Non vidistis aliquam imaginem Deum repræsentantem, neq; vidistis rem ipsam quæ est deus, ac si dicat, non vidistis rē quæ est Deus, neque aliquam eius effigiem.

Annuntiauit vobis pactum suum. Id est, decreta seu leges super quibus nobiscū paciscebatur. Vocatur enim pactum

Universidad de Deusto
Biblioteca

pactum sæpius, id super quod paciscitur: quæ sunt decem decalogi præcepta, de quorum obseruantia præcipue pactum fuit: vnde sequitur. Pactum suum quod faceretis, nempe decem verba. Et aduerte pactum inter Deum & Iudæos fuisse præcipue de decem præceptis seruandis.

Vt caueatis valde animabus vestris.
Hebraice est. Et custoditi sitis animabus vestris, id est, sub pœna priuationis vitæ.

Similitudinem omnis imaginis, similitudinem masculi vel fœminæ. Dictio Hebraica semel, quam imaginem vertimus, non est bene nota Hebræis: admittitur tamen, quia omnibus locis quibus nomen ponitur quadrare videtur. Ponitur Ezechielis. 8. Et ecce ab aquilone ad portam altaris semel, id est, idolum zeli. Et. 2. Paralipomenon. 33. Et posuit sculptile haze mel, id est, idoli: vnde hic etiam verti posset, similitudinem omnis idoli. Et quod sequitur. Similitudinē masculi: dictio tabnit ab anah quod est ædificare ortum habet: vnde significat ædificium seu quid ædificatū & imaginem quatenus est quoddam edificium: vnde pro similitudine vertere libebit ædificium masculi vel fœminæ, & sic in sequentibus pro similitudine iumēti, auis, & repentis, vertere poteris ædificium.

Similitudinem omnis repentu. Est hic non parua coniectura, quod nomen romes significet rem quæ repit seu reptile, quia condiuiditur animali seu iumento quod est in terra de cuius significatione dubitauimus Genesis primo.

Qui est in aquis sub terra. Non videntur esse pisces sub terra, sed bene sub aquis, vnde sensus est sub aquis quæ aquæ sunt sub terra, quoniā sub omni terra sunt aquæ iuxta illud Psal. Quia ipse super maria fundauit eam: videlicet terram.

Omnem militiam cœli. Gen. 1. admonui, quare stellæ & astra dicantur exercitus, propter multitudinem videlicet & ordinē ad modum exercitus, & quia eis Dominus veluti reges suis auxiliaribus copiis inimicos debellat.

Et errei & incurues te eis. Verbum nadach non significat proprie errare, sed eiicere vel deiicere, vnde infra capite. 30. habes. Si fuerit nida chacha, id est, eiectio vel proiectio tua seu expulsio vsque ad vltimum terræ. Et capite. 22. Non videbis pecus fratris tui nidachim, id est, eiectos vel pulsos. Idem Nechemiæ primo. Si fuerit nidachachem, id est, eiectio vel proiectio vestra. Et Munsterus hic vertit. Et impulsus adores: quare hic vertendum germanius puto. Et deiicias vel proiicias te, & incurues te eis, & poteſt deiectio referri ad hominis dignitatem, incuruatio verò ad corpus vt sit sensus, & deiectus scilicet ab humana dignitate seu immemor humanæ dignitatis, incurues te, sed melius vtrunque ad corpus pertinere puto. Aliqui verò intelligunt & impulsus scilicet à malo genio seu homine: neque displicet interpretatio.

Quas diuisit Dominus deus tuus omnibus populis, sub omni cœlo. Vt scilicet vnaquæque portio gentium & terrarum haberet suam portionem: sicut omnis regio habet suam partem lucis solis, & lunę ac stellarum, similiter vnaquæque pars suam partem influentiarum, ac si dicat: quorum ministerium distribuit & diuisit Dominus Deus, cunctis gentibus. De sole enim & luna in Psal. habes: quod in omnem terram exiuit cursus seu linea eorum. Posset etiam per hanc diuisionem intelligi successio ministeriorum luminarium, quemadmodum Genesis primo legimus Deum fecisse solem in dominium diei, lunam verò & stellas in dominium noctis, vt sit sensus, quorum ministerium & munus Deus diuisit omnibus populis, quoniam omnes gaudent successione luminarium diei & noctis. Eugubius hanc distributionē intelligit, quod quędam sint sidera vnicuiq; regioni propria, quæ in aliis nunquam apparent. Verbum chalach quod diuidere vertimus, dicunt Hebræi & nostri significare etiam lenire, ad quam significationem probandam citant multos scripturæ locos. Primum illud Psal. 55. Chalecu, id est, lenierunt

præbituris os suum. Illud etiam quinti Psalmi Iachalichun, id est, lenificabunt linguam suam. Item illud Genesis. 37. Et ego chalach, id est, lenis. Idem Prouerbiorum vigesimosexto. Et os chalach, id est, lene. Sed si per lene molle intelligunt, non bene dicunt, dicitur enim de lapide. 1. Semuelis. 17. vbi habetur. Et elegit sibi quinque challuche, id est, lenes lapides: vbi si per lenes molles intelligas, natura lapidis quę dura est repugnare videtur, sed reuera significat post diuidere, id quod nos vocamus lisso seu æquale, quod manibus tractatum nō habet vbi manum lædas, aut vbi manus exasperetur. Habet tamen lene esse, allusionem ad diuidere quod est principale significatum: quoniam lænia facilè diuiduntur.

Eduxit vos è fornace ferrea: ex Ægypto. Vocat Ægyptum fornacem ferream: quoniam ibi Israelitæ decoqui simul cum lateribus quos decoquebant videbantur, aut quia tam contracti erant, sicut lateres in fornace. Dictio chur quam fornacem vertimus, significat proprie locū vbi aliquod artificiatum decoquitur aut fabricatur, vt est fornax fabrorum. Posset etiam per fornacem intelligi afflictio, iuxta illud Isaię. 48. Elegi te bechur, id est, in fornace afflictionis aut paupertatis. *Quare Ægyptum fornax ferrea dicatur.*

Propter verba vestra. Quibus cum Domino iurgati estis ad aquas contradictionis: vt dictum est Numeri vigesimo vbi dicit textus populum iurgatum cum Moseh.

Quæ præcepit tibi Dominus Deus tuus.
Prohibendo scilicet aut præcepit vt faceres.

Dominus Deus tuus, ignis consumens est.
Id est, dum irascitur, incēdit & comburit veluti ignis, vt crebro ipsi experti fuerant. Aut dicitur ignis comburens, quoniam igne circundatus apparuit, cùm legem dedit. Vel. 3. dicitur ignis comburens, quia zelat seu zelotes est: vt secunda sententia sit prioris explicatio.

Fortis æmulator. Sic in Hebræo est, & verbum chana significat Hebræis inuidere æmulari & zelare Numeri vigesimoquinto. Pro eo quod chine, id est, zelatus est pro Deo suo, id est, inuidit gloriam Dei sui, alteri dari.

Et habitaueritis in terra. Verbum iassam non significat habitare sed dormire & veterascere, & loco magis quadrat si vertas cum veteres fueritis in terra, id est, diu in ea habitaueritis. Quod verò dormire significet constat. Ecclesiastes. 5. vbi dicitur. Saturitas diuitis non sinit illum lisson, id est, dormire: quod verò veterascere constat Leuitici. 26. vbi de verbi significatione abunde disputauimus.

Contestari feci contra vos hodie, cœlum & terram. Id est, testes voco. Solebant prophetæ in testes adducere cœlum & terram, quod videlicet populum admonuerint, quoniam diu durant, & Deo loquuntur veluti homines hominibus. Vocabant etiam aliquando tumulos lapidum ac statuas, quae ad hoc erigebant: vt ex multis scripturæ locis constat.

Consumendo consumemini. Sic melius vertas quam disperdendo disperdemini, vt multi vertunt.

Remanebitis pauci numero. Hebraice, viri numeri, id est, qui facilè numerari possitis, & est Hebraismus, vt diximus in principio operis. *Viri numeri quid sit Hebraeis.*

Neque comedunt neque respirant. Consulto non vertimus cum aliis, neq; odorantur: quoniam verbum ruach aspirare & respirare significat, vnde ruach, id est, spiritus, & est sensus, neque respirant, id est, neque viuunt, quoniā vita in aspiratione & respiratione consistit: cùm sit flatus Dei.

Si quæsieris eum toto corde tuo, & tota anima tua.
Id est, tota voluntate ac desiderio aut toto intellectu & voluntate.

Reuersus fueris ad eum & paueris voci eius.
Non sat est redire toto corde & tota anima, sed opus est præceptis eius parere: quoniam non sufficit bonus affectus ad bonum, sed etiam opus est vt affectum bonum opere compleas.

Et intuenerint te omnia ista in nouissimis diebus.
Posses etiam interpretari, in posteris diebus: quoniam hæc successu temporis impleta sunt, & vsque in hodiernum diem implentur, quemadmodum diximus de hiis quæ sanctus Iaacob prædixit filiis Gen. 49.

Non derelinquet te. Verbum raphah quod hic ponitur, significat proprie remissum esse: vnde verti posset: non erit tecum remissus, aut non remisse tecum aget: non dissimulabit liberare.

A die quo creauit Deus hominem super terram.
Posset etiam verti, à die qua diuisit: quoniam verbum bara vtrunque significat vt diximus Genesis primo, & loco non est aliena hæc interpretatio: quoniam præcepit inquitere à fine vsque ad finem cœli: ac si dicat, ab hominibus diuisis à fine vsque ad finem cœli, & per finē hemisphærij vnius, & sensus est, à loco vbi cœlum nobis finiri videtur ex vna parte, vsque ad finem hemisphærij quo videtur ex altera terminari, & fortè vocat ortum solis vnam extremitatem, & occasum ipsius alteram, iuxta illud Psal. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.

Numquid audiuit populus vocem Dei loquentis?
Intellige vocem veri Dei, quoniam idola etiam suis cultoribus responsa dabant, sed non de cœlo cum illis argumentis deitatis tonitruis scilicet fulgure ac igne, & aliis quæ tunc audiebantur à populo. Aut si audiuit populus aliquis citra vitæ discrimen, vocem veri Dei eo modo loquentis, quo tibi locutus est? vnde sequitur.

Et vixit. Vulgatus vertit quemadmodum audisti tu, & vidisti? sed verò similimum est vt dicit Eugubius non vertisse Hieronymum & vidisti, sed & vixisti Hebraice habetur. Et vixit.

Numquid tentauit Deus? Id est, numquid deorum aliquis voluit experiri, vt populum se colētem ex alio populo eriperet, & liberaret?

Intentationibus, quibus, scilicet tentabatur an esset deus, quemadmodum Magis suis, Paroh expertus est.

In signis & portentis. Dicit Rabbi Dauid in duobus differre (ot) id est, signum à (mophet) quod est portentum, quòd ot significat qualecunque signum, mophet verò signum datum alicui ad credendum. Secundo mophet esse semper signum futuri, non autem ot, sed aliquando futuri, sæpius verò præteriti vel præsentis.

Et in bello. Vocat bellum cladem illam quam fecit in Ægyptios ad mare rubrum.

Datum est tibi vt videres: vt scires quod Dominus est Deus. Hebraice ad literam est. Tu factus es videre, vt scires quoniam Iehosuah ipse est Deus, id est, quòd Iehosuah qui est Deus tuus sit verus Deus, & vnicus. vnde melius priori loco vertas deus quàm dominus, vt sit sensus. Vt scires quòd Deus ipse sit deus verus & vnus.

Vt erudiret te. Scilicet lege sua, quam suo ore benedictissimo proferebat. Posset etiam verti, vt castigaret te, scilicet terroribus suis.

Eduxit te ante se. Nonne arca domini præcedebat castra? Non semper, sed erat in medio castrorum & aliquando præcedebat, aut sensus est. Eduxit te ante se, id est, in conspectu suo, quoniam licet aliquando præcederet eos tamen semper aspiciebat. Hebræi dicunt deum, Iudæos ante se eduxisse quemadmodum pater filium, vt in eum oculos iugiter dirigeret. Vel. 3. quia in exitu ex Ægypto dominus quiritantea castra præcedebat, retro se posuit, vt eos tueretur ab hostibus & eos ante se habebat.

Sciens hodie, & redire facies ad cor tuum.
Scilicet omnia hæc mirabilia & beneficia: ideò facta vt scias, nequæ in cœlo neque in terra esse alium Deum. Et hæc est causa quare nullam imaginem fieri voluit eorum quæ sunt in cœlo vel in terra: vt cognoscerent eum esse omnium istorum Deum.

Ista est lex. Id est, ille quę sequuntur sunt leges quas posuit Moseh coram filiis Israel scilicet legēdo & docendo. *Ista sunt testimonia & statuta & iudicia.*

Explicuimus horum nominum discrimē in vltimo canonum eorum, quos huic operi præfiximus, quem locum cōsulere licebit. Vocantur enim testimonia, quia testabantur pactum inter populum & deum, & testes huius pacti erant: statuta a limitatione seu coarctatione qua Iudæos coarctabāt, aut quia scripta seu sculpta digito dei, iudicia quia his in controuersiis & iudiciis dirigebantur: leges verò ab explorando & cogitando: quod in eis die ac nocte meditandum illis esset: præcepta quoniam à legislatore præcepta sunt fieri.

E regione beth Pehor. Id est, loci in quo erat illud idolum Pehor, de quo Numeti. 25.

Vsque ad montem Sion qui est Chermon. Hoc est tertiū nomen montis Chermon, neque est mons ille, in quo sita est Ierusalem: quoniam iste scribitur cum prima Sin, alter verò cum priori sade, & per hoc intelliges illud Psal. Sicut ros Chermon qui descendit in monte Sion: istō scilicet de quo hic est sermo. *Duplicē esse montē Sion aduerte.*

IN CAPVT. IIII. DEVTERO. AD morum compositionem adnotatio.

ET *nunc Israel, audi statuta & iudicia: vt faciatis & viuatis.* Pulchrè insignis doctor, simul docet promissiones, & quæ sit via ad eas consequendas. Audire enim statuta & iudicia Dei & facere ea, est via recta ad promissiones vitę & hęreditatis, & considera quàm sapienter legibus promissiones adiūgit, quoniā optime nouit nos nihil sine mercede velle facere. Neque absq; oculis transeas, quòd non dicit. Quam dominus deus patrum vestrorū dabit vobis, sed dat vobis: quoniam cognouit, nos non diu præmium laborum nostrorum expectare. *Non addetis super verbum quod ego præcipio vobis, neq; auferetis.* Arbitrantur Lutherani, se ex hoc loco colligere prælatos non posse instituere ceremonias ac ritus colendi Deū: quod est destruere omnem politiā humanam. Iam enim admonui in Genesi Cap. 4. sanctum virum Habel deum sacrificiis adipum coluisse: deumq; illius oblationem acceptasse, sed vbi quæso præceptus illi fuit ritus ille colendi deum? Sic Helias in monte sacrificia obtulit cùm tamē illud prohibitum, ne dicam præceptum legamus. Vellem tamē hic cautos esse prælatos, ne præcepta in immensum multiplicent. Cùm enim mille condiderint præcepta, duo milia excommunicationum fulminauerint, securi in vtramque dormiunt aurem, & miseris subditis laqueos quibus irretiantur apponunt: cùm tamen ipsi omnino liberi esse velint, & quod est deterius pluris suorum præceptorum quàm dei, violationem faciunt. Et considera quàm pulchram textus rationem afferat, non multiplicandi præcepta neq; addēda ad legem: vt custodiatis inquit præcepta domini dei vestri. Si præcepta in immensum multiplicātur, seruare ea nequeūt homines, si verò pauca, facilè seruantur, vt ergo ea seruetis, nolo ad ea addatis aut minuatis. Qui enim addunt insufficientiæ deum arguunt, & qui minuunt superfluum, cum aut nimium fuisse ostendunt. *Nota aduersus sua Lutheranos.*

Oculi vestri vident quæ fecit Dominus in Baal Pehor. Oportet legislatores aut legis doctorē: amorem & timorem subditis proponere, vt qui leges amore ipsorū aut legislatoris non custodiunt, timore corripiantur.

Ipsa sunt sapientia vestra, et intelligentia in oculis omnium populorum. Vnusquisque ex operibus suis commendatur aut arguitur, opera autem ex directione seu regula pendent, quæ si bona sit & sapiens, sapiens qui ea dirigitur iudicatur, si autē curta, talis iudicatur qui eam sequitur. Vnde antiqui, populum ex legibus iudicabant. Quare sanctus Dauid hoc beneficium considerans aiebat. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Quæ est gēs magna tui sint dij propinqui, sicut Dominus Deus noster in omnibus his quibus inuocauerimus eum?
Maxima fœlicitas populi, & hominis, Deum habere propinquum obsectationibus suis. Multæ sunt miseriæ & tribulationes nostræ, quę nos facilè deiicerent, nisi Deum prope nos haberemus. Sed nunquid Iehus

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæi, propinquiorem sibi deum quàm Christiani habebant? Illi eum ad manum loquentem habebant, nos taciturnum & quasi mutum, sed hoc nobis est ad cumulum misericordiæ. Postquàm enim nobis tam familiaris esse voluit: si nobis loqueretur videns nos tam imperfectos, quid putas nobis dicere posset, nisi peccata nostra? Pie ergo valdè nobiscum moratur, & conuersatur, neque tamen loquitur, vt nostris miseriis succurrat, neque tamen statim arguat sed dissimulet.

Caue ne obliuiscaris eorum quæ viderunt oculi tui. Nihil est quod magis hominem in iustitia conseruet, quàm timor Domini, ideò homo qui iustus esse vult, & non impingere in legem, debet sæpius ea quę terrorem incutiunt ad memoriam reuocare.

Non vidisti omnem imaginem. Sed quare Domine deus, noluisti imaginem aut similitudinem tui habere in terris? Primo quia spiritus purus est, neque potest aliqua figura vel imagine exprimi. Secundo quia ex hoc ostendit suam incomprehensibilitatem quæ nullis terminis lineis aut figuris comprehendi potest. Quarto ne eum aliis diis quibus idola fingebant similem reputarent. Quinto quia homo non erat capax visionis diuinæ. Sexto vt eum arbitraremur maius omni eo quod possemus excogitare. Neque hic de deo loquimur post carnis assumptionem quando iam figura & imagine exprimi potest.

Ne forte eleues oculos tuos ad cœlum, & videas solem & lunam, & inuerus te eis.

Benedictus tu Domine Deus noster qui ostendisti, omnia hæc nobis esse ministra: ne misere ex eorũ pulchritudine decepti, nobis prælata esse putaremus, & eis diuinos honores exhiberemus.

Eduxit nos ex fornace ferrea, ex Ægypto.

Voluit dominus Iehudæos nouos homines facere, ideò in fornacem ferream Ægypti cõclusit & immisit: sed ipsi adhuc terrena sapiunt, & non quæ Dei sunt. Vtinam domine deus me dignareris in fornacem mittere, vt inde me nouum extraheres hominem: qui te amplius non offenderet.

Ego moriar in terra ista. Graue est sanctis non mori in terra sua, neque sepeliri cum suis, vt patet de Iacob & Ioseph. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Non solum ignem in sua potestate habet quo possit transgressores legis suæ consumere, sed etiã ipse ignis consumens est: ideò maximè timendus.

Seruietis ibi diis. Periculosum valdè est ibi habi-
2. Sem. 26. tare, vbi habeas exempla peccandi præsertim idola. Audi quid dicat sanctus Dauid Maledicti sunt coram Domino, qui expulerunt me hodie, ne habitem in hæreditate domini dicendo. Vade serui diis alienis: arbitrans vix posse hominem in terra idolorum habitare, sine eorum cultura.

Quæres inde Dominum Deum tuum & inuenies, si toto corde quæsieris eum. Non patitur dominus à seruis suis se elongari, sed eum inuenitur vbicunq, sunt auxiliatorem: modo eum ibi toto corde quærant, quod tu maximè aduerte. Multis enim Deus inuocatus non adest, quia nõ toto corde exquirunt eum: ideò apud Ioelem dicit conuertimini ad me in toto corde vestro. Ha-
Ioelis. 2. bes etiam hic qualiter tibi sit ad Dominum redeundum scilicet audiendo seu parendo verbo eius & implendo præcepta eius.

Datum est tibi vt videres. Magnum quid Dominus exhibet illis quibus terrores suos ostendit: quoniã de cætero timent peccare & deum offendere.

Custodi statuta & præcepta eius: vt bene sit tibi, & filiis tuis. Quemadmodum legum negligentia & transgressio patrum, filiis maximè nocet: ita obedientia & custodia legum, maximè illis prodest. *Separauit Moseh tres vrbes refugij.* Omnis diuisio aca rerum distributio, quam poueris in vita tua facere fac, ne post mortem tuam, non tam bene fiat, aut inde lites vt fieri solet inter hæredes tuos oriantur. Et expende quã bonum selegerit Mosch tẽpus ad docendã legẽ, quando scilicet coeperãt iam possidere terram: non post possessionẽ, quoniã desiderio cõsequendi reliqua promissa, auidiores erãt ad legẽ audiendam & implendam.

IN CAPVT. V. DEVTERONO.
iuxta literam adnotationes.

Audi Israel statuta & iudicia quæ ego loquor in auribus tuis. Hucusq, sanctus Moseh repetiit gesta in via, & proposuit quædam quæ eos redderent prõptiores ad audiendas leges. s. minas & terrores & alia quæ acciderant, dũ primum lex promulgaretur. Hic iam magis particulariter eam à principio repetit.

Non cum patribus nostris pepigit Dominus pactum istud, sed nobiscum qui sumus hic hodie viuentes.

Difficultatem habere videtur sententia hæc: quoniam pactum pepigit dominus cum Abraham & cum illis qui ex Ægypto egressi sunt: quomodo ergo dicit hic quod nõ cũ patribus sed cum eis? Varie nodus iste à nostris dissoluitur. Aliqui dicunt intelligendum esse non cum patribus nostris, id est, nõ per patres nostros Dominus pepigit nobiscum fœdus, vt solet fieri, sed nobiscum quoniã multi tunc viuebant ex eis, qui verba domini audierunt in monte Choreb. Alij verò supplent aduerbium tantum, vt sit sensus. Non tantum cum patribus nostris pepigit dominus fœdus: cuius simile habetur Gen. 32. Non vocabitur nomen tuum Iaacob scilicet tantum sed etiam Israel. Tertio. Non cum patribus nostris qui scilicet mortui sunt, percussit dominus pactũ hoc scilicet propter se, sed propter nos & nobiscum qui sumus hodie viuentes. Alij hoc ad patres priores referũt scilicet Abraham Isaach & Iaacob cum quibus vt dicunt dominus pepigit fœdus fidei & misericordiæ sed non legis: quod falsum est vt patet Gen. 17. Cùm enim ibi dicit. Erigam pactum meum, de lege danda, intelligendum videtur. Vt autẽ nos aliquid lucis loco: afferamus aduertẽdum est Hebraicum textum non habere hic præpositionem bet, quæ significat in, aut cum, sed est aduerbium seu coniũctio (Et) & textus sic ad literam habet. Non & patres nostri pepigit dominus fœdus hoc, quoniã nobiscum, nos ipsi hic hodie omnes nos viuẽtes, sed quia litera hæc non videtur intelligibilis: ideò interpretes eã priori modo reddunt. Posset tamen litera Hebraica hæc isto modo non inepte reddi. Non scilicet sunt vel extant patres nostri, cũ quibus Deus fœdus hoc percussit: quoniam nobiscum etiam percussit: nosipsi sumus hic hodie omnes nos viuẽtes, scilicet cum quibus etiã percussit qui sensus nullum scrupulum habet, ac si dicat. Licet patres nostri non sint nunc, cum quibus aut quibus Deus fœdus hoc percussit: parui hoc refert, quoniam etiam nobiscum percussit, qui ipsi hic hodie viuentes sumus: vnde sequitur. Facie ad faciem loquutus est dominus vobiscum. Vt autem scias quomodo Deus pactum cum patribus pepigerit, cũ primis tum etiam cum his qui de Ægypto exierant aduerte inter deũ & Abraham (vt habetur Gene. 17.) inceptum pactum quod, scilicet ipse haberet eum pro deo in perpetuum, & similiter semẽ eius, & quòd custodiret pactum eius: quod meo iudicio ad legem referendum est: licet referri etiam possit ad circuncisionem, sed quod sit de lege intelligendum colligi videtur ex verbis Domini ad Isaach Gene. 26. dicentis. Confirmabo iuramentum quod iurauí Abraham patri tuo. Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & dabo semini tuo omnes terras istas: eo quòd audierit Abraham vocem meam & custodierit custodiam meã præcepta mea statuta mea & leges meas. Quod verò pactum tunc non plene fuerit statutum constat, quia Genesis. 17. non dicit. Erigo pactum meum inter me & te, sed erigam seu stare faciam: vnde videtur quia pactum erat non solum cum Abrahã sed cum semine eius: expectandũ esse seminis consensum, quem dominus à populo expetiit. Exodi 19. Capite verò 24. iterum cõsensus petitur & datur, & pactum celebratur. Signum verò huius pacti fuit circuncisio quæ erat protestatio, quod omnes esse-nt serui dei seu haberent perpetuo deum pro deo suo: vn de pactũ ex parte dei cõtinebat omnia hęc. Quod scilicet Deus esset perpetuo deus illorũ. Secũdo quod eos pro suo peculiari populo habetet, vt cõstat Exodi. 19.

Quomodo Dominus non pepigerit cũ patribus pactũ.

Tertio

Tertio quod esset eos multiplicaturus sicut stellas cœli. Quarto quod daturus illis esset terras Chenanæorum. Signũ verò pacti vt diximus fuit circuncisio præcipue multiplicãdi seminis, vnde in membro seminario ponebatur, Abraham verò & semen obligabantur habere Deum semper pro Deo suo, & seruare omnes leges quas ipse præceperat seu præcepisset. Vnde si ad primos patres referas verba illa, Non cum patribus nostris pepigit dominus pactũ hoc, verum est, quoniam vt dixi cum Abraham non plene pepigit pactum de lege seruanda licet ceperit, sed cum his qui de Ægypto exierant: vt constat Exodi. 24. neque mihi displicet sensus iste imò germanus videtur si isto secundo modo literam interpreteris.

Locus explicans quid sit loqui facie ad faciẽ.

Facie ad faciem loquutus est dominus vobiscum in mõte. Constat ex hoc loco aperte, non significari per hanc locutionem, loqui aperte: ita quod colloquentes se mutuo videant cum constet populum neque aliquem ex eo faciem domini vidisse. Capite enim superiori dixit Moseh populo, cum nõ vidisse aliquam imaginem vel similitudinem Dei: qua postmodum ipsum colere posset. Vnde etiam cum de Moseh & Iaacob & aliis dicitur loquutos fuisse cum Deo facie ad faciem, intelligendũ est familiariter, & nõ quòd re vera facie ad faciem loquerentur, ita quod mutuò se viderent, citrà visionem tamẽ, re vera facie ad faciẽ loquebatur Moseh cum deo sicut qui in tenebris familiariter colloquuntur, quare constat Hebraismum esse, qui aliter posset interpretari scilicet non per interpositam personam vobis loquutus est.

Ego sto inter Dominum & vos. Melius vertas. Ego stans pro ego stabam, quoniam intermedius erat inter Deum & populum.

Et non ascendistis in montem. Putarem poni non ascendistis in montem pro non accessistis ad montem, licet verum etiam sit eos non ascendisse in montem. Et quod sequitur. Dicendo. Conscissa est sententia & deest quod scriptum est Exod. 20. Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis deus ne fortè moriamur, & memento ex hoc loco supplere, quæ aliis locis desiderantur. Hebræi tamen dicunt referẽdum esse ad præcedentem versum vbi dicitur. Facie ad faciem loquutus est dominus vobiscum, in mõte è medio ignis scilicet dicendo: quo in loco apponendum erat verbum dicendo, sed prior interpretatio germanior est, quoniam vt in regulis admonuimus, multa plerunq, in sacris literis desunt, aliaque redundant.

De domo seruorum. Id est, de domibus Ægyptiorũ in quibus eras seruus, aut de domo in qua cum aliis seruis manebas Omnia hæc exposuimus Exodi. 20. quem locum consulere licebit, si hic alicubi hæseris. Et omnia hæc veluti præambula sunt ad legem.

Explicatur decalogus.

Non erit tibi Deus aliorum aut alienorum, super faciem meam. Hoc est primum decalogi præceptũ. Et miror cur nostri Episcopi in primis rudimentis fidei & Christiana puerorum institutione constituãt primum præceptum diligere deum super omnia, quod (vt Paulus dicit) potius est omnium præceptorũ finis, quàm præceptum in se. Arbitror autem eos deceptos ex verbis Christi apud Matthæum, respondentis legis doctori inquirenti quod esset maximum legis mandatum, cui cùm Christus respondisset. Diliges Dominum Deum tuum, adiunxit. Hoc est maximum & primum, sed ibi primum pro præcipuo ponitur, quoniam hoc est quod legis doctor petebat. Potest autem duplex esse sensus huius præcepti. Primus est. Non erit tibi deus alius super faciem meam, id est, præter me, & iste est communior & meo iudicio germanior: quod ex multis constat. Primum ex ipsa domini explicatione, qui Exodi. 20. postquam proposuerat hoc præceptum, post pauca illud explicans dicit. Non faciatis mecum Deos argenteos, & Deos aureos non facietis vobis. vbi declarare videtur quid sit dictu coram me, quod videlicet sit idem quod mecum. Secundo ex his quæ sequuntur. Sequitur enim. Non facies tibi sculptile: quod videtur esse non facere alium Deum, vnde non puto esse nouum præceptum nõ facere sculptile, sed prioris explicationem ac si dicat. Non erunt tibi dij alij, quales sunt sculpti & quales gentiles habent scilicet imagines seu similitudines animalium volucrũ quadrupedum serpentum & astrorum. Secundus sensus est. Non erit tibi Deus alienorum, id est, quos aliæ gentes ab Israel colunt, quales sunt factitij. Locutio hæc etiam potest per pluralem numerum efferri scilicet. Non erunt tibi Dij aliorum seu alienorum scilicet gentilium: super faciem meam, id est, præter me aut præter præsentiam meam seu mecum. Permittebant enim alij dij gẽtium alios deos secum coli, non autem Deus qui non ferebat aliorum Deorum præsentiam neq, cultum. Posset etiam interpretari, id quod dicitur corã me seu super faciem meam, id est, me vidente seu inspectante, sed prima expositio vt diximus magis complectitur literam. Quod autem sequitur. Non facies tibi sculptile explicatio videtur (vt diximus) prioris præcepti scilicet. Non erunt tibi alij dij: quales sunt sculptæ imagines astrorum animalium & piscium.

Et quæ in aquis subter terram, id est, quæ aquæ sunt subter terrã: quia terra in omni loco sub se aquam habet. Aut eorũ animalium quę sub terra sunt, quoniam vt Isaias dicit capite. 2. Coluerunt gentes imagines talparum & vespertilionum.

Non incuruabis te eis, & non seruies eis.

Hoc est meo iudicio secundum præceptum: quoniam aliud, est alium habere Deum, aliud exhibere ei diuinum cultum. Posset enim quis aliquam imaginem habere quæ sibi aliquid repræsentaret, quemadmodum in sancto sanctorum erant Cherubini: non tamen ad cultum præsertim diuinum, quemadmodum Christiani habent imagines sanctorum, non vt illis exhibeant honores diuinos sed vt sibi repræsentent sanctorũ gesta quæ fecerunt, aut quæ passi sunt propter Deum. Et verbũ sachah non significat proprie deiicere se, sed incuruare. Aduerte autem hominem, dupliciter colere deum suum quicunq, ille sit: siue verus siue falsus sit. Vno modo geniculando deiiciendo se, aut aliquã corporalem reuerentiam exhibendo. Alio modo seruiendo administrando obediendo, quærendo ea quę ad cultum sunt necessaria aut vtilia: sicut sacrificare, ornamenta quærere ad altaria, aut idolum ipsum decorando, & propter hæc ministeria quæ solent diis exhiberi, additur in litera & non seruies eis: ita quòd duo prohibentur scilicet geniculatio & quæcunque reuerentia siue sit incuruatio siue alia, & alia ministeria qualia sunt sacrificia oblationes ornamenta & omnia alia quibus homo seruit deo suo, & vt vnico verbo rẽ absoluã, prohibetur omnis reuerẽtia, & omne ministerium seu seruitus obediẽdo præcepris ipsius. Si quis tamen velit tenere secundũ præceptũ esse non facere sibi sculptile vt tenuimus. Exodi. 20. non errabit.

Quoniam ego Dominus Deus tuus fortis emulator.

Ratio quare prohibeo te habere alios deos & colere eos, est: quia sum Deus tuus qui non fero consortium alterius Dei, neq, solum emulor honorem meum & doleo alteri exhiberi, sed sum fortis ad huiusmodi excessus vindicandos. Sunt enim multi zelãtes & æmulantes honorem suum, sed vires non habent ad propulsandam illatam iniuriam: non sum talis ait Dominus, sed sum fortis æmulator, qui iniuriam optimè possum vindicare: vnde sequitur.

Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertios & quartos: odio habentes me.

Verbum pachad non tam proprie visitare quàm recordari & numerare significat. Similiter dictio: aon non solum iniquitatem sed pœnam iniquitatis significat: vt in quodam canone probauimus, quare posset locus hic efferri alio modo, isto scilicet. Memorans pœnam iniquitatis patrum in filios, super tertios & super quartos, id est, super tertiam & quartam generationem, vt vulgatus expressit. Vocatur autem pater vna generatio, filius secunda, ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cos tertia, pronepos quarta, abnepos quinta, & sic consequenter vt patet Ecclesiastes quarto. Vbi dicitur generatio præterit, & generatio venit. Quòd autem sequitur odio habentes me, soluit illud quod ex decimooctauo capite Ezechielis obiicitur scilicet: Filius non portabit iniquitatem patris: quòd verum est si non sit imitator odij parentum suorum seu scelerum eorum. Nam si sit punietur pro peccatis eorum & suis.

Faciens misericordiam millibus. Id est, vsque ad mille generationes. *Diligentibus me, & custodientibus mandata mea.*

Quemadmodum extendit punitionem parentum vsque ad quartos odientibus: ita & misericordiam in mille diligentibus.

Non leuabis nomen Dei tui inuanum.

Hoc est tertium decalogi præceptum. Aliqui pro leuare vertunt assumere vel accipere, & verbum nassa consentit: proprie tamen leuare & eleuare significat, & arbitror ideò dici non leuabis nomen Dei tui inuanum, quoniam homines tunc temporis solebant iurare eleuando ad cœlum manum: vt patet Genesis decimoquarto vbi iurat Abraham regi Sedon Leuo manum meam ad Deum possessorem cœli & terræ. Et Deus ipse infra trigesimosecũdo: leuabo inquit ad cœlum manum meam & dicam viuo ego in æternum. Et Numeri decimoquarto. Non intrabitis terram super quam leuaui manum meam. Quod autem dicitur in vanum dupliciter exponi potest, vno modo pro re nihili seu nullius momenti. Videtur enim Deo iniurius, qui pro re futili assumit nomen eius. Secundo vt idem est quod mendaciter. Nam radix saue non videtur esse sauah quòd est æquare sed saua cum Aleph in fine quod est clamare seu loqui: quòd mendacium ad vocem pertineat, & saue significat mendacium proprie aut vanum: vnde sensus secundus est. Non leuabis seu accipies nomen Domini Dei tui vane aut mendaciter: promittendo aliquid quod non intendis facere, vel iurando te aliquid facturum, aut iurando aliquid quod nosti esse mendacium. Et iste secundus sensus est meo iudicio germanior.

Quoniam non innocentem iudicabit. Id est, veluti peccatorem vel nocentem eum puniet: qui vane vel mendaciter acceperit nomen Dei Ezechielis. 17. dicit Dominus ad Iechoniam. Viuo ego, nisi iuramentum meum quod spreuit, & fœdus meum quod irritauit, dedero in caput eius.

Obserua diem sabbati, ad sanctificandum illum.

Hoc est 4. decalogi præceptum. Exodi. 20. dicitur. Recordare dici sabbati. Admonet dominus suos, vt antequam veniat sabbatum, obseruent eum vterum, quoniam homo suis operibus impeditus & negotiis implicatus, vix sanctificabit sabbatum, nisi illud antequam veniat obseruauerit, vel eius fuerit recordatus. Quòd autem sequitur, ad sanctificandũ illum, idem est quod ad separandum illũ ab aliis diebus prophanis quibus licet operari, & ad applicandum illum diuino cultui.

Sex diebus operaberis. Non præcipitur hic meo iudicio operari sex diebus, alioquin peccarent qui non operantur, sed sensus est. Sex diebus licebit operari, non autem die septima.

Die septima sabbatum est Domini Dei tui.

Melius vertas Requies est Domini dei tui, id est, dies qua ipse requieuit, quare quiescendum est: ac si dicat requiesces tu: sicut Dominus deus tuus.

Et peregrinus tuus qui est intra portas tuas.

Prius dixerat, tu & seruus tuus, & loquitur de verè seruo, hic verò de mercenario.

Memento quod seruus fuisti in terra Ægypti.

Affert rationem quare non solum ipsi sed etiam serui & mercenarij deberent sabbato quiescere quoniã serui fuerant in Ægypto, & quẽadmodum dum essent serui gaudebãt quiescere: ita debebãt velle seruos suos sabbato quiescere. Affert autẽ pro causa seruãdi præcepta non aliud quàm quia præcepit ea Dominus deus, quoniam hæc subdito sufficere debet. Sic inferius dicit Honora patrem tuum & matrem tuam: quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus: postea adiungit, vt prolongentur dies tui in quibus insinuat, nos primum debere præcepta seruare propter præcipientem, quia scilicet præcepit dominus deus noster, etiam si nihil polliceretur, sed quia ipse nouit auaritiam nostram, præmia & bona quæ corda nostra alliciant obseruantiæ apposuit. Dicit ergo. Memento quòd seruus fueris, vt alliceret eos ad quietẽ seruorum in die sabbati, reuocando ad memoriam seruitutem duram in qua dum essent, cupiebant requiescere, & forsan lassis non dabatur requies, vt dicit Ieremias de Chaldæis. *Threnorũ vltimo.*

In manu valida & brachio extento. Alludit pulchre ad hominem, qui vi aliquem eripit de manu alterius: qui altera manu trahit suum, & alteram eleuatam habet vt percutiat tenentem si non sinat eripi.

Præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt faceres sabbatum. Ad varia significanda vsurpant Hebræi verbum assah quòd est facere, eo enim significant sacrificare, & hic obseruare seu sanctificare, vnde facere sabbatum, est eo die requiescere. *Facere sabbatum pro requiescere.*

Honora patrem tuum, & matrem tuam.

Hoc est quintum præceptum decalogi, & admonui Exodi. 20. verbum chabad quod hic ponitur, non solum honorare sed etiam onerare significare: vt cognoscas hoc præcepto non solum præcipi parentum honorem, sed etiam sustentationem, & alia necessaria.

Vt prolongentur dies tui. Duo pollicetur Dominus his qui hanc legem seruauerint: scilicet prolongare dies, & quod bene erit eis qui seruauerint, ac si dicat prolongabunt dies. 2. non laborabunt aduersa valetudine. Aliqui vt Exodi. 20. diximus legunt: vt prolongent scilicet parentes suis precibus & benedictionibus dies tuos, & per bene esse, non solum bonam valetudinem intelligo, sed omnia bona quæ obseruantibus hanc legem euenire solent.

Non occides. Hoc est sextum præceptum, & quod dicitur non occides: intelligendum est: priuata authoritate, quoniam licet magistratui occidere, & Dominus in multis casibus præcepit occisionem: vt in homicidio adulterio furto hominis: fornicatione filiæ summi sacerdotis, sodomia, bestialitate, blasphemia, & id genus aliis.

Non mœchaberis. Est hoc septimum decalogi præceptum quòd adulterium proprie prohibet, quo aliqui ex Hebræis putant omnem congressum, qui non est cum vxore legitima, hic interdici. Aliis verò videtur solum adulterium prohiberi, & putant Hebræi fornicationem simplicem non esse peccatum, sed male dicunt, quoniã prostitutio & scortatio prohibita erãt in lege: vnde cum ea quæ quoquo modo alteri sui copiam faciebat non licebat coire.

Non respondebis super proximum tuum falsum testimonium. Hoc est nonum præceptum. Multi vertũt. Non testificaberis, sed quia verbũ anah proprie significat respõdere, nõ audeo aliter interpretari, & est sensus. Cũ à iudice fueris legitime interrogatus de veritate dicenda in causa proximi tui, aut quocunq; alio modo, non respondebis super eum testimonium mẽdax. Si tamen interpreteris. Nõ testificaberis, nõ erraſti. Posset etiam esse sensus. Licet proximus tuus tibi aliquod malũ intulerit, tu tamẽ non respondebis illi falso testimonio.

Non concupisces vxorẽ proximi tui. Hoc est. 10. & vnicum præceptũ: quo interdicitur concupiscẽtia vxoris, & omnium aliorũ quę sunt proximi vt sic, & aliqui putarũt hic prohiberi, nõ nudã concupiscentiã, sed tẽdentẽ ad opus. Qui enim viderit mulierẽ ad cõcupiscẽdũ eam: mœchatus est eã in corde suo, & sic etiã Rabbini intelligũt: vt patet de Rabbi Moseh qui super hũc locũ sic habet. Concupiscẽtia non est nisi in corde, ideò si rẽ proximi tui concupiueris peccasti, etiã si opus ipsum non feciſti. Nã cõcepta cõcupiscẽtia, impellit hominẽ ad opus externũ. Aduerte hic nõ esse idẽ verbũ in Hebræo, quod ponitur in prima clausula, cùm. 5. dicitur. Non cõcupiscẽs vxorẽ, cum eo quod ponitur cum dicitur, non concupisces domum: quoniam priori loco ponitur chamad quod est desiderare in. 2. anah quod est

est concupiscere, & difficile est significationem minus à significatione alterius discriminare.

Voce magna. Refertur hoc ad Deum qui voce magna ad populum loquutus est hæc decem præcepta. Posset etiam legi. De medio ignis, nubis & caliginis & vocis magnæ, per quam tonitrua intelligit, sed quia in Hebræo non est coniunctio (Et) addita voci, & tonitruum loquentis vocem impediret: melius est vt legas voce magna & ad Deum referas.

Et non addidit, scilicet loqui plura propter timorem vestrum. Quidam interpretantur. Et non cessauit scilicet loqui pro omnes. 40. dies sed verbum non significat cessare.

Videre fecit nos Deus noster gloriam suam, & magnitudinem suam. Admonui sæpius vocari in scripturis gloriam dei nebulam illam & caliginẽ & ignem, quibus tectus deus loquebatur vel apparebat: dicũtur autem hæc gloria Dei, quia præ se ferunt maiestatẽ quãdam: quemadmodum ornamenta & insignia regum, præ se ferunt maiestatem quandam, & sunt quædam insignia quę præ se ferunt timorem: vt si videas regem militibus armatis stipatum: illa quæ vides tibi timorem incutiunt, quæ tamen pertinent ad gloriam regis: sic arbitror fuisse ignem, & nebulã & alia quæ Deum circundabant, quę quidem pertinebant ad gloriã eius: incutiebant tamen terrorem quendam videntibus.

Die ista videmus, quod loquitur Deus cum homine, & vivit. Sumitur hic videre pro experiri. Ex hoc loco constat apud Iudæos fuisse celebre, neminem citra mortis discrimen posse audire vocem Dei, aut faciem eius videre. Dominus tamen ad Moseh de visione faciei affirmat, non autem de voce, vnde putarẽ aliquot homines in hac vita loquutos cum Deo ipso, neminem tamen, eius faciem vnquàm vidisse, quod tanquã probabile assero paratus cædere ei qui oppositum demonstrauerit efficacibus rationibus, aut manifesta scripturæ authoritate.

Quæ est omnis caro quæ audiuit vocem dei viuentis tium? Sic in Hebræo est, & est sensus. Quid est aut fuit omnis caro quæ audiuit vocem dei viuentis? ac si dicat nulla vnquam caro fuit quę audierit vocem dei viuentis. Si tamẽ legas. Quid est omnis caro vt audiat? non erraſti. Ponitur hic in Hebræo nomen Helohim cum adiectiuo pluralis numeri scilicet chaiim. i. viuẽtium, quod tamen vsu venit in aliquot scripturę locis: quoniam nomẽ Helohim vt plurimũ est pluralis numeri & ideo aliquãdo ei comungitur verbũ & adiectiuum singulare, aliquando plurale, vt Gen. 1. diximus. *Nomẽ Elohim cum adiectiuo pluralis numeri.*

Quis det, vt sit cor eorum hoc eis. Optimè nostet Sanctes hanc clausulam ex Hebræo trastulit, cuius sensus est. Quis det vt permaneat perduret hoc cor quod nunc habent eis? Nunc enim habent cor pauidum & timent me? cuperem tale in eis permanere: vt, scilicet timerent semper me: vt ex hoc timore, custodirent præcepta mea.

IN CAPVT. V. DEVTERONO. AD morum elegantiam admonitio.

Dominus Deus pepigit nobiscum pactum in Choreb. Prudenter satis, legis diuinæ sapientissimus doctor: ante legis explicationẽ, proponit pactũ: vt ostendat populo obligationem, qua ad illud seruandum obligabatur, neq, prætermisit pacti ipsius commendationem ac eorum quos tanti fecerit Deus, vt potius cum eis quàm cum patribus eorum illud pepigerit. Omnia enim hæc populum inuitabant ad illius obseruãtiam, quod videlicet potius cum eis, quàm cum patribus eorum illud pepigerit Dominus, & quod cum eis de cœlo fuerit facie ad faciem loquutus. Nouerat enim vir sapiens quanti homines excellentiã super alios, etiam parentes faciant. Quæras fortè cur dominus cum sanctis patribus hoc pactum non pepigerit, cum istis longè præstarent & sanctiores essent. Tanq vuas in deserto mueni Israel: veluti primitiua in ficu in cacumine eius, vidi patres vestros. Audi Paulum: Iustis (inquit) nõ est lex posita. Eis enim qui sibiipsis sunt lex & opus legis in frontibus suis scriptum ostendunt: lege nõ est opus neq, pacto, qui sine pacto iussus cuncta prompte operatur, sed sanctus Moseh nullum lapidem non mouet, vt eos ad legis obseruantiam inducat variis argumentis. Aliquando ex dignitate, ostendendo eis quãti eos fecerit Deus, aliquando minis & terroribus: nonnunquam exhibitis beneficiis, & tandem spe futurorum bonorum. Et prudentissime iniuriam in honorem conuertit. Reuera dedecus magnum eorum erat, quod cum eis opus pacto esset de lege seruanda. sed hanc iniuriam & dedecus in decorem & honorẽ, sua prudentia mutat. Quo ministros Dei docet, quot artibus, quot argumentis, vti debeant cum subditis: ad faciendum obseruare legem. *Hoseæ. 2.* *Deos seu idola triginta milia in orbe fuisse historiæ traditum.* *Mat. 6.* *Cap. 11.* *Hoseæ. 9.* *capite.* *1. Timo. 1.*

Ego sum dominus deus tuus: qui eduxi te de terra Ægypti. Non debent gratiarum actiones in multos diuidi, quando vnicus & solus est benefactor. Si ego solus ex Ægypto eduxi de domo seruorum: solus volo à vobis coli & adorari. Extremæ dementiæ est in alios debita referri quę soli vni debes. Audi quid per Hoseam dicat. Hæc nescisti (inquid) quod ego dedi ei frumentũ vinũ & oleum, argentũ multiplicaui ei, quę fecerũt Baal: docemur etiam hic quã cauti esse debeamus in prestandis honoribus: quoniam omne illud superiori detrahimus, quod illi debitum, minori impendimus. Pondera etiam à quot & quantis oneribus & laboribus te hac lege liberauerit Deus tuus. Nemo ait Christus potest duobus dominis seruire: neque multò fortius duobus aut pluribus diis: quos triginta milia in orbe fuisse historiæ produnt. Vide ergo quomodo pauper homo, qui vni Deo vix sufficit: posset triginta millibus ministrare. Gratias ergo age Deo tuo, qui te ab hoc onere liberauerit, volens vt illi soli seruires.

Ego sum Dominus Deus tuus. Sunt aliqui Domini & reges qui sunt sui, alij qui sunt cõsanguineorum suorum & amicorum. Deus verò tuus, non suus, sed tuus esse voluit. Quid quæso habet Deus tuus quod non sit tuum? Si cœlum habet tuum est. cuius influentiis viuis sicut & terra quã dedit filiis hominum, stellas verò creauit in ministerium cunctis gentibus, se verò regnantem dat in premium tuum, medicus tuus est, socius tuus esse voluit, quicquid denique est, & habet: tuum est.

Odio habentibus me. Quemadmodum amor inuitat & quodammodo cogit amantem ad amandũ, non solum hominem amatum, sed omnia quæ ad eum pertinent: ita & odium inducit & inclinat hominem, odire non solum inimicum, sed omnia quæ ad eum pertinent, & hæc est ratio quare dominus punit eum qui se odit, in tertios & quartos: & diligit eum qui se diligit vsque ad mille generationes: quoniam fortior est odio amor in deo. Et bene hunc sensum notat: quoniã fortè literæ germanus est: vt scilicet visitet iniquitates parentum odio eum prosequentiũ, in tertios & quartos, neq; referatur odium ad filios, & tunc soluendum est illud. Ezechielis. 18. Filius non portabit iniquitatem patris ratione sui, sed vt est aliquid patris. Nam quemadmodum non ratione sui, sed patris, odio habetur. ita & causa patris non sui flagellatur à Deo. Sic & de amore dicendum est: quòd persona potest dupliciter diligi, vno modo ratione sui, alio intuitu parentum vel cuiuscunq; alterius: quemadmodum Paulus ad Romanos dicit de Iudæis quòd videlicet secũdum euangelium sint inimici propter gentes, & secundum electionem amici propter patres: sic Deus dicit se misericordia vsurum in mille generationes iustorum: vt sunt aliquid dilectum propter patres.

Quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus.

Libra quæso ô homo, quare debeas seruare præcepta Dei tui, non quia multa tibi bona promisit & præstabit: non quia grauissima tibi supplicia minatur, si ea fueris transgressus, sed quia præcepit tibi Dominus deus tuus. Est etiam hic aliud quod aduertere debeas: non satis, scilicet tibi esse dei tui præcepta seruare secũdum substantiam vt dicitur, nisi etiã modum præcepti obserues. Non sufficit à labore manuũ in sabbato qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

esſcere, niſi hoc facias propter Deum tuum: quia videlicet ipſe tuli quieuit die, & niſi etiam quieſcere ſinas filium, ſeruum, & iumentum tuum, operando: etiã ſex diebus vt ſeptimo melius requieſcas. Vnde ille melius die ſabbati ſanctificat, qui ſex diebus veluti Deus ſuus operatur: vt ſeptimo cum eo quieſcat.

Memento quod ſeruus fueris in Ægypto. Optima pietatis magiſtra, experta indigentia. Cùm Dominus es, conſidera quę tibi velles fieri ſi ſeruus eſſes, & ſic fac cum ſeruo tuo.

Non facies homicidium. Mirum valdè videtur quod tradens legem: non ſimul addat pœnam in tranſgreſſores illius, quod meo iudicio fecit: ne ſolo timore pœnæ adiunctæ, legem ſeruares.

Non concupiſces quæ ſunt proximi tui. Neminẽ ex ſuis, voluit Dominus pauperem eſſe. Pauper eſt qui ambit aliorum bona. Arbitratur enim ſua ſibi non ſufficere, ideò deſiderat aliena, & ſimul noluit ſuos ab alio quàm à ſe diuites fieri. Qui enim cupit aliquid quod eſt proximi ſui, ab eo ditari deſiderat, à quo ſuæ indigentiæ ſatis fieri ambit: ne ergo illi iniurius eſſes oſtendendo opere te non poſſe ab eo ditari, prohibuit aliena concupiſcere.

Scripſit ea. Debent leges eſſe ſcriptæ vt memoria retineantur, & vt nemo ignorantiam vel obliuionem prætendat. *Ecce videre nos fecit Deus noſter gloriam ſuam.* Cùm potente non eſt familiarius conuerſandum, neq; diutius: quoniã facilè iraſcitur & ad vindictam deſcendit. *Dic iſta vidimus.* Multa ſibi mendacia homines de Deo perſuadent. Videbis aliquando peccatorem cupientem ad deum redire, ſed fingentem apud ſe deum immitẽ, qui benignus & miſericors eſt, & gemit quàmprimũ viderit te gementem. Audi quid dicat apud Ieremiam. Audiui inquam Ephraim plangentem & dicentem. Caſtigaſti me & caſtigatus ſum, vt vitulus non aſſuetus ferre iugum. Fac me conuerti & cõuertar, quia tu es dominus deus meus. Poſtquam enim conuerſus ſum pœnituit me peccatorum meorum, & poſtquam oſtenſum eſt mihi percuſſi fœmur. Audi quid dominus pœnitenti reſpondeat. Nõne filius pretioſus eſt mihi Ephraim, nõnne puer delectabilis? Quia ex eo tempore quo loquutus ſum cum eo, recordando recordabor eius adhuc, ideireo ſonuerunt
Pſal. viſcera mea propter eum. Miſerando miſerebor eius. Sed dices. Vocem eius aſperam & terribilem timeo. Vox Domini confringentis cedros: vox domini intercidentis flammam ignis, ſed eum iam mortuum & ſine voce contemplare. Quod ſi calces times & alapas pedes & manus conſidera non ſolũ cruci alligatas ſed affixas: vt ſecurior ſis & intrepide accedas. Sed adhuc dices. Licet modo mitis videatur & blandus, iram tamen mihi in poſterum corde ſeruat, ſed iam cor aper-
Ioan. 19. tum lancea vide. Nam vnus militum lancea latus eius aperuit & oſtendit tibi: non tibi ibi theſaurizatã iram ſed ſanguinem quem pro peccatis tuis in pretium dedit, & aquam qua vulnera tua lauit. Quid ergo times, & ex deo idolum facis? *Accede tu & audi.* Non debet doctor eſſe multum formidabilis ſuis, ſed potius familiaris & amabilis. *Audiemus & faciemus.* Mentiuntur iſti: quoniam raro homo ſeruat, quæ ex timore promiſit: vnde dominus futurorũ præſcius, verba eorum commendat: cor tamen in poſterum formidoloſum in eis deſiderat: ſciens quàm cito omnium horum obliuiſcentur. *Vt bene ſit eis.* Putant miſer homo aliquid lucri deo accedere, ſi ipſe ſeruet mandata eius: aut aliquid diſpendij: ſi omittat & negligat. Non Dei ſed tuum commodum aut diſpendium eſt, ſeruare Dei præcepta.

Pulchra ſen tentia.

Raro homo ſeruat ea quæ ex timore promittit.

IN CAPVT. VI. DEVTERONO. ad literam adnotatio.

Hæc ſunt præcepta, ſtatuta & iudicia. Admonui ſæpiſſime diſcrimen inter omnia hęc præſertim in vltimo canone, & vt iterum dicamus præcepta vt plurimum dicuntur quæ ore traduntur, ſtatuta quæ ſcribuntur aut arctant, iudicia quibus inter homines controuerſiæ dirimuntur.

Vt faciatis. Non ſolũ vt ſciatis, quia ſeruus ſciens *Luc.12.* voluntatem domini ſui & non faciens, plagis vapulabit multis.

Vt timeas Dominum Deum tuum. Ad hoc enim præcepta ordinantur, vt populus timeat & diligat Deum. Arbitror enim hic non præcipi timorem, ſed ad illũ præcepta ordinari. Aut vt timeas, & iſte timor inducat te ad cuſtodiam legum: ac ſi dicat. Præcepit mihi Dominus Deus veſter docere vos præcepta ad faciendum, & vt doceam vos timere Dominum: vt cuſtodiatis præcepta eius.

Audi Iſrael Dominus Deus noſter. Deus vnus. Habent Iehudæi. 13. articulos fidei: quos tredecim vocant fundamenta: quorum primus eſt creatorem eſſe abſolutæ & perfectæ eſſentiæ, cauſam omnium: à quo pendet & deriuatur omnium rerum virtus. Secundus Deum eſſe vnum. Tertius non eſſe corporeum. Quartus quod ſit primus inter omnia. Quintus omni laude ſit dignus, & nihil aliud. Sextus eſſe affluentiam diuinam in aliquot hominibus, & fuiſſe prophetiam. Septimo vt credas Moſeh patrem omniũ prophetarũ & quod fuerit omnibus excellentior. Octauo quod lex è cœlis data eſt Moſeh à deo. Nono quod lex nõ abolebitur neq; mutabitur: neq; alia proficiſcetur à creatore, neq; addetur aut minuetur. Decimo quod deus cognoſcit opera hominũ & curat ea. Vndecimo quod benefacit ſeruãtibus legẽ & frangẽtes punit. Duodecimo credas tẽpus Meſſię etiã ſi tardet. Tertiodecimo eſt credere mortuorum reſurrectionẽ. Et legis huius ſenſus eſt. Quod deus Iſrael nõ multiplicatur quẽadmodum dij gentium, aut quia poterat aliquis dicere multos Deos eſſe idem quod deus Iſrael. Nam gentilis poterat eis ſuadere Iouem eſſe Deum Iſrael, & Mercurĩ, & Apollinem, hoc excludit hic: quòd non ſit niſi vnus in quo licet ſint ſecundum fidem Catholicam tres perſonæ, vnus tamen Deus ſunt omnes tres perſonæ.

Diliges itaque Dominum Deũ tuum, in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota multitudine tua: aut in toto valde tuo. Si Deus tuus non eſſet vnus, ſed plures: poſſes te excuſare. ne diligeres eum ex toto corde, quoniam non poſſes tã diuiſum habere cor: nũc verò quia vnus eſt, facilè tibi erit eum ex toto corde diligere. Et quia locus vtcunq; difficilis eſt, operæprætiũ duxi: ante quam ſenſum explicẽ ſolito more, ſignificationes terminorum explanare, & de verbo ahab nõ eſt dubium ſignificare amare & diligere: vt patet Gene. 37. Ahab id eſt, dilexit Ioſeph. Et Leuiti. decimonono. Ve ahab ta, id eſt, & diliges amicum tuum. Primum verò nomen Dei eſt nomen ineffabile quatuor literarum. Secundum verò Elohim. Similiter non eſt dubium leb ſignificare cor, ſed dubium eſt quid hic ſignificetur per cor. Aliud verò nomen ſcilicet nephes quod animam ſumus interpretati ſignificat proprie halitum vel flatum quo reſpiramus & ex conſequenti animam aut quia eſt flatus dei, qui eam in corpus hominis per flatum immiſit vt dicitur Geneſis primo: aut quia anima vel vita in flatu hominis conſiſtat. Vltima verò dictio ſcilicet meod, ſignificat proprie valdè. Addunt tamen Hebræi ſignificare etiam vires: ad quod probandum citant hunc locum & alium ſimilem ſecundo regum vigeſimotertio. Chaldæus vtroq; loco vertit tota ſubſtãtia tua, quoniã valdè aliquando ad ſubſtantiam: nonnunquam ad prolem refertur. Vertimus autem in tota multitudine tua, quoniam meod poſſumus non ſolum valdè, ſed etiam multum interpretari vt Gene. 1. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce bona meod, id eſt, valde aut multum, & idem eſt valde bonum quòd multum bonũ. Poſſumus ergo per cor intelligere cogitationes, iuxta illud Mat. 15. De corde exeũt cogitationes & per animã deſideriũ vel voluntatẽ, & per meod ſeu multitudinẽ, totã poſſibilitatẽ, ſeu facultatẽ ſiue hęc facultas ſit vis ſeu vires, ſiue ſit externa ſubſtantia. Erit ergo explicatis iſto modo terminis ſenſus. Diliges dominũ deum tuũ ex tota cogitatione tua, vt. ſ. ſemper de illo cogites eũ vacaueris: vnde infra dicitur.

Erunt

Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi in corde tuo, & repetes ea filiis tuis, & loquetis cũ eis. Poſſet etiam per cor memoria intelligi, qua recordimus res quarũ volumus reminiſci, & ſenſus erit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, id eſt, memoria vt ſcilicet ſemper eius & legis eius recorderis, & huic ſenſui ſequentia concordant. Et in tota anima tua, id eſt, deſiderio ſeu voluntate: vt ſcilicet nihil magis deſideres, & omnia deſideria tua ad ipſum referas, & cum tota poſſibilitate tua, vt ſcilicet toto tuo poſſe coneris ei ſeruire, aut tota ſubſtãtia tua. Si autem impoſſibile reputes de Deo ſemper cogitare, recole quæſo hominem qui nouam condit domum, aut opus quod ſibi maximè cordi eſt operatur. Videbis enim hominem qui domum condit, illic cor habere, ità vt ab opere vix recedat, & ſi aliquando ſeparatur ſemper de eo cogitat, ſi ſit vt debet, ſi artifices laborant, ſi videbit operis ſui finem: ſi de ea gaudebit ità vt etiam noctu de ea ſomniet. Sic eſt qui Deum ex toto corde diligit: illius ſemper recordatur etiã ſi alia agat, cogitat quomodo illi ſeruiat, an placebit miniſteriũ, ſemper deſiderat cũ eo eſſe & conuerſari, & omnia ſua imo & aliena cum eo expendere. Secundo poſſumus intelligere Deum velle ſuos non colere neque ſeruire aut amare aliquid eum eo, vt ſcilicet altera pars cordis ſit cum eo, altera cum idolo, alia in eo, alia in peccato, aut diuitiis ſeu rebus quæ illi aduerſantur, & per cor intellige intellectum, per animam verò voluntatem. Nam dictio nephes, voluntatem ſignificat Pſal. 27. vbi dicitur. Nedes me benephes. id eſt, in voluntatem inimicorũ meorum. Per poſſibilitatem vires alias vel ſubſtantiã vt dictum eſt, & ſenſus eſt. Diliges dominum Deum tuũ ex toto corde, id eſt, intellectu, vt nõ alia parte cogites de deo alia, vt diximus de idolo, & in tota anima, id eſt, voluntate vt alia pars voluntatis amet deũ altera idolum, aut aliud, & in tota poſſibilitate ſeu ſubſtantia, vt non alia pars viriũ & diuitiarũ ſeruiat deo, altera verò idolo, & iſte ſenſus videtur probari infra. 13. capi. vbi dominus prohibet audire falſum Prophetam, & habet textus. Non audies eum, quia tẽtat vos dominus deus veſter, an diligatis eum ex toto corde veſtro, & in tota anima veſtra: ac ſi dicat, an altera cordis parte diligatis eum, altera verò idolum. Sic Ioelis. 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, id eſt, ità vt non altera pars amoris ſit in vos aut res veſtras aut alias, ſed totus veſter amor ſit præcipaliter ad me & ad ea quę ego præcipio. Ego autem puto cor non eſſe ad intellectum referendũ hic, ſed omnia ad voluntatẽ, & appetitum, quoniam præcepit diligere ex corde, & ex animã: vnde hęc pertinere videntur ad ea quibus aut diligimus, aut ſignæ oſtendimus dilectionis, & per cor puto voluntatem intelligi, & per animã deſiderium, per multitudinem verò alias vires inferiores ac ſubſtantiã: licet non abiiciam per cor memoriam eſſe intelligendam. Neq; putes diligere deum in toto corde, eſſe ſolum diligere perſonam vel ſubſtantiã quæ eſt deus, ſed eſt diligere ipſum & omnia quæ ipſe præcipit aut eius dilectioni non aduerſantur: vnde ille dicitur deum ſic diligere, qui implet legem eius. Vnde ſecundo Reg. 23. de rege Ioſſiahu dicitur non fuiſſe alium ſicut ipſum: qui reuerſus ſit ad Dominum toto corde ſuo, & tota anima ſua, & tota poſſibilitate ſua: iuxta omnẽ legem Moſeh. Vbi vides eum reuerſum dici in toto corde, quoniam totam legẽ impleuit. Ex quo facilè conſtat præceptum hoc poſſe in via impleri: poſtquàm Ioſias legitur illud impleſſe. Vnde meo iudicio hic diligere Deum ex toto corde, eſt cor non diligere aliquid quod Deo aduerſetur, & diligere omnia quæ Dei ſunt aut Deus, & ſimiliter ex tota anima deſiderare Deũ, & omnia quę ſunt Dei, & nihil quod illi aduerſetur deſiderare, & idem dicendum de validitate aut ſubſtantia. Qui tamen ſententiam beati Auguſtini, & ſancti Thomæ qui oppoſitum verum eſſe putant tenere voluerint: libere teneant: quoniam eis authoribus ſecure incedent. Nos ſalua tantorũ patrum reuerentia, quod nobis videtur explicuimus.

Et repetes ea filiis tuis. Non plene nota eſt ſignificatio verbi ſanã, id eſt, repetere. Hebræi dicunt ſignificare acuere, narrare, conſabulari & repetere, ſed meo iudicio ſolum ſeu proprie ſignificat reuoluere repetere ſeu iterare, & quia gladius cùm acuitur reuoluitur, dicitur ſignificare acuere infra. 32. Si ſanoti. 1. acuero aut reuoluero ſeu vibrauero vt fulgur gladium meum (aut vt Hebraice habetur) aciem gladij mei. Et Pſal. 64. Sanenu, id eſt, acuerunt ſeu vibrarunt vt gladium linguam ſuam. Hinc eſt ſeninah. i. prouerbium ſæpius repetitum ſeu locutiõ quæ frequens in ore omniũ reuoluitur, aut cantilena. Sunt enim quædam cantilenę, quæ habent quaſdam repetitiones, quas noſtri voltas ſeu repetitiones vocant. Arguit etiam hanc eſſe verbi ſignificationem verbum ſcanah, quod ſignificat duplicare & iterare: vnde poſſes vertere. Et repetes ea, ſcilicet præcepta Domini, filiis tuis, aut ſæpius replicabis ea. Non ſolum in corde habebis præcepta Domini, ſed etiam in ore vt repetendo doceas ea filios tuos.

Loqueris in eis cùm ſederis in domo tua, & cùm ambulaueris per viam, & quando accũbes & quando ſurges. Ac ſi dicat iugiter, & in omni loco loqueris de præceptis Domini, non ſolum eum aliis ſed etiam cum filiis tuis: per quod vult inculcare rem hãc multum cordi eſſe debere. Aliqui vertunt loqueris cum eis ſcilicet filiis tuis in omni loco & tempore. quem ſenſum videtur Sanctes prætendere ſua verſione.

Legabis ea in ſignum in manu tua, & erunt in frontalia inter oculos tuos. Iudæi hoc ad literam implent, putantes ſe teneri ad deferenda verba præſcripta alligata manu, & ſcripta in quadam lamina portãda eſſe in fronte. Poſſet tamen locus explicari, quod velit Dominus eos iſtorum verborum ita memores eſſe, quod ſcilicet Deus ſit vnus, quod ſit diligendus ex toto corde, & alia, ac ſi hæc haberent veluti ſigna memorativa in manu, ac frontalia ſuper oculos. Aduerte autem Iudæos propter ignorantiam vocis tõtaph, quam hic quidam frontalem, alij monitorium, alij laminam vertunt finxiſſe ſua tephilim, de quibus mira ac ſuperſtitioſa valdè documenta tradunt, quæ adduximus Exo. 13. vbi eadem quæ hic verba dicũtur. Cùm dictio proprie ſpecillum ſeu ſpecilla aut ocularia quæ ſuper oculos geſtare ſolemus ſignificet. Prætendit enim Dominus his verbis admonere, vt hæc verba habeant, in loco quo ſemper eorum recordentur, & vbi ea videant. Dicit enim tam hic q̃ Exodi. 13. Et erit in ſignum in mãnu tua, id eſt, in ſignum quod ſemper in manu videas & recorderis. Solent enim homines cùm alicuius rei volunt recordari, ligare filum coccineum digito ſuo, vnde huiuſmodi totaphot debent etiam eſſe talia, quæ ponantur in loco quo iugiter videantur. Lamina verò ſuper frontem ſuſpenſa, non poterat oculis videri, ſequitur ergo huiuſmodi totaphot nõ fuiſſe laminam fronti pendentem, ſed aliquid quod videri poſſet quemadmodum ſpecilla. Eſt ad hoc alia coniectura quoniam cùm dictio in plurali ponatur ſcilicet totaphot, oporteret tunc duas laminas & non vnicam ſuper frontem geſtare: quod tamen ipſi negant. Addant & tertiam quod huiuſmodi totaphot, vt ex textu conſtat debebant poni inter oculos: lamina verò non ponebatur inter eos ſed ſuper eos: conſtat ergo per totaphot non ſignificari huiuſmodi laminam, ſed potius ſpecilla ſeu ocularia quæ videtur & per ea omnia alia, & bina ſunt, & inter oculos ponuntur quantum ad ligamen quo ligantur, & ſignificãtius apponitur, vt ſcilicet oſtẽdat vtroq; oculo eſſe aſpiciẽda, & magna cõſideratione. Et ex hiis cernes quid noceat verba Hebraica nõ examinare, ne ſuper ſũdamẽto nihili ſtruere cõtingat. *Et ſcribes ea ſuper poſtes domus tuæ, et in portis tuis.* Non plene conſtat de ſignificatione nominis Mezuzah i poſtis. Nam Ezech. 40. Thargum vertit limen, ſed videtur potius poſtẽ ſignificare, vt patet primo Semu. 1. vbi dicitur. Et Heli ſacerdos ſedebat ſuper ſoliũ, iuxta Mezuzat. i. poſtẽ. Videtur enim habuiſſe ſe dorſum ſuper aut iuxta poſtem domus domini: vbi Thargũ vertit in latere liminis q̃ videtur eſſe poſtis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præcipit ergo scribere verba illa.i. illos duos versus. Audi Israel & diliges dominũ deum tuum & præcepta 10. in postibus & in portis ipsis vt illorum recordẽtur, & videtur præceptum ad literam intelligendum. Si tamen interpreteris ita memoraberis horũ verborũ ac si illa scripta habuisses in postibus & portis, non errasti.

Et cisternas excisas quas non excidisti.

Aliqui vertunt effossas, sed verbum chasab, videtur potius significare excidere & cedere: vt patet. 1. Reg. 5. vbi dicitur. Et octoginta milia chosęb, id est, cedentis pro cedentium in monte.

Dominum Deum tuum timebis, & illi seruies.

Pertinet timor ad animum, ministerium verò ad externa scilicet ad oblationes sacrificia peregrinationes, & id genus alia.

Per nomen eius iurabis. Non putes hoc aduersari, ei quod Exodi. 20. & quod capite superiori dictum est. Non assumes nomen Dei tui in vanum, quoniam aliud est iurare in vanum, id est, rem quam non intendis implere, aut sine vlla causa & necessitate: aliud iurare religiosè & vere. In Exodo enim prohibetur vane iurare: hic verò conceditur religiosè. Posset etiam textus hic interpretari de solenni iuramento, quod non fit nisi in rebus grauibus ad gloriam Dei, & proximi vtilitatem: vt si velis aliquid firmare aut fœdus inire aut Magistratus cogit. Iurant autem Iudæi per nomen Dei proprium vt est Iehoshah, aut per appellatiuum seu commune vt est Elohim, Deus, misericors clemens iustus & cętera. Prohibitum est autem iurare per aliud quippiam, aut coniunctum cum nomine eius. Qui autem iurat (vt dicunt) debet tenere librum legis in brachio suo, atque stans iuret per nomen Dei proprium vel commune. Debet etiam manus super librum legis imponi quem habent in synagogis, quęque non oportet esse vitiatum, sed summa religione conscriptum & paratum. Debet etiam iurare in lingua sancta. Nihilique aut parui ducunt, iuramenta quæ hodie ipsis, in causis quibus eũ Christianis agunt imponuntur: adeò vt quasi in prouerbium apud eos abierit, dum Iudæo contra Christianum in iudicio iuramẽtum imponitur dicit. Bene mecum agitur, vici: actum est de Christiano: Iuramentum mihi tantum faciendum est, & nihil sibi timet etiam si se falsum iurare sciat. Cùm ergo necessitas aut vtilitas coëgerit iurare: in nomine eius iurandum est. Quod verò quidam dicunt librum legis adducendum ex eorum Synagogis non vitiatum, & cætera ad modum ipsorum Iudæorum: cùm in causa cum Christiano iurãdum est: peccaminosum arbitror, quoniam hoc esset inducere eum ad actum seu ceremoniam perfidiæ suæ. Licet enim ipsi credant vnũ deum, quemadmodum Christiani, non tamẽ credunt trinum & vnum: quemadmodum neque Sarraceni, & sicut nõ liceret inducere Sarracenum, vt iuret in alchorano aut per vnum Deum eo modo quo ipse vnum esse credit, ita neque Iudæum: si tamen ipse sua sponte sic iurasset, liceret ab eo accipere iuramentum sed non ad illud inducere cùm iuramentum sit actus religionis & cultus quidam, qui ei per quem iuratur exhibetur: dum iurando protestamur illum infallibilis esse veritatis. Cùm ergo non liceat cultum falso deo exhibere, non licet per illum iurare: neque per eum iuramentum a cultore eius exigere.

Non ambulabitis post Deos alios. Ambulare post Deos alios Hebraismus est, significans obsequi & obtemperare illis, vt velis & facias quicquid cognoueris eos te facere velle, quemadmodum de multis sanctis dicitur, quòd post Deum aut cum deo vero ambulauerint, id est, fecerint quod ipse præcepit. Qui enim aliquem sequitur vel post eum vadit, non declinat, ita & qui alicuius præceptis obtemperat.

Confumere faciat te. Sic melius vertas, quàm disperdere faciat te.

Non tentabitis Dominum Deum vestrum.

Ne præsumperis quasi experimentum alicuius rei sumere: quemadmodum de Deo dicit scriptura quod tentauerit Abraham, id est, experiri voluit an ipsum timeret, sic cùm homo Deum tentat experiri vult aut eius potentiam, aut sapientiam aut præsentiam. Psal. 77. habes. Tentauerunt Deum in corde suo petendo cibum animæ suæ, & modum tentandi explicat. Numquid poterit parare mensam scilicet integram, seu omnia cibaria mensæ requisita populo suo? de qua tentatione hic loqui videtur. Vocat autem locum tentationis, locum in quo dedit aquas, quas scriptura vocat contradictionis.

Facies rectum & bonum. Rectum videtur referri ad id quod debito iustitiæ tenemur facere: bonum verò ad ea quæ sunt pietatis & misericordiæ.

Quæ sunt testimonia statuta & iudicia Explicui sæpius discrimen inter omnia hæc, & est sensus loci.

Si interrogauerit te eras filius tuus. Quæ sunt testimonia, id est, quę est ratio quare hæc testimonia statuta & iudicia seruas, explicabis illi beneficium redemptionis & obligationis seruandi ea.

Signa & portenta magna & mala. Portentum vt sæpius diximus futurum respicit, signum verò præteritum præsens ac futurum. Signorum verò quædam erant magna, sed non mala, vt versio virgæ in draconem manus in sinum missio, alia verò erãt mala, quibus scilicet affligebantur Ægyptij.

Et iustitia erit nobis, si custodierimus vt faciamus omne præceptum istud. Videntur verba hæc insinuare hominem iustificari ex operibus legis, quia dicitur hic. Et iustitia erit nobis, si custodierimus vt faciamus omne præceptum istud. Quod etiam ex eo firmatur, quia si quis ludęorum legẽ omnem sibi datam seruaret, quid iustitiæ dominus illi opponeret? Ad hoc dicendum cum Paulo ad Rom. 3. neminem eorum plene seruasse legem & semper: iuxta illud Psalmi omnes declinauerunt & cætera. Secundo dicitur deum non solum præcepisse legem seruare, sed etiam credere se saluandum per fidẽ in sanguine mediatoris, vnde sine hac fide nemo poterat iustificari. Si quæras vbi præceptum est credere in eum. Audi Paulum ad Roma. 9. dicentem. Ecce ego pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali, omnis qui credit in ipsum non confundetur, & sunt verba Isaiæ cap. 8. & 28.

Aliquis ex lege posset iustificari.

IN CAPVT. VI. DEVTERO. IVXTA MORES ADNOTATIO.

Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Debet pastor, cùm oues viderit locum vbi pericula imminent intrare: eas periculorum imminentium admonere. Erant Iudæi ingressuri terram, in qua dij multi colebantur: ideò voluit eos de Dei sui vnitate admonere: vt ipsa multitudo, eos à cultura eorum deterreret. Vbi simul considera à quot laboribus nos eripuit. Difficile est multis dominis seruire, quãto magis diis? Ne ergo labores ô homo in multorũ deorum tam diuersa poscentium cultura, ostendit tibi Deus tuus suam vnitatem.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Quod præcipuum est in te, petit ex te Deus tuus: mentem cor, animam & vires, nos verò deteriora & infirmiora nostra illi damus. Sunt enim multi qui omnia hęc & seipsos diabolo dant, bona verò externa in elemosynas largiuntur, quod extremæ dementiæ est. Petit etiam totum: Nõ patitur sibi dari aliquid partitum, sed si ad eum conuertas te, vult te in toto corde conuerti. Si laudandus à te, etiam cum Dauide in toto corde illi confitendum. Sunt enim multi qui alteram cordis partem in Deo habent, alteram verò in vitiis & peccatis. Similiter aduerte, non petisse ex te substantiam aut opes, quoniã nouit nos esse genus auarum, postulat autem à te id quod sine rerum tuarum dispendio illi præstare potes. Vbi simul aduerte quàm compendiosè tradidit præcepta fidei & charitatis. Fidei in hoc quod dicit se esse vnum, charitatis verò, cùm dicit se ex toto corde diligendum.

Erunt verba hæc in corde tuo. Sunt verba & colloquia quæ hominem à Deo auertũt, ideò oportet hominem habere

habere alia quibus animum tueatur, vt si aliquando contingat audire verba à fide abducẽtia, habeat etiam tanquam antidotum verba Dei. Sunt multi qui verba Dei solo ore habent, loquentes multa de Deo: sed nihil eorum quæ loquuntur facientes, nescientes, quòd non qui de lege Domini loquuntur iusti sunt apud eum, sed qui eam corde gerunt & operibus ostendunt. Multum tamen valet locutio de eis.

Repetes ea filius tuus. Tenentur parentes, non solùm docere filios legem Domini: sed eam eis inculcare. Sed dolendum valdè est quòd hodie filios parẽtes doceant vitia & peccata multa nulli verò aut rari sunt, qui eos doceant legem Dei. Mirum valdè est quanta rerum sacrarum ignorantia reperiatur in populo Christiano, vt vix inuenias aliquem qui sciat rectè quid credendum quidve faciendum sit. Audiant parentes, audiant Prælati qui hæc omittunt, quod in die iudicij pro istorum negligentia & ignorantia pœnas dabunt meritas. In quatuor autem locis, nos vult verba hæc sua habere, scilicet, in corde ad credendum, in ore ad loquendum, in manibus ad operandum, & super oculos ad videndum ea iugitèr. Solet homo qui specilla seu ocularia ad videndum habet, nihil alicuius momenti sine specillis operari aut videre, sic vult Dominus nos nihil videre aut operari sine præuia lege eius. Et mirandum valdè est quam memores nos voluerit Deus legis suæ, & quam obliuiosos eius nos exhibeamus.

Vt det tibi vrbes quas non ædificasti. Solent insqui bonis thesaurizare potius quàm sibi. Isti ædificarunt seruis Dei, eis cisternas effoderunt, illisque domus impleuerunt omnibus bonis.

Caue tibi ne obliuiscaris Domini Dei tui. Solet bonorum copia obliuionem beneficiorum & benefactoris secum afferre, ideò in hoc summe debet laborare seruus Dei, vt cùm ditior fuerit & opulentior, tunc plus Dei sui qui omnia contulit meminerit.

Per nomen eius iurabis. Non est iuramentum malum in vniuersum, licet soleat esse aliquãdo peccatum & multa sunt quæ occasionem malorum esse possunt, quæ sunt permittenda ad deteriora vitanda, quemadmodum hic iurare per Deum, ne contingeret iurare per idolum.

Non tentabitis Dominum Deum vestrum. Antequam homo Deum sibi elegat, debet eum experiri, aut permittitur illi vt experiatur eum, sed postquã credit omnipotentem, qualem Deum esse oportet, non est experientiæ aut tentationi locus. Iniurius enim illi est valdè, qui eum de scientia, potentia, aut quouis alio tẽtat. Nostrum est præcepta eius custodire: illius verò tanquam seruis, nobis necessaria ministrare.

Si interrogauerit te filius tuus, quæ sunt testimonia. Non solùm parati esse debemus ad rationem reddendam fidei nostræ: sed etiam operum nobis præceptorum. Et considera implenda esse præcepta coram aliis *Opera bona* *coram filiis* præsertim filiis, qui te de operibus tuis possint inquirere vt opere tuo eos doceas operari, & admonitione *proximis* *ostentanda,* *ostentantur.* docere, & ista sunt quæ præcipuè parẽtes debent filios suos docere, nempè leges Dei, & simul inculcare obligationem qua seruare eius leges tenentur.

Dedit portenta magna & mala. Signa & portenta magna solet Dominus dare à principio, sed non malat rebellio verò nostra, & contentio, cum signa mala dare compellunt. Debent etiam filij grati esse non solùm beneficiis sibi exhibitis, sed parentibus.

Iustitia erit nobis si custodierimus. Non debent ob bona temporalia solum legem Domini seruare: sed etiam vtinsti sint, quoniam magna pars præmij est, seruandi mandata, iustum ex obseruantia fieri. Taxantur etiam hic Lutherani, qui putant opera non iustificare.

IN CAP. VII. DEVTERONO. AD LITERAM ANNOTATIO.

Et abstulerit gentes multas à facie tua. Melius vertendum puto. Et euulserit seu eradicauerit, quoniam verbum nasal significat propriè euellere, vt patet infra capite decimonono, vbi dicitur. Ve nassal, id est, Et euulsum fuerit ferrum e ligno. Et vigesimo octauo. Quoniam iissal, id est, euellet se aut euelletur oliua tua: licet Exodi tertio videatur significare remouere, vbi dicitur. Sal ne alecha, id est, solue calceos tuos, de pedibus tuis: sed etiam ibi potes vertere euelle. Qui enim calceum è pede extrahit, ad modum euellentis se habet. Dicit autem textus. Et euulserit, quoniam videtur Deus gentes illius terræ euulsisse vt Iudæos plantaret, iuxta illud Psalmi. Eiecisti gentes & plantasti eos.

Gentes multas & robustiores te. Id est, plures. Vt enim infra dicitur Israel nõ erat populus multus, comparatione gentium earum terrarum. Quæ autem fuerint istæ gentes & vnde oriæ explicatur Gene. 10. fuerunt enim è semine Chenahan.

Non percuties cum eis fœdus. Admonui sæpius, quare fœdus inire, dicatur fœdus percutere. quod scilicet, tunc cùm fœdus inirent, victimas iugolarent & ferirent. Præcipiebat autem non inire cum eis fœdus, ne illorum pessimos mores præsertim idololatriam ab eis discerent, quemadmodum eadem de causa connubia iungere cum eis prohibet: vt statim sequitur. Verbum autem chatan significat affinitatem contrahere, sponsum, generum, aut socerũ fieri: vnde choten, id est, socer, & chatan, id est, sponsus, gener, & chatunah, id est, desponsatio.

Lucos earum succidetis. Aliqui arbores vertunt. Possunt autem grammatici Hebræi, dictionem asserah, id est, lucus seu arbor, in radice asser quod est qui que, sed meo iudicio potius ponenda est in radice iasar quod est rectum esse, & videtur asserah significare arborem rectam quales plãtari solent apud idolorum delubra: vt cupressi & pinus. Vnde illud Psalmi. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, verti posset. Rectus ille vir qui non diuertit ad impiorum viam licet etiam bene vertum sit. Beatus vir, vt diximus Gene. 30.

Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Id est, applicatus cultui diuino, aut separatus ab immunditiis, scilicet, gentium & idolorum, qualem vult Dominus Deus tuus, seu qualis est Dominus Deus tuus.

Te elegit Dominus Deus tuus. Parui refert, quod hic braicè habetur. In te elegit Dominus Deus tuus, postquam sensus redditus est, & quod sequitur.

In populum peculiarem. Diximus de significatione nominis segulah Exodi decimonono. Videtur enim significare quid singulare seu separatum, vt colligitur ex verbis Dauidis primo Paralipom. 29. vbi habetur. In domum Dei mei seu ad domum Dei mei est mihi segulah, id est, separatum aut peculiare aurum & argẽtum. Similiter Malachiæ. 3. Ego facio segulah, id est, separatum quid, seu peculiare. Hieronymus vertit specialem populum hic. Thargum dilectum vertit, sed prior significatio magis placet, quod etiam firmatur ex eo quod dicitur Ecclesiast 2. Coaceruaui mihi etiam argentum & aurum segulah, id est, & peculiare seu separatum quid & rarum.

Non à multitudine vestra præ omnibus populis, complacuit Dominus in vobis. Id est, non propter multitudinem vestram. Verbum autem Chasach quod complacere vertunt hic Interpretes, videtur potius significare complecti, quod ex significatione nominis Chassuch quod est ex ea radice conuinci videtur, quod significat circulum aut filum cingẽtem columnam vt patet Exodi vigesimoseptimo, vbi abundè de huius nominis & verbi significatione diximus. Quare verti posset. Non propter multitudinem vestram præ omnibus populis, complexus est Dominus vos, aut vobis coniunctus est.

Deus fidelis custodiens pactum. Posset etiam verti stabilis, & videtur loco magis congruere.

Reddens odio habentibus eum ad faciem suam. Significat verbum salam propriè integrare id quod diminutum est: vnde verti posset. Integrans odio habentibus se. Nam qui Deo aut proximo iniurius fuit, videtur habere minus quã debet habere, & ille qui passus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est iniuriam plusquam debet, quoniam iniuria affectus est, & ideò cùm punitur, datur illi pœna quæ illi deesse videbatur. Quod verò sequitur ad faciem suam: hebraismum esse puto, & significare idem quod publicè, aut etiam si nolit seu aduersetur. Nam homines aliquando verentur inimicis in faciem resistere, seu iniuriam vindicare, & faciunt illud occultè: non sic verò Deus qui neminem timet, neminem veretur, ideò dicitur reddere in faciem inimicis suis. Quemadmodum dicitur reddere in caput, aut opponēs se faciei eorum. Sic expone quod sequitur. In faciem reddet ei, id est, publicè aut sine timore aut opponens se ei. Alij vertunt. In ipsum aduersus eum.

Et erit merces. Scilicet, si obtemperes & obedias, retribuetur tibi. Aduerte autem quod licet constet echeb, significare mercedem: dubia tamen est allusio quam habet ad verbum achab, & quid verbum ipsum significet. Dicunt enim Hebræi significare seducere, supplantare, fraudare, dolosè agere & remorari, sed meo iudicio significat a tergo tenere, & insidiosè agere, qui enim insidiatur, retro & clam insidiari solet. Hoseah. 12. habes de Iaacob. In ventre achab. id est, à tergo, scilicet, supplantauit fratrem suum, aut eius posteriorem partem tenuit, seu insidiosè egit. Potest enim significatio hæc vltima omnibus locis quibus verbum ponitur conuenire, vt Ieremiæ nono. Quia omnis frater achob iaachob, id est, insidiando insidiosè agit. Item Genesis vigesimoseptimo. Vere vocauit nomen eius Iaacob vaiachebeni, id est, insidiosè egit mecum seu insidiatus est mihi iam duabus vicibus. Sic illud Iob trigesimoseptimo. Tonabit sonitu seu voce potentiæ suæ, & non ieachebem, id est, insidiosè aget seu non decipiet, quoniam sequetur fulgur & pluuia. Inde achob, id est, insidiosum tortum Ierem. 17. Achob, id est, deceptiuum vel insidiosum est cor hominis. Et Isaiæ quadragesimo. Et erit haacob, id est, insidiosum seu inuersum in rectitudinem. Echeb verò duo significat, scilicet, eò quod, & mercedem, quod, scilicet uestigio & quasi ex insidiis sequatur opus ipsum. Operantur sæpius homines non considerantes, quod merces opus eorum uestigio sequatur. Fateor tamen intellectum meum nondum in hac significatione quiescere. Aliqui hic relinquunt nomen echeb sine interpretatione, ac si ociosè poneretur quemadmodum. Munsterus.

Benedicet fructum ventris tui. Id est, multiplicabit prolem, quæ est fructus ventris.

Custodiet Dominus Deus tuus tibi pactum. Constat ex hoc loco Deum non teneri pactum Iudæis seruare: nisi etiam ipsi seruarent leges ipsius.

Frumento tuo & musto tuo. Sic vertimus potius quàm vino tuo, quoniam thiros vinum nouum aut mustum dicitur potius significare, quàm vinum absolutè.

Et oleum tuum. Dictio soar, lucem significat, aut lucernam: vnde lishar, id est, oleum sic meo iudicio dictum quòd lucidum sit: aut illuminet nos.

Primogenito boum tuorum. Ignorant planè Hebræi propriam significationem nominis segar quod hic nostri primogenitum interpretantur, vnde aliqui emissionem seu id quod primum emittit vulua significare dicunt. Alij verò dictionem peregrinam esse putant, & hebraismo adiunctam. Diximus quod nobis de eius significatione videbatur. Exodi decimotertio. Aliqui ex Hebræis loco citato Exodi interpretantur abortium, quoniam eodem contextu iam præcesserat, omnem apertionem vuluæ: sed hic primogenitum interpretantur: non est autem in eorum libertate sic significationem nominum & verborum, pro suo beneplacito mutare, mihi verò apparet dictionem non significare vllo modo primogenitum ex contextu, quoniam præcedit. Benedicet tibi, & multiplicare faciet te. Et benedicet fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ: nempè frumento, vino, & oleo tuo, postea sequitur. Emissioni boum tuorum, id est, partui.

Et gregibus pecudum tuarum. Id est, partui vel emissioni. Aduerte tamen quod etiam dictio asterot quam ferè omnes hic greges vertunt, non est plenè nota. Genesis decimoquarto inuenitur significare proprium locum, quemadmodum primo capite huius libri: sed primo Regum vndecimo nomen est idoli, quod coluit Selomoh rex Israel. Sic Iudicum secundo. Aliqui tamen putant caulas significare. Si radix sit atar nulla esset difficultas, quoniam significaret multitudinem. Significat enim atar multiplicare, & vertendum esset. Et multitudini pecudum tuarum & sic revera esse puto, & quod Tau sit hic litera addititia.

Benedictus eris præ omnibus populis. Id est, copiosior in bonis omnibus, præsertim in prole, quod statim explicat dicens. Non erit in te sterilis, id est, rara, & dictio hebraica achat interpretata sterilis, videtur potius significare eradicatam, vt iam in Genesi admonuimus. Sunt enim filij parentum radices, quod eis sublatis per mortem filij maneant in terra: vnde nos vsque hodie vocamus hominē in terra radicatum qui filios vxorē & alia bona temporalia habet, & bona immobilia vocamus bona radicis: bens de raiz. Vnde & Ierem. 12. habes de impiis. Plantasti eos & miserunt radicem proficiunt & faciunt fructum.

Et omnes ægritudines Ægyptiorum malas. Dicunt Hebræi dauah à quo madue, Id est, ægritudines significare infirmare & egrotare, sed quia iam dixerat & recedere faciet dominus à te omnem infirmitatem, videtur madue significare aliud, & ex coniecturis locorum quibus dictio ponitur videtur propriè significare fluxum, defluxum ac decubitum. Nam Leuitici vigesimo habes. Vir qui dormierit cum muliere dauah, id est, defluente aut fluxum patiente, vbi nostri vertunt cum muliere infirma, quod non bene quadrat, cùm de menstruata sit sermo. Et capite decimoquinto. Quæ dauah, id est, defluit in menstruo suo, quod etiam nostri vertunt, quæ infirma est. Psalmo etiam. 41 dicitur Super lectum deuau, id est, defluxus seu decubitus, quod nostri infirmitatem vertunt. Etiam Leuitici. 12. dicitur. In diebus immunditiæ vel menstrui de votali, id est, fluxus eius, immunda erit. Secundo etiam Samuelis decimo significat vestes non qualescunque sed defluentes, vbi dicitur. Et præcidit madeuehem, id est, defluxus seu defluentes vestes. Et ex his deprehendes quā necessaria sit examinatio dictionum ad venādam propriam significationem, vnde hic vertendum puto & omnes defluxus seu decubitus Ægyptiorum malos, & per defluxus intelligit aut ea quæ de cœlo descenderunt vt grando, & alia quæ fructus destruxerunt, aut omnia quæ ab ipso super eos descenderunt, vel egritudines ex quibus defluebant, meo tamen iudicio sensus est. Et omnes defluxus, id est, omnia illa quæ ego fluere vel descendere feci super Ægyptios mala.

Non parcet oculus tuus super eos. Id est, visis eorum malis, non misereberis eorum, & est hebraismus. *Hebraismus. Non parcet oculus tuus eis.*

Quomodo potero eas expellere? Posset etiam verti. Quomodo potero eas in hæreditatem accipere? scilicet, terras aut gentes, aut hæreditate pellere, quoniam verbum contrarias videtur habere significationes. *plicatur.*

Tentationum magnarum, quas viderunt oculi tui. Vocantur hic tentationes plagę proprie, & experimenta quibus Deus expertus est, an Pharao & populus eius eum timerent, & illi cæderent dimittendo populum.

Crabronem mittet Dominus Deus tuus. Putant Hebræi nomē sidah quod vertimus crabronem significare aliud pestilentis animalis genus. Septuaginta etiam Crabrones reddidére, sed ex radice petēda est significatio. Significat autem sara à quo sirah leprosum esse, & saruah leprosum: vnde videtur significare muscam fœtidam, quæ varios habet colores, præsertim maculas albas & subruphas, nostri vocant moscardos & deserta incolunt, iumentis infensissimam. Cùm enim pungunt statim sanguinem effundunt. Aut erit musca fœtida, leprosos pungere solens. Thargum vespam vertit. Rabbi Dauid hic dicit esse speciem malæ muscæ emittētis venenum, quę oculos percutiebat & veneno

eos afficiebat, & non poterant pugnare, & sic veniebat Israel & occidebat illos, quemadmodum dixit Iehosuah. 24. Non gladio tuo, neque arcu tuo. Diximus de hoc nomine Exodi. 23.

Non stupebis à facie eorum. Verbum arats (vt diximus prioti huius libri capite) significat propriè rigescere, & ex consequenti stupere, quod stupentes rigescere soleant.

Magnus & terribilis. Fortè melius vertas. Eleuatus & terribilis seu timendus, & sequenti clausula pro expellet posses vertere eradicabit seu euellet.

De sub cœlo. Id est, de terra omni quæ sub cœlo est.

Non concupiscet argentum & aurum quæ sunt super ea, vt accipias ea tibi. Solebant gentes idola sua laminis, & vestibus aureis & argenteis operire, & prohibet huiusmodi idolorum ornamenta concupisci. Aduerte etiam quod clausula hæc in hebræo habetur. Non concupisces argentum & aurum, quæ sunt super illa, & accipies ea tibi, vbi locum habet, quod in regulis admonuimus vnam, scilicet, negationem sæpius in hebraismo poni loco duarum, & sensus est, neque accipies ea tibi. Posses tamen absque negatione legere secundam clausulam quemadmodum Sanctes noster legit, scilicet, vt accipias ea tibi.

Quoniam abominatio Domini Dei tui ipsum. Id est, hęc abominatur Dominus deus tuus, abhorret ab eis.

Vt sis anathema sicut illud. Hebraicè & eris anathema. Diximus sæpius de significatione nominis cherem, id est, anathema, quod nō plenè nota sit Hebræis vt diximus Leuitici. 27. Videtur tamen magis propriè significare succisionem vnde vertendum est. Vt sis succisio, id est, dignus qui succidaris quemadmodum illud, scilicet, aurum & argētum, aut idolum, quoniam introducendo hæc in domum tuam, introducis succisionem & perditionem.

Detestando detestaberis illud, & abominando abominaberis. In hebræo hic duo verba ponuntur distincta, scilicet, tahab & sachats, quæ Hebręi dicunt esse eiusdem significationis, neque potui vllum inter ea discrimen inuenire. Vbique enim Hebræi vtrunque dicunt significare abominari.

IN CAPVT. VII. DEVTERO. AD morum compositionem adnotatio.

Amicis & coniugibus nec aliquid possemus negare.

PErdendo perdes eos. *Non panges pactum cum eis.* Admonet hic Moseh Iudæos & sepissimè in sacris literis admonentur, ne aliqua concordię specie eis iungantur, qui eos ad ruinam & Dei sui offensam inducere possunt, & hoc etiam nobis litera loquitur. Et duo prohibet, scilicet, pactum inire, & connubia iungere. Nouit enim sapientissimus legislator, amicis & coniugibus vix aliquid posse negari, ex quibus discimus tarò coniuges diuersarum sectarum posse diu manere quin alter, alterius sectam amplexetur, & quod maximè dolendum est, eum qui falsos sequitur Deos, facilius eum qui verum colit in suam abducere perfidiam, quàm vice versa.

Altaria eorum destruetis, statuas confringetis, & lucos succidetis. Admonui sæpius nihil reliquiarum peccati apud nos retinere, sed omnia proiicere & destruere, ne nos ad peccata reducant. Delenda enim omnino est peccatorum memoria.

Quia populus sanctus es. Multa permittuntur prophanis, quæ sanctis interdicuntur. Non enim debet vir sanctus aliquid impuritatis admittere.

Non propter multitudinem vestram. Audis hic quàm verum sit quod Paulus admonet, non esse electionem sicut neque dilectionem volentis vel currentis, sed dei miserentis. Nam quia vult diligit, & quia volūtariè se astrinxit. Etiam aduerte quid sancti suis valeant.

Non tardabit odio habenti eum. Aduerte hic, quàm graue malum sit odium Dei: quod licet omnibus sit patiens retributor, odientibus se tamen, vindictam non tardat, quibus in faciem reddit. Alios enim peccatores pœna uestigio sequitur, odientium verò faciem sædit.

Si audieris iudicia & custodieris, seruabit tibi Deus pactum. Oportet te promissa Deo implere, si vis eum etiam tibi promissa seruare. Neque speres Deum fidelem tibi: si illi frangas quotidie fidem.

Diliget te & benedicet tibi. Admonet beatus Augustinus nos tā male debita Deo soluere, vt opus sit multa promittere & magna, vt parua illi soluamus debita.

Ponet eas in odio habentibus te. Hoc malum patiuntur qui iustum odio habent, quod ferunt mala sua & iustorum.

Non parcet oculus tuus eis. Extremæ dementię est, in eum esse misericordē, qui erga te crudelissimus est, vnde docemur, quo odio prosequēdi sunt illi, qui nos ad mala inducunt aut prouocant.

Etiam crabronem mittet. Vide quibus copiis Domi nus: inimicos populi sui & suos debellet. Nam quemadmodum Ægyptios valdè diuexauit pediculis ranis & muscis: ita & istos crabronibus & vespis. *Parua copiis Domini sui inimicos suos debellat.*

Expellet Dominus deus tuus gentes, paulatim paulatim. Sunt multi iusti qui statim tentationes omnes volunt Deum ab eis auferre: non aduertentes Deum sæpè permittere nos in minores incidere, ne in deteriores incidāmus.

Tradet eas Dominus coram te. Quare Domine deus non perdes tu eas, sed Israelitis perdendas tradis? Lętabitur (ait sanctus Dauid) iustus, cùm viderit vindictam, sed non solo aspectu cōtentatur: sed manus suas ipse lauabit in sanguine peccatoris.

Non concupiscet argentum & aurum, quæ sunt super ea. Afficiuntur malorum bona, malitia eorum: vt cum suis authoribus digne destruantur, & quicunque illorum bona aufert, secum fert vindictam cui obnoxia sunt. Sunt multi iusti & boni qui cùm viderint prętiosa iniquorum concupiscunt, dolent quòd non ea similiter habeant, gaudent si contingat habere, aut eorum hæredes fiant, non considerantes ea omnia peste præsentissima infecta esse, ita vt destructionem quis inferat in domum suam, qui ad se hæc induxerit, quare fugienda maxime sunt iniquorum bona, neque contingenda, si domum tuam sanam esse desideras.

IN CAPVT. VIII. DEVTERO. iuxta literam adnotatio.

VT *affligeret te, vt tentaret te, vt sciret quæ sunt in corde tuo.* Sæpissimè admonui verbum hanah non propriè significare affligere, sed humiliari & respondere, ideò posset hic verti. Vt humiliaret te, & fortè significantius, quoniam rebelles seruos solemus humiliare & subiicere, vt nobis obtemperent quemadmodum de Agar legimus, quòd humiliāte eam Sarah, fugam arripuit. Aduerte etiam in sequenti clausula explicari, quid sit tentare. Postquam enim dixerat, vt tentaret te, addit, vt sciret quę sunt in corde tuo: vnde tentare est explorare aliquid. Ad hoc enim hæc tentatio tendebat, vt Dominus exploraret quod cor Iudæi haberent erga præcepta eius, an etiam afflicti & tentati, illi obtemperarent vel non. Et memento Deum nihil de nouo scire: sed explorando, ad modum scire cupientis se habere.

Sed in omni eo quod egreditur os Domini, viuet homo. Id est, in omni eo quod Deus dicit vel præcipit eum viuere viuit, aut quo deus voluerit eum viuere, & non in solo pane. Posset etiam exponi. Super omni eo quod ex mandato Domini descenderit, quemadmodum descendebat man. *Non in solo pane viuit homo explicatur.*

Vestimentum tuum non veterauit super te. Posset etiam verti, non fuit consumptum, aut non fuit ruptum desuper te. Dicunt enim Hebræi, verbum balah, significare veterascere & consumi. Infra enim vigesimonono vertit Hieronymus hoc verbum, peratritum esse. Isaię. 65. habes. Et opus manuum suarum, lebalu, id est, inueterabunt electi mei. Est tamen locus primo Paralipom. decimoseptimo, qui suspectam reddit hanc significationem, vbi dicitur. Et non addent filij iniquitatis, lebellato, id est, vt consumant eum, hic tamen posset verti vt atterant eum: vnde videtur prior

Universidad de Deusto
Biblioteca

significatio cõmunior & conuenientior, quod miraculo dandum est, quòd vestis semper portata ad quadraginta annos, nullo modo sit detrita aut consumpta.

Pes tuus non tumuit. Significat verbum basach aut conspergere aut pinsere, & sic basech conspersionem aut massam compressam, & si significet conspersionem sensus est. Pes tuus non fuit conspersus, scilicet puluere, quoniam calcei non fuerunt rupti aut scissi, vt puluis posset intrare, quemadmodum neque vestimentum. Si verò massam, sensus est. Pes tuus non fuit compressus quemadmodum massa comprimitur, nos dicimus amassado. Munsterus vertit non denudatus est. Possemus ergo interpretari. Pes tuus non est luto conspersus, per quod significabit calciamenta nõ fuisse rupta vt puluis aut lutum ingrederetur ad puluerizandum, seu puluere conspergendum pedes, quia dixerat vestimenta non fuisse detrita: ac si dicat, neque vestimenta neque calcei fuerunt detrita.

Quod quemadmodum castigat vir filium suum.
Id est, scito Deum tuum non te castigare, quemadmodum homines castigant inimicos quos vsque ad interitionem puniunt: sed quemadmodum vir castigat filium suum vt erudiat.

Vt ambules per vias eius. Id est, per præcepta quæ sæpissimè via dicuntur, aut per vias quas præcepta eius docent.

Et voraginum egredientium per valles. Vocat hic voragines seu abissos, aut aquas profundas, aut aquas quæ egrediuntur ab imo terræ, & ponitur hic tehon, id est, abissus de cuius significatione abundè diximus Genesis primo, & melius legas ex vallibus quàm per valles.

Terra in qua non in paupertate comedes panem.
Verbum sachan quod hic in paupertate comedere vertit Sanctes, videtur potius significare stringere includere & arctare. Vnde hic possemus vertere, in inclusione seu strictione comedes panem, id est, in qua non comedes panem quemadmodum inclusi seu obsessi, qui comedunt panem arctum, & bibunt aquam non in saturitate. Significatio tamen verbi non plenè nota est, & Hebræi dicunt significare prodesse, increpare, assuescere, thesaurizare, nocere & pauperare. Expendimus satis verbi significationem Numeri. 22. vbi videre licebit quæ diximus.

Non deficies omni in re. Id est, non carebis seu indigebis in ea aliquo, quoniam omnia necessaria ad vitam, ipsa producit.

Terra cuius lapidem sunt ferrum. Loquitur de lapidibus subterraneis qui sunt in fodinis, ac si dicat. Habet fodinas in quibus inueniuntur lapides, ex quibus fit ferrum, aut qui sunt ferrum.

E montibus eius excides æs. Verbum chassab aut significat excidere seu dolare, aut fodere, & videtur proprie significare scindere in petra aut re aliqua dura: quemadmodum cùm effoditur in petra sepulchrum aut cisterna. Supra capite sexto huius libri habes. Et cisternas Chasubim, id est, excissas seu effossas, quas nõ excidisti aut effodisti. Et Isa. 22. Quia chasabta, id est, excidisti aut effodisti tibi hic sepulchrum. Et primo Regum. 5. Et octoginta millia Choseb, id est, cedentes ligna in monte.

Caue tibi. Hebraicè est. Sis custoditus, & miror quare Interpretes ab hac locutione sic abhorrẽt, vt nusquam sic vertant: cùm sic sit in hebræo.

Ne fortè comedas. Supplenda est litera præcedens, scilicet, sis custoditus, nè fortè comedas.

Serpentis aduretis & scorpionis. Id est, serpentis cuius morsus maximum causat ardorem, quales erãt qui Israelitas momorderant Numeri. 34. Tradunt autem Historici qui Catonis exercitum in Libia scribunt, sub harenę cumulis, id serpentis genus delitescere, vbi miles ab ea peste morsus, ad mare, insano impetu accurrit, cumque magnam assalsarum aquarum vim ebibisset, repentè extinctus est. Aliqui volunt hoc serpentis genus illud esse, quod Græci vocant Dipsas, quod est sitio, quod videlicet ab eis morsi maximè sitiant. Verbum hebraicum saraph, à quo ortum habet saraph, id est, aduren, significat vrere & comburere. Et scorpionis. Licèt Numeri. 34. dixerimus de significatione dictionis achrab, id est, scorpio quæ hic ponitur, est aduertendum dictionem poni loco Numeri citato, & primo Regum. 12. vbi dicit Roboam populo. Ego corripiam vos bahaachrabim, id est, scorpionibus, quod alii qui vertunt spinis. Sic Ezechie. 2. Et cum hachrabbim, id est, scorpionibus vel spinis habitas.

Eduxit tibi aquam è petra silicis Non constat quid propriè significet Chalamis quod nostri hic silicẽ vertunt Hebræi dicunt significare durum, sed quia non dicitur nisi de petra, putarem significare certum lapidis duri genus, quale est silex: seu lapis à quo ignis educitur, vt res mirabilior sit: vt scilicet, de petra à qua ignis educitur, eduxerit Dominus aquam populo, & alias quando vt hic dicitur de petra silicis, nonnunquã econtrario de silice petræ, vt infrà. 32. Et oleum me chalmis, id est, de silice petræ. Posset tamen durities significare (vt diximus) & tunc vertendum esset. De durities petræ, id est, de petra dura.

Qui comedere fecit te man in deserto, quod non nouerunt patres tui, vt humiliaret te. Non fecit comedere man, vt humiliaret seu affligeret eos. vnde hoc videtur referendum ad omnia mala præcedentia, quæ passi sunt in deserto, aut ad desertum, vt sit sensus. Fecit te man comedere in deserto, vt deserto ipso humiliaret te, aut fecit comedere te man, sine aliis cibis in deserto vt te affligeret seu humiliaret. Arbitrabantur enim Iudæi se maximè afflictos, quòd nõ haberent aliud quàm man ad manducandum: vnde Numeri. 21. dicunt. Anima nostra arida est, oculi nostri non aliud vident quam man.

Vt benefaceret tibi in nouissimo. Hæc est Domini conditio, scilicet, affligere & tentare, vt tandem benefacia, quemadmodum fecit Iudæis, quibus post tot tentationes & squalores deserti: dedit terram omnibus bonis affluentem.

Conditio dñi est affligere seu vt eis in nouissimo bene faciat.

Fortitudo mea, & robur manus meæ. Dictio prior, scilicet, choach, quã fortitudinem vertimus, virtutem seu potentiam significat & etiam virorem, & de priori significatione exemplum habes Numeri. 14. vbi dicitur. Magnificetur quæso choach, id est, potentia seu fortitudo Domini. De secunda verò Psalmo. 22. Aruit tanquam testa chochi, id est, viror meus, aut fortitudo mea. Secunda verò dictio, scilicet, ofem fortitudinem significat, tertia verò, scilicet, chaiil significat exercitũ: vt patet secundo Samuelis vigesimoquarto. Et super principes Hachaiil, id est, exercitus. Idem Exodi. 14. & Ieremiæ. 37. Dicunt Hebræi etiam significare vires, fortitudinem & opes seu substantiam, quod homines fortes & robusti soleant esse diuites non pigri & desides, dicunt etiã chel significare antemurale, ad quod probandum citant illud Threnorum secũdo. Et luxit chel, id est, antemurale. Significatio non est plenè nota. Videtur autem significare robur, & ex consequenti exercitum, quòd vires addat & habeat, opes verò quod sint fortitudo illis qui eas habent, iuxta illud Ecclesiast. 7. Sicut protegit sapiẽtia, sic protegit pecunia: antemurale verò quia fortificat murum. Verte ergo. Et dicas in corde tuo. Potentia mea, & robur manus meæ, fecit mihi substantiam hãc, aut hoc robur. Sic inferius cùm dicitur. Ipse dat tibi robu seu potentiam: vt facias substantiam hanc.

Sicut die hac. Scilicet, constat, aut sicut die hac fecit.

Coluerisque eos. Scilicet ornamentis & aliis, *& incuruauerit te ei.* Scilicet, adorando eos.

Eò quod non parueritis voci Domini Dei vestri.
Pro eo quod ponitur in hebræo echeb, quod vt diximus significat mercedem, finem, & eò quod, vnde etiam verti posset merces, scilicet, hæc erit vobis quòd non colueritis Dominum Deum vestrum, aut finis erit vobis.

IN CAPVT. VIII. DEVTERO.
ad morum elegantiam adnotatio.

Custodietis

Custodietis vt faciatis: vt viuatis, & multiplicemini, & ingrediamini, & possideatis terram.

Quæ nobis vtilia pariat bonorum præceptorũ obseruantia

Innumeræ sunt vtilitates, incredibilia bona quę nobis affert præceptorum Domini obseruantia, & hic habes quatuor. Conferunt enim vitam, multiplicant populum & prolem. Faciunt ingredi promissam terram, & conseruãt eius possessionem: in his enim omnibus, omnis huius vitæ fœlicitas consistit, scilicet, in acquisitione & conseruatione bonorum, ac multiplicatione.

Vt cognosceres quòd non in solo pane viuit homo.
Expende quid vtilitatis, tibi afferat, rerum temporalium indigentia & subtractio, nempè nutrimentum Dei & exploratio cordis tui. Compellit enim hominem sperare in Domino, & in eum iactare cogitatum suum.

In omni quod egreditur de ore Domini, viuit homo.
Humiles & obedientes valdè sunt serui Dei, vt eo cibo contentẽtur, quo cibare eos voluerit Deus suus. Si dederit mannah & delicatissimos panes, comedunt & saturantur, idem si carnibus aut piscibus eos pauerit. Si verò spicis manibus defricatis libenter vescuntur. Si autem pane lachrymarum, non respuunt, imò quod mirabilius est gaudent. Audi Psalmistam, Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis & in mensura, Lætati sumus pro diebus quibus vidimus mala, & quibus nos humiliasti Ezechieli semel præcepit volumen comedere, comedit & fuit in ore eius sicut mel præ dulcedine.

Dominus Deus tuus introducit te in terram bonam.
Quemadmodum conditio impiorum est, extenuare & diminuere beneficia Dei, ita & iustorum est ea exaltare, & per singula laudare. Audi quid dicat Chorach Mosi Numeri. 16. Nunquid parum est quod ascendere fecisti nos è terra Ægypti fluente lacte & melle: vt moreris nos in solitudine? Etiam non ad terram fluentem lacte & melle, venire fecisti nos, neque dedisti nobis hereditatem agri & vineæ. Ipsi quia pessimi, terrę detrahunt, Moyses quia iustus extollit. Habes etiam hic ad bonitatem terræ pertinere, omnia necessaria in se habere: nihilo alibi indigere, quod rarò nisi in terra Domini inuenies.

Dominum conditio est amicitiæ bene facere, sed nouissimo affligere, Deus verò omnia bona ad fidē seruat.

Saturaberis & benedices Domino Deo tuo.
Ecce ad quid ô homo tibi dominus dat saturitatem vt scilicet, saturatus illi benedicas, tu verò ecõtrario cùm diues fueris, nihil de eo cogitas neq; cognoscis illum: vnde sequitur. Et eleuetur cor tuum & obliuiscaris Domini Dei tui. Hoc enim est vitium quod diuites maximè insequitur, scilicet, obliuio Dei. Audi Selomonem Prouerb. 30. Diuitias ne dederis mihi. Sed quare sic ã diuitiis abhorres vir bone, & sapiẽs? Ne fortè satier & negem, & dicam quis est Dominus?

Vt benefaceret tibi in nouissimo tuo. Hæc est conditio Domini, scilicet, benefacere in nouissimo, quare cùm fueris tentatus, nouissimum expecta bonum. Alij amici tibi in principio bona ostẽdunt, in fine verò non tales eos inuenias, non sic Dominus deus tuus, sed in principio suos torquet affligit & tentat, in nouissimo verò benefacit & seruat meliora & dulciora.

Potentia mea & robur manus meæ, fecerunt mihi substantiam hanc. Multos hoc vitium inuadere solet vt cùm multa bona acquisierint arbitrentur ea sua fortitudine aut industria acquisisse, & quia non vident auxilium Domini, omnia sibi tribuunt. Considera ergo vnde vires & robur habeas, quis vitam & sanitatem tribuat: vt non putes esse tua, quę Dei potentia nactus es, quòd si in te merita, quorum causa te Dominus ditauerit, non inueneris considera merita parentum, ob quorum bonitatem Dominus filios ditare solet. Sed libet nunc ad finem huius capitis adducere, quæ Hebræi super illud verbum. Comedes & benedices Domino Deo tuo, adducunt de modo sumendi cibum, & benedictionibus mensæ, qui dicunt omnia hæc seruanda in mensa. Primum quòd absque instructa mensa non sit edendum. Secundo quòd manus prius sunt abluendæ & tergendæ. Similiter standum est, non sedendum aut parieti aut cuiuis alio innitendum. Eligenda aqua pura non falsa aut corrupta. Fundenda aqua tribus vicibus super manus, & prima ablutione, digiti sunt sursum leuandi, in posterioribus demittendi. Suntque manus simul lauandæ, non vna post alteram, neque sat est manus mappa bene tergere, neque etiam sufficit cochleari cibum sumere illotis manibus, qui autem è cloaca ad mensam accedit, bis lauare manus tenetur. In lotura verò manus, sinistra dexteræ seruiat. Lotæ manus sursum leuandæ sunt ad benedicendum Dominum iuxta illud. Extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. Pauperibus aliquid de cibo dandum est, nemo etiam in donis Dei sit vorax, sed comedendum cum timore Dei & honestate. Mensa etiam non debet peragi sine verbis legis. Manus etiam sumpto cibo abluendæ sunt. Addam autem potus & cibi benedictionem, quoniam Christus apud Lucam in vltima cœna eam seruasse videtur. Cùm enim in solenni conuiuio patersamiliãs, mensæ accumbit, poculum vino refertum, dextera manu apprehendit, moxque ita orare incipit. Benedictus sis tu Domine Deus noster rex mundi, qui creas fructum vitis, quo dicto, primus vinum degustat, quod statim mensæ accumbentibus degustandum porrigit, qua benedictione Christus vsus est (vt Lucas scribit) qui dicit. Et accepto poculo, gratias egit: ac dixit. Accipite vos, & diuidite inter vos. Post calicis vero benedictionem, statim panem quem integram massam esse oportet, accipit, eumque vtraque manu tenendo, his verbis consecrat: Benedictus sis Domine Deus noster, qui educis panem de terra, quo dicto patersamiliãs, panis paululum edit & buccellam de eo omnibus accumbentibus distribuit, quo facto reliquis epulis manus iniiciunt. Sunt & aliæ benedictiones omnium comestibilium, quæ consulto omittimus, ne tibi traditiones Iudæorum obtrudere videamur. Parce prudens lector si tibi hæc displicent, quoniam ea attulimus vt intelligas quàm verum sit illud Christi. Iudæos, scilicet, propter has suas traditiones reliquisse quæ grauiora sunt legis. Si plura huiusmodi videre delectat, lege Paulum Fagium in hunc locum, qui ferè omnes eorum benedictiones ex hebræo huc transtulit, nobis non vacat neque lubet de his plura enarrare, quoniam inutilia sunt.

Modus benedicendi mensam quã Iudæi obseruant.

IN CAPVT. VIII. DEVTERO.
iuxta literam annotatio.

Vt transis hodie Iarden. Id est, breui es transiturus, & est schema hebræum. Tu facis hodie hoc, id est, breui es facturus.

Munitas vsque ad cœlum. Significat verbum sur proprie stringere, includere, angustiis affici, vt sæpius admonuimus. Quòd verò sequitur, vsque ad cœlum, exaggeratio est, explicans murorum altitudinem.

Filios Hanach quos tu cognouisti & audisti.
Diximus de filiis Hanachim secũdo huius libri capite. Hanachim enim Gigas fuit, cuius tres filii suis nominibus explicantur Numeri. 13. quos Iudæi percussérũt vt habetur Iudicũ primo. Cognouit autem Israel istos filios Hanachim in Hog rege Bassan, quem occiderunt, vt habetur capite tertio huius libri, qui solus remanserat de stirpe Hanachim, vt dicitur capite citato. Audierunt etiam de eis ab exploratoribus: vt habetur Numeri decimotertio.

Quis stabit ante filios Hanach? Manca videtur litera, & suppleniam videtur. De quibus dicebatur, aut de quibus dicebat. Quis stabit ante filios Hanach? Et si de Iudæis intelligas, hoc fortè dixerunt quando ab exploratoribus de eis audierunt. Aut vt Munsterus vertit. Et audisti dictum. Quis stabit ante filios Hanach?

Ipse consumet eos, aut finiet. Sic melius vertas quàm ipse perdet eos, quoniam verbum samad, potius significat deficere & finire, quàm perdere: vt patet Iudicum vigesimoprimo, vbi dicitur. Quia nimadah, id est, consumpta

Universidad de Deusto
Biblioteca

consumpta est seu defecit mulier de Biniamin. Diximus de verbi significatione Genesis. 24. & hic magis quadrare videtur, quoniã præcedit Deum esse ignem consumentem, vnde sequitur, quòd debeat eos veluti ignis consumere.

Et ipse humiliabit eos. Non bene cognoscunt Hebræi significationem verbi chana, quod dicunt significare contrahere, humiliare & negotiari: sed verbi propria significatio videtur humiliare, quæ omnibus locis quadrat: vt primo Regum vigesimoptimo. Nónne vidisti quòd nichna, id est, humiliauit se Achab? Et sequitur. Pro eo quòd nichna, id est, humiliauit se à facie mea. Et secundo Paralipoménon duodecimo. Cùm vidisset Dominus quòd nichnau, id est, humiliauit se. Est tamen ab hac radice nomen chenaan, id est, mercator, quod nullam alluſionem ad verbi significationem habere videtur. Posset tamen dici Chenaan esse alterius radicis, propter aditum nun vltimum.

Propter iustitiam meam, introduxit me Dominus: vt possiderem terram istam. Hebraicè est. In iustitia mea. sed sensus redditus est.

Et propter impietatem gentium istarum, Dominus expellit eas à facie tua. Licet verum sit Deum has gentes sedibus suis pellere, non debes tu tamen dicere hoc, cùm tam impius sis sicut illæ, aut ferè. Et quod dicitur à facie tua, idem est quòd ante te.

Quia populus duræ cervicis es, id est, intractabilis, vt, scilicet, nemo collum tuum iugo submittere possit.

Rebelles fuistis Domino. Posset etiam verti, amari fuistis Domino, quoniam marat & marah, amarum esse significant potius quam rebellem esse.

In Choreb. Nomen est montis deserti Sinai, in quo Dominus legem dedit, & cum Moseh sæpius loquutus est.

Tabulas pacti, id est, in quibus erant decem præcepta, super quibus erat pactum inter Deum & vos.

In die congregationis, id est, qua congregati estis ad audiendam legem ex ore Domini.

Dimitte me. Verbum raphah, quod hic multi vertunt dimitte me, videtur propriè significare remissum & debile esse, licet Hebræi addant significare desinere, sed vbi desinere vertunt, etiam quadrat remissum esse vt hic, & vertèdum puto, remissus sis à me seu remisse mecum age, ac si dicat, non me vrgeas. Posses tamen vertere cessa à me, quoniam in hebræo est à me. Diximus de verbi significatione Exod 5. Addimus tamen, optimè conuenire cessare.

Delebo nomen eorum de sub cœlo, id est, faciam vt non memoretur nomen Israel vltra, in terris quæ cœlo operiuntur.

In gentem robustam & maiorem eo. Germanius vertas & plurem eo, quoniam rab multitudinem significat, & potest intelligi. Præficiam te in fortem gentem & plurem, aut faciam te, id est, vt sis author & pater multarum gentium, vt scilicet, innumerabiles ex te oriantur, & suscitabo in te patrum promissiones. Et aduerte quòd Moseh non indicauerat hæc Iudæis quãdo acciderunt: modo verò reuelat illis hæc ea, vt a similibus caueant, scientes in quo discrimine fuerint, propter idoli fabricationem.

Erant in duabus manibus meis. Videtur ex hoc loco tabulas fuisse separatas non ligatas ad modum libri, quemadmodum diximus Exodi trigesimosecundo: sed dicendum quòd licet non fuerint ligatæ, erant tamen ita dispositæ vt facilè ad modum libri claudi possent. Potuit etiam fieri vt eas ligatas duabus manibus attulerit.

Et orauí etiam pro Aharon. Hebraicè est in vsque Aharon, id est, orationem meam vsque ad eum extendi.

Et peccatum vestrum quod feceratis, vitulum accepi. Vocat hebraismus sæpè peccatum, peccati ipsius materiam, sicut hic vocat vitulum peccatum, quòd fuerit peccati materia quem, scilicet, coluerunt.

Et contrui eum bene. Verbum nachah percutere significat propriè, sed contritio aliqualis percussio est.

Et in incendio. De hoc meminit scriptura Numeri vndecimo.

Et in tentatione. De tentatione ad aquas contradictionis est sermo, cuius meminit scriptura Exodi. 17. & Numeri. 20. De sepulchris verò concupiscentiæ Numeri vndecimo sermo est.

Et quando misit Dominus vos ad Chades Barneah, Loquitur de peccato quo ad imperium Domini noluerunt intrare terram, ab explóratoribus deterriti: vt habetur Numeri 13.

Irritastis os Domini. Melius & germanius vertas: amaricari fecistis, & sic verte vbicunque irritare inueneris.

Et prostratus me coram Domino quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Ista est tertia quadragena ieiunij sancti Moseh, cuius hucusque nulla in scriptura facta est mẽtio, quam sustinuisse videtur pro rebellione, qua ad eius imperium noluerunt intrare terram: sed murmurauerunt aduersus Deum, ob quam decreuit eos in deserto mori, qui in Ægypto signa viderant, & ex misericordia ieiunio & precibus Moseh motus noluit eos omnino delere: vbi experiris quod in regulis admonuimus: multa, scilicet, suis locis omissa, postea verò suppleri. Neque puto virum Dei, semper iacuisse prostratum, quoniam misericors Deus non pateretur tam dilectum seruum tam diu coram se iacere, qui hoc non permisit seruo, scilicet, Iosuah in causa Acham Iosuah septimo, sed credẽdum est, eum omnibus diebus prostratum orasse.

Ne dispердas populum tuum. Ponitur hic verbum sachad, quod Interpretes in multis locis vertunt corrumpere.

Ne respicias Posset etiam verti. Ne te vertas ad duritiam populi huius, id est, dissimula, terga & non faciem vertas.

Ne fortè dicant incolæ terræ. Hebraicè sic est. Ne fortè dicat terra, id est, habitatores terræ.

Quia non potuit Dominus introducere eos. Hebraicè est, A non potuit: sed sensus bene redditus est, & vritur sanctus Moseh in oratione frequentissimè hoc argumento, quoniam vim illius fuerat frequenter expertus.

IN CAPVT. IX. DEVTERO.
ad morum ornatum adnotatio.

Ne dicas in corde tuo. Cùm propulsauerit Dominus eos à facie tua. Propter iustitiam meam, introduxit me Dominus. Arguit locus iste hominum vanitatem, qui ex successibus solent sua bona metiri, putantes omnia sibi propter bona opera euenire, cùm tamen sæpissimè mens sibi mentiatur de bono habere quod non habet, & de malo non habere quod habet. Videbis hominem, cui si post datam pauperi eleemosynam, aliquid iocundum aut vtile euenerit: hoc statim eleemosynæ quam contulit, tribuere. Quemadmodum si post peccatum quid sinistri acciderit, statim in peccatum quod præcessit illud refert, sicut legimus de filiis Iacob, quibus cùm post fratris venditionem vincula in Ægypto euenirent: precedentis peccati non immemores dicunt: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Sed quemadmodum sæpè mala non ob peccata nostra nobis eueniũt, vt de cæco nato Christus Ioannis nono explicuit, sed quia Deus vult, ita nequ- bona ob nostra merita, sed Dei misericordia. Putare tamen mala nobis nostris demeritis accidere valdè vtile nobis est, sed arbitrari bona, ob nostram iustitiam nobis euenire vanissimum est. Et quod magis dolendum est, videre hominem cui nõ suppetunt merita neque opera bona, ea vanissimè fingere, in quæ referat, si quid sibi prosperè succedat. Genes. 42

Et propter impietatem gentium istarum, Dominus expellit eas à facie tua Explicat Dominus statim se gentes illas ob suas impietates perdidisse, non tamen vult eos hoc iudicare, ne se arbitrentur eis sanctiores. Solẽt enim homines, cùm inimicos suos viderint à Domino diuexatos,

diuexatos, se sanctiores illis putare, illosque peccatores æstimare: quod tamen Dominus hic valde prohibet. Quare pro constanti habendum est, quòd licet Dominus propter iustos aliquãdo impios puniat, nunquàm tamẽ propter impios. Putare ergo aliquem propter te à Deo percussum, est te iustum arbitrari & illum impium. Cùm ergo impius fueris, & videris impium punitum qui tibi aduersatur: aut tibi bona illius conferri, non te statim iustum æstimes, sed puta illum non propter te, sed propter peccata sua meritas dedisse pœnas.

Memento quòd iracundiam feceris Domino. Considera quàm sapienter & quàm vtiliter, doceat te Dominus Deus tuus temperare gaudium boni successus: vt scilicet recolas peccata quæ feceris, cùm tibi videris cuncta prospera euenire. Si quis enim prouide cogitauerit peccata quæ fecit, quomodo poterit cogitare aliquod bonum sibi sui causa concedi? Inculcanda docet sanctus vir peccata illi, cui aliqua videris succedere ad vota.

Panem non comedi & aquam non bibi. Vides quomodo oporteat hominem se disponere ad suscipienda dona Dei, nempe ieiunio & oratione.

Panem non comedi & aquam non bibi: propter peccatum vestrum, Sunt peccatores qui peccata non æstimant, quia nesciunt quanti constitit eorum remissio: quibus hoc inculcandum est, vt peccare timeant. Discant etiã ex hoc loco quanti iustis constet peccatorum suorum remissio, vt illis grati sint: & quòd sunt multi iusti qui pro eis etiam eis ignorantibus intercedunt. Vbi etiam pulchre docet sanctus vir, non esse explicanda pericula & mala, ob malum perpetratum imminentia: ac difficultas veniæ: cùm peccator in furore & libidine peccandi excæcatus est: sed tempus expectandum quo mentis sit compos: vt tunc illi explices quæ sibi mala immineãt. Sic feciſſe videbis sapientissimam illam fœminam Abigail, cum viro suo Nabal: cuius liberam mentem ad correctionem expectasse legimus. 1. Reg. 25.

Et in incendio & in tentatione. Expende quæso quàm bene vir sanctus subditos disponat ad accipienda bona præsentia, referendo illis præterita mala. Solet enim Dominus, seruum quem extollere vult prius humiliare, quemadmodum de sancto Dauide legimus, cui cùm Dominus vellet promittere perpetuum regnum, commemorauit illi se illum ex patris ouibus extulisse. Deut. 7.

Prostratus me coram Domino. Hoc est munus boni pastoris, opponere se murum pro ouibus suis: eis insciis, & etiam ingratis. Quæ autem sequuntur explicuimus Exodi trigesimotertio.

IN CAPVT. X. DEVTERO.
iuxtà literam adnotationes.

Dola tibi duas tabulas lapideas. Significat verbum pasal Hebræis dolare & sculpere, & dicitur tam de lapidibus quàm de lignis. Et quod dicitur. Dola tibi, hebraismus est, quemadmodum quod sequitur. Fac tibi arcam ligneam: vt sæpius admonui. De lignis verò Sittim abundè diximus Exodi vigesimoquinto, & sunt optima inter species cedri vt Hebræi dicunt.

Et filij Israel profecti sunt de Beeroth. Putarem reuera ea quæ hic de mansionibus dicuntur, inserenda potius textui capitis trigesimitertij. Sæpius enim admonui, scripturam non seruare gestarum rerum ordinem. Aduerte autem quòd hæc mansio in cathalogo mansionum omissa est, & vt aliqui dicunt fuit eadem cum mansione in monte Hor, sed ibi denominatur à monte, quoniam in eo obierat Aharon, & est mansio trigesimaquarta, neq; est idem Moseroth, in quo fuit mansio vigesimaseptima, & Moserah in quo (vt diximus) fuit trigesimaquarta & vbi mortuus est Aharon. Dicitur autem hic post mortem Aharon populum venisse in Lothbath quæ mansio in cathalogo Numeri trigesimotertio præcedit Hebronah, & Hesion Gaberi portum maris Elanthici: vnde videtur apertissimè constare, quòd in monte Hor, aliquando prius extiterint quàm in Hesion Gaber, quod etiam Numeri vigesimo primo haberi videtur. Sunt autem tot difficultates in huiusmodi mansionibus, vt putem consultum omnia hæc sine expositione præterire; postquam nihil certi habere possumus. Quod autem vertimus. A Beeroth filiorum Lahchan, potest verti. A puteis filiorum Lahchan; & fortè sunt putei aquæ è petra percussæ à Moseh fluentis. Qui autem sunt isti filij Lahchan ignoratur.

Inde profecti sunt in Gudghodah. Etiam ignoratur hæc mansio quam aliqui dicunt fuisse in monte Sinai aut propè, quoniam separatio sacerdotum ibidem fuit.

Ad benedicendum in nomine eius. Munus erat sacerdotum benedicere populum inuocando nomen Dei super illum, vt patuit Numeri. 6. vnde sensus est, ad benedicendum in nomine meo, id est, inuocãdo nomen meum. Si verò hoc ad Leuitas referas, per benedicere nomini Domini intellige laudare, laudibus attollere, sed prior expositio germanior est.

Surge vade ad profectionem ante populum, id est, per profectiones. Posset etiam esse præceptum vt ipse cum arca Domini populum præcederet, vt dictum est Numeri decimo.

Vt ambules per omnes vias eius, id est, facias quæ tibi præcepit. Vocantur enim sæpissimè præcepta Domini viæ eius.

Colas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, id est, non simul cum idolis, vt pars cordis tui Deum verum colat, alia verò pars deos fictitios, & per animam voluntatem seu desiderium intellige.

Domini Dei tui sunt cœli & cœli cœlorum. Possumus per cœlum cœlorum supremum cœlum intelligere: sed quia in creatione rerum vnius cœli sub firmamenti nomine mentio facta est, posset dici quòd per cœlum intelligit aërem & per cœlum cœlorum firmamentum, aut cœli cœlorum, id est, astra cœlorum quemadmodum de terra dicit, terra & omnia quæ sunt in ea.

Circumcidite præputium cordis vestri. Dupliciter possunt hæc verba interpretari. Vno modo. Auferte cæcitatem cordis vestri. Videtur enim cor obcæcatum elatum, qualis ab Hebræis, is qui præputium habet vocatur. Secundus sensus est auferte duritiam cordis vestri. Ieremiæ quarto videtur significare scindere vel auferre malas cogitationes. Sic enim ibi habetur. Arate vobis aruum & ne seratis super spinas. Circuncidite vos Domino, & auferte præputia cordis vestri viri Iehudah, propter malitiam operum vestrorum. Ex quibus videtur esse aut mala studia, aut operum malitiam resecare. Ceruicem verò indurare, est nolle obedire mandatis Domini, illique resistere.

Est Deus Deorum, id est, omnibus diis superior, sic Dominus dominorum dicitur.

Qui non accipit personam, neque accipit munus. Explicuimus hunc hebraismum cum aliis. Est enim personæ intuitu aliquid iniquè agere. Dicitur autem hoc recipere personam, quoniam qui hoc facit non respicit causam seu merita causæ: sed solùm personam. Eugubius explicat esse ex facie ex qualitate, diuitiis & facultatibus personas distinguere, easque acceptas habere. Non accipit etiam munus quoniam nullo indiget, aut ad peruertendum iudicium.

Faciens iudicium pupillo. Quoniam iudices non illis ius dicunt. Meminit autem se esse Iudicem inflexibilem vt eos ab iniuriis pupillorum & viduarum deterreat.

Dando illi panem & vestimentum. Inducit eos suo exemplo ad bene tractandum peregrinos, quibus necessaria omnia prouidet.

Dominum Deum tuum timebis, scilicet, in corde tuo. Illi seruies, scilicet, externo cultu.

Ei adhærebis, vt, scilicet, non te alteri Deo iungas, sed vestigia eius sequaris.

Et in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et in nomine eius iurabis. Cùm, scilicet, iurandum tibi fuerit, quod vt diximus præcipit, vt ab eis auertat iuramenta per falsos Deos.

Ipse est laus tua, id est, cuius gratia laudaberis à dicentibus: Beatus populus cuius Dominus Deus eius, aut ipse laus tua, id est, quem debes laudare, sed prior sensus germanior est.

IN CAPVT X. DEVTERONO.
ad mores componendos annotatio.

OMnia ferè quę huius capitis ad mores aptari possunt, tractauimus Exodi trigesimotertio, ideò hic pauca annotabimus.

Et nunc Israel, quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum & Pauca & facilia valdè sunt, quæ Dominus à nobis petit, multa verò & magna, quæ pro horum paucorum obseruatione præstabit, sed tale est hominum ingenium, vt neque hæc pauca & facilia seruet. Et tria sunt quæ ex te petit hic: nempè vt timeas eum, vt ambules per omnes vias eius & vt diligas eum ex toto corde, quibus nihil potest esse facilius, quæ verò ipse pro horum obseruantia præstet audi.

Ecce, inquit, Domini Dei tui sunt cœli, & cœli cœlorum, terra & omnia quæ sunt in ea. Ad quid bone Deus, te diuitem iactas? Ad quid Dominum cœlorum & terræ te esse dicis, nisi vt ostendas te omnia hæc seruis tuis præstare posse? & revera præstas. Domini sunt cœli & terræ, qui te timent, diligunt & vias tuas custodiunt. Non petit aurum aut argentum tuum, non prędia, non opes, non filios aut vxorem, sed timorem & amorem.

Elegit semen eorum post eos. Etiam hic annotare memento quid valeant iusti & sancti posteris suis.

Circumcidite præputium cordis vestri. Quid Iudæe iactas carnis circumcisionem, cùm te Dominus hic præcipiat cor circuncidere? Omnes gentes (ait Dominus) præputium habent. Israel verò incircunciſus est corde. Expende ergo quid deterius sit, habere ne carnis aut cordis præputium. Non enim (ait Paulus) qui in manifesto Iudæus est, neque quæ carnis est circuncisio à Domino probatur, sed qui in abscondito & qui cordis præputio caret.

Ieremi.9.

Rom.2.

Deus vester Deus deorum. Quid mihi eius potentiam iactas bone vir? Vt scias quàm grauissimè te possit pro peccatis tuis punire, & ne putares posse eum tua potentia aut diuitiis placare & corrumpere. Audi quid dicat. Qui (inquit) non accipit personam, neque munus.

Faciens iudicium pupillo. Necesse est vt qui Iudicem in terris non habet, habeat cœlestem. Time ergo pupillum offendere, viduam vexare, cùm audias eis à Deo ius dicendum.

Ipse est laus tua. Considera hominum socordiam, qui omnia sua iactant nisi Deum. Qui habent diuitias de eis superbiunt, qui bonas artes aut mores, hæc frequenter enumerant, similiter seruos & ancillas & omnia sua, nemo tamen aut rarus qui se iactet de bono Deo. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, ego autem dico beatũ populum cuius Dominus Deus eius. De nullo alio potest magis populus laudari quàm de bono Deo. Quemadmodum ergo iactas sapientiam & potentiam tuam, vires ac diuitias, sic te iacta de deo tuo dicens. Non est alia natio tam grandis quæ deos habeat appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.

IN CAPVT. XI. DEVTERO.
iuxta literam annotatio.

CVstodi custodiam eius, & statuta & iudicia eius, & præcepta eius. Explicui in fine canonum discrimen inter omnia hæc, & multis aliis locis quos consulere licebit.

Scitote hodie quòd non cum filiis vestris. Suspensa videtur sententia hæc, quoniam nõ explicatur quid non fecerit cum filiis eorum: sed cum eis: vnde Munsterus vertit ad hoc explicandum. Quoniam non cum filiis vestris loquor. Posset etiam suppleri. Quoniam non cum filiis vestris pacisci tur Dominus pactum hoc, aut quoniam non cum filiis vestris loquitur Dominus.

Non viderunt castigationem Domini Dei vestri. Vertit hic Sanctes noster eruditionem, sed non tam bene, quoniam de punitione non de eruditione Ægyptiorum sermo est, & verbũ iasar à quo musar, id est, castigatio, non tam erudire, quam flagellare significat & castigare. Ieremiæ trigesimoprimo. Castigasti me vehuasser, id est, & castigatus sum. Et Prouerbiorum decimonono. Verbis non iinasser, id est, castigabitur seruus.

Qui inundare fecit aquas maris finiti, super facies eorũ. Non plenè constat quid propriè significet verbũ suph, quod vertimus inundare. Dicunt autem Hebræi significare natare, ad quod citãt illud Threnorum tertio. Saphu, id est, natauerunt aquæ super caput meum. Et Ezechielis trigesimosecundo. Et irrigare faciam terram saphatecha, id est, natantem tuam. Et secundo Regum sexto. Vaiaseph, id est, Et natare fecit Propheta, scilicet, ferrum, qui locus ostendit non posse verbum significare inundare, cùm inundare sit aquis mergi, natare verò super aquas gradi, quare hic potius vertendum puto. Qui natare fecit aquas maris finiti super facies eorum, & sic Sanctes vertit in lexico suo, qui hic vertit inundare. Significatio tamen adhuc mihi suspecta est.

Quæ fecit Dathan & Abiram. Narrat bona quæ eis fecit & mala: vt si nõ amore beneficiorum, saltem terrore legem Domini seruent.

Et omnem substantiam eorum, quæ erat sub pedibus eorum. Si radix nominis haiechum pertinet ad radicem chum, quod est surgere & stare, miror quare nostri hic vertant substantiam aut opes, licet hoc Hebræi dicant, scilicet, Rabbi Abraham Genesis septimo, & Rabbi Dauid in libro radicum. Relinquunt enim iudicium proprium, & in cæcitatem transeunt Iudæorum. Si enim eius radix est chum, à radice petẽda erat significatio, neque vertendum erat, & omnem substantiam corũ, cùm mem quod ponitur in fine haiachum sit litera radicalis, & non pronomen: vnde si radix haiachum est chum, vertendum est & omne stans sub pedibus eorum, seu quod stabat sub pedibus eorum, & potest litera dupliciter intelligi. Vno modo vt sit sensus, & omne quod stabat seu erat sub pedibus, id est, sub potestate eorum: iuxta illud octaui Psalmi. Omnia subiecisti sub pedibus eius, id est, sub potestate eius, & est hebraismus. Secundus sensus est & omnia quæ stabant sub pedibus eorum, id est, omnia supellectilia quæ videbantur esse sub eorum pedibus: ac si dicat. Non solum eos terra deglutiuit & domos eorum & tabernacula quæ erant tentoria eorum, sed omnia supellectilia quæ erant sub pedibus eorum, aut quasi sub pedibus. Prior tamen sensus magis à scriptura probatur Exodi vndecimo vbi dicitur. Egredere tu, & omnis populus qui est sub pedibus tuis, id est, tibi subditus.

In qua seminas semen tuum, & irrigas pede tuo sicut hortum holeris. Quoniam in Ægypto nunquam pluit, opus est terram post seminationem irrigare aquis Nili, qui certo tempore, scilicet, liquefactionis niuium terram irrigat, & si quis extra tempus illud irrigationis & inundationis, serere voluerit, opus est aquam aliundè suo labore portare, neq; sõtum quando nõ est inundatio, sed etiã in ipsa inundatione laborare opus est, vt, scilicet, descendat irrigatio ad terram tuam. Et quod dicitur pede tuo, idem est quòd labore tuo, aut melius irrigas pede tuo, id est, aquam pedibus ad irrigandum affers seu portas, quemadmodum fit ad irrigandum hortum oleris quod ferendum esset, sed afferre pedibus aquam ad semen, laboriosissimum est. Vel pede tuo, id est, faciẽs pede tuo sulcum quo riges.

Pes pro labore assumitur ab Hebraismo.

Terra montium & vallium est. Dictio bichah, id est, vallis, significat propriè scissionem seu ruptionem ab acha

acha quod est rumpere, quòd vallis nihil aliud esse videatur quàm scissio inter montes.

Ad pluuiam cœli bibes aquam, id est, habebis in terra tua imbrem de cœlo, quo terra infundatur, aut si literam vrgere velis ex cisternis bibes aquam, quæ ex cœlesti influxu & pluuia implentur.

Iugiter sunt oculi Dei in ea, id est, illius specialem curam gerit, aut iugiter eam curat: necessaria prouidendo.

Et colatis toto corde vestro, & tota anima vestra, scilicet non colendo alios deos. Qui enim alios deos colit vel diligit, non diligit neq; colit Deum toto corde, sed partitum cor habet in tot partes, quot Deos diligit & colit.

Temporaneam & serotinam. Significat iarah à quo ioreh, id est, temporanea, proiicere & docere & ioreh pluuiam, quòd è cœlo proiiciatur à Deo, quòd verò temporaneam significet non est vsque adeò certum. Asserunt Hebræi ad hoc probandum illud Ieremiæ quinto. Qui dat imbrem ve ioreh, id est, & pluuiam, quod gloſant, temporaneam & serotinam: sed ex hoc constat non significare temporaneam, nisi ratione adiuncti, scilicet, serotinam. Dictio verò malchos, id est, serotinam non solum pluuiam serotinam, sed serotinum quid significat, vnde etiam leches significat herbam serotinam, vt patet Hamos septimo, vbi dicitur. Et ecce leches, id est, herba, scilicet, serotina. Posset etiam verti, qui dat imbrem & pluuiam & oportunã, id est, oportuno tempore.

Cauete vobis ne fortè seducatur cor vestrum. Hebraicè est. Sitis custoditi, & verbum patah significat inclinare & declinare, ideò melius vertas, ne fortè declinet cor vestrum, scilicet, à recto.

Et restringat cœlos. Posset etiam verti, & retineat: sed sensus est idem.

Et terra non det fructum suum. Hebraicè eleuationem suam. Dicitur autem fructus, terræ eleuatio, quoniam ab ea eleuatur.

Ponite verba mea ista super cor vestrum, & super animam vestram, id est, super intellectum vel cogitationem & super appetitum seu voluntatem: vt, scilicet, ea cogitetis & velitis implere.

Ligabitis illa super manus vestras, & erunt in spectla super oculos vestros, id est, eritis iugiter horum memores, ac si illa in manibus & super oculos haberetis. Et aduerte vt iam admonuimus Exodi. 13. & 6. capite huius libri quòd Hebræi ex specillis, laminas fecerunt quas in fronte gerunt, & sua tephilim de quibus ibidem diximus.

Et super postes domus tuæ, & in portis tuis. Iudæi hoc ad literam intelligunt, sed potest esse sensus, quòd iugem memoriam haberent præceptorum Dei, quemadmodum eorum memores iugiter sumus, quæ vel manibus gestamus, vel super oculos habemus, aut postibus & ostiis scripta sunt.

Dies cœli super perpetuũ dicitur per hebraismum.

Vt dilatet eis, sicut dies cœli super terram, id est, tamdiu vitam quamdiu durabunt dies cœli super terram, aut cœlum ipsum quamdiu durabit super terrã, id est, perpetuò, quoniam perpetuò durabit cœlum super terram. Solet autem hebraismus rem perpetuam significare per dies cœli: vt Psalmo. 88. Et thronus eius sicut dies cœli, id est, perpetuus, quoniam dies cœli perpetui erunt.

Omnis locus quem calcauerit planta pedis vestri, vester erit. Ne Iudæi hanc promissionem extenderent, & putarent omnem locum quem erant calcaturi sibi dari à Domino, statim limitauit promissionem dicens.

A deserto & Libanon, quasi dicat. Non do vobis omnem locum absolutè quę pedibus vestris estis calcaturi, sed quę estis calcaturi à deserto & Libanon, & per desertum intellige desertũ Ægypti, ubi ponitur terminus australis terræ sanctę. Libanõ verò, terminus aquilonaris, flumẽ verò Perat Orientalis, mare verò nouissimum Occidentalis. Neq; mireris Perat aliquãdo aquilonarem aliquando Orientalem poni terminum, quoniam comparatum mari nouissimo Orientalem locum

Terminiter sanctæ describitur.

tenet, comparatum verò Meridiei locum aquilonaris termini sortitur. De terminis diximus satis capite priori huius libri. Vocatur autem mare occidentale terræ sanctæ mare nouissimum seu posterius quia est vltimus terminus terræ sanctæ à parte occidentali. Supputatur enim terminus occidentalis vt plurimum extremo loco, cùm scriptura terminos terræ sanctæ commemorat. Aut dicitur posterius relatiuè ad alia maria, scilicet, Tiberiadis & Mortuum, quę cùm Orientalia sint, priorem locum obtinere videntur.

Ego do coram vobis benedictionem, & maledictionem, id est, do vobis liberam electionem, vt quam malueritis eligatis siue benedictionem, siue maledictionem, & per benedictionem Iudæi intelligunt augmentum omnium bonorum, per maledictionẽ verò diminutionẽ, & dabat hanc optionem in obseruantia vel transgressione legis suæ.

Pones benedictionem super montem Gerizim, maledictionem verò super montem Hebal. Erant illi mõtes tam coniuncti inuicem vt voces benedicentium in vno, in altero audirentur, de quibus fit mentio infra cap. 27. & Iosuah octauo, quo verò loco sunt, litera statim explicat.

Post viam in qua occumbit Sol, id est, post viam quę versus Occidentem contendit.

Ereglone Gilgal, apud Elone Moreh. Gilgal locus est inter Iarden & Iericho: vt habetur Iosuah quinto. Elone verò locus est in quo quercuum multitudo est, cuius scriptura Genesis duodecimo meminit: vbi de Abraham narrat venisse vsq; ad quercum Moreh: vnde Elone nomen est significans arborem fortem. Moreh verò nomen noti loci est. Gerundensis tamen putat Moreh esse nomen viri, quemadmodum Manre. Similiter putat Munsterus Elone non arbores significare, sed esse nomen proprium loci. Vide Genesis duodecimo eum, quod etiam hic Sanctes sentire videtur. Hic autem Munsterus Elone planitiem aut castaneam significare arbitratur. Memimit Iosephus montis Getizim vndecimo libro Antiquitatum prope Samariam & altissimus est. Controuertunt hoc cãpite Iudæi, & ex nostris aliqui, an terra Israel sit melior ac vberior ipsa Ægypto, & dicunt Iehudæi eam omnibus terris pinguiorem & vberiorem, & quòd nõ subiiciatur influentiis & aliis causis naturalibus quemadmodum omnes aliæ: sed soli Deo glorioso qui certis temporibus, pluuiis congruentibus eam irrigat: vnde dicunt Chebron locum vilissimum Chenanæ præferendum Zoa vrbe Ægypti egregia. Nostri verò dicunt terram Israel non absolutè Ægypto præferri, sed secundum aliquid, scilicet, si populus Dei in ea piè & sanctè viueret secundum præcepta Dei: vnde Deus hic addit. Si recipiendo recepetitis præcepta mea, dabo pluuiam terræ vestræ. Adducuntur ad hoc aliquot rationes quarum vna est, quòd terra fructifera versa sit in falsuginem ob malitiam habitantium in ea. Secunda quia Ieremię duodecimo dicitur. Vsquequo desolata erit terra, & herba omnis regionis siccabitur &c. Propter malitiam habitantium in ea consumptum est animal & volucre. Quòd verò terra Ægypti vberior & fertilior sit probant quidam ex verbis scripturæ Genesis decimotertio, vbi præcipua pars terræ Israel comparatur Ægypto. Dicitur autem ibi leuasse Loth oculos suos, & vidisse omnem planitiem Iarden, quòd tota esset irrigua tanquam hortus Domini & sicut terra Ægypti. Sed meo iudicio licet terra Israel præcipuam vbertatem ex dei influentia & populi religione haberet, credendum tamen est eam sua natura fertilissimam, & sub nomine naturæ influentias cœli comprehendo, quòd facilè probatur ex verbis exploratorum Numeri decimotertio decimoseptimo. Venimus ad terram ad quam misisti nos, & etiam fluens lacte & melle est, & hic fructus eius, afferẽtes racemum in vecte, quem vix duo homines ferre poterant: non legimus de aliqua terra, quòd tales proferat fructus. Constat autem tunc temporis terram non fuisse à piis hominibus cultam, sed à pessimis idolatris, neque nunc caret sua vbertate: licet

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominus propter Iudæorum malitiam eam sterilem vtcunque reddiderit. Solet enim Dominus aliquando terras fertilissimas, ad tempus steriles reddere, propter incolentium peccata. Alia hic afferre possem ex Ezechielis capite vigesimo, quæ breuitatis causa omittimus.

IN CAPVT. XI. DEVTERO. AD mores componendos annotatio.

Quia non cum filiis vestris, qui non viderunt neque cognouerunt ptaditionem Domini. Alio modo tenentur Deum diligere & præcepta Domini seruare, qui per seipsos beneficia Domini suis vt ita dixerim manibus acceperunt, atq; aliter qui manibus alienis. Similiter qui eius verbera dorso suo sustinuerunt, & aliter qui alieno capite eruditi sunt. Docet etiam hic sanctus vir, quomodo Prælati subditos suos debeant aliquando beneficiorum receptorum memoria demulcere, nonnunquam verò memoria punitionum deterrere. Nullum non mouit lapidem vir sanctus, vt subditos suos incitaret ad legis Dei obseruantiam, aliquando minis, nonnunquam receptorum beneficiorum memoria, atque exhibendorum spe.

Terra ad quam tu ingrederis, non est sicut terra Ægypti. Solet peccatores decipere cogitatio qua cogitant delicioſius & abundantius sub peccato, quam sub deo viuere, & vitia quæ eos in maxima penuria nutriebât, mentiuntur se illis præstitisse cum libertate vbertatem vnde seruus Dei ad hoc maximè conari debet, cùm eos à peccato vult reuocare, vt illi persuadeat, se miserè sub peccato vixisse, & delitioſe ac abundanter de cætero se sub Deo victurum, quemadmodum facit hic sanctus Moseh. Audierat enim eos semel conqueri ac dicere. Vtinam mortui essemus in Ægypto quando sedebamus ad ollas carnium. Recordamur cepatum porrhorum & alliorum ac piscium, quæ gratis ibidem comedebamus, ideò nititur eos ab hoc sapore reuocare ad meliorem. Non saturantur sub vitiis ac peccatis homines, sed fame pereunt, vt dicit filius ille prodigus, qui postquam substantiam suam sub vitiis dissipauit, egere incipiens cupiebat de siliquis saturari, neque tamen poterat. Ostendit ergo eis terram Domini vberiorem ac pinguiorem terra Ægypti sed surdis canebat vir Dei.

Terra montium & vallium est. Colligimus ex hoc loco, scriptura testante, meliorem esse terram montium & vallium terra plana, qualis erat terra Ægypti. Secundò eam vberiorem quæ cœli aquas Deo dimittente bibit, quàm quæ alicuius fluminis riuis irrigatur. Similiter oculos Domini magis respicere terram quæ aquis fluuialibus nò irrigatur. Qua in re pulchrè docemur, tanto melius nobis esse, quanto fuerimus magis ad oculos Domini suspensi. Terra enim quæ imbrem de cœlo expectat, magis timet Deum offendere, ne pluuiam prohibeat terræ opportunam. Vult enim Dominus vt ita dixerim, ficuti habeamus nobis manu tenere, vt iuxta merita aut demerita nostra cibum necessarium concedat, aut neget. Quod si oculi Domini semper sunt super terrâ iustorum, & ita eorum cibum & potum curat, quomodo patietur à iustis ipsis aliquando oculos auertere?

Dabo herbam in agro tuo pro iumentis tuis, Omnia quæ sunt iustorum necdum terram, sed etiam iumenta, eorum gratia curat: vt herbam communibus alendis in agro producere non dedignetur. Admonui similia in Genesi, cùm de Abraham gestis scripturæ sermo peroraret.

Restringatur cœlum, & non sit pluuia. Cùm ergo videris hæc necessaria cœlum negare, arbitrare Deum nostris offensum peccatis.

Loquantur de eis. Arbitrantur multi, nihil referre de lege Domini bonis ac piis rebus loqui. Facessebat his faciendam esse legis custodiam quã loquuntur, sed non parui faciendum esse de ea re ingitare locum meditari, docet locus ille, ideò non inutile

IN CAPVT. XII. DEVTERO. iuxta literam annotatio.

Hæc sunt statuta & iudicia. In fine canonum quos huic operi præfiximus explicuimus horum nominum discrimen, & multis aliis locis quos consulere licebit.

Perdendo perdetis omnia loca, in quibus seruierunt gentes. Ponitur hic perdere pro destruere, & est sermo tam de templis quàm de lucis, quibus gentes idola sua colebant. Gaudebant autem idola huiusmodi lucis, quèadmodum Diana quę venatrix à gentilibus putabatur nemoribus, & etiam quia ibi turpes congressus faciebant in honorem idolorum.

Sub omni ligno viridi. Sunt qui pro viridi frondosum vertant, & vtrunque potest dictio rahanan significare: sed coniectura magna est Psalmo nonagesimosecundo quòd significet potius viride. Ibi enim dicitur. Conspersus sum oleo rahanan, id est, viridi, quo loco nullo modo quadrare videtur frondoso, nisi dicas coloris frondis, quod idem est quod coloris viridis. Per lignum autem viride intelligit lignum quod semper retinet viriditatem vt Pinus, Cupressus, Citrum, Oliua & id genus alia.

Diruetis altaria eorum. Significat natas propriè destruere comminuendo destructa: vt patet Psalmo quinquagesimooctauo, vbi dicitur. Molas leonum netos, id est, contere Domine, & pronomen earum, refert gentes non idola, non solùm hic sed etiam in sequentibus: licet Munsterus masculino genere hæc omnia verterit: sed in hebræo in fœminino ponuntur.

Lucos earum comburetis igne. Ponunt Hebræi nomen asserah, id est, lucus in radice asser, id est, qui quèt ad quod eius significatio nullam allusionem habere videtur, & quia vt plurimum nomina hebraica conuenientia in sua significatione habent ad radicę, putarem potius esse à radice iasar quod est rectum esse, & asserah significare arbores rectas, quales in lucis plantare solebant gentiles, non tamen Hebræorum deductionem reiicio.

Perdetis nomen earum è loco ipso. Si ad gentes referas, præcipit loca quibus habitarunt gentes vel idola esse de cætero alio nomine vocanda: vt non amplius sit eorum memoria. Si verò ad idola, mandat non amplius eorum delubra ab eis denominari, vt illorum nomina deleantur, neque eorum amplius villa mentio fiat.

Non sic facietis Domino Deo vestro. Vt, scilicet, faciatis illi diuersa altaria & multa, aut delubra vel lucos: sed ad certum locum à Domino designandum venietis.

Vt ponat nomen suum ibi, id est, vt vocetur domus Dei. Nam Deum ponere alicubi nomen suum vel est illum locum à se seu nomine suo denominari. Sic de angelo dixit Exodi vigesimotertio. Quia nomen meum in medio eius, id est, quia vocatur Deus sicut ego, & est hebraismus.

Ponere nomen suum alicubi quid sit studere.

Holocausta vestra & sacrificia vestra. Vocat sacrificia, omnia alia præter holocaustum: vt hostia pro peccato & pacifica. & dictio zibechechem, id est, sacrificia, à mactando dicitur quasi mactata. Per eleuationem verò manus videtur intelligere ea quæ quis à suis bonis eleuat seu separat vt Domino offerat, vt minchah & omne munus farinaceum quod cum hostiis & carnibus offerri solebat.

Lætabimini

Manus pro labore.

Lætabimini in omnibus quibus mittetis manus vestras, id est, in lucris manuum vestrarũ, seu in operibus manuum vestrarum. Solet enim homo manibus laborare ad lucrum, in quo postmodum lætatur. Nos etiam dicimus. Tudo em que poem a mano lhe vai adiante, & sumitur hic benedicere pro augere.

Non facietis iuxta ea quæ nos facimus hic hodie. Vt, scilicet, sacrifices in omni loco, quemadmodum nos facimus, qui vbicunque area Domini manet ibi victimas immolamus. Disquirũt hic tam nostri quàm Hebræi, an electo à Domino loco, quo nomen suum posuit vt Siloh & Ierusalem, licuerit aliis locis immolare, quemadmodum multi sancti fecisse leguntur: vt Helias Selomoh. Aduertendum autem Iudæos ante tabernaculi erectionem obtulisse vbi libuisset, vnde illis præcipitur erecto Tabernaculo hostias ad eius ostium afferre. Postmodum verò ibi immolabant vbi arca Domini erat, licet tunc temporis non electo loco ad hoc, ex præcepto hoc non astringerentur. Electo vero loco non nisi ex speciali reuelatione alibi immolare licebat. Si quæras quare Deus non nominauit aut designauit locum nisi tempore Dauidis, dico quòd quia nondum habebant plenam requiem, quàm diu enim domesticos timebant hostes, non tutum videbatur suas sedes relinquere: vt irent ad locum à Domino designatum. Est & alia ratio, quoniam si locus esset designatus ante terræ diuisionem, omnes vellent illum in sua sorte habere, ne ergo super illo contenderent, noluit ante diuisionem terræ designare.

Leuationem manus vestræ, id est, ea quæ ex bonis vestris, manibus eleuatis seu separatis ad offerendum Domino, aut quæ manibus eleuatis offertis Domino.

Et omnia electa vota vestra, seu electionẽ votorum, id est, ea quæ eligitis ad soluenda vota, seu ad vouendum Domino. Debet enim homo eligere ea quæ Domino promittere debet.

Leuita qui est intra portas vestras, id est, in medio vrbium vestrarum. Erant enim Leuitæ vbique dispersi ad docendam legem.

Tantum secundum omne desiderium animæ tuæ macta bis & comedes carnem, secundum benedictionem Domini Dei tui quam dederit tibi, intra omnes portas tuas, immundam & mundam comedes, sicut capream & cervum.

Loquitur textus de carnibus non oblatis seu deuotis Deo. & videtur exceptio præcedentis legis. Statuerat enim hominem non posse alicubi Deo offerre quicquam nisi in loco designando. Statuit modò alias carnes seu animalia non offerenda vel deuota, posse comedi intra vrbes seu in locis vbi morabantur. Siue tales carnes essent mundæ ad sacrificium siue immundæ quemadmodum de cerno & capræa explicat, quæ licet immunda essent ad sacrificium, non tamen ad esum, neque propterea licebat aliquid comedere ex immundis ad esum, & hoc sequenti explicat lege. Ordina ergo sic literam. Licet deuotas carnes aut Domino offerendas, mactare ac comedere extra delectum & designatum locum nequeas, attamẽ alias tam mundas, vt bos, capra, agnus, quàm immundas ad sacrificium vt cervus & caprea, mactabis & comedes intra omnes portas tuas, id est, in ciuitate tua sicut desideraueris & prout Dominus benedixerit tibi. Munsterus pro mactare vertit offerre, & locus difficilis valdè est si offerre legas ideò melius mactabis.

Non poteris comedere intra portas tuas decimam frumenti tui, & vini tui, & olei tui, & primogenita boum tuorum & pecudum tuarum, & omnia vota tua quæ voueris, & spontanea tua, & eleuationem manus tuæ,

Exceptio est præcedentis legis, quòd videlicet non possint Deo offerenda aut deuota, extra designatum locum comedere, vt clarè in litera habetur.

Caue ne relinquas Leuitam. Tenebantur Iudæi alere Leuitas secum habitantes, & secum eos Ierusalem deferre, quoniam non habebant possessiones inter filios Israel.

Cùm elongauerit. Potest hęc lex esse explicatio illius qua dixerat. Tantum in omni desiderio animæ tuæ, vbi generaliter statuisse videtur quòd possent extra suum locum comedere tam mũda quàm immunda ad sacrificium, quòd hoc, scilicet, debeat intelligi, cùm à loco sacro longè distauerint, secus si sint prope, quoniam tunc non possent animal immolatiũ intra suas portas comedere: sed eius sanguinem ad altare deferre tenebãtur vt statutum esse videtur supra Leuit. 17. Sed textus videtur ibi de sacrificiis loqui. Posset etiam esse alia lex statuens quòd in loco distãti à templo possent comedere munda & immunda ad sacrificium.

Quia sanguis est anima, et non comedes animã cũ carne, id est, sanguis est sedes animæ seu vitæ, quia ablato sanguine non amplius viuit animal.

Sed sanctificata tua. Manifestè locus iste explicat quæ dicta sunt: vt, scilicet, solùm offerenda deferre tenerentur ad locum sacrum, alia verò possent intra portas suas comedere.

Et vota tua, id est, res deuotas, ita quòd omnem rem sanctificatam, id est, quam sanctificare decreueris, vel quauis via sancta fuerit, vt erant primogenita, & quam voto deuoueris vel promiseris Deo, teneberis ad locum sacrum adducere.

Ne illaquees te post eas, scilicet, colẽdo earum deos, aut modum sacrificiorum imitãdo, immolando, scilicet, filios tuos diis eorum, quemadmodum ipsæ.

Nam omnem abominationem Domini, quam odio habuit, fecerunt diis suis. Sicut est immolatio filiorũ, concubitus cum consanguineis & cum iumẽtis & alia horrenda, quæ diis suis isti faciebant.

IN CAPVT XII. DEVTERONO. ad mores componendos annotatio.

Perdendo perdetis omnia loca in quibus seruierunt gentes. Nocere valdè peccatoribus solent peccatorum reliquiæ & monimenta, quæ præteritorum vitiorum memoriam renouare solent, ideò quicquid peccatum ad memoriam reducere potest delendum est: ita vt etiã si fieri possit nomen deleatur eorum.

Sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester. Considera legislatoris prudentiam. Noluit eos multis locis immolare, ne simul locorum multitudo, Deorum colluuiem afferret, sed sicut erat vnus Deus, ita vnicus esset eum colendi locus, & locum vnum ad sacrificandum elegit: vt eos reuocaret à cultu idolorum: multaque permisit, quibus non multum delectatur: vt quod coram eo comederent & biberent de immolatis sibi, ne contingeret comedere de immolatis idolis.
Ex quo loco Prælati discãt, multa imperfectis esse permittenda, ne omnino à fide recedant. De qua re Paulus abundè Romanos instruit. Multa enim sunt pro tempore permittenda, quę postmodum necessariò corriguntur. Neque debent subditi semper eam quærere libertatem, quæ aliquando ex causa sibi concessa est. Neque debent Prelati eam perfectionem & legum obseruantiã à subditis quærere, cùm sunt in via aut in alio labore grauati, quam ab eis expeterent in quiete.

Vos & filij vestri, & filiæ vestræ, & serui vestri. Admonentur hic parentes & domini: vt filios suos & filias, seruos & ancillas, secum ducant ad templum Domini, ex cuius defectu, filij & serui ignorant quæ sunt saluti necessaria, & multa mala domi relicti committunt, quæ omnino vitarent. Docentur etiam illis impartiri diem lætitiæ, putantes laborantes & seruos riquie indigere, qua suorum laborum [illegible] obliuiscantur.

Caue ne derelinquas Leuitam. Curandi sunt validè omnes ministri Dei, præsertim qui sua propter Deum abdicarunt, neq; vnde sustentari possint habent.

Robora te vt non comedas sanguinem. Sunt peccata quædam ad quæ homo suapte natura inclinatur, & ad ea vitãda debet homo seipsum roborare. Omnis enim homo suum habet vitium peculiare, ad quod perimendum maximè laborare debet, postquam illud cognouerit. Hoc enim primum est, ad quod adniti debet peca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cator, qui peccata sua relinquere cupit, scire, scilicet, quod est vitium à quo magis impugnatur, quo deprehenso, nervos tendere, vires{q}, exercere: vt illud subiiciat, quoniam postmodum securus dormiet.

Caue tibi, ne illaquees te post eas. Extremum malum est malos habere prædecessores, quemadmodum optimum bonos habuisse, qui tritam viam iam tibi incedendam tradunt.

Quia etiam filios suos, & filias combusserunt. Constat ex hoc loco, nullo pacto licere filium aut filiam immolare. Tradit autem Chrysostomus Deum ideò Abrahę præcepisse filium immolare, ne homo pro idolo faceret quod propter verum Deum facere recusaret.

IN CAPVT. XIII. DEVTERO. iuxta literam aduotatio.

CVm surrexerit in medio tui Propheta, vel somnians. Numeri duodecimo dixit Dominus ad Aharon & Miriam. Cùm fuerit Propheta vester, ego Dominus in visione ei ostendam me, in somnio loquar cum eo. Vnde constat somniantem Prophetam dici. Dicit ergo Propheta ad includendum eos quibus sine somnio loquebatur quemadmodum Moseh. Somnians verò: vt includat eos Prophetas quibus in somnio apparebat. Dicit in medio tui, id est, intra te seu inter populum tuum.

Dederit tibi signum vel portentum, scilicet, ad probandum id quod dixerit. Et signum seu (ot) significat signum seu mirabile tam præteritum quàm futurum, mophet verò seu portentum ad sola futura extenditur vt Hebræi dicunt. Vult itaque statuere quòd quantumcunque eueniat signum aut portentum, quod talis Propheta venturum dixerit, si suaserit à Deo tuo recessum, & seruire diis alienis, nullo pacto illi acquiescas: sed interficias illum. Sed quærunt Hebræi quomodo falsus Propheta, possit vera signa facere, & augetur dubium, quia infra capite decimooctauo dicit Dominus Iudæis. Si dixeris in corde tuo, quomodo sciemus verbum, quod non loquutus est Dominus? respondet. Quod loquetur Propheta in nomine Domini, & non erit verbum, & non veniet, est verbum quod non loquutus est Dominus, per superbiam loquutus est ipsum Propheta: non timebis ab eo. Si ergo verus Propheta cognoscitur, per hoc quod eius verbum euenit, & falsus cuius non venit, sequitur non esse falsum, cuius verbum venerit, & tamen talis hic dicitur falsus. Dicendum quòd textus non disquirit hic, an Propheta falsus possit vel non possit signa vera facere: sed quòd siue faciat vera siue falsa, si suaserit à vero Deo recedendum, & colendum falsum, nullo pacto illi credatur. Non ergo sufficit ad verum Prophetam prædicere aliquid venturum quod eueniat, sed vltra hoc vt non prædicet aliquid contra legem Domini. Textus verò citatus ex capite duodecimo, loquitur de Propheta qui non vaticinatur quicquàm aduersus legem: sed dicit se Domini Prophetam & verba eius loqui. Neque (meo iudicio) textus hic loquitur de signo vel portento seu eius operatione, sed solùm de prædictione seu prænuntiatione ipsius vnde dicit. Et venerit signum vel portentum, siue eius opera siue opere alterius. Possunt autem falsi Prophetæ vera signa ventura prænuntiare, quemadmodum Bilham & Sibillæ, sed nullo pacto possunt miracula seu vera signa facere. Sed dubium est an Dominus alicui falso Prophetæ ad nutum eueniat cooperaretur quo ille non probaret suam [illegible]tionem, aut vera esse quæ prædicit, vt si Propheta diceret: Eamus & seruiamus Diis alienis, & non in huius testimonium, aut suæ missionis, signum faceret aliquod, Putarem salua Ecclesiæ diffinitione posse fieri. Hebræi dicunt textum loqui de falso Propheta & de signis externis, quæ non sunt miracula, sicut de gestatione cathenarum Ieremiæ, & de matrimonio cum fornicaria Hoseh tertio, & de Magis Pharaonis, qui per incantationes suas faciebant quæ videbat facere Moseh.

Quia tentat Dominus Deus vester vos, id est, ad modum tentantis seu experientis se habet, vt exploret, an eum toto corpore diligatis, an aliqua vestri cordis portione, diligatis alienos Deos.

Si incitauerit te frater tuus filius matris tuæ. Verbum sit non plenè notum est Hebris. Dicunt autem significare incitare, suadere, & remouere, & quod horum malueris poteris hic acceptare. Quod verò sequitur. Filius matris tuæ, indicat quòd non solùm si fuerit ex parte patris frater, sed etiam ex parte matris, qui magis se diligunt quàm qui ex parte patris tãtum fratres sunt si, inquam, ille suaserit Deorum aliorum cultum, aut filius matris tuæ, id est, ex parte vtriusque parentis: non solùm ex parte patris, sed etiam ex parte matris. Impiissimus & deploratus Iudæus author libri Nizaon hæc verba in Christum seruatorem nostrum detorquet, cuius hæc sunt verba. Si incitauerit te frater tuus filius matris tuæ. Hic est, inquit, Iesus, qui negauit patrem suum dicens, sibi esse matrem non patrem, quodque sit filius Dei, & ipsemet quoque Deus. De ipso dixit Moseh. Non acquiescas ei, neque audias eum, neque occultabis eum, quin potius occidendo occides eum, manus tua sit in eum primum: vt interficias eum. Sic fecerunt ei, & suspenderunt eum: vt confirmarent id quod scribitur. Non pernoctabit cadauer eius super ligno: sed sepeliendo sepelias eum, quia maledictio Dei est suspensus. Hæc damnatus ille Iudæus, qui ea quæ sanctus Moseh, in communi dixit, impiè in Christum detorquet. Dicit enim (vt ad oculum vides) non esse acquiescendum suadenti alienos Deos colere, siue sit frater siue filius siue filia, impiissimus verò ille nebulo, inuitum textum ac planè repugnantem, in suam impiam & blasphemam sententiam trahit, & valdè mirandum est, de Iudæorum pertinacia & insolentia, qui cùm apud Christianos degant, à quibus inter cæteras nationes minus crudeliter tractantur, & sinantur in sua permanere perfidia, opesque illorum expilare, non vereantur hæc in Christum blasphemare, & qui piè ac humiliter inter nos agere deberent, os in cœlum ponere non verentur, digni certè qui à Christianorum finibus longè expellerentur.

Vel vxor sinus tui, id est, quæ dormit in sinu tuo, vel ad latus tuum in quo est sinus. Vocat autem vxorem sinus, quoniam solet homo fouere vxorem sicut ea quæ sinu gestat, vnde primo Semuelis habes capite duodecimo, In sinu illius dormiens: vbi sub metaphora, de vxore Vriæ est sermo. Chaldæus vertit vxor fœderis tui.

Clam dicendo. Dicit clam, quoniam defectus à legibus maximè idololatria non nisi secreto suaderi solèt, ob metum legislatoris aut magistratus.

Non acquiescas illi, & non audies ad eum. Non solùm (inquit) non acquiescas illius suasionibus, sed neque suadentem audies. Verbum abah, id est, acquiescere significat etiam velle, concupiscere & desiderare vt Hebræi asserunt: vnde verti posset. Non voles illi, scilicet, bonum vnde sequitur.

Non parcet oculus tuus, cuius sensus est. Nõ misereberis illius, & est hebraismus. Pepercit tibi oculus meus, id est, tui misertus sum, aut misericordia motus sum super te. Non parcet tibi oculus meus, id est, non misereor tui, & meminit oculorum, quoniam oculi videntes alienius miseriam solent ad misericordiam prouocari. Habes hebraismum primo Semuelis cap. 24. & Ezechielis vigesimo & decimosexto, vbi significat omnia concedere, aut nihil omittere, eorum quæ necessaria sunt.

Neque indulgebit. Antea dictum est. Non parces ei, hic non indulgebis, & dicunt Hebræi hæc duo verba, scilicet, chos & chamal esse eiusdem significationis, & significare parcere, nec{q}; ex coniecturis potui propriam vtriusq; significationem inuenire, aut aliquod inter ea discrimen.

Et non operies eis. Dupliciter potest locus iste intelligi. Vno modo. Nõ abscondas eum, cùm, scilicet, fuerit capiendus,

capiendus, aut non tegas scelera eius. Secundò non protegas eum, sed prior sensus simplicior est. Solent enim Iudæi non statim damnatum ad supplicium rapere, sed ad diem & noctem seruare, imò vsque ad supplicij horam, vt interea temporis, quicunque aliquid afferre posset, quòd reo bonum esse posset, aditum ad Iudicem haberet, quod beneficium ei, qui ad idololatriam populum prouocasset negabatur, qua de causa dicunt aliqui eos mortem Christi sic festinasse, quem peruersi Iudæi, pseudoprophetam fuisse dicunt.

Manus tua erit in eo prius, sett in principio. Hebraissimus est, manum alicuius esse in aliquem, & significat percutere aliquem aut occidere. Quemadmodum Saul cum manibus Philistæorum decreuisset occidere Dauid dicebat: Manus mea non sit in illo, id est, non occidam ego eum manu mea. Tenebatur autem ille quem primum pseudoprophetа voluisset seducere, primus in eum lapidem mittere, deinde totus populus.

Quia quæsiuit expellere te à Domino Deo tuo. Dicunt Hebræi vetbum duach quod hic vertimus expellere, significare expellere & lauare, quòd qui lauat sordes expellat ab eo quod lauat.

Egressi sunt viri filij Beliiaal. Variè tam Hebræi quàm nostri sentiunt de nomine Beliiaal. Hebræi dicunt esse hominem pernicacem & perfrictæ frontis, & sine iugo legis diuinæ. Alij sentiunt dici ab eli, quod est non, & iahal, id est, profuit quasi nõ proficiens, seu vir inutilis. Mihi verò videtur dici à beli quod est non & al, id est, super, quasi vir non ferens aliquid super se, & hoc est quod Hebræi dicunt significare hominem sine iugo diuinæ legis, nec solùm sine iugo diuinæ legis, sed non ferens super se aliquem. Alij eos viros Belial vocant, quibus Dæmon veluti instrumentis ad malum vtitur. Ponitur dictio in multis scripturæ locis, scilicet, Iudicum decimonono, primo Semuelis primo & secundo, & ex eo loco videtur nostra sententia probabilior, quoniam ibi dicitur. Filij Heli filij Belliał, & quasi nomen exponens sequitur, neque cognoscebant Dominum. Dicit etiam ibi capite vigesimoquinto Abigail de viro suo Nabal. Ipse est filius Belliał, ita vt nemo audeat ei loqui. Et Apostolus secundæ ad Corinthios sexto dicit. Quæ est conuentio Christi ad Belial? vbi videtur per Belial Dæmonem intelligere.

Quid Beliiaal significaret Iudæis.

Et impulerunt habitatores vrbium eorum. Significatio verbi duach (vt iam hoc capite diximus) non plenè nota est Hebræis. Sanctes hic vertit expulerunt, sed non videtur bene quadrare, nisi dicas eos, conciues suos à suo sensu & sententia expulisse, ideò impellere vertimus.

Quæres & inuestigabis. Non bene nota est Hebræis significatio verbi chachar, quod vertimus inuestigare, neque potui coniecturam bonam nancisci ad eam inueniendam.

Combures igni ciuitatem, & spolium eius. Sic punctauit Sanctes literam in priori æditione, aut Typographus, cùm litera sic ordinanda sit.

Congregabis ad mediam plateæ eius, & combures igni ciuitatem. Et omne spolium eius, totum Domino Deo tuo erit, secundum priorem verò lectionem, explicatur & iubetur spolium igni in medio ciuitatis comburi, & dari Domino, quod est impossibile.

Erit tumulus, tumulus perpetuus. Significat talal à quo tal, id est, tumulus, eleuare, vnde tal tumulum vel eleuationem significat, qui fit cùm ædificium aliquod ruit.

Non adhærebit manui tuæ quicquàm de anathemate. Non bene vt sæpius admonui nomen anathema, explicat nomen hebraicum cherem, quoniam anathema importat separationem, cherem verò successionem vel exterminium.

IN CAP. XIII. DEVTERO. AD mores componendos annotatio.

SI surrexerit in medio tui Propheta vel somnians. Periculosus & pernicios{us} valdè est error in Duce, quem omnes alij sequuntur, ideò valdè ab eis cauendum est. Admonet Christus Matthæi nono attendere à falsis Prophetis, non quibuscunque, sed ab eis qui ouium vestibus intecti ad nos veniunt, cùm reverà intus sint lupi rapaces, à quibus etiam si futura prædicent & signa multiplicent, cauendum est. Aduerte etiam signum tibi traditum ad eos dignoscendos, scilicet, ex his ad quę te adducere volũt, seu ex fine, quod sub aliis verbis Christus dixit, eos à fructibus dignoscendos. Omnis enim deceptio ex fine cognoscitur, & etiam deceptor ipse. Audi ex sacris literis pulchrum exemplum. Voluit semel sanctus Dauid, superbia & vanitate elatus, scire quot capita hominum in suo regno haberet, misitque Ioab vt sibi populum numeraret à Dan vsque Berſabeh, cuius vanitatem cùm serius deprehendisset, quæsiuit. Quid sibi vult Dominus meus rex, in re huiusce modi? Augeat Dominus populum ad multa milia. Sed cùm sermo Regis præualuisset, incepit famulus rem, sed non impleuit, & exsoluit populus vanitatem regis. Cùm ergo aliquis te ad aliquid instigauerit, siue angelus siue homo, siue caro, siue mundus, siue Dæmon, finem cogita suasionis, neque te persuaderi sinas, nisi scias finem esse bonum, memento tamen Gregorianæ admonitionis, quòd sæpissimè vitia se virtutes ad nostram deceptionem mentiuntur, ne etiam sub boni specie, te ab eis decipi sinas.

Quia tentat vos Dominus Deus vester. Solet Dominus suos de fide & dilectione tentare, sed ante tentationem suos admonere tentationum suarum, nè in eis succumbant.

Propheta ille morietur, quia loquutus est sermonem contra Dominum, qui eduxit te de terrâ Ægypti.

Pulchrè hic docet sanctus Moseh, quibus modis omnem expellas tentationem, quæ te à Deo tuo auertere conatur, nempè reducendo ad memoriam omnia beneficia Dei. Sic sanctus ille Ioseph, cùm ab impudica fœmina ad stuprum inuitaretur, omnia Domini sui, in se collata beneficia ad memoriam reuocauit, eaque illi opposuit, vt illis sese ab ea defenderet. Ecce (inquit) Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, neque quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum? Tam pernitiosa res est reipublicæ falsus Propheta, vt Dominus extremis temporibus se polliceatur huiusmodi ablaturũ, apud Zachariam simul cum idolorum cultura. In die illa succidere faciam nomina simulachrorum è terra, & non memorabuntur amplius, & etiam Prophetas & spiritum immundum transire faciam è terra. Et erit, cùm prophetauerit quispiam vltra, dicent ad eum pater eius & mater eius, genitores eius, Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius & mater eius, cùm prophetauerit, & quæ sequuntur. *Zach.13.*

Si incitauerit te frater tuus. Quomodo ferendi sint pater, mater & fratres, cùm nobis aduersantur in via Dei, depingit locus iste, quemadmodum verba Christi apud Matthæum decimo capite. Qui amat, inquit, patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. *Mat.10.& Luc.14.*

Non acquiesces ei, neque audies, neque parcet ei oculus tuus, neque operies eum.

Nihil humanitatis, nihil misericordię exhibendum est ei, qui te à fide auertere nititur, & hinc orta puto iura illa, quæ prohibent Hæreticorum fauorem & receptationem. Nam & si in aliis vitiis cum peccatoribus aliquando dissimulandum sit, nunquàm tamen cum Hæreticis, & cum his, qui nos à vero Deo auertere conantur. Hinc illud secundæ Ioannis primo. Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum domi, neque aue ei dixeritis. Qui enim dixerit illi aue, communicat operibus eius malignis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnis Israel audient & timebunt, & non addent vt faciant secundum rem malam istam. Hic est finis omnis punitionis, scilicet, timor & emendatio videntium & audientium.

Quæres & inuestigabis & interrogabis diligenter. Expende Iudex & qui aliorum crimina castigare debes, quanto examine & certitudine ad vindictam procedendum sit, antequam in peccatores animaduertas. Quærendum enim & inuestigandum & interrogandum prius est, postea castigandum. vnde sequitur.

Si veritas est, si rectum est verbum, facta est abominatio ista in medio tui. Perdes eam & omnia quæ in ea sunt. Pessima res peccatū præsertim idololatriæ ob quod non solùm homines, sed iumēta & omnia alia pereūt, & distrahuntur. Quid enim iumenta meruistis? Non peccastis cum homine, & tamen cum eo ob eius peccata perire iubemini.

Omne spolium eius, totum Domino Deo tuo erit. Omnia bona illius qui alteri iniurius est, illi cedere debent qui iniuriam passus est, & similiter bona eius, qui Deo aut Ecclesiæ iniuriam intulit, ad Deum & ecclesiam pertinere debent. Hinc ortum habuerunt iura quæ simoniacam pecuniam restituere iubent Ecclesiæ cuius res vendita est.

Non adhærebit manui tuæ quicquam de anathemate. Admonui sæpius impiorum bona esse venenosa secumque dispendium afferre: vt si ea cum aliis bene partis misceas, omnia perdas. Iram enim Dei secum affert qui huiusmodi bona contingit & possidet, quoniam hæc ira & furore Domini plena sunt. Quod si hæc respuas habebis & congregabis tibi misericordias Domini qui multiplicabit te.

IN CAPVT. XIIII. DEVTERO. iuxta literam annotatio.

Filij vos Domini Dei vestri. Non lacerabitis vos, neque ponetis calui tium inter oculos vestros, propter mortuos. Sensus est. Quia estis filij Dei vestri, non debetis facere ea quæ gentes solent facere. Aut non debetis vos idolorum stigmatibus signare. Aduerte hic quòd verbum gadad, quod hic vertit Sanctes lacerare, nusquam hoc meo iudicio significat: licet primo Regum decimooctauo videatur hoc significare, vbi textus de sacerdotibus Baal dicit. Vegit godedu, id est, & incidebant se, secundum morem suum cultris. Verbum propriè significat ducere exercitum vel turmam, exercitare si sic liceret latinis auribus loqui: vnde gedu, id est, exercitus, & gedudah quod dicunt incisionem significare, quod non qualemcunque incisionem significat, sed puncturam seu punctionum multitudinem ad modum exercitus. Ex hac radice est etiam gad, id est, coriandrum, cuius grana, multa & ordinata sunt ad modum exercitus. Est etiam ex hoc themate gedi, id est, hœdus, quòd soleat esse dux exercitus pecudum seu multitudinis, & iuxta hanc significationem, omnia loca quibus verbum ponitur & nomina exponi possunt, vt Genesis quadragesimonono. Gad gedud, iegudenu: ve hu iagud hacheb, id est, Gad exercitus exercitabit eum seu ordinabit se contra eum, & ipse ordinabitur à tergo seu insidiose, scilicet, aduersus eum: vide expositionem loco citato. Et Chabachuch tertio. Quando ascendet ad populum, vt iegudenu, id est, ordinet eum ad modum exercitus, aut vt ad modum exercitus debellet eum. Psalmo nonagesimoquarto. Iagoddu, id est, ad modum exercitus congregabunt se, aduersus animam iusti. Item Ieremiæ quadragesimoprimo. Et venerunt scissis vestibus vmid godedim, id est, & coniuncti per modum exercitus seu turmatim, quod alij vertunt & lacerati aut punctati, scilicet, multitudine punctionum, vt iam diximus. Et Ieremiæ quinto. In domo meretricis litgodadu, id est, congregabunt aut ordinabunt se per modum exercitus, seu in maxima multitudine. Et Michææ quinto. Nunc mitgodedi, id est, ordinabis te per modum exercitus filia exercitus. Posset etiam vertī. Nunc puncturis afficies te. Quod verò nomina exercitum significent, aut punctionum multitudinem ad modum exercitus: constat, & de gedud sunt multa exempla, secundo Semuelis vigesimosecundo. In te conteram gedud, id est, exercitum. Illud etiam Psalmi sexagesimiquinti quod nostri vertunt. Sulcos eius inebria, descendere fac gedudeah, id est, in lineas eius melius vertas. Descendere fac exercitus eius, & vocat exercitus guttas pluuiæ quæ in maxima copia per modum exercitus descendunt, aut grandinem descendere fac, vnde statim sequitur. Imbribus liquefac eam, germini eius benedic. Illud etiam Ieremiæ quod nostri vertunt. Super omnes manus gedudod, id est, incisiones, tu germanius vertas puncturæ per modum exercitus, id est, in magna multitudine. Similiter illud Isaiæ sexagesimoquinto. Qui paratis lagad, id est, fortunæ mensam, tu verte exercitui cœli mensam. Significat ergo verbum gadad multiplicari per modum exercitus, aut congregari, aut cadere vel incidi multis puncturis ad modum exercitus, quomodo gentiles solebant se luctus gratia incidere, quemadmodum de seruis Baal adduximus ex priori libro Regum & constat ex verbis Isaiæ decimotertio dicentis. Omnis barba tonsa, & in omni capite caluitium, vnde hic melius vertas. Non puncturis afficietis vos ordinatis, scilicet, ad modum exercitus. Si verò non sit ceremonia pro mortuis, neque prohibet omnem notam seu puncturam ordinatam: dicerem prohiberi notas illas seu puncturas, quas vsque hodie Sarraceni gestant in brachiis & in ore, quas ornatus gratia faciunt, & fortè res ob luctum fieri incepit, & postea ad ornatum cessit. Solebant etiā gentiles luctus gratia, inter oculos capillos depillare, & decaluare se, quod etiam hic probibet. Mos enim erat apud gētiles, huiusmodi capillos quos aut resecabant aut manu aut forcipe depillabant, diis suis offerre.

Populus enim sanctus es Domino Deo tuo, id est, eris populus separatus ad cultum Dei tui, ab omnibus his immunditiis gentium.

Non comedes omnem abominationem. Abominationem vocat omnia illa, quæ natura quasi abominatur aut consuetudo, quemadmodum serpens coluber, hominum aut iumentorum stercus & id genus alia.

Pecus ouium & pecus caprarum. Constat ex hoc loco seh, non esse alicuius animalis proprium nomen, sed commune. Dicit autem Rabbi Dauid significare paruum, tam ouium quàm caprarum, chesseb verò significare agnum vel ouem.

Ceruum & capream & bubalum. Quoniā de his omnibus exactè diximus Leuit. 11. & Hebræi nihil de his certum habent, pertranseundum duximus.

Quoniā populus sanctus es Domino Deo tuo, id est, ab immunditiis separatus ad cultum Domini Dei tui.

Non coques hœdum in lacte matris suæ. Explicuimus hanc legē supra Exod. 23. quòd ad literam non sit coquēdus in lacte matris, ne quod illi fuit ad delicias, fiat supplicium. Sunt qui interpretantur. Ne coquas hœdum dum lactat: sed primus sensus est verior.

Qui egreditur ex agro annuatim. Hebraicè est. Anno anno: sed sensus bene redditus est. Solet enim hebraismus frequentiam, eiusdem nominis geminatione significare: vt in hebraismis admonuimus.

Decimam dando decimam dabis omnis prouentus seminis tui, qui egreditur annuatim ex agro. Et comedes coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit, vt habitare faciat nomen suum ibi, decimā frumenti tui, musti tui, et olei tui, & primogenita boum tuorum, & ouium tuarum.

Difficilis locus. Difficilis vtcunque est locus iste, quoniam præcipere hic videtur Dominus secularibus comedere coram se decimas, quæ erant Leuitis debitæ, similiter primogenita boum & ouium, quæ cedebant in partem sacerdotum vt habetur Numeri decimooctauo. Quare dicunt Hebræi textum hic non loqui de decimis debitis Leuitis quas soli comedebant, sed de aliis decimis. Tenebantur enim Iehudæi, ad triplices decimas,

decimas, scilicet, ad decimas Leuitarum, de quibus Numeri decimooctauo dicit Dominus. Sed decimas filiorum Israel, quas illi soluunt Domino, veluti leuationem, tradidi Leuitis in hæreditatem, & ideò dixi eis. In medio filiorum Israel non possidebitis hæreditatem. Ab illa autem prima decima subtrahebant Leuitæ decimam partem & dabant summo sacerdoti, quæ sancta erat & nephas erat eam post templum extructum extra locum templi comedere, de qua loco citato habes. Loquere ad Leuitas, & dices ad eos. Cùm acceperitis à filiis Israel decimas. Porrò in tertio quoque anno ab anno remissionis, illam eandem decimam secundam, in vsum pauperum separarunt: vnde vocata est decima pauperum. Quod mihi falsum esse videtur, Quoniam Dominus hic loquitur toti populo, qui non soluebat secundam decimam sed soli Leuitæ. Secundò. Quia Dominus hic præcipit dare decimam seminis: Leuitæ autem non seminabant: sed de acceptis à populo decimis, eam soluebant summo sacerdoti. Sequitur ergo hanc decimam non esse decimam secundam quam Leuitæ soluebant summo sacerdoti, Quare crediderim tertiam esse distinctam à secunda, Sed dubium nulli est, an præter decimam illam tertiam, quam comedebant in loco templi, esset alia quarta decima quolibet tertio anno pro Leuitis & pauperibus, cuius textus meminit inferius vbi dicit: In fine trium annorum, & indubiè videtur esse dandam quartam, quoniam secunda comedenda erat in loco templi, tertia à Dominis & Leuitis, quarta à Leuitis & pauperibus, non à Domino vt textus expresse dicit. Tenendum ergo videtur populum tres soluisse decimas, duas singulis annis, alteram solis Leuitis, alteram sibi & Leuitis, tertiam Leuitis & pauperibus singulo quoque tertio anno. Quod autem de primogenitis comedendis ab euntibus in domum dei in textu dicitur, dicit Caietanus, per primogenita intelligenda præcipua non revera primogenita, quæ erāt sacerdotū. Posset etiā intelligi. Et primogenita boum tuorum, scilicet, offeres, eo tempore quo decimam coram Domino detuleris seu comederis quem sensum aliqui sequuntur. Sed quia sequenti capite habes. Omne primogenitum quod nascetur è bobus tuis & è pecudibus tuis masculum, sanctificabis illud Domino Deo tuo. Coram Domino Deo tuo comedes eum annuatim, in loco quem elegerit Dominus, tu & domus tua, manifestè habetur primogenita quæ Domino sanctificantur comedenda esse coram Domino etiam ab offerentibus, & revera sic erat, quòd primogenita immolatitia immolabantur Domino vt patet Numeri decimooctauo, & de carnibus immolatorum primogenitorum non solum sacerdos sed etiam offerens cum sua familia comedebant. Alia verò primogenita quæ non erant immolatitia redimebantur & redemptio erat sacerdotis. Quòd si ribi melius videatur textum de primis decimis loqui, exponenda est litera sic: Decimam dando decimam dabis omnis prouentus, scilicet, Leuitis. Et comedes, scilicet, quæ attuleris non decimam ipsam. Decimam frumenti tui, scilicet, dabis omnibus Leuitis & etiam dabis sacerdoti primogenita tua: sed textum sequentis capitis cogere videtur ad priorem interpretationē. Tenet etiam Dominus Caietanus hæc non fuisse præcepta quod sustineri potest. Similiter non esse præceptam certā quotam: sed decimam pro parte accipiendam. Sed non facilè à verbis textus recedo.

In loco quem elegerit Dominus vt ponat nomē suum ibi. Deum ponere nomen suum in aliquo loco, nihil aliud est, quàm locum illum à Domino denominari, quemadmodum, domus alicuius ab eo denominatur, & vocatur domus talis: sic & Ierusalem denominabatur ciuitas Dei, & templum domus Dei.

Vt discas timere Dominum Deum tuum Ad hoc volebat Dominus eos coram se comparere, vt scientes se comparituros totiens coram Domino suo, timerent ab eo puniri si mali essent. Quemadmodum seruus qui frequenter Domino suo astare debet, timet eum offendere. Similiter ex his quæ ibi videret & audiret in lege, timeret Deum suum.

Si multipūcauerit se præ te via. Id est, maior seu longior fuerit quàm ferre possis: vt statim explicat dicēs, quod non possis ferre seu portare eam, quia distat à te locus: vnde cognosces ex hoc loco, scripturæ morem esse statim explicare, quod obscurè dixit.

Cùm benedixerit tibi Dominus Deus tuus, id est, benefecerit.

Dabis pecuniam secundùm omnia quæ desiderat anima tua, id est, emes ex pecunia omnia quæ desiderauerit anima tua in cibo & potu. Et aduerte hic animam pro voluntate aut desiderio poni.

In fine trium annorum proferes omnem decimam. Præcipit decimam dare in fine trium annorum, quoniam in fine anni solent pauperibus alimēta deficere. Repones intra portas tuas, id est, intra mœnia vrbis tuæ, quoniam statim dicitur de vidua & pupillo qui sunt intra portas tuas, id est, intra mœnia vrbis tuę seruata Leuitis & pauperibus.

Vt benedicat tibi Dominus, id est, benefaciat conferendo multa bona.

IN CAPVT. XIIII. DEVTERO. AD morum ornamentum adnotatio.

Filij estis Domini Dei vestri, non lacerabitis vos. Multa sunt quæ nos à peccatis & immunditiis retrahere debent, præcipuum tamen inter omnia est meminisse nos esse filios Dei, tam honorabilis & mundi ab omni sorde patris: cùm ergo serue Dei peccatum aliquod occurrerit faciendum occurrat statim cuius capitis & cuius sis corporis membrum, & diuinæ consors factus naturæ: noli in veterem vilitatem, degeneri conuersatione redire. Audi quid sanctus iuuenis Thobias vxori dicat. Filij (inquit) sanctorum sumus, & non debemus ita coniungi, sicut gētes quę ignorant deum. *Thobiæ. 2.*

Neque ponetis caluitium inter oculos vestros. Audiāt hoc, qui mortuos fideles immoderatè lugent, lacerantes se ac pungentes ac si nullam haberent futuræ resurrectionis spem.

Non comedes omnem abominationem. Egit à mundi ipsius exodio medicum nostrum Deus noster, & leuioribus cibis fructibus videlicet & herbis nos enutriuit sciens quos mala gula causare soleat, & quàm malos nutriat humores: sed videns vitam nostram indies diminui, carnes concessit, quas hic Iudæis prohibuit, quoniam eos vidit grauius animo infirmari, & eas carnes tibi concessit quæ sibi voluit in sacrificio offerri.

Decimam dando decimam dabis. Expende quàm liberales nos esse voluit Dominus Deus noster in ministros suos & pauperes, & quot decimas ad hoc constituit dari, vt discas, quod tam largum erga te experieris Deum tuum, quàm largum te pauperibus & ministris eius exhibueris.

Comedes coram Domino Deo tuo. Ad quid Domine Deus meus, vis tuos coram te comedere. Solent serui ad mensuram ridere & comedere & cuncta alia facere cùm comedunt aut lætantur coram dominis suis: vt ergo disceres quàm sobriè tibi vtendum sit donis dei, præcipit comedere coram se: non vt parcus aut auarus, cùm tibi abundanter cuncta subministret: vnde sequitur.

Vt discas timere Dominū Deum tuum. Instruit etiam dominos vocare seruos sæpius coram se: vt timeant malè facere, scientes se coram Domino suo esse rationem reddituros.

Si creuerit præ te via. Considera Dei tui erga te clementiam, qui non vult te grauare vltra vires: sed ministerio quod exhibere pores contentatur. Ex quo loco discant domini, suos famulos vltra vires non grauare: sed eo esse seruitio contentos, quod facilè famuli possunt illis exhibere. Non debet etiam graue Prælatis videri, si populus religiosè quidem & modestè epuletur & lætetur coram Domino Deo suo, qui eos li-

Universidad de Deusto
Biblioteca

benter videt comedere & lætari. Si tamen eos viderint in hoc excedere prohibere possunt. Neque propterea permitto populum intra ecclesiæ septa comedere, quoniam hoc neque Dominus vnquam in templo fieri permisit.

Tu & domus tua. Prudenter quidem. Vt enim inuitaret hominem, & curaret suos domesticos religiosos facere, præcipit vt eos secum ducat in domum Dei.

Et Leuitam non relinques. Debet semper secularis apud se religiosum habere quem nutriat, & qui doceat quæ sunt Dei vt illi carnalia ministrans, ab eo spiritualia metat iuxta Pauli consilium.

Repones intra portas tuas, & veniet Leuita. Vide quàm parcat pauperum verecundiæ. Verentur sæpissimè pauperes præsertim honorati, faciem diuitum videre, & ab eis eleemosynam petere, vt ergo illorum pudori parceret, præcipit alimenta intra portas reponere, vnde pauper ea sine verecundia tollere possit.

Comedent & saturabuntur. Non vult te parcè, tua in pauperes distribuere, sed tam abundè vt inde non solùm nutriantur, sed etiam saturentur pauperes. Quid ergo facitis qui tam parcè in pauperes effunditis, vt ex eis vix viuere liceat, quanto magis saturari? Audi Apostolum. Qui parcè (inquit) seminat, parcè & metet. 2. Corin. 9.

IN CAPVT. XV. DEVTERO.
iuxta literam annotatio.

A fine septem annorum, facies remissionem. Obscura vtcunque est sententia, quoniam remissio non fiebat in fine septimi, sed sexti anni, quare Munsterus vertit. A principio septimi anni: sed non est Interpreti liberum, tam facile literam mutare, etiam si eam vt in hebræo est non intelligat, aut intelligibilis videatur, & est aduertendum quod est hic sermo de remissionibus post primam. Omnes enim sequentes fiebant post septimum annum supputando annum remissionis seu septimum. A fine ergo septem annorum supputato anno remissionis præcedentis fienda erat sequens remissio. Aliqui vertunt. Perficies remissionem, quoniam incipiebat fieri in principio septimi anni & in fine cõsummabatur, & est sermo de remissione debitorum, & aduerte quod significatio verbi sumat à quo semitth, id est, remissio, non est omnino certa Hebræis. Dicunt autem significare relinquere dimittere & remittere, & magis propriè proiicere aut remittere à se, vt patet secundo Samuelis sexto, vbi dicitur. Quia sometu, id est, deeliuabant aut proiiciebant eam, scilicet, aream boues. Et secundo Regum. 9. Et dixit Iuhau, id est, dimittite seu proiicite eam, & dimiserunt eam seu proiecerunt.

Et hæc est res remissionis. Hebraicè. Hoc est verbum remissionis, & sensus est. Hic est modus remissionis, aut hæc est obligatio remissionis.

Vt remittat omnis dominus mutui, manum suam. Vocat dominum mutui mutuantem, qui dominus est rei mutuatæ, & per remittere manum, intelligit non amplius exigere ab eo cui mutuo dedit & manum extendit ad debitum recipiendum, quam iubetur hic remittere, ideò præcipitur ei vt anno septimo remittat manum suam, neq; amplius exigat, quod statim suo more explicat dicens. Qui mutuauerit proximo suo, non exiget à proximo suo.

Remittere manum est Hebræis debitum condonare.

Quia vocauit remissionem Domino. Id est, proximus proclamauit remissionem Domino, scilicet, esse faciendam, aut quia proclamauit septimus annus remissionem esse ex præcepto Domini faciẽdam, vel quia proclamans cornu arietino, proclamauit remissionem ex lege Domini faciendam. Et hoc est de quo Dominus Haiæ. 52. conqueritur dicens. Et omnes debitores vestros repetitis. Exigebant enim debita à debitoribus suis, post annum remissionis, non remittentes tunc iuxta legem.

Eò quod non erit in te mẽdicus. Id est, si hoc feceris, satiã ego vt nullus sit apud te mẽdicus, vt infra explicat. Mutuabis gentibus multis, & tu non capies mutuum. Aliqui putant hoc potius imperatiuè quàm enuntiatiuè legendum: vt scilicet, præcipiat Dominus nullum fore inter eos egenum: sed prior lectio magis arridet vt ex sequentibus probatur. Sequitur enim.

Si fuerit in te mendicus. Considera legislatoris prudentiam & quàm facilem faciat legem ne deterriti pertinacia manus clauderent. Pauci, inquit, erunt qui mutuò petant, cùm pauci fuerint mendici, ideò ratione anni remissionis, nõ timeas mutuare fratri. Aduerte autem quod ab abah quod est velle, est ebion, id est, mendicus seu egenus quasi omnia volens, cùm omnibus egeat.

Vt custodias facere. Id est, vt obserues ad faciendum. Vult Dominus hominem antequã veniat tempus implendi præcepta eius, obseruare tempus, vt quamprimum venerit faciat.

Dominus deus tuus benedixit tibi. Pro benedicet tibi, aut benedixit, vt possis debita fratribus dimittere.

Mutuabis gentibus multis. Significatio verbi habat, non est vsquequaque certa Hebræis. Dicunt enim significare capere pignus, remorari, retardari & fœnerari seu mutuare, sed meo iudicio verbũ significat detinere, retinere & mutuare: vt patet Ioelis. 2. vbi dicitur. Sicut potentes current, & non ieabe tun, id est, tardabunt in viis suis. Item infra. 24. Non ingredieris domum illius laabot, id est, ad detinendam seu retinendam retentionem. Vocat enim pignus retentionem, quoniam detinetur à creditore, aut retinet debitorem & pignerati detinere seu retinere. Hic tamen & infra hoc eodem capite videtur significare mutuare: vbi dicitur. Mutuando mutuabis ei quãtum sufficit defectui eius, quod defecerit ei. Voluerunt perfidi Iudæi hunc locum adducere ad impietatem vsurariam tuẽdam, dicentes licere sibi dare ad vsuram gentibus pecuniam suam, quod neq; textus somniauit hic. sed quod tanta erit apud eos rerum omnium copia: vt possint etiam gentibus mutuare, & à nullo mutuo accipere.

Caue tibi. Hebraicè est. Sis custoditus tibi: sed sensus redditus est.

Ne fortè sit in corde tuo verbum beliial. Id est, impium, malitiosum, & est hic coniectura, quòd beliial significet hominem malitiosum, aut verbum hominis non habentis iugum legis Dei, qui liberè loquitur quæ vult.

Et malus sit oculus tuus in fratrem tuum. Voeat oculum malum, oculum impium seu immiseri cordem, quemadmodũ oculus misericors dicitur oculus bonus. Prouerb. vigesimosecundo, sic habes bonus oculus benedicetur, quia dat de cibo suo pauperi. Et capite. 23. Ne edas cibum oculi mali & ne desideres delicias eius. Et Matthæi sexto. Lucerna corporis tui est oculus tuus qui si malus fuerit, &c. Et capite. 20. An oculus tuus malus est?

Oculus malus quid sit, Hebræis.

Erit in te peccatum. Putarem hic peccatum pro punitione accipi vt in multis scripturæ locis, ac si dicat. Et erit super te punitio hac de causa, aut peccabis.

Pauperi tuo & mendico tuo. Pauper dicitur ab anah quod est humiliari quasi humilis & abiectus, mẽdicus verò seu egenus ab abah quod est velle & desiderare, vnde melius egenum quàm mendicum vertas.

Onerando onerabis eum. Verbum anach, id est, onerare deducunt Hebræi ab anach, quod est torques, & meo iudicio potius significat circundare quemadmodum torques, quàm onerare. Ipsi enim Hebræi Psalmo. 73. vertunt anachtemo, id est, vt torques circundedit eum superbia, aut ideò coronauit eos superbia: vnde hic potius vertendum puto. Circundando circunda bis eum de pecudibus tuis, aut suspendendo suspẽdes scilicet, ad eum omnia bona.

Erit tibi seruus in sæculum. Id est, vsq; ad annum Iobel. Quoniam holam non semper perpetuum significat vt pater Ieremiæ. 2. Meolam, id est, à sæculo confregi iugum tuum, id est, à multo tempore.

Quia duplex est merces mercenarij tui. Hebrei sic interpretãtur. Fuit is tibi per sex annos loco duorum

duorum mercenariorũ. Solebant enim mercenarij operas suas ad tres dũtaxat annos locare, sed Iaacob ad septem apud Laban locauit eas: ideò aliter literam hanc interpretandã puto sic scilicet: Ideò præcipio dimittere seruum Hebræum septimo anno liberum: quoniam duplex est merces mercenarij tui, & ille altera caret. Debetur enim mercenariis victus quasi vna merces, & pecunia quasi altera, seruus autem emptus & si habeat victum, non tamẽ datur illi pecunia, & priuabatur ista mercede & eius loco dimittebatur liber, & iste meo iudicio est huius literæ sensus. Posset etiã dici mercedem seruorum Hebræorũ duplã fuisse ad mercedẽ aliorum seruorum: ideò loco vnius præcipitur liber dimitti.

Sanctificabis Domino deo tuo, id est, separabis vt des domino, quasi rem sanctam aut applicabis domino.

Non seruies cum primogenito bouis tui. Erant aliqui mali inter Iehudæos qui antequàm darent Domino bouem primogenitum, operabantur cum eo, & tondebant agnum primogenitum: quod Dominus prohibet fieri, quoniam ex egressu vuluæ erant Domini: ideò tam ministeria eorum quàm lana, ad Deum pertinebant. Si quæras quoto tempore Iudæi tenebantur primogenita offerre: de pecudibus statuit lex vt sex diebus esset cum matre. Ex verbis verò Lucæ videtur hominum primogenita. 40. die fuisse adducta in templum.

Coram Domino Deo tuo comedes illud. Constat ex hoc loco non solum sacerdotem sed etiam Dominum primogeniti comedisse illud, & verum est. Nam Numeri. 18. præcipit Dominus primogenita animalium immolatitiorum non debere redimi sed immolari, & crediderim non solum sacerdotes, sed offerentes ex huiusmodi carnibus comedisse, si quasi pacifica immolarentur: quod si non placet dicito hic sicut & præcedenti capite per primogenitũ intelligi primitiuum: ad quẽ sensum nullo modo accedere possum, quoniam litera hæc de vere primogenito loquitur.

Si fuerit in eo macula, claudus. Ecce quid lex maculam appellet, nempe si sit claudus aut cæcus aut gibbosus.

Immundum & mundum pariter, scilicet ad sacrificiũ. Multa enim quæ erant immunda ad sacrificium, erant munda ad esum vt ceruus caprea & id genus multa, quemadmodum mancus aut abundans membris.

IN CAPVT. XV. DEVTERONO.
adnotatio. ad nostram eruditionem.

A fine septem annorum facies remissionem. Et si omnes diuinæ leges, pietate & misericordia plenæ sint, hæc tamen omnium pietatem excedere videtur qua debita egenis remitti iubentur quolibet saltem septennio. Quis daret vt inter Christianos, qui nos Iudæis sanctiores prædicamus: hęc lex seruaretur: sed ad hoc inter nos res deuenit, vt (lugubius dicit) vt idololatria excepta in omnibus aliis, gentibus pares & Iudæis, ne dicam deteriores simus. Si considerares eum proximum & fratrẽ, forsitã aliquãdo remitteres.

Quia vocauit remissionem Domino. Quid aliud hæc lex sonat, quàm quod Christus apud Matthæum præcipit, quod vni ex minimis meis feceritis, mihi feceritis. Sic & hic Dominus ostendit, sibi potius quàm fratri remissionem fieri.

Ab alienigena exiges. Multa permittuntur extraneis fieri, quę nullo pacto permittenda sunt fratribus. Hinc orta sunt priuilegia.

Eo quod non erit in te mendicus. O fœlix, & nimium fœlix illa communitas: in qua nullus esset egenus: quod si fieret, non essent tot pauperum quotidie aduersus Dominum querelæ dicentiũ. Quare hic panibus & diuitiis abundat, nos verò hic fame perimus? Aduerte etiam hic causam omnis penuriæ & defectus inter nos: quod videlicet nostra non impartiamur fratribus nostris. Hęc etiã causa est quare aliis gentibus seruimus, neq; sumus ab omnium exempti potestate.

Intra vnam è portis tuis, in terra tua. Ordinem charitatis vt vocant, docet lex hæc; vt videlicet illis prius mendicis subuenias, qui sunt intra portas tuas & in terra tua: postmodum verò aliis.

Mutuando mutuabis: quantum sufficit defectui eius. Non vult Dominus te fore parcum in distribuendo & subueniendo fratribus tuis, quod etiam glorię tuæ expedire videtur, ne alius dicat se defectibus tuis potius quàm proximi subueniſſe. Iniurium enim tibi reputare deberes, si alius te iuuaret ad subueniendum proximo, cùm posses ipse solus subuenire & tibi soli, proximis & non aliis deberet subuentionem.

Caue tibi ne sit quidpiam in corde tua, cum impietate. Occurrit vbique Dominus malitiæ nostræ. Occurrunt enim homini, volenti eleemosynam facere mille tentationes. Si deerit mihi quod pauperi dono. Si soluet quod mutuo tradidi. Si dabit Dominus centuplum quemadmodum pollicetur: quæ omnia forti sunt animo superanda: ne contingat in diffidentiam erga Dominum labi. Quærit etiam humana malitia semper occasiones quibus à bono opere cesset, & timendũ valdè est, ne pauper clamet ad Dominum contra te, & perdas non solum quæ non vis largiri, sed te & omnia. Et pulchre hic docet, qualiter cum deo perdere debeas. Sunt multi qui docent hominem lucrari, sed rari qui docẽt perdere cum deo, quod est maximum lucrum. Audi quid Christus dicat. Qui perdiderit animã suam in hoc mundo: in vitam æternam custodit eam. Cupiunt homines maximè, vitam custodire perpetuo, & ignorant quod non possunt eam perpetuo custodire, nisi perdendo eam propter Deum. Sic ignorant se diuites fieri perdendo pauca, quæ proximis suis propter Deum remittunt.

Quomodo quis cũ Deo perdere debeat.

Si dimiseris, non dimittes vacuum. Putant nunc homines, nõ ethnici quidem sed Christiani, magnum quid facere, si seruos suos senes post. 20. ac. 30. seruitutis annos, liberos dimittant; qui libertatem amantes eam etiam in senio amplectuntur, & cùm laborare nequeant, mendicant. Non vereris homo Christiane, ecclesiæ alendum tradere seruitorem, cuius vires in tuo sunt ministerio consumptæ? Dimittebat septimo anno Iudæus seruum: neq; remittebat vacuum, sed omni bono refertum, & tu post. 20. annos aut. 30. neque vacuum remittis. Audi quid per Isaiam Dominus dicat. Dimitte eos qui confracti sunt liberos & vbique vult nos fortẽ nostram, & qui fuerimus considerate.

Capies subulam. Docet hominẽ vti debere donis dei, neq; paruipendere, quæ sibi à domino donãtur bona.

Non sit durum in oculis tuis, cum dimiseris eũ liberum. Extremum malum est, bonorũ pœnituisse factorum: quemadmodum si te pœnitcat iniuriam æquo animo propter Deum toleraſſe: eleemosynas fecisse: seruum liberum dimisiſſe.

Duplex est merces mercenarij. Alia debet esse merces fratris, atq; concinis tui, & alia aliorum seruorum, & præcipitur duplex ad istam.

Non operaberis in primogenito bouis tui. Non vult dominus vt sua diminuas, sed integra solues. & expende hic hominum malitiam, qui etiã cum Domino volunt maligne & insidiosè agere, vt quæ illi sunt soluturi, detrita & nuda soluant: esi ea quæ ipse nobis confert, vernantia florida & induta conferat. Sunt etiam qui ea quæ pauperibus tribuunt, prius extenuant, & omne quod in eis bonum aut pulchrũ est auferunt, postea donant.

IN CAPVT. XVI. DEVTERONO.
iuxta literam adnotatio

Obserua mensem spicæ, id est, in quo spicæ solent matureſcere in terra sancta aut quo blada incipiunt spicas habere, & mẽsis iste Iudęis dicitur Nissan: qui respondet Martio & nõnunquam Aprili nostro. In Hebræo est pro spica Abib, quod Hebręis significat spicam cum culmo seu calamo: à radice vsq; ad spicam Exodi. 9. Quia ordeum Abib, id est, spica. Sanctes in priori æditione vertit Iulium, sed postmodum correxit in aliis æditionibus locum & in lexico.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et facies Pesach Domino Deo tuo. Ecce ad quid præcepit mensem spicæ seruare, nempe ad festum paschæ celebrandum. Explicui Exodi. 12. & 13. quid proprie significet nomen Pesach & etiam verbum pasach, quod scilicet significet saltare & Pesach saltū: quod ea nocte Dominus, occidens primogenita Ægyptiorum saltauerit domos Israelitarum: neque occiderit in eis quenquam. Nostri transitum interpretantur: sed quasi idem est.

Et immolabis Pesach de pecudibus & bobus. Non est hic sermo de sola paschali victima, quoniam illa non poterat sumi nisi de ouibus vel capris, vt dictum est Exodi duodecimo, sed loquitur de omnibus victimis, in festo Pesach immolandis: vt statutum est Numeri vigesimooctauo.

Vt habitare faciat nomen suum ibi, id est, denominetur à nomine Domini, vocetur domus domini.

Non comedes super ipsum fermentatum septē diebus. Potest pronomen ipsum: referre victimam paschalem scilicet agnum vel hœdum qui immolabatur, aut quod verius puto omne sacrificium festi: cū quo nullo pacto licebat comedere fermentatū, vnde sensus est. Nō comedes super ipsum scilicet paschale sacrificium fermentatum videlicet panem: quare sequitur.

Septem diebus (quibus scilicet festum durabat) *comedes super ipsum infermentata, panem humilitatis.* Id est, quem humiliati homines sub manu alicuius comedere solent, quales Iudæi erant quando egressi sunt ex Ægypto.

Quoniam festinando egressus es. Id est, ideò præcipio infermentata comedere, quoniam tam festinanter ex Ægypto egressus es, vt non licuerit fermentari, neq; reddit hæc sententia causam sententiæ immediate præcedentis, quare scilicet debeant comedere panem humilitatis.

Intra vnam è portis tuis. Id est, intra mœnia aut septa vrbis tuæ. Volebat enim Dominus, vt præsentes illi beneficium referrent.

In vespera occumbente sole, tempore quo egressus es ex Ægypto. Explicare videtur hic textus quid vespera significet, quod videlicet significet solis occasum. Sed quod dicitur difficultatem habet: quoniam videtur ex hoc loco Iudæos noctū ex Ægypto egressos fuisse, & tamen Exodi. 12. dicitur eos egressos in corpore diei. Dicendum Iudæos vt colligitur ex verbis capitis. 12. Exodi. post mediam noctem ex Ægypto egressos. Nam media nocte post immolationem, Dominus primogenita occidit, & postea rex accersiri fecit Moseh & Aharon quibus præcepit vt egrederentur & vigebant eos exire: vnde videtur quod noctu prope mane tamen, egressi sunt. Cùm ergo hic dicitur. Sacrificabis Pesach in vespera occumbente sole: tempore quo egressus es ex Ægypto, non est intelligendum eos sole occumbente exisse, sed quod illa nocte egressi sunt, vnde tempus non pro hora, sed pro tempore hic accipiendum est.

Vertes te mane, & ibis in tabernacula tua. Non intelligas mane sequens immolationem immediate, quoniam dies celebris erat & non licebat iter facere, sed mane sequentis diei & accipitur mane prout idem est quod eras, quemadmodum dicimus nos Lusitani mane hoc faciam, id est, eras & fortè illud mane erat mane octauæ diei: quoniam solebant Iudæi ad omnes septem dies manere in loco vbi erat domus Domini.

Die septima erit collectio Domino Deo tuo. Explicuimus abunde festum hoc Leuitici vigesimoterтio, & Numeri vigesimonono, & melius vertas. Erit retentio, quàm collectio, & videtur ex hoc loco haberi quod aferet, id est, retentio, significet restrictionem ab operibus seruilibus, quoniam statim quasi explicādo sequitur. Nullum opus facies.

Cùm cœperis falcē esse in segete, incipies numerare septem ebdomadas. Videtur ex hoc loco in terra sancta messem incipere in mense Nissam, seu in festo Pesach, sed quia collectio exarea in ea fit in mense Septembris seu Thisri, quando celebrabatur festum tabernaculorum vt statim infra habetur & non est vero simile messem ad septem menses durare, crediderim falcem mitti ad spicas virides colligendas, quæ magis ad maturitatem tendebant. Aut quod verius credo supputationem, huiusmodi septem ebdomadarum retro faciendam & sensum literæ esse, Cùm incœperit falx esse in segete, incipies, scilicet retro numerare septem ebdomadas, & hic sensus scrupulis caret & verior ac germanior est, & iuxta illum interpretare quod Leuitici. 23. scribitur & per solemnitatem ebdomadarum intelligit Penthecosten.

Quantum potuerit spontanea manus tua, erit quod dabis. Id est, iuxta facultatem tuam quam sponte exhibebis. Aliqui vertunt. Cum leuatione voluntaria manus tuæ.

Quemadmodum benedixerit tibi Dominus. Id est, benefecerit. Benedicere enim Dei, in sacris literis: benefacere est.

Solemnitatem tabernaculorum facies tibi. Hæc fiebat in Thisri, qui respondet septembri nostro saltem pro sui parte: quādo fructus arborum & agrorum colliguntur & vinum: vnde dicit, Cùm collegeris de area & torculari.

Septem diebus solemnitatem celebrabis Domino Deo tuo. De solēnitate tabernaculorū est sermo: quę ad septem dies durabat, quorū primus & octauus erant celebres, vt dicitur Leuitici. 23. & de hoc festo etiam fit mentio Numeri. 29.

Tribus vicibus in anno conspicietur omnis masculus, coram Domino Deo tuo. Vnde sequitnr quòd fœminæ non tenebantur ex lege interesse loco sancto omnibus tribus festis, sed sat erat adesse in festo infermentatorum, quod erat præcipuum inter omnia.

Non conspicietur coram Domino vacuus. Sententia sequens hanc explicat more suo, vt scilicet vnusquisque domino prout potuerit offerat.

Vnusquisque secundum donum manus suæ. Id est, prout donare potuerit.

Iudices & præfectos pones tibi in omnibus portis tuis. Per iudices intelligit eos qui ius populo dicebant: per præfectos, qui Hebraice vocantur foterim: dicit Rabbi Abraham intelligendos fore executores eorum quę iudices decernebant: vt sunt illi qui apud nos dicūtur alcaides meirinhos porteiros. Putarem istos præfectos fuisse duces & gubernatores populi, quorum munus erat populum defendere & exercitum cōgregare cùm opus esset. Sicut in vrbibus quibus nō est rex, est vnus dux aut plures qui populum gubernant: ostendentes quid faciendum vel omittendum sit, & videtur fuisse Dominum: vt colligitur ex verbis Iob trigesimosexto vbi dicitur. Num pones mistaro, id est, præfecturam aut dominiū eius scilicet cœli in terra? Præcedit enim. Nunquid nosti statuta cœli? & sequitur. Nunquid pones dominium eius in terra. Posset etiam verti ordinē, & tunc soter significaret ordinatorem directorem, & non sum longe vt putem nomen soter hoc proprie significare. Nam Prouerbiorum. 6. habes de formica. Non est ei princeps soter, id est, præfectus seu gubernator. Diximus abunde de nominis significatione. Exod. 5. Iudicum erat, ius suum vnicuique tribuere, & iudicare inter causam & causam, sanguinem & sanguinē, præfectorum verò vt diximus ostendere & imperare quando aliquid faciendum vel non faciendum erat à populo, aut erant minores iudices qui in minoribus locis ponebātur vel in maioribus minora iudicabant, quoniam infra hoc eodem capite hæc sententia probari videtur. De numero eorum nihil statuit Dominus, sed satis ostendit non debere vnicum esse, & secundum populi multitudinem vel paucitatem, multiplicantur & diminuebantur. Dicit autem textus in portis tuis: quoniam huiusmodi iudices, ibi ius dicere tenebantur, ne qui ex aliis locis venirent, discurrerent per vrbem ad quærendum iudicem. Dicūt autem Hebræi in qualibet vrbe fuisse. 23. iudices, qui dicebantur Sanhedrim quorum præcipuus erat loco Moseh, cæteris

ceteris verò loco septuaginta senum qui cum eo populum iudicabant aut gubernabant, & in conspectu illorum. 23. sedebant tres ordines discipulorum sapientum, qui in locum Iudicum decedētium succedebant, stabant etiam coram Sanhedrim duo scribæ, vnus ad dexteram, alter ad sinistram. Alter scribebat sententiam eorum qui reum dimittendum decernebant: alter verò sententiam eorum qui adiudicabant damnandum. Item duo præcones, duo qui in iudicio contēdebant, duo testes, & duo eorū aduersarii, atq; duo collectores electmosynę. In ciuitate autem in qua non erant 120. homines: ponebantur tantum tres: adlegebātur autem in huiusmodi cōsistorium, tam paruum quàm magnū, sacerdotes Leuitæ & nobiliores Israelitæ qui digni erant ad suscipiendum sacerdotium, sed nō bene in hoc dicunt Iudei, cùm sacerdotes necessario deberēt esse de tribu Leui. Debebāt etiā mūdi esse, ab omnibus vitiis corporis. Sapientes diuites & magiæ periti esse debebant: vt scirent eam destruere. Similiter gnari linguarum. Non admittebātur ad huiusmodi consilium nimium senes, neq; eunuchi ob crudelitatem, neq; orbi, sed cui essent filij vt esset misericors. Neq; rex, quoniam cum eo non erat contendendum. Sacerdos verò magnus admittebatur modo sapiens esset, viri veraces sapientes & magnanimi nō auari. Hęc Hebræi quibus meo iudicio multa miscentur falsa.

Iudicabunt populum secundum iudicium iustum. Præ se fert rextus iste, non solum iudices sed præfectos fuisse iudices, neque inconuenit. Posset tamen hoc ad solos iudices referri, sed primum melius.

Non cognosces personam. Hebraice faciem, & est sensus, non discernas an aliquis sit potēs vel impotēs, diues aut pauper, sed causas: ac si dicat. Cùm fuerit iudicādum, nō respicias faciē alicuius neq; discernas eos sed causas: quoniā agnitio personæ nihil facit ad causam, & ponitur cognitio faciei pro cognitione personæ, quoniam persona ex facie cognosci solet. Et vt sæpius diximus verbum nachar, contraria videtur habere significata: significat enim agnoscere, hic & Iob. 34. & Threnorum. 4. & etiā occultare se, ne quis agnoscatur, vt. 1. Semue. 13. Dixitq; Saul nichar, id est, celau sit illum dominus in manu mea. Et. 1. Reg. 14. Et ipsa scilicet vxor Hieroboham mitnacherah, id est, occultauerat se, ne scilicet agnosceretur.

Et destruit verba iustorum. Non plene constat quid proprie significet verbum salaph, quod hic destruere vertit Sanctes: quod aliqui supplantare, alij peruertere vertunt. Prouer. 19. habes. Stultitia hominis, tesaleph, id est, peruertet viam eius: ex quo videtur quod significet alio diuertere facere quàm rectum sit, & hoc facere in iudicibus munera solent, quoniam tendētem ad rectum, faciunt alio diuertere, & per verba res intelligę, aut re vera verba, quoniam alia solent esse verba iudicis recti, alia verò corrupti: statim enim mitius loquuntur in causa eius qui munera contulit.

Iustitiam iustitiam sequeris. Id est, puram & simplicem iustitiam, non aliquid aliud vt sunt munera & personas.

IN CAPVT. XVI. DEVTERONO. ad nostram eruditionem adnotatio.

Obserua mensem spicæ. Non possum non admonere homines vt sint memores beneficiorū Dei: tùm videam eum tam crebro ea commemorare, & simul cum ceremonia illud nobis inculcare, neque arbitratur satis illud in festo ipso ad memoriam reuocare, nisi ipsius etiam festi antequàm veniat memineris. Voluit enim nos, ventura explorare festa: ne contingeret sine memoria, diē accepti beneficij præterire. Neque solius diei nos voluit esse memores sed horæ, quemadmodum sequitur. Quia in mēse spicæ, eduxit te dominus ex Ægypto nocte. Neq; sufficit diei meminisse, nisi etiam munere oblatæ victimę, tuo modo recompenses gratiam exhibitam.

Quia festinanter egressus es de terra Ægypti. Festina valdè sunt auxilia Domini, præsertim dum ab inimicis opprimentibus eruit suos. Ascendit (ait Psal.) super Cherubin, & volauit super alas venti. Et alio loco: Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me festina.

Non poteris sacrificare Pesach, intra vnam è portis tuis. Non vult dominus vt illi gratiam accepti beneficij referas in domo tua, sed in domo sua: Cuius rei audi pulchrum exemplum. Cùm enim dominus per Nathan Prophetam multa Dauidi & præclara promisisset, indignū putauit rex sanctus domi illi gratias agere, sed ingressus tēplum eius & in terra sedens humilis dicere cœpit. Quis ego sum domine, & quæ est domus mea quia adduxisti me vsque huc? Hæc est consuetudo humilium, vt tunc maximè se deprimant, cùm se magis viderint exaltari à Deo. Insolescunt & vane eleuantur impij succedentibus bonis: viri verò iusti humiliati solēt, & vide qualiter sanctus vir, se indignū tunc fatetur acceptis bonis: cùm illi maxima conferuntur. Similiter qualiter extollat collatū munus, vt dicat se plus à domino tūc accepisse, quā posset ipse desiderare. Discę ergo ex hoc loco: cùm bonū aliquod à domino acceperis, domum eius intrare, ibiq; illi gratias agere.

Vertes te mane, & ibis in tabernacula tua. Surrexit nunc nouum fœminarum genus nolentium laborare: volentium tota die ecclesias circuire, hinc inde discurrere, non curantes liberos neque domesticam rem de quibus Paulus Timotheum discipulum admonet. Simul (inquit) otiose discunt circuire domos, neque solum otiose sed verbose & curiose loquētes quæ non oportet. Sic & hic dominus postquàm gratias illi accepti munetis egissent, vertere se præcipit & ire in tabernacula sua. Ex quo etiam loco discant prælati non multiplicare festa sine causa, sed sinant pauperem plebem necessaria sibi, suo labore quærere. 1. Time.

Septem hebdomadas numerabis tibi. Vigiles valdè nos esse voluit & solicitos dominus, circa festa sua, vt diu anteq̄ venirent, numerare dies incipiamus, ne contingeret, illa vllo modo sine celebritate præterire. Voluit autem à falcis missione tēpus numerari, vt discerēt se de frugibus terræ in vēturo festo debere offerre.

Quantum potuerit spontanea manus tua. Considera prudentiam legislatoris, qui in persoluendis beneficiis voluit te debiti memorem esse, noluit tamen te grauare. Vt enim scires quanta debeas, præcipit vt quantum potueris offeras, ne autem te grauaret, voluit vt tua sponte offerres. Et discāt ex hoc loco diuites & pauperes, tanto plura aut pauciora debere, quanto multa aut pauca ab eo acceperint. Vnde sequitur. Quemadmodum tibi benedixerit Dominus.

Lætaberis coram Domino Deo tuo. Libenter nos videt dominus deus noster flentes corā se: sicut & lętantes. Iusti (ait quidam) epulentur & lætētur in conspectu dei, & delectentur in lætitia: peccatores verò ploreant & tristentur, flentes coram eo peccata sua.

Tu & seruus tuus & ancilla tua. Quemadmodum seruus & ancilla tecū tristantur & laborant: ita te gaudente & quiescente gaudere & quiescere debent: indignus es seruorū ministerio, qui te gaudēre vis seruum tuum laborare & tristari, & bene aduerte dominū nō voluisse te sine seruo tuo ancilla & pauperibus lętari. Cùm enim te lętū esse præcepit in solenniratibus suis: semper seruum & ancillam & pauperes adiunxit.

Qui sunt intra portas tuas. Voluit Dominus vnamquamque vrbem suos curare pauperes, & equissimum est vt quemadmodum pater familiās suos domesticos iuxta Pauli doctrinam alere tenetur: ita & ciuitas suos conciues.

Tribus ambulationibus in anno conspicietur omnis masculus coram Domino. Admonui dum alibi hāc tractarem sententiam: quanta sit dei nostri erga nos dignatio: vt totiēs voluerit, nos corā se videre, qua in re dominos docuit suos famulos frequēter videre, & si quibus indigēt prouidere. Et indignū valdè est vt vacuus videas cum qui te multis bonis voluit abundare.

Iudices & Præfectos pones tibi. Non potest vrbs constitui

Universidad de Deusto
Biblioteca

statui neq; consistere: sine iudice & præfecto, & expende iudicem debere esse in eo loco: quo facilè possit ab omnibus reperiri & adiri.

Non peruertes iudicium: non agnosces personam, neque capies munus. Hæc duo quæ prohibet, sunt quæ iudicium peruertere solent scilicet personam cognoscere & munus accipere, à quibus si immunis sit iudex, iudicium nullo pacto peruerteret.

Munus excæcat oculos sapientum, & peruertit verba iustorum. Expende quomodo, omnia quæ sunt in iudice bona, munus corrumpit. Duo sunt in iudice maximè necessaria, scilicet iudicium & iudicij executionem, quæ duo munus omnino peruertere solet.

Iustitiam iustitiam sequeris, vt viuas & possideas terram. Isti sunt fructus iustitiæ in locis vbi administratur, scilicet vita ciuium & conseruatio ciuitatis: vnde qui cupiunt vrbis vitam & consistentiam, iustitiam administrare laborent.

Non plantabis tibi locum. Admonet locus iste, nihil quod idolorum sit, aut ad eorum cultum pertinet: esse cultui diuino miscendum: quoniam omnem verum Dei cultum corrumpit: etiam paruum alterius religionis admixtum.

IN CAPVT. XVII. DEVTERO. AD literam adnotatio.

NOn *sacrificabis Domino Deo tuo bouem & pecus in quo fuerit macula.*
Non intelligas de macula velleris, quoniam illa non vitiabat oblationem sed si pecus esset morbosum languidum diminutum vel superfluũ in corpore aut corporis membris aut fractum offerẽdum non erat quod statim explicat dicens. Aut omnem rem malam.

Quia abominatio est Domino Deo tuo.
Significat taab, abhorrere, abominari, nos dicimus auorrecer, vnde thoabat, id est, res à qua omnes abhorrent: ac si dicat. Est res à qua Dominus maximè abhorret.

Solì vel lunæ, vel omni exercitui cœli.
Hæc enim erant, quę gentes colebant scilicet astra cœli, quæ vocat exercitus cœli, propter multitudinem & ordinem ad modum exercitus, vt Genesis primo admonuimus.

Ecce est veritas: rectum est verbum. Explicat secunda clausula priorem.

Educes virum ipsum vel mulierem ad portas tuas.
Inquinabat malus etiam mortuus, castra vel vrbem in qua erat: ideò iubetur extra castra & vrbem lapidari.

Non morietur in ore testis vnius. Ex hoc loco omnes leges accipiunt duos testes in causa requiri cum aliquis est interficiendus.

Manus testium erunt contra eum prius.
Qui enim prius nouerant peccatorem, prius incipiebant eum punire, tum quia fuerant primi punitionis authores.

Si absconditum fuerit à te verbum ad iudicium.
Statuit lex hæc, vt causa obscura aut difficilis, in qua iudices vrbis particularis variant, & quam iudicare vix possunt: deferatur ad sacerdotes Leuiticos, & iudices vrbis, in qua fuerit tabernaculum Domini, & ibidem ab eis iudicetur, quorum sententiæ sub pœna mortis stetur. Aduerte autem, quòd verbum Hebraicum palaa quod vertimus absconditum esse, significat proprie separare vt patet Exodi nono vbi dicitur. Vehiphlah, id est, separabit Dominus inter pecudes Israelis, vnde textus reddi posset. Si separatum fuerit verbum, sed clarius hic redditur per absconditum esse: quia quod est absconditum, separatum est ab hominum notitia, & quod sequitur. Ad iudicium idem est quod ad iudicandum & est sensus, Cùm latuerit tibi res ad iudicandum, vt scilicet ignores qualiter sit iudicanda talis causa.

Inter sanguinem & sanguinem. Exempla sunt præcedentis sententiæ, id est, cùm ignoraueris cuius sanguis effundendus sit,

Inter litem & litem. Id est, cuius lis sit iusta, aut iniqua.

Inter plagam & plagam. Id est, quis sit plagandus, aut quæ atrocior aut leuior, & res aut verba litium fuerint varia.

In portis tuis. Id est, vrbibus tuis aut in portis vrbium in quibus fiebant conuentus ad iudicandum.

Et venies ad sacerdotes Leuiticos & ad iudicem qui erit in diebus ipsis. Non dicit textus & ad Leuitas, quoniam munus iudicandi non erat Leuitarũ sed sacerdotum, qui peritiores in lege erant Leuitis.

Et ad iudicem. Vnde constat vnicum fuisse iudicem: quem non oportebat sacerdotem esse, & sic erat tempore quo non erant reges in Israel: & communiter erant prophetæ vt patet de Heli & Semuele & aliis iudicibus, in libro Iudicum. Consulto omittimus hic concilium Sanhedrim quod Iudæi ex hoc loco statuere volunt: quod ex textu non habetur.

Iudicabunt tibi verbum iudicij. Id est, rem iustam aut iuste. Præsumebat enim Moseh, istos fore iustos. Tum quia Deum præsentem habebãt quem vindicem meritò formidarent: tum quia facilè possent eum in causa consulere. Neque debebant litigantes, superiores consulere iudices, sed ipsi inferiores iudices.

Facies iuxta os verbi quod annuntiabunt tibi: è loco ipso. Id est, iuxta verbum oris quod annuntiabunt tibi, qui loco sancto præsunt.

Iuxta os legis quam docebunt te. Id est, prout lex dixerit. Habet enim lex vocem suam & loquelam: iuxta illud Pauli ad Romanos. 3. Scimus autem quod quæcunque lex loquitur, his qui sub lege sunt loquitur. Vnde illi supremi iudices, non debebant pro suo arbitrio iudicare, sed ore legis loqui & pronuntiare sententiam.

Vt non obediat sacerdoti. Videtur ex hoc loco non fuisse necessarium multos esse iudices sacerdotes, sed summum, & re vera crediderim hoc ideò factum quoniam supponebat se fore præsentem & causam si opus foret iudicaturum, quemadmodum in desetto difficilia iudicabat.

Auferes malum ex Israel. Verbum baar non significat proprie auferre, sed comburere aut eliminari: quemadmodum ignis rem depascit, & significatio vera bi non est bene nota Hebręis vt sæpius admonuimus: vnde posset verti: Et eliminabis malum ex Israel.

Ponam super me regem. Non præcipit ponere: quoniam melius rem publicam per sacerdotes nouerat administrandam quàm per reges, sed voluit vt si faceret, non nisi quem ipse designaret eligerent, & enumerat hic septem conditiones regis. Prior vt sit à Deo electus. Secunda vt sit de fratribus. Tertia quod non multiplicet equos. Quarta vt non multiplicet sibi vxores. Quinta quod non multiplicet argentum. Sexta vt scribat sibi duplicatam legem. Septima vt non se eleuet super fratres suos. Et ratio prioris est ne esset in populo seditio hac de causa. Secundæ verò est vt diligat populum, & non cogat illum aut inducat ad alias leges, aut ad idololatriam. Ratio. 3. ne esset vir bellorum amator. 4. ne nimium distraheretur à negotiis regni, aut ne filios multiplicando oneri esset populo: vel ne multiplicando vxores, alienas appeteret, quæ illum ad idololatriã impellerent. Quintę ne populum expilaret si auarus esset. Sextæ vt sciret iudicare.

Neque reducet populum in Ægyptum: ad multiplicandum equos. Difficilis est sensus huius loci. Hebraissmus sic habet:

Tantum non multiplicabit sibi equos, et non reducet populum in Ægyptum, vt multiplicet equum. Et Dominus dixit vobis. Non addetis redire per viam istam amplius.

Primus sensus Caietani est. Non multiplicabit sibi equos & non reducet populum in Ægyptum, ratione commertij equorum: ac si dicat. Non dabit cupiditate emendi equos, occasionem populo, reuertendi in Ægyptum commertij gratia. Secundus est. Non redigat populum iterum in seruitutem Ægyptiam: dando pro equis homines. Sed textus dicit Deũ prohibuisse reditum

Locus difficilis.

reditum in Ægyptum. Si equos pro equitibus accipias, clarus est sensus. Non multiplicabit sibi equites scilicet ex aliis populis, neq; reducet populum in Ægyptum ad multiplicandum equites regis Ægypti, præbendo scilicet auxilium illi: quoniam Dominus prohibuit reditum. Iuuat expositionem Caietani id quod habetur prioris libri regum. 10. capite: vbi dicitur. Et exitus equorum ipsi Selomoh erat ex Ægypto, & congregatio negotiatorũ regis accipiebant equum in pretiũ. Et ascẽdebat & egrediebãtur quadriga ex Ægypto: pro sexcẽtis argẽteis, equus verò pro. 50. & centum, & sic omnes reges Chitteorũ, & reges Arã, per manũ eorum educebãt: vnde videtur Iudæos propter equorum negotiationẽ fuisse aut descẽdisse in Ægyptum tẽpore Selomonis: quod hic lege cautũ erat, & videtur Selomonem aduersum hanc egisse lege. Quod autem dicitur. Cùm dominus dixerit. Nõ addetis redire. Si quęras vbi hoc dixerit, scriptũ non est. Credẽdum est tamẽ dixisse Moseh: licet nõ sit scriptum. Aut. Et dominus dixit, id est, præcepit scilicet hic per me &c.

Describet sibi duplicatam legem hanc.
Id est, duplex exemplar huius statuti, pertinentis ad regem. Aliqui tamen de tota lege hoc intelligunt.
Ratio quare iubetur habere duplex legis exemplar est: vt alterum secum semper portaret, vt iugiter legeret vbicunque esset: alterum verò domi haberet cum esset quietus.

Coram sacerdotibus Leuiticis. Id est, qui fuerint ex tribu Leui. Hoc iubetur facere, vt exemplar esset omnino incorruptum: quale habere sacerdotes decebat, qui legem docebant: aut quam legem scribet ab eo exemplari, quod est coram sacerdotibus Leuiticis. Quæ res prælatis nostris vtinam nunc curæ esset, vt certis locis incorrupta exemplaria sacrorũ bibliorum seruarentur: ad quorum fidem quotiens alia deprauari contingeret recurrerent eaque castigarent.

Et erit cum eo. Scilicet huiusmodi legis exemplar.

Et leget in eo. Scilicet exemplari legis, & chara significat alte legere.

Vt discat timere Dominum Deum suum: vt custodiat omnia verba legis istius. Ex timore legislatoris, procedit custodia legum ipsius.

Et statuta. scilicet scripta.

IN CAPVT. XVII. DEVTERONO. ad morum ornatum adnotatio.

IN *ore duorum testium vel trium morietur morituus.*
Hinc arbitror ortas leges sæculi de testibus: vbi vides vnicum non sufficere ad occidendum hominem, sed bene duos.

Si latuerit tibi aliquid in iudicio. Hinc fortè ortæ sunt appellationes ad superiorẽ iudicẽ, & considerent hæc principes, & consilia suprema à quibus non conceditur appellatio, quales esse debeant, vt scilicet eorum iudicium sit omnino rectum, quod vix esse potest, nisi responsum Domini penes se habeant: quẽadmodum isti. Solus enim deus nouit omnia causarum merita.

Appellatio ad superiores vnde orta.

Et audi ex sacris literis huius rei exemplũ. Cùm enim Dominus Genesis. 18. diceret Abrahæ velle ciuitates Sodomorũ subuertere, occurrit illi sanctus senex Abraham dicens: Absit à te domine, vt perdas iustum cum impiis, præsertim cùm sis omnis terræ iudex à quo ad superiorem, nulla est appellatio cùm sis supremus: vbi docet, supremos iudices summe aduertere debere, ne quid iniustum faciant, cùm non habeant qui eorũ sententias corrigant. Similiter discant quàm probe debẽt leges quibus iudicandum est nosse.

Facies secundum sermonem quod annuntiabunt tibi.
Quanta obedientia iudicibus parendum sit, docet locus iste: qui præcipit eos occidi qui decretis ipsorum non paruerint.

Iuxta sermonem legis quem docebunt, facies.
Non est iudicibus liberum iudicare vt volunt, sed iuxta leges, & illis parendum præcipit, cùm secundum eas iudicauerint.

Ponam super me regem. Nusquam præcepisse offendes Deum populo suo regem habere: voluitque rem publicam suam potius per Iudices ac Sacerdotes quàm per Reges administrare: quoniam nouit Regum tyrannidem.

Ponendo pones super te regem quem elegerit dominus.
Quis nunc daret bone Deus, vt hanc regulam quam Iudæis præscripsisti, obseruarent etiam reges Christianorum, & tu eos tuo imperio deligeres, licet sit tanta temporum & hominum malitia vt etiam quos elegisti in tyrannos sint conuersi.

Non multiplicabit sibi equos. Initia malorum tollere vult. Dicunt aliqui. Quid mali si equos vxoresque multiplicet? Ex vanitate multa mala procedere nouimus præsertim in regibus, quare dominus eam voluit in eis seuere vindicare vt patet in Ezechia Isaiæ. 36. quæ & si in omnibus sit mala, in regibus tamen pernitiosa videtur, & in omnibus qui alienis laboribus & sudoribus viuunt.

Scribet sibi iteratam legem. Mirum valdè est, qualiter Reges omnes leges à se etiam suas ablegauerint: vt vix aliquem ex eis inuenias qui nouerit eas. Nihil præter delitias ac diuitias curant, vix vrbium & oppidorum procuratores audire volunt, si quid in libertatem aut vtilitatem reipublicæ loquuntur: cui rei tibi exemplo sit rex Roboam. Ex hac autem cerimonia ortum puto, Reges in Israel coronari libro legis in manu posito: vt habes. 1. Paralipo. 24.

IN CAPVT. XVIII. DEVTERONO. iuxta literam adnotatio.

HÆreditatem *eius comedent.* Vocantur hic sacrificia hæreditas Domini, quoniam in partem eius cædebant & quod illi separabatur à filiis Israel erat sacerdotum. Et pro oblationes domini, in Hebræo habetur, ignita Domini seu partes ignitorum sacrificiorum.

Hoc erit iudicium sacerdotum à populo. Id est, hoc erit sibi iure debitum à populo sacrificante. Seu hæc sunt quæ illis conuingent.

Dabis sacerdoti brachium, maxillas & stomachum.
Dicunt Hebræi pecus habere tres præcipuas partes scilicet caput corpus & pedes, & ex qualibet habebat sacerdos suam portionem. Nam ex capite habebat maxillas, ex corpore stomachum, & ex pedibus armũ dextrum. Aduerte autẽ lechi, id est, maxilla significare proprie mandibulã, in qua defixi sunt dentes: licet de parte exteriori, quæ barbam emittit, & proprie mala aut gena dicitur, quandoq; dicatur. Significatio verò sequentis dictionis scilicet chebah, non plene nota est Hebræis: sicut neq; cuius radicis sit. Aliqui enim dicunt esse à chub, alij à chabah quod est maledicere, & fortè chebah significat ventriculum ob turpitudinem stercoris intestinorũ: chub verò aut chebãh significat ventriculum. Diximus satis de nominis significatione Numeri. 25. Potest etiam significare pudendum sicut chubah. Neq; desunt qui dicant significare saeculum, quo lac fœtui alendo necessarium colligitur.

Primitias velleris ouium tuarum dabis ei.
Per primitias velleris intelligit primitias lanæ: quæ ab ouibus in attonsione auferitur. Et à gazam quod est tondere, est gem, id est, vellus seu attonsio.

Porta pro vrbe Hebraismus vsitatus.

Vt stet ad ministrandum. Solent ministri, dominis suis adstare parati ad ministeria domini.

Si venerit Leuita ex aliqua è portis tuis.
Statuit hic lex, vt si contingat aliquem ex Leuitis peregrinantibus in Israel venire ad locũ tabernaculi, cum maximo desiderio seruiendi Domino Deo suo: quod libere possit administrare & habere portionem suam, quemadmodum alij Leuitæ qui ibi antea ministrabãt: & quod dicitur. Ex aliqua è portis tuis, idẽ est quod ex aliqua è vrbibus tuis: quoniã vrbs proprie dicitur, quę habet murũ & portas. *Quod etiam dicitur ministrabit nomini domini.* Idem est quod ministrabit domino, aut loco denominato à nomine domini.

Partem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Locus difficilis.

Partem secundum partem comedent: præter venditiones ipsius super patres. Locus est vtcunque difficilis, Hebraismum expressimus. Sensus est. Partē & partem comedent, id est, vnusquisq; partem suam aut partem partiendo seu diuidendo comedent: & vt vnico verbo rem complectar sensus est, Diuident seu partientur & comedent: quod autem sequitur. Præter venditiones suas super patres vel iusta patres: hunc sensum habet, id est. Non solum habebunt portiones sacrificiorum, sed etiam res venditas quas vendiderunt patres. Si enim pater Leuitę vendidisset domum aut agrum sub urbij, quod habere potuit: filius eius rediens ad vrbem tabernaculi, poterat recuperare quę fuerant patris sui. Alter sensus est. Præter venditiones suas. Poterat contingere Leuitam vendidisse in vrbe à qua recedit, domum aut agrum quem ex patribus suis habuisset, & pretium venditionis apud se habere, & alij Leuitæ morantes in loco tabernaculi, negarent illi partem hac de causa. quod scilicet haberet secum pecuniam vendi tarum rerum: statuit ergo lex quod sue habeat sive nō habeat pretium harum venditionum, debeat portionem suam habere. Aut præter venditiones suas super patres, id est, etiam si talis Leuita vendidisset ius suum & parentum, ad obtinendam huiusmodi partem. Est tertius sensus quod scilicet Leuitæ debeāt partē suam comedere & habere. Si quid tamen eorum patentes vendidissent, id non oportebat eos habere & est sermo de his quæ Leuitæ habere poterant. Hærent hic Hebræi quomodo sanctus Dauid ministros templi dispo fuerit in viginti quatuor ordines: ita vt non liceret alicui aliter quàm tempore sibi præstituto ministrare: vt patet primo Paralipoménon vigesimotertio & vigesimoquarto. & respondet quidā Germanus legem non censeri violari si quid graui consilio ministrorum verbi & magistratus de minutiis legis mutetur. Sed miror hunc & cæteros Lutheranos hunc locum non expendisse qui constantissime asserunt ecclesiam non posse quicquam mutare aut addere quod ad cultum pertineat. Si enim licuit Dauidi, ex consilio magistratuum & sacerdotum, ministrorum ordinem mutare, cur non licebit ecclesiæ? Est etiam hic alia difficultas, quomodo scilicet Leuitis licebat partem comedere, cùm omnia iura sacrificiorum & partes essent sacerdotum, & nusquam legimus partem aliquam sacrificiorum Leuitis esse concessam. Ad quod dicimus hic explicari à Moseh partem sacrificiorum dandam esse Leuitis veluti ministris, actualiter ministrantibus. Alij verò dispersi per vrbes viuebant ex decimis sibi debitis, & eleemosynis.

Non inuenietur in te, qui transire faciat filium suum aut filiam suam per ignem aut in ignem.

Non plene constat, qualiter iste transitus per ignem fieret. Hebræi dicunt esse Chenanæis persuasum, quòd qui per medium ignem transirēt: implerent dies suos, neque ante tempus aut immature morerentur: à quibus postea Israelitæ edocti sunt huiusmodi transitus facere. Verius tamen videtur ex verbis scripturæ Leuitici decimooctauo Iudæos filios combussisse, à gentilibus persuasos, quòd sic per ignem trāsirent ad idolum Molech seu ad eius consortium. Quod verò eos comburerent, patet Deuterono. 12. vbi dicitur. Omnem abominationem Domini, quam odio habet fecerunt diis suis: quia etiam filios suos & filias suas combusserunt igni diis suis. Constat autem ex verbis Ierem. 32. capite Iudæos, huic idolo filios suos immolasse. Vide quæ de his Leuiti. 18 scripsimus.

Qui aregentes transire faciebant filios suos per ignem.

Diuinans diuinationes, ariolus & augur & maleficus, & incantans incantationem & interrogans Pithonem, et magus, & quærens à mortuis.

Explicui horum nominum discrimen Leuitici decimonono, significat dictio chosem diuinum, & erat sicut Propheta, ita quòd ille qui Propheta apud fideles erat, apud gentiles dicebatur diuinus, qualis fuit Bilham vt patet Iosuah. 13.

Ariolus. Dictio meonem vt Hebræi dicunt significat præstigiatorem, seu qui oculos tener. Rabbi verò Hachibah dicit significare eum, qui tēpora computat & horas, id est, astrologum. Ex capite vigesimoseptimo Ieremiæ constat, esse eum qui futura prædicit, sed quomodo ea cognoscat non explicatur, & meo iudicio eum qui oculos aut res obnubilat ne appareāt secundum speciem suam significat. Hieronymus augurem sæpissime vertit: vt patet Isaiæ secundo vbi dicitur, Veonenim, id est: Et augures habuerunt vt Philistiim. Apud Ieremiam verò sic habetur: Ne audiatis Prophetas vestros, & diuinos vestros, & somnia vestra, & augures vestros & maleficos vestros, qui dicūt vobis, Non seruietis regi Babel. Ex quibus costat non significare Prophetam. neque diuinum aut somniatorem: quare videtur alium significare. Eiusdem radicis est maon quod habitaculum multis scripturæ locis significat. Si verò radix eius sit anah quod est respondere significabit eum qui dat responsa idolorum. Neque longè absum vt dictionem putem esse à radice anan, quod est nubes, & meonē significare obnubilatorem: quemadmodum Hebræos dicere prædixmus. Sequens verò dictio scilicet menaches, incantatorem significare videtur. Dictio autem mechassēt significat fascinatorem seu præstigiatorem. Exodi 7. videtur significare Magum, qui mutat rem in alteram quemadmodum faciebant Magi Paroh, & videntur facere hæc instrumento aliquo, quoniam Michah quinto dicitur: Et excidam chesaphim, id est, maleficia de manu tua.

Aliud verò nomen scilicet chober quod Sanctes incātatorem vertit est à chabar, quod proprie significat coniungere, præsertim minuta ac diuersa vnde videtur genus diuinationis significari, quod multis rebus collectis fiebat: vnde videtur sortilegum significare, qui multa colligit ex quibus sortitur, aut potuit fieri vt huiusmodi res fieret multis sociis collectis. De Pithone verò diximus Leuitici decimonono, neque in textu ponitur Pithon sed (ob) quod Hebræis significat vtrem, vt patet Iob. 32. vnde hic videtur significare dæmonem, qui in locis pudendis veluti ex ore vtris responsa dabat. Vide quæ ibi ex Tertuliano attulimus.

Quærens à mortuis. Erant apud gentes qui defunctos inquirebant, sed quo modo id fieret, in textu non explicabatur, prohibetur autem Iehudæis Isaiæ octauo vbi Dominus dicit. Cùm dixerint ad vos quærite à Pithonibus, qui garriunt, & loquuntur. Num populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Res verò gesta narratur primo Semuelis. 28. vbi Saul describitur Pithonissam consuluisse, eique Semuelem mortuum suscitasse.

Integer eris cum Domino Deo tuo. Alij perfectus vertunt, & sensus idem est, vt scilicet non habeant alteram cordis partem cum Deo suo: alteram verò cum idolis, sed quod toti sint cum domino deo suo.

Et tu non sic. Dedit tibi Dominus Deus tuus. Concisa est locutio, & sensus est. Et tu non sic scilicet facies, vel non sic edoctus es aut non audies præstigiatores & diuinos. Dedit tibi Dominus Deus tuus scilicet Prophetam, qui tibi futura prædicat: ita vt non sit opus ad istos pergere: quod statim explicat.

Prophetam de medio tui, de fratribus tuis: sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ad ipsum audies.

Quod dicitur de fratribus tuis, explicatio est illius quod præcedit scilicet Prophetā de medio tui, vt idem sit de medio tui quod de fratribus tuis, & sensus est, quod Ne recurras ad hariolos vel diuinos dominus suscitabit semper tibi Prophetā de populo tuo, quem possis audire & scisciari: quēadmodum suscitauit me, qui sum frater tuus. & dico tibi quæ agenda & omittenda sunt, neque ab hac litera Christum seruatorem excludas, quoniam præcipuus fuit inter omnes Prophetas quos dominus Iudaico populo suscitauit, qui & legislator & promulgator fuit diuinæ legis, quemadmodum Moseh, imò & Moseh sublimior, vt Apostolus ad Hebræos dicit. Audi autem. 2. Psal. Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montē sanctum eius: prædicans præceptum eius. Vnde & turba videns miracula eius stupens dicebat. Quia hic est verè Propheta

pheta qui venturus est in mundum. Attare verò literam hanc ad solum Christum, nō videtur necessarium: quoniam Dominus videtur prouidere plebi pro omni tempore, Christus verò non omni tempore fuit apud Iudæos, sed certo. Si tamen de eo solo velis intelligere placet mihi. Subdit autem causam quare Dominus illis de Propheta prouidebit: quod scilicet per seipsos non possint verba Dei audire: vt accidit in monte Sinai vbi de hoc conquesti sunt, & Propheta audiet verba Domini, & annuntiabit tibi: quemadmodum fecit Moseh in deserto. Colligit ex hoc loco perfidus au-

Respondet author per filio Iudæo probari Iesum Nazaon.

thor libri Nizahon, duo argumenta ad probandum hoc vaticinium non posse ad Christum pertinere. Primum quia Propheta de quo hic est sermo: non potest quicquam præcipere aut loqui ex sensu suo, quia dicitur hic. Et dabo verba mea in ore eius. Christus verò multa ex sensu suo loquutus est. Ergo non est Propheta de quo hic est sermo. Ad quod dicimus Christum verba quæ à patre audierat nuntiasse, vt ipsemet fatetur apud Ioannem. Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor, sed non sequitur. Loquetur Propheta de quo hic est sermo verba Dei, ergo non erit Deus aut filius Dei. Potest enim vt filius dei verba dei patris sui loqui sicut locutus est. Neque valet si inferas. Loquetur verba dei, ergo non est Deus sed Propheta, quoniam non solum Propheta sed filius Dei potest loqui verba Dei. Argumentatur secundo ex eo verbo quo dicit Moseh similem mei. Quid tu (inquit es) Natus es ex patre & matre sicut nos: ergo & Propheta de quo hic est sermo habet patrem & matrem sicut nos: ergo non est Deus, neq; Christus, qui se dicit natum ex matre sine carnali patre. Pudet ad hæc ridicula respondere. Dicit autem Moseh Deum suscitaturum Prophetam sibi similem, non solum in natura sed in ministerio: qui scilicet legem diuinam populo administrabit, & mediator sit inter Deum & populum: qui recusat audire verba Dei. Talia sunt obiecta quæ cæci Iudæi in fidem & Christum nostrum iactant, crassa & nullius momenti.

In diem congregationis. Id est, qua ad legem audiendam, & ad occurrendum deo, congregatus es.

Ego requiram ab eo. Id est, Exigam & puniam, ac si dicat, conueniam eum & conuictum puniam. Sic Gen. 9. Sanguinem vestrum requiram de manu cunctarum bestiarum, id est, puniam.

Qui loquetur in nomine Deorum aliorum.

Sicut si dicat. Hęc dicit Baal aut Beel, & sic de aliis diis.

Quod loquetur propheta in nomine Domini, & non erit verbum, & non veniet, est verbum quod non locutus est dominus: Docet qualiter cognoscant verbum quod dominus non est loquutus, & falsum Prophetā, cùm scilicet dixerit rem aliquam venturam, quæ non euenerit, sumitur enim hic verbum pro re significata verbo, & quod dicitur. Et non veniet, explicatio est prædentis sententiæ, more Hebraico. Et aduerte quod præbet hic signum, quo falsus Propheta possit dignosci, sed non præstat sufficiens quo verus agnoscatur. Non enim dicit eum verum qui dixerit aliquod venturū & euenerit, quoniam hoc non sufficit ad verum Prophetam. Si enim prædiceret aliquod futurum & euenisset, & suaderet recessum à domino, talis non esset audiendus sed lapidandus: vt dictum est capite. 13. huius libri. Vnde duæ conditiones requiruntur ad verum Prophetam. Altera vt non prędicet aliquid quod recessum suadeat à Domino vel à lege, alterum vt eueniat signum quod prædixerit in confirmationem missionis vel doctrinæ suæ.

IN CAPVT. XVIII. DEVTERO. AD morum honestatem adnotatio.

Non erit sacerdotibus Leuitis, pars & hæreditas cum Israel. Voluit dominus sacerdotes suos, non implicari sęcularibus negotiis, neque curare possessiones: ne à ministerio suo diuerteētur alio. Sed quid nūc quę so sacerdotibus negotiosius? Nihil ferè insi tēporalia curant, & qui deberent sua propter deū negligere, aliena ambire non cessant. Si enim nunc ex oblatis à populo non viuerent: cogerētur forsitā non viuere tā luxuriose ac licētiose. Neq; propterea seculares excusamus: qui supra quā par est auari, sacerdotes & ministros negligerent, si eos vnde viuerent habere non viderent.

Oblationes Domini, & hæreditatem eius comedent.

Audis hic bone sacerdos, Dei dignationem, vt scilicet te in hęredem suę hęreditatis instituat, ama ergo eum, & fideliter administra, saltē propter hæreditatē quam tibi reliquit. Neq; sat illi fuit, suam tibi reliquisse hæreditatem: nisi etiam seipsum faciat tuā hæreditatem: quam perpetuo possideas. Vnde verius populo dicere potes, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Et funes ceciderunt mihi in præclaris.

Dabis sacerdoti brachium. Quare domine deus sacerdotibus tuis, nō iubes dare caput pedē aut corpus, sed brachiū cum manu? Vt ostendat, quale debet esse erga populum sacerdotum munus, vt scilicet cùm populus peccatis obrutus ac depressus se leuare voluerit, tu qui dei sacerdos es, eius manum & brachium apprę hendas eumque à peccatis leues.

Si venerit Leuites, toto desiderio animæ suæ, ad locum quem elegerit dominus. Quo animo & mēte, sacerdos, debeas accedere ad ministerium dei, pulchre in hoc sermone doceris: vt non tristis, non melancholicus, non torto vultu, accedas ministerium Dei tui. Quomodo possum (ait Aharon cùm incensos à domino filios lugeret) domino in ceremoniis placere, mente lugubri? Similiter docentur ministri dei, non egre ferre, si multiplicentur, & nouus miniter veniat ad ministrādum domino: neque dolebit ei partem dare. Hoc enim est peculiare ministris bonis, vt scilicet tanti faciat Deum suum. vt totum mundum non sufficere ad eius ministerium putent. Hoc interest (vt aliquando iam diximus) inter dei & principū ministros: quod ministri eorum, si videant coadiutores, maximo dolore torqueantur: isti verò maximè gaudeant cùm viderint. Illi enim nō tam bonum principis ministerium, quam suam vtilitatem volunt: isti vero suæ vtilitatis obliti, quærunt quę sunt domini sui. *Leuit. 10.*

Non inueniatur in te qui transire faciat filium suum per ignem. Expende quæso quid fecerit idolis hominum dementia: ad quod nunquam aut raro attigit vera religio: vt homo idolis filios comburat, & Domino suo obolum aliquando dare cunctetur.

Prophetam de medio tui suscitabit tibi Dominus?

Quales esse debeant prædicatores consultores & directores populi, ad viuum depingit locus iste. De populo & fratribus quoniam si conterraneus & frater est, nō decipiet fratres suos. Similiter aduerte, quam bene dominus populo sito prouiderit dans semper Prophetam & directorē: ne videlicet irent ad diuinos & idolorum vates: quare exemplo eius prælati, debent à subditis suis omnem occasionem auferre discēdi à fide. Eaulgarunt nostra hac infœlici tempestate Lutherani dogmatistæ ferè omnes, innumeras Christianas institutiones aut potius destitutiones: quibus miserabilē inuentutē ab ipsis primis cunabulis peruertunt, & vix inter Christianos antistites vnū reperias: qui prima fidei rudimēta suis pueris demōstret, aut viā salutis suis populis ostēdat. Omitto concionatorū cæteruam, qui promptissimi ad impia dogmata semināda se ingerūt, & inter nos vix paucos reperias, qui verbū vitæ quemadmodū oportet sobrie tractent & gratis disseminare velint. Deberent etiam maximè curare nephandas superstitiones ab ecclesia scilicet: quę intantū apud nos creuerunt, vt pacto cum dæmonibus inito, veluti gentilium tempore responsa scisciantibus præbeant. Memini enim me, dum apud incliram Eburam inquisitorem agerem, fœminam reperisse: quę 30. annis & plus cum dæmone familiaria colloquia permiscebat, quod sibilo aut cōtactu manus ab ea vocatus, statim aderat: & quicquid ab eo scire voluisset explicabat. Et quid aliud quæso huius prima mali labes fuit, quàm hominum curiositas, & prælatorum neglectus?

Nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non addam, vt audiam vocem Domini. Talis debet esse prælatus, talis concionator, qui cum Domino vice populi & quæ ad eum pertinent loquatur intrepide, & inter vtrunque mediatorem agat, quem populus facilè accedere audeat.

Vir qui non obedierit verbis meis, quæ loquetur in nomine meo: ego requiram.

Non dicit qui obedierit verbis eius, sed meis : vt scias verba propria Prophetæ quę ipse loquitur nomine suo ab eis quæ ore Domini profert dilinguere, vt istis omnino sicut ipsi Deo obedias: alia vero scias esse hominis verba. Quo in loco etiam discimus quali attentione debeamus prophetarum & prædicatorũ verba audire, sed quemadmodum punit eos, qui animi superbia indurati nolũt audire Propheram, ita & prophetas ipsos, qui populo sua somnia proferunt. Si dixeris

Quomodo sciemus verbum quod loquutus est Dominus?

Omnẽ deceptionis causam amouet: ne quis causetur se non sua sponte deceptum: vnde rari sunt qui in fide decipiantur, modo velint prius prædicatores ad ecclesiæ gnomonem examinare. Si de doctrina concionatoris dubitas, sedem Petri consule, quod si germani fecissent, non in tot dogmata peruersa incidissent.

Non timebis ab eo. Quemadmodum valdè timendi sunt Prophetæ Domini cùm minantur ex sermone eius: ita parui pendendæ sunt minæ eorũ, cùm ex suo cerebro mentiuntur deterrentes.

IN CAPVT. XIX. DEVTERONO. iuxta literam adnotatio.

CVm succiderit Dominus Deus tuus gentes.

Admonui sæpius non plene constare quid significet verbum Hebraicum charat, quod hic vertimus succidere, quoniam hæc significatio magis accommoda videtur, locis vbi verbum ponitur.

Separabis tibi tres ciuitates in medio terræ tuæ.

Iam Numeri. 35. &. 4. capite huius libri statutum fuerat, tres vrbes dandas ad quas confugeret homo qui fratrem occidisset ignorantia, citra Iarden: modo verò statuit alias tres separandas vltra Iordanen. Quod autem dicitur. In medio terræ tuæ. Idem est quod intra terram tuam, aut ad literam iubentur eas in medio terræ seligere, vt facilius huiusmodi homicidæ possent ad eas confugere.

Parabis tibi viam & in tres partes diuides terminum terræ tuæ. Verbum Hebraicum Chun, etiam certificare significat, vt patet Genesis. 41. Quia nachon, id est, firma seu certa est res, & loco videtur quadrare, vt iubeat dominus signa aliqua ponere, quibus via sit certa, non ambigua, quæ ducit ad huiusmodi ciuitates refugij, aut firmare eam scilicet lapidibus ne sit lubrica, & tunc congruit parare. Volebat enim Dominus viam esse certam, ad huiusmodi vrbes: ne fortè consanguineus occisi, inueniret homicidam deuium, aut viæ errore seductum, & occideret eum. Diximus multa ex Hebræis, quæ fiebant in via harum vrbium, & etiam in ipsis vrbibus Numeri. 31. quem locum consulere licebit, & sensus loci est. Certificabis tibi viam scilicet ducentem ad ciuitates refugij. Dicunt autem Hebræi in quolibet biuio vel triuio, stipitem fuisse erectum: in quo scriptum erat miklat, vt fugientem in ciuitatem refugij dirigeret. Quod verò sequitur. Et in tres partes diuides, seu vt Hebraice habetur. tertiabis terminum terræ tuæ: hunc sensum habet. Diuides totam terram trans Iardẽ in tres partes: vt scilicet in qualibet earum ponas vnam ex vrbibus refugij, ne scilicet essent conjunctæ ad inuicem.

Hæc est res homicidæ: qui fugiet illuc & viuet.

Id est, ista est lex aut iste est casus, in quo viuificandus est homicida: qui ad ciuitates refugij confugerit, & explicantur casus.

Qui scilicet percusserit proximum suum ignoranter.

Cuius rei signum erit. *Si illi non inimicabatur ab heri & nudius tertius.* Si enim ab antiquo illi esset inimicus, præsumit lex eum non ignoranter sed scienter occidisse. Ponit autem lex exemplum casualis homicidij, vt si ambo in syluam quasi socij irent, & alter eorum ligna cedens habuerit securim, à cuius ligno ferrum resilire contingat, & socium sub arbore existentem occideret talis securus erat si fugeret ad aliquam ex vrbibus refugij. Sed quia hic lex tutum definit solum qui ex ignorantia proximum occidisset, libet paululum dicta capite. 35. Numerorum expendere, & videre an homicida alius, qui occurrentem inimicum occidisset sciens & volens, hac lege esset tutus: vt scilicet fugiens ad vrbem refugij securus ibi esset Exodi vigesimoprimo habet lex. Qui percusserit virum, & mortuus fuerit: moriendo morietur. Et si non insidiatus est ei, sed Deus fuit causa vt veniret ad manum eius: ponam tibi locum ad quem fugiet. Sin verò voluntarie egerit contra proximum suum, occidendo cum dolo: ab altari meo, tolles eum vt moriatur. Ex quo loco videtur, quòd si quis occurrentem inimicum occidisset, modo illi antea non insidiaretur, liber erat: si ad ciuitatem refugij fugeret. Numeri verò trigesimoquinto sic statutum est. Ciuitates euasionis erunt vobis, & fugiet illuc homicida, qui percusserit animam per errorem. Et si instrumento ferreo percusserit eum, & mortuus fuerit, homicida est. Moriendo morietur homicida. Idem si lapide vel ligneo instrumento percussisset, morte sequuta, propinquus sanguinis ipse interficiet homicidam. Quum obuiauerit ipse sibi ipse interficiet eum. Et si per odium impulerit eum: vel proiecerit super eum per insidias, & mortuus fuerit: vel per inimicitiam pecusserit eum manu sua, & mortuus fuerit, moriendo morietur percutiens: homicida est. Et si casu absque inimicitiis impulerit eum, vel proiecerit super eum omne instrumentum, absque insidiis, vel omni lapide quo moriatur, cum non viderit, & ceciderit super eum & mortuus fuerit, & ipse non erat inimicus ei, neque quærebat malum eius. Iudicabunt congregatio, inter percutientem & propinquum sanguinis: secundum iudicia ista. Ex quibus verbis haberi videtur, quòd omnis qui ex inimicitia alterum occidisset, reus mortis erat & occidendus. Veritas verò videtur quòd in duobus casibus, tutus erat homicida in ciuitate refugij, scilicet si ex ignorantia accidisset homicidium, vt casu textus explicatur. Secundo si occidisset aliquem quem antea odio non haberet, neq; illi fuerat insidiatus, neque dolo illum occidisset, sed Dominus Deus causa aliqua nobis occulta, tradidisset illum in manus occidentis, & lex Exodi posita, in isto secundo casu locum habet, & sic omnia consonant. Neq; loquitur de eo qui eum cui antea inimicabatur occidisset. Et hinc ortum puto ius illud, quo statuitur homicidam qui non ex proposito sed accidenti casu proximum occidit tutum esse, si ad ecclesiam confugiat. Posset tamen sustineri legem vbique loqui, de homicida inuoluntario omnino, & hunc solum excusare si ad vrbẽ refugij aufugeret, & textus Exodi citatus sic explicari. Et si non est ei insidiatus, sed Deus occurrere fecit eum ad manum eius: vt scilicet casu eum occideret: ponam tibi locum ad quem fugiat, & iste sensus tutior & securior est.

Et qui ibit ad syluam cum socio suo. Nomen iaar, id est, sylua significare etiam dicitur fauum, quòd obstrusus sit veluti sylua, aut quòd in eo mel veluti animal in sylua delitescat.

Ad cædendum ligna. Dicunt Hebræi verbum chatab, præter cedere significare eleuare ad quod citant illud Prouerbiorum septimo. Ornamentis ornaui lectum meum, chatubot, id est, eleuata fune Ægyptio, seu eleuationibus funis Ægyptij, & qui sic exponunt Chaldæum sequuntur paraphrastem, qui Deutero. vigesimosexto pro exaltaui te, habet chatbech, sed cum propria significatio tolerari possit, non video quare illam mutemus. Potest enim verti retenta propria significatione incisionibus funis Ægyptiorum, aut fustibus incisis ex Ægypto, & per incisiones funium intelligit scissuras quæ aut in cortinis, aut in puluillis fiebant

fiebant vt moris est: quæ fericis funibus ligari solent, vnde Sanctes qui hic Chaldęum sequutus est, in lexico vertit. Intersecati sunt Ægyptio, neque plene constat athun, funem significare.

Et impulerit manus eius in securim. Verbum nadach, non solum expellere & impellere significat, sed etiam eiicere & proiicere: vt patet secundo Semuelis decimoquarto. Et cogitet cogitationes, vt non lidach, id est, proiiciat à se expulsum aut proiectum: vnde locus posset sic reddi. Et proiecta fuerit manus eius ad securim aut cum securi ad succidendum lignum, & recessit ferrum è ligno: aut expulsa fuerit à manu eius securis, quam ad cedendum lignum acceperat. Sed prior interpretatio germanior est, & pro recesserit ferrum è ligno, tu verte & euulsum fuerit, quoniã verbum nassal hoc proprie significat.

Cùm caluefecerit se cor eius, id est, cùm iracundia affectus fuerit, quæ quandam incensionem importat cordis.

Si multa fuerit via, id est, si oportuerit eum transire Iarden, vt veniat ad has ciuitates refugij, & hac de causa vt videtur præcepit eas in medio terræ vt diximus deligere.

Percutiat animam, id est, vitam.

Et ei, non ei iudicium mortis, id est, non erat dignus, qui morti adiudicaretur, aut nondum erat morti adiudicatus per legem, & est Hebraismus. Vnde super aliquẽ esse iudicium mortis: est eum esse morte dignum.

Sit sanguis eius super alios quid sit Hebr.

Et sint super te sanguines. Hebraismus est: pro esse reum effusi sanguinis. Hinc est illud euangelij. Sanguis eius super nos & super filios nostros.

Dabunt eum in manu propinqui. Propinquior consanguineus vindictam exercebat: vt hoc saltem, iusto dolori mederetur.

Oculũ alicui parcere vel non parcere quid sit.

Non parcet oculus tuus ei. Etiam Hebraismus est, id est, Non misereberis eius. Oculus enim videns misereatur & vindictam fiendam: aliquando misericordia mouebatur & condonabat, quod Dominus voluntario homicidæ fieri prohibet hic.

Auferes sanguinem innocentem ex Israel.

Verbum baar non proprie significat auferre, sed comburere & depascere. vnde sensus est ad modum combustionis aut depascentis: auferes malum ex Israel. Non enim sanguis innocẽtis occisi expiabatur, sed terra rea erat illius homicidij, quousque occisor pœnas debitas daret, & effunderetur sanguis eius iuxta illud Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

Non apprehendes terminum proximi tui: quem terminauerunt primi in hæreditate tua.

Incerta est significatio verbi nasag, quod hic cum Sancte vertimus apprehendere. Hebræi dicunt significare adhærere, coniungere, comprehendere, transferre è loco suo, retrahere retrocedere. Isaiæ enim quinquagesimo. 9. vertunt. Præuaricari, negare, aut mentiri venasoh, id est, & retrocedere à Deo nostro: vbi contingere non videtur quadrare. Michah verò sexto non videtur conuenire retrocedere, sed contingere: vbi dicitur. Vetaseg, id est. Et continges, scilicet vxorem tuã & non eiiciet. si conceptum. Confundunt hic Hebręi tria verba, scilicet sug, nasag, cum samech, & nassag cũ sin, ideò vix possumus propriam scire significationem, & sug videtur significare retrocedere, nasag verò attingere, vnde posset verti. Non attingas terminum, & si legas. Non apprehendes, sensus est, non occupabis. Si verò non attinges, sensus est, vt scilicet terminum destruas: ad prolongãdam hæreditatem tuam: mihi verò magis arridet transgredi, si exẽpla alio non ducerent, & per primos intelligit patres priores, qui terram diuiserunt. *Non stabit seu stabit vnus testis in virum, ad omnem iniquitatem, & ad omne peccatum: in omni peccato quod peccauerit.*

Quod dicitur ad omnem iniquitatem & peccatum, videtur hic accipi (aõn) pro pœna iniquitatis, & sensus est. Ad infligendam pœnã alicui, & ad probandam culpam aduersus eum: non sufficiet vnus testis : *sed super os,* id est, dictum *duorum vel trium testium stabit,* id est, firmum erit verbum, id est, dictum.

Si steterit testis mendax contra virum, ad testificandum contra eum declinationem, id est, si contingat mendacem testem testificari contra aliquem: quòd videlicet declinauerit à lege, sed tu aduerte vt iam Genesis sexto admonuimus incertam esse significationem nominis chamas, quod hic vertimus mendacem: vnde verti posset & melius iudicio meo. Cùm surrexerit testis subuersionis, id est, prætendens subuertere proximum suum.

Coram Domino, & coram sacerdotibus & iudicibus.

Colligo ex hoc loco, iudicium coram Domino faciendum à iudicibus, fortè in aliqua domo templi: vnde facilè possent dominum consulere, constat etiam præter sacerdotes fuisse alios iudices: quod etiam Hebræi asserunt.

Facietis ei quemadmodum cogitauit facere fratri.

Loquitur hic textus in casu quo quis aliũ proximum falso accusat, & contra illum falso testificatur.

Et auferes malum è medio tui. Etiam hic in textu ponitur verbum baar, quod cõburere & depascere significat, sed non inconuenienter per auferre explicatur.

Animam pro anima, id est, vitam homicidæ, scilicet dabis pro vita ablata. Dicunt tamen aliqui ex Hebræis hanc legem nunquàm fuisse apud eos seruatam: quoniam potuit fieri vt qui oculum eruit, esset teneriores complexionis, & ex oculi eruptione moreretur.

IN CAPVT. XIX. DEVTERONO. ad morum compositionem annotatio.

TRes vrbes separabis tibi: in medio terræ tuæ.

Quantum Dominus Deus homicidium detestetur, ex hoc loco aduertere licebit, postq̃ eum qui ex ignorantia occidisset, voluit tanto tempore in ciuitate refugij exulare. Similiter admonentur homines, qui alios non sponte offenderunt, eorũ fugere cõspectum, ne præsenti dolore commoti, vindictam ex innocentibus sumant. Homines enim vehementi ira affecti, solent non discernere quid iustum aut iniustum sit. Vbi simul docemur innocentes tueri, & quantum possumus iuuare: ne à ministris iustitiæ grauentur inique.

Ipse non odio habebat eum, heri & nudiustertius.

Docet locus iste prudenter iudices, ex coniecturis sæpius agere: vt scilicet dolo occidisse suspicentur eum qui ignorantiam in peccato prætendens: antea inimicus erat. Sunt enim multi qui eum ex insidiis mala egerint, huiusmodi mala ignorantia tegunt.

Si dilatare fecerit Dominus Deus tuus terminũ tuum.

Debẽt sacra loca multiplicari, iuxta multiplicationem habitationis nostræ.

Non effundetur sanguis innocens, in medio terræ tuæ.

Summe cauendum est, ne terram tuam macules innocentis cruore: quoniam solet Dominus totam punire & mulctare terram, si eam viderit innocentis sanguine fœdatam. Et sæpius admonui, quantum ministris iustitiæ elaborandum sit, vt huiusmodi innocentum homicidia vindicent.

Mittent seniores ciuitatis illius, & capient eum inde.

Multum aduertere debent iudices & prælati, ne scilicet loca sacra fiant spelunęe latronũ: quẽadmodum etiam de ordinibus diximus, ne loca sacra & sacri ordines in homicidarum & aliorũ peccatorũ priuilegia vertãtur.

Non tanges terminum proximi tui. Quis nunc quæso in hac re, hominum, agricolarum præsertim diceret transgressiones: qui vt terræ palmum alienæ hæreditatis, suæ terræ coniungant, terminos auferunt & transgrediuntur, & vix finũt agros, antiquis limitibus esse diuisos.

Non stabit testis vnus contra virum.

Admonui sæpius testes esse multiplicandos, secundum causæ exigentiam.

Stabunt ambo quibus lis est: coram Domino. Debent iudices etiam sancti, Deum semper præ oculis habere cùm iudicant, vt sic causæ merita inspiciãt, ac si domino deberent rationem administratæ iustitiæ reddere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Facietis ei quemadmodum cogitauit facere fratri suo. Pernitiosissima res mēdacium præsertim in iudicio, & nimium dolendum nunc est, quòd tam facilè quis habeat falsos testes, si illorū ope egeat, in quos magistratus debent meritò animaduertere, & seuerissime punire, quem locum intellige etiam de falso accusatore.

Qui remanserint, audient & timebunt. Iste esse solet punitionis fructus, vt scilicet audientes & videntes timeant & de cætero caueant.

IN CAPVT. XX. DEVTERO. iuxta literam annotatio.

Cvm egressus fueris ad bellum contra inimicos tuos. Instruit hic Dominus suos, quomodo scilicet se habere debeant in prælijs.

Videris equum & currum: & populum multum præte. Sic Hebraice habetur & sumitur equus pro equis, & currus pro curribus, & multum præ te: pro maiorem te, aut plurem te.

Qui ascendere fecit te de terra Ægypti. Hinc tibi fiduciam accipies, vt qui te eduxit de Ægypto inuitis Ægyptiis: liberabit te ex hostibus qui aduersum te præliantur, & pugnabit pro te.

Cùm appropinquaueris ad bellum, id est, ad locum vbi bellandum & congrediendum est.

Accedet sacerdos & loquetur ad populum. Rabbi Maimoni ex Thalmudicis libris, tractatu de regibus & eorum bellis, verbum cohortationis in hunc modum factum fuisse describit. Primum populo promiscuo, & nondum in classes separato: sacerdos belli dicebat. Quisquis domum ædificauit, & cætera, & mox eius generis homines, potestatem habuerunt redeundi domum: si bellum lege præceptum non erat, sed aliunde susceptum. Mox in turmas militares, multitudo secernebatur, & mox vnctus sacerdos dicebat. Ne timeatis. Porrò cum acies iamiam instruenda erat, & turmæ pariter consisterent, sacerdos ex ædito loco dicebat. Audi Israel &c. vsque. Vt eruat vos de periculo. Rursus sacerdos dicebat, Quisquis ædificauit domum, quem sermonem princeps apparitorum, per singulas turmas deferebat. Quisquis timet, aut molli est animo abeat, redeatque domum, cuiusmodi sermones alij exactores, per turmas distulerunt: qui reuersi, mox aciem instruebant collocatis ad principia ducibus, finem agminis clauserunt robustioribus apparitoribus, qui securibus aut (vt alij volunt) falcibus armati, potestatem habebant crura amputandi ad moliētibus desertionem aut fugam. Sed tumeo omnia hæc ab Hebræis conficta esse & multa fabulosa.

Ne molliscat cor vestrum, ne timeatis, & ne paueatis, & ne formidetis, à facie eorum.

De priori verbo, scilicet rachach nulli dubium est significare mollire seu molle reddere: vt patet secundo Regū vigesimosecundo, vbi dicitur. Pro eo quòd rach id est, mollitum est cor tuū: aut mollis aut tener fuit. Similiter constat secundum, scilicet ira significare timere. Tertium verò, scilicet capam videtur significare festinare & commoueri maximè ex timore: vt patet Psalmo centesimoquarto. A fonitu tonitrui tui iechapezun, id est, commouebuntur aut festinabunt. Et secundo Samuelis quarto. Et tulit eum nutrix eius, ac fugit. Et fuit becophzah, id est, dum festinaret illa, aut dum ex timore commoueretur cecidit. Et Psalmo centesimo. 16. Ego dixi becophzi, id est, in festinari meo aut dum festinarem, omnis homo mēdax, id est, Cùm vidissem hominis vitam, ac dies sic festinare dixi seu asserui omnem hominem deficere: etiam si stare videatur. Verti ergo posset hic. Et ne commoueamini aut ne festinetis ad fugam, aut ne festinet cor motu suo. Solet enim cor pauidum in motu festinare, & fortè hoc proprie significat verbum, scilicet festine moueri siue corde siue corpore. Quartū verbum, scilicet arats quod vertimus formidare: significat proprie ex timore rigescere seu expauescere, & etiā timere: neq; plene significatio nota est Hebræis: moueor ad priorē significationem, quia video verbum significare roborare vt Hebræi dicunt: citantes illud Isaiæ. 47. Si fortè tabarosu, id est, robores te, aut formidabilem te exhibeas: seu paueant inimici tui à te.

Et loquentur præfecti ad populum. Multa disputaui de significatione nominis soter, id est, præfectus quod hic ponitur, priori capite &. 16. huius libri: ibi vide, & dixi esse eos qui præcipui duces sunt in ciuitatibus & populis, gubernantes populum. quales erant in singulis tribubus, aut per præfectos intelligit inferiores iudices locorum.

Et non dedicauit eam, id est, de nouo non incœpit ea vti. Verbum chanach nō plene notum est Hebræis, videtur significare de nouo vti aut de nouo incipere vti aliqua re. Prouerbiorum vigesimosecundo. Chanoch, id est, imbue aut incipe docere puerum, secundum modum eius. Et secundo Paralipomēnon. 7. Vaiachnechu, id est. Et dedicauerunt domum Dei, id est, de nouo vti cœperunt aut applicarunt. Inde chanuch, id est, dedicatio vel innouatio, & chanich, id est, puer domi eruditus: de quo diximus Geneſis decimoquarto. Sic inferius cùm dicitur. Et alius vir incipiat ea vti, scilicet vxore nouā.

Et non prophanauit eam. Significat verbum chalal proprie polluere, & quia res quādo communis fiebat, aut homines incipiebant ea vti, dicebatur quodāmodo polluta: significat etiam incipere aut initiari, aut si mauis significat primum incipere seu initiari, & ex cōsequenti polluere, quia res quādo tractari incipit, quodammodo polluitur. Diximus de eius significatione sæpissime. Vocat autem Hebraismus vineam prophanam seu pollutam, cùm incipiebat communis fieri domino ipsius & aliis: quod erat quinto à plantatione eius anno: vt habetur Leuitici decimonono. Tribus enim annis à plantatione non comedebatur fructus eius ab aliquo, & reputabantur præputium. 4. anno fructus eius offerebatur Domino, quinto verò cōmunis omnibus erat. Potest ergo hæc litera dupliciter verti: vno modo & nō prophanauit eam: alib & non incœpit ea, scilicet vti, iuxta duas verbi significationes.

Et non accepit eam, scilicet in sua potestate, vt ea vteretur. *Constituent principes exercitus: in capite populi,* id est, distribuent acies constituendo duces, qui sint capita populi. Alij vertunt. Numerabunt principes exercitus per capita populum, & verbum pachad consentit quod significat etiam numerare: neq; est idem nomen quod priori loco principem significat, cum eo quod ponitur hic: quoniam prius est soter, secundum sorer: neque facilè est discrimen inter ea inuenire. Videtur tamen quòd soter significet maiorem principem aut minorem iudicem.

Proclamabis ad eam pro pace. Aut melius, *pro integritate.* Quàmprimum enim ad vrbem accessissent, tenebantur antè eam voce præconis proclamare integritatem, quòd scilicet integram eam dimitterēt si vellent tributum soluere.

Et si integritatem responderint, id est, quòd volunt tecum integritatem & pacem.

Eruut tibi tributarij. Significat verbum masas liquefacere, vnde mas, id est, tributum sic dictum quòd ex metallo liquefacto fiat pecunia: ex qua communiter soluitur.

In ore gladij, id est, in acie vel acumine gladij. Vocatur autē acies gladij os (vt sæpius diximus) quoniam homines scindit & deuorat quemadmodum os hominis cibum seu panem, vnde exploratores dicebant, inimicos esse eorum panem.

Vt non doceant vos facere secundum abominationes eorum. Quemadmodum idola colere, filios immolare, promiscuos habere congressus, & id genus alia.

Impellendo contra eas fecerim. Diximus superiori capite de significatione verbi nadach, quod videtur significare proiicere: quia tamen significatio vtcunque ignota est non displicet si vertas impellere.

Non succides. Quoniam numquid homo lignum agri, vt veniat à facie tua in obsidionem?

Sensus

sensus planus huius literę est. Non debes arbores succidere, quoniam lignum agri non est homo: vt veniat ante te in obsidionem, vt sese tibi opponat cùm vrbem obsederis ad eā defendendā, aut vt veniat ad obsidendum te, opponēdo se tibi quemadmodum qui vrbem obsident facere solent? Aut. Nunquid homo lignum agri, seu nunquid lignum agri est homo, vt velis illud veluti hominem obsidere? ac si dicat. Tu homines venis obsidere: non arbores. Alias expositiones omittimus, quoniam longè à literæ sensu esse videntur.

Arborem quam nosti non esse fructiferam, disperdes et succides. Ponuntur hic duo verba Hebraica, scilicet sachat quod vertimus disperdere, & charat quod succidere inter quæ discrimen ponere nō facilè est, & quòd charat significet præcidere & succidere, sunt multa exempla: Isaiæ decimooctauo habes. Vecharat, id est. Et præcidet seu succidet ramos. Et Ieremiæ decimo. Lignum de sylua cherato, id est, præcidit illud. Significat etiam pangere seu pactū inire, aut quia frangenti illud precabantur successionem pangentes: aut quia victimæ succidebātur & jugulabātur: aliud verò incerte significationis est, quoniam Hebræi dicunt illud significare corrumpere perdere, delere & disperdere, & sæpius voluisse eius propriam significationem venari, sed non potuisse plene consequi. Vide quæ Gen. 6. scripsimus. Videtur tamē communiter significare destruere, quoniam hæc significatio communior est.

Ædificabis munitionem. Si masor non est per se radix, sed à sur vel sarar, significat munitionem à stringendo seu strictione, quòd non sit ampla vel extensa sed stricta, aut sur quod est saxum, quoniam in saxis communiter ædificatur.

Donec domineris. Alij donec subiicias eam: neque significatio verbi radah quod hic ponitur, plene nota est. Hæc tamen communior est, scilicet subiicere & substernere. Vide quæ scripsimus Leuitici vigesimosexto.

IN CAPVT. XX. DEVTERONO. ad morum compositionem annotatio.

Cvm egressus fueris ad bellum, & videris equos et currus: ne timeas ab eis. Dominus Deus tuus tecum est. Securi valdè degunt serui Dei, scientes se etiam in mediis præsidiis Deum secum habere, quos ille hic securos reddere conatur. Neque solum in eis securi sunt, quinimò in eis maiorem fiduciam concipiunt. Dominus (ait puer Domini) illuminatio mea & salus mea: quē timebo? Si consistant aduersus me castra non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Sperant enim sancti, maiores se fieri tentationibus cum strenue dimicauerint. Vbi etiam aduerte, qualiter ex acceptis iam beneficiis, doceat eos similia & etiam maiora sperare. Qui enim (inquit) ex Ægypto & fortissimis hostibus eripuit: ex omnibus aliis etiam maioribus liberabit, modo in eo fidant totamque suam spem in eo collocent.

Accedet sacerdos & loquetur ad populum. Ne putarent homines suis & non Domini viribus, aduersus hostes dimicare: voluit sacerdotes suos populum exhortari: qui maxime ad hoc conari debēt, vt populum ad fiduciam exhortentur. Et mirum valdè est in veteri lege bellorum duces fuisse nūe verò in nouo, illis bellare prohibitum esse: sed tunc Deus exercituū Dominus vocabatur, nunc verò suos docet non sua defendere. Aduertant etiam ex hoc loco sacerdotes, muneris sui esse, populo persuadere fiduciam in Deum.

Et loquentur præfecti ad populum. Distincta sunt sacerdotis munera ac ducis, illius enim est (vt diximus) ad fiduciam exhortari: istius verò, milites deligere, formidolosos abijcere.

Quis est vir qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Ad quid quæso Domine vis, istos ad bellū cière, si eos in via in domum suam præcipis reuocari? Vult Dominus, vt quantumcunque debilis & pauidus sis, opera tamen virtutis aggrediaris. Alij te reducāt, tu verò ad magna te accinge, & conare quod non potes perficere, magnum enim in operibus bonis est saltem inchoare. Aduerte etiam hic Domini dignationem, qui noluit alienum de meis laboribus gaudere & eis frui. Audi quid per Isaiam Dominus dicat. Ædificabunt domos & habitabunt, & plantabunt vineas, & comedent fructum earum. Non ædificabunt & alius habitabit: non plantabunt & alius comedet. Disce etiam punitionem dei esse, si labores tu, & alius auferat aut luxurietur in bonis tuis quibus laborasti. Stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum. Admonentur etiam duces, omnes eos ab exercitu reuocare, qui valdè mori timent, aut cor in patria habent: ratione alicuius rei quam valdè diligūt. Similiter docemur, quām inepti sint ad bellum viri formidolosi: qui non solūm in bello succumbunt, sed aliis cor auferunt: ne fortiter agant. *Cùm appropinquaueris ad ciuitatem, vt pugnes contra eam: proclamabis ad eam pro pace.*

Doceris Christiane non disceptare contra aliquem, nisi illi prius offeras pacem. Decorat enim valdè litem suam: qui aduersario suo prius obtulit pacem. Maiora tamen nos docet sanctus Dauid: vt scilicet cum eis qui pacem odio prosequuntur pacifici simus.

Mulieres et paruulos prædaberis tibi. Docet in medio iræ, misericordiæ esse memores: eosq; non punire, qui nobis non resistunt neque aduersantur.

Comedes spolia inimicorum tuorum, quæ dederit Dominus Deus tibi. Solet dominus ab impijs auferre cibum, quem piis & sanctis suis subministret.

Vt non doceant vos facere secundum abominationes eorum. Sunt in omni communitate nō solum mali, sed omnium malorum artifices & exemplaria, quibus dominus nullo modo parcere iubet, aut vitam concedere: vt scias quàm sit pernitiosum, malorum doctorem aut exemplar te exhibere. Audi quid dominus dicat Apocalipsis secundo angelo Pergami. Habeo (inquit) aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scādalum coram filiis Israel. Angelo etiam Thiatiræ dicit. Habeo contra te pauca. Quia permittis mulierem Iezabel quæ se dicit Prophetam, docere & seducere seruos meos: fornicari & manducare de idolothitis. Nunc proh dolor habet totus Christianismus huiusmodi vitiorum magistros, & nemo est qui consideret aut puniat eos.

Non disperdes arbores eius. Hoc est præceptum piissimi Domini, sed non hoc audiunt impiissimi serui, sed quicquid possunt hostibus subtrahere & perdere destruunt. Et aduerte quàm pie doceat Dominus suos, bella aduersus hostes exercere. Istuc tendit quod statim sequitur, vt scilicet instruant contra ciuitatem munitionem, in qua re filij huius sæculi, plurimum edocti sunt & experti.

IN CAPVT. XXI. DEVTERONO. iuxta literam annotatio.

Si inuentus fuerit occisus in terra. Licet sanctus Moseh in hoc libro, multa ex legibus iam promulgatis repetat, multa tamen supplet, quæ in eis videtur omilla: qualia sunt omnia ista. Aduerte autē hic quòd vt superiori capite diximus verbum chalal significat incipere & polluere seu cōmune facere: addunt etiam Hebræi vulnerare, quod est incipere occidere: vnde videtur verbum significare proprie incipere quamcunq; rem siue bona siue mala sit. Posset chalal, id est, occisus vel vulneratus, esse à chalal, vt significat polluere, quoniam pollutum apud Iudæos reputabatur cadauer sicut tangens illud, aut à chalal vt significat vulnerare & confodere, quòd videlicet cadauer occisum confossum sit. Aliqui pro occiso vertunt cadauer. Si inuentus fuerit cadauer. Agit autem hic Dominus de occisione cuius author ignoratur, & posset verti. Cùm inuentus fuerit vulneratus in terra.

Egredientur seniores tui, & iudices tui. Non loquitur de iudicibus propinquæ ciuitatis: sed de iudicibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcipuis, scilicet sacerdotibus, vt infra dicitur, & coram illis, debebant seniores ciuitatis propinquioris iustificare se, hac ceremonia.

Metientur ciuitates quæ sint in circuitibus occisi. Hoc fiebat, vt scirent quæ ciuitas esset propinquior, & quia de illa erat maior suspitio, quod scilicet aliquis ex ea homicidiũ perpetrasset, ideo illius seniores, se hac ceremonia purgabant in conspectu Iudicum.

Et erit ciuitas propinqua occiso. Conficta est sententia, & supplendũ est, scilicet faciet hoc. Aut melius cũ Sanctẽ vertedum. Et erit, Ciuitatis propinquæ occiso, capient seniores ciuitatis vitulam bouis. Dicit autẽ vitulam bouis, id est, filiam bouis aut de genere boum.

Cum qua non est agricolatum. Hebraice est, qua non est seruitum. Munsterus. Cum qua non est seruitium vllum factum, quod statim scriptura suo more explicat dicens.

Quæ non traxit cum iugo. Verbum massach significat proprie trahere: vt patet Hamos. 9. Et calcãs vuas cum mossech, id est, trahente semen, scilicet ad agrum: aut aratrum ad seminandum. Sic primo Reg. 22. Et vir massach, id est, traxit arcum. Et Isaiæ quinto. Veh mossechе, id est, trahentibus iniquitatem, funibus mendacij, & veluti funibus plaustri peccatum, id est, veh qui mendaciis vestris extenditis tempus punitionis, putantes eam nunquam venturam. Aut veh qui adducitis seu acceleratis punitionem, trahentes eam ad vos veluti funibus mendaciorum vestrorum: ac si dicat. Veh qui mendacia facitis & dicitis, quibus veluti funibus trahitis ad vos punitionem Domini, & huic sensui textus sequens magis quadrat, qui ait. Quj dicunt, festinet acceleret opus suum.

Ad vallem asperam. Dictio ethan, id est, aspera, significat proprie durũ & forte, si est à radice aiat. Nã Numeri vigesimoquarto habes. Ethã, id est, robustum durum est habitaculũ tuum: vnde hic melius vertas: ad vallem duram quàm asperam, quoniam vt in litera explicatur, ducẽda erat ad vallem quæ non erat culta, & ideò erat dura. Aduerte autem hic quòd vitula hæc, præ se ferebat cadaver occisi hominis, & occidebatur ad modum occisi hominis, & lauabant seniores manus super eam, protestantes se hominem cuius illa typum gerebat non occidisse, & se innocentes & mundos à sanguine hominis occisi, quem morem Pilatus seruasse visus est in damnatione Christi, qui cùm se innocentem ostendere voluisset, manus suas lauit dicẽs: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vitula verò quæ iugum non traxerat, deligenda erat, ad protestandam innocentiam hominis occisi: terra verò seu vallis dura & sine cultu præ se ferebat innocentiam & munditiam ciuitatis, quòd scilicet sine vlla culpa esset illius occisionis factæ.

Et frangent cervicem vitulæ in valle. Vnicum verbum est in Hebræo, scilicet araph quod Hebræis significat decruticare, (si sic liceret latinis auribus loqui) quod noster Sanctes vertit. Cruciẽ frangent. Addunt etiam significare stillare, ad quod citant illud infra trigesimosecundo cap. vbi dicitur iaaroph, id est, stillet vt pluuia doctrina mea, sed meo iudicio verbum significat iugulare aut fluere vt ex iugulo: vnde hic vertendum puto. Iugulabunt vitulam ibi in valle. Hoseh decimo habes. Ipse iaaroph, id est, iugulabit aras eorum, id est, succidet, siue ad modum eius qui iugulat, cernicem succidet.

Sacerdotes filij Leui. Constat ex hoc loco sacerdotes ex tabernaculi loco accersendos. Dicit autem filios Leui, ne alios à se factos, aut sacerdotes idolorum vocare auderent ad hoc opus.

Iuxta sermonem eorum erit omnis lis, et omnis plaga. Hebraice est iuxta os eorum, & est sensus. Prout dixerint, vel iudicauerint erit decretum litis, seu determinatio litis, & plagæ ac si dicat, Quemadmodum ad eos pertinet ministrare Domino, & benedicere populo: ita & determinatio omnis litis & plagæ lepræ aut infligendæ. Si verò de re homicidij perpetrati sit sermo, sensus est. Prout ipsi decreuerint, erit iudicium seu sententiã litis & plagæ. Nam si adiudicarent ciuitatem in homicidio perpetrato culpabilem, & impo suerint plagam: standum erit iudicio eorum. Sed quia hic non videtur fuisse litem aliquam, priorem sensum amplectendum puto. Stabatur autem, iudicio sacerdotum, quoniam ipsi aliis doctiores in lege erant, & magis debebant Deum timere.

Et respondebunt & dicent. Ex his verbis colligo: sacerdotes interrogasse seniores: an scirent quis homicidium perpetrasset eosque respondisse quod in litera habetur.

Ne des sanguinem innocentem: in medio populi Israel. Constat ex hoc loco omnem sanguinem occisi hominis, & non publica authoritate dicit sanguinem innocentem. Nam licet homo esset alias peccator respectu tamen homicidæ qui non poterat eum ptiuata authoritate occidere innocens dicebatur.

Omnis sanguis qui nũ publica authoritate effunditur dicitur innocens.

Auferes sanguinem innocentem de medio tui, id est, obligationem vindictæ sanguinis innoxij.

Quia facies quod rectum est in oculis Domini, id est, quia fecisti quod Dominus fieri decreuit ad innocentiam comprobandam.

Captiuam duxeris captiuitatem eius. De bellis cum externis gentibus sermo est, & per captiuitatem intelligit omnia spolia præsertim homines. Sic cùm dicitur.

Videris in captiuitate, intellige inter captiuos.

Et complacueris in ea. Significat verbum chasaach i. complacuit, proprie adherere & coniungi: vnde vertẽdum puto. Et adhæseris ei, scilicet amore, dilexeris inquit eã. Diximus de significatione nominis Exod. 27. & capite septimo huius libri.

Faciet vngues suos. Dubia valdè & incerta est significatio verbi sapar, à quo siporneah, id est, vnguis. Putant autem Hebræi nomen hoc significare, propter illud Ieremiæ decimoseptimo. Peccatum Iehudah, scriptum est stilo ferreo, besiporen, id est, in vngue adamantino, sed si vnguem significat, putarem nõ quemcunque, sed auis: à sippor quod est auis: vnde locum Ieremiæ citatum vertendum putarem. Cum vngue adamantino. Videtur enim vnguis auis, aptum ad scribendum instrumentum, aut calamo adamantino. Timeo etiam eos decipi, in nomine scamir quod adamãtem vertũt, quod est à scamar, id est, custodire ad quod nullam habet allusionem, & videtur potius veprem, quàm adamantem significare. Significat enim scamir etiam veprem vt patet Isaiæ quinto vbi dicitur. Et ascendet scamir, id est, vepris aut spina: quod si verum est reddendus esset locus Ieremię citatus sic. Peccatum Iehudah scriptum est stilo ferreo: cum penna vel calamo vepris: qui solet scindere papyrum, si eo ad scribendum vtaris, aut quia scindit rem in qua scribis, vnde Sanctes vertit stilo ferreo, & stilo adamantino, & sequitur. Sculptum in tabula cordis eorum, & in cornibus ararum eorum. Hic verò acceptandam puto significationem qua significat vnguem vnde vertendũ puto. Faciet vngues suos, id est, resecabit, quemadmodum habes secundo Samuelis decimonono de Miphiboset, quòd non fecerat sibi labium neque pedes, id est, non resecauerat pilos labij neq; vngues, aut pilos pedum, per quos fortè pudendorum pilos intelligit, & fortè erat gentilicus ritus, vngues non resecare, quẽ ritum voluit Dominus hac ceremonia tollere. Volebat enim Dominus ea deponere omnia quæ gentilitatis erant, etiam vestem.

Flebit patrem suum & matrẽ suam per mensem dierum. Volebat Dominus eam patrem & matrem deflere, ac si eos perdidisset: quoniã amplius non erat visura eos. Et colligi ex hoc loco videtur, fuisse consuetudinem, lugere mortuos ad mensem, & quod additur dierum, phrasim linguæ esse puto, quemadmodum annus dierum. Hebraice est per lunationem dierum, quoniam Hebræi per lunas, menses suos supputant.

Dimittes eam animæ suæ, id est, voluntati pro qua sæpe anima sumitur.

Neque contractum facies de ea. Alij vertunt. Neque negotiaberis, sed verbum amar videtur potius significare contrahere seu contractum facere, & quia contrahẽtes, ad inuicem ligantur & obligantur, significat ligare, vnde homer, id est, manipulus sic dictus, quòd sit ligatus.

Quam hæreditare fecerit filios suos, quod fuerit illi, id est, bona quæ habuerit. *Non poterit primogenitum constituere.* Hebraice vnicum est verbum, scilicet bacher quod significat ad literam primogenitare, si sic loqui latinis phas esset.

Ante filium exossæ, id est, proponẽdo illũ filio exossæ.

Vt det eis partes duas. Ante huius legis promulgationem, hæc lex à patribus seruata est. Nam Geneseos quadragesimonono dat Iaacob filio suo Ioseph quem primogenitum pro Reubẽ constituit, partem vnam vltra partem sibi debitam: quam hæreditarunt Ephraim & Menasseh. Et Hebraice hic est. Os duplex seu duorum, id est, portionem duorũ orum comedẽtium. Vocat autem Hebraismus portionẽ os: qũia solet dari iusta ora comedentium.

Ipse est enim principium fortitudinis eius, id est, primum in quo fortitudo, & vis generatiua ostenduntur. Istuc tendit quod Iaacob dicit Reuben Geneseos quadragesimonono. Tu fortitudo mea & principium roboris mei.

Illi ius, id est, ad eum pertinet ius primogenituræ: non tamen in Hebræo est primogenituræ.

Cùm fuerit viro filius declinans. Aut clarius recedens, scilicet ab obedientia parentum: aut ab eo quod rectum est. Cùm enim verbum sur significet recedere, videtur soret ab eo derivatum quod hic ponitur recedentem significare, & quod sequitur. Et rebellis. Melius vertas amarus qui scilicet amaritudine parẽtes afficiat, & nomen moreh consentit, quod est à marah quod significat amaricari.

Capient eum pater eius & mater eius. Melius vertas comprehendent: quoniam verbum hoc potius videtur significare.

Ad portam loci eius. Solebant vt sæpius admonuimus, in portis vrbium consuetus iudicij fieri: vt omnes exteri facilius possent iudices accedere.

Declinans & rebellis. Melius vertas, recedens & amarus: quod expone vt supra hoc eodem capite exposuimus.

Comessator & potator. Licet significatio nominis zolel sit potator, est tamen coniectura ex capite vigesimotertio Prouerbiorum comessatorẽ significare, ibi enim dicitur. Ne sis cum potatoribus vini, bezole, id est, cum epulantibus carnem sibi. Dicitur etiam zulah significare vilitatem, sed arbitror hoc nomen esse à radice zul.

Si fuerit in viro peccatum iudicij mortis, id est, crimen per quod morti adiudicandus sit.

Suspendet eum in ligno. Duo genera interfectionis legimus fuisse apud Hebræos, scilicet lapidationis & suspensionis, & videtur mortem à lege inflictam fuisse vt plurimum lapidationem, à iudice verò suspendium. Addunt Hebræi adhuc alia duo genera, scilicet strangulationem, & iugulationem, sed meo iudicio ea ex scriptura non habent. Diximus de his nonnihil Exodi vigesimoprimo & decimoseptimo huius libri, si plura de his scire desideras, lege Rabbi Selomoh loco Exodi citato: quem si non habes aut Hebraice non intelligis, lege ibidem Fagium, qui verba Rabbi Selomonis luculenter explicat. Dicit enim Rabbi Selomoh, quòd quotiescunq; in scriptura dicitur aliquem interficiendum, non expresso mortis genere: debere eum strangulari, sed hoc non probat ex aliquo loco scripturæ: ideo non illi multum fidei tribuendum arbitror: imò ex hoc loco videtur haberi oppositum, vt scilicet cum dicitur absolute interficiatur, debeat intelligi per suspendium: quoniam postquàm textus dicit interficietur, more suo statim explicat & suspendes eum in ligno, quasi idem reputans interfici, & in ligno suspendi.

Non pernoctabit cadaver eius in ligno. Non putes reum ex pietate à cruce auferendum, sed ne cùm esset reus & nequam, super terram existens eam contaminaret: vt textus sequens explicat.

Quoniam maledictio Dei suspensus est. Significat verbum chalal alleuiare, leuem reputare despicere & maledicere, & si in priori significatione verbũ interpreteris, scilicet quoniam alleuiatio Domini suspensus: sensus erit. Quoniam alleuiatio, scilicet terræ à Domino, seu quã facit dominus est suspensus. Videtur enim terra onerata malis hominibus alleuiari, cũ illi è terra eliminãtur. Prior tamẽ sensus Paulo videtur cõfirmior qui ad Galatas. 3. hunc locum citans dicit. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Sed sacra scriptura multos sensus etiam literales habet.

IN CAPVT. XXI. DEVTERONO.
ad morum ornamentum adnotatio.

SI *inuentus fuerit occisus.* Admonui sæpissime quemadmodum & sacra scriptura admonet, quãti faciat Deus hominis occisionem, vt non solum homicidam, sed terram in qua commissum est: voluerit pœnas dare & expiari, & doleo valdè, reges non tanti illud facere, sicut meritò faciendum est, multasque communitates graues pœnas dare, quòd in huiusmodi negligentiores quàm par est inueniantur earum rectores: vbi similiter aduerte quàm diligentes esse debeant iudices ac seniores in perquirendis homicidis.

Et erit ciuitatis propinquæ occiso. Docet agendum iudicibus aliquando esse ex coniecturis, præsertim vbi author criminis ignoratur. Istluc enim tendit huiusmodi ciuitatum mensuratio. Similiter admonentur seniores cuiuscunque vrbis, curare ne mala in sua ciuitate aut terminis ipsius perpetrentur.

Lauabunt manus suas super vitulam. Forsitan ex hoc loco orta est canonica purgatio. Debẽt illi de quorum innocentia dubitatur, & de quorum malitia præsumitur purgare se publice: quod delictum de quo super eos præsumptio est: non commiserunt.

Et oculi nostri nõ viderunt. Non solum qui crimen committit reus dicitur, sed etiam qui videt & non indicat.

Expia populum tuum Israel. Debent orare principes communitatis pro peccatis quæ accidunt & non puniuntur: ne fortè eorum incuria aut negligentia acciderint, similiter ne Dominus communia immittat flagella.

Si egressus fueris ad bellum. Docentur legislatores ea quę non sunt de se mala permittere, præsertim cùm populum pronum viderint ad legem transgrediẽdam si ponatur. Admonemur etiam hic, multa quæ mala prima fronte videntur, certis vestita circunstantiis bona fieri. Prohibuerat enim Dominus alienigenas ducere in vxores: modò verò permittit certis modis coniungio, aptatas. Permisit verò istas & nõ alias, quoniã cùm sint veluti seruæ, non facilè possunt viris à fide recessum persuadere. Videbatur enim ista, omnia gentilitatis deposuisse.

Flebit patrem suum & matrem suam. Non vult Dominus hominem quocunque statu sit, pietatis in parentes oblituisci, sed naturę sua iura tribuere.

Non negotiaberis cum ea. Voluit vbique dominus, aliquod esse pudicitiæ fœminarum pretium, quemadmodum hic voluit libertate compensari.

Non poterit filium dilectæ primogenitum constituere. Iniqui solent esse homines, in distribuẽdis bonis filiis vxorum dilectarum, cui rei voluit Dominus obuiam ire: ne cæca ducti cupiditate: iustitiam inuerterent. Similiter discimus quibus Dominus voluit priuilegiis, priores vxores ac filios primogenitos honorare: quibus voluit duplicem portionẽ in bonis esse parentum suorum, quod meo iudicio ideò factum est: quòd primogenitus videtur patrem gestire, ac eius personam gerere: & alios fratres veluti pater curare.

Si fuerit viro filius declinans. Iniquissimum videtur, vt filium nutrias, doceas, & promoueas, qui tibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit rebellis & malus: ideò voluit Dominus tam graui eos pœna affici, sed tam cæcus est parentum erga filios amor, vt raro eos quantumcunque peruersos, ad iudices hac pœna mulctandos adducant: quo in loco aduertant communitatum rectores, se teneri tales filios punire, si viderint in hoc patres fore negligentes. Erat hic locus quo parentes admonere debueram, vt filios in officio continere curarent: ne tales essent, quales communiter eos videmus, sed proh dolor neque castigant, neque eos magistratui aut præceptoribus castigandos tradunt.

Non pernoctabit cadauer in ligno: aut non permanebit. Terret me re vera locus iste, asserens impium etiam mortuum contaminare terram. Quid enim viuus faciet, qui mortuus non permittitur super terram esse, etiam in suspendio? Similiter terrā impiis mirum in modum grauari quæ eorum suspendio alleuiari perhibetur.

IN CAPVT. XXII. DEVTERO. iuxta literam annotatio.

NOn videbis bouem fratris tui vel pecus aberrantes. Significat verbum nadach vt capite vigesimo huius libri diximus proiicere & expellere, & hic verti posset expulsos aut proiectos: vnde secundo Semuelis decimoquarto inuenire licitum erit. Cogitet cogitationes, vt non iidach, id est, eiiciat aut expellat, eiectum aut expulsum suum.

Et abscondes te ab eis? scilicet quasi non videas, vt scilicet nō custodias. Verbum alam abscōdere significat, vnde almah, id est, puella abscondita.

Non videbis asinum fratris tui, vel bouem eius cadentes in via, & abscondes te ab eis: erigendo eriges secum.

Hæc sententia hic clarius ponitur quàm Exodi. 23. ibi enim habetur. Cùm videris asinum odientis te, iacentem sub onere: desines relinquendo illi? Relinquendo relinques secum? ac si dicat. Non relinques eum, sed iuuabis illum, & iste meo iudicio est germanus literæ sensus.

Non erit vas fortis super mulierem. Possumus per vasa intelligere vestes: vt scilicet non sint vestes masculi super fœminam: quoniam statim sequitur. Et non induet vir vestimentum muliebre. Possent etiam per vasa fortis intelligi arma, & prohiberi, ne fœmina gerat arma quibus viri vti solēt: quemadmodū lācea ensis & id genus alia. Multa enim mala fieri solēt: si fœmina vestibus virilibus induatur aut vir veste fœminea. *Quoniam abominatio est Domini Dei tui omnē facientē hæc*, id est, res à qua Deus tuus maximè abhorret, & quam maximè detestatur.

Non accipies matrem super filios, id est, postquàm filios acceperis: non accipias super eos seu præter eos matrem ipsam, & voluit Dominus eos vtpote crudeles, pietatem docere, etiam in bruta.

Facies murum per circuitum, tecto tuo.

Si dictio mahacheh quam vertimus murū est ab aiach, significat rem angustam vel arctam, & est sensus. Facies angustiam, id est, arctitudinem quandam. Solebāt habitatores terræ Chenahan, & etiam Iudæi, in superiori parte domorū solariū habere, ne autē contingeret inde cadere, præcipit dominus murum circunquaq; fieri, & dicit Rabbi Dauid fuisse altitudinis quatuor digitorū super se positorū aut amplius si opus fuisset, sed meo iudicio Rabbinus ille diuinat. Altior enim solet huiusmodi murus fieri, vt scilicet casum impediat, & non impediat aspectum, & solet esse mēsuræ medij hominis. Alij volūt hunc murū factum, ne quid quod superius esset caderet. Alij vt ille qui ambularet in solario non sibi timeret, sed secure incederet.

Non pones sanguines in domo tua, id est, obligationem ad luēdam sanguinis ibidem fusi pœnam: si quis inde decedisset, & hinc perpendere licebit, quātum ab humani sanguinis effusione dominus abhorrebat, qui etiam sine culpa effusum vindicabat. Hinc abusum illum ortū inter Christianos puto: vt male fortunatam domum illam arbitrentur, in qua quis sibi manus iniq cerit. Et ponere sanguines super domum est Hebraismus, significans facere domum suam obnoxiam sanguini effuso in ea, aut vindictę sanguinis ibidem effusi cum cadendo ceciderit ex eo. Eugubius putat Dominum domus daturum pœnas, si ex solario aliquid decideret, quod hominē transeuntē occidisset, sed melius intelligunt, qui hoc ad hominē inde cadentē referunt.

Non seminabis vineam tuam mixtis: ne forte sanctificetur plenitudo seminis quod seuisti, & fructus vineæ.

Verbum chala à quo chalaiim quod vertimus mixta: significat proprie prohibere. Aggei primo habetur. Propterea super vos chaleu, id est, clauserunt se cœli aut prohibiti sunt cœli. Et Psalmo centesimo 19. Ab omni via mala chaliti, id est, prohibui pedes meos. Dicuntur autem mixta prohibita, quoniam prohibentur misceri, aut clausa quia vnum intra alterum claudi tur in rebus mixtis, & est sensus. Ne forte sanctificetur, id est, offeratur Domino aliqua pars plenitudinis, id est, fructus seminis quod seu isti & fructus vineæ, ac si dicat. Ne forte aliquod immundum domino offeratur, quales sunt huiusmodi fructus. Neque plene constat an prohibeat in eodem agro vitem plantare, & alia semina seminari: vel potius prohibeat, alterius arboris semen in vite inseri, & vtrumque prohiberi æstimo, sed textus priorem mixturam prohibere videtur. Alijs quoniam verbum chadas non solum sanctificare, sed etiam polluere significat) vertunt. Ne forte polluatur plenitudo seminis tui, & fructus vineæ, id est, ne totum quod seueris, simul polluatur. Eit & tertius sensus. Ne forte separetur plenitudo seminis quod seuisti id est, ne forte separes tibi huiusmodi semina, nollens soluere ex eis decimam, sed primus sensus, mihi apparet germanior. Hac verò lege voluit Dominus hominem rerum species non confundere, quas ille sua summa sapientia discreuit.

Non arabis in asino & boue pariter. Etiam sentētia hæc nos ad pietatem & misericordiam hortatur: cùm enim bos sit asino robustior & fortior: traheret & fatigaret illum, quod author pietatis hic prohibet.

Non indues te laneo & lineo indumento.

In Hebræo est. Non indues saatnem. Dicunt autem Hebræi dictionem saatnem, compositā esse ex tribus, scilicet ex (sua) quod est lene, & (tauah) quod est filare, & (rium) quod est torquere filum, sed meo iudicio ignorant significationem nominis saatnem, neq; videtur significare vestem ex lino & lana contextam, quoniam in textu additur lana & linum. Sic enim Hebraicus habet textus. Non indues saatnem lanam & lina pariter ipsa: nisi id quod additur sit explicatio nominis sahatnem, & fortè erat certum genus vestis. Leuitici decimonono habetur. Et vestis mixtionum sahatnem, non ascendet super te: vbi non additur lana & linum: vnde videtur hoc genus vestis esse ex lino & lana contextum.

Funiculos facies tibi super quatuor angulos operimenti tui: quo operies te. Munsterus vertit fimbriolas. A gadol quod est eleuare, magnificare, est gedelim quod hic Sanctes funiculos vertit, sed meo iudicio significat extensum ad modum capillorum, & sunt hi pili qui relinquuntur in fine telæ qui non sunt texti, & sunt veluti capilli, & videtur gedelim significare id quod nos vocamus guedelha, quę est quædam coniunctio capillorum ad modum manipuli, & fortè à nomine Hebraico gedelim deriuatur nostrū guedelha: quę admodum arimō quod Hebræis est malum punicum, deductum est nomē vulgare nostrum Romaam, quod idem nobis significat. Quod autem dicitur super quatuor angulos vestimenti, aut vt Hebraice habetur: super quatuor alas vestimenti. Vocat alas, quod nos vocamus abas, id est, extremitates cappæ seu vestis superioris: vnde quia præcipiuntur hic poni in quatuor angulis vestimentorum seu alis, cōstare videtur Iudæos, vti cappis non apertis à parte anteriori, quales sunt cappæ quas nostri vocant capuzes aut lobas: quibus nostri sacerdotes vtuntur, quod etiam ex eo constare videtur,

videtur, quòd præ magna tristitia rumpere ac scindere solebant huiusmodi indumenta, quod non facerent, si huiusmodi vestes à parte anteriori scissæ & diuisæ essent. Ponitur hoc statutum decimoquinto capite Numerorum, & præcipitur eis ponere in fimbria filum hiacinthinum: fortè huiusmodi fila quæ ponebantur in alis, erant hiacinthina. Ponebantur autem vt ibidem dicitur: vt illis visis præceptorum Domini recordarentur.

Et imposuerit ei occasiones verborum. Ignorant Hebræi quid proprie significet alal, à quo alilot quod Sanctes occasiones vertit. Dicunt autem Hebræi significare omnia hæc, scilicet facere, inuoluere, racemare, & Sanctes qui hic vertit occasiones, in lexico dicit allilah à quo alilot, significare opus: quare debet opus verti seu opera vt sit sensus. Et imposuerit ei opera verborum, id est, opera mala, dicta quidem sed non facta: ac si dicat. Si mentitus fuerit, dicens se non inuenisse eam virginem. Significatio propria verbi videtur esse racemare seu quærere racemos post vindemiam: nos dicimus rabiscar aut rebuscar, & patet significare hoc Leuit. 19. vbi abunde scripsimus de verbi significatione. Et infra vigesimoquarto capite habes. Cùm vindemia ueris vineam tuam, non teholel, id est, racemabis post te. Et quia id quod racematur reuoluitur intrinsecus & extrinsecus, & attrectatur manibus, videtur etiam ex consequenti significare reuoluere, cuius significationis exemplum habes Iob decimosexto vbi dicitur. Veolalti, id est, inuolui aut reuolui, eum puluere vel inpuluere cornu meum. Vnde videtur quòd alilot, significet hic reuolutiones seu attrectationes, quales solent fieri in vite, cùm quis in ea racemos post vindemiam quærit: nos significantius vocamus em xoualhada, ac si dicat. Et imposuerit ei attrectationes quòd scilicet ab alio fuerit contrectata, & inquisita, verborū inquam non rerum, quoniam re vera non fuit ab alio contrectata, significatio re vera ignota est: neque potui coniecturas certas inuenire ad venādam propriam nominis aut verbi significationem. Qui occasiones legunt, dicunt sensum esse. Et dederit occasionem diffamandi eam, sed quia nomen nusquàm (quod sciam) occasionem significat: suspecta mihi est huiusmodi significatio.

Educent virginitates, id est, signa virginitatis, nempe sanguinem rupti himenis. Solebant enim matres in Israel, lintea super quibus vir filiam primum cognouerat seruare: ad hunc finem ne videlicet gener, malum nomen postmodum filiæ suæ imponeret: neque eum Hebræis hic sentiendum est, qui dicunt per expansionem vestimenti intelligēdam expositionem rei coram iudicibus. Dicit autem vestimentum & non lintheum quoniam fieri potuit, quod non super linthea sed solò aut super pauimentum cum ea congrederetur, & vestes aut camisia maneret sanguine infecta, quā mater seruare solebat, & vsq; hodie aliquæ apud nos ostendunt hæc, vt monstrent se bene pudorem filiarum suarum custodiisse.

Imposuit occasiones verborum. Expone vt iam hoc capite explicauimus, & melius (vt diximus) vertas. Et posuit ei opera aut reuolutiones verborum confictas non veras.

Et expandent vestimentum, scilicet camisiam aut lintheum.

Et flagellabunt eum. Verbum iasar significat castigare & flagellare, & potius castigare & erudire quā flagellare.

Mulctabunt eum centum argenteis Verbum hanes, etiam condemnare significat.

Quia fecit fœditatem in Israel. A verbo nabal quod est cadere & fœdare, est nebelah, id est, fœdisas. Significat autem verbum nabal, secundo fœdare: quoniam quæ cadunt fœdari solent.

Auferes malum è medio tuo. Verbum bahar vt sæpius diximus, quod hic auferre vertimus, proprie significat comburere & depascere. Iubebatur autē puella ad domū seu ostium parentum lapidari: vt parentes de cætero maiori cura & studio, puellas suas custodirēt, ne talem confusionem subire paterentur.

Si inuentus fuerit vir coiens cum muliere maritata.

Loquitur lex de fœmina consentiente & patiente stuprum, & casus tres aut quatuor qui in litera ponuntur, manifesti sunt. Et verbum baal à quo beulah. i. maritata significat supergredi, superiorē esse, vt vir vxori.

Puellam eo quòd non clamauerit in ciuitate.

Hebraice est puellam super verbum, quod non clamauit in ciuitate, sed sensus redditus est.

Et apprehenderit eam vir. Significat verbum chasach proprie fortificare & roborare se, vnde germanius vertas. Et roborauerit se in eam, aut inualuerit. Et aduerte aliquos voluisse adulteram illā, quæ Christo à Pharisæis delata est, fuisse ex huiusmodi inuite cognitis in agro, vbi non erat clamandi locus, quam lex quidem à morte absoluebat.

Non accipiet quispiam vxorem patris sui, & non reuelabit oram patris sui. Dicit Aben Ezrah legem hic prohibere, nē filius à patre oppressam, in vxorem accipiat: quoniam de nouerca & vxore iam cautum fuerat Leuitici decimooctauo. Posset tamen dici legem hanc aliam repetere, vt memoriæ imprimeretur magis. Vocat autem fimbriam fœminæ, fimbriam vel alam patris: quoniam in sola patris potestate est, eam leuare. Nostra enim dicuntur quæ sunt in nostra potestate. Alij dicunt hoc ideò esse, quia hoc debet esse viro quod ala aui, id est, adiutorium. Vocat autem fimbriam alam, quoniam modum alæ habet, & ita corpus tegit, vt ala auem.

IN CAPVT. XXII. DEVTERONO. ad morum elegantiam annotatio.

NOn videbis bouem fratris tui, vel pecus errantes, & abscondes te ab eis. Quid aliud lex hæc commendat nobis, quàm proximitatem & mutuam dilectionem. Expende quæso iniquitatem nostram. Omnes volumus indigentias nostras ab aliis videri, rari tamen sunt, qui velint videre aliorum, & multi sunt qui abscondunt se ne hęc videant in aliis: vnde iusto dei iudicio fieri solet, vt qui oculos auertit à proximo suo, cū eius auxilio indiget: negligatur ab aliis cū indiguerit ipse. Et considera dei pietatē, qui nō solum proximum ipsum, sed res etiam infimas eius, te voluit curare vt tuas Vnde August. in regula, nos tanto magis profice re dicit, quāto magis curauerimus res cōmunes quàm nostras. *Erit tecum, donec requirat frater tuus.*

Duo nos docet locus iste. Alterum restituere inuenta, quæ alterius esse nouimus. Alterum neminem teneri, rem inuentam suis expensis ad dominum reducere, sed sat est eam apud se habere. Neque negligit, nos rem proximi debere curare vt nostram.

Non videbis asinum fratris tui, vel bouem eius, cadentes in via, & abscondes te ab eis.

Pusilli animi est, tunc odij aut iniuriæ meminisse, cùm proximus tuo auxilio indiguerit. Superioribus armis cum eo dimicas: si aduersus eum indigentem prælieris, sine esse parem, & tunc si volueris honorifice aduersus eum bellabis, nunc te inferior est, iuua illum. Omitto interim, quod cum prouocas: ad dilectionē tui, & satis castigas, cùm eum nolentem & inuitum iuuas.

Non erunt instrumenta virilia super mulierem.

Nihil eorum quæ necessaria sunt ad vitæ honestatem omisit prudentissimus legislator. Corrumpere valdè communitatem solet: si promiscua vasa permittantur viris & fœminis: quorum non solum sunt arma & vestes distinctæ, sed munia. Alia sunt quæ virū, atq; alia quę fœminā decēt. Decet fœminam colus, decet acus: remq; domesticam curare: sunt etiam sua munera viro: quæ si confundantur aut miscentur: ordo destruitur & policia inuertitur: quamobrem maxime admonendum est vt vnusquisque officia sua curet.

Si occurrerit nidus auis. Nūquid de bobus aut auibus cura est Deo? (ait Apostolus) Voluit Dominus nos pios esse non solū in homines, sed & in aues & bruta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Curat omnium rerum creator, creaturas suas: neque vult eas à nobis impie tractari, qui nobis ad nostram vtilitatem tradidit eorum dominium. Vnde discès ô homo, non esse in tua libidine aues ac cætera animantia perdere.

Vt bene sit tibi, & prolongare facias dies. Considera hic pietatis vtilitatem: quæ tibi vbique longam parat vitam. Quod si pietas in aues, tibi dies multiplicat, quid putas in homines aut parentes? Docet etiam locus, magis conseruādas esse causas quàm effectus, post quàm filios accipere sinit, & seruare parentes, & omnes alias res quæ nobis possunt fructificare.

Si ædificaueris domum, facies murum. Benedictus sis domine deus noster, qui magis curas quę nobis vtilia sunt, quàm nos. Nouisti ignorantiam ac negligentiam nostram, etiam in his quæ nobis necessaria sunt: ideò omnibus malis occurrit quæ accidere nobis possunt. Aduerte etiam hic quātum sanguinis effusionem detestetur, qui sanguinem vindicat casu effusum.

Non seres vineam tuam diuersis generibus rerum. Abhorret Deus summe à confusione: neque vult, nos facilè species rerum confundere, quas ipse tanta solicitudine voluit distinguere, vnde iniurij suo modo naturæ videntur, qui distinctas species confundere audent. Gaudet Dominus Deus simplicitate, non solum in hominibus sed etiam in rebus. Isthuc pertinet non confundere diuersa fila in tela, vt scilicet simul misceas lanam & linum. Quod autem additur de non arando in boue & asino pietatem insinuat, docetque imparia non esse coniungenda, neque ab omnibus seruis esse æquale ministerium exigendum, sed ab vnoquoque iuxta vires suas.

Funiculos facies tibi, in quatuor angulis. Distinctos vult Dominus seruos suos, non solum corde sed corpore ac veste: quemadmodum enim eos ex aliis gentibus selegit, ita voluit eos circūcidi, ac vestes portare distinctas. sed ad quid quæso Domine Deus, vis seruos tuos vestibus ab aliis omnibus distingui? Vt scilicet videntes eos cognoscant eos seruos Dei altissimi, & vt respiciētes vestes & aduertētes cuius esset seruii, scilicet sancti Domini, se sanctos fore debere meminissent. Sed postquàm charactere circuncisionis distincti erant, quid opus erat eos fimbriis & vestibus distingui? Vt lux eorum luceret non solum coram Deo qui eos circuncisos videbat, sed etiam coram hominibus. Ad hoc etiam sacerdotem suum voluit (vt iam diximus) laminam in fronte gestare, cuius subscriptio erat: Sanctitas Domino: vt quocunque se verteret, cognosceret se sanctum fore debere: vt alij videntes ipsum esse sanctū domini, eum reuererentur. Omnia enim nostra clamare & dicere debent nostram sanctitatem, nunc verò omnia populi Christiani, potius vitia ac prophanitatem quàm sanctitatem prædicāt & proclamāt. Aduerte etiā in huiusmodi fimbriis, quàm memores suarum legum nos esse voluerit, qui ad eius rei recordationem hæc gestari voluit.

Si acceperit vir vxorem, & ingressus fuerit ad eam, & odio habuerit eam. Occasiones quærit (ait Sapiens) qui vult discedere ab amico, & tollerabile esset si veras quæreret & inueniret, sed cùm veras non habet, falsas obiectat, & vt ab vxore discedat, eam infamat. Si displicet eiice, modo sibi malum nomen non imponas, aut falsum crimen nō impingas. Pessima res odiū, quod omnia crimina quærit in eo quod odit, etiam si non sint. Similiter docemur quanti facienda sit fama & bonum nomen puellarum, adhuc in domibus parentum existentium. In his verò quæ sequuntur, se admonitos parentes sentiant: quàm vigiles esse debeant in custodiēda filiarū suarum pudicitia: ne huiusmodi patiātur infamiā, & q̄ iuste lapidabātur puellę suæ pudicitiæ immemores, quæ lex si nunc statueretur, non tam facilè puellæ sui corporis copiam viris facerent.

Mulctabunt eū centum argenteis. Non solum puellæ sed parentibus iniurium esse constat, à quo puella male audit: ideò eis tenetur restituere. Et expende hic qualiter honor pecunia æstimetur & compensetur, & quanti faciat Deus suorum seruorum infamiam, vnde sequitur.

Quoniam eduxit nomen malum contra virginem Israel, Auferes malum è medio tui. Non debet magistratus malū aliquod impunitū in se relinquere: ne Deus in illud seuerius animaduertat.

Puellam: eo quod non clamauit in ciuitate. Tenetur fœmina eo quo potest modo, suam pudicitiam tueri: quod si non faciat rea iudicatur. Inculpabilis enim iudicatur, qui quod potuit fecit vt vitaret peccatum.

Dabit vir coiens cum ea patri puellæ quinquaginta aureos. Etiam hic aduertes, qualiter pecunia compensatur honor. Similiter patri iniuriū esse, qui eius filiam polluit indebite: abhorruisseq̄, semper dominum à violentijs: neq; citra matrimoniū passus est aliquem virginem corrumpere: q̄are Confessores quoad possunt laborare deberent, vt homo qui virginem corrupit, eam in vxorem acciperet.

IN CAPVT. XXIII. DEVTERONO.
iuxta literam annotatio.

NOn intrabit fractus attritione, & succisus testiculos, in ecclesiam Domini. Verbum pasa à quo pesua, id est, fractus, significare videtur proprie conculcare aut frangere: licet Hebræi & nostri dicant significare vulnerare & percutere vsq; ad sanguinis effusionem, sed quòd non significet percutere, videtur haberi ex eo quod dicitur Canticorum quinto. Percusserunt me pesauni, id est, conculcarunt aut contriuerunt me: vbi si iterum vertas percusserūt, inutilem facies repetitionem: si tamen vertas percusserunt non damno, quoniam propria significatio non plene nota est. Sequens verò dictio, scilicet daccha, significare videtur conculcationem. Nam verbum Threnorum tertio conculcare significat, vbi dicitur. Ledacche, id est, ad conculcandum sub pedibus eius. Sic Psalmo centesimo quadragentesimotertio habes. Diccha, id est, conculcauit ad terram vitam meam. Si tamen contritionem vertas non damno: quoniam Isaiæ decimonono videtur hoc significare: vbi dicitur. Et erunt retia eius merucchaim, id est, contrita. Sequens verò dictio, scilicet charar, licet non plene nota sit: videtur tamen significare succidere. Dictio autem sophchah quam vertimus testiculū, est à sapach quod significat effundere: vnde multi ex Hebræis & bene in dicio meo putant, hic potius debere verti veretrum q̄ testiculum, quoniā dicitur veretrū sophchah ab effundendo quod, scilicet lotium effundat, cuius sententiæ sunt Rabbi Dauid, Rabbi Selomoh & Rabbi Abrahā. Et chehal quod vertimus ecclesiam, est à chalal quod est congregare, & significat cōgregationem, per quam hic intelligit cœtū & populū Israel, & est sensus, quòd is qui habuerit testiculos contritos, aut veretrum seu neruum abscissum: nō connumerabitur vllo pacto inter Israelitas, sed quoniā durum videtur dicere Israelitam propter testiculi fractionem aut genitalium abscissionem non amplius dici Israelitam. Alij putant per ecclesiā intelligendum concilium seu congregationem seniorum, quòd, scilicet istiusmodi homines non possent fieri iudices aut consules vel rectores: quæ interpretatio communior & verior est. Nume. 20. ponitur dictio pro toto populo, vbi dicitur. Vt quid eduxistis & chehal i ecclesiam seu congregationem Domini ad desertum istud? Idem Iudi. 20. Sunt qui per ecclesiam intelligunt templi atria: quæ soli vere Israelitæ intrabant & hij fundant suam sententiam in eo quod dicitur intrabunt ecclesiam seu congregationem.

Non ingredietur spurius in congregatione Domini. Non plene cōstat quid significet nomē manzer, quod hic spurium omnes ferè vertunt: neque nomen alibi inuenitur in hac significatione, nisi Zachariæ. 9. vbi dicitur. Et habitabit manzer in Asdod vbi aliqui spurij, alij alienū vertūt. Si radix nominis est zur, quod est alienum esse: tunc manzer significabit extraneum seu alienum;

alienum, & si sit azarah quod est spargere significabit dispersum, scilicet, à terra sua: vnde potius vertendum puto. Non ingredietur alienus, id est, alienæ gentis homo, congregationem Domini: vt, scilicet, dicatur Israelita, aut rempublicam administret, vt hæc sit clausula generalis prohibens omnem extraneum à congregatione Israel, postea explicentur certæ gentes, videlicet Hammonitæ & Moabitæ, & sic illud Zachariæ citatum verterem. Et habitabit alienus seu extraneus in Asdod, quę erat ciuitas Philistinorum. Illud etiam Iob trigesimooctauo quod nostri vertunt. Nunquid produces mazarot, id est, planetas in tempore suo, vertendum puto. Nunquid produces sparsiones seu dispersiones, scilicet, pluuiarum in tempore suo? Iudæi manzer vocant hominem ex adulterio genitum & multa de manzeris fabulantur quæ consulto omittimus.

Non ingredietur Hammonita & Moabita ecclesiam. Genesis decimonono constat istos duos populos, ortum habuisse à Loth, & filiabus suis ex illo incestuoso concubitu, quem à patre suo extorserunt.

Etiam generatione decima non ingredietur ecclesiam, vsque in seculum. Vocat hebraismus vnam generationem, vnum genitum seu homines vnius ætatis: ita vt pater dicatur vna generatio, filius secunda, nepos tertia, & sic consequenter iuxta illud Ecclesiastes primo. Generatio præterit & generatio venit, id est, succedit priori, & terra in æternum stat. Disputauimus abundè de hac re Genesis decimoquinto, super illud. Generatione quarta reuertentur huc, & Exodi decimotertio. Et causæ in litera explicantur quare isti perpetuò non sint admittendi in ecclesiam seu congregationem Domini. Quia, scilicet, non occurrerunt Iehudæis venientibus ex Ægypto cum alimentis, & quòd mercede Bilham conduxerunt ad eos maledicendos: sed hoc difficultatem habet, quia secundo capite huius libri dicitur, eos alimenta Iudæis vendidisse. Dicendum Hammonitas non occurrisse Iudæis cum cibo & potu, Moabitas verò adduxisse Bilham ad maledicendum. Secundò dicitur vtrosque permisisse transitum quemadmodum Edomei: sed non occurrisse eis cum panibus. Tertiò dicitur non occurrisse gratis eum his, quemadmodum decebat fratres sed pecunia. Aut quartò à principio nullo modo occurrisse sed bene postea.

De Pethor Syriæ fluuiorum, vt malediceret tibi, Est Pethor vrbis aut loci nomen, à quo venit Bilham ad maledicendum populum dei vt dictum est Numeri vigesimoprimo, & dicitur etiam Pethorah ab Eusebio. Porrò Siria quæ in hebræo vocatur Aram fluuiorum triplex nomen in scriptura sortitur. Vocatur enim Aram ab Aram filio Sem, vt habetur Gene. 10. Vocatur autem fluuiorum, quoniam sita est inter duo flumina, scilicet, Tigrim & Euphratem. Vocatur etiam Genesis. 25 31. & 35. & 49. & 28. Padan Aram: sed ignorant Hebræi quid significet Padan. Aliqui agrum interpretantur, quoniam in lingua Ismaelitica asedeh, id est, ager vocatur Pandan vt scripsit Rabbi Ioseph. Vocatur etiam Aram Soba, quæ à Plinio libro quinto capite nono Sophene dicitur, & à Pomponio Mela libro primo capite sexto Sophone nominatur. Est & Aram Damesch, id est, Siria Damasci, & Aram rechobot, & Aram maochah, quam Matthæus Aurogalus putat Armeniam esse, quam etiam ab Aram filio Sem putat nomen sortitam fuisse. Siriam verò à Sur denominatam arbitratur, quemadmodum Assiria ab Assur. Meminit autem Iosephus huius Sirię fluuiorum priori Iudaicarum antiquitatum libro, vbi dicit Aram Aramenos instituisse, quos Græci Sirios appellant. Strabo etiam. 13. libro Arimorum recordatur dicens. Quidam Siros pro Arimis accipiunt, quos nunc Aramos vocant. Est autem Siria terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus vt iam diximus, & putarem fluuiorum esse vnam partem Siriæ, Padan aliā, Siriam Roboch aliam, & sic de aliis. Et quod sequitur, vt maledicereat tibi: admonui sæpius verbum chalal significare alleuiare, leuem reputare, & despicere, quibus si volueris, adde maledicere. De eius significatione disputauimus Genesis sexto.

Non quæres pacem eorum. Verbum daras, significat propriè inquirere & interrogare: vt patet Deutero. 10. vbi dicitur. Et non daras. i. interrogauit dominum. Et secundo Paralipom. 19. Non daras, id est, requisiuit dominum. Capite tamen decimoseptimo eiusdem libri, videtur significare quærere simpliciter: vbi dicitur. Et non daras, id est, quæsiuit bealim. Et eodem capite Deum patris sui daras, id est, quæsiuit. Si ergo vertas iuxta priorem significationē, sensus est. Non inquires pacem aut integritatem eorum. Non erit tibi curæ, scire an bene vel male valeant. Nam solemus quærere de integritate eorum quos diligimus, & secundum hunc sensum scrupulo caret locus, an, scilicet, possimus aliquem odire vel non. Si verò intelligas absolute scrupulo non caret, quomodo Dominus præcipiat hic nō quærere bonum Hammonitarum & Moabitarum, qui omnem hominem præcepit diligere, & videtur quod ex hoc loco Iudæi habuerint, quod illis Christus obiectat Matthæi sexto. Audistis, inquit, quia dictum est antiquis. Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed lex hæc non præcipit istas gentes odire aut illis malum cupere: sed non cupere bonum, quod non nisi amicis quærere tenemur, loquendo de bono quodam familiari & magno, aut quod verius credo præcipit non quærere istis bonum neque integritatem in pœnam, eò quòd non occurrerunt eis venientibus ex Ægypto cum pane & aqua, quemadmodum proximos & quasi fratres decebat, sicut Prophetæ mala inimicis precabatur. Legimus tamen Dauidem pacem habuisse cum rege Hammonitarum, quem per nuntios super, morte patris consolatus est. *Semue. 10.*

Sit custoditus ab omni re mala, id est, ab omni immunditia & turpitudine, quemadmodum statim explicat. Posset etiam extēdi loquutio ad omne peccatum, quod victoriam & auxilium diuinum à nobis impedire potest.

Propter occursum noctis, id est, propter pollutionem quæ in somniis accidere solet noctu.

Erit cùm declinauerit vespera. Melius vertas cùm se verterit vespera, id est, cùm redierit vt solet, aut cùm Sol se verterit ad occasum. Significat enim verbum pānah propriè vertere se aut respicere.

Et locus erit tibi extra castra. Hebraicè est. Et manus erit tibi, sed iā in hebraismis admonui & Genesis trigesimoquarto, Hebræos vocare brachia maris, & diuerticula seu valles quæ à magno & lato campo egrediuntur manus, iuxta illud Psal. Hoc mare magnum & spaciosum manibus, id est, brachiis quæ ab Oceano egrediuntur veluti manus aut brachia à corpore. Sic loco Genesis citato. Negotientur terram quæ lata est manibus, id est, vallibus & diuerticulis. Sic & hic vocat diuerticula extra castra, manus. Ad quid verò huiusmodi manus essent, in textu explicatur.

Clauus erit tibi. Aliqui paxillum vertunt, sed dictio iated propriè clauum significat: vt patet Isaiæ vigesimosecundo, vbi dicitur. Et figam illud iated, id est, clauum in loco firmo, sed potest significare clauum ferreum vel ligneum.

Super arma tua. Suspecta est mihi hæc significatio nominis azenecha qua arma significat, cùm radix, scilicet, ozen aurem significet, & mozenaiim, bilances seu statéras, quòd duas partes ad modū auris habeant: vnde si ab hac radice est dictio azenecha, vertendum est, super bilances aut statéram tuam. Solebant fortè Iehudæi statéram secum ad bella deferre ad emendum & vendendum, cum quibus tenebantur hunc deferre clauum, ad effodiendam terram. Si verò radix nominis sit zun ignota est significatio nominis, quemadmodum radicis quam Hebræi dicunt significare speciem, propter illud Psalmi. Anguli eorum pleni, educentes mizan el zan, id est, de specie in speciem: sed ibi tam bene vertas, de mensura in mensuram aut de esca in escam, quoniam mazon escam significare dicitur Genesis quadragesimoquinto, & multis aliis locis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui autem hic arma vertunt ex eo quod dicitur primo Regum vigesimosecundo, occasionem sumpserũt: vbi habetur. Vehazonor, id est, & arma lauerunt. Sed cùm dictio quæ hic ponitur habeat Aleph in initio, videtur potius ab azan quàm à zun vel zonah, & ideò prior expositio mihi magis arridet. Hieronymus baltheum vertit.

Oppones egestã tua. A rasa quod est egredi, est seah, id est, egestio, sic dicta quod à corpore egrediatur.

Erunt castra tua sancta, id est, munda seu à sordibus separata.

Det inimicos tuos coram te. Hebraismus est, pro det inimicos tuos fugere te.

Non videat in te turpitudinẽ aliquam. Dictio eruat, id est, turpitudo, ab arah quod est nudare ortum habet, & vocat hebraismus nuditatẽ turpitudinem, quòd turpe sit nuditatem videre.

Non trades seruum ad dominum suum, qui ereptus est ad te à domino suo. Verbum sagar propriè significat claudere. Ne autem verbum à propria significatione distrahamus putarẽ hoc interrogatiuè legẽdum. Non claudes seruum ad dominum suum? ac si dicat, claudes omnino. Timeo autem vertere tradere, quia vix exemplum in scripturis ad hoc reperio. Nam quod nostri ex primo Semuelis vigesimosexto citant, scilicet. Sigar, id est, tradidit Deus hodie inimicum tuum in manu tua, melius & germanius vertas conclusit. Idem secundo Semuelis decimooctauo. Neque cum Sanctẽ vertimus qui confugit, quoniam verbum nahal eripere propriè significat & loco hæc significatio quadrat. Potest etiam esse huius sententiæ sensus non diuertendo verbum à sua significatione. Non recludes seu occultabis seruum à Domino suo, cùm voluerit apud te eripi à domino suo sed manebit tecum, scilicet, vsquequo dominus requirat eum. Nam mirum valdè videtur quòd iubeat te ouem vel pecus alienum proximo restituere amissum, & non seruum, nisi dicamus deum hoc sanxisse in odium seruitutis, cui maximè hominũ libertas placet. Aliqui de seruo qui quæritur à domino ad interitum hanc interpretantur legem. Si literam Sanctis legas sensus est. Non trades seruum domino suo qui confugit ad te à domino suo, quando, scilicet, times dominum eum quærere vt sęuè percutiat, neque vult te eum perpetuò detinere, sed vsquequo ira domini mitior sit.

Non erit scortum de filiabus Israel. Habet verbum chadas (quod separare significat) contrarias significationes (vt sæpius diximus) à quo chedessah, id est, scortum.

Et non erit scortator è filiis Israel. Significat chades scortum masculum, aut cinedum. Prohibet autem dominus hoc, quoniam gentiles hæc habere solebant. Dicitur autem scortum masculum & femina, à chadas quod est separare, quoniam huiusmodi scorta solebãt esse separata à ciuitatibus in locis secretis.

Non introduces mercedem meretricis, & pretium canis in domum Domini Dei tui. Quia tanah, etiam donare significat: posses vertere. Non adduces donum meretricis, id est, id quod ipsa donauerit, in domum Domini. Cùm meretrix sit turpis & vilis, & similiter canis animal despectum: nolebat Dominus pretium harum rerum sibi offerri: vnde si quis venderet canem, & vellet offerre Domino pretium ipsius, non admittebatur, neque aliud animal etiam immolatitium quod pro cane mutuaretur aut commutaretur. Non admittebat autem meretricis mercedem, non solùm ob turpitudinem, sed ne meretricium approbare videretur. Et quod dicitur. Pro omni voto, exemplum legis est: licet aliqui putent solummodo prohiberi vota fieri ex his.

Non fœnerabis fratri tuo. Quia verbum nasiach significat mordere, aliqui vertunt non mordebis aut morsum inferes, & mordere fratrem morsu pecuniæ, est vltra mutuò datam pecuniam, aliquid pecuniæ exigere.

Vsura cibi, id est, vt pecunia mutuata, det tibi aliquid ad cibum pertinens, aut mutuando aliquid ad comedendum, non exiges pro vsu, pecuniam, quemadmodum neque pro vsura omnis rei licebat pecuniam aut rem aliam à fratribus exigere.

Extraneo fœnerabis. Non puto præceptum esse, sed permissionem, an verò sine peccato à Iudæis fieret, problema est. Caietanus eam per se prauam dicit & ideò nullo modo licere, contrariam sententiam Burgensis fouet.

Egressum è labiis tuis custodies & facies. Duo erant quæ homo dabat Deo, scilicet, deuotum, & spontaneum. Vocat aatem spontaneum id quod homo dicit se daturum Deo sine promissione, votum verò promissionem annexam habet, & tam votũ quam spontaneum dicitur à labiis egressum.

Comede vuas secundum animam tuam. Ponitur sæpius in sacris literis anima pro voluntate: vt hic. *Animam pro voluntate vsurpant Hebræi.*

Ad vas tuum non dabis, Id est, non inferes in canistro vel alio vase.

Decerpe spicas manu tua. Verbum chataph licet nõ sit bene notum Hebræis, videtur tamen significare succidere: vt patet ex illo Ezechie. 17. vbi dicitur. Summitatem vel cacumen ramusculorum chataph, id est, abscidit vel præcidit, licebat ergo Iudæo in agro alterius spicas virides ad comedendum decerpere, quemadmodum fecerunt Christi discipuli fręti hoc legis beneficio. Verbum verò nuph quod leuare vertimus hic, significat Hebræis omnia hæc. f. effundere, stillare, aspergere, suffire, cribrare, cõcutere, leuare & eleuare: sed si quis rectè expendat, solum significat leuare & suffire, quod sit quædam eleuatio suffitus: vt Prouerbiorum septimo habetur Naphti, id est, suffiui cubile meum mirrha.

IN CAP. XXIII. DEVTERONO. ad morum compositionem adnotatio.

Non ingredietur fractus attritione & abscisius veretro congregationem Domini. Putant multi nihil ad reipublicæ vel ecclesię regimen referre, quales in natalibus sint eius ministri & rectores, quos certos hic sacra lectio arcet, sed quia sæpissimè sequuntur homines mores illorum ex quibus nati sunt, consultè profectò actum est, si huiusmodi à regimine depellantur, quod & Ecclesia à principio statuit, sed vitio temporum, omnes huiusmodi leges aut præteriêre aut facilè pecunia dispensantur. Omitto quod hac de causa, homines quibus ecclesiæ cura commissa est, licentiosius in vitia prolabuntur, scientes filios suos posse eorum officia & dignitates pecunia præuia hæreditare. Similiter de alienis dicito. Nam quemadmodum rex bonum reipublicæ curare potest vt debet, quoniam non ex dilectione ad populum mouetur, ita neque potest alterius populi Consul aut Iudex, quæ ad bonum alterius reipublicę cuius nõ est verè membrum sed insertum, procurare. Aliter enim homines quæ sua sunt curant, atque aliter quæ ad alterum pertinent. Ex quibus etiam colligere potes, quãtum illi respublica debeat, qui prolem in ea multiplicat, cùm videas hic ineptos generationi repelli à cœtu ecclesiæ.

Eò quòd non præuenerunt vos cum pane & aqua, quãdo egressi estis ex Ægypto. Admonet locus iste, qualiter viatores & hospites è via venientes tractandi sunt præsertim à fratribus, quibus non solùm cibo & potu subueniendum est sed occurrendum. Similiter audis priuari posse hominem misericordiæ beneficio qui negligit cum proximo misericordiam facere.

Et quia mercede conduxit aduersum te Bilham. Putant homines nihil obesse, si aliis scãdala obiiciant aut tendant in via Domini: sed quantum hoc ei displiceat, & quàm seuerè hoc vindicet: apparet in punitione Bilham. Aduerte etiam hic, quanti sæpius constet malis, nocumentum quod inimicis suis facere volunt, quod tamen Dominus in bonum vertit, & coguntur expensis suis, emere bona inimicis suis bonis.

Et conuertit Dominus maledictionem in benedictionem, quia

quia dilexit te. Diligentibus Deum & his quos ille diligit, omnia conuertuntur in bonum, maledictio in benedictionem, persecutio in quietem, vita in mortem. Solet enim dominus inimicorum ope, amicos suos iuuare, vt mirabilior appareat, quo in loco etiam discant qui aduersus sanctos aliquid precantur, nõ solum non fore exaudiendos, sed pro eis orare.

Non quæres pacem eorum, & bonum eorum. Et si omnium virtutum defectus malus sit, pessimus tamen est defectus operum charitatis & misericordiæ in proximos: quẽ punire in authorẽ licere, locus iste insinuat.

Non abominaberis Edomæum: quia frater tuus est. Pulchre docet locus iste qualitei fratrem diligere debeas, etiam si aduersetur tibi solum quia frater est, qui si te odio habuerit, neque tibi viscera fraterna ostendat, non sit tibi curæ: dilige eum, non eum abomineris, sed memento quia frater est.

Non abominaberis Ægyptium, quia peregrinus fuisti in terra Ægypti. Sunt multi, quibus si multa bona feceris: propter pauca mala in te collocata, bona illa multa non referunt: quos locus iste subtiliter arguit, qui non abominari docet Ægyptium, licet multa mala illis intulerit, propter multa alia bona. Susceperat enim eos benigne, ac tẽpore famis pauerat, & in optimo terræ loco fecerat habitare.

Filij qui nascentur eis: in tertia generatione ingredietur ecclesiam. Quemadmodum filij, coguntur ferre parentum peccata: ita portare solent merita eorum. Secundi & primi luunt peccata parentum, tertij verò & sequentes merita accipiunt.

Si egressa fuerint castra contra inimicos tuos: caue ab omni re mala. Putant milites cùm ad prælia vadunt, omnia sibi mala licere, non parcunt cædibus non rapinis & violentiis, stupris & aliis id genus malis, qui sæpissime ob mala quæ in castris committunt debellantur. Similiter aduerte in omni loco curandam esse munditiã: cùm videas hic ob corporales ac naturales immunditias, Deum à castris suis recedere. Docentur etiam qui occulte immundi sunt, nõ ingredi mundorum cœtum, & in internis aut externis immũditiis magis curare oculum Dei qui videt in abscondito, quàm hominum qui solùm ea vident quæ patent.

Locus erit tibi extra castra. Admonentur hic respublicæ rectores, in suis ciuitatibus curare mũditiam, vt scilicet sordes extra vrbem depellantur: ne ciuitatem malus illarum odor inficere possit. Quòd si corporalis immunditia aut turpitudo tantę vis est, vt Deum à te fugere & faciem suam auertere faciat, quid facient spirituales immunditiæ peccata videlicet. Si ergo vis Deum apud te ad auxilium tuum & hostium tuorum debellationem habere, immunditiam peccatorum maxime caue.

Non trades seruum Domino suo. Pietatem docet lex hæc, quæ docet nos tueri eos: qui ad nos pro ope confugiunt. Si verò legas. Non occultabis docemur non occultare aliena quæ ad nos deueniunt, sed seruare vt Dominis suis restituantur.

Non erit meretrix de filiabus Israel. Quia poterant Iudæi plures simul vxores habere, nõ erat aut vix erat vagus concubitus in eis, quem semper Domino Deo displicuisse, ex hoc & multis aliis locis constat. Vnde constat, nunquam simplicem fornicationem fuisse licitam apud Iudæos.

Non introduces mercedem meretricis et prætiũ canis, in domum Domini Dei tui. Displicuerunt semper domino turpia lucra: & ne quis illum huiusmodi turpitudinibus delectari, & meretrices facilius ab his desisterent, noluit ex his munera acceptare: sed nunc quando ecclesia & ministri mundiores esse deberent, omnia hæc acceptantur qualiacunque sint, & vndecunque veniant.

Non fœnerabis fratri tuo. Mirum valde est quod nũc Christianis licere videatur, quod nunquam iudeis licuit. Dolendum valde est, omnia nunc vsuris & exactionibus esse plena, postquam misera cambia ad Christianos peruenere: quæ meo iudicio à perfidis Iudæis didicerunt, neque solùm mercatores sed nobiles, praultatem hanc impune exercent vbique: vt vix nunc reperias qui pecuniam mutuare velit, cùm eam habeant in cambiis occupatam, neque curant leges quibus doctores luerũt aliquod admittunt sed videntes in meremoniis pecuniam multis casibus obnoxiam: ad cambia in quibus nihil periculi est, & certum lucrum eam diuerterunt.

Si voueris votum, nõ tardabis reddere. Quid nũc dicam de facilitate vouẽdi, & difficultate reddẽdi, nõ vident Deum exacte (vt hic dicit) vota omissa requisiturum.

Si ingressus fueris vineam proximi tui. Licet Dominus noluerit omnia simpliciter esse communia: voluit tamen omnia aliquo modo cum proximis communicari. Sed quid de bonorum apud Christianos communicatione dicã nescio, quibus in principio omnia fuere communia, nunc verò omnia propria. Quis enim Christianorum nunc vineã suam ingredi permittit aut messem, vt pauper inde satietur? Omnia clausa sunt & nihil commune, & hac de causa putarem nos semper ferè penuria premi, & omnium rerum indigentiam pati: quæ omnia si proximis communicaremus communicaret nos ea Deus noster in maxima copia.

IN CAP. XXIIII. DEVTERO. AD literam adnotatio.

Cùm acceperit vir vxorem: & coierit cum ea. Varie nostri vertunt verbum baal. Sanctes coire vertit. Munsterus maritauerit, verbum videtur proprie significare supergredi tanquam superior inferiori, seu superiorem esse. Et per non inuenire gratiam in oculis, intellige displicere. *Hebræis nõ inuenire gratiam in oculis.*

Quia inuenit in ea turpitudinem rei. Verbum harah, significat proprie nudare & discooperire, & quia Hebræi nuditatem, turpitudinem appellant: accipitur hic heruat pro turpitudine, quemadmodum Leuitici. 18. & quod additur rei hũc sensum haber. Et inuenerit in ea aliculus rei turpitudinem neq; explicat textus de quibus turpitudinibus loquatur: sed crediderim loquì de quacunque, siue sit mentis siue corporis: & videtur etiã loqui de turpitudine de nouo discooperta aut nuata, propter nominis propriã significationem. Nam si eam vir vidisset in cõtractu & nõ curasset, nõ poterat propter illam vxorem amplius dimittere seu repudiare. Aut per turpitudinem verbi intelligit infamiã, sed melius intelligas maculam aliquam grauem tamen: quoniam turpitudo videtur fœdam rem importare.

Scribet ei librum repudij. Dictio cheritat, quam repudium omnes hic vertunt: est acharat quod est succidere: vnde ad literam vertendum esset. Dabit ei librum succisionis, id est, indicãtem matrimonium inter eã & se succisum: significat etiã charat pangere seu pactum inire, & iuxta hanc significationem reddendum esset. Scribet illi librũ pacti scilicet dissoluti: aut pacti quod non se amplius reconciliabunt. Nec; nomen sepher significat propriè librum, sed aliquando librum, aliquando scripturam quamcunque: vt patet secundo regum. 5. vbi dicitur. Et mittam sepher, id est, literas, ad regem Israel. Tradunt autem Hebręi hic huius libelli formam hanc scilicet. In quarta sabbati, in. 20. mensis Siuan, id est, Maij anno quinquies millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, à creatione mundi: hic & in hac ciuitate, ego Iaacob, sic cognominatus, filius rabbi Iizchach, ex animo, atq; citra vllam coactionem dimisi & eieci hanc: quæ hactenus fuit vxor mea, filia illius rabbi: & concedo ei licentiam & potestatem, vt pro libito suo vadat quo voluerit, ducique possit, ab omni viro, neque eam quisquam prohibere præsumat in cuius rei testimonium dedi ei libellũ repudij, & schedam dimissionis: atque signaculum diuortij, iuxta constitutionem Mosis & Israelis, quam quidem formã habet rabbi Mosch de chozi in libro præceptorum. Erant autem Iudęi faciles in repudiandis vxoribus, ita quod quacunq; ex causa eas repudiabant: qua de re Christus eos valde arguit Mat. 19. Consueuerunt etiam gen-

tiles

Universidad de Deusto
Biblioteca

eiles vxores repudiare, & libellorum forma erat. Res tuas curato, res tuas tibi habeto. Extat leges repudij in codice Iustiniani lib. 5. titulo de repudiis. Sunt etiam leges Theodosij & Valentiniani. Sunt & Platonis repudium concedentis, & si rem ab antiquioribus repetere velis, habes leges Persarum & Medorum in libro Hester, quibus Vasti regina repudiata est. Item de socero Samsonis Iudicum decimoquinto, qui cùm existimasset priorem filiam Samsoni exossam, eam tradidit vicino suo. Constat autem ex hoc loco, duo ad huiusmodi diuortium requiri, scilicet, libellum & electionem à domo, quorum si alterum deesset non erat verè repudium, neque illa poterat alteri nubere, neque poterat maritus prior, eam reuocare etiam post mortem viri cui nupserat secundo, & constat tunc matrimonium dissolui postquam ista poterat alteri coniungi.

Postquam polluta est. Vocat hebraismus & lex fœminam pollutam, quę cum alio viro à suo rem habuit siue nubendo, siue adulterando, vt habes Ezechie. 33. Vnusquisque vxorem proximi sui polluit. Vnde omnis semine humano respersus, extra matrimonium seu vsum communem immundus seu pollutus reputabatur.

Quia abominatio est coram Domino omnis immunditia aut turpitudo. Dicitur abominatio coram Domino qui tunc summam munditiam etiam externam requirebat.

Et non pollues terram. Hebraicè est. Non peccare facies terram, sed dicitur terra peccare cùm polluitur, aut cùm fit obnoxia punitioni ex quibus constat peccatum sumi aliquando pro pollutione vt etiam Leuitici duodecimo annotauimus. Dicitur verò terra polluí ex eo quòd pollutā rem super se sustinet, aut quum res fœda aut turpis super illam iactatur, quemadmodum filij Iehudæ qui semen humanum in terram fundebant, eam corrumpere dicuntur Genesis trigesimooctauo. Sed mirum valdè est quòd ista reputetur pollutа respectu prioris viri etiam vidua, non autem respectu cuiuscunque alterius, cui poterat nubere post obitum secundi viri.

Non transibit super eum quicquam oneris militaris. Hebraicè ad literam est. Neq; transibit super eum omne verbum aut omnis res, & putarem eum hoc anno non solum à bello immunem, sed ab omni exactione & onere communitatis. Si tamen ad onus militare textum coarctes non prohibeo: licet alterum sensum magis probem.

Non capiet pro pignore, metam & catillum. Verbū chabal quod nostri ferè omnes accipere vertūt, non significat accipere, sed ligare & obligare, vt exempla monstrabunt. Nam Ezechielis decimooctauo habes Chabol lochabol, id est, obligando, nō obligabis. Et Nechemiæ primo Chabol chabalenu, id est, obligando obligauimus nos. Idem infra capite hoc. Quia animam, id est, vitam suam ipse chobel, id est, obligat, vnde hic potius obligare quàm accipere, vertendum puto. Aduerte etiam quod ptius nomen. f. rechaiim quod metam vertimus, videtur esse à ruach quod est spirare, seu flatum mittere, & significat superiorem farinæ molam, sic dictam quòd farinam spirare & flare videatur. Si tamen sit à raiach, quod est odorare significabit molam superiorem, quòd farinam quasi fumum seu odorem emittat. Secundum verò nomen, scilicet, racheb, est à verbo rachab quod est equitare aut potius sedere, vt patet Hester sexto. Equus quem rachab, id est, sedebam, & dicitur mola inferior à sedendo, quòd quasi sedeat semper, neque moueatur vt superior. Inuenitur etiam recheb currum significare & superiorem molam, quod agitetur veluti currus, & rechaiim inferiorem ratione iam dicta prior tamen alusio mihi magis probatur. Est ergo litera sic interpretanda. Non obligabit, scilicet, creditor in pignus metam, id est, molam superiorem, & catillum, id est, molam inferiorem. *Quia animam ipse accipit pro pignore*, id est, vitam, quoniam victum quo viuit mola lucratur, Dominus ipsius molæ.

Si inuentus fuerit furans animam. Explicat hic quandam legem quæ posita est Exodi vigesimoprimo, ibi enim dicitur. Qui furatus fuerit virum & vendiderit eum, & inuentus fuerit in manu eius, moriendo morietur, hic verò additur, è fratribus tuis filiis Israel. Vnde videtur furem hominis non fore mortis obnoxium, nisi ille fuisset Israelita, & capitur anima pro homine, & pro vendiderit est in hebræo contractum fecerit.

Si custoditus, in plaga leprę valde. Dupliciter potest hæc lex introduci, vno modo, vt admoneat eos custodire se à plaga leprę ne, scilicet, eam incurrant, & si incurrerint obseruēt ea quę scripta sunt Leuit. 13. & 14. Alio modo vt seruent legem domini, ne fortè eos percutiat lepra, prior tamen sensus germanior videtur licet sequens clausula secundo magis fauere videatur, ideò, scilicet, Miriam fuisse lepra infectam, quoniam non seruauit leges, aut murmurauit aduersus fratrem. Si tamen primum teneas, dicito Dominum præcipere eos seruare in plaga leprę iudicium sacerdotis, præsertim quantum ad separationem, quemadmodum seruatum est cum Miriam, quæ mansit ad septem dies extra castra vt dictum est Numeri. 12.

Non intrabis domum eius, ad retinendam retentionem. Alij vertunt, ad capiendum pignus: vt explicarent hebraicam sententiam. Vocat autem hebraismus pignus retentionem, quoniam retinet dominum, & obligat ad soluendum debitum aut quia retinetur à creditore Lata est autem hæc lex, ne creditor domum ingrediēs, rem summè necessariam aut multò maioris præmij quàm esset debitum acceiperet.

Non dormies cum pignore eius. Explicare videtur textus sequens hunc, vt, scilicet, ante Solis occasum restituas illi pignus, quia non debes dormire, id est, pernoctare pignore eius apud te retento. Si tamen diuersas sententias esse putes, potes vertere. Non dormies in pignore eius, id est, non vtaris pro lecto tuo pignore pauperis, cùm ipse egeat quemadmodum tu, & vt diximus in Exodo, dupliciter potest hæc lex intelligi, vno modo quòd singulis diebus tenearis ante Solis occubitum illud restituere, & hunc sensum omnes ferè sequuntur. Alio modo vt semel pro semper restituas, vt quamprimum acceperis, restituas ante Solis occasum, nunquam postea repetiturus, alioqui potius esses custos, quàm creditor pignoris, si tibi sit restituendum quoties Dominus indiguerit. Habes has leges Exodi. 22.

Ecce quomodo legis obseruatores dicebantur iusti coram Domino.

Erit tibi pro iustitia coram Domino. Id est, iustus reputaberis ab eo propter hoc opus, aut hoc opus reputabitur iustum coram Domino. Cùm enim Dominus voluerit te pro peccato punire, aut aliquid donare, memorabitur huius operis ad recompensandum, scilicet, dando bonum, aut auferendo malum. Similem loquendi modum habes Genesis. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi iustitia. Et in Psalmo. Dispersit dedit pauperibus iustitia eius manet in sęculum sæculi, scilicet, in hominum memoria, vel apud Deum ad remunerationem. Et memento hunc locum Lutheranis obiicere, quo manifestatur hominem operę charitatis iustificari, quemadmodum fide. Restituere enim pauperi indumentum quo dormiat, opus misericordiæ est, potius quàm fidei.

Non vim inferes mercenario pauperi, & egeno. Non omnino certa est significatio verbi assach Alij vertunt. Non opprimes aut non detinebis.

In die eius dabis mercedem eius. Id est, in die quo tecum seu apud te laborauerit, dabis illi mercedem, non detinendo vsque ad sequentem diem quod statim explicat dicens.

Non occumbet super eam Sol. Id est, ante occasum Solis illi restitues eam. Posset etiam verti. In die ipso, dabis mercedem eius.

Et erit in te peccatum. Id est, peccati pœna, aut revera peccatum, detinendo alienum Domino inuito.

Non morientur Patres propter filios. Necessaria fuit lex hæc. Audierant enim Deum visitaturum peccata parentum

parentum super filios, super tertios & super quartos, ne ergo putarent sibi, quod domino licere, præcipit ne propter peccata filiorum occidantur parentes, neque propter parentum peccata occidantur filij, sed vnusquisque moriatur propter peccatum suum. Posset etiā verti. Non moriantur patres super filios, id est, non occidentur simul cum filiis, pro peccato filiorum. Poterant enim Iudices si non possent filium qui morti obnoxius erat habere: patrem pro eo velle occidere, aut simul pro peccato filij, cum eo occidere, & vtrum que posset hic prohiberi.

Vnusquisque pro peccato suo morietur. Id est, vnusquisque. Aliqui cum Chaldæo interpretantur. Patres non morientur testimonio filiorum. Sed prior sensus germanior est.

Non peruertes iudicium peregrini. Hebraicè ad literam est. Non declinabis. Nam iudicium pauperum & pupillorum facilè peruertitur, quoniam non possunt illud requirere à Iudice aut vindicare, quemadmodum diuites & potentes.

Non capies in pignus vestimentum viduæ. Iuuat valdè locus iste sensum, quem hoc eodem capite & Exodi. 22. expressimus, cùm de pignore pauperis dominus statuit, sibi ante Solis occasum restitui, quod exposuimus non amplius ab eo repetendum, quemadmodum de pignore viduæ hic statuitur. Non enim magis videtur pignus viduæ illi omnino esse restituendum quàm pauperi, qui non habet quo dormiat nisi in illo, posset etiam verti neque retinebis.

Cùm excussseris oleam tuā, non deliries quæ sunt post te. De verbo chabat, nō est dubium significare excutere, vt patet Iudicū sexto, vbi dicitur Ghedhon filius eius chobet, id est, excutiebat tritica in area, sed significatio verbi paar vel paer, vtcunque ignota est. Nam Sanctes vertit deiicere. Munsterus scrutari. Hebræi dicunt significare decorare præsertim ramis, & deramificare, si Latini ita loqui permitterent, & meo iudicio hoc verbum est de his quæ contrarias habent significationes, & significat in Piel decorare & dedecorare, deramificare verò quod sit quodam dedecorare. Videtur enim arbor ramis & fructibus decorari, & sine eis indecora. Quòd autem decorare significet constat Isaiæ. 55. vbi dicitur. Et sanctum Israel quia pearach, id est, glorificauit aut decorauit te. Et capite. 61. hepaher, id est, ad decorandum locum sanctificationis meæ. Vnde peer, id est, decor aut corona quod sit decor ei qui eam gestat, & etiam tipharah, id est, decor gloria. De secunda vero significatione hic & non alibi (quod sciam) exemplum est, quod mihi vtcunque significationem hanc suspectam reddit. Est etiam ab hac radice purah, id est, ramus, & ab hoc nomine putat Rabbi Dauid deriuari hanc significationem, qua significat deramificare. Diximus satis de hac significatione Exod. 8. super illud Hitpaer, id est, gloriate super me. Est ergo locus iste sic restituendus. Cùm excusseris oliuas tuas, non deramificabis seu dedecorabis post te, scilicet, colligēdo oleas derelictas: sed illæ erunt peregrini & viduæ.

Cùm vindemiaueris vineam tuam, non colliges racemos post te. Sunt hic duo verba in hebræo, incertæ significationis, scilicet, basar & halal, quorum prius vertimus vindemiare, secundum racemos colligere. Hebręi dicunt prius, scilicet, basar significare vindemiare, munire, roborare, prohibere & excidere, sed expensis locis quibus verbum ponitur, videtur solum duo significare, scilicet, munire & vindemiare, in quibusdā tamen locis videtur cōgruere etiam prohibere, quoniam munitio solet homines prohibere, ne ingrediātur aut egre diantur. Disputauimus de verbi significatione satis, Leuitici. 25. quem locum cōsulere licebit. Posset verti. Cùm prohibueris vineam tuam, aut cùm munieris, quod solet esse tempore vindemiæ, quando vuæ sunt maturæ. Verbum verò halal, adhuc incertioris significationis est, quod Hebræi dicunt significare facere, inuoluere, dolore afficere, racemare seu vindemiare & illudere, sed meo iudicio verbum propriè significat racemare post vindemiam, aut scrutari racemos tēpore vindemiæ Nos significantius dicimus rebuscar vel rabiscar, id est, iterum quęrere postquā semel vidisti aut quęsiuisti. Diximus etiam de verbi significatione supra Leuitici. 19. Est ergo litera sic reddenda Cùm vindemianeris seu vt diximus prohibueris vineam tuam, non racemabis seu inuestigabis post te: sed erunt quæ remanent pupulli & viduæ.

IN CAPVT. XXIIII. DEVTERO. ad morum ornamentum adnotatio.

Si acceperit vir vxorem, & non inuenerit gratiam in oculis eius, scribet ei libellum repudij. Graue & periculosum valdè est, coram te semper habere quem odio habes, & multa mala hinc oriri solent, quare voluit pius legislator, potius diuortium permittere, quā mala quæ ex hoc odio sequūtur tolerare, qua in re etiam fœminas in officio continuit, quæ modestiores & humiliores ad suos viros erant, cum scirent eos potestatem habere repudiandi. In noua verò lege quando vir & vxor veluti fratres sese tolerare debent, ad sua primordia res deducta est, vt, scilicet, vnus vna sit vxore contentus, quam nulla ex causa à se eiiciat quoad vinculum: licet bene è domo.

Non poterit maritus eius primus, iterum accipere eam. Æquissima lex quæ virum & vxorem simul mulctat, & vxorem quidem in repudio, virum verò quia non poterat eam sibi reconciliare.

Non pollues terram. Fœdissima res peccatum est, quòd nō solum operantem maculat sed terram, quòd si huiusmodi carnis pollutiones, sic terram maculare solent, quid interiores facient maculæ?

Si acceperit vir vxorem nouam non egredietur ad bellum. Pia lex valdè hæc est, & quæ multum augendæ proli fauere videtur, in qua optime docemur non perturbare proximi nostri lætitiam. Vbi simul docentur mariti præsertim noui, quales se erga nouas vxores debeant exhibere, vt, scilicet, lætificent eas. Psalmo legis pro magno malo reputari, quòd iuuenes Israel comederit ignis, & quòd virgines eius non fuerint lætificatæ, scilicet, à maritis seu sponsis. Cùm etiam vita coniugatorum ferè tota in labore & tribulatione sit, voluit pius dominus ad annum saltem vnum, requiescere & gaudere Similiter docemur dare vnicuiq; grati quod suum est sicut iuuentuti gaudium, senectæ laborem suum. Hinc Christus. Non possunt, inquit, filij sponsi lugere, quandiu cum eis est sponsus.

Non accipiet pro pignore metam & catillum. Omnes hæ leges, summa pietate plenæ sunt, & docent, non esse à paupere accipienda instrumenta, sine quibus viuere nequit, idem de veste intelligendum docet. Quid ergo facitis creditores, omnibus feris & lupis crudeliores, qui nudos dimittitis pauperes indumenta tollentes, quibus non est alia vestis in hieme?

Caue tibi à plaga leprę. Admonentur hic vrbium rectores, vt morbos quos timent populum inficere posse, quantum possunt auertere curent, neque permittendus est morbosus in plebe quantumcunque nobilis sit, postquam Maria ducis soror, non est admissa ad castra ante sanitatem.

Non ingredieris domum eius ad capiendum pignus. Non solum pietatem, sed etiam vrbanitatem docet lex hæc, admonet enim non debere nos scrutari interiora domus proximi nostri eo inuito. Sunt enim homines in hac re tam curiosi, vt omnia quæ in domo proximi fiunt scire velint.

Tibi erit iustitia coram Domino Deo tuo. Mirabilis valdè est dignatio tua Domine, & admirabilioris erga nos amoris viscera tua, vt pro nostris beneficiis, te debitorem exhibeas, & ius aduersus te tribuas ei, qui in nos fecerit misericordiam, & præter hoc benedictionem à paupere consequemur.

In die eius dabis mercedem eius. Pessimè à nobis mercenarij solui solent, ita vt opus sit aliquando ad iudicem pro debita mercede recurrere, & re vera putarem homines male à suis superioribus solui, quia ipsi

male

Universidad de Deusto
Biblioteca

male soluunt operas mercenariorum suorum. Vix enim hominem reperias qui non conqueratur de mala solutione, quos si interroges an ipsi mercenariis suis soluant quod iuum est, deprehendes eos multò pluta illis detinere, quàm à dominis suis sibi detineantur & considera vt in litera sequitur, ne contra te clamet ad Dominum, & sit super te peccatum.

Non morientur patres pro filiis. Iniquum esse videtur, vt pœnam quam alter cõmerit, alter soluat, sed vnusquisque pro peccato suo moriatur, neque debent principes in omnibus sequi iustitiam Dei, quæ nonnunquam visitat iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, quam tamen legem temperasse videtur apud Ezechielem.

Non peruertes iudicium peregrini & pupilli. Debent Principes, Iudices suos maximè admonere: vt illis præcipuè ius dicant, qui minus iura sua requirere possunt. Diuites enim & potentes, Iudices vrgent, munera offerunt, & omnem lapidem mouent vt sibi ius dicatur, quod pauperes facere nequeunt, ideò ad illorum causas maximè aduertendum est.

Non reuerteris vt capias manipulum relictum. Auari animi est, omissum manipulum in agro requirere, & quæ iam ex obliuione, tua non erant, tua de nouo facere, & pulchrè hic docemur, vt omnia oblita aut neglecta à nobis, pauperibus exhibeamus, quoniam forte hac de causa voluit nos Deus horum obliuisci: vt pauperibus ea traderemus.

IN CAP. XXV. DEVTERONO, iuxta literam annotationes.

CVm fuerit lis inter viros, & appropinquauerint ad iudicium, iudicabunt eos, & iustificabunt iustum & impium decernent impium. Posset etiam legi & Appropinquabunt ad iudicium, & iudicabunt eos. Et per iudicium intellige actum quo Iudices ius litigantibus dicunt, aut locum iudicij, vnde supplendum est, ad iudicium Iudicum, scilicet, qui, scilicet, Iudices iudicabunt litigantes, & quod dicitur. Iustificabunt iustum, idem est quod iustum pronuntiabunt, & pro impium decernent, vnicum est in hebræo verbum, scilicet, impiabunt impium, si sic latinus sermo dici permitteret. Habent enim Hebræi, multa verba, quibus non respondet in latino sermone aliquod verbum.

Et erit si fuerit cædendus impius. Hebraismus sic ad literam habet. Et erit. Cùm filius percussionum impius, scilicet, fuerit, sed est hebraismus, sicut filius mortis filius perditionis, id est, dignus percussione aut proximus percussionibus, quem loquendi modum in hebraismis explicuimus.

Prosternere faciet eum Iudex, & percutere faciet eum coram se, secundum impietatem eius, in numero.

In tractatu de verberandis, apud Iudæos legitur, quòd verberandi, ambabus manibus columnæ alligabantur, & forsitan sic Christus fuit verberatus. Solebant etiam Iudæi ex traditione triginta nouem verbera incutere, ne forte excederent vna: vnde & Apostolus se accepisse gloriatur quinquies quadragenas vna minus. Nam quemadmodum, vesperam sabbati ad vnam aut alteram horam præueniunt, ne errare contingat, aut statutam horam non seruare, ita verbera minuunt ne contingat excedere, neque illud verum arbitror quòd verberandus deberet manibus columnæ alligari, cùm textus expresse eum deiicere præcipiat. 2. Corin. 11.

Erat autem coram Iudice verberandus: vt ipse moderetur me verbera tam in se, quàm in numero si videret reum inter ea debilitari, neque poterat Iudex numerum illum quadragenarium excedere. Et quod dicitur, secundum impietatem eius, hebraicè est. Secundum sufficientiam impietatis eius, & videtur dicere reum verberandum maioribus vel minoribus verberibus, prout impietas eius fuerit maior vel minor.

Vilescat frater tuus in oculis tuis. Non plenè constat quid propriè significet chalah, quod noster Sanctes hic vilescere vertit. Dicunt autem Hebræi significare torrere, assare, combutere, & vilem reputare Ieremiæ vigesimonono, Chalam, id est, combussit seu torruit eos rex Babel igni. Et Leuitici secundo, Spicam chalui, id est, tostam igni. Si autem radix nichal sit chalal, putarem tunc significare vilescere quemadmodum chalal, & per vilescere intelligo vilem de cætero reputari, quemadmodum viles reputantur qui verberantur: sed quia eo ipso quo verberatur reputatur vilis, siue parum siue multum verberetur, putarem hic per vilescere intelligi deturpari fluxu ventris. Ab hac enim radice est chichalon quod Hebræi dicunt significare ignominiosum vomitum. Abachuh. 2. Si verò priorem teneas significationem, reddenda est litera Ne fortè rigescat frater tuus in oculis tuis. Solet enim syncopim passi rigescere.

Non obturabis bouem in tritura sua, vel dum triturat ipse. Id est, non obturabis os bouis dum triturat ipse, quoniam indignum videtur quod non liceat illi comedere, de eo in quo laborat, & pietatem docet locus. Ponitur verbum chasam quod nostri obturare vertit. Ezechielis. 39. vbi sic habetur. Ve chosemet, id est, obturare faciet ipsa transeuntes, quoniã transeuntes claudent nares præ nimio fœtore cadauerum, inde machsom, id est, clausura seu instrumentum quo oris iumenti coniungitur ne comedat. Psal. 39. Posui custodiam ori meo, machsom, id est, clausuram, quod Hieronymus silentium vertit.

Cùm habitauerint fratres pariter ipsi, & mortuus fuerit vnus ex eis, & filius non est illi, non erit vxor defuncti extra, viro alieno. Intelligunt Hebræi per habitare fratres pariter, habitare in eadẽ ciuitate vel villa, eodem tempore, vnde si alio loco habitaret, nõ teneretur eam ducere. Per virum verò extraneum, intelligunt eum qui est ex alia familia.

Cognatus eius ingredietur ad eam, & capiet eam sibi in vxorem, & affinitatem contrahet cum ea.

Licet non plenè cõstet quid significet iabam, quod vertimus affinitatem contrahere, & similiter iabam quod cognatum, hæ tamen significationes communiores sunt. Dicit autem Gerundensis ante legem ius agnato proximiori fuisse, excitandi de mortui propinqui seminis: per legem verò, restrictum ad fratrem. Sed quòd ante legem fuerit consuetudo vt frater, defuncti fratris semen suscitaret constat ex verbis Iehudæ Genesis. 38. Quòd verò lex hic non restringatur ad fratrem, ex eo constare videtur, quòd dicitur cognatus eius ingredietur ad eam, quod firmari videtur exemplo Booz qui genuit Obed ex Ruth, quam iure propinquitatis accepit, quare crediderim hoc ius primum cõuenisse fratribus, qui si non essent, tunc cõuenisse propinquiori. Quia tamen hic sequitur. Et erit primogenitus quem pariet, stabit seu surget nomine fratris: videtur posse teneri legem de solis fratribus loqui. Ponunt autem Hebræi septem conditiones ad hunc contractum requiri, quarum prior est, quòd simul habitẽt in eadem villa vel ciuitate, eodem tempore, & vtriusque possessio in eodem sit loco. Secunda vel alter frater sine semine decedat. Tertia quod maior inter superstites fratres eam accipiat. Quarta quod non tenetur frater defuncti natus post fratris obitum, eam accipere. Quinta quòd filius primum natus, censeatur defuncti fratris, non illius qui genuit, & loco illius succedet. Sexta vt mulier marito defuncto, expectet ad tres menses: vt cognoscatur an manserit grauida. Septima vt nollente fratre eam accipere, seruetur lex quę statim sequitur.

Non delebitur nomen eius ex Israel. Hæc est ratio legis. Gaudent enim homines sibi similem relinquere loco sui, qui eos repræsentare videatur: vnde Ecclesiastici trigesimo dicitur de filio probo. Mortuus est pater eius, & quasi non sit mortuus. Similem enim sibi reliquit post se.

Loquetur ad eum. Scilicet, suadendo & rogando vt accipiat eam.

Soluet calceamentum eius è pede eius. Verbum chalats significat soluere aut separare. Hebræi tamen multas alias

tas alias significationes verbo tribuunt, de quibus sæpius diximus. Potes etiam vertere. Et separabit.

Et spuet in faciem eius. Verbum Iarach significat propriè excreare viridem excreationem: vnde ierach, id est olus viride & iatoch viride, vnde verti posset. Et excreabit. Si quæras quid significet huiusmodi excreatio & discalceatio. Putarem esse signa abominationis & vilitatis. Illa enim in quæ expuimus reputamus abominabilia, similiter viles reputamus, qui nudis incedunt pedibus, aut nudatio pedis significabat hominem omnem humanitatem erga fratrem suum exuisse.

Si rixati fuerint homines pariter. Admonui sæpius verbum nassah potius significare eleuari quàm rixari: vnde nossah, id est, pluma sic ab eleuatione dicta, & nes, id est, accipiter sic à nimia eleuatione dictus. Posset etiã significare deplumare, si hoc verbum latinum sit, vt sit sensus. Si deplumauerint se viri. Vocat autem deplumare, capillos euellere, quemadmodum pulli solent corrixari adinuicem rostro plumas euellentes, aut si leuauerint se, scilicet, alter in alterum.

Miserit manum suam, & roborauerit seu *roborare fecerit se in verenda ipsius.* Sanctes vertit hic apprehenderit, sed verbum chazach significat propriè roborare & fortificare: vt patet Genesis. 41. vbi dicitur Chazach id est, fortificauerat se fames in terra, & est sensus. Et fortiter manu apprehenderit verenda eius. Abus quod est verecundari seu pudore afficere vel affici, est mabus, id est, verenda aut confusio. Adnotarunt hic Hebræi nullum esse nomen in lingua hebræa, quod propriè pudendum aut inhonestum significet, ideoq; putarunt linguam vocari sanctam.

Succides manum eius. Verbum chasah, videtur significare præcidere extremitatem alicuius rei, vnde chaseh, id est, finis extremitas, aut rem vsque ad finem seu extremitatem succidere. Chabachu. 2. consuluisti pudorem domui tuæ, Chesot, id est, succidendo vsque ad extremum, populos multos. Voluit autem Dominus fœminam tam seuerè puniri, quoniam impedire volebat membrum generationis, & multiplicationem seminis, quantum in se erat impedire quæ erat præcipua illius populi promissio.

Non parcet oculus, id est, non misereberis illius, quantumcunque sit mulier, & manus membrum valde necessarium.

Non erit tibi in sæculo pondus & pondus. Dictio chis quam vertimus sæculum, significat marsupium loculum & sæculum, vt patet. Prou. 1. vbi dicitur Chis, id est, marsupium vnum sit omnibus nobis. Hebraicè etiã pro pondus & pondus, est lapis & lapis, quoniã quondam pondera saltem pauperum, erãt lapides, sicut modò in multis locis apud nos, qui non possunt habere ferrea, habent lapidea. Prohibet ergo Dominus habere pondus & pondus, id est, diuersa pondera quemadmodum aliqui habent, alia, scilicet, maiora & grauiora ad recipiendum seu emendum, alia verò, scilicet, leuiora ad dandum seu vendendum: vnde Micheæ. 6. Et in sæculo lapides doli, scilicet, habẽt, id est, dolosa põdera: vnde litera statim suo modo explicat quod dixerat, pondus & pondus dicens maius & minus.

Non erit tibi in domo tua Ephah & Ephah, id est, mensura diuersa, maior & minor, & sæpius admonui Ephah esse mensuram aridorum & secũdum Hebræos continebat tria sata.

Pondus perfectum & iustum erit tibi. Hebraicè lapis integer & iustus: sed vt diximus lapis pro pondere accipitur, & præcipit integrum esse, quoniam facilè pars lapidis frangitur & pondus minuitur, qua de causa solent põdera ferrea fieri, & quod additur iustum, idem est quod per Iudices approbatum. Idem de Ephah.

Et caudam succidit in te omnium debilium. Vnicum verbum est in hebræo, quod significat decaudare: si Latini nos sic loqui permitterent. Significat etiam nomen zanab caudam. Iudicum decimoquinto vbi de Sansone dicitur, quod vertit zanab elzanab, id est, caudam, scilicet, vulpis ad caudam alterius vulpis. Et quod dicitur debilium, nomen necessalim, id est, debilium, nusquam nisi hic in scriptura reperitur. Danielis tamen secundo inuenitur Chaldaice. Quemadmodum ferrum comminuit, & chassel, id est, debilitat omnia, & per caudam abscindere intelligit extremos in castris, qui erant debiliores.

Et eras lassus & fatigatus. Confundunt hic meo iudicio Hebræi duas radices, scilicet, vph & iahaph. Citant enim in vph (quod propriè significat volare) ea quæ sunt ex radice iahaph, quod est lassare. Significat ergo hic haieph lassum à iahaph vt diximus, quod est lassare. Sequens verò verbum, scilicet, iaga, quasi idem significat quod iahaph, scilicet, laborare, fatigari, & lassum esse, propria tamen significatio videtur esse laborare, vt patet Iehosuah. 24. vbi dicit Dominus. Dedi; vobis terram, in qua non iagata, id est, laborasti, vnde hic verti posset. Et tu eras lassus & laboraueras.

Delebis memoriam Hamalech de sub cœlis. Verbum machah significat eradere, tergere & abstergere. Disputauimus abundè de verbi significatione Genesis. 6. & Exodi. 32. aut delere tergendo.

IN CAPVT. XXV. DEVTERO. ad morum ornatum adnotatio.

SI fuerit lis inter homines. Quid opus est Domine Deus, hæc tam sæpius Iudicibus inculcare, vt scilicet, ius dicant vnicuique secundum iustitiam & veritatem? Impetuntur & solicitantur tam frequenter Iudices ab his qui coram eis litigant, vt nisi crebro admoneantur & roborentur, facilè à rectitudine animi declinabunt.

Prosternere faciet eum Iudex. Quemadmodum tu Domine Deus in medio iræ misericordiæ recordaris, ita voluisti seruos tuos Iudices, in iudicio non sæuire sed emendare: vbi etiam aduerte impie, quomodo debeas te coram Iudice tuo prosternere, & deiectionem veluti peccator ostendere. Docet etiam dominos ac parentes seruos & filios castigare: non tamen in eos sæuire. Audiant hoc qui seruos suos præsertim Æthiopes crudeliter verberant, atque ferè (lardi pinguedine accensa) assant, quo quid crudelius esse possit ignoro. Mementote fratres, qualem erga vos Deum in punien dis vestris peccatis desideratis, & tales vos erga seruos castigatores non tortores exhibete.

Non obturabis boui triturãti os. Docentur hic principes & domini, ministris suis necessaria ad vitam exhibere, neque suis negare ea in quibus laborant.

Cognatus eius ingredietur ad eam. Mirum valdè est, quanta solicitudine Dominus curet naturalia desideria nostra complere, vt licet mori necesse sit, optimum tamen modum inuenit, quo nos quodam modo perpetuare & immortales vtcunq; faceret, volẽs fratrem, defuncti fratris vxorem accipere, prolemque gignere, quæ fratris personam referret & nomen. Simulque docuit, qualis debeat esse inter fratres amor, & quomodo debeant res eorum curare ac si suæ essent.

Vocabunt eum seniores ciuitatis, & loquentur ad eum. Non dedecet Iudicem reum rogare, vt iuribus obediat & legibus, & postmodum si renuat iuxta leges patrias punire.

Soluet calceamẽtum è pede eius, & spuet in faciem eius. Non solùm verbere, sed etiam opprobrio & dehonestatione, debent rei aliquando puniri, quoniam sæpius magis sentit homo dehonestari, quàm mori. Docentur etiam hic fœminæ, quales erga defunctos viros se debeant exhibere, vt quoad possunt velint honorem ac nomen eorum seruare.

Accesserit vxor viuus, vt eruat virum suum. Non prohibetur vxor hic defendere & eruere virum suum, si eum videat male tractari: sed ne impediat id, cuius causa & ratione in pretio est. Ad quid enim mulier in mundo, si non sit generatio prolis? Non debet ergo prolem impedire, cuius gratia honoratur.

Non erit tibi pondus & pondus in loculo. Omnia curat, omnia admonet, prudentissimus legislator: nouit enim quæ mala eueniant ex falso & iniusto

pondere

Universidad de Deusto
Biblioteca

pondere & mensura. Debent etiam ministri boni communis, omnia hæc explorare, & videre an fiant huiusmodi fraudes, quæ tanto deteriores sunt, quanto prætextu iustitiæ fieri solent. Pondus enim eo ipso quo pondus est, iustum esse creditur, quòd si inæquale & iniustum sit, homines prætextu iustitiæ decipit.

Quatuor, ob quæ Dominus hominibus prolixam vitam pollicetur vitam.

Vt prolongent se dies tui. Propter quatuor pollicetur Dominus hominibus prolixam vitam, scilicet, ob pietatem erga parentes, si scilicet, eos honorēt, ob pietatem in aues seu bruta, propter recessum ab immunditia, & ob iustitiam seruatam in pōdere & mensura. Si ergo vitam prolongare vis, Sis pius ac iustus & ab immunditiis recedas.

Quia abominatio Dei est omnis qui facit hæc. Omnia abominabilia terra reiicit à se, aut saltem reiicere cupit, & cùm impietas & iniustitia sint abominabilia apud Deum, non mirum si terra non sinat super se viuere impios, iniustos & immundos.

Memento quæ fecerit tibi Hamalech. Et si Dominus nos vt plurimum velit malorum nobis illatorum oblitos: beneficiorum verò memores, est tamen tam magnum malum afflicto addere afflictionē præsertim si te non læserit vnquam: vt in hac re oblitos, vindictæ voluerit esse memores, quare maximè cauendum tibi est, ne debilem aut percussum percutias. Audi Psalmistam Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum eorum addiderunt. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Et alio Psalmo. Persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Habes etiam hic communitatem debere vindicare mala, quæ fiunt membris ipsius communitatis. Et licet Dominus Leuitici decimonono præceperit non debere esse memores iniuriæ ciuium: hic tamen præcipit communitatem memorari.

IN CAPVT. XXVI. DEVTERO.
iuxta literam annotatio.

Et erit cùm ingressus fueris in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi. Statuit hic lex quomodo post terræ promissæ ingressum, deberēt gratitudinem Domino ostendere, profitendo se iam accepisse, quod Dominus pollicitus fuerat patribus eorum, terram, scilicet, fructiferam & pinguem, prout fructus, quorum primitias afferebant, testabantur.

Accipies de priori omnis fructus terræ, id est, de primis fructibus omnis terræ, & videtur hoc præceptum non obligare eos ad hoc omni anno facere, sed semel, quàm primum essent terram ingressi, tenebantur tamen præter hoc singulis annis offerre primitias sacerdotibus: vt dictum est supra capite. 18. Dicit autem Rabbi Selomoh ex septem rebus primitias duntaxat dandas, scilicet, ex frumento, hordeo, vino, oleo, malogranatis, ficu & palma: olerum verò non tenebātur dare, vnde Christus Mat. 23. Pharisæis obiectat, quod ostentatione maioris institiæ, deciment mentam, anethum, & omne olus. Hic tamen præcipit ex omnibus fructibus, primitias offerre.

Pones in canistro. Dictio tene, canistrum vel sportam Hebræis significat. Hieronymus tamen cartallum vertit, & infra. 28. vertit horreum: vbi dicitur. Benedictum tanacha, id est, horreum tuū, quod alij sicut hic, canistrum vertunt.

Vt habitet nomen eius ibi, id est, locus à nomine domini denominetur, quandiu ibi fuerit: vt vocetur domus Dei in qua habitat Dominus: vbi enim moratur nomen alicuius, ibi ipse morari dicitur.

Annuntiauí hodie Domino Deo tuo, id est, manifesto coram eo. Aliqui vertunt. Profiteor, sed verbum propriè significat annuntiare: licet quasi in idem redeat. Genesis tertio. Quis higid, id est, annuntiauit tibi quòd nudus esses?

Et ponet illud coram altare Domini. Hebraicè est. Et requiescere faciet illud: vnde videtur, quòd ad aliquod spatium debeat esse coram Domino.

Et respondebis & dices. Melius vertas. Et humiliabis te & dices, quoniam anah & respondere & humiliari significat: vt sæpius probauimus & patet. Threnorum quinto. Mulieres in Sion himnu, id est, humiliauerunt.

Sirus peribat pater meus. Obscurus vtcunque est locus: sed aliter meo iudicio reddendus, quā verterit Sanctes sic, scilicet, Sirus, id est, Laban qui erat Sirus perdens, id est, perdere volēs, patrem meum, scilicet, Iacob. Voluit enim eum perdere, cùm eum persecutus est: vt habetur Genesis. 31. vnde Munsterus vertit. Sirus conatus est perdere patrem meum. Si tamen Sanctis sententiam teneas, sensus est: ac si esset Sirus periebat pater meus seu in Siria: nisi Dominus inde eum adduxisset, prior tamen lectio mihi magis probatur.

Fuit ibi in gentem magnam. Melius vertas in gentem excelsam, robustam & multam.

Et malefecerunt nobis Ægyptij & humiliauerūt nos, Posset etiam verti. Et contriuerunt & proposuerunt super nos: hebraicè est. Dederūt super nos seruitutem duram, sed sensus redditus est.

Vidit afflictionem nostram, & laborem nostrum, & oppressionem nostram. Inspectis vocabulis hebraicis, melius vertas. Vidit humiliationem nostram, labotem nostrum, & angustiam nostram, seu coarctationem.

In signis & portentis. Dixi sæpius discrimen quod ponunt Hebæri inter, Ot, id est, signum, & mophet, id est, portentum quod mophet respiciat futurum.

Ponet ea coram Domino. Melius relinquet, quoniam ianach à quo hinachto relinquere significat.

Et lætaberis in omni bono. Scilicet, gaudendo & comedendo: vnde constat cibum & potum ad lætitiam pertinere: vt Hebræi dicunt.

Cumque compleueris decimare omnem decimam prouentus tui anno tertio anno decimæ, id est, anno quo teneris decimam dare Leuitis, quod erat singulo tertio anno vt dictum est capite decimoquarto huius libri. Solebant & tenebantur Iudæi singulis annis Leuitis decimas dare, quibus completis tertio anno soluebāt. Tertiam decimam tunc dabis Leuitæ, &c.

Abstuli sanctitatem è domo. Verbum bahar, id est, abstuli vt sæpius admonui, significat propriè comburere & depascere, & hic etiam hæc secunda significatio quadrat: vt sit sensus. Depascere feci seu comedere feci sanctitatem, id est decimam quam Domino sanctificaueram aut separaueram, quæ quidem sanctitas erat in domo mea seruata. Si tamen auferre vertas, non male interpretaberis. Munsterus vertit. Separaui.

Non comedi in labore meo ex eo, & non cibaui me ex eo in immunditia, & non dedi ex eo pro mortuo. Obscurus vtcunque locus est, & videtur iste esse sensus. Quantum potui feci, ne ex huiusmodi decimis pauperum comederem, neque comedi ex eis in labore seu necessitate mea, neque, cùm essem immundus, aut neque cum immundis. Forsitan putabant immundi, sibi licere omnia comedere. Alij vertunt. Nihil ex ea expendi in re immunda seu prophana, neque cibaui ex ea immundum seu prophanum qui non esset Leuita vidua, aut pauper, neque dedi ex eo pro mortuo, quoniam gentes solebant (vt eis videbatur) mortuos cibare certis diebus: vt legitur in historia sancti Petri epularum. Alij ad curandam rem funebrem, vt est arca & alia quibus mortui deferebātur, in quibus pij homines aliquid insumebant, aut in cōuiuio quod solebat fieri in die obitus alicuius, quemadmodum vsque hodie fit in multis Christianorum regionibus. Aut ad aliquem interficiendum, vnde Prouerbiorum. 31. Ne dederis vias tuas ad perdendos reges. Difficilem reddit locū ignorantia proprię significationis verbi baar, quod aliqui vertunt auferre, alij perdere, nos verò pascere seu cibare.

In toto corde tuo & in tota anima tua, id est, tota intentione & voluntate.

Dominum exaltasti hodie. Verbum amar, dicere potius significat quàm exaltare, potest tamen sumi pro exaltare,

exaltare: sed propria significatio tolerari potest, vt sit sensus dicere fecisti hodie quòd esset tibi Deus in Deum: ac si dicat hodie ore tuo professus es, te habere Iehouah pro Deo tuo, similiter te seruaturum statuta præcepta & iudicia. Similiter Dominus dicere fecit, id est, etiam ore professus est, quòd tu sis illi in populum peculiarem, aut quòd esses illi populus peculiaris.

Ponat te super omnes gentes quas fecit, ad laudem & nomen & gloriam. Alij legunt, vt sis in laudem, nomē & gloriam. Sunt enim omnes gentes in laudem Dei, quoniam laudatur ab eis & quòd eas fecerit, & in nomen quoniam famam acquirit ex eo quod fecerit eas, & ad gloriam seu decorem quoniā glorificatur à gentibus aut quod eas fecerit. Mihi tamen secunda lectio magis placet, vt scilicet, loquatur de populo Israel, ex cuius munditia & sanctitate, Dominus acquisiuit laudem, nomen & gloriam, quemadmodum dominus ex bonitate & munditia serui, acquirit omnia hæc. Audi Dominum apud Isaiam ca. 49. dicentem. Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. Et Zacha. 10. dicit se posuisse eos tanquam equum glorię suæ, & causa quare ponat eos in gloriam subditur, cùm dicitur.

Vt sis populus sanctus. Id est, separatus ab omni immunditia, & cultui meo applicatus.

IN CAPVT. XXVI. DEVTERO.
iuxta mores annotatio.

Annunciaui hodie Domino Deo tuo, quia ingressus sum terram super quā iurauit Dominus patribus nostris. Quid sibi vult Domine Deus mi, protestatio hæc? Nonne sermo tuus veritas est? Nonne ea omnia quæ pollicitus es opere comples? Nouit Dominus mendacia nostra, nouit & ingratitudinem nostram. Dissimulamus bona, præterimus accepta beneficia, nō respondemus promissis nostris, etiam si videamus Deum omnia sua promissa cōplesse, quare voluit nos coram sacerdotibus profiteri eius veritatem, & terræ primitiis hoc attestari.

Sirus perdens patrem meum. Pulchrè admodum docet nos locus iste, non vnicum beneficium coram Deo referre, sed omnia præsertim præcipua simul & gratificari, & cuperē Christianos huius professionis memores: vt semel saltem in anno profiterentur summa Dei beneficia præsertim redemptionē, quā misit Dominus populo suo. Vbi simul disce non solum tibi, sed patribus tuis exhibita beneficia referre, quemadmodum isti faciebant. Aduerte etiā quantum malum sit, apud inf deles perire, aut inter eos mori, etiam si fidelis moriaris. Sirus (inquiunt isti) peribat pater meus.

Peregrinatus est ibi cum viris paucis, & fuit ibi in gentem magnam. Solēt sancti crescere & multiplicari persecutionibus: vt discas eos qui sanctos se delere ac perdere putant, potius eos multiplicare suis persecutionibus. Nam quāto magis eos opprimebant Ægyptij tanto magis multiplicabantur & crescebant. *Exod. 1.*

Vidit afflictionem nostram, & laborem nostrum, & oppressionem nostrum. Solet Dominus non perfunctoriè sed oculatè & sigillatim seu ad numerum, videre tribulationes sanctorum, quemadmodum ministeria & obsequia. *Videt Dominus per singulas sanctorū tribulationes.*

Eduxit vos ex Ægypto, cum potentia et brachio extēto. Quid opus est Domine Deus, neruos potētiæ tuæ extendere, brachiū eleuare: ac roborare te, vt iustos tuos à laboribus eruas: nisi vt ipsi videāt dilectionem tuam erga se? Magnificauit Dominus (ait sanctus Lucas) misericordiam suam cum parentibus Ioannis baptistę vt maiora bona illis conferret. *Luc. 1.* *Extollit se dominus vt beneficiat sanctis.*

Attuli primitias fructus terræ, quam dedisti mihi Domine. Quis daret nos talem in donis Dei semper habere mentem: vt illorum ei primitias offerentes, profiteremur nos cuncta ab eo habere.

Lætaberis in omni bono, quod dederit tibi Dominus deus tuus. Læto & hilari animo suscipienda sunt munera Dei, & in eis cum pauperibus ac pupillis gaudendum: vt ostendat tibi Dominus, cum quibus debeas munera eius expendere, qua in re etiam disce, quali fronte debeas eleemosynam elargiri.

Abstuli sanctitatem è domo. Docentur hic homines, ea quæ sunt danda Domino veluti sancta non comedere, scilicet, decimas, & primitias, sed quàm citius possunt ea è domo sua eicere, & seruis domini ac pauperibus dare.

Non comedi in tristitia mea. Docentur hic homines restringere se, ne quæ pauperibus & ministris sunt debita, in sua necessitate consumant, contra eos qui quāe primum indigent quę sunt ministrorum & pauperum absumunt.

Benedic populo tuo Israel. Iste bona fecit, Deiq; sui præcepta impleuit, & tamen præmium suorum bonorum operum nō tam sibi quàm populo suo, à domino postulat, vt doceat priuatos in bonis operibus suis, nō tam proprium quàm commune præmium quærere. Similiter merita nostra non solum nos, sed etiam communitatem cuius membra sumus iuuare.

Dominum professus es hodie. Postquam Dominus Deus huiusmodi professionibus & protestationibus gaudet, cur non frequenter eas faciemus illi, vt ipse etiam nos profiteatur populum suum esse? Qui me (inquit) erubuerit coram hominibus, hunc filius hominis erubescet coram angelis Dei. *Luc. 9.*

Vt sis in laudem & nomen & gloriam. Docet te hic ō homo deus tuus, qualem esse debeas: vt scilicet, propter te laudetur, nominetur & glorificetur, quod facilè fiet, si adnitaris vt sis sanctus & impollutus domino Deo tuo.

IN CAP. XXVII. DEVTERONO.
iuxta literam annotatio.

Et præcepit Moseh & seniores Israel populo. Omnes ferè nostri sic vertunt: sed quia sequitur, quæ ego præcipio tibi, puto solum Moseh vice domini præcepisse, & vertendum esse. Et præcepit Moseh senioribus Israel, & populo dicendo:

Custodi omne præceptū, quod ego præcipio vobis hodie. Loquitur de præceptis professionis vt infra explicatur & benedictionibus & maledictionibus populo proponendis in monte Gherizim & Hebal, & de lapidibus ponendis in Iarden.

Statues tibi lapides grandes, id est, eriges, scilicet, vnum super alium in medio, scilicet, fluminis.

Et linies eos calce. Dicunt Hebræi verbum sud, significare linire, & meo iudicio sud sadad & sadah sunt eiusdem significationis. Dicunt verò sadad, significare agrum colere, vnde sadeh, id est, ager, scilicet, cultus, quare sud, significat æquare, componere ad modum agri culti, & ex cōsequenti significat incrustari & linire quod nihil aliud esse videatur quàm æquare. vnde hic etiam verti posset. Et æquabis eos æqualitate seu linitione, quoniam nomen sit, eiusdem significationis est cum verbo. Quia tamen Isa. 33. vbi dicitur. Et erunt populi incēdia sid, id est, calcis. Et Hamos. 2. Eò quòd cōbussit ossa regis Edom lasid, id est, in calcem, seu ad modum quo calx comburi sōlet: videtur melius vertendum, linies eos calce aut calcificabis eos calce: si sic loqui sermo latinus permitteret, quemadmodum nostri vertunt. Super calcem verō describenda erat lex, id est, maledictiones, aut lex quæ posita est capite superiori, quod, scilicet, profitentur se habere Deum pro Deo suo, & quod Deus profitetur se habiturum Israel pro populo suo, vt inferius explicatur ibi, scilicet. Ausculta & audi Israel. Die hac factus es in populum domino Deo tuo.

Non leuabis super eos ferrum. Scilicet, ad dolandum eos.

Et lapidibus perfectis ædificabis altare Domini. Clarius vertas integris, quibus, scilicet, nulla particula desit.

Declarando bene. Significat verbum beeer propriè declarare, vt diximus primo huius libri capite: hinc beer, id est, puteus sic dictus à claritate aquæ, aut quia discoopertus & clarus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auscultа & audi. Ignorant, meo iudicio, Hebræi quid propriè significet verbum sachat, quod vertimus auscultа, quoniam in scriptura nusquam nisi hic inuenitur, vnde Rabbi Ionah vertit hic. Suscipe. Inuenitur tamen Hamos quinto nomen sichut, quod dicunt idolum significare. Dicitur enim. Et portastis & Sichut, id est, idolum, alij receptionem, alij onus voluntarium: vnde in lingua Ismaelitica, dicit homo socio suo Sachet, id est, porta dominum.

Die hac factus es in populum, Domino Deo tuo. Scilicet, propter professionem factam superiori capite, iam antea populus erat, sed modò de nouo factus dicitur, propter renouatum fœdus.

Isti stabunt super maledictionem. Id est, ad maledicendum. Et aduerte quod benedicere hic, est bonum à Domino precari, maledicere verò, est malum ab eo poscere transgressoribus. Dicunt autem Hebræi sex tribus stetisse super vnum montem, & sex super alterum, sacerdotes verò cum arca Domini mansisse in valle intermedia. Aduotant etiam filios liberarum stetisse ad benedicendum, filios verò ancillarum ad maledicendum, inter quos mansit Reuben, quoniam à sua dignitate propter peccatum deiectus est quod non credo.

Qui fecerit sculptile & conflatile. Hebraicè est qui fecerit sculptile & fusum, & per sculptile intelligit dolatum in ligno vel lapide, per fusum id quod ex metallo liquefacto funditur, ac si dicat. Maledictus qui aliquod colendum fecerit, siue ex lapide siue ex ligno siue ex metallo fuso.

Et ponit in abscondito, vt scilicet, furtiuè illud colat, quoniam idololatriam publicam, magistratus punire tenebatur.

Dicent Amen. Admonui sæpius à verbo aman quod est stabilire & firmare, esse amen, quod est stabilitum, firmum: & ita isti respondebant, ita sit, firmum sit, stabiliatur, quod videlicet talis sit maledictus.

Maledictus vilipendens patrem suum. Verbum chalah, secundo significat leuem reputare, despicere. Videtur enim idem significare quod Chalal.

Maledictus attingens terminum socij sui. Non plenè nota est significatio dictionis masig, quæ hic in hebræo ponitur, alij vertunt pro attingere transferre, sed dictio, meo iudicio, significat retrocedere seu retrahere, & vertendum puto. Maledictus qui contrahit terminum socij sui: vt strictiorem faciat hæreditatem eius.

Qui reuelat alam patris sui. Accipitur hic patris vxor, pro matre & pro nouerca, & præcipuè est sermo de nouerca, quoniã ficilius homo cum ea rem habet, quàm cum matre & per reuelare intelligit detegere, & per alam intelligit fimbriam vestimenti, quæ modum alæ habet, & veluti ala auem, tegit hominem, & dicitur reuelare fimbriam patris, quoniam fimbria vxoris fimbria est viri sui, cùm in eius solius sit potestatis eam ad concubitum detegere, & quemadmodum horrendum filio esset, oram patris sui detegere: ita debet horrere detegere oram seu fimbriam nouercæ suæ.

Reuelare alam patris est cũ vxore eius coire.

Capiens munus, vt percutiat animam. Id est, pecunia interficiens hominem, & capitur anima pro vita, & vt lictorem seu ministrum iustitiæ excludat ab hac maledictione & magistratum addit, sanguinem innocentem.

Maledictus qui non statuerit verba legis huius, id est, qui quantum in se est non compleuerit ea quæ in hac lege dicuntur, aut penes se non firmauerit se seruaturum. Et considera legislatoris prudentiam. Æditerat iam leges ac punitiones pro peccatis manifestis, & quę testibus poterant probari, nunc verò prohibet occulta & punit ea maledictione, quæ vt plurimum occultè fiunt, iuxta illud Psal. 108. Induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua interiora eius, & sicut oleum in ossa eius.

IN CAPVT. XXVII. DEVTERO.
ad morum elegantiam adnotatio.

Statues tibi lapides grandes. Admiranda valdè est hominis inconstantia & instabilitas: vt opus sit domino tot testes adhibere, ad eum in promissis retinendum. Isthuc enim tendunt huiusmodi pacti renouationes, eiusque in lapidibus descriptiones vt Fidigraphi, non possent promissa mentiri. Voluit autem Dominus hoc testimonium poni in monte Hebal & in Iarden: vbi erat terminus & initium promissæ terræ, vt testarẽtur huiusmodi scriptura, se in illis promissa complesse, restare verò, vt ipsi etiam promissis suis starent, non colendo alium Deum.

Ædificabis ibi Deo altare. Vbi accipis promissa, iustum est vt ibi gratias agas & beneficia referas.

Declarando diligenter. Pulchrè locus iste docet legislatores, non confusè neq; obscurè, sed clarè & apertè leges & statuta sua populo proponere: vt nullus sit postmodum ambigendi locus, neque iuris prudentes scripta sua in immensum multiplicent. Deus autem illud fieri iussit, ne Iudæi postmodum pacti ignorantiam prætenderent.

Locutus est Moseh & sacerdotes Leuitæ. Voluit sanctus Moseh sacerdotes inducere ad munus legis explicandę: vt populus de cætero eos docentes libentius audiret, sciens sibi munus à Deo & seruo suo Moseh demandatum.

Die hac factus es in populum Domino Deo tuo. Nescit vulgus munera diuina prout decet æstimare, quare Prælatorum & superiorum est, eorum pretium hominibus inculcare, quemadmodum facit nunc sanctus legislator. Ignorabat enim Israel, quanti faciendum esset, quòd aliquis populus sit populus Dei, & quanta sit eius dignatio acceptare gentem aliquam in populum suum, quod Moseh nunc clarè ostendit eis, quod etiam multis aliis locis facit.

Isti stabunt ad benedicendum. Nullum lapidem non mouet Deus, vt nos ad obseruantiam suarum legum inducat, præmiis, promissionibus, ac benedictionibus nonnunquam allicit, nonnunquam minatur magna mala, multiplicat benedictiones & maledictiones, sed superba mens nostra, neq; blanditiis neque minis mouetur. Quo in loco illud etiam aduertẽdum est, homines videlicet liberos & benedictos, electos ad benedictiones imprecandas, ex seruis verò natos, ad maledicendum: vt tam maledictiones quàm benedictiones, ex autoribus robur & efficaciam haberent.

Et ponit in abscondito. Ne putarent homines impunè & in abscondito posse peccare, ferit maledictionibus huiusmodi peccatores, ne ergo ô homo publicè pecces, magistratum time, ne autem in abscondito, time maledictionem Domini.

Maledictus vilipendens patrem suum. Sunt quædam vitia quę homines pro nihilo reputant, qualia sunt parentes vilipendere, terminum seu stipitem mutare, cæcum errare facere, iudicium viduæ & pupilli peruertere, quæ tanto sunt graviora, quanto in imbecilliores fiunt, quæ meritò à Domino anathemate puniuntur. Graue enim est in cæcum sœuire, & iudicium eius qui se tueri nequit peruertere.

Maledictus coiens cum sorore sua. Periculosa res valdè, conuersatio cum fœmina etiam sorore, ex qua multa mala prouenire possunt, ideò opus fuit eam tot legibus & maledictionibus vallare.

Maledictus qui non stare fecerit legem hanc. Audis hic quàm graue sit, leges Domini frangere: vt non solùm maledictus sit qui rem lege prohibitam facit: sed etiam qui non impleuit eam.

IN CAPVT. XXVIII. DEVTERO.
iuxta literam adnotatio.

Ponet te dominus Deus tuus excelsum super omnes gentes terræ. Id est, superiorem, scilicet, dignitate, diuitiis, numerositate, & id genus aliis bonis.

Et apprehendent te. Verbum nassag quòd Sanctes apprehendere vertit non tam apprehendere quàm attingere significat: vt patet Leuit. 26. vbi dicitur Vehissih, id est, & attinget tritura vinderaiam. Si tamen vertas apprehendere non erraſti.

Benedictus

Benedictus eris in ciuitate, & benedictus in agro. Duo sunt hominum negotiantium genera, quidam negotia sua exercent in ciuitate, vt mercatores & alij artifices: alij verò in agro vt agricolæ, & alij laboratores. Est ergo sensus, siue negotia tua sint in ciuitate siue in agro, prosperaberis in eis, ex beneficio Domini. Nam huiusmodi benedictiones nihil aliud sunt, quàm beneficia Dei, quibus auget bona hominum.

Benedictus fructus ventris tui. Id est, augeberis in filiis, qui sunt fructus ventris.

Armenti boum tuorum & gregi pecudum tuarum. Ignorant vt iam capite septimo huius libri admonui, & Exodi. 13. Hebræi, quid propriè significet segar, id est, armentum. Nam Munsterus vertit fœtus. Sanctes aliquando vertit primogenitum, hic verò armentum, alibi emissum seu electum: vnde hic verti potes emissionis boum tuorum. Dictio rara est in scripturis. Similiter significatio dictionis sequentis asterot, id est, gregum, non plenè nota est, de qua diximus capite. 7. huius libri. Aliqui caulas vertunt & locus consentit. Est etiam Asterot nomen vrbis, cuius scriptura meminit Genesis. 14. Est etiam nomen idoli, Primo Reg. 11. & Iudicum secundo.

Benedictum canistrum tuum, & reliquiæ tuæ. Intelligit hic per canistrum sportam qua panis includitur in domibus in quibus est abundantia, vt inde quisque domesticorum accipiat quod voluerit, in quo etiam reliquiæ panis asseruantur, post prandium vel cœnam, & dicitur benedictum, cùm in eo non deest panis aut est in copia, & per reliquias intelligit quod supereſt. Hieronymus hic horrea vertit cùm supra. 26. & hoc eodem capite verterit canistrum seu cartallum.

Benedictus tu in exire tuo, & benedictus tu in reuerti tuo. Id est, prosperaberis dum exieris & redieris domum, cunctis rectè gestis aut incolumis exibis & redibis domum.

Percussos corã te. Aliqui vertunt, corruentes ante te.

In omnibus ad quæ miseris manum. Hebraismus est significans, in omnibus quę feceris, vel tractaueris, vel incœperis.

Stare faciet te Dominus sibi in populum sanctum. Faciet quod permaneamus populus eius, separatus ab aliis populis & applicatus illi qui est sanctus, aut eriget te vt sis illi populus sanctus.

Videbunt omnes populi terræ, quòd nomen Domini inuocatum sit super te. Id est, audient omnes populi terrę quòd tu voceris meus seu populus Domini, audiendo scilicet, bona quæ fecero tibi, quemadmodum Dominus temporalis solet suos eleuare.

Et timebunt te. Scilicet, propter me cuius seruus tu es, quemadmodum quis timet tãgere seruos potentis Domini. Aut quòd tu innoces nomen meũ in tuis necessitatibus, & quod ego subueniã tibi & timebunt te.

Et abundare faciet te Dominus bonis. Potest etiã verti Et reliquias seu residuum faciet tibi Dominus in bonis, id est, faciet quòd multa tibi bona supersint, quod idem est quod abundare facere, aut quod multa bona post obitum tuum relinquas in filiis iumentis & aliis.

Aperiet tibi Dominus thesaurum suum bonum, cœlum. Vocat Dominus thesaurum suum bonum cęlum, quoniam illic habet recõdita ea, quibus ditat homines in terra, vt Solem, pluuiam, niuem, grandinem, & id genus alia, Iob. 38. habes. Nunquid ingressus es thesauros niuis, & thesauros grandinis vidisti? Nomen ofar, id est, thesaurus, aut thesaurum aut repositorium significat, ab asar quod est recondere seu reponere.

Dabit te Dominus in caput, & non in caudam, & eris duntaxat sursum, & non eris deorsum. Hebraismus est, quem textus statim explicat hic, quod, scilicet, dare in caput est facere superiorem, dare in caudã inferiorem, aut æstimari & vilipẽdi. Explicuimus phrasim in hebraismis, & pro eris duntaxat sursum hebraicè est. Eris in eleuationem & non in declinationem.

Mittet Dominus in te maledictionem & perditionem & increpationẽ. Ignoratur quid propriè significet meerah, quod maledictionem vertimus, quoniam nescitur quæ sit propria radix eius, & videtur potius ab arah quod est colligi & contrahi, vnde videtur significare contractionem. Secundum nomen, scilicet, mehumah est ab haiam quod est cõterere, frangere & tumultum facere, vnde pro perditione verti ere licebit cõtritionem vel fractionem seu tumultum. Tertia verò dictio, scilicet, geerah est à gaar, quod cùm bet est increpare, quãdo verò sine eo, perdere seu corrumpere vt patet Genesis. 37. vbi dicitur. Vatiigar, id est, Et increpauit eum pater suus, & per increpationem intellige reprehensionem, sed altera significatio, scilicet, perditio magis loco quadrat. Vnde posset sic locus explicari. Mittet Dominus in te cõtractionem, scilicet, omnium bonorum contrahendo ea quæ possunt bona tua augere, & perditionem, scilicet, tuam & corruptionem: vt scilicet, omnia tua corrumpantur, aut increpationem qua res omnino perit, iuxta illud Psalmi. Ab increpatione vultus tui peribunt, & quæ sequuntur videntur præcedentia explicare. Quoniam sequitur. In omnibus in quibus mittes manum: vt sit sensus. Mittet Dominus contractionem in omnibus ad quę manum miseris, & perditionem donec deleatis & corruptionem aut correctionem vt cito pereas.

Percutiet te Dominus tumore. Ignorant Hebræi omnino quid significet sachephet quod hic vertimus tumorem: vt iam Leuit. 26. diximus, vnde alij phthisin Rabbi Dauid dicit esse morbum quo corpus efficitur macilentum. Alij hidropisin putant. Hieronymus egestatem. Est etiam ab hac radice sachaph quod significat auem Leuit. 11. quam nostri larum vertunt, quæ est auis parua & nigra, habitans iuxta aquas, terra & aqua degens, quæ & fullica appellatur.

Et febri. Quoniã verbum chadach significat ardere infra. 32. non mirum quòd chadachat febrẽ significet.

Ardore. Significat dalechet, vt dicunt Hebræi ardorem. Nam radix eius, scilicet, dalach, significat ardere vt patet Ezechielis. 24. vbi dicitur Hadlech, id est, accẽde ignem, seu ardere fac, sed Genesis. 31. vertunt nostri persequi, vbi dicit Iaacob. Quia dalachta, id est, persequutus es me, sed retenta priori significatione melius vertas quia sic accensus est post me, aut arsisti post me.

Et siccitate. Etiam hæc dictio obscuræ significationis est sicut charah radix eius. Videtur tamen Iob. 30. significare siccare, vbi dicitur. Os meum charah, id est, aruit præ æstu seu siccitate.

Et percussione venti orientalis. Solet huiusmodi ventus omnia exsiccare tam homines quàm blada, nos vocamus subsolanum. Alij vredinem vertunt, nomẽ siddaphon non plenè notum est. Genesis tamen. 41. videtur significare ventum vrentem, vbi dicitur de spicis quas vidit Paroh. Et septem spicæ inanes sceduphot, id est, arefactæ. Et post pauca Scheduphot chadum, id est, arefactæ vento orientali.

Et rubigine. Aiarach quod est excreare viridẽ excreationem, est ierachon. i. rubigo sic dicta à viriditate.

Erunt cœli tui qui sunt supra caput tuum ænei. Id est, nullum humorem habebunt ad demittẽdam pluuiam super terram tuam. Idem de terra ferrea.

Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ pulueris & pulueris. Consulto non vertimus cum aliis puluerem & terram, aut arenã & puluerem, propter duo, Primum ne inutilem faceremus repetitionem, secundò quia dictio abach, non pulverem vt nostri putarunt, sed fumum aut nebulam propriè significat, vt patet Cant. 3. Præ omni abchat, id est, fumo aut nebula aromatarij: vbi nostri vertunt. Præ omni puluere aromatarij. Disputauimus abundè de significatione nominis Exodi nono & Genesis. 31.

Descendere faciet super te donec disperdaris. Descẽdere faciet super te, aut puluerem & nebulam, aut aliquid aliud quo disperdaris, aut melius consumaris.

Erit in commotionem per omnia regna terræ. Id est, eris commotus in omnia regna terræ, vt idem sit commotus quod vagus.

Et non erit commouere faciens, aut expauescere faciens. Sensus est. Erit cadauer tuum esca omni volucri &

Universidad de Deusto
Biblioteca

omni bestiæ, & non erit expauescere faciens. id est, deterrens aues ac bestias, ne comedant cadauer tuum. Verbum charad significat commoueri & expauescere, de cuius significatione disputauimus Genesis vigesimoseptimo.

Percutiet te Dominus vlcere Ægypti. Dicunt Hebræi sechin, quod vlcus vertimus, significare vlcus proueniens ex caliditate de quo Exod. 9. & Leuit. 13. diximus, & meo iudicio sunt vesicæ inflatæ, nostri vocant vexigas, qui morbus maximè infectatur pueros.

Et infirmitatibus ani. Ignota est Hebræis significatio verbi aphal, à quo ephol & ophel. Dicunt autem ophel significare arcem, munitionem seu locum eleuatum, hic fortè significat nates ab eleuatione, & est morbus communis eas infectans, qui dicitur ficus, nos vocamus almorreimas, Castellani almorranas.

Scabie & prurigine. Dicunt Hebræi garaph scabiem significare hic & Leuitici vigesimoprimo, neq; est certa coniectura ad venandam propriam significationem. Sequens verò dictio, scilicet, cheres dicunt Solem significare, & dictio ponitur in multis locis scripturæ, scilicet, octauo capite libri Iudicum: vbi dicitur. Reuersus est Gidon filius Ioas de bello, desuper existẽte hecares, id est, Sole. Sic Iob. 9. Qui dicit Iachares, id est, Soli, & nõ orietur. Et Iudicum. 14. Antequam occumberet hacharsah, id est, Sol & ab ardore verterunt hic nostri pruriginem. Posset etiam verti combustione. Rabbi Dauid dicit esse genus scabiei ficæ, sic appellatę quòd eam scalpant testa quæ dicitur cheres, quod colligit ex capite secundo Iob vbi habetur. Et accepit sibi cheres, id est, testam vt scalperet se cum illa, & videtur fuisse morbum ineurabilem, propter id quod sequitur. Vt non possis curari.

Amentia & cæcitate. Amentia ad mentem pertinet, cæcitas ad oculos.

Et stupore cordis. Clarius admiratione cordis, quoniam tamah admirari significat: vt patet Psalmo. 48. Sic thamahu, id est, admirati sunt. Idem Gene. 43. Nomen themahon etiam ponitur Zachariæ. 12. vbi dicitur. Et percutiam equum bathimahon, id est, cum admiratione, & est sensus, quod tot erunt super eos mala, vt corde admirentur.

Et non secundabis vias tuas. Verbum salach, videtur significare ante ire seu crescere, ac si dicat, nõ anteibis sed retrocedes. Secundo Semuelis. 10. Salechu, id est, præcesserunt seu antecesserunt regem.

Eris calumniatus & rapinis affectus. Hebraicè. Eris detentus & raptus, id est, detinebunt tibi tua & etiam rapient, ac si dicat. Rapient quæ tua sunt neque restituent.

Non prophanabis eam. Id est, non colliges primos fructus eius, quando, scilicet, incipiebat communis fieri, quod erat anno quinto.

Non erit fortitudo in manu tua, scilicet, ad liberandum filios & filias.

Eris tamen detentus. Id est, detinebuntur bona tua, & etiam tu. Potes etiam legere, & eris confractus, scilicet, animo & corpore.

Et obstupesces propter ea quæ videbunt oculi tui. Melius dementaberis aut insanies, quoniam hoc potius significat verbum saga vt patet. 2. Regum. 9. & primo Semuelis vigesimoprimo.

Super genua & super coxas. Verbum barach à quo birchaiim, significat benedicere, & birchaiim genua quòd benedicendi solerent genua flectere cùm benedicerentur. Sequens verò dictio, scilicet, sochaiim dicunt Hebræi coxas significare ab ascu quod est currere, sed hac de causa melius significabit tibias quæ magis ad cursum faciunt.

Eris stupor, parabola & fabula. A samam quod est desolare seu deserere aut stupescere, est sammah, id est, desolatio, admiratio & stupor, & est sensus. Omnes stupebunt videntes quod malis affectus sis, quòd autẽ dicitur in fabulam, aduerte nomẽ sceninah, quod Sanctes vertit fabulã esse à verbo scanan, quod significat voluere & reuoluere, vnde videtur quòd sceninah significet id, quod frequens est in ore omnium, vnde ad literam vertendum esset in reuolutionẽ seu in id quod sæpius voluitur in ore omnium.

Perdet illud locusta. Parui refert quod ad literam habetur. Locustabit illud quod melius efferas per deuorabit quàm per perdet.

Comedet illud vermis. Non explicat textus quis vermis. Putarem tamẽ esse nigrum, quem nostri pulicem putant, qui maximè insidiatur vineis.

Quia proiicietur oliua tua. Aut melius euelletur oliua tua, scilicet, à radice sua. Nam verbum nassal, propriè significat euellere: vt patet septimo capite huius libri vbi dicitur. Venassal, id est, Et euulserit gentes multas à facie tua.

Hæreditabit locusta. Dictio silsal, si est à salal quod est obumbrare, & tinnire, significat locustã quoniam coniungitur quasi nubis obumbrãs, aut si à tinnire, à sonitu quem facit dum volat. Hieronymus hic pro locusta vertit rubiginem. Posset etiam accipi pro agmine locustarum.

Ascendet super te quàm maximè, & tu descẽdes quàm infimè. Locutio sic habetur in hebræo. Peregrinus qui est in medio tui, ascendet super te ascensione ascensione, & tu descendes declinatione declinatione: sed sensus optimè redditus est. Solet enim hebraismus geminatione eiusdem nominis & verbi, multitudinem aut magnitudinem significare.

Ipse erit caput & tu eris cauda. Id est, ipse erit superior tu inferior, aut ipse erit honoratus, tu verò despectus, & est hebraismus. *Quid esse in caput, & in cauda Hebræis.*

Erunt in te in signum & portentũ. Quòd, scilicet, non obedieris voci Domini, vnde sequitur.

Eò quòd non coluisti Dominum Deum tuum cum Lætitia & bonitate cordis, præ multitudine.

Vult Deus vt læto animo, & bono corde illi seruiamus, & quod sequitur à multitudine omnium, idem est quod propter multitudinem omnium bonorum, quæ, scilicet, conferebat tibi.

Seruies inimicis tuis, quos mittet Dominus contra te, in fame & siti & nuditate, Id est, facient inimici tui te sibi seruire, famelicum, sitibundum & nudum, seu non præbendo tibi necessaria, quæ solent Domini præstare seruis suis. Aut patieris famem, sitim, nuditatẽ & omnium bonorum defectum in terra tua, & cum hoc seruies inimicis tuis, & omnia hæc passi sunt ante captiuitatem, & vsque hodie patiuntur.

Leuabit Dominus super te gentem à longinquo.

Dicit leuabit, quoniam vt statim sequitur, vt aquilam venire fecit quasi volando. Nabucdonosor. Et quod dicitur ab extremo terræ: putarem intelligendum ab extremo terræ vicinæ, quòd si absolutè intelligas extendendum puto ad Salmanasar & alios, qui Iudæos diuexarunt.

Gentem fortem seu duram facie. Vocat gentem facie duram, gentem immitem quæ non flectitur, neque benigne aliquem respicit: vnde sequitur quę non leuabit faciem ad senem, scilicet, eorum miserẽdo, & benignè suscipiendo: vnde leuare faciem ad aliquem, est illum benignè suscipere. *Gens dura facie pro immiti pro simpant Hebræi.*

Quos dedit tibi Dominus in obsidione. Sensus est comedes fructum ventris tui, nempè carnem filiorum tuorum in obsidione, neque coniungendum est, quos dedit tibi Dominus in obsidione, non tamen secundus sensus est alienus à litera, quoniam fieri potuit, vt filios paruulos, natos in obsidione seu post obsidionem comederent. *Quid sit Hebræis leuare faciem super aliquem*

Malignabit oculus in fratrem suum. Hebraicè est, malus erit oculus eius, in fratrem suum, quoniã illius non miserebitur, vt det illi & vxori & reliquis filiis de cibò suo, de carnibus, scilicet, iugulati filij. Et videtur quòd tener referatur ad fratrẽ, delitiosus verò ad vxorem: ac si dicat. Viri teneri, id est, molles & misericordes erga fratrem, & qui maximas delitias reputant vxorem & natos. Aliqui pro malignabit, vertunt inuidebit, neque interpretatio displicet, quoniam inuidia non solum est de bono habito alterius, sed ne habeat, & habes ex hoc loco inuidos vocari homines malorum oculorum.

Vt non remaneat sibi quicquam. Id est, quoniam non remanebit sibi quicquam aliud ad comedendum, aut vt non remaneat quicquam de cibo, fratri vxori aut aliis filiis.

Et in secundinas suas quæ egrediuntur è pedibus eius. Dubia valdè est significatio nominis siliah quod secundinam vertimus. Est autem secundina, membrana illa qua partus obuolutus, vtero prodit. Potest autem dictio esse à radice salah, quod est pacificum esse, sed non video allusionem significationis nominis ad verbum, si verò sit à sil, etiã ignota est significatio, iudicio meo hic siliah significat puellos, cùm ex vtero matris egrediuntur, ac si dicat. Oculus fœmine malignabit in puellos, qui egrediuntur de inter pedes eius. Forsitan dictio significat menstruum sanguinem. *Quid secundina Hebræis.*

Diuidere faciet Dominus percussiones tuas. Id est distinctas faciet ab omnibus aliis, quoniam erunt maiores ac deteriores, aut admirabiles, stabiles seu permanentes. Aliqui vertunt fideles, id est, quæ indubiè & veraciter euenient, sed prior interpretatio germanior est.

Omnem infirmitatem Ægypti. Posset etiam verti omne accidens Ægyptiorum, id est, omnia mala quæ acciderunt Ægyptiis, donec consumaris.

Et euellet vos de terra. Alij vertunt demoliemĩni, sed non tam bene.

Et in gentibus ipsis non requiesces. Verbum raga significat diuidere & aperire, addunt etiam Hebræi requiescere propter hunc locum. Possemus etiam vertere. Non erit tibi terminus, quoniam verbum etiam videtur significare, terminare, Iob. 26. Potentia sua raga id est, terminauit, aut terminũ posuit mari. Sic Isa. 51. Ego Dominus Deus tuus raga, id est, terminans mare vnde (meo iudio) verbum significat diuidere, & ex eõ sequenti terminare seu terminum ponere, timeo vertere requiescere, quoniam statim sequitur. Et non erit requies plantæ pedis tui, nisi dicamus scripturam more suo explicare quod dixerat.

Dabit tibi Dominus ibi cor pauidum. Posses etiam vertere commotum.

Et consumptionem oculorum & tristitiam animæ. Aliqui pauorem vertunt, sed non tam bene.

Erit vita tua suspensa tibi, eregione. Hebraicè est. Erunt vitę tuæ. Putarem vitam in plurali poni propter multos dies aut annos vitæ, ac si dicat. Erunt anni seu dies vitæ tuæ, quod autem sequitur suspensæ, aduerte verbum laah nõ esse plene notum Hebræis, dicunt autem significare laborare & ægrè ferre Iob. 4. habes. Nonne si tentauerit quispiam loqui ad te, tileh? id est ęgrè feres? seu molestè accipies? vnde locus hic verti posset. Et erunt vitæ tuæ molestæ tibi ab ante, id est, venturæ, ac si dicat. Dies vitæ tuæ, erunt tibi molesti, quos habueris ante te aut habebis coram te. Ponesinquam coram te futuros dies vitæ tuæ, & molesti erunt tibi. Si verò radix nominis sit talha vt videtur, tunc bene versum est. Erunt vitæ tuę suspensæ tibi à corã aut eregione, id est. Erit tibi vita tua suspensa ac si esset res pendens coram te. Res enim suspensa semper videtur ruinam minari, sic erit vita tua, ac si aliquid super eam semper immineret, aut melius. Sicut res suspensa quæ semper ruinam minatur. Aliqui interpretantur. Pendebit vita tua in ambiguo, omni hora mortem adesse suspicans.

Non credes vitæ tuæ. Id est, non confides te victum iam amplius, quod statim suo more explicat.

Mane dices. Quis dabit vesperam. Quoniam nõ credes te viuum ad vesperam vsq; pertingere. Aut nõ erit stabilis vita tua. Ambulabis semper in discrimine vitę.

Propter ea quæ videbunt oculi tui. Scilicet, mala imminentia. *Et redire te faciet Dominus in Ægyptum in nauibus.* Id est, reducet captiuum. Nam liberi solent pedibus per terram incedere, captini nauibus vehuntur, neq, licebat toti populo, terra vel nauibus in Ægyptum redire. *Venderis ibi.* Hæc omnia maximè tempore Titi ducis impleta sunt.

IN CAPVT. XXVIII. DEVTERO. ad morum compositionem annotatio.

Si obediendo obedieris voci Domini Dei tui, ponet te Dominus Deus tuus excelsum super omnes gentes terræ. Ostendit tibi ô homo Deus tuus viam, qua excelsior aliis esse possis, sciens quod id summe desideres. Si ergo alios superare vis, humiliã te Domino Deo tuo, obediendo voci eius. Hoc est etiã quod tibi Christus docere vult cùm dicit, omnem se humiliantem exaltandum. Hoc est etiam quod Petrus tam apertè docet dicens. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die visitationis. Sed filij Adæ genus ambitiosum, putant ascensum viam esse ad exaltationem, & contra apertam Domini sententiam, in digitos super alios eriguntur. *Luc. 14.* *1. Pet. 5.*

Benedictus eris in ciuitate & benedictus in agro. Ad quid Domine deus tot bona & benedictiones proponis nobis, si custodierimus mandata tua? Nonne ea seruare tenemur iure creationis & Domini, quod habes super nos? Nonne etiam si non proponeres, nobis necessaria sunt? Nunquid posset respublica aliqua ad momentum cõsistere, si in ea homicidia, adulteria, furta & id genus alia vitia impunè patrarentur? Considera igitur quæ sint illa quæ tibi præcipiuntur, & pro quibus tot tamque excellentia bona promittuntur. Sed vt sæpius admonui nouit Dominus nos male debita soluere, ideò promittit nobis multa dona si soluamus illi debita. Sed dices. Omnia hæc temporalia sunt & caduca, nihil hic firmum, nihil æternum. Verum. Sed nouit ipse figmẽtum nostrum. Allicit nos his temporalibus: vt per ea nos ad æterna manuducat. Promisit ea in nouo testamento, sed paucissimi sunt qui illum propter ea sequantur. Aduerte etiam hic, omnia illa temporalia promitti, quæ possunt appetitum nostrum excitare. Est & aliud quod hic aduertas, quàm parum, scilicet, profit in his industria nostra, nisi nos Deus noster præueniat in benedictionibus suis, quum etiam ad omnia hæc se extendunt, licet infima sint.

Statuet te Dominus sibi in populum sanctum. Quid te iactas Israel, & pleno ore clamas te populum Dei si omnibus vitiis & peccatis te sinas inquinari? Audis quòd nisi sanctus sis, non potes esse populus Dei. Sanctifica ergo te, & serua quæ tibi à Domino præcepta sunt, & eris indubiè populus eius, quoniam non filij eius in sordibus.

Videbunt omnes populi terræ, quòd nomen Domini inuocatum est super te, & timebunt à te. Quid præstabit tibi revera esse Dei, postquam tantum hominibus valet nomen Dei, & vocari seu dici eius? vt solum nomen hostes deterreat, & te securum reddat. Est etiam hic aduertenda orationis efficacia, ad hostes deterrendos, quoniam scientes nos inuocare nomen dei nostri super nos, deterrentur. Similiter quid lucri sit esse seruum Dei, postquam talem vocari hostes deterret, & quàm bene Deus suos curet.

Super terram super quam iurauit Dominus patribus tuis. Gaudent homines maximè, bonis in patria sua abundare, imò malunt parua ibi, quàm multa & maiora alibi possidere, ideò non solùm multa illis bona pollicetur, sed in terra pro qua patribus iurauit.

Aperiet tibi Dominus thesaurum suum bonum cœlum. Ad quid tibi Domine in cœlo thesaurus reclusus? Nunquid eges, aut aliquando futuram indigentiam times? Absit, nobis enim bona & mala in cœlo thesaurizas, bona si tuis pareamus placitis, mala verò si præcepta tua prætereamus. Solent enim Reges pretiosa seruare ad tempus pacis, & arma dum tempus bellorum aduenerit. Et mirum valdè est, quòd tam pauca & facilia imperet, & tam multa polliceatur, & tamen vix est qui pauca faciat vt tanta consequatur.

Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Secum ferre solet malus & transgressor maledictiones suas, siue enim in ciuitate, siue in agro sit, siue operetur siue quiescat, maledictionem suam secum portat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque solum ipse, sed omnia quæ ad eum pertinent, maledicta sunt, canistrum reliquiæ, oues & boues, domus & terra, fructus ventris & agri.

Quocunque se malus vertat, secum defert maledictionem suam.

Donec delearis & pereas. Solet Dominus veluti pius à facilioribus incipere, & in processu flagella graduare, quoniã, personam deleat, quemadmodum Pharaoni & multis aliis fecisse legimus. Et quemadmodum bona bonis in terris suis confert, ita & mala malis: vt magis sentiant. Solent enim homines egrè ferre si in patria sua dehonestentur.

Erunt cœli tui æreí. Habes hic ô homo vnde sterilitates rerum & penuria, nẽpè ex præceptorum transgressione.

Erit cadauer tuum esca omni volucri cœli. Quemadmodum homini morienti solatium est sepultura, ita ei dispendum esse videtur quod nõ sepeliatur, quare Dominus malis sæpius comminatur, quòd eorum cadauera non sepelientur, nonnunquam quòd in sterquilinio iacebunt inhumati, quemadmodum de Sedechia dicit per Ieremiam. Sepultura asini sepultura eius. *Ierem.22.*

Vxorem desponsabis. Solet Dominus impium castigare in his de quibus maximè dolet, quemadmodum adulterio vxoris desponsatæ, & in his quæ maximè diligit. *Ambulæ faciet Dominus te & regem tuum.*

Constat ex hoc loco regem aliquando pro populi peccatis puniri.

Coles ibi deos alienos. Periculosum valdè est, inter infideles morari, quoniã statim discimus mores eorũ. Maledicti (ait Dauid) qui me hodie pellunt ab hæreditate Domini dicentes: Vade serui diis alienis. Similiter aduerte qualiter punitiones sunt aliquando occulto Dei iudicio occasiones culparũ, & valdè timendum est eam ingredi terrã, qua facilè ruere possis in peccata *1.Sem.26.*

Peregrinus qui est in medio tui, ascendet super te. Solet homo inuidia maxima torqueri, si viderit peregrinum aut eum cui erat superior, se superiorem fieri, & consuetum est: Dominum huiusmodi æmulationibus homines torquere.

Eò quòd non coluisti Dominum Deum tuum in lætitia. Displicuerunt semper Domino coacta ministeria, & summè placuerunt læta seruitia. Quomodo (ait sanctus Aharon) potui Domino in ministerio placere, mente lugubri? Hac de causa neminem voluit Dominus cogere ad cultum & ministerium suum, quoniam solent tristia esse huiusmodi ministeria, & hilarem datorem diligit Deus. Similiter admonemur Deum colere, dum fœlices & prosperi sumus, quoniam in tristitia vix aut nullo modo possumus, neq; tanti ministeria nostra fiunt, quoniam videntur tunc esse coacta. *Leuit.10.* *2.Cor.9.*

Præ multitudine omnium. Tenemur ad maiores gratiarum actiones, quanto plura à Domino recipimus.

Gentem duram facie, quæ nõ leuabit faciem suam super senem. Discant ex hoc loco victores, clementiam in senes & paruulos victos, neque in eam ætatem sæuiant, cui debetur veneratio, & misericordia. De hoc etiam apud Ieremiam in Threnis habes. Facies senum non erubuerunt. *Cap.4.*

Peccator in nulla re debet habere fiduciam.

Donec deiiciat muros tuos, in quibus fidis. Qui Deum offendit, in nulla re fiduciam habere debet, quoniam omnia Deo irato nobis deficiunt. *Hoseb.2.*

Deus bonis multa bona præter polelicita donat, quemadmodum multa mala malis præter comminata immittit.

Comedes fructum ventris tui. In quas miserias & angustias descendat homo cui Deus iratus est, similiter quę mala bella sequantur, pulchrè caput istud depingit: vt admiremur Deum habere propitium, cum quo omnia nobis pacifica sunt etiam bestiæ agri. Vt ostendit quod sequitur vt scilicet, vxor sit immitis in virum, & vir in vxorem, & fiunt inimici hominis domestici eius.

Omnem infirmitatem & omnem percussionem, quæ non est scripta in libro legis huius. Quemadmodum Dominus bonis & iustis, nõ solum pollicita bona, sed multa alia concedit & addit, ita perfidis, multa mala præter comminata immittit.

Dolet aliquãdo deus de flagellis nostris nonnunquã vero gaudet.

Sic gaudebit super vos perdendo vos. Videtur Dominus suos aliquando non sponte flagellare, imò dolére si percutiat, aut postquam percusserit, extremum verò malum est, cũ de percussione gaudet. Audi Ieremiam capite vigesimo. Sit vir ille sicut ciuitates quas Dominus subuertit, & non pœnituit eum, vt ostenderet hãc conditionem Domini, vt scilicet, mali quod nobis infligerit pœniteat. Et cap. 26. Si fortè audiant, & cõuertantur vnusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis.

Erit vita tua suspensa tibi. Solet Dominus, impios suspensione animi punire: vt scilicet sint tot malis attriti, vt nesciant quo se vertant. Audi quoslã dicentes. Vsquequo animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis palam. *Ioan.10.*

Quæres te ibi vendere inimicis tuis, & nõ erit qui emat. Ad maximas angustias solet qui Deũ offendit venire: vt scilicet, velit se vendere, neq; amico qui bene tractet sed inimico qui flagelleț, neq; velit inimicus ad flagellandum emere. Est in hoc capite etiam quod aduertas: nihil, scilicet, esse erudelius amico offenso. Nam quem admodum nihil beneficiosius, amico diligenti, ità nihil erudelius eo offenso. Non solum exigit talis pœnas offensæ in eum commissæ: sed etiam amoris violati & læsi, ideò maximè cauendum est ne postquam Deum amicum habueris, ei inimicus fias.

IN CAP. XXIX. DEVTERONO.
iuxta literam annotatio.

HÆc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moseh: vt percuteret cum filios Israel in terra Moab. Omnis multitudo quæ ex Ægypto fuerat egressa mortua erat in deserto, & iam iam Dominus promissa sua de danda terra erat completurus, ideò voluit fœdus renouare cum eis in terra Moab, & iam cap. 26. cœperat de fœdere tractare, vbi textus dicit. Dominum exaltasti hodie, vt sit tibi in deum, & iam sæpius dixi fœderis vim in hoc consistere: vt scilicet, ipsi & posteri eorum haberent Iehouah pro Deo suo & obseruarent leges & statuta eius, & obedirent voci eius, etiam prætet statutas leges. Deus verò haberet Israel in populum sibi peculiarem, & daret illi terram Chenanæorum, & hoc vsque in sempiternum. Et quod dicitur.

Ista sunt verba pacti. Per verba intellige ea quæ sequuntur. Est autem nomen berit, id est, fœdus, à berot quod est Abies seu lignũ aliquod forte, ex quo laqueărea fiunt, vt patet Cant. 1. & hac de causa puto pactum vocari berit, scilicet, à firmitate & robore. Quod autem sequitur: vt percuteret, in hebraismis admonui pactum dici percussionem quoniam victimæ feriebantur tunc, aut quòd non stanti pacto imprecarentur percussionem & mortem. Sentiunt autem Hebræi in percussione huius solennis fœderis obseruatas solennes conditiones fœderis quæ positæ sunt decimoquinto cap. Genesis, in fœdere quod Dominus pepigit cum Abraham: vt, scilicet, victimæ iugularentur & diuiderentur præter aues, & fœderati transirent inter diuisiones, & transeuntes hæc verba dicebant. Dissecetur, qui leges fœderis prior violauerit, quòd verò huiusmodi diuisionis ritus in pactis seruaretur, constat Ierem. 34. vbi sic dicitur. Dabo viros qui trãsgressi sunt pactũ meum, qui non statuerunt verba fœderis quod percusserunt in conspectu meo: vt vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius. Principes Iehudah & Ierusalaiim, Eunuchi & Sacerdotes & omnis populus terræ, qui transierunt inter diuisiones vituli: vnde hic inferius, omnes vocantur, quoniam res ad omnes pertinebat. Si verò berit sit ab arah, quod est eligere & comedere: dicetur berit, id est, fœdus ab electione, quod partes in pacto idem eligerent, si verò à comedere, quod paciscentes solerent dum fœdera inibant comedere simul de immolatis. Si cupis scire modum quo Romani fœdus inire solebant lege Fagium hic. Quod verò dicitur in terra Moab, intellige in termino ipsius, prope Iarden. *Modus pangendi apud antiquos.*

In Choreb. Nomen est montis quo lex lata est, deserto verò vocabatur Sinai.

Tentationes magnas. Vocantur flagella Ægypti, tentationes, quoniam eis tentabat Dominus Ægyptios an eum timerent, & populum dimitterent.

Signa

Signa & portenta. Traditi sæpius discrimen horum duorum: vt portẽtum seu mophet, respiciat futurum. Ot verò præsens, præteritum & futurum.

Non dedit Dominus vobis cor vt sciretis, & oculos, vt videretis, & aures vt audiretis. Id est, vsque hodie priuauit vos Dominus intellectu ad cognoscenda beneficia sua & oculis ad ea videnda & auribus ad audienda quæ alij narrabant vobis, quod dicit, quoniam semper fuerant diuinis beneficiis ingrati. Et quod additur. Vsque in præsentem diem, dicit hoc quoniam videntes iam promissa vtcunque compleri, incipiebant intelligere beneficia Dei.

Non veterauit vestimentum tuum. Non planè constat quid propriè significet verbum balah, quare aliqui vertunt. Non fuit attritum. Ex verbis Gen. 18. videtur significare veterascere, vbi Sarah dicit Post belo, id est veterascere meum. Est tamen alius locus. 1. Parali. 17. vbi videtur significare consumere. Ibi enim dicitur. Et non addent filij iniquitatis leballoto, id est, vt consumant seu atterant eum, & si verras. Non fuit attritum, minus mirabile est, quàm quòd non veteraverit.

Panem non comedistis. Scilicet, consuetum, neque bibistis consuetum siceræ potum.

Vt sciretis quod ego Dominus Deus vester. Scilicet, sustentans vos veluti seruos meos mirabili pane & aqua, aut scietis me omnipotentem & per consequens Deum vestrum.

Vt intelligatis omnia quæ facturi estis. Est enim lex, regula dirigens hominem in agendis.

Et peregrini vestri. Postquam pactum pertinebat ad omnes, voluit Dominus omnes adesse: vt etiam ex citatis Ieremiæ verbis constat.

Vt transeas in pactum. Colligunt ex hoc loco Hebræi, ritum illum transeundi inter diuisiones victimæ vt iam diximus.

Et non vobiscum tantum. Constat ex hoc loco, præsentes posse se & futuros seu posteros suos obligare, eum enim intelligit, per illum qui non erat cum eis, sub quo comprehendit absentem.

Ambulare in cogitatione cordis

Es idola eorum. Dictio gilul, id est, idolum, à galal quod est voluere vel reuoluere ortum habent, vnde gilul, id est, fordes sic (vt reor) dictæ à reuolutione. Solent enim huiusmodi fordes reuolute egredi ab humano corpore, & vocat hebraismus idola fordes seu stercus, contemptus gratia.

Ne forte sit in vobis radix fructificans venenum & absinthium. A ros quod est caput, deriuatur ros quòd nostri hic vertunt venenum, & etiam Psalmo sexagesimonono, Vbi dicitur. Posuerunt in escam meam ros, id est, toxicum vel venenum. Idem Ieremiæ octauo, & Threnorum tertio, & infra trigesimosecundo, & meo iudicio significat caput alicuius rei venenosę, vt sit aliqua allusio ad radicem, & videtur quod sit caput Aspidis, quoniã infra capite trigesimosecundo dicitur. Venenum Draconum vinum eorum, & caput Aspidum insanabile, quod nostri vertunt venenum aspidum eruđele. Ieremiæ octauo habes. Propinatum nobis aquas ros, id est, capitis vnde videtur quòd sit res cuius aquę sunt venenosæ. Sequens verò dictio, scilicet, lahan quod absinthium vertimus, aliqui putant significare amaritudinem, alij fel. Ieremiæ nono habes. Ecce ego edere facio populum hunc laanah, id est, absinthium vel fel, & vult dicere. Cauete ne sit in vobis aliquis, qui amarus sit ori Domini, aut qui aliis sit causa amaritudinis, scilicet, colendo deos alienos, & est melior sensus.

Et erit, cùm audierit verba maledictionis huius, & benedixerit sibi in corde suo. Id est, erit aliquis inter vos, qui audiendo huiusmodi maledictiones, benedicat sibi promittendo sibi impunitatem dicendo integritas erit mihi.

In cogitatione cordis mei ambulabo. Posset etiam verti in extensione cordis mei, id est, faciam omne quod cogitauero vel omne quod voluero, & est hebraismus ambulare in cogitatione cordis, & est facere omne quod libet. quod desiderat cor. *Ambulare in cogitatione cordis seu extensione mei, est facere quod libet.*

Vt addat ebriam & sitientem. Difficilis intellectu est locus iste, & antequam sensum reddamus discutiendæ sunt vocabulorum significationes, & verbum saphah quod addere vertimus, non solum addere, sed etiam consumere aut consumare significat, vt patet Ieremiæ duodecimo. Saphetah, id est, consumpta sunt animalia. De alia significatione, scilicet, addere, sunt multa exempla in scripturis, vt Num. 32. Vbi dicitur Lisppot id est, vt adderetis adhuc super iram furoris Domini. Et Isaiæ vigesimonono, Sephu, id est, Addite annum super annum. Mihi tamen videtur, ea quæ significant consumere & consumare, esse à radice suph quod est finire & consumare. Sequens verò dictio, scilicet, taueh, id est, ebrius vel irriguus, & reuauah, id est, ebria aut irrigua, est à rauah quod est inebriare, irrigare, & de significatione hac nihil est controuersiæ. Tertia verò dictio, scilicet, semeah, id est, sitiẽs, est a sama quod significat sitire, & etiam in hac nihil dubij est, nunc verò sensus reddendus est. Sunt autem huius loci interpretationes penè innumeræ, & quædam illarum relatu indignæ, quare ex eis solum illas recitabimus, quæ ad literam quoquo modo accedere videntur, sed antequam aliorum interpretationes referamus, dicemus quòd nobis videtur, pro quo aduertendum quod hebraismus vocat terram gladio a Domino percussam & punitam ebriam: vt patet Isaiæ. 34. vbi dicitur Veriuuetah, id est, inebriabitur terra eorum sanguine. Gladius etiam Domini dicitur eodem capite inebriatus in cœlo. Vnde terram gladio percussam, vocat inebriatam vel ebriam, aliam verò non percussam vocat sitientem, & est sensus. Dicet impius cùm audierit verba maledictionis huius benedicens sibi in corde suo, id est, pollicendo sibi impunitatem. Pax erit mihi, in cogitatione cordis mei ambulabo, quòd quidem faciet vt addat ebriam, id est, eam terram vel plebem iam punitam à domino & percussam abunde, & sitientem, id est, eam quæ nondum percussa est, ac si dicat. Vt addat non percussam percussæ, & putarem esse illius temporis adagium seu prouerbium, quemadmodum nos dicimus. Peccabit vnus & Deus bonos & malos punier, & etiam ille sensus erit, si veritas, vt consumat seu ad cõsumendum ebriam & sitientẽ, qui adhuc magis quadrare videtur. Secundus sensus est, vt vocet ebriam eam terram vel populum, qui peccatis iam plenus & saturatus est, sitientem verò eam, quæ desiderat delitias & omnia illa peccata quibus alios viderit saturari: vt solet fieri cùm homines vnius ciuitatis, vident viros alterius genio indulgere & omnibus vitiis plenos impunè peccare, & cupiunt etiam ipsi similia facere & videntur peccata sitire, & sensus erit. Dicet impius hæc quæ dicta sunt, vt addat ebriam & sitientem, id est, vt faciat sitientem peccata quæ impune fieri videt, sitire, & addat eam ebriæ, id est, inebriet eam vitiis, sicut iam alia ebria est. Solent enim homines non peccantes neque dediti vitiis, à peccatoribus sibi impunitatem promittentibus persuasi, in peccata ruere, & addere se illis, sed quod sequitur priorem sensum probat, scilicet. *Locus difficilis*

Quia tunc fumabit furor Domini. Neque solum in virum illum nequam, sed in totam terram vt postmodum explicat cùm dicit. Propter quid fecit Dominus sic terræ huic? Tertius sensus est. Vt talem faciat terram promissionis quæ est irrigua qualis est terra sitiẽs, id est, desertum, faciet, inquam, terram fructiferam in salsuginem. Quartus vt addat populum qui iam est in terra promissionis quæ est irrigua, populo qui mortuus est in deserto, sed priores duæ expositiones (meo iudicio) omnibus aliis præferendæ sunt.

Non volet Dominus parcere illi. Scilicet, qui hoc fecerit, quod non tam bene Sanctes vertit dicens. Non vult Dominus quòd parcatur ei.

Quia tunc fumabit furor Domini. Id est, quasi fumus exibit, solet enim fumus cũ impetu & continuè è fornace egredi aut ad modum fumi, quẽ nullus ferre potest, & est hebraismus quemadmodum cùm dicitur, Stillabit ira Domini aut furor eius. 2. Paralipom. 34. *Quid sit furere domini super aliquẽ fumare aut stillare.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et Ezechielis vigesimoprimo. Vbi dicitur. Stilla ad sanctuaria, id est, propheta dura, & aspera super sanctuaria, & vocatur punitio stillatio, cùm coprioſe quis flagellatur, quo modo stillæ cadere solent. Item. 2. Paralipo. 12. Non stillabit furor meus. Idem Hamos. 7. Possemus etiã aliter huiusmodi hebraismos interpretari, vt idem dictu sit, iram aut furorem Domini super aliquem sumare, quòd iram Domini per modum flatus fumoſi, à Domino egredi. Solet enim ira per modum spiritus vel flatus, ex naribus aut ore egredi, aut flatum Domini ex ira procedentem per modum fumi exire. Et iram Domini stillare: est per modum flatus quem pluuia sequitur, exire punitionem Domini.
Est enim homo iratus veluti caminus ardens, aut nubes aqua redundans, & cùm incipit punitionem vel vindictam facere, dicitur veluti caminus fumare aut velut nubes stillare.

Delebit Dominus nomen eius de sub cœlo.
Id est, non reliquet ex eo aliquem, in quo nomen eius seu memoria conseruetur. Solent enim homines nomina sua filiis suis imponere: vt scilicet, in eis conseruetur eorum memoria, & verbum machah nõ solum delere, sed eradere & tergere significat ita vt nihil vestigij remaneat.

Separare faciet Dominus ad malum, ab vniuersis tribubus Israel. Aut vt non amplius dicatur Israelita, aut à terra Israel, vel tot ac tanta mala infliget, quãta nunquam inflixerit Israeli, & iste vltimus sensus germanior videtur, quoniam sequitur. Secundum omnes maledictiones pacti.

Et infirmitates eius, quibus ægrotare fecit eam Deus. Verbum chalal, quod vertimus egrotare hoc significat, similiter debilem esse, & potest ad homines & ad terram referri, & si ad terrã referatur, dicitur infirma, quando in homines infirmitates generat.

Sulphur & sal combustionis. Scilicet, erit terra, id est, talis, ac si esset sulphure ac sale respersa, aut immittet Dominus super eam sulphur & sal. Dictio tamen gophrit quam Sanctes hic vertit sulphur, non videtur illud, sed potius picem significare, quoniam gopher si arborem significat, videtur Pinum significare. Pix autem ex Pini resina fit: vnde illud Genesis sexto. Fac tibi aream è lignis Gopher: optime vertas ex lignis Pineis: licet aliter citatum locum verterimus. Et licet Dominus non omnino fecerit sic terræ suæ, sua pietate, reddidit tamen eam ferè sterilem iuxta illud Psal. Terram fructiferam in salsuginem, & Ieremiæ. 12. Vsquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur? Propter malitiam habitantium eam, consumptum est animal & volucre.

Et non impartitus est eis. Loquitur de Deo qui Israelitis non est aliquod bonum impartitus, ob idolatriam aut idola quæ coluerunt Iudæi, qui nihil illis bonorum dederunt. Hoc est enim proprium munus Dei & Domini, scilicet, diuidere aut partiri bona inter seruos suos, & præcipuè est sermo de bonis cœlestis influentiæ, quæ omnibus distribuũtur, quemadmodum pluuia, Sol, ventus & id genus alia. Posset etiam verti. Et non fuerunt huiusmodi pars Israelis. Videtur enim vnaquæque gens aliquem Deum tanquam partẽ suam habere. Israel verò elegit Deum verum pro parte sua, iuxta illud. Dominus pars hæreditatis meæ. Significat autem verbum chalach, non solum diuidere, sed finire quòd lenia facilè diuidantur.

Et extirpauit eos Dominus è terra eorum. Melius vertas. Et euulsit eos Dominus, quoniam verbum natas, hoc potius significat, & loco magis quadrat, quod verò euellere significet, constat. 1. Regum. 14. vbi dicitur Venatas, id est, Et eradicabit Israel de terra bona. Et Michee quinto. Venatasti, id est. Et euellam lucos tuos è medio tui.

Secundum diem hanc. Id est, sicut testatur dies hæc: qua sunt in terra aliena, aut quemadmodũ hodie sunt in terra Moabitarum, vel, Quemadmodum eos nunc per spiritum electos & auulsos video, vnde statim sequitur.

Quæ abscondita sunt Domino Deo nostro. Id est, apud Dominum Deum nostrum.

Et reuelata sunt nobis. Scilicet, hodie, & filiis nostris & reuelabuntur vsq; in sæculum, quoniam nunquam apud Israel ante vltimam templi destructionem, defuerunt Prophetæ, qui futura & secreta Domini prædicerent eis. Potest etiam hæc vltima clausula seorsum legi & melius vt sit sensus. Quæ apud Dominum Deum nostrum secreta sunt & occulta, reuelata sunt nobis & filiis nostris vsq; in sæculum, scilicet, lex Domini & voluntas eius in lege relucens, ad faciendum eam. Aut voluit ipse nobis reuelare se velle nos facere ea, quæ nobis præcepit facienda in perpetuum quãdiu, scilicet durauerit lex, & melius de lege intelligas. de qua in Psalmo habes. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nõ manifestauit eis. Delitescebat enim lex apud Dominum quã suo tempore Israeli reuelauit, & filiis eius in perpetuum. Alij legunt. Secreta quæ ab homine fiunt, sunt Domini dei nostri: vt scilicet, illa puniat, quæ verò manifesta, hæc ad nos pertinent & à nobis puniri debent, sed displicet expositio.

IN CAPVT. XXIX. DEVTERO.
ad morum compositionem adnotatio.

Ista sunt verba pacti, quod præcepit Dominus Moseh, vt ferirет filios Israel in terra Moab, præter pactũ quod pepigit cum eis in Choreb. Quid sic pacta Domine deus, nobiscum multiplicas, & quare non vno fœdere contentus es? Mendacia nostra, perfidiam nostram, qui pacto tuo vix stare scimus: hæc pactorũ renouatio clamat. Quid te iactas in Psalmo Israel, dicens. Hæc omnia venerunt super nos, neque oblíti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo? A sæculo confregisti iugũ, dixisti. Non seruiã. Irritum fecerunt domus Israel & domus Iehudah pactum meum. Et considera humanam instabilitatem, vt neque ad annos. 40. pacto steterit gens. *Ieremi. 2 & 11.*

Non dedit Dominus vobis cor vt sciretis, & oculos vt videretis, & aures vt audiretis, vsque ad diem hanc.
Solet Dominus multis supplitiorum generibus, ingratos torquere: Aliquando vt ea non referant, nonnunquam vt gratias saltem verbis pro eis non agant, sed tunc eos extremo supplicio affiecre videtur, cùm non dat oculos ad videndum, cor ad cognoscendum & aures ad audiendum. Magna castigatio, dare tibi vitam, & negare oculos quibus saltẽ cognoscas eam esse beneficium Dei. Nam quemadmodum malis aliquando ruinam minatur, neque tamen dat oculos quibus eam videant, aut aures quibus audiant, vsquoquo malis ipsis afficiantur, ita in beneficiis facere solet. Audi quid Isaiæ. 6. dicat. Audite audiendo, & ne intelligatis & videte videndo, & ne cognoscatis, impinge cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur & sanet eum. Sed vsquequo Domine? Donec, inquit, desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra desoletur desolatione.

Non inueterauerunt vestimenta vestra. Non est tui moris Domine, exhibita beneficia improperare, qui das omnibus affluenter & non improperas: sed nostra magna ingratitudo te cogit ad hæc enumeranda.

Panem non comedistis, vinum & sicbar non bibistis: vt scireris quòd sum Dominus Deus vester.
Quid hoc noui est Domine Deus? Nónne melius erat, vt te Deum suum cognoscerent, quia panem & vinum eis ad sacietatem dediſti? Solent enim domini, se pios ostendere in his quæ suis ministris administrãt & conferunt. Sed aduerte, non tam se pium ostendere, conferendo quæ prosunt, quàm negando ea quæ obesse suis possunt, nõ tamen sic se voluit ostẽdere deum tuum, sed præbendo insolitum cibum & potum, cursando vestes & calciamenta suorum. Quo in loco considera quæso dominum cui seruis, qui talia suis famulis subministrat. Quid putas administrabit filius, qui talia largitur ingratissimis seruis.

Custodite

Custodite verba pacti huius, vt intelligatis omnia quæ facturi estis. Vis ô homo non errare in operibus tuis, normam diuinæ regulæ semper ante oculos habeas. Audi Psalmistam. Consilium inquit meum, iustificationes tuæ. Et alio Psalmo. Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Custodia legum intellectus faciendorum.

Non vobiscum tantum pango pactum,
Constat ex hoc loco aperte, patres posse se & filios obligare, etiam ad fidem vnius Dei, quemadmodum isti se obligauerunt.

Vos enim nostis, quod habitauimus in terra Ægypti: & transiuimus per medium gentium.
Arbitrantur multi: nihil periculi esse, inter impios habitasse, & adhuc minoris faciũt, transitu per eos, quos locus ille pulchre admonet, ne patui faciãt: qd si aliquando contigerit, oportet te in ea re cautissimũ esse.

Pax erit mihi, in cogitatione cordis mei ambulabo.
Extremæ dementiæ est, male agere, & impunitatem sibi polliceri: qui male agunt, summe cogitare debent: non solum sibi sed omnibus aliis qui eorum causa flagellantur esse iniurios, & vt in textu habetur addunt ebriam sitienti.

Quæ est ira furoris magni huius? Quanto quis ardentius ab aliquo amatur, tanto si offendat, seuerius punitur, quare maximè cauendum est, Deum qui te summe diligit offendere. Non enim legimus deũ tam acerbe vnquã castigasse gentes quam grauiter castigauit filios Israel, quos summe dilexit, vnde ad eos dicit. Vos tantũ cognoui ex omnibus cognationibus terræ, ideirco visitabo super vos iniquitates vestras. Et aduertе hic quàm bene deus, causam suam iustificet, vt velit omnes scire, ob violatum fœdus istos periisse. *Hamos. 3.*

Iratus est Deus in terram ipsam. Quid meruisti terra, vt tanta propter hominum peccata patiaris? Solet dominus propter hominem, omnia quibus ipse viuere videtur punire: quare deberent impij resipiscere, non solum propter se, sed ne propter eorum peccata, terra det immeritas pœnas. Audi Ieremiã. Vsquequo lugebit terra & herba omnis regionis siccabitur? Propter malitia habitantium in ea.

Quæ abscondita sunt apud Deum nostrũ reuelata sunt nobis & filiis nostris, vsque in sæculum.
Mirandum valdè est, quãti faciat deus, suarum legum obseruantiam: vt secreta sua obseruantibus reuelet. Vbi simul expende, quod beneficium sit diuina lex: in quã tibi mens diuina innotescit & omnia quæ apud deum secreta esse videntur, ostenduntur.

IN CAPVT. XXX. DEVTERO.
* iuxta literam adnotatio.

Et erit cùm venerint super te omnia hæc.
Consuetudo omnium Prophetarum est, postquàm populum minis deterruerint, consolari eum, quemadmodum priori Isaiæ capite videre licebit. Sic & sanctus Moseh modo populum quem deterruerat imminentibus malis, consolatur.

Benedictio & maledictio. Benedictio inquam si seruaueris legem: maledictio si abiicias.

Et reuerteris ad cor tuum. Scilicet legem, aut peccata tua, & quod legem domini non seruaueris. Alij legunt. Et redieris ad cor scilicet cogitando mala quæ fecisti. Sanctes & reduxeris te ad cor, sed prior expositio magis placet.

Hic aduertunt Iudæos

Toto corde tuo, & tota anima tua, Id est, cogitatione & voluntate vt, scilicet pars cordis non sit cum idolo, & altera conuertatur ad Dominum.

Si fuerit expulsio tua vsque ad extremum cœli.

Quid sit deum cor alicuius circumcidere.
Vocat extremum cœli, extremam partem terræ, quæ sub cœlo est.

Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum.
Id est, auferet superflua & nociua desideria cordis: vt scilicet nihil plus eo diligas, præsertim quod pertineat ad culturam idolorum, & est phrasis linguæ.

Propter vitam tuam, id est, vt viuas longo tempore. *Abundare faciet te Dominus Deus tuus.*
Verbum iatar quod hic ponitur, significat residuum esse, & sic hic verti posset residuum faciet, id est, faciet dominus Deus tuus lucrum aliquod habere: in omni opere tuo. Videtur enim lucrum, residuum operis esse: quod etiam bene per abundare vertitur.

Si reuertisti ad Dominum Deum tuum in toto corde, & tota anima.
Vt scilicet nõ sit altera pars cum idolis, altera cũ Deo.

Quoniam præceptum quod ego præcipio tibi hodie, non est separatum ipsum à te, & non longinquum ipsum, non in cœlis ipsum. Loquitur de tota lege. Aliqui pro separatum vertũt occultum. Alij mirabiliter supra te. Verbum pala etiam occultare significat, sed propriè separare. Quod enim significet occultare, probatur ex eo quod dicitur Prouerbio. 30. Tria sunt quæ niphleu. i. occulta sunt mihi, sed ibi tam bene quadrat separata. Moueor ad priorem interpretationẽ, quia nihil infra dicitur quod pertineat ad occultationem: sicut de separatione dicitur. Non in cœlo est. Si tamẽ occultum vertas non prohibeo, & est sermo de separatione loci, & est sensus, quod non solum non longè à te distat, sed quod neq; vllo modo à te separatum sit, cùm sit in corde & ore, ac si dicat. Non est opus quærere longè scilicet in cœlo aut vltra mare legem Dei, aut in loco aliquo longinquo vel separato: cùm eam possis corde retinere, & ore proferre. Et hoc est quod dicitur.

Explicatur verba Pauli Rom. 10.

Quia propinquum est valdè verbum tibi, in ore tuo & in corde tuo: vt facias illud. Si inquit facere & complere legem volueris, non longè eam habes scilicet in cœlo aut trans mare: sed potes eam memoria habere, & eam loqui vt facias. Et ex hoc loco colligere licebit præceptum dilectionis Dei super omnia, posse in hac vita impleri: quoniam de omni lege (vt diximus) est sermo, quam quis corde & ore ad manũ potest habere vt eam faciat. Adducit Paulus verba hæc ad Romanos 10. ad probandũ quàm facile sit homini iustificari per fidem, seu iustitia fidei, vt scilicet nõ dicat. Quis ascendit in cœlum, vt faceret inde Christum descendere? neque Quis descendit ad inferos, ad resuscitandum Christum? ac si dicat. Non credat descensum Christi de cœlo impossibilem, neque ascensum è terra, seu resurrectionem, sed credat hæc duo, quod facilimum est: credere & dicere, & saluabitur. Quoniam corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Posset etiam illud. Prope est verbũ ori tuo, interpretari. Tam prope est verbum ori tuo, sicut ea quæ comedis: ad quæ nullo alio opus est, quàm vt manum ad os applices, sed prior sensus germanus est & intentus.

Vitam & bonum. Scilicet omne aliud promissum tibi à Domino si legem obserues, & idem de malo.

Et propulsaueris te. Capite. 20. huius libri, significationem verbi nadach quod hic vertimus propulsare, incertam esse diximus, & Sanctes aliquando vertit impellere vt loco citato, nõnunquam vt hic propulsare, verbum videtur significare proiicere vel eiicere, & est sensus. Et fueris causa expulsionis tuæ, aut dececeris te ad colẽda idola: quæ interpretatio videtur germanior. Munsterus vertit. Expelleris.

Contestor vobis hodie cœlum & terram. Id est, in testes aduersus vos voco. Adducit autem cœlum & terrã in testes, quoniam diutissime durabunt, & si nobis nõ loquantur, loquuntur tamẽ deo. Sic Isaias capite primo. Audite cœli, & auribus percipe terra.

Ipse est vita tua. Id est, causa quòd viuas. Sic longitudo dierum tuorum, id est, causa prolongationis dierum. Nam ipse dedit & continue dat vitalem halitum: in quo hominis vita consistit.

IN CAPVT. XXX. DEVTERONO.
* ad morum compositionem adnotata.

Et erit cùm venerint super te omnia hæc, & redieris ad cor tuum. Abominantur multi flagella Dei, quæ pro suis transgressionibus patiuntur, quæ quàm bona sint, hic optimè explicatur: quoniam peccatorem ad mentem & cor redire faciunt, & collige ex hoc loco peccata, inter cætera mala quę peccatori insligũt, facere mente captum & sui oblitum: quemadmodum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lucæ decimoquinto de filio prodigente substantiam suam legis, quod in se reuersus dixerit. Quanti mercenarij in domo patris mei panibus abundant. Et expendit de conuersionis ordinem. Primum redit ad cor. Secundo conuertitur ad Deum suum. Tertio proponit de cætero præcepta Domini seruare, & toto corde illi seruire.

Si fuerit expulsio tua, in extremum cœli: inde congregabit te. Magna consolatio seruorum Dei est, scire quod & si aliquando à domo eius expellantur, & in distantissimas vendantur & exulent nationes: ibi tamen non obliuiscetur eorũ Deus suus, sed inde eos facilè si pœniteant reuocabit.

Multiplicabit te magis quàm patres tuos.

Mira valdè est dignatio domini in pœnitentes: vt iam sæpius admonuimus, vt illis maiora bona conferat quam si in innocentia permanerent. Non quod maius donum sit Dei pœnitentia, quàm innocentia, sed quia Deus pœnitentibus maiora promittit vt resipiscant. Audi Isaiam trigesimo capite. Expectat (inquit) Dominus vt misereatur vestri, & exaltabitur parcens vobis. Ostendit Dominus se aliquid lucri, gloriam videlicet consequi ex eo quod peccatoribus parcit: vt eos ad pœnitentiam alliciat.

Maiora dona promittit pœnitentibus redeuntibus quàm aliis & quæ.

Circumcidit Deus tuus cor tuum. Non posse, nos legem domini seruare sine adiutorio eius, ad viuum locus iste depingit, vnde necesse est vt desideria superflua rescet ipse.

Reuertetur Dominus vt gaudeat super te.

Non solet Dominus in æternum seruare iram, sed reuertitur ad pœnitentiam nostram, & peccatorum nostrorum oblitus, ita super nos gaudet, ac si nunquàm odisset.

Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non est separatum aut occultum à te, neque longinquum.

Causantur multi desides & pigri, mandata Dei difficilia & occulta, sed hic Dominus propinqua nobis esse ostendit, & docet esse facilia, intellectu affatu & factu: quo in loco latenter admonuit nos debere in eius lege meditari, eamque corde gestare, de præceptis eius loqui, quemadmodum expressè docuit capite. 6. huius libri. Et gratificandum Deo valdè est, quod ea, quæ sunt ad salutem necessaria facilia fecit, & ad paruum semper redacta numerum. Summauit enim & perstrinxit totam legem, duobus illis præcipuis mandatis scilicet in dilectione sui & proximi. Sic & mandata fidei perstrinxit Paulus ad Romanos decimo dicens. Si inquit credideris Dominum Iesum, & quod Deus illum à mortuis suscitauit saluus eris. Aduerte hic tamen, ad quid debeas corde gestare verbum Dei & ore loqui: vt scilicet facias illud. Nam & si bonum sit meditari de lege Domini, & de ea loqui Optimum tamen est ea facere. Parum enim proderunt illa duo, nisi addideris tertium, quod vitam omnino perficit.

Dedi coram te hodie vitam & bonum, mortem & malum. Mirum valdè, quod fuerint & hodie sint tam stupidi homines, qui veluti in bruta conuersi, ab homine libertatem quo belluis præstat, auferre conẽtur. Ad quid nobis quæso vitæ & mortis optio datur, si in nobis nulla est libertas eligendi? In malam rem abeat,

Aduersus Lutherum.

qui hunc primus errorem gestuit, sed in multò deteriorem, qui eam nostris temporibus ab inferis reuocauit.

Ego præcipio tibi hodie. Somniarunt etiam illi impij dogmatistæ, prælatos ecclesiæ non posse nobis præcipere, sed solum Deum. Nonne videtis hic sanctum Moseh populum præcipere vt seruent mandata Dei? Vbi simul aduertant prælati, qualiter inculcare debeãt præcepta Dei, multa obseruatoribus promittere, nullum lapidem non mouere vt populus seruet: quæ tibi à Domino præcepta sunt. Est autem sanctus Moseh in ea re singularis, qui aliquando minis & terroribus, nonnunquam blanditiis & promissionibus adhortetur homines ad obseruantiam legis: qua in re se Domini fidelem ministrum, & populi sui amatorem ostendit.

Contestor vobis hodie cœlum & terram.

Quid cunctaris ô homo legem Dei tui seruare, quam tua sponte te seruaturum promisisti? Vides testes hic adhiberi, non homines, non ligna, aut saltem lapides, sed cœlum & terram quæ perpetuo aduersum te, pro Deo tuo testimonium dicent.

Adhereas ei, quia ipse vita tua, et longitudo dierũ tuorum. Commune est, vt qui alicui adhæret: eius vitam & mores sortiatur. Quj inquit adhæret Deo, vnus spiritus cũ eo efficitur. Si ergo deus tuus vita tua & longitudo dierum tuorum: si illi adhæreas vitam eius habebis, & perpetuo viues. Audi Christum tuum Ioannis 6. Quj (inquit) manducat hunc panem: viuet in æternum: cuius rationem assignat. Qui inquit manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo: si ergo ego viuo in æternum, qui in me manet viuet in æternum. Viuit ergo qui Deo adhæret, vita ipsius dei. Si autem ipse est vita nostra, obediendum illi est vt viuamus.

2. Cor. 6.

IN CAPVT. XXXI. DEVTERONO. ad literam adnotatio.

ET *abiit Moseh, & loquutus est verba ista.*

Accipitur hic abire, pro addere, id est, addidit ad verba superioris capitis, ea quæ hoc capite dicuntur. Vel abiit è domo suaad suggestum: vnde illis loqui solebat.

Filius centũ annorum pro centum annis natũ accipiunt Hebræi.

Filius centum, & viginti annorum sum hodie. Id est, centum viginti annos natus, & est Hebraismus frequens in sacris literis.

Non possum amplius egredi & ingredi. Id est, non possum vos amplius ducere. Est enim munus ducis, præcedere eos quos ducit, & etiam modus loquendi peculiaris Hebræorum Numeri vigesimoseptimo habes. Præficiat Dominus Deus spirituum omnis carnis virum, super congregationem qui egrediatur ante eos & qui ingrediatur ante eos & introducat eos, & assignat duas causas quare non possit transire cum eis Iarden. Alteram propter feminum, alteram ob Domini prohibitionem.

Ipse consumet gentes istas. Sic melius vertas quàm ipse disperdet, & quod sequitur.

A facie tua. Idem est quod quæ sunt ante te.

Dabit eas ante faciem vestram. Scilicet fugientes, aut consumendo eas ante vos.

Confortate vos & roborate. Non plene constat discrimen, inter chazach quod vertimus confortare, & amas quod roborare sumus interpretati. Videtur tamen chazach proprie significare indurare.

Ne timeatis, & ne paueatis. Videtur verbum arats quod vertimus pauere, significare viribus destitui ex visione alicuius rei formidabilis, aut conteri: significatio tamen non est plene nota. Isaiæ. 2. habes. Cùm surrexerit laaros, id est, ad conterendum terram. Et Psalmo. 10. Non addet vltra laaros, id est, vt conterat hominem de terra.

Non deseret te, & non derelinquet te.

Verbum rapah quod vertimus deserere, proprie significat, remisse agere: vnde vertendum est. Non remisse tecum aget, aut non remittet auxilium suum à te: vel non cessabit. Sequens verò verbum constat significare relinquere. Non solum inquit, non derelinquet omnino te, sed neq; remissius te iuuabit nunc quàm antea.

Moseh scripsisse legem constat ex hoc loco.

Et scripsit Moseh legem istam. Constat ex hoc loco Moseh legem scripsisse, & credideram eum etiam omnia quæ eis in via acciderant, literis mandasse.

Et dedit eam sacerdotibus filiis Leui, portantibus arcam.

Quoniam munus sacerdotum erat legem seruare, & eam docere: ideò eam sacerdotibus tradidit & etiam senioribus, quoniam etiam munus eorum erat: iudicialia exercere: cùm essent iudices constituti.

Auſtáchoſſe anniin nobe ſe Thiſri, id eſt, ſeptẽbri vel circa hẽ braeos ex hoc loco conſtat.

In fine septem annorum: in tempore anni remissionis, in solemnitate tabernaculorum.

Constat ex hoc loco remissionem incœpisse semper in festo tabernaculorum: neque mirum, quoniam tùc etiam erat tempus expiationis peccatorum, vt simul esset

esset tam peccatorum: quàm omnium aliorum remissio. Tenebatur autem tunc omnis Israel, venire ad locum tabernaculi, & sacerdotes tenebantur, omnem populum docere venientem, & crediderim legem eis explicasse. Præcipit autem legẽ omnibus explicari scilicet mulieribus & paruulis, vt eam imbiberent quasi cum lacte carnis, & nutriretur in eis timor erga Deũ suum.

Leges legem hanc. Significat chara clamare alte, seu voce eleuata legere, & sic sacerdotes legebant: vt populus melius audiret. Quod autem Hebræi dicunt, regem etiam docuisse legem, ac tunc temporis Leuitas tubis insonuisse per ciuitatem, timeo figmentum esse Hebræorum. Nusquàm enim (quod sciam) hoc munus regibus demandatum est.

Filij eorum qui non cognouerunt audiant.

Quj non cognouerunt scilicet magnalia Domini, videndo ea quemadmodum vos vidistis: isti saltem audiant, vt timeant Deum suum.

Quid nomine tabernaculi intelligendum.

State in tabernaculo ecclesiæ. Constat ex hoc loco tabernaculum ecclesiæ vocari atrium sub diuo, & illuc populum conueniisse. Deumque de ostio tabernaculi, ad eos loquutum fuisse. Dominus enim recedebat à loco in quo erat scilicet à propitiatorio, & nube tectus loquebatur ad eos, stans vt dictum est in ostio tabernaculi ecclesiæ.

Ecce dormis cum patribus tuis. Id est, morieris quem admodum patres tui, & est Hebraismus in libris regum frequẽtissimus. Vocat autem mori, dormire quoniam homo mortuus, dormire videtur.

Fornicabitur post Deos alienigenæ terræ.

Videtur locus iste explicare id quod dictum est Exodi 20. Non habebis Deos alienorum coram me, id est, quos alieni seu gentiles colunt.

Derelinquam eos, & abscondam faciem meam ab eis.

Id est, non curabo res eorum neque eos eo modo quo antea, & auferam ab eis illam præsentiam qua eum eis manebam. Hoc enim vocat faciem abscondere. Et hoc est quod dicitur Hosch quinto. Cùm bobus suis & muneribus suis, ibunt ad quærendum Dominum, & non inuenient, ablatus est ab eis.

Scribe canticum istud. Quod scilicet sequitur posteriori capite.

Pone in ore eorum. Id est, fac vt cantent illud.

Saturabitur & impinguabitur. Plus est impinguari, quàm saturari quoniam multi saturantur qui pingues non sunt.

Irritabit me. Melius vertas. Reprobabit me: quoniam verbum naas hoc proprie significare videtur: vt patet Prouerbiorum quinto, vbi dicitur, Increpationem naas, id est, reprobauit cor meum. Et Psal. 107. Et consilium altissimi naasu, id est, reprobauerunt, & ex hoc quod Deum reprobarunt, irritum fecerunt pactum eius.

Loquetur canticum istud coram eo, id est, arguet eos, dicens eos meritò puniri. Aut reddet illis canticum istud, causam malorum quæ patientur, & erit mihi coram eis in testimonium.

Quoniam cognouit figmentum eius. Id est, quod ipse nunc apud se fingat: cogitat enim, quod postquàm fuerit promissa consequutus, ibit post cogitationes & voluntates suas. Aut noui figmentum eius, id est, compositionem, quod scilicet sit pronus ad malum: præsertim ad libertatem, sed videtur sensus prior germanior.

Docuit illud filios Israel, vt scilicet illud memoriter scirent, & decantarent.

Robora te & fortu esto. Dixi sæpius vix posse hæc duo verba discriminari, scilicet chazach, id est, roborare, & amas, id est, fortem esse: & videntur verba Domini.

Donec consummasset ea. Melius vertas. Vsque ad consummationem eorum, scilicet præceptorum, seu vsquequo compleuit scribere legem aut omnia præcepta.

Ponite illum à latere arcæ. Non constat ex hoc loco, quod fuerit positus liber legis intra arcam: credendum tamen est, illum ibidem fuisse asseruatum in to-

IN CAPVT. XXXI. DEVTERONO. ad mores componendos adnotatio.

Filius centum viginti annorum sum.

Sunt multi senes & aliis grauioribus impediti: qui cùm sint iam ad regimen inepti, nolunt tamen illud sua sponte relinquere, sed non sic serui Dei, qui etiam dum possunt, à se onus illud reiiciũt, sc ineptos causantur, præsertim cùm sciunt sic Domino placere. Audi Dauidem fugientem filium suum Absalon, & admonentem Sadoch, affetentem ad eum arcam Domini. Reduc (inquit) arcam dei in vrbem. Si inuenero gratiam in oculis domini, reducet me, & ostendet mihi eam. Si autem dixerit non complacui in te, ecce ego, faciat mihi quod bonum est in oculis suis. Vis alterum audire rebellem. Dixit semel Sauli Samuel Propheta. Pro eo quòd abiecisti verbum domini: abiecit te ne sis rex: qui licet fictè confiteretur peccatum suum tenuit tamen clamidis Prophetæ oram, & voluit vt inuitus eum honoraret coram senioribus Israel. A Moseh simul prælate disce non relinquere sine duce plebem propter dissensiones: quẽadmodum fecit Dauid cùm instituit Salomonem.

2. Semu. 15.

1. Semu. 15.

Fortifica te & robora te. Robustos & fortes duces esse oportet: qui faciem alicuius non timeant, & inter cætera oportet eos Deum propitium sibi habere.

1. Reg. 2.

Dedit eam sacerdotibus, filiis Leui. Vestrum est ô sacerdotes legem Domini docere, sed quis vestrum nisi rarissimi hoc præstat sibi demandatum munus? Neq; enim vt milites pugnatis, neque euangelizatis vt clerici, neque Domini legem docetis vt sacerdotes. Sed expende quæso eum legem non solum sacerdotibus, sed etiam senioribus dedisse: vt sciat magistratus à sacerdotibus suum munus exigere: cùm eos viderit ea in re negligentes esse.

Leges legem istam in auribus eorum coram omni Israel. Quis nunc talem daret plebem, in qua iuuenes virgines senes cum iunioribus conuenirent, ad legem Dei audiẽdam: ità vt à pueris disceret omnis ætas & sexus legem domini, & timorem eius. Disce etiam ex hoc loco ad quid debeas adire tẽplum dei, nempe vt audias legem domini dei tui, ad quam audiendam omnes domesticos tuos tecum deferre debes.

Fac congregare populum. Debet magistratus homines cogere ad legem audiendam, & inter alios peregrinorum meminit: quoniam isti inter cæteros præcipue hoc facere recusant.

Ecce dormis cum patribus tuis, & surget populus & fornicabitur. Pulchre ostendit locus iste, quid bonus prælatus valeat subditis suis, & qualiter eos in officio contineat. Similiter prædicenda sunt populo futura mala, vt ab eis caueat.

Derelinquam eos, & abscondam faciem meam ab eis. Sunt multi peccatores, qui cum post perpetratam culpam nõ videant sibi deum abesse, putãt adhuc adesse, sed tu hic audis deum post peccatum præsertim idololatriæ, hominẽ relinquere, & quod magis dolendũ est, faciem suam abscondere, & quis tunc poterit inuenire

Universidad de Deusto
Biblioteca

eum, vt ait Iob? Abstinendum ergo valdè à peccatis est, ne cum Iudæis cogaris Deum diu quærere, neque tamen inuenire. Sed disquirendum est, cur Dominus dicatur abscondere se à peccatoribus, & non potius illi abscondi ab eo quemadmodum Chain. Qui enim alium timet, ab eo se abscondit. Deus verò neminem timet, sed vir misericors magis nocet abscondendo se quàm ostendendo se vindicem.

Et erit in consumptionem. Audis quæ mala sequantur hominem à quo recessit deus. Audi Dauidem. Qui inquit custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum dicentes. Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendetis eum quoniam non est qui eripiat. Est anima nostra sine deo, sicut mulier absque viro. Quamdiu enim fœmina virum habet, nemo audet eam lædere aut tangere, quoniam qui se defendat habet, sed si moriatur vir, iam omnes ei mala inferre non verentur.

Inuenient eum mala multa & angustiæ.

Quærunt summo studio mala peccatorem & reum. Quamprimum enim deum offendit, nituntur omnes serui vindicare domini sui illatam iniuriam, & quod non inueniant statim, ipse sua infinita misericordia facit, qui eos abscondit in abscondito faciei suæ à contradictione linguarum, sed tandem nisi resipiscamus inuenient, & commeritas pœnas luemus, & quod sequitur dicemus.

Nonne quia non est Deus meus in medio mei, inuenerunt me mala hæc? Scribe canticum istud, & pone in ore eorum. Vult dominus nos prædicere & decantare mala ventura super nos: vt nos sic saltem à malis deterreat. Solent sæpius mali: mala sua prophetare.

Comedet saturabitur & impinguabit se, & conuertet se ad Deos alienos. Mala ac pessima homini male affecto saturitas, & omni populo summe nocere solet. Audi
Cap. 17. deum tuum apud Ezechielem. Ecce ista fuit iniquitas Sodom sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia otij, & manum egeni & pauperis non tenuit. Vbi aduerte quid valeat, manum pauperis tenere in mediis peccatis.

Quemadmodum grati, ita ingrati maledictionem. *Noui imaginationem* vel figmentum *quod ipse facit hodie* Sunt multi peccatores, qui in mediis imò & iniantè acceptionē beneficiorum: iam benefactori offensam & ingratitudinem parant: quemadmodum multi grati, qui cij parāt retributionē, ante beneficium gratitudinem. Dominus deus noster in medio offensarum nobis parat beneficia (vt Chrysostomus dicit) nos verò paramus ei offensam, dum beneficia recipimus. Audi Paulum primæ ad Chorint. 11. Dominus inquit Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem. Quando eius corpus tradebatur & vendebatur Iudæis, tunc ipse instituebat sacramentū corporis & sanguinis sui, & porrigebat suis.

Capite librum legis istius, & ponite ex latere arcæ fœderis, & sit ibi contra vos in testimonium.

Miseri nos valdè, qui portare cogimur testimonia aduersum nos, & seruare leges quibus damnemur.

Deus iustus & absque vlla iniquitate, peccauerunt ei. Nam quemadmodum dominus aliquando cogit peccatorem aduersus se sententiam proferre: ita & testi-
Mat. 20. monia aduersus se producere. Audi quid reprobi aduersus se dicant. Malos inquiunt male perdet, & locabit vineam suam aliis agricolis. Et Dauid. Viuit domi-
3. Reg. 12. nus quia filius mortis est vir qui hoc fecit.

Ecce adhuc me viuente, rebelles estis Domino.

Licet ex præteritis gestis: futura conicere & prædicere, & qui malus est subditus, vix poterit liber bonus esse.

Congregate ad me omnes seniores. Et si omnes in populo admonendi sint, maximè tamen principes & maiores: qui alios possunt in officio continere, sed parum prodetit doctoris externi admonitio, nisi intus Dominus moueat & flectat corda nostra ad mandata sua, quod ipse facere dignetur qui est super omnia benedictus.

IN CAPVT. XXXII. DEVTERONO. iuxta literam annotatio.

AVribus percipite cœli & loquar. Superiori capite admonui, cur Prophetæ, insensata lapides scilicet, cœlum & terram in testes suarum admonitionum vocarent, & puto propter duo. Alterum quia licet nobis huiusmodi creaturæ mutæ & insensibiles videantur: Domino tamen deo suo, expeditissime loquūtur: cùm ab eo vocantur. Alterum quia diutissime viuunt. Si enim solos homines in testes vocaret, aut pacti scripturam: cum omnia hæc tempore consumantur & deficiant, deficerent etiam domino probationes: ideò in testes vocat cœlum & terram, quæ perpetua esse videntur. Dicit ergo Moseh. Vos cœlos & terrā in testes eorum quæ admoneo voco, ideò audite eloquia oris mei.

Stillabit vt pluuia doctrina mea, fluet vt ros eloquium meum. Disputaui sæpius in hoc opere, de significatione verbi haraph quod vertimus stillabit, sed meo iudicio non tam proprie stillare, quàm fluere significat, quemadmodum fluit sanguis ex iugulo. Secundum enim alteram significationē significat ceruicem frangere aut deceruicare, & possemus dicere significare quocunq; modo fluere, sequēs verò verbum scilicet nazal Hebræis est fluere: vt patet Iudicum quinto, vbi dicitur. Montes nazelu, id est, fluxerunt: conuenit tamen locis quibus ponitur etiam stillare quare admittamus haraph significare stillare, nazal verò fluere. Est etiam aduertendū hic poni quatuor nomina: primum matar quod est pluuia seu stillæ grossæ. Secundum tal, id est, ros seu pluuia tenuis Sceerim, id est, aspersiones, & rebelim, id est, multitudines per quas meo iudicio intelligit grandinem. Est etiam aduertendum nomen lechach, quod nostri doctrinam vertunt, esse à verbo lachach quod est accipere, & potius videtur acceptionem seu disciplinam significare quàm doctrinam. Dicitur autem disciplina quæ à discipulo suscipitur, vnde locus sic reddendus est. Stillabit vt pluuia doctrina mea, id est, in copia descendet in vos, quemadmodum stillæ pluuiæ: fluet scilicet super vos veluti ros, eloquium meum: ad faciendum vos fructificare. Erit vt aspersiones super germen, & vt multitudines scilicet stillarum super herbam. Non audeo vertere grandinem, quoniam terræ nascentibus potius obesse quàm prodesse dicitur. Aduerte tertio dictionē scilicet, quam nostri hic pluuiam aut imbrem vertunt: esse à radice sahar, quod est horripilare: vnde sehar, id est, pilus: quare posset verti: sicut pili super herbam, id est, in tanta copia quemadmodum pili, aut ad modum pilorum quomodo pluuia descendere solet, aut quemadmodum descendit à multitudine pilorum simul colligatorum. Solent enim ex pilis aspersoria fieri, quibus aqua cum quadam tenuitate aspergitur: vt solet fieri in ecclesiis cùm populus aqua benedicta aspergitur, & hoc mihi videtur verius, quoniam Moseh desiderat hic tenuem pluuiam, & etiam grossiorem, & est hic locus in quo interpretes tribuūt nomini significationem non propriam, sed prout vident loco congruere: quod mihi non placet. Nunquàm autem (quod sciam) nomen sehar, inuenitur imbrem vel pluuiam significare. Possemus etiam dicere seherim significare niues, quoniam ad modum pilorum horripilatorum seu erisporum descendunt, & litera reddenda esset. Quasi niues super germen. Genesis etiam primo ostendimus discrimen inter desse, & hesseb, quod prius significet herbam teneram seu germen. Secundū verò grandiusculam seu duriorem.

Quia nomen Domini inuocabo, aut *clamabo.*

Subdit Moseh causam quare stillabit vt pluuia doctrina eius, & cætera, quoniam scilicet ad hoc inuocabit nomen Domini: vt scilicet faciat doctrinam eius proficere.

Date magnitudinem Deo nostro. Id est, dicite seu prædicate eum omnibus aliis diis maiorem ac superiorem, & verbum habah significat afferre vt Genesis vndecimo explicuimus. Posset etiam hæc sententia cum superiori cōtinuari, vt in Hebræo sit, vt sit sensus. Clamabo scilicet laudādo nomē domini; vos etiā mecum date

date illi magnitudinem, id est, magnum prædicate.

Dei perfectum opus eius, quoniam omnes viæ eius iudicium. Si radix sur quod vertimus deum, est sur quod est stringere angustiari munire & roborare, significabit sur Deum: quod sit munitio eis qui in eos confidunt, aut à roborando, quod videlicet sit robur eorum. Inuenitur etiam nomen sur Proueib. 30 significare saxum, vbi dicitur. Viam serpētis super sur, id est, petram. Idem Iob. 18. Num propter te derelinquetur terra, & transferetur sur, id est, saxum aut munitio de loco suo? Idem Isaiæ. 51. & aliis scripturæ locis: vnde videtur quod significet saxum aut munitionē cinctam muris. Dicit autē opus dei perfectum: quoniam impleuit quod promiserat patribus. De hoc enim opere loqui videtur: ac si dicat, Deus perfecit opus quod patribus promisit: quoniam ad ostiū erant terræ promissę; & subdit rationem. Quoniam omnes viæ, id est, opera eius iudiciū, id est, sunt iustæ. Quēadmodum enim omnia opera domini iusta sunt: ita & hoc opus quod patribus promisit iuste perfecit, & suis numeris absoluit. Potest etiam litera intelligi de lege Domini: vt sit sensus. Opus dei, id est, lex eius perfecta est, vt nihil in ea possit amplius desiderari: quemadmodum omnes viæ, id est, opera eius alia, iusta sunt, imò iudicium ipsum seu eius, sed prior expositio germanior videtur, quoniā videtur arguere Iudæos, quod deus promissis steterit & cōpleuerit omnia quæ promiserat, ipsi verò pacto domini non steterant: neq; staturi erant.

Fortis seu *Deus stabilis & non est iniquitas.*

Id est, iniustitia scilicet in eo. *Iustus & rectus.* Subaudi est. Nomen auem quod vertimus iniquitatem, non plene norum est Hebræis: ex coniecturis tamen videtur significare declinationem instabilitatem aut stultitiam. Leuitici. 19. dixi de significatione huius nominis, quod mihi videbatur.

Corruperunt illi, non filij eius, macula eis: generatio peruersa & inuoluta, seu *tortuosa.*

Sensus est deus cùm sit stabilis & nulla in eo sit iniustitia, & sit iustus & rectus: pacto suo stetit, sed illi corruperunt illi scilicet deo fidem & pactum: & sic mendacijs vertas quàm cum Sancte corruperunt se, & ideò non sunt filij eius, aut neque sunt filij eius quoniam macula est in eis, vel propter maculā eorum, & videtur loqui de macula infidelitatis. Dictio etiā ieches quam vertimus peruersum, opponitur huic quod est rectum esse: vt patet Micheæ. 3. Vbi dicitur. Et omne rectum iebacheseu, id est, peruertent, aut tortum reddent. De significatione verò sequentis dictionis. s. petal tol. i. tortuosum disputauimus Gen. 30. Si inquit essent filij dei essent perfecti, quēadmodum ipse, & opera eorum etiam essent perfecta, sed non sunt, quoniā corruperūt aut se, aut opera sua vel pactum eius, ipse est iustus & rectus, ipsi verò generatio peruersa & tortuosa.

Numquid Domino retribuetis istud, populus stultus & non sapiens. Verbi gamal significatio, non plene nota est Hebræis: videtur tamen significare accelerare cito reddere. Addunt etiam Hebræi ablactare & maturare, hic retribuere magis quadrare videtur & sensus est. O populе stulte, & non sapiens, nunquid pro tā immensis beneficiis nobis exhibitis, retribuetis istud domino vt. s. relinquatis eū pro idolis, & pactū eius disrūpatis.

Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te, ipse fecit te & formauit te? Posses etiā pro possidere vertere qui emit te, quoniā chanah etiā emere significat: vt patet Gen. 25. vbi dicitur. Agro quem chanah, id est, emit Abraham à filiis Chet. Emerat autem Dominus Iehudæos ab Ægyptijs, redimēdo eos. Habuit etiam se veluti pater nutriendo & portando eos vt infra dicetur. Verbum etiam ehun, aut chanan significat firmare certificare rectificare & præparare, & meo iudicio Hebræi confundunt duas radices hic, scilicet chanan & chun: vnde pro formauit posses vertere firmare. Et aduerte quod prius dicit. Qui possedit aut emit te, quàm dicat: fecit te, quod non videtur rectum, quoniā prius res fit quàm possideatur aut ematur. Rectissime tamē sic dicitur, quoniam postquàm dominus populum redemit, ex Ægypto, fecit illum sibi populum, & quasi puerum postquam genuit consolidauit, ac formauit. Vide Ezechielis. 16. caput, vbi pulchre infantiam Israel depingit Dominus.

Memento dierum præteritorum: Nititur probare Moseh Deum fecisse Israeli officium patris, ita vt nihil quod bonū decet patrē omiserit facere illi, & primum quomodo ab initio mundi eos sibi tanquā portionem elegerit, quod parauerat illis ab initio terram in hæreditatem, & quia ipsi non poterant scire se ab initio electos, ac sibi paratam terram, remittit eos ad patres & ad dies antiquos. Fuit autem huiusmodi electio & diuisio gētium, tempore Abrahę: vt patet Gen. 11. & Hebraice pro dierum præteritorum est dierum sæculi, & admonui sæpius nomen holā esse ab halā quod est latere abscondere. vnde holam videtur significare tēpus occultū, cuius non est memoria. Et per annos generationis intelligit annos hominum vnius ætatis: qui dicuntur vna generatio, vt patet Ecclesiastes primo.

Dicent tibi. Scilicet id quod sequitur videlicet te electum ab initio & terram tibi paratam & electam à Domino, vnde sequitur.

Quando hæreditare fecit excelsus gentes. Id est, quando vnicuique genti suam distribuit hereditatem, quod vt diximus fuit post diluuium quando turrim Babylonicam construxerunt: & constat ex hoc loco Dominum à principio mundi, terras gentibus diuisisse: neque rerum diuisionem esse solum de iure gentium nisi in particulari. Videtur enim deum à principio mundi dedisse certam terrę portionem Babyloniis, certam Gallis Hispanis & aliis, sed quod hoc prędiū sit huius, hoc alterius: hoc videtur iure gentium introductum. Dedit etiam dominus certam partē terræ, scilicet mon- *Cap. 1. et. 2. huius libri.*
tes Seir filiis Esau filiis etiā Loth suam vt suis locis diximus. Licet propter hominum merita vel demerita: det vel auferat patriam illis: vt patet Danielis 4.

Statuit terminos populis, secundum numerum filiorum Israel, id est, secundum multitudinem filiorum Israel, quam futurā nouerat: sic statuit terminos aliis populis: vt scilicet tantum spatium illis ad habitandum relinquerent: quātum nouerat ad numerum eorum sufficere, ac sic totam terrā Israel terminis terminaret, vt nōn possent aliæ nationes, eorum terminos ac terram occupare. Aut constituit tunc Israelitis terminos certorum populorum, id est, Chenaneorum in septē gentes diuisorum. Et quando dominus diuisit gētes post diluuium & fabricationem turris, tunc promisit Abrahæ terram septem gentium, & terminos præfixit.

Quoniam pars Domini populus eius. Ideo illis Dominus certam terræ partem statuit, quoniam eum elegit, vt portionem suam inter omnes gentes: vt illi polē licitus est Exodi. 19. Nam parētum est hæreditatem filiis relinquere & designare.

Iacob funis hæreditatis eius Solent homines funibus terrā mensurare: vt patet Iehosuah. 15. vnde idem dictu est. Habeo tot funes terræ, quod habeo tot mensuras terræ, & sumitur hic funis seu mensura pro re mensurata. Vnde in Psalmis habes. Funes ceciderunt mihi in præclaris, id est, sortes seu portiones funiculo mēsurate, & est sensus Iacob funis, id est, portio hæreditatis eius, aut sors. Et quēadmodum Dominus dicit Iacob funem hæreditatis suæ: ita & Iacob in Psal. dicit. Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Solet enim vinum seruis vase aliquo mēsurari, & vnicuique portio sua dari.

Inuent eum in terra deserti, et in desolatione Ielel deserti.

Non supputat Dominus tempus quo Israel fuit in Ægypto, quoniam nondum erat erectus in populum, & inuolutus erat multis vitiis & peccatis, præsertim idololatriæ. Lege caput. 16. Ezechielis & videbis ibi, qualem Dominus inuenerit Israelem in deserto, & qualiter mundauerit illum, & sibi desponsauerit, & hoc est quod hic dicit, se eū in deserto inuenisse: quod autem sequitur. Et in desolationem Ielel aduerte aliquos putare Ielel esse nomē proprium alicuius solitudinis, mihi tamē probabilius videtur ylulā significare,

quoniam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoniam Ialal quod est radix Ielel, vlulare significat: vnde vertēdum puto. Et in desolatione seu solitudine vlulæ.i. quæ vlulæ solent vlulare seu habitare. Sequens verò dictio, scilicet Ieſſimon, à iasam quod est desolare ortum habet, & significat desolationem, aut quod verius credo, nomē est deserti in quo fuerūt filij Israel: vt habetur Numeri vigesimoprimo & vigesimotertio & prioris Semuelis vigesimotertio ac Psal. 68. & 78. Si ramen desertum vel solitudinem interpreteris bene vertas. Est ergo sensus sic reddendus. Inuenit, scilicet Dominus eum videlicet Israel, in terra deserti, scilicet Sinai: dum ex Ægypto veniret, & in desolatione seu solitudine vlulæ seu qua vlulæ vlulare solēt deserti Ieſſimon: quod est desertum aut locus desertus in terra Moab: vt capite. 21. Numerorum habetur,

Circuire fecit eum, intelligere fecit eum. Dupliciter potest locus iste exponi. Primo vt sit sensus. Circuire fecit dominus populum, scilicet in deserto, montem Sehir, & terram Moab, & filiorum Hamon: vt re vera accidit, vt dictum est primo huius libri capite. Quod autem sequitur intelligere fecit eum intelligēdum est, quòd circunducēdo eum, multa fecit eum intelligere: vt quod nō in solo pane viuit homo, & id genus alia. Vexatio enim solet hominibus intellectum præbere. Multa etiam miracula Domini viderunt, quandiu fuerunt in deserto. Secundo modo possumus interpretari. Circuiuit eum, scilicet custodiendo, & vigilando circa illos, & docendo veluti pater filios, Prior tamen sensus magis placet.

Sicut aquila, mouebit nidum suum, super pullos suos extendit, dimisit alas suas, accepit eum, portabit eum super alam suam.

Ignota meo iudicio est significatio verbi Iair, id est, mouebit quod hic ponitur, & si est à radice vr, videtur significare excitare suscitare euigilare. Tribuūt tamen Hebræi verbo alias significationes, scilicet nudare & excæcare, sed re vera radices confundunt, scilicet ri & aiir & arah. & quæ significant exuere excæcare & nudare, sunt à radice arah quod propriè nudare signficat, quæ verò ab vr, significant euigilare excitare & suscitare, & hic excitare significat, vnde vertēdum est. Sicut aliqua excitabit nidum suum. Erant Iudæi in Ægypto veluti pulli nido inclusi, qui non audebant exire, cum non haberent matrem excitantem ad volatum. Dominus verò sicut aquila prouocauit eos ad volandum. Postquam verò è nido expulit eos, cubauit super eos quemadmodum auis: postquàm pullos è nido emittit. Separabit alas suas quas sibi coniunctas habebat dum non volaret, & portabit eum, scilicet populum super alam suam: ne, scilicet fatigatus decideret. Aduerte autem dictionis neser, quam aquilam vertimus significationem, non esse plene notam Hebræis: constat auem esse magnarum alarum, vt habetur Ezechielis decimoseptimo. Similiter esse magni corporis, quoniam ibi dicitur, Haneſſer hagado, id est, aquila vna grandis. Ex verbis etiam Chabachuch capite primo cōstat, esse auem in volatu festinam. Dictio etiam gozal, id est, pullus, à gazal quod est rapere ortum habet. Dicuntur autem pulli rapientes, quod rostro matris & patris cibum rapere videantur, aut est sermo de pullis auium rapacium. Quod etiam Sanctes vertit cubabit, potest verti extendet se. Diximus abunde de significatione eius Gene. 1. Eber etiam quod vertimus alam re vera alam, significat: licet abar Hebræis sit roborare & fortificare, quod ala fortificet se auis. Posset etiam verbum significare eleuare, & nomē alam quod ea se eleuet auis, & per alam intelligit protectionem & sustentationem. Protexit enim Dominus Israel in deserto sua protectione, & eos imbecilles sustinuit.

Equitare fecit eum super excelsa terræ. Verbum rachab. aut equitare aut sedere significat, & est sensus quod Dominus veluti sessorem equitare fecit populum suum super terram promissam, quæ omnibus vicinis altior est: ideò habitantes in ea comparatione aliorum vicinorum videntur equites. Aut equitare eum fecit, quousque ad terram veniret excelsam, & sic ire fecit quasi equites: quoniam neque vestes erant detritæ, neque calceamenta rumpebantur.

Et comedit proventus agri, id est, terræ promissæ.

Sugere fecit eum mel de petra: & oleum de durities petræ. Potest hoc intelligi de aqua illa, quam illis in deserto sitibundis tam abundanter tribuit, quam vocat mel, quoniam sitientibus dulcis fuit veluti mel. In Psal. habes. Cibauit eos ex adipe frumenti, id est, manah, & de petra, melle saturauit eos. Vocat autem oleum quoniam ea se populus lauabat, ac si oleo vngeretur. Posset etiam hoc referri ad terram promissionis: vt ibi sugerent mel de petra, quoniam ibi erat tanta mellis copia, quod è cauernis petrarum educeretur, & olei, vt inter saxa oleæ essent in copia. Non plene etiam constat de significatione nominis calamis quod vertimus durities. Sanctes fortem: propter id quod sequitur, videtur loqui de terra sancta.

Cum adipe agnorum, id est, cum agnis pinguibus, quibus abundabat terra sancta.

Arietes filiorum Bassan, id est, qui erant in terra Bassan in qua erant vberrima pascua. Quemadmodum de tauris Bassan in Psalmo vigesimosecundo habes. Vocat autem medullam tritici adipem ipsius, & vinum rubrum sanguinem vuæ: quia similitudinem harum rerum habent. Dictio etiam atudim, significat magnos hircos qui sunt duces gregis ab atad quod est ordinare.

Oleo vnctus est rectus, & calcitrauit: oleo vnctus, fuisti operuisti. Longè aliter vertit Sanctes, scilicet, Impinguatus est Israel. Vocat autem Israel rectum, quoniam cum angelo erectus est: vt dicunt Rabbi Abraham, & Aben Ezrah in commētariis. Sed melius vt vertimus, & sensus est. Postquàm Israel in terra promissa fuit oleo vnctus, qui in Ægypto & deserto fuerat quasi cōtractus, erectus est & calcitrauit. Solemus enim contracta vngere vt rectificentur & extendantur. Posses etiam interpretari. Impinguatus est rectus, id est, antea erat macilentus & erectus, impinguatus est dilatando se, & calcitrauit. Verbum verò bahat aut calcitrare aut calcibus conculcare significat: vt patet primo Semuelis secundo. Vt quid tibbehatu, id est, calcitrabitis aut conculcabitis sacrificium meum? Et alludit ad equos, qui quandiu sunt tenues, sunt mansueti: impinguati verò calcibus ludunt & percutiunt Dominum. Sic fecit Israel Deo suo, qui dedit copiam omnium quibus fatiati sunt, sed postmodum reiecerunt Dominum colentes idola. Verbum autem abah quod incrassari vertimus, significat desisare & ex consequenti crassescere.

Operuisti, scilicet pinguedine carnem.

Despexit Deum salutem suam. Verbum nabal, quod vertimus despexit, proprie significat cadere: vnde verti posset. Deiecit Deum salutem suam, aut petram qua saluabatur. Erat enim Deus petra, id est, fortitudo Israel. Significat etiam fœdare, quòd cadentes soleant deturpari: vnde Nachum. 3. habes. Proiiciam super te abominationes, venebbaltich, id est, & deturpabo te. Si legas deiecit, sensus est: quòd postquā Israel fuit pinguis effectus, calcitrauit in Deum, & deiecit cultum eius, & eum à sua dignitate, colendo idola. Si verò deturpauit, sensus est quod impinguatus deturpauit stercore suo sacrificia Domini, & Deum ipsum. Solent enim animalia pinguia, stercoris copiam emittere.

Zelare fecerunt eum propter alienos, aut in alienis: Relinquentes enim deum & colentes idola sua, videbantur Deum ad inuidiam & zelum prouocare. Dolore affectus videbatur dominus, videns eos pluris facere idola quàm se, & per abominationem etiam idola intelligit. Vocantur hic idola sedim, à sadad quod est suggere vel prædari, quod bona Israelitarum suggerent, quemadmodum dominus conqueritur. Hosch primo.

Nouis qui è propinquo venerunt. Vocat Mosch deos nouos idola, quod à paucis annis & non ab initio, cultus eorum fuerit introductus. Deus verò dicitur Deus de longè, id est, à multo tempore ab initio mundi & ante

ante sæcula: vt patet Iere. 44. & 23. vbi dominus dicit se esse deum de longè & nō de propè. Vide quę de hoc scripsimus Exodi. 3. super illud, Ero qui ero.

Quos non timuerunt patres vestri. Sumitur hic timere & etiam sæpius pro colere: quoniam homines deum colunt ex timore, & sæpius dixi Chaldęos vocare deum timorem: quos Hebræi sequuntur.

Deū qui te genuit obliuus es, et oblitus es fortis initiātis te? Posses etiam vertere deus genuit te, & oblitus es, scilicet eius? Dicit etiam initiantis te, id est, qui te prior accepit in vxorē. Nam verbū chalal significat initiari prophanare, & vult dicere. Oblitus es fortis qui te primus in spōsam accepit, & fuit dux virginitatis tuæ.

Vidit dominus et exacerbatus est, præ ira in filios suos et filias. Verbum naas Hebræis significat contēnere flocci facere & reprobare, & videtur hoc vltimū esse propriū significatum eius, vnde verti posset. Vidit dominus & reprobauit. ſ. populum suū: pro ira seu propter ità in filios suos, & filias suas. Aut. Vidit dominus opera eorū mala, & præ ira reprobauit filios suos & filias suas.

Videbo quid sit nouissimum eorum, id est, à præsentibus irritantibus me, faciē abscondam, sed videbo ostēdendo me his qui fuerint in vltimis diebus. Isaiæ. 10. habes. Residuum Israel conuertetur: residuum Iacob ad deum fortem. Si fuerit populus tuus Israel, veluti arena maris, residuum conuertetur ex eo, Multis enim scripturæ locis dominus promittit faciem suam ablaturum eis, quam sibi pollicetur restituere extremis diebus: quando eos ad se conuertet.

Generatio inuersa est, & non fides seu stabilitas in eis. Assignat causam quare faciem suam ab eis abscondet: quoniam, scilicet est generatio inuersa, non gradiens recte per diuina, scilicet mādata & sunt filij in quibus non est fides ad patrem suum: quoniam statim relinquunt non cognoscentes eum: aut sunt filij instabiles in pacto, quod cum patre suo pepigerunt.

Ipsi inuidere aut æmulari fecerunt me in non Deus, id est, fecerunt quod ego quasi inuiderem honori quem faciebant diis suis, aut quòd pro deo acceptarent eum qui nō erat deus, quod statim more suo explicat dicēs.

Irasci fecerunt me in vanitatibus suis. Et ego inuidere faciam eos, in nō populus, in gēte stulta irasci faciā eos, id est, quemadmodum ipsi irasci fecerunt me, colendo & sacrificando idolis, quæ non sunt vere Deus, & ego irasci faciam eos benefaciendo populo qui non erat antea populus. i. populo gentium. Audi Isaiā. 65. cap. Quærere feci me, ab his qui non interrogauerāt: inuenire me feci ab his, qui non quęsierant me. Dixi. Ecce ego ad gentem non vocatā nomine meo. Et Hoseh. 1. Voca nomē eius nō populus meus, quia vos non populus meus & ego non ero vester Deus. Secūdo posset exponi. Ipsi prouocarunt me dicēdo, quod ego non essem deus eorū & ego prouocabo eos quod non sint populus meus: dicēdo quod non sint populus meus: quēadmodum cōstat ex verbis Hoseh citatis. Et est locus apertus hic cōtra Iudæos, quod ipsi erūt reprobādi à domino: vt nō essent populus eius, & quod alter populus esset illis subrogādus ad æmulationē eorum. Ad quod ipsi citāt verba sequētia Hoseh. Et erit in loco in quo dicetur eis, nō populus meus vos: dicetur eis, filij dei viuētis, sed locus iste eos maximè torquet: ad quod etiam est illud Malachiæ. 3. Magnū est nomen meum in gentibus: & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda & non est mihi voluntas in vobis, & progente stulta vertere potes, turpem seu vilem.

Quoniam ignis succēsus est in furore meo: & ardebit vsque ad infernum inferiorem, id est, quoniam furor meus ob illorū idololatriā & peccata ardebit vt ignis succensus: & ardebit vsque ad sepulchrum inferius, id est, non solum cremabit terræ superficiem, sed etiam inferiora terræ: vbi sunt hominum sepulchra. Nam dictio scheol, quam hic aliqui infernum vertunt: etiā significat sepulchrum: neque puto hic esse sermonem de inferno dānatorum, vt statim explicatur cum dicitur, & inflammabit fundamenta montium, & tractat hic punitionem qua eos propter scelera præsertim idolo-

latriæ erat puniturus. *Consumabo super eos mala*, id est omne malorū genus in eos mittam, nō vnū aut aliud. Posset etiam verti. Deficere faciam sedidem est sensus: aut addam: vnde statim seusum explicat dicens.

Et sagittas meas consumam seu deficere faciam in eis. Nos dicimus. Gastarei todo meu amazem nelles.

Combusti fame, & comesti auibus, & morsu amaro. Non satis constat, qui d proprie significet dictio meze, quam cōbusti vertimus: qui vertunt combusti sequuntur Chaldæum paraphrastē qui Danielis. 3. vertit pro incendere lemezeieh, vbi textus habet. Et dixit lemeze id est, vt succenderent fornacem septuplum: significatio ignota est & fortè radix est zauah potius quàm mazah. Significat autem zauah angulum, & verti posset angulari fame (si sic loqui latinis auribus licet) id est, constricti fame, quemadmodum constringitur res ad angulum redacta: quod verò dictio etiam cum mem, sit a radice zauah, constat Psalm. 144. vbi habet mizauenu. id est, anguli nostri pleni. Significatio etiā nominis reseph, id est, auis ignota est Hebræis & nostris. Dicunt verò significare, prunam seu carbonem accensum, & per translationem ferrum sagittæ, & calidam ęgritudinem instar prunę, quæ cito veluti pestis interficit. Qui auem vertunt, sequuntur Chaldæum quem & Hieronymus sequutus est. Septuaginta etiam escam auium verterunt. Dictio rara est in scripturis, ponitur tamen Iob quinto vbi dicitur. Et filij reseph. i. prunę eleuabunt volatū: vbi scintillas vocat filias prunæ. Et Chabbachu. 3. Egredietur reseph. i. pestis ante eum, vt aliqui vertunt, vbi Hieron. diabolū interpretatus est: sequēs aliquot ex Hebręis, vbi etiā posset verti. Egredietur pro egredientur prunæ seu scintillę ante eum. Ponitur etiā Psal. 78. vbi dicitur. Tradidit grandini iumentū eorum, & possessiones laressaphim, id est, carbonibus ignitis, sed meo iudicio, dictio significat certum genus bestiæ: fortè aliquā speciē locustarū. Est tamen locus Cāticorum, 8. ex quo videtur significare prunā ignis, quo habetur Ressapheah risps. i. Prunę ei prunæ ignis, flammę magnę, quare hic vertendum puto & comesti ardore aut pruna ardenti, aut fulgure. *Similiter dictio cheteb quā Sanctes vertit morsum: ignotæ significationis est. Rabbi Dauid dicit Chatab significare excidere & cōfringere, & chereb excisionē seu confractionē. vt patet Isa. 28. vbi dicitur. Sicut tempestas grādinis, vt turbo chateb. i. cōfringēs seu cōfractionis: vnde hic vertendum puto. Et contritione amara. Thargum vertit cōtusionibus spirituū malignorum: significat autem malum quod in die grassatur, vt colligitur ex Psalmo. 61. vbi sic habetur. A peste quæ in caligine ambulabit: micheteb. i. ab excisione vel confractione, quæ vastabit meridie. Aliqui putant dæmonem significare: chatob quod est ex hac radice ponitur Hoseh. 13. vbi dicitur. Ero chotbecha. i. excisio vel contritio tua inferne. Potest ergo locus sic aliter reddi. Constricti fame & comesti ardore aut plaga ardenti, & contritione amara.

Cum veneno serpentiū in terra. Ponuntur hic in Hebræo duo nomina, scilicet chamat quod Sanctes venenum vertit, & zochale quod in serpentem mutauit, etsi chamat est à radice iachan quod est irasci, significabit iram: vnde Hieronymus & Munsterus verterunt. Cum furore serpentium. Secunda verò dictio (vt dicunt) significat serpentem, sed radix, scilicet zachal Hebræis est vereri pauere timere: ad quam significationem statuēdam citant illud Iob. 32. Iunior sum tempore, & vos decrepiti: idcirco zachalti, id est, veritus sum aut timui, indicare opinionem meam, quod rabbi Ionah vertit, Tardaui, ex lingua Harabica adducēs testimonium, in qua vt dicit, hoc verbum tardare significat: Micheæ. 7. habetur. Lingent puluerem sicut serpens: chezochale, id est, sicut reptilia terræ vel pulueris. Ex quo loco haberi putarem verbum significare serpere: præsertim latenter & nomen reptile: quod latenter serpat, & locum sic reddēdum puto cum ira seu furore reptilium terræ seu quæ reptant in terra.

Foris orbabit gladius, & in cubiculis terror, id est, extra

fœ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu aperte sustinebunt orbantia & priuantia eos liberis, & in cubiculis, id est, domi erit terror, scilicet hostium, vt, scilicet neque intus neque extra sint securi.

Etiam iuuenem, scilicet deuorabit gladius, sic de virgine & sene, ac si dicat. Nemini parcet.

Dixi dispergam eos per angulos. Verbum paah à peah quod est extremitas angulus, ortum habet, & si latinus sermo permitteret vertēdum esset. Angulabo eos, aut extremabo eos, id est, vsque ad extremos fines terræ eiiciam, ac si dicat. Decreui eos vsque ad angulos vel extrema terræ eiicere, & loquitur de Israelitis peccantibus.

Nisi prouocationem inimici timerem: Verbum chaas significat Hebræis irasci irritare & ad iram prouocare, & videtur quòd hic melius quadrat prouocatio quàm ira: vt sit sensus. Dispersissem equidem eos in fines terræ, nisi timerem quod inimicus eorum prouocaret me, dicens seu iactans se quod ipse eos puniret, non ego.

Ne fortè cognoscere facerent se, id est, iactarent se dicendo.

Manus nostra excelsa. Verbum nachar quod vertimus cognoscere facere Hebræis significat agnoscere & alienare se, & etiam claudere. Vnde Thargum vertit. Ne fortè magnificet se hostis eorum.

Gens periens consilijs, id est, consiliis destituta, aut perdens consilia, id est, cuius consilia sunt perdita, sed prior expositio germanior est.

Intelligerent nouissimum suum, id est, bona quæ sunt illis in nouissimo seruata. Hoc est quod supra dixit. Videbo nouissimum eorum: quod tu intellige de Israel Dei: quando vt habetur Hoseh tertio conuertetur ad Deum suum, & ad Dauid regem suum, in nouissimo dierum.

Quomodo persequetur vnus mille, & duo fugassent multitudinem. Vult ostendere discrimen dei Israelitarum, à diis gentium ex euentu: quoniam non posset vnus ex Israelitis persequi mille ex gētilibus, & duo fugare copiosam multitudinem: quemadmodum fecerant regibus Amorræorum, nisi Deus eorum, scilicet Israelitarum dedisset eos, scilicet gentiles, & dominus, scilicet populi Israelitici tradidisset eos, scilicet gentiles, aut nisi deus eorum, id est, idolum dedisset eos propter imbecillitatem suam. Posset hoc etiam ad Israelitas referri, vt sit sensus. Quomodo vnus ex gentibus persequetur mille Israelitas & duodecim milia, nisi dominus eorum dedisset eos.

Quia non est sicut Deus eorum, Deus noster. Quoniam ille non potest suos defendere quemadmodum noster, & ipsi quasi experti possunt hoc testari.

Ex vite enim Sedon, est vitis eorum. Potest hoc referri ad Israelitas & ad gentes. Si ad Israel referas sensus est. Vis scire quare sic erunt Israelitæ imbecilles vt vnus ex hostibus persequatur mille? Quia eorum progenies mala est veluti ex vite Sedon, & vuæ eorum, id est, fructus ex agris Hamorah, ac si dicat. Non sequuntur patrem deum & patres priores sed malos. Si verò ad gentes referas, quod magis literę quadrare videtur, dicit eas procedere ex vite Sedon, id est, ex pessima progenie, qualis est idololatrarum.

Vuæ eorum vuæ veneni. Ponitur hic nomen ros, quod significat caput, & vt diximus, videtur caput venenosum significare.

Venenum draconum vinum eorum: venenum aspidum crudele. Posset etiam verti. Ira draconum vinum eorum, id est, vinum eorum est tam forte seu fumosum, sicut ira draconum, aut tam calidum ad faciēdum malum. Solent enim qui forti vino ebrij sunt: multa mala perpetrare. Et quod sequitur. Venenum. Dictio Hebraica ros, caput significat, & vt iam hoc capite diximus videtur significare venenum capitis animalis venenosi. Dictio etiam petanim quam nostri aspidum vertunt: incertæ significationis est apud Hebræos. Dicunt tamen aspidem significare, ad quod citāt illud Isaię vndecimo. Et ludet infans, super foramen patens, id est, aspidis. Ab hac radice est mipetan quod nostri limen inferius vertunt, & fortè dictio significat lacetam quæ communiter moratur sub limine vel in limine, aut reptile quod speciem liminis habet: primo Samuelis quinto. Ideò non caleant sacerdotes Dagon super miphtan, id est, limen. Similiter significatio dictionis achzar, id est, crudele, non plene nota est. Hieronymus insanabile vertit. Threnorum quarto dicitur. Filia populi mei le achzar, id est, crudeli, scilicet tradita est. Non enim potest referri ad filiam, quæ est fœminini generis. Et Ieremiæ sexto Achzari, id est, crudelis est, & non miserebitur. Si hæc omnia referas ad Israel, significatur eum fore plantam malam & venenosam ad nocendum vel propinandum deo malum vinum, quemadmodum Isaiæ quinto legis. Expectaui vt faceret vuas & fecit fœtidas. Posset etiam esse sensus. Vinum quod illis paraui est venenum draconum: cui cōcordat quod sequitur,

Nunquid non est absconditum mecum, scilicet. Vinum hoc. Potest etiam hæc sententia seorsum legi, vt sit sensus. Nunquid non est absconditum mecum, scilicet malum quod decreui facere eis? quod statim explicat dicens. Mea est vltio & retributio. Lege. 38. cap. Iob, & videbis deum dicentem se habere thesauros niuis & grandinis, seruatos ad diem belli.

Tempore quo mutabit pes eorum, id est, tempore quo pedes eorum, ad ruinam & casum declinabunt, aut parati erunt. ac si dicat: seruo illis mala ad tempus quo cadere incipient, quando mala maximè sentiuntur, aut cum cœperint à lege mea recedere seu declinare.

Quia propinquus est dies perditionis eorum, scilicet. Israelitarum aut gētium si ad eas prophetiam referas. Posset etiam verti contritionis eorum.

Et festinabunt ordinata eis, id est, festinabunt quæ Dominus ordinauit & disposuit super eos ventura. Nam dictio hatidot ordinata significat, sicut hatad ordinare.

Quia iudicabit Dominus populum suum, id est, puniet si ad eos referas: vel vindicabit si ad gentes, & postmodum pœnitebit eum, scilicet malorum quæ illis inflixit.

Quoniam videbit quod abiit manus, id est. considerabit quod recesserit ab eis fortitudo ad mala ferenda: vel propulsanda.

Non est clausus neque derelictus. Vocat Hebraismus claudum seu mancum clausum: quoniam non potest se mouere seu incedere, ac si esset clausus: per derelictum verò eum qui nullius est reputationis. Sic secundo Regum decimoquarto. Clausum & nouissimum habes: ac si dicat, videbit quod ferè nullus sit superstes. *Quid Hebraismus vocet clausum et derelictum.*

Et dicet, vbi sunt dij eorum? Quasi irrisorie, & videns suos omni auxilio destitutos dicet, Vbi sunt dij eorum, quos, scilicet isti coluerunt.

Deus protexerunt se in eo, id est, quem separabant protegere eos. Sunt qui vertunt Deus in quo sperauerunt, sed verbum chasah potius tegere & protegere quàm sperare significat. Isaiæ quarto vlemachse, id est, in absconsionem à turbine seu in protectionem à turbine: non tamen damno si vertas sperauerunt in eo.

Cuius pinguedinem sacrificiorum eorum comedebant. Aliqui vertunt. Qui pinguedinem sactificiorum eorum comedebant. Solebant idololatræ comedere pinguedinem sacrificiorum suorum, & fortè ideò Dominus suis pinguedinem prohibuit: voluitque sibi offerri in sacrificio. Similiter solebant bibere vinum quod diis suis libabant.

Sit super vos absconsio, id est, illi dij quorum adipem comedistis, & quorum libamen bibistis, id est, quibus sacrificastis: sint nunc super vos absconsio, id est, abscondāt vos à malis meis, aut sint super vos protectio id est, protegant vos. Sed quia nullus est qui vos protegat de manu mea sequitur,

Videte nunc quod ego sum, scilicet solus verus Deus: neque est alius Deus mecum. Hebraice habetur. Videte nunc quoniam ego: ego ipse subaudi sum Deus.

Perfodi & ego sanabo. Verbum machats Hebræis est transfodere & transfigere: vt patet Psal. 110. vbi dicitur, Machts. i. trūsfixit in die furoris sui reges: quod Hieronymus vertit percussit, & in Hebræo est præteritum transfodi, sed pro futuro accipitur.

Leuabo enim ad cœlum manum meam, & dicam viuo ego in æternum, id est, iurabo leuando manum meam in cœlum, & dicam viuo ego, id est, iurabo per vitam meam, eleuata ad cœlum manu mea. Erat enim hic iurandi modus apud antiquos patres. quem vt ex hoc loco colligo, à Domino didicerunt, iurare, scilicet per vitam dei, leuata ad cœlum manu, protestando eum in cœlo sedere, aut cœlorum dominum esse. Sic sanctum Abraham iurasse legimus Gen. 14. Leuo inquit manum meam ad deum, possessorem cœli & terræ. Hinc Prophetæ iurantes. Viuit dominus. i. per vitam dei. *Modus iurādi Domini quē antiqui patres seruabant.*

Si acuero aciem gladij mei. Hoc est quod per vitam meam iuro.

Quod si gladium acuero, & manus mea apprehenderit iudicium, id est, vltionem seu vindictam.

Quod reddam vltionem hostibus meis. Aduerte hic quod Hebræi dicunt verbum sanam, id est, acuere, significare acuere: ad quod citant illud Psal. Sanenu, id est. Acuerunt vt gladium linguam suam. Et illud Prouerbio. 25. Et sagitta sanun. i. acuta, sed sunt aliquot loci, quibus hæc significatio nō bene quadrat vt supra 28. vbi dictum est. Eris in stuporē & in parabolam velisninah. i. & in prouerbium, aut melius in reuolutionem, scilicet cantilenæ. Puto enim verbum etiam significare reuoluere aut iterare & ex consequenti acuere, quod res reuoluendo acuatur. Moueor ad hoc quia supra ca 6. dictū est. Vesenatam, id est, repetes ea filiis tuis, aut iterabis: vnde verti posset, si iterauero aciem gladij mei. quod explicatius vertas si acuero.

Reddam vltionem hostibus meis: id est, vlciscar eorū, & vocat hostes populi sui, hostes suos, quoniā sæpius eius gratia eos persequebantur.

Gladius meus deuorabit carnem. Vocat Hebraismus occisione quæ gladio fit, deuorationem, & vocat acumen gladij os, vnde frequenter inuenies. Occidit eos in ore gladij, & quia os gladio tribuit: dicit gladium carnem deuorare.

Propter sanguinem occisi et captiuitatis à capite vltionum inimici. Verbum para à quo parot quod vertimus vltiones, significat proprie nudare discooperire: vt patet Numeri. 5. vbi dicitur. Vpara. i. & nudabit seu discooperiet caput mulieris, & ex consequenti spoliari, quod spoliare sit quasi denudare seu exuere homines bonis suis, vnde hic verti posset à capite nudationum seu spoliationū. Et sensus est. Ideò reddam vltionē hostibus, & inebriabo sagittas meas sanguine, propter sanguinē populi mei occisi, & propter captiuitatē quia eos captiuos duxerūt à principio: seu à tēpore quo inimicus cœpit spoliare eos: aut vltionem ex eis sumere.

Laudate gentes populum eius. Verbum ranan significat clamare, laudibus extollere: vnde verti posset. Aclamate, scilicet laudando eum: vt. f. mitior & tolerabilior fiat vobis vindicta domini, & per terrā intelligit terram Israel, cui tandem dominus propitius fuit.

Et propitiabitur terræ suæ, populo suo. Verbum chapar significat Hebræis propitiare & etiam operire & tegere, & si tegere vertas sensus est. Et teget terram suam & populum suum, vt illa non amplius ad vindictam videat.

In auribus populi eorum: ipse & Hoseah filius Nun, scilicet, venerit. Sāctes vertit in auribus populi huius, & in auribus Hoseah filij Nun; neq; male sic interpretatur, sed prior expositio magis arridet.

Ponite cor vestrum ad omnia verba quæ ego testificor vobis, id est, attendite ad omnia verba, & est Hebraismus: qui etiam ponitur secundo Samuelis 13. vbi dicitur. Ne ponas super cor, id est, ne cogites super hac re, aut ne affligas te super hoc. Vocatur autem hic Iosuah nomine quo antea nominabatur, & quod dicitur. Quæ ego testificor vobis, id est, prędico, adhibitis testibus, scilicet cœlo & terra.

Quia non verbum vanum ipsum à vobis, id est, quia non debet à vobis reputari vanum & inane verbum, quod veritas rei non sequatur, quoniā re vera ita eueniet vt prædicitur.

Sed est vita vestra. Causaliter, id est, custoditum viuificabit vos.

Et in verbo isto, scilicet custodito, *viuificabitis vos in robore diei istius*, id est, dies dum iste adhuc robur haberet, seu antequàm esset nox.

Ascende ad montem Habarim istum, montem Nebob id est, qui alio nomine appellatur Neboh, qui, scilicet mons, *est super faciem Iericho*, id est, eregione eius.

Congregabis te ad populos tuos, id est, ad statum maiorum tuorum, in quo sunt omnes maiores populi tui.

Eo quod præuaricati estis in me. Non est bene nota Hebræis propria significatio verbi maah quod vertimus præuaricari, & Chaldæus mentiri, & fortè significat veritatē regere: vnde ab eo est meiil. i. pallium sic à tegendo dictū. Diximus abunde de hac præuaricatione Num. 20. quem locum consulere licebit. Similiter quomodo non sanctificauerint Dominum ibi.

Quoniam ab ante videbis terram, id est, eregione: quod alij vertunt ex aduerso.

IN CAPVT. XXXII. DEVTERONO.
ad nostram instructionem annotata.

A Vvibus percipite cœli. Audiendæ sunt maxima attentione monitiones dei neq; negligendæ: quoniam cœlum & terram in testes vocat aduersum nos: quæ nunquàm deficient.

Stillabit vt pluuia doctrina mea. Parum curant multi doctores, faciāt ne in auditoribus fructum necne. Debent autem summe desiderare doctrinā suā proficere, & pro hac re dominū maximo affectu orare, quē admodum facit hic sanctus Moseh. Sine doctore enim cœlesti, parū aut nihil proficeret externus instructor.

Dei perfectum est opus. Considera quàm celeriter & festinè Dominus promissa sua compleat, & quàm tarde nos illi ea quæ polliciti sumus reddamus.

Corruperunt se, non filij eius. Audis hic quanta munditia præditum te esse oporteat: si vis esse filius Dei.

Interroga patrem tuum. Summe curandum est, vt sis gratus parentibus & Deo, & si ignoras beneficia Dei tui, quærenda tibi sunt à senioribus, & interrogandi de beneficiis Dei.

Statuit terminos populis. Quid facitis principes & potentes orbis, qui confundere vultis, quæ Dominus tam distincte constituit ac diuisit? Inter Italos & Germanos præter linguæ maximum discrimen: alpes constituit montes: voluitq; Germanos esse germanos, non Italos. Sic Pirinæos inter Hispanos & Gallos, sed principum effrenis ambitio, omnia hæc confundere sæpius voluit. Vbi similiter aduerte, quanta diligētia Deus curet seruos suos: vt quasi filiis antequā essent, hæreditatem parauerit, quemadmodum & Paulus dicit: pios dilexisse, ante mundi constitutionem. *Ephe. 1.*

Pars autem Domini populus eius. Magna in Deo dignatio, qđ voluerit peculiarē populū eligere, & maxima dignitas in populo inter cęteros dilecto ac electo

Inuenit eum in terra deserti. Quales ex nobis simus, & qualis habitatio nostra, antequàm nos Deus sibi deligat, pulchre locus iste adumbrat, & dominus apud Ezechielem manifestat. Tu inquit eras nuda & discooperta, proiecta super faciem agri in abiectione animæ tuę, in die qua nata es & quæ sequuntur. Quales autem nos faciat deus noster habes hic, nempe ex seruis liberos, ex abiectis nobiles, ex nudis vestitos, & ex pollutis mundos. *Ezech. 16.*

Circuire fecit eum, intelligere fecit eum
Quare ô homo ignare, circuitū querularis, labores à Domino immissos reiicis, eum his tibi intellectus detur, & vexatus intelligas quæ Dei sunt? Non audis dicentem, te in circuitibus tuis custoditurum quasi pupillam oculi sui. Audi Hamos capit. 9. Ecce commouere faciam in omnibus gentibus domum Israel quemadmodum cōmouetur triticum in cribro, & non cadet *Luc. 21.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lapillus in terram. Et dominus Petro, Simon, Ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret velut triticum, sed ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

Vt aquila prouocauit ad volandum suum.

Sunt multi etiam sancti tam timidi ad bona, ac si mala opera essent, quos Deus velut aquila ad altissima prouocat. Audi eum Canticoru. 2. dicentem. Surge tibi amica mea, formosa mea, & veni tibi columba mea in foraminibus petræ, in abscondito gradus, sed quia ad aspera & obscura venire tardabat ad amœna vocat dicens. Surge tibi amica mea, speciosa mea & veni tibi. Ecce enim hyems trãsiuit, imber abiit, recessit sibi: flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit, & vox turturis audita est in terra nostra.

Dominus solus duxit eum. Considera dilectionem Dei tui erga te: non vult aliquem quam se tibi benefacere: omnes alios duces suspectos habet. Omnes præter eum te volũt à via retrahere, vt neminẽ præter eum ames, illi, soli seruias & cũcta tua debeas & sicut deus tuus consortiũ in beneficiis respuit: ita & tu in ministeriis, vt nulli alteri seruire atq; obtemperare digneris.

Impinguatus est Israel & calcitrauit. Audis hic quanto melius cum pauperibus quàm cum diuitibus agatur: & quam securior sit via paupertatis quàm diuitiarum.

Et dereliquit Deum factorem suum. Ferè omnes seruimus deo propter indigẽtiam, & qui minus indigent minus curant, & deterius seruiunt, & cũ diuites abundent, bonis dei se non indigere putant, & dicunt apud Selomonẽ Prouer. 30. Quis est dominus? Pauperes verò quoniã pane quotidiano opus habent, quotidie ad Deum clamant. Panẽ nostrum quotidianum, da nobis hodie. In labore inquit hominum non sunt: neq; cum hominibus flagellantur, ideò tenuit eos superbia.

Dixit quos non nouerunt. Mirabilis valdè est hominum insania, vt omnia explorent præter Deum. Erant isti tam cæci, vt quamprimum quis adduceret nouum deum statim colerent & amplexarentur sine delectu. Audi deum apud Ieremiam. Mitte te ad insulam Cheti̇m & in Chedar. Si mutauit gens deos suos. Populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.

Ipsi zelare fecerunt me in id quod non est Deus.

Nouit Dominus iniurias illatas, siue sanguine vindicare, & inuidia torquere eos qui eum ad æmulationẽ prouocãt. Hoc flagelli genere castigauit summũ sacerdotem Heli. Si enim tu alterum præter eum deum acceptes, nouit etiam ipse alium populum acceptare. Si alterum eo plus diligas, scit ipse aliũ plus te diligere, vt te ad inuidiã prouocet. Et cõsidera quos eligit vt te torqueat. In gente inquit stulta irasci faciam eos. Stulta enim mundi eligit, vt confundat sapientes.

Ardebit vsque ad infernum inferiorem.

Terribile valdè est eum offendere, qui summe diligit aut dilexit: Non sic in inimicos sæuire solet homo, sicut in summos amicos si in inimicos vertantur: quoniam solet ingratitudo beneficiorũ collatorum, iram excitare. Quo in loco etiam considera: quomodo terra ac fructus eius pœnas peccatorum nostrorum luãs, quemadmodum iuuenes & virgines.

Quemadmodũ bona nobis à deo collata in eum solum sunt referenda, ita et mala.

Nisi iram inimici timerem. Quemadmodum egrè fert Dominus, si in alium eius beneficia referas: ita & si in alium referas eius flagella & punitiones. Dominus enim mortificat & viuificat: pauperem facit & ditat. Audi sanctum Iob. Si bona inquit suscepimus de manu Domini, mala quare non sustinebimus? Dominus inquit dedit: Dominus abstulit. Confert multum ad timorẽ domini cogitare te ab eo puniri, imò neminem præter eum te lędere posse: quemadmodum aliãs me admonuisse recolo. Neq; se iactet hostis quòd inimicum offenderit, sed sciat se Domini instrumentum ad humiliandum eum. Veh Assur virga furoris mei, sed ipse non sic arbitrabitur. A multis malis sæpe Dominus temperat, ne alius sibi huiusmodi tribuat aut alteri, quemadmodum bona.

Isaiæ. 4.

Vtinam sapientes essent, intelligerent nouissimũ suum.

Sunt multi qui vtiliter admonent considera: homi-

nem nouissimum suum, ne in peccata labatur, & per nouissimum, queq; acerbissima intelligunt. Fateor hoc magnum esse ad peccata vitanda antidotum, sed Dominus magis cupit vt considerantes bona, quæ nos in nouissimo expectant, peccata vitemus.

Dominus cupit nos fugitiues peccata vitare propter bona futura quã propter mala imminentia.

Nisi Deus eorum vendidisset eos. Considera quæso ò homo quem colas, quoniam si deum verum, pro cultu tuetur te, si verò idolũ vendit te pro cultura tua, & si quęras cui te vẽdat, audi Paulũ. Ego inquit carnalis sum, venundatus sub peccato. Gratis (ait Isaias) venundati estis. Relinquunt enim falsi dii hominẽ, in mediis tribulationibus. Deus verò tũc maximè succurrit suis.

Rom. 7.
Isaiæ. 14.

Inimici nostri sunt iudices. Considera quàm bene dominus iustificet causam suam, vt bonorum in te collatorum inimicos tuos iudices faciat, & mirum valdè est quod inimici nostri videant & attestentur in nobis beneficia dei, nos verò ad illa cæci simus.

Nunquid non est absconditum mecum. Abscondita sunt nobis nunc mala & bona, quæ Dominus nobis in tempus seruat, quare admittendum est, vt velis tibi potius bona quàm mala seruari.

Mea est vltio & retributio in tempore quo mutabit pes eorum. Et si omni tempore punitio timenda sit, maximè tamen cùm homo in tribulatione est, ne afflictio afflicto addatur, & in hoc tẽpus Dominus dicit malis sua flagella seruare. Nam quẽadmodum bona sua seruat ad tẽpus lætitiæ, vt bona bonis addat, sic mala ad tempus angustiæ, ad quod malus seruatur.

Propinquus est dies mali euentus eorum.

Festinant mala post malos, & quod eos non statim inueniant, munus Dei est, abscondentis eos à malis suis, vt interim resipiscant: quemadmodum bona post bonos accelerant cursum suum.

Iudicabit Dominus populum suum. Non est persequendus vel male tractandus peccator: quem Deus suo iusto iudicio persequitur: quoniam non tibi, sed illi peccauit. Audi in Psal. dolentem. Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorẽ vulnerum meorum addiderunt, sed tandem ius dicet Dominus suis de te, qui seruos eius sine vlla causa persequutus es. Et expende quæso consolationem sequentem.

Super seruos inquit suos pœnitebit eum.

Magna Dei nostri dignatio, vt eum malorum pœniteat, quæ tam iusto iudicio nobis infligit. Quem quæso non pœnitebit peccatorum suorum, postquàm videt eum pœnitere pœnarum.

Vbi sunt dij eorum? Hoc nobis sufficere deberet ad relinquenda idola, quòd videamus neminem illorum posse nos eruere de manu dei, Deum verò nos ab omnibus posse liberare.

Videte quod ego ego sum. Omnia vult sibi deberi, non ergo opus est gratiarum actiones in multos diuidere: sed eum vnicum nostrum cognoscere benefactorem.

Si acuero aciem gladij mei. Quis non timebit te, ò Rex gentium? Sola voce conturbas & terres. Vox (inquit Dauid) domini confringentis cedros: quanto magis si gladium acuas?

Reddam vltionem hostibus meis. Non dicit. Vlciscar in hostes populi mei, sed meos, quoniam qui seruum lædit, domino inimicatur, quod maximè considerent, qui propter veri Dei cultum, cultorem persequũtur, quoniam non tam in seruum quàm in dominũ agunt.

Laudate gentes populum eius. Merito populus ille laudibus summis attollẽdus est, qui talẽ deum habet, qui iniurias illi illatas, maxima seueritate vlciscitur.

Propitiabitur terræ suæ, & populo suo. Quemadmodum propter populum irascitur terræ, ita & propter eius pœnitentiam, terræ propitiatur.

Quia non verbum inane. Quanti faciendæ sint admonitiones Dei & sanctorum, docet locus iste: quoniam non verba inania sunt, sed vitam & mortem secum afferunt.

Vide terram Chenaan, quam ego do filiis Israel. Noluit dominus seruum suũ fidelem, omni iocunditate priuare, sed voluit terram licet à longè prospicere. Est enim aliquid mercedis bonã sperata videre: licet nõ

assequaris.

assequaris. Similiter voluit eum testem veritatis suæ habere: quod videlicet compleuerit, quod patribus ante promiserat.

Eo quod præuaricati estis in me. Timeant valdè hoc verbum, qui deo dilecti sunt imò & omnes, & expendant quam bene dominus deus peccata illorum ad puniendum seruet. Qui enim multum diligitur, multum offendit si à gratia cadat, & cautissime cũ deo agẽdum est. Et acceptãda est æquo animo diuina sentẽtia, etiam si precibus mutari nequeat. Neq; putes in malum duci cessisse obitũ ante terrę ingressum: qui tot labores iam subierat, vt bonum ducẽ ageret, imò secũ optime agi putauit, cui requies à laboribus parabatur corporis, & animæ locus immortalitatis & sempiterni gaudij.

IN CAPVT. XXXIII. DEVTERONO. iuxta literam adnotatio.

Hæc est benedictio qua benedixit Moseh vir Dei.

Solebant sancti patres morti propinqui, populum aut filios benedicere, quemadmodum legimus de Isaach, Iacob & Ioseph quæ quidem benedictiones, imprecationes erãt bonorum cum quibus futura tam bona quam mala, quasi Propheræ prædicebant: quod etiam nunc facit sanctus Moseh. Vocabantur Propheræ viri dei, quoniam ministerio dei, dedicati erant, aut potius quia vices gerebant dei in dãdis responsis eius hominibus: vel in quibus erat deus ad respondendum quæsitis, & prædicit illis Moseh quę erant illis vẽtura.

Quare viri sancti, viri dei dicebantur.

Dominus de Sinai venit, & ortus est è Seir eis.

Describit Moseh aduentum domini, cum venit ad dandam legem Iudæis. Videtur enim è terra sancta venisse versus desertum vbi erant Iudæi. Dicit eum venisse è Sinai, i. ex deserto Sinai, versus montẽ Choreb, quo legem promulgauit, & dicitur ortus de monte Schir, qui est mons Ædomeorum & est versus terrã sanctam his qui sunt in deserto Sinai: quoniam ex ea parte subito apparuit, aut quia lux & nebula quæ eius præsentiam manifestabant, ibi prius visa sunt, & inde quasi subito ortus est eis, & hoc est etiam quod sequitur. s.

Illuxit de monte Paran, qui est mons illius deserti quod dicitur Paran. Chabachuch. 3. habetur. Deus à meridie venit, & sanctus de monte Paran, sed non puto Prophetam ibi describere hunc aduentum.

Venit cum millibus sanctorum. Hebraice est, venit à multitudinibus sanctitatis, & verbum atah, significat proprie velociter venire, & quasi currere. Quod verò dicitur. A multitudinibus sanctitatis, verti posset à loco in quo erat multa sanctitas, & videtur per hunc locum intelligere montẽ in quo postmodum templum fuit constructum, aut à loco in quo cũ multis sanctis erat. Si tamen communem sensum habere volueris, liberum tibi est. Psal. 49. habes. Ex Sion perfecti decoris deus illustrauit. Veniet deus noster, & nõ silebit, ignis coram eo vorabit. Et post pauca. Congregate mihi sanctos meos, qui pepigerunt pactum meum super sacrificia: vbi de aduẽtu ad iudicium videtur loqui, & quemadmodum ibi de Sion, & cum sanctis venisse describitur, ita & hic fortè venit ex Sion.

A dextera eius ignis: lex eis, id est, à dextra eius videbatur ignis ardens dum veniret, & etiam ad dexteram eius erat lex eis, scilicet Iudæis danda. Aliqui verterunt. Ad dextrã eius ignea lex, id est, duæ tabulæ quibus erat sculpta lex, quæ quidẽ tabulæ igne erant operatæ & inuolutæ, aut velut ignis splendebant.

Etiam diligit populos. Omnes ferè hic vertunt diligit, sed quia nullibi video verbum hoc significare, putarem potius significare celare abscondere, quemadmodum chaba & chabah, vnde illud Iob. 31. quod notri vertunt. Si celaui vt homo præuaricationẽ meam: vt absconderem bechbbi, id est, in amore meo. potius vertendum putarem, in absconsione mea, & sic exponit Rabbi Leui. Si vertas diligit, sensus est. Affert secum legem, quoniam populos diligit. Aut licet soli Israel legem deferat, cum hoc tamen diligit alios populos. Si autem legas abscondit populos: sensus est

absconsit populum sub in monte Sinai ab aliis populis, vt illi daret legem, aut protexit populos quasi abscondendo. Et licet omnes populos dilexerit, *omnes tamen sancti eius sunt in manu*, id est, potestate *tua*.

Potest etiam oratio non pendere à superiori, & tunc erit sensus

Omnes sancti eius, id est, populi Israelitici: *sunt in potestate tua, & ipsi qui conuncti sunt ad pedem tuũ*, id est, qui audiunt te *accipient de eloquiis tuis*, id est, magis participabunt doctrinam tuam: & coniungi ad pedem alicuius, est discipulum seu auditorem se illi præbere: quoniam discipulus esse solet ad pedem magistri, & est Hebraismus. Sed aduerte quod hæc clausula longè aliter est in Hebræo, scilicet sic. Omnes sancti eius in manu tua, & ipsi percussi sunt ad pedes tuos, aut pedibus tuis: leuabit aut portabit de verbis aut eloquiis tuis, sed sensus est quasi idem, quoniam per percussos ad pedes seu pedibus, videtur auditores seu discipulos intelligere: qui existẽtes ad pedes magistri, ab eo solẽt verberari. Qui interpretantur, qui coniuncti sunt ad pedem tuum: putant verbi radicem esse tachad quod est coniungere, & est melior sensus & clarior.

Legem præcepit nobis Moseh, hæreditatem congregationis Iacob. Dupliciter potest locus iste reddi. Vno modo legendo hæreditatem, vt sit sensus. Quam legem præcepit in hæreditatem filiorum Iacob, id est, vt sit hæreditas filiis Iacob, & re vera ita est, quod lex est hæreditas Israelitis: quoniam præsentibus & futuris dabatur, aut quia simul cum hæreditate data est. Data enim est hæreditas terræ sub conditione seruãdę legis: vt patet Gen. 17. & 15. ac multis aliis scripturæ locis. Alio modo potest litera sic legi. Legem præcepit nobis Moseh, hæreditati filiorum Iacob, seu filiis hęredibus Iacob, sed prior sensus germanior literę est

Et fuit in Israel Rex, quando congregauerunt se capita populi: pariter tribus Israel. Prophetat hic Moseh tempus quo populus regem habere debebat, nempe cùm capita populi fuerint congregata ad regem constituẽndum: quemadmodum constat priori Semuelis libro capite. 8. & accipitur fuit pro erit, vt Prophetis mos est. Est etiã in Hebræo pro Israel bissurun, id est, in rectitudine Rex, id est, fuit Rex in rectitudine seu rectus: quandiu cõgregata sunt capita populi & tribus Israel scilicet ad audiendam legem. Verti etiam posset. Et fuit in recto, Rex intelligẽdo per rectũ Israel, qui directus est cum angelo, sed prior sensus acceptandus est. Si verò sententiam hanc cum præcedenti coniungere vis: dicito Regem fuisse in Israel, scilicet ad legem tuendam quam dedit Moseh. Prædicit verò hoc, scilicet quòd lex sit illis data in hæreditatem, & quod habituri essent Regem: pro magna fœlicitate.

Viuat Reuben & non moriatur: & non sit populi eius numerus. Nititur Moseh consolari tribum Reuben, quoniam pater Iacob nimium deiecerat eam: vt patet Gen. 49. vbi ei dictum est. Non crescas, quoniam ascendisti cubile patris tui. Dixerat etiam ei. Effusus es velut aqua, cuius saporis aut coloris nihil in vase relinquitur: vbi ad nihilum redegisse videtur tribum, & ideo dicit tribum non extinguẽdam, neque omnino minuendam. Et aduerte quod in Hebræo vnica est negatio, & sic habetur. Et non moriatur & virorum eius sit numerus. Sed vt in regulis admonuimus sumitur sæpius in Hebraismo vna negatio, vice duarum: vt ibi exemplis monstrauimus. Si verò legas Hebraismum vt habetur: sensus est. Licet Reuben viuat & non moriatur: erit tamen populus non multus qualis esset si non peccasset, quemadmodum Ephraim qui ei successit multiplicatus est.

Et hæc ipsi Iehudah. Scilicet euenient aut. Et hæc est benedictio ipsi Iehudah.

Audi Domine vocem Iehudah, & ad populum suum introduc eum. Dixisse legimus Chaleph Num. 14. cùm terram explorasset: quòd si eum dominus iuuaret acciperet montẽ, quo sita erat ciuitas Chebron: vnde Iehosuah. 14. petit sibi montẽ illum dari. Vocat autẽ populũ Iehudę Chenanęos quorũ terra sibi erat promis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſa: vt ſit ſenſus. Ad populum ſuũ, id eſt, ſibi promiſſum & datum, introduc eum. Eſt ergo ſenſus loci. Audi domine vocem, id eſt, precationem Iehudah, quam pro adiutorio expellẽdi hoſtes fundit tibi, & introduc eum ad populum ſibi ſorte debitum. Caietanus hic per Iudam Meſſiam intellexiſſe videtur, ſed meo iudicio non eſt locus myſterio. Eſt alius ſenſus mea ſententia germanior, qui pro introduc legit reduc aut redire fac: vt ſit ſenſus. Audi domine preces Iehudah, ſcilicet eum fuerit egreſſus ad bellum, & reduc eum. ſ. à bello incolume ad populũ ſuũ. i. ad fratres: vt ſepius cõtigit illi. Aut poſtq; ſemel abſtuleris ab eo regimẽ regni, fac eũ redire ad populum ſuum, ſcilicet ad regnandum.

Manus eius contendent ſibi. Id eſt, pugnabit pro hæreditate ſibi acquirenda, ſed eris ei auxilio ab hoſtibus. Hebraice eſt. Auxiliũ ab hoſtibus eius erit. ſ. deus. Aut hoſtes erunt illi auxilio, quoniam in bellis aliquando Chenanæi auxilio fuerunt Dauidi. Aut germanius. Et manus ſua qua contendet, erit illi auxilio cõtra hoſtes. Si legas eris, ad Dominum referendum eſt verbum. Videtur autem alludere ad illud Iaacob Gen. 49. Manus eius in ceruicibus inimicorum ſuorum.

Et ad Leui dixit. Plenitudines tuæ, & inflammationes tuæ, erunt viro miſericordi tuo, quem tentaſti in loco tentationis. Contendere feciſti eum, iuxta aquas contentionis.

Varia doctores noſtri hic intelligunt per thumim & vrim, ſeu per plenitudines & inflammationes. Ego vero quemadmodum. Exodi. 18. & Leuitici. 8. admonui, per plenitudines ſeu completiones intelligo loca aurea quibus pretioſi lapides includebantur, aut lapides ipſos: per inflãmationes vero ſplendores lapidum pretioſorum, qui erant in pectorali ſummi ſacerdotis. Per virum vero miſericordem. Moſeh intelligit ſeipſum aut Aharon. in quo intelligit tribum Leui. Vocat autem ſeipſum miſericordem: quoniam à Domino de ea fuerat commendatus. Numeri. 12. Aut vocat Aharon virum miſericordem, quoniã ex miſericordia Domini, & nõ ex meritis fuerat vocatus ad ſacerdotium, & eſt ſenſus. Plenitudines tuæ & ſplendores tui, id eſt, veſtes ſacerdotales, aut pectorale quod erat præcipuũ, ſacerdotis ornamentum, erunt ſeu pertinebunt ſemper ad virũ miſericordem tuũ, id eſt, ad tribum Leui, ad quã pertinet vir miſericors tuus: quẽ tẽtaſti in loco tẽtationis: an. ſ. tribi fideret, & contendere feciſti eũ ad aquas contẽtionis cũ populo: vt dictum eſt Num. 20.

Qui dicit patri ſuo & matri ſuæ non vidi eum, & fratres ſuos non agnouit vel non occultauit, & filios ſuos non cognouit, quia cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruabunt.

Explicatur locus iſte Exodi. 32. vbi Moſeh volens punire Iudæos propter vituli adorationem dixit. Quis eſt Domini? Ad me veniat. Et congregati ſunt ad eum filij Leui, quibus dixit. Occidite vnuſquiſque fratrem ſuum: quod fecerunt filij Leui, propterea dicit nunc Moſeh. Qui dixit patri ſuo & matri, non vidi eum, id eſt, qui nullum in vindicanda iniuria Domini, diſcrimen fecit an eſſet pater mater aut fratres, & videtur quod propter hoc dominus dederit illi ſacerdotiũ, vnde textus ibi habet dixiſſe Moſeh. Cõſecraſtis manum veſtram hodie Domino. Et cuſtodierunt eloquium Domini quod præcepit per Moſeh: Et pactum tuum ſeruabunt, id eſt, legem quam ſacerdotes ſeruare tenebantur vt capite. 31. huius libri dictum eſt. Aut ſeruabunt legem cuſtodiẽtes eam melius quàm omnes aliæ tribus Iſrael. Ezechielis enim. 44. habes quod ſacerdotes Leuitæ filij Sadoch cuſtodierunt cuſtodiam ſanctuarij, cùm errarent filij Iſrael, vel ſeruabunt pactum ſacerdotij ſui.

Docebunt iudicia tua Iaacob, & legem tuam Iſrael.

Hoc enim erat munus ſacerdotum vt dictum eſt cap. 31. huius libri.

Et holocauſtum ſuper altare tuum.

Hebraice eſt. Et totum ſuper altare tuũ, aut perfectum, per quod intelligunt holocauſtum: quod totum incendebatur aut perfectum, id eſt, ſacrificium in quo nulla eſſet macula.

Benedic Domine ſubſtantiæ eius, & opus manuum eius placeat. Aliqui vertunt benedic Domioe primitiis eius, & ſi radix eſt chaial, bene verſum eſt. Benedic ſubſtãtiæ, quoniam chaial ſignificat exercitum, robur, ſuſtantiã, & opes. Si verò chalal quod eſt initiari, tunc optimè quadrat primitias eius. Dictio tamen videtur potius à chaial quàm à chalal, ſed melius vertendum puto benedic exercitui eius, per quẽ intelligit omnes Leuitas venientes ad modum exercitus ad ſeruiendum vel miniſtrandum Domino, Pſal. dicitur. Prꝙenerunt Cantores poſt Pſallentes.

Et opus manuum eius placeat, id eſt, miniſterium quo tibi miniſtrat iſta tribus. Poſſet vltimo verti benedic Domine robori eorum: vt ſcilicet vires habeant ad miniſtrandum tibi.

Transfige lumbos inſurgentium eius, & inimicos eius, de inſurgentibus. Non eſt omnino certa ſignificatio verbi machats quod vertimus transfigere. Nam Hieronymus ſæpiſſime vertit percutere, eſt etiam locus. Pſal. 68. quo nullo pacto quadrare videtur aliqua iſtarum ſignificationũ vbi dicitur. Vt iimchats, id eſt, intingat ſe pes tuus in ſanguine, quod alij vertunt vt rubeſcat, ſed iuxta priorem ſignificationem vertere poſſes. Vt infigatur pes tuus in ſanguine. Eſt autẽ ſenſus. Transfige lumbos inſurgentium, ſeu eorum qui inſurgunt contra eum, quemadmodum fecit Chorach qui aſpirabat ad ſacerdotiũ eius, & etiam transfige aut tolle inimicos eius de inſurgentibus, id eſt, de inter inſurgẽtes, quod alij vertunt, ne inſurgant, & videtur melius, quoniam in Hebræo pro de inſurgentibus habetur ab inſurget, quod bene vertas ne inſurgant. ſ. contra eum.

Dilectus Domini, habitabit confidenter iuxta eum.

Omnes ferè noſtri hic vetterunt dilectus, verbum tamen iadad teſtibus Hebræis & noſtris ſignificat proiicere, vt patet Ioelis tertio, vbi dicitur. Et ſuper populum meum iaddu, id eſt, proiecerunt ſorte. Et Threnorum. 3. Vaiadu, id eſt, & proiecerunt lapidẽ contra me. Significat autem non ſolum proiicere ad malum proiecti, ſed ad bonum: quẽadmodum mater proiicit filium ſuum in cuna cum eum dormire vult, vt patet Pſal. 127. vbi dicitur. Sic dabit lidido, id eſt, proiecto ſuo ſomnum: vnde hic vertẽdum puto. Proiectus Domini. i. erit tribus Biniamin ſicut proiectus Domini, quem ſcilicet proiiciet ad quieſcẽdum: vnde ſequitur.

Habitabit confidenter, aut proiectus, ſuper Dominũ, id eſt, ſuper curam eius. Nam in Ieruſalem quæ pro ſua parte pertinebat ad tribum Biniamin, erat templum Domini, vnde dicit. Habitabit confidenter iuxta eum ſcilicet Dominum, id eſt, pro templum.

Tegens eum ſcilicet Biniamin dominus videlicet ſua protectione: *& inter humeros eius habitabit.*

Id eſt, & habitabit dominus quaſi inter humeros eius, quoniam fortè terra Biniamin erat ab vtroq; latere tẽpli, aut tẽplum in terra eius, & poſſet hoc ad Biniamin referri, quod videlicet habitauit inter humeros Domini, quoniam habitabat ab vtroq; latere templi.

De delicatis aut pretioſo cœlorum, de voragine cubante deorſum: & de pretioſo fructuum ſolis, & de pretioſo eiectionis lunarum. Commendat nunc terram Ioſeph à pretioſa cœlorum influctia: quæ in ea producere facie bat optimos ac pretioſos fructus, & alludit in parte ad ea quibus Iaacob bene dixerat Ioſeph. Gen. 49. vbi illi dicit benedicet tibi, benedictionibus cœli ſurſum: Benedictionibus abyſſi cubãtis deorſum. Aduerte autem hic quod ſignificatio nominis meged, qđ pretioſum vertimus, Hebrçis & noſtris ignota eſt: de qua Gen. 24. diximus. Sunt aliquot in ſcriptura loci quibus hoc videtur ſignificare, ſcilicet Canticorum. 4. vbi dicitur. Cùm fructu megadim, id eſt, optimorum fructuum vt noſtri vertunt. Et capite. 7. Omnia megadim, id eſt, optima ſeu pretioſa, noua, etiam vetera: dilecte mi ſeruani tibi. Et capite. 4. Veniat dilectus meus ad hortum ſuum, & comedat fructum megadau, id eſt, optimorum pomorum ſuorum. Et. 2. Paralip. 32. Et multi afferebant munus domino, in Ieruſalem, vmigdanot, id eſt, & pretioſa ſeu ſelecta Ezechiæ. Eſt ergo ſenſus.

Sit

Sit terra Ioſeph benedicta à Domino, in delicatis ſeu pretioſis influentiis cœlorũ ſeu propter pretioſos fructus ex influentia cœlorum cauſatos, & à rore cœli ſcilicet ſit benedicta, & de aqua profunda quæ deorſum cubat. Hæc enim ſunt quæ faciunt terram in copia fructificare, ſcilicet bona influentia ſeu clementia cœli, ros deſuper, & humiditas ſeu irrigatio quæ procedit ab aqua quæ in imo eſt. Et quod dicitur de pretioſis fructibus ſolis, idem eſt, quod de optimis fructibus cauſatis à ſole, & de pretioſo eiectionis lunarum, id eſt de fructibus pretioſis quos luna quolibet menſe eiicere ſeu producere facit.

Et de vertice montium orientalium, & de delicatis collium perpetuorum. Poſſet etiã clauſula ſic reddi. A principio montium antiquitatis: vt ſit ſenſus. Sit etiã terra eius benedicta, & veniat illi benedictio à capite montium orientalium, id eſt, tã copioſa quàm copioſa eſt benedictio montium orientis: qui admirabiles producunt fructus, vt conſtat de ſpeciebus aromaticis quæ illuc naſcuntur, & ſit ei benedictio qualis eſt collium quibus eſt perpetuũs viror, aut qui à longo tempore ſunt. Gen. 49. dicitur. Benedictiones patris tui, fortiores fuerunt benedictionibus genitorũ tuorum, vſq; ad terminum collium perpetuorum erunt, ſuper caput Ioſeph: litera vtcunque difficilis eſt, & ferè omnis difficultas procedit ex ignorantia ſignificationis meged vt diximus, & quia ignoramus quos appellet colles perpetuos ſeu longi temporis.

Et de pretioſa terræ, & plenitudine eius, & voluntate habitatoris rubi Senſus eſt. Sit etiam terra Ioſeph benedicta in pretioſis terræ, & de plenitudine eius, id eſt in plenitudine fructuum eius, & etiam ſit illi benedictio à voluntate ſeu beneuolentia domini, qui in Rubo habitare vel ſedere viſus eſt Moyſi.

Super verticem nazarei è fratribus ſuis. Id eſt, pulchrioris inter fratres ſuos. Erant enim Nazarei apud Iehudæos pulchri: iuxta illud Thren. 4 Mũdiores fuerunt nazarei eius niue, nitidiores fuerunt lacte, rubicundiores aſpectu gemmę.

Primogenitus bouis eius, firtson illi, & cornua vnicornis cornua eius: in eis, populos cornu petet, vſque ad fines terræ. Iſtæ ſunt multitudines Ephraim, & iſtæ ſunt milia Menaſſeh. Prædicit hic Moſeh tribui Ioſeph dignitatẽ regiam, quam tempore Ieroboham erant conſequuturа. Similiter vaticinatur illi primogenituram, quã perdidit Reuben. Sic enim dicitur. 5. capite prioris libri Paralipo. Filij Reubẽ primogeniti Iſrael. Ipſe enim fuit primogenitus, & cùm violaſſet ipſe thorum patris ſui, data eſt primogenitura eius filiis Ioſeph. Dicit ergo. Sertum ſeu corona erit ptimogenito bouis eius, id eſt, primogenitus eius erit rex, id eſt. E Ieroboam qui dicitur primogenitus quoniam erat de tribu Ephraim, qui prælatus eſt Menaſſeh & quod ſequitur cornua vnicornis cornua eius, cõmendat tribũ Ioſeph à fortitudine, quibus ſcilicet cornibus cornupetit gentiles vſque ad fines terræ ſcilicet promiſſionis. Poſſet etiam legi bos eius erit primogenitus & per bouem tribum fortem intelligit & prædicit eius primogenituram, & in hoc quod ſequitur. Sertum ei, prædicit regiam dignitatem: in cornibus verò fortitudinem qua ventilabit gentes vicinas. Poſſet etiam in his omnibus, fortitudinem tribus Ioſeph prædicere, vt ſit ſenſus. Sertum ſcilicet victoriæ erit primogenito bouis eius, & videtur alludere ad ludos paſtorum, qui videntes tauros ad inuicem cerrantes, ſolebant victorem ſerto corona re. Pſal. 59. Habes Meus eſt Gilhad, & meus eſt Menaſſeh, & Ephraim fortitudo capitis mei, Iehudah legifer meus. Neque mireris me ſertum aut coronam vertere, quod omnes alii verterunt decorem. Hoc enim fecimus quia dictio hadar, non ſolum decorem, ſed etiam ſertum ſignificat: vt patet Pſal. 8. vbi dicitur. Gloria veadar, id eſt, ſerto aut corona coronabis eum. Et Pſal. 21. Vehadar, id eſt, & coronã pones ſuper eum. Et Iſa. 45. Ego ante te ibo ve hadurim, id eſt, & ſinuoſa ſeu torta rectificabo: vbi vides hadurim ſignificare tortum qualis eſt corona vel ſertum.

Lætare Zebulon quando egredieris. Seu in exitu tuo. Sortita eſt tribus hæc maritima terræ ſanctæ, & ditabatur egrediendo ad commertia ſua. Nam illi dicitur à Iaacob Geneſis. 49. Zebulun in portu mãrium habitabit.

Et Iſachar in tabernaculis tuis. Dilexit hæc tribus otium, & literas colebat, vt Hebræi dicunt: incolebat etiam maritimã quemadmodum Zebulon, & ei dicit Iaacob loco citato, quod facta ſit tributis ſeruiens, & vidiſſe bonam eſſe requiem.

Populos ad montem vocabunt. Loquitur de vtraq; tribu, quæ cùm maritima habitarent, omnes venientes populos, vocabant ad montem ſanctum templi, prædicantes magnalia dei.

Ibi ſacrificabunt ſacrificia iuſtitiæ. Scilicet tribus iſtæ, aut populi aduenientes. Vocat autem ſacrificia iuſtitiæ, quoniam quædam iuſtitiæ carnis ſacrificia erãt vt Apoſtolus dicit. & ſæpius ſic in ſcriptura nominantur & peccata expiaſſe dicuntur Pſalmo. 51. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitię, oblationes & holocauſta. Et ſubditur ratio quare ſacrificabunt.

Quoniam affluentiam marium ſuggent & etiam ſuggent *Tectos arenæ theſauros.*

Dictio ſepha quam affluentiam vertimus, videtur ſignificare multitudinem, aut inundationem: vt patet 2. regum. 9. vbi dicitur. Et vidit & ſipha, id eſt, multitudinem Iehu. Et Iſai. 60. Siphat, id eſt, multitudo ſeu inundatio camelorum operiet te. Item Iob. 22. Veſiphat, id eſt, & multitudo ſeu inundatio aquarũ operiet te: vnde verti poſſet locus. Quoniam multitudinẽ ſeu inundationem marium ſuggent, id eſt, ea quæ maris inundatio eiicere ſolet.

Benedictus dilatare faciens Gad: ſicut leo habitauit, & rapuit brachium etiam verticem.

Poteſt prior clauſula referri ad deum: vt ſit ſenſus. Sit deus benedictus, qui facit dilatare Gad in copia populi, & etiam in terræ terminis. Si ad Gad referas, eſt ſenſus benedictus erit Gad, cùm fecerit dilatare terminos ſuos. Prior tamen expoſitio germanior eſt, commendat autem tribum hanc à fortitudine veluti leonis, qui non ſolum brachium, ſed etiam verticẽ prædæ rapit aut vorat. Aduerte autem dictionem labi, Hebræis leonẽ ſignificare maiorẽ, arieh verò minorem, ſed meo iudicio labi ſignificat aliud ferę genus quã ſit leo, quoniam aliquando hęc dictio leoni coniungitur.

Et vidit principium ſibi. Loquitur de principio poſſeſſionis Iſrael citra Iarden. Cùm enim hæc tribus videret terram illam eſſe pacuoſam & amœnam, eam ſibi in ſortem delegit. Aliam tamen cauſam huius electionis aſſignat, quod ſcilicet

Ibi eſſet pars legislatoris tecti. Id eſt, Moſeh, qui fuit legislator Iſrael. Ibi enim fuit ſepulchrum Moſeh tectum quidem, quia nullus hominum nouit ſepulchri locum, vt capite ſequenti dicitur. Poſſet etiam verti. Quoniam ibi pars terminationis ſeu deſcriptionis terræ, videlicet promiſſæ, ſed quod additur tecti nõ quadrat. Ideò prior expoſitio tenenda videtur, quam ferè omnes Hebræi ſequuntur.

Et venit cum principibus populi, iuſtitiam Domini fecit & iudicia eius cum Iſrael.

Numeri. 32. promittunt filij Gad. Nos accincti ibimus armis, feſtinantes ante filios Irael, donec introducamus eos ad locum eorum. Non reuertemur ad domos noſtras, donec capiant hæreditatem filij Iſrael, & hoc eſt quod hic dicitur. Venit cum principibus populi. ſ. Iſrael, ad acquirendam terram poſſeſſionis ſuę. Fecit iuſtitiam domini, ſeruando. ſ. populo promiſſa, & iudicia eius fuerunt cum Iſrael: eadem cauſa.

Dan catulus leonis: fluet ex Baſan, id eſt, tribus Dan veluti catulus leonis, ſaltabit ex Baſan. Erat Baſan terra Sichon regis Æmorreorum, fertilis & amœna valdè. in qua erãt beſtiæ ferę in ſaltibus & nemoribus. & prædicit Moſeh inſidias huius tribus: quòd videlicet homines tribus Dan, eſſent aſtuti valdè, & ex inſidiis in tranſeũtes inſurgerent, quẽadmodum catuli leonis ex inſidiis prodibãt in terra Baſan ad venandã prædã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et videtur alludere ad id quod de ea dicit Iaacob Gen. 49. Fiat Dan Ceraſtes in via, vt mordeat equũ & aſcen ſorem eius. Verbũ verò zanach quod ſaltare vertimus, rarum eſt, neque alibi quàm hic in ſacris literis reperi tur: licet eius vſus apud Hebræorum doctores frequentiſſimus ſit.

Naptali, ſatiuitas voluntatis: repletus benedictione Domini. Occidentem & meridiem poſſide.

Dupliciter poteſt hæc benedictio intelligi. Primo vt Moſeh commendet hanc tribum libertatis: vt, ſcilicet homines tribus Dan, ſint homines ſuæ voluntatis ſeu liberi: facientes omne quod lubet: ad quod alludere videtur Iaacob Gen. 49. dicens, Naptali vt cerua dimiſſa. ſ. voluntati ſuæ: dans eloquia pulchritudinis. Secundo modo poteſt intelligi, quod hæc tribus habebit à domino quidquid voluerit: ac ſi dicat. Satiabit Dominus voluntatem eius, ſed prior ſenſus magis arridet. Dicit autem hanc tribum poſſeſſuram meridiem & occidentem: quia pars ſortis eius, erat ad mare magnum: quod eſt ad occidentem terræ ſanctę, & pars ad plagam meridianam.

Benedictus præ filiis Aſſer, id eſt, benedicatur tribus Aſer ab aliis hominibus, ob filiorum copiam. Solent enim homines benedicere hominem, cui eſt copia filiorum: vnde Leah Geneſis. 30. dicebat. Beatam me dicent omnes mulieres: ob filiorum, ſcilicet multitudinem. Poſſet etiam intelligi, quod hæc tribus erit à filiis, ſcilicet aliis benedicta: quoniam in Hebræo habetur benedictus à filiis Aſſer.

Sit placens fratribus ſuis. Erant homines huius tribus bonæ conditionis & conuerſationis, ideò fratribus placebant.

Tingens in oleo pedem ſuum, id eſt, tantam habebit olei copiam, vt poſſit tingere ſeu lauare in oleo pedes, & hoc eſt quod dicit Iaacob Gen. 49. Aſſer pinguis panis eius, propter oleum, & ipſe dabit delitias regis.

Ferrum & æs calciamenta tua, id eſt, tanta erit ferri & æris copia, in ſorte tua, vt poſſis ex eis calciamẽta facere. Erant enim in ea ſorte, metallorum fodinæ: ferri præſertim & æris. Aduerte tamen verbum naal à quo mannal quod vertimus calciamẽtum, ſignificare claudere ſiue muro ſiue ſera ſiue corrigia ſiue quocunque alio: nomen verò ſignificat claſuram & corrigiam: quod ea calceus claudatur Iudicum. 3. habes. Clauſit oſtia cenaculi pro ſe: venaal, id eſt, & obſeruauit, ſcilicet ſerã. Sic Cantico. 4. Hortus naul. i. concluſus: ſeu obſeratus. Significat etiã inuoluere. Ezech. 16. Veh ennalech. i. & inuolui te hiacintho: quod noſtri vertunt. Calciaui te, ſed cùm Iacinthus ſit pannus: non videtur bene verſum calciaui, niſi ad varietatem colorum referatur. Vnde locus iſte poſſet aliter ſic verti. Ferrum & æs Clauſura tua aut inuolutio tua. i. erit terra huius tribus munitiſſima ac ſi eſſet ferro & ære clauſa: ſeu inuoluta. Aliqui vertũt. Ferrum & æs cõpes eius. i. copia ferri & æris, erit cauſa quod hæc tribus non hinc inde diſcurrat, ſed ſit quaſi compedibus clauſa in terra ſua.

Secundum dies tuos, fortitudo tua. Ignota eſt Hebræis propria ſignificatio nominis daba, id eſt, fortitudo. Chaldæus & ſeptuaginta, fortitudinem vertunt. Hieronymus. Sicut dies tui, ita & ſenectus tua, & iuxta hãc lectionẽ ſenſus eſt. Perdurabit fortitudo tua tibi: quandiu durauerint dies tui. Etiam ſenio confectus, eris fortis. Rabbi Ioſeph putat nominis radicem eſſe daab quod eſt dolor: per methateſim literarum, & exponit. Sicut dies tui, id eſt, iuuentutis tuæ, dolor tuus, id eſt, ſenectus tua erit plena doloribus: priorẽ tamen ſenſum puto præferendum. Si nominis radix ſit dibah quod eſt infamia detractio & obloquutio, ſenſus erit. Secundum dies tuos: erit infamia tua & ſi obloquutionem etiam bonam ſignificat ſenſus erit, ſecundum dies tuos erit fama bona tua.

Non eſt ſicut Deus ô Iſrael, equitans cœlum in auxilium tui. In hebræo pro Deus, eſt ieſſurun quod rectũ ſignificat, vnde verti poſſet. Non eſt ſicut Deus rectus, id eſt, nullus erit ita iuſtus & rectus ſicut Deus, & quod dicitur equitãs cœlos, poſſet verti. Sedens cœlos, & eſt ſenſus, quod nullus ſit Deus, qui ita ſuis adſit ad auxiliandum eos, ſicut Deus, qui ſuper Iſrael ſedet in cœlo, vt ſuccurrat illi oportuno tempore. Pſal. 17. habes. Inclinauit cœlos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius. Poſſet etiam ieſſurun ſignificare Iſrael à rectitudine: vt capite ſuperiori dictum eſt.

Et in elevatione ſua cœlos. Videlicet equitat aut ſedet.

Habitaculum Dei ab initio. Id eſt, cœlum eſt habitatio Dei ab initio mundi.

Et ſub brachiis ſæculi. Non clarè conſtat quæ ſint brachia ſæculi, & poſſet eſſe ſenſus, quòd cœlum ſit dei habitaculum ab initio mundi, & a tempore quo fuerunt brachia ſæculi ſeu æternitatis, id eſt, partes mũdi ſeu cœli diſtinctę, ſeu à tempore quo cepit cœli plagis, veluti brachiis orbem complecti. Videtur enim cœlũ, mundum totum velut brachiis ſuis complecti. Aliqui hoc referunt ad Iſrael, vt ſit ſenſus. O Iſrael Dominus fuit habitaculum tuum ab initio, & complectitur te, ſcilicet, protegendo, quibuſdam æternis brachiis, non ceſſando a tua protectione, neque diſplicet ſenſus. Hebraiſmus ſic habet. Habitaculum Dei ante ſeu principio, & à ſub brachiis ſæculi aut æternitatis, & poſſet eſſe ſermo de tẽplo, quod, ſcilicet, fuerit habitaculum à Domino electum, ante orbis conſtitutionem, & antequam cœlum complecteretur terram, aut Dominus cœlo eam. Exodi. 15. habes. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, loco habitationis tuæ, quem operatus es Domine, ſanctuarium Domine quod firmauerunt manus tuæ. Dominus regnabit in ſæculum & in perpetuum.

Oculus Iaacob ad terram frumenti & vini. Scilicet, aſpirat ſeu reſpicit, quoniam nondum eam poſſidebant.

Et cœli eius ſtillabunt rorem. Scilicet, ad producendos alios fructus terræ.

Scutum gloriæ tuæ, & qui eſt gladius excellentiæ tuæ. Melius vertas ſcutum auxilij tui, & ſic Munſterus vertit. Oppoſuit enim Dominus ſe hoſtibus Iſrael, veluti ſcutum auxilij eius, & pro excellentiæ melius legas elevationis tuæ: ac ſi dicat. Ipſe Dominus eſt tibi ſcutum quo protegaris, & gladius eleuatus quo inimicos percutias.

Negabunt inimici tui te. Melius vertas Deficient inimici tui tibi, ſcilicet, indies. Verbum enim chachas ſignificat attenuari & deficere ac mentiri: vt patet Pſalmo. 109. Caro mea chachas, id eſt, defecit ſeu attenuata eſt, propter oleum. Et 1. Regum. 13. chiches Io, id eſt, defecit ſeu mentitus eſt illi.

Et tu ſuper excelſa eorum calcabis. Id eſt, ſuper capita, vt legis apud Ioſuah capite. 10. aut ſuper loca munita & excelſa eorum.

IN CAP. XXXIII. DEVTERONO. ad morum compoſitionem annotatio.

Hæc eſt benedictio qua benedixit Moſeh filiis Iſrael. Commune eſt bonis Prælatis dum viuunt, nulli ſubditorum ſpecialem oſtẽdere dilectionem, ne ex huiuſmodi amoris manifeſtatione, frangatur animus & rigor ſuperioritatis. Nuſquã legimus Chriſtum ſeruatore diſcipulis dum viueret illa ſigna dilectionis oſtendiſſe, quæ ſeruauit ad tempus quo illi ex hac luce migrandum erat, quãdo cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finẽ dilexit eos. Sic & nunc ſanctus Moſeh, qui licet vbiq; ſeruauerit ſuum rigorẽ nunc tamen eo remiſſo filios benedicit, neq; meminit alicuius rebellionis, aut alicui crimẽ in ſe patratum obiectat, quemadmodum fecit Iaacob filiis ſuis, Reuben, Simoni & Leui. Debet enim Prælatus, in ſuorũ dilectione mori.

Dominus è Sinai venit. Videbat vir ſanctus receſſum ſuum ab hac vita & quàm facilè populus timoris Domini oblitus relicturus erat dominum ac legem ipſius ideò commemorat illis quàm terribilis & horrendus Dominus adueniſſet ad dãdam illis legem: vt ſi ex malitia pacto non ſtarent, ſaltem ex legiſlatoris timore in officio continerentur.

Venit

Venit cum millibus ſanctis. Pſal. 49 legis. Congregate mihi ſanctos meos, qui pepigerunt pactum mecum ſuper ſacrificium. Quid eſt quæſo Domine, quod ad iudicium & ad promulgandas leges tuas, ſanctos tuos tecum adfers? Solent tranſgreſſores legis diuinæ, excuſationes ad iudicium afferre. Alius cui ieiunium præceptum eſt & non ieiunauit, cauſatur imbecillitatem carnis ſuæ. Alius quem ad veniam fratri dandam incli nare vix potes, dicit ſe hominem non Chriſtum, & ſic quiſque tranſgreſſorum excuſationes ſuas ad manum habet quas Iudici offerat, ad quarum confutationem ſanctos ſecum affert. Si enim te non potuiſſe ieiunare cauſeris ob carnis imbecillitatem, obiectabit tibi Baptiſtam, non angelum quidem ſed hominem, qui non ſolum ieiunauit ſed ferè non comedit, quo confutabit quicquid ad excuſationẽ prætenderis. Si delicta te condonare nõ poſſe excuſes, quoniam magnus es, Stephanum ad manum habebit, qui non ſolum inimicis pepercit, ſed genibus prouolutus Dominum pro eis rogauit. Audi Auguſtinum. Tot Iudicibus inops aſſabo, quot me præceſſerunt in opere bono.

Etiam diligit populos. Debet bonus Prælatus amore rigorem & timorem temperare, quod hic pulchrè Dominus oſtendit. Nam & ſi in dextera ſua ferret igneam legem, quo eos deterreret, ſecum tamẽ ſimul amorem tulit, quo populos quos terruit diligebat, & cõueniẽtiſſime quidem, prius terrorem oſtendas, deinde amore mulcees quos terruiſti.

Omnes ſancti eius ſunt in poteſtate tua. Audiant verba hęc ſancti & timeãt, ſcientes ſe eſſe in poteſtate dei, qui ex eis quod libuerit facier.

Legem præcepit nobis Moſeh: hereditatem congregationis Iaacob. Pulchra hæreditas lex Domini, & beatus ille qui eam hæreditatẽ habet, quoniam ſimul cum ea hæreditabit quę obſeruantibus eam Dominus pollicetur.

Viuat Reuben & non moriatur. Munus boni paſtoris eſt conſolari puſillanimes, & quos ſuperior corripit & arguit, debet vicarius demulcere. Nam quia vt diximus pater acriter valdè peccatorem filium caſtigauerat, ſanctus Moſeh eum nunc conſolatur. Sic cùm Dominus caſtigaret Iſrael propter delicta ſua, timens quòd non bene qui caſtigauerat conſolaretur, Prophetis præcipit vt hoc faciant. Iſaiæ. 40. dicens. Conſolamini conſolamini populum meum ô Prophetæ, dicit Deus veſter.

Audi Domine vocem Iehudah. Non glorietur fortis in fortitudine ſua: ſed ſciat plus precibus quã viribus eſſe bellandum. Manibus quidem contendendum eſt, ſed auxilium à Domino petendum.

Impletiones & ſplendores tui, erunt viro miſericordi. Iſti ſunt viri quos ſacerdotium Domini decet, nempè miſericordes: vt pudeat immitem & crudelem eſſe miniſtrum, tam miſericordis Domini. Similiter oportet eſſe tentatum per omnia, vt fiat miſericors: vbi conſidera ſeptem ornamẽta ſacerdotis Domini. Primum vt ſit miſericors. Secundum tẽtatus à Domino. Tertium quòd ſuſtineat populi contentionem. Quartum quòd propter Deum non agnoſcat patrem aut matrem. Quintum vt cuſtodiat eloquium domini, quod debet docere, ne illi dicatur, Doce teipſum medice. Sextum vt legem doceat. Additur Septimum, ſcilicet, ponere ſuffitum in natibus Dei ſeu ſacrificare.

Opus manuum eius placeat tibi. Hæc eſt oratio quam populus pro ſuo ſacerdote fundere debet: vt, ſcilicet, opus manuum eius placeat Deo & vt deiiciat inimicos eius qui maximè ſacerdotibus aduerſantur: vt patet de Satan & Ioiadah ſummo ſacerdote apud Zachariam. *Cap. 3.*

Dilectus Domini, habitabit confidenter iuxta eum. Nonnihil vtilitatis eſt tẽplum domini apud te habere, quoniam ſi homo vicinus, vicinum iuuat, ſolaturque mœſtum, protegit à periculis quanto magis Deus.

De voluntate habitatoris Rubi. Bonum eſt terram colere bonam, quę delicatiſſimos fructus proferat, ſed hæc nihil ſunt ſi deſit bona voluntas Domini.

Super verticem Nazarei è fratribus ſuis. Sunt dotes aliquando in homine tales, quod inuitant alios ad benedicendum illi, quemadmodum hæc tribus.

Lætare Zebulun dum egrederis, & Iſachar in tabernaculis tuis. Habent pax & negotium vtilitates ſuas, neque deſpiciendus eſt negotiator, neque qui pium ſectatur ocium ad ſtudia legis.

Populos ad montem vocabunt. Sunt aliqui qui licet exteris ſępius occurrant, neſciunt tamen illis Domini magnificentiam & bonitatem prædicare. Scito ex hoc loco ô homo aliis Dominum notum facere, inculcareque beneficia eius: vt alios prouoces ad eius dilectionem & cultum. Vbi ſimiliter diſce, bonum eſſe viuere ad oram maris: vt diteſcas.

Vidit quòd ibi eſſet pars legislatoris tecti. Arbitrantur homines, nihil patriæ referre, apud ſe ſanctum habere patronum, quod hic magnum eſſe oſtenditur, quoniam aduocatum apud Deum habent cum quem colunt. Erubeſcant etiam Lutherani ſanctorum reliquiis detrahere.

Non eſt ſicut deus ô Iſrael, equitans cœlos in auxilium tui. Mirum valdè eſt, quanta celeritate dominus auxilio ſuis ſit. Inclinauit (ait Dauid) cœlos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius. Equitauit ſuper Cherub, quæ ſunt velociſſima animalia & volauit, volauit ſuper pœnas ventorum. Si verò legas. Sedens cœlos. Conſidera quam ob cauſam voluit Deus tuus ſedere ſuper te, vt ſcilicet, oculos ſuper te ſemper habeat, & ſuccurrat cũ fuerit opus tibi, & à longè in alto ſedens, cerneret imminentia mala, & bona è cœlo demitteret.

Quis ſicut tu populus, qui ſeruatus es per Dominum? Expendendum valdè eſt, à quo auxilieris, multi enim ſunt quorum auxilium debeas recuſare, quemadmodum malorum. Oleum (ait quidam) peccatoris, non impinguet caput meum. Et Iob amicis ait. Conſolatores oneroſos eos omnes eſſe. *Cap. 16.* *Cap. 34.*

IN CAPVT. XXXIIII. DEVTERO. iuxta literam annotatio.

Aſcendit Moſeh è planicie Moab. Sæpius admonui verbũ arab, à quo mearbot quod omnes hic planiciem vertunt, ſignificare coniungere & miſcere, vnde mearbot ſignificat propriè coniunctiones ſeu mixtiones: vbi, ſcilicet, diuerſorum regnorum termini coniungebantur, quare hic vertendum eſt

Aſcendit Moſeh è confinibus ſeu terminis Moab, ad montem Nebo, in verticem collis. Aliqui pro collis vertunt Piſggah: vt, ſcilicet, ſit proprium nomen aliud à Nebo: ſed prior ſententia videtur verior.

Qui erat ſuper faciem Iereco. Id eſt, eregione ipſius ciuitatis Iereco.

Vſque ad Dan. Hæc fuit pars aquilonaris terræ ſanctæ, cuius terminus ex ea parte fuit Dan, iuxta illud primi Samuelis. Cognouerunt omnes à Dan vſque ad Berſabeh, & loquitur de terra quam tribus Dan erat in ſortem acceptura, & idè de terra aliarum tribuum. Oſtendit enim Dominus Moſeh terram ſingularum tribuum, & per mare nouiſſimum intelligit magnum, quod erat ab Occidente terræ Iſrael. Vocatur autem nouiſſimum quoniam Iudæis ab Oriente intrantibus, erat extremus terminus.

Et partem ruptionis Iereco. Poſſet etiam verti. Partem diuiſionis Iereco. Significat enim bacha rumpere & ſcindere, & eſt ſenſus, quod Dominus oſtendit Moſeh partem Meridionalem, quam diuidit Iereco, aut ruptiones quas faciebat flumen Iarden, vel torrentes in terra Iereco. Sanctes clarius vertit. Et planiciem, ſeu campos Ierecho, ſed ſignificatio dictionum non tam bene conſentit in eam interpretationem, ſicut in priorem.

Ciuitatis Palmarum. Vocatur Ierecho ciuitas Palmarum, propter earum copiam quæ ibi naſcebantur. Et vocantur palmæ hebraicè themarim, quo nomine nos fructum appellamus, ſcilicet, tamaras.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et sepelivit eum. Scilicet, Dominus angelorum ministerio. Rabbinorum aliqui legunt. Et sepeliuit, scilicet, Moseh seipsum, ingressus, scilicet, arctam speluncam, qua vltimum spiritum efflauit.

Ereg ione domus Pehor. Locus est in quo cum filiabus Moab fornicati sunt filij Israel, & forte hac de causa ibi sepultus est: vt nemo ambiret videre sepulchrum eius, cùm è monte illo vidēdus sibi locus esset, in quo Dominum grauissimè offenderant, & pœnas patiati criminis dederant.

Et non cognouit quisquam sepulchrum eius. Fuerunt quidam dicentes terram ibidem ruptam, cadauer eius recepisse, sed litera præ se fert eum sepulchro cōditum, quod nemo postea potuit inuenire.

Non caligauit oculus eius, & non fugit viror eius. Posses etiam vertere. Non restrinxit se oculus eius, id est, visus eius non fuit diminutus, ac si dicat. Integro aspectu obiit, per virorem verò possumus robur intelligere, quod scilicet, vires eius non fuerint diminutæ quemadmodum de se dicit Caleph Iosuah. 14. aut per virorem intelligit illam coloris viuacitatem, quæ solet esse in iuuenibus.

Fleuerunt filij Israel Moseh in campestribus Moab triginta diebus. Solebant Israelitæ nobiles personas flere ad triginta dies, alios verò ad septem. Vide quæ de his scripsimus. Numeri vigesimo.

Repletus est spiritu sapientiæ. Scilicet, ad regimen populi.

Quia coniunxit Moseh manus suas super eum. Hinc in ecclesia ortam arbitror, manuum impositionem Episcoporum & Sacerdotum.

Fecerunt quemadmodum præceperat Dominus Moseh. Scilicet, parendo & obtemperando ipsi Iehosuah, sicut duci suo.

Non surrexit Propheta vltra in Israel sicut Moseh. Quantum ad familiaritatem & notitiam diuinorum: vt statim textus explicat.

Quem, scilicet, nosset Dominus facie ad faciem. Aut qui nosset Dominum facie ad faciem. Non quod eius faciem vnquā viderit, sed quia loquebatur illi sæpius non medio angelo, sicut cum aliis Prophetis locutus est: sed sola nebula intermedia.

In omnibus signis & portentis. Dixi sæpius discrimen inter Ot, id est, signum, & mopheth, id est, portentum, quòd mopheth futura signa significet, Ot verò omnia.

In omni manu robusta. Id est, forti potestate quæ manu designatur.

Et terrore magno. Quo, scilicet, Ægyptios terruit, quando à Domino missus est illuc & etiam alios inimicos.

IN CAP. XXXIIII. DEVTERO. AD morum compositionem adnotatio.

Ascendit Moseh è campestribus Moab. Et si aliquando Dominus sanctis suis, aspera & dura præcipiat: acceptant tamen ipsi, quæ facere iussi sunt. Admouit etiam Deum non sinere sanctos suos in tristitia mori. Et si enim non omnia quæ ipsi desiderant concedat, præstat tamen ea, quibus possunt esse contenti. Licet enim sancto Moseh ingressum terræ negaret, non tamen negauit aspectum.

Hæc est terra super quam iurauí. Nititur Dominus se illis præcipuè veracem ostendere, qui fuerunt autores pacti & promissionis, & qui præcipuè eas exigere possent. Nemo enim melius Moseh, nouerat quid Dominus fuerat patribus pollicitus, ideò illi præcipuè erant ostendenda promissa: vnde non solùm ad eius consolationem, illi promissam terram ostendit, sed vt illi notam faceret suam veracitatem. Docentur etiam hic Principes, ferre ministros suos, etiam si eos aliquādo offenderint quemadmodum Dominus tulit Moseh, licet offensę eius quasi semper esset memor, neque munus abstulit ab eo ob commissum crimen.

Sepelivit eum in valle. Sunt multi Principes, qui dedignantur exequiis interesse suorum. Dominus verò vt vides seruum sepelire dignatur.

Et non cognouit quisquam sepulchrum eius. Quare Domine non vis homines, serui tui mausolęum cognoscere, neque locum scire quo eum recondisti? Omnia illa maximè occultanda sunt, quę fratribus & proximis scandalo esse possunt: vnde tot peccatis quis obnoxius est, quot aliis præbuit ruinæ occasiones. Sunt enim qui dicunt, Dominum serui sui sepulchrum abscondisse, ne Iudæi illi diuinos honores exhiberent. Quos enim æneo serpenti postea exhibuerunt, nō mirum quod illos de se tam bene merito homini exhiberent. Est & alia causa, vt scilicet, nos doceat eos qui familiariter cum Deo conuersantur, nō debere, multum cum aliis hominibus conuersari.

Non caligauit oculus eius, & non fugit viror eius. Non debet in seruis Dei defectus aliquis etiam naturalis apparere, vt sciant homines, quid ministrare Deo valeat.

Fleuerunt filij Israel Moseh. Deflendi sunt maximo fletu boni Prælati & Pastores, vt Ambrosius dicebat, tum quia nō facilè reperiuntur, tum ob defectum quē ex eorum morte oues patiuntur.

Quia coniunxit Moseh manus suas super eum. Non parui faciendus est contactus manuum sanctorum, quoniam vtilissimus est, vt hic cernimus. Sunt enim vt alias diximus omnia sanctorum membra salutaria ac res, ex quarum contactu multi salutem consequuti sunt. Similiter docētur Prælati dum moriuntur, substituturi suis suam authoritatem impartiri.

Non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moseh. Clamat locus iste, id quod docuit postmodum sapiēs: ne scilicet, laudaueris hominem in vita sua. Nusquam legimus Israelitas ducem suum in vita laudasse, quoniam ingratissimi erant, nunc verò illum commendare coacti sunt: sed qui à Deo mitis elogiis fuerat eleuatus, laudibus hominum non indigebat. Audi quid de eo Dominus dicat. Numeri. 12. In omni, inquit, domo mea fidelissimus est. Ore ad os loquor cum eo, & in visione & non per ænigmata & per figuram Dominum aspicient.

In omnibus signis & portentis. Ad dignitatem hominis pertinet quod à Domino ad magna eligatur, & in maximo pretio habendi sunt illi, per quos Dominus mirabilia sua magna operatur, & quibus potestatem suam impartitur. Ex quibus constat sacerdotes quorum ministerio peccata condonat, & sanctos per quos mirabilia operatur, esse venerandos, & qui eis tam magna & præclara largitus est: nobis eorum intercessione largiatur vitam & gloriam.

Expliciunt Commentaria magistri Hieronymi ab Oleastro Lusitani ordinis Prædicatorum quos vigesimooctauo die mensis Maij anni. 1557. Olisiponæ absoluit.

Errata in Deuteronomio.

Folio. 263. pag. 1. col. 1. linea 9. pro equū, lege netum
Folio. 280. pag. 1. col 2 linea. 22. pro carbonem dam ægri accensum, & per translationem ferrum sagittæ, & calitudinem instar prunæ, lege. carbonem accēsum, & per translationem ferrum sagittæ, & calidam ægritudinem instar prunæ,

ALII -

ALII HEBRAISMI,

qui nobis inter legendum postmodum occurrēre.

Addere ebriam, & sitientem, est nocentes, & innoxios simul in pœna inuoluere. Deutero. 29. quod multum impij dicantur ebrij Isaiæ. 28.

Auferre præputium cordis, est auferre cæcitatem cordis. Nam quemadmodum præputium occultat extremam virgæ partem, ita & cæcitas mentis, oculum cordis. Deutero. 10.

Animam alicuius aliquem abominari, est voluntatem eius cum abiicere. Leuitici. 26.

Arguere vsurpant Hebræi pro reconciliari: vt Isaiæ primo. Venite arguamur, id est, reconciliemur, & Iob nono. Non est qui increpet seu arguat, & ponat manum in ambobus. Qui enim dissidentes reconciliare vult, increpat vtrunque & manum ponit inter eos, & hebraismum attende, quoniam Isaiæ primo nobis negotium fecit.

Amaritudine afficere os Domini, est imperio eius non obtemperare.

Aspectu pro spe vtuntur aliquando Hebræi, quod homines qui ab aliquo aliquid sperant, ad eum oculos dirigant. Vide Isaiæ. 20. habes. Et dicet habitator insulæ. Ecce sic aspectus noster, quo confugimus pro auxilio, id est, spes nostra & iterum ibidem pudore afficientur ab Æthyopia aspectu suo.

Ambulare in lingua est detrahere, & ascendere labium linguæ, est de aliquo detrahi. Ezechielis. 36. dicit Dominus ad montes Israel. Pro eo, quod ascendistis super labium linguę, id est, de vobis detractum est.

Aperire thesaurum bonum cœlum, est dare pluuiā oportunam. Deuteron. 28. Et aperiam vobis, thesaurum bonum cœlum, & dabo pluuiam.

Bonus oculus, est oculus pius & misericors, malus verò impius & inuidus. De bono, Prouerb. 20. habes. Bonus oculo, id est, pius benedicetur. De malo, capite. 23. Ne comedas panem, malum oculum habentis. Idem, Deutero. 25. & Matthæi. 20.

Benedicere sibi, pro promittere sibi impunitatem dicunt Hebræi. Deutero. 29. Cùm audierit verba maledictionis huius, & benedixerit sibi in corde suo, id est, sibi impunitatem promiserit.

Brachium pro fortitudine. Isaiæ. 33.

Bona loqui super aliquem, est bona promittere. Numeri. 20.

Carnem brachij comedere, est nocere vicinis. Ponitur hebraismus Isaiæ. 9. Vnusquisque carnem brachij sui comedet, Menasseh Ephraim.

Cognoscere bonum & malum, est discernere inter ea, non cognoscere bonum & malum, est non discernere. Deutero. 1. ponitur hebraismus.

Cadere in sortem, pro sorte contingere, seu euenire dicunt Hebræi. Numeri. 34. Accipitur etiam pro hæreditare.

Custodire custodiam, est facere quod præceptum est. Numeri. 31.

Dies cœli, pro perpetuis diebus dicunt Hebręi, quā cœlum perpetuum est Psal. 88. & Deutero. 11.

Durus facie Hebræis est immitis, & crudelis. Deuteron. 28. Gens dura facie, id est, crudelis & immitis.

Dimittere aliquem animæ suę, est eum in sua libertate sinere. Sumitur enim anima pro voluntate. Habes hebraismum Deutero. 21.

Dormire cum patribus, Hebræis est mori, hebraismus frequens in libris Regum.

Dare faciem, pro irasci dicunt Hebræi: est locus Leuitici. 20.

Dare cœlum ferreum, & terram velut æs, est fructum terræ negare, aut ea quæ ad eum necessaria sunt. Leuit. 26. Dabo vobis cœlum ferreum, & terram vt æs

Dies mercenarij, pro diebus certis, vsurpat hebraismus, quoniam certi sunt dies eius Iob. 7. Isaiæ. 16.

Dati dati, pro perpetuo dati dicunt Hebræi. Numeri octauo.

Egressum ex ore, pro promisso Hebræi dicunt, ut Psam. habes. Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Et numeri. 32. Vnde egredi ex ore pro promittere accipitur.

Egredi in manu excelsa, id est, omnibus superiori, aut eleuata ad perueniendum, si quis eam impediat. Numeri. 33.

Esse viro, pro esse coniugatam vsurpat hebraismus. Numeri. 30.

Esse aliqui pro oculis, est ipsum in via ducere, quòd oculus soleat hominem in viis suis dirigere. Num. 10.

Facere cum aliquo misericordiam, Hebræis est obtemperare voluntati eius in his quæ ad misericordiam pertinent.

Facere veritatem cum aliquo, est respōdere ei quod quis pro eo debet facere. Gene. 24. dicit seruus Abrahę Et nunc si facitis veritatem cum Domino meo, id est, si respondetis debito consanguinitatis.

Facere benedictionē, est facere aliquid benedictione dignum aut acquiescere voluntati eius. Isaiæ. 36. dicit Rabsacheh Iudæis. Et nunc facite benedictionem cum Domino meo, id est, acquiescite illi.

Furorem Domini fumare, super aliquem, est punitionem super illum in copia ad modum fumi descendere, aut irasci valdè contra eum, quòniam homo valdè iratus, fumum è naribus & ore exhalare videtur. Habes hebraismum Deute. 29. Quia tunc fumabit furor Domini, & zelus eius in virum illum.

Filius areæ, id est, triturandus veluti triticū in area, quòd in ea à palea excutiatur sicut filius à matre, aut propinquus triturę. Isaiæ 21.

Filium vocat hebraismus lucernam patris, quoniā patrem refert & ostendit, quemadmodum lucerna id quod coram ea est. Psalmo. 132. Paraui lucernam Christo meo, id est, filium qui eū referat, aut qui post eum maneat quemadmodum lucerna iugiter manet.

Irrigare pede, est aquam pedibus ad irrigandum adducere, aut laborare ad irrigandum. Deuteron. 11.

Iudicium mortis esse alicui, est eum esse morti adiudicandum aut adiudicatū, vel esse reum mortis Deuterono. 19.

Iudicare pro punire, vsurpant frequentissimè Hebræi.

Implere post aliquem, est in omnibus illum sequi seu plenè illi obtemperare. Nume. 32.

Multum tibi, pro sufficiat tibi, multum vobis pro sufficiat vobis, dicunt Hebræi: vt patet Deut. 2. & 3. & Numeri. 16. Aut multum tibi, scilicet, vsurpas, & sic multum vobis.

Manus pro labore, sæpè accipitur in sacris literis, quòd eis homo soleat laborare. Deutero. 12.

Mittere manum pro laborare aut operari, vtuntur Hebræi: vt patet Deutero. 12. Prosperaberis in omnibus ad quę miseris manum, id est, in omnibus quæ feceris, vel laboraueris.

Manum alicuius primam esse in aliquē, est, manum eius prius eum punire.

Mittere manum, Hebręis est facere, vel incipere operari. Deute. 28.

Mane pro die crastina habes. Isaiæ. 33.

Manum alicuius nutare, est substantia deficere. Leuitici. 25. quod manu substantia acquiratur.

Medio pro intra, vtuntur sæpius Hebræi: vt erat nauis in medio mari, id est, intra mare, Habes hebraismū Numeri. 11. & aliis multis scripturæ locis.

Militia pro certo tempore militandi, vel faciendi aliquid, Iob. 7. Militia est vita hominis, id est, ad certum tempus durat. Et Isaiæ. 40. Completa est militia, id est tempus certum quo illi erat militandum, seu quo erat affligenda, seu illi laborandum.

Nosse ambulare alicuius, Hebræi dicunt, pro nosse laborem quem in ambulando sustinuit. Habes loquendi modum Deutero. 2.

Negotiari pro fornicari accipiunt nōnunquam Hebræi. Isaiæ. 23.

Operę

OPera vocantur sæpius viæ in scriptura sancta.

Orare vsque ad aliquem, est pro eo preces effundere. Deutero. 9.

Oculum non parcere, est viso malo, non flecti misericordia, sicut oculum parcere misereri. Deute. 7.

POnere nomen suum alicubi, est locum illum aut rem illam ab eo denominari, quemadmodũ deum ponere nomen suum in Ierusalem, est eam denominare ciuitatem Dei, sic nomẽ ponere in angelum est eum Deum denominari, habes loquendi phrasim Exod. 23 & Deutero. 12.

Portam pro vrbe, dicunt sæpius Hebræi. Deute. 18. Ex aliqua è portis tuis, id est, vrbibus tuis.

Ponere verbũ in ore alicuius, est suggerere illi quid loquatur. Numeri. 23.

REddere in faciem, aut resistere in faciem, est publicè iniuriam vindicare, aut arguere Deutero. 7. & ad Galatas. 2.

Remittere manum, pro remittere debitum, vtuntur Hebræi, quoniam solet creditor manum extendere ad debitum recipiendum, & ideò cùm remittit debitum dicitur remittere manum. Deutero. 15.

Reuelare alam seu oram alicuius, Hebræis aliquando est congredi & non reuelare nõ congredi, est etiam dehonestare eum. Deute. 27. & Leuitici. 18. quod ora vestis seu fimbria habeat modum alæ & eam reuelare oporteat seu leuare ad congressum.

Reuerti à post alium, est illum quem antea sequebaris, non amplius sequi. Numeri. 32.

Remouere cor alicuius, Hebræis est reddere eum debilem. Numeri. 32.

SAnguinem alicuius esse super aliquẽ est esse, reum effusi sanguinis Deutero. 19. Matthæi. 26. Sanguis eius super nos.

Seminari semine, est dare nouum conceptum aut nouam prolem. Numeri. 5.

Semen pro prole dicunt frequentissime Hebræi. Genesis. 15. Leuitici. 12.

Subiicere omnia aut aliquid sub pedibus alicuius, est omnia aut illud tradere in sua potestate. Idem tradere sub manu. Psal. 8. Deut. 11. De manu verò habes Genesis. Ecce ancilla tua sub manu tua est, id est, in tua potestate.

TRansire facere nouaculam, pro radere vtuntur Hebræi vt habes Numeri. 8. Transire facies nouaculam per omnem carnem, id est, omnes pilos carnis tuæ rades.

Transire os domini, id est, verbis aut præceptis eius non obtemperare, quod ille qui aliquid transit non curat illud aut excedit. Numeri. 22.

VIsitare pro punire, vtitur frequentissimè scriptura vt patet Isaiæ, 13. & 23. & Psal. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, id est, puniam.

Vertere se ad aliquem, est illi reconciliari, aut ex inimico amicum fieri. Leuitici. 26. Vertam me ad vos, id est, reconciliabor vobis.

Vir nominis, pro vir famosus, dicunt Hebræi. Genesis. 6. & Numeri. 26.

FINIS.

Typis Ioan. Graphei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

P. 7. 6

Universidad de Deusto
Biblioteca